THOMAE DE VIO CAIETANI ... OPERA OMNIA QUOTQUOT IN SACRAE...

Tommaso De Vio, Ascanio Rivaldi

CARDINALIS CAIETANI EMINENTISSIMI *IN* S. SCRIPTVRAM COMMENTARII.


EVANGELIVM
PROPHETIA
DOCTRINA SACRÆ SCRIPTVRÆ
DOCTRINA THEOLOG
THOMÆ DE VIO CAIETANI
TITVLI S. SIXTI PRESBYTERI CARDINALIS
EMINENTISSIMI
OPERA OMNIA
QVOTQVOT IN SACRÆ SCRIPTVRÆ
expositionem reperiuntur.
CVRA ATQVE INDVSTRIA INSIGNIS COLLEGII
S. Thomæ Complutensis, Ordinis Prædicatorum.
LVGDVNI,
Sumpt. Iacobi & Petri Prost
16 39

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI
AC
D. DOMINO
ANTONIO DE LA CERDA
DVCI MEDINÆ CÆLI,
COMITI SANCTÆ MARIÆ,
MARQVIONI DE ALCALA
ET COGOLLVDO,
DOMINO LODONIS, DEZÆ,
ET ENCISI, &c.
LITERARVM DELICIO, AC NVTRITIO,
CARDINALIS CAIETANI OPERVM
VINDICI, AC PROTECTORI
MVNIFICENTISSIMO:
COLLEGIVM S. THOMÆ ORDINIS
PRÆDICATORVM VNIVERSITATIS
COMPLVTENSIS SEMPITERNAM
FELICITATEM PRECATVR.

SEIPSVM conspectui vestro (Magne Princeps) Caietanus in munus sistit, sed splendore Vestro nouum, luce Vestra augustiorem. Talem manum, tam amicam Author tan-

tus opperiebatur, vt quæ diu toto Orbe desiderabantur, illius in sacram Scripturam Opera publicæ vtilitati exponerentur nitidiùs, feliciùs irradiarent. Hinc est quod breues istæ litteræ non tam votorum nostrorum mensura, quàm illius gratitudinis Indices sunt: nec potuit compendiosiùs, aut pleniùs Vindici suo obsecundare Caietanus, quàm seipsum reddendo. Peregrinabatur vsque nunc inter paucorum manus tam eximiũ Opus, & vix erat, qui pretiosissimam gemmam nitori suo redderet, atque in ordinem volumina redigeret, vt versaretur in omnium oculis quod omniũ votis auidiùs petebatur. Vindicatum est hoc à Munificentia, & sollicitudine vestra; & inter tot negotiorum publicas curas, etiã, ne tanti Viri doctrina sub modio latêret, impensiùs à Vestra Pietate curatum est. Ergo ipso vindicationis iure totũ sub Vestra

Protectione

protectione Caietanum emittimus, ut super tale candelabrum lucerna tanta ponatur ad lucendum omnibus qui in domo sunt. Hoc Vestra Magnificentia præstat, Excellentissime Princeps, de cuius aureo fulgore, & Regij sanguinis dignitate, hæc Caietani opera fauorem accipiunt, & illustrius gloriosiúsque scintillant. Purpuram sanè Corona decet, nec alibi floridior apparere potuit tanti Cardinalis purpura quàm ponè coronatum Regiæ vestræ Sublimitatis schema. Vale in æuum felix.

SERIES
Eorum quæ toto hoc CAIETANI opere continentur.

ORATIO

ORATIO
DE VITA SANCTISSIMI VIRI, MAXIMEQVE REVERENDI D. THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS S. XYSTI,

AVCTORE IOANNE BAPTISTA FLAVIO Aquilano, eiusdem à secretis familiari.

SATIS scio, Patres Amplissimi, nonnihil me vobis hodie admirationis excitaturum, quod cùm tam longo, diuturnóque silentio, velut in tenebris, hactenus delituerim, nunc primum coram tot fulgentissimis syderibus in lucem prodire, ac vocem edere audeam. Sed tale quiddam mihi euenit, quod olim Crœsi Lydorum regis filio accidisse memoriæ proditum est: Nempe captis à Cyro Sardibus, cùm miles quidam stricto gladio in Crœsum regem, ignarus quis esset, irrueret, ac iam iam iugulo ferrum impressurus instaret, tum Regis filius, tanto periculo commotus, tametsi loquendi vsu defectus, oblitus, quid sibi nascenti fortuna denegasset, vt parentem seruaret, quando alia salutis via non ostendebatur, dolore pariter, atque iracundiâ percitus, exclamasse fertur, *O homo, caue Crœsum interficias.* *Exordium.*

Videtísne, Patres Amplissimi, quantas vires habeat, tum pietas, tum iustus dolor: vt abrogatâ naturæ lege, is qui mutus natus esset, effractis repentè naturalibus vinculis, in paterno periculo, statim vocalis euaserit. Idem inquam penè mihi accidisse animaduerto. Nam Heri olim mei, Viri quidem sanctissimi atque integerrimi, intempestiuo obitu consternatus, cùm neminem viderem ad quem potius quàm ad me, quippe qui illum (quod dici solet) intus & in cute optimè nouerim, quocum annos decem & septem à secretis quàm familiarissimè vixerim, cum quo propemodum consenuerim, eius laudãdi prouincia pertineret, indignum ratus meum in ea re officium desiderari, tametsi penè mutus, ac dicendi artis ignarus, officij necessitate coactus, effractis repentè verecundiæ vinculis, pro rostris more maiorum, ad eum laudandum prosilui. Non itaque me vobis luculentam orationem, verbis magnificis, aut vllâ arte compositis ornatam, allaturum polliceor, sed simplicem, veritatis plenam, nullis fucis, nullisque verborum lenociniis adumbratam.

Sed prius quàm incipiam, vt aliquo Numine suffulta procedat oratio, ad quem potissimum Diuorum confugiam, quàm ad te, diue Xyste, quem, si vera sunt quæ nobis Christiana religio pollicetur, quæ certè verissima sunt, si quis ad cœlum virtutibus patet aditus, quibus tu maximè præditus fuisti, inter diuos relatũ minimè dubitauerim. Patere *Inuocatio.*

 itaque

itaq; vir ſanctiſſime, tuas à me rudi fortaſſe, ſed tamen quã veriſſimâ oratione laudes referri: Excita ingenij mei vires, adiuua imbecillitatẽ meã. Non eo inficias pro multitudine tuarum laudum, ac rerum geſtarum magnitudine, huic tanto muneri, vel Cygninam eloquentiam, vel Roſſanam facundiam, vel Viterbienſem illum verborum pariter, ac ſententiarum torrentem, deberi, ętatis noſtræ ſplendidiſſima lumina, ne ſemper vel Ciceronem, vel Demoſthenem appellemus. Dignus eras in quem tot illuſtres Oratores omnes ingenij vires effunderent. Sed hominem (quod aiunt) occidat oportet, qui tantorum Oratorum operâ vti velit. At tu interim à me humili quidem, ac ſimplici ſtylo laudabere, & quantùm ab aliis arte, ac facundiâ vincor, tantum fortaſſe pietate erga te, atque in te laudando veritate, ceteros facilè ſuperabo.

Diſtributio, ſiue ordo dicendorum.

Attendite quæſo, Patres Ampliſſimi, ac pronis auribus nõ Tragicam, non Comicã, ſed Hiſtoricã Orationẽ accipite. Sed in hoc homine, vel potius numine laudãdo, vnde potiſſimũ mihi principiũ aſſumã? A patria videlicet? quæ tametſi per ſe ſatis illuſtris, plus tamen ab eo luminis, ac ſplẽdoris acceperit quã tradiderit. A parentibúſne? qui licet ſatis per ſe clari, atq; honeſtiſsimi ſemper fuerint, nullâ tamẽ re magis clari atq; illuſtres fuerũt, quã quòd talẽ ac tantũ filiũ genuerũt. A te itaque, diue Xyſte, incipiat, atq; in te deſinat oportet oratio, quippe qui nõ alieno ſed tuo ſplẽdore fulges, non tã patriæ nobilitate, ac maiorũ imaginibus, quã tuis virtutibus clarus. Verũ ne quid pretermiſsũ eſſe videatur, vt rato ordine procedat oratio, nõ abs re duxerim quo loco, quo tẽpore, quibus parẽtibus genitus fuerit, quibus auſpiciis educatus, ac eius demũ velut crepundia quædã, ante religionis ingreſsũ geſta, paucis attingere. Poſtea verò quã religionẽ ingreſſus eſt, quâ conſtantia perſeuerauerit, quâ vixerit pietate, quãtúmq; ſanctitate ac litteris profecerit, quibus denique artibus, ac moribus, per omnes gradus ad ſummũ religionis faſtigium peruenerit, quã fieri poterit breuiſſimè referemus. Ac demũ ab eo tempore quo in iſtũ veſtrum ſacroſanctum Patrum ampliſſimorum ſenatum aſcitus eſt, vſq; ad illius ſibi quidem feliciſſimum, nobis verò funeſtiſſimum exceſſum circa eius diuinas virtutes, ac res præclariſſimè geſtas, quibus tandem eſt immortalitatem adeptus, omnis noſtræ orationis labor verſabitur. Sed iam propoſitum negocium aggrediamur.

Narratio. Caieta ciuitas, patria Thomæ de Vio.

Caieta ciuitas nobiliſſima in littore Tyrrheni pelagi ſita, ſiue à littorum curuitate, quòd id nomen olim linguâ patriâ curuum ſignificaret, ſiue à Caieta nutrice Æneæ, quæ illis in locis ſepulta perhibetur, nomen ſortita eſt, ampliſsimo ac tutiſſimo portu inſignis, naturalibus montium anfractibus, ac ſummâ arte vaſtis murorum obiectis molibus, aduerſus omnes bellorum impetus munitiſsima, notior eſt quàm à me laudari neceſſe ſit.

Quo tempore quibus parẽtibus natus et Caieta nus.

In hac itaq; tã inſigni ciuitate, anno videlicet quarto trecẽteſimæ ſexageſimæ ſeptimę Olympiadis, ab ortu Chriſti filij Dei ſũpto principio, circiter 10 Kal. Martias, quo tẽpore Paulus Venetus huius nominis Secundus Pontifex Maximus Romæ imperabat, Frãciſco cognomẽto de Vio, atq; Eliſabet Syeria, parentibus honeſtiſsimis genitus eſt. Primũ infãti nomẽ Iacobo parẽtes indidêre: qui Deorũ potius monitis, quã inſomniis excitati (etenim matrem caſtiſsimam fœminam, inter alia, D. Thomam Aquinatem puerũ docere, atq; ad cœlum vſque geſtare, per quietẽ vidiſſe ſatis conſtat) ingenti de eo ſpe conceptâ, puerum ſanctiſsimis moribus educandum, ac litteris erudiendum diligentiſſimè curauerunt.

Caietani pueritia.

At ille quaſi præſentiſceret ſuam futuram magnitudinem, parentibus ac pręceptoribus ita obſequebatur, ita eorũ veſtigia obſeruabat, vt ne tranſuerſum quidem vnguem ab eorum latere diſcederet. Itaq; cum diuino quodã ingenio ac memoriâ præſtaret, tum moribus, tum litteris, omnes ſuos æquales facilè ſuperabat. Non cum pueris ludebat, non cum pueris verſabatur, vt non iam puer, ſed planè ſenex omnibus videretur. Cùm verò pubertatis annos attigiſſet, quæ ætas feruore libidinis furere ſolet, non laſciuiis, non impudicitiis, non gulæ, nõ ganeis deditus (vt vulgo fermè adoleſcentes) ſed religioſos viros adire, tẽpla Deorum frequentare, litteris operam nauare, mortalis vitæ oblectamenta floccipẽdere, corpus ieiuniis affligere, nihil nõ caſtũ, nihil non ſanctũ cogitare, nullũ deniq; vel tẽporis momentũ remittere, omnia dicere, omnia facere, quibus in dies doctior ac sãctior euaderet. His moribus facilè apparebat illũ vbi primũ per ętatẽ licuiſſet (quod ſępè etiã per iocũ puerili quadã ſimplicitate iactitare ſolebat) poſtergatis voluptatibus, Religioni ſe cupiã initiaturũ. Id parentes cũ vehementer timerẽt, pueri veſtigia diligẽtiùs aſſeruare, omnia indulgere, affatim pro ſuo arbitratu omnia prębere, pulcherrimas quidem, ſed tamen honeſtiſſimas adoleſcentulas in connubium oſtentare, frequenter etiã apertius admonere, interdum acriùs minitari, omnia demum tentare quibus illũ à propoſito deterrerent: At ille contrà, omnia aſpernari, parentes rogare, vt Deo ſe potius ſeruire, quam ſuis

Illum à Religione prop ſito deterrere volũt parentes.

commodis

commodis paterentur. Mallent se Deo incorruptum offerri, quam tot humanæ vitæ inquinamentis pollutum perditum iri: vouisse Deo Christo virginitatem asseuerabat: nihil in humanis firmum, nihil stabile: externa bona, fortunæ & casui subiecta, omnia veluti validissimis turbinibus ac tempestatibus agitari, formam quidem ac iuuentutē senectute corrumpi, ęgritudine valetudinem, Cum ipsa deniq; vitā, quā nihil est dulcius, mortem aliquando cōmutari. Peregrinationem quandam esse mortalium vitam, aliò migrandum esse, Corpus ac cætera corruptioni obnoxia relinquenda, Diuinam mētem immortalitate donatam Deo Optimo Maximo, à quo profecta esset, velut depositum quoddā quàm mundissimam restituendam. His atque aliis grauissimis sententiis, supra ætatem quidem, sed diuino numine afflatus, parentum animum expugnauit. Qui tametsi talem à se filium auelli iniquo animo ferrēt, veriti tamen ne si illum, quò minus Religioni initiaretur, impedirent, diuinam in se iram prouocarent, puerum suo arbitrio dimiserunt.

His itaque mœstis ac propemodum inuitis sed tamen non admodū repugnantibus, vbi primum sese occasio obtulit, anno ætatis suæ decimosexto, in suo natali solo, sub institutis ac pręceptis B. Dominici, Prædicatorij Ordinis religionem ingressus est. Ac mutato nomine pro Iacobo, Thomas est appellatus. Qui licet magnum sui apud omnes desiderium reliquisset, maiorem tamen de se spem, atque expectationem omnibus excitauit. Nempe illius insignem indolem admirati, alij alterum Thomam Aquinatem, alij Albertum cognomento Magnum, alij aliū quempiam virū doctrinā ac sanctitate præstantem, euāsurū prędicabāt. Nihil sibi de eo non sanctum, nihil non magnū, nihil non arduū pollicebātur.

Ordinem S. Dominici ingreditur, anno ætatis 16. ac Thomas vocatur.

Tantā igitur expectatione Religioni initiatus, doctissimis ac sapientissimis Præceptoribus traditus est. Ipse verò summā ope nitebatur, ne suos Præceptores quantùm proficeret pœniteret. Ac primū quidem Neapoli, mox Bononiæ, postremo Patauij, nobilissimis Italiæ gymnasiis, cum litteris operam diligentissimè nauasset, differendi artem quam Logicen appellant, ita cupidè hausit, ita per se argumentorum loca, ac rationes inibat, vt nō tam discere quam docere videretur. Ad grauissimas autem scientias conuersus, naturalium ac diuinarum rerum arcanis tanto feruore incubuit; vt cum breui summus Philosophus ac Theologus euasisset, expectationem quam de se excitauerat, non æquauerit modò, sed longo etiam superauerit interuallo. In disceptationibus ac litterariis certaminibus acerrimus disputator, in dicenda sententia grauissimus ac sapientissimus, vitæ ac morum integritate sanctissimus habebatur.

Caietani studia literaria

Ingens statim esse cœpit Caietani nomen. Nam illum non iam Thomam vt prius, sed patrio nomine, quasi maius quippiam personaret appellabant. Qui tametsi adhuc ætate esset propemodum adolescens, doctrinæ tamen ac sanctitatis opinione, facilè inter principes Religionis locum obtinuit.

Caietanus incipit appellari.

Vixdum natus annum ætatis suæ vigesimum secundum Ferrariam petiit nobilissimā Italiæ ciuitatem. Siquidem ibi per id tempus Prædicatorij Ordinis generalis conuentus habebatur. Nempe vt olim in Olympicis certaminibus priscæ ætatis homines de corporeis viribus periclitabantur, sic nostra tempestate viri Religiosi in eiusmodi conuentibus animos exercere, ac de moribus, de litteris, de scientiis certare consueuerunt. Ad eum itaque conuentum tanquam velocissimus cursor, atque athleta fortissimus ad disputandū accitus, cùm priuatis, tum publicis certaminibus, ita strenuè se gessit, vt ad eum conuersis omnium studiis, ingenij, doctrinæ, ac sapientiæ laudem omnibus eripuerit. Quid? quòd cùm quodam die propositis nonnullis arduis quidē, ac difficillimis quæstionibus, magna hominum doctissimorum frequentia disputaret, tanta vis ingenij, ac sapientiæ emicuit, vt non mortalem quidem illum, sed numen aliquod de cælo missum palàm homines iactitarent. Admirabantur ingenium, admirabantur sapientiam, sed in primis illius ætatē stupebant. Eius ætatis adolescentem tantum sapere, non humanum quidem, sed diuinum potius existimabant: at cùm è suggesto tanquam è rostris peractā disputatione descenderet, vix illum terram attingere passi sunt, sed repentè manibus hominum sublatus, ad Illustrissimum Ferrariæ Ducem ac Generalem Magistrum (sic enim supremam eius Ordinis dignitatem appellant) qui disputationi intererant delatus est. A quibus honorificentissimè exceptus, ac mirū in modum collaudatus, ingenti omnium consensu, Magister tandē est appellatus. Quod nomen inter viros Religiosos, eā potissimum tēpestate grauissimū, ac sanctissimū habebatur, nec nisi viri doctissimi eā nūcupatione donabantur. At nunc humanis rebus in deterius labentibus, vt pleraque alia multa, per largitionē & ambitum ita profanatū est, ita inuulgatum, vt pleriq; magistri appellentur, qui vix vt homines nuncupētur digni sunt. Sed quid ago? quò tendo? penè de via imprudens iter deflexi.

Ferrariæ post celeberrimam disputationem Magister appellatur.

Oratio

Peracto illo solenni conuentu Patauium reuersus, tanto nomine honestatus, cū Mauritio ac Trombetta summis Philosophis ac Theologis congressus, magnum doctrinæ ac sapientiæ nomen adeptus est. Mirum quippe erat illum iuuenem cum iis doctissimis, ac sapientissimis senibus, de rebus grauissimis disputantem cernere. Ingens in formandis rationibus ingenij acumen. In refellendis mira dexteritas, atque prudentia. In resoluendis quæstionibus summa grauitas ac sapientia. Non enim res clamoribus ac iurgiis (vt contentiosorum hominum mos est) gerebatur, sed grauitate sententiarum, ac verborum modestiâ, vt non de gloria contendere, sed de veritate indaganda (id quod Philosophorum est proprium) disputare viderentur. At cum publicè, seu de natura, seu de rebus diuinis dissereret, ita apertè, ita distinctè, ita dilucidè, abstrusos, sensus & arcana mysteria aperiebat, vt naturæ ac diuinæ mentis planè conscius uideretur. Magnus itaque ad eum concursus discipulorum fiebat. Ad eum audiendum omnes tanquam ad alterum vel Socratem vel Platonem confluebant.

Certamina litteraria.

Papiam deinceps, velut alteras Athenas, profectus, cùm Philosophiam, ac sacras litteras, Gometio Philosopho ac Theologo Illustri obiectus, ęmulatione virtutis, profiteretur, non minorem sapientiæ laudem ac gloriam est consecutus: ita sibi omnium mortalium animos opinione virtutis ac sanctitatis deuinxit, vt non pręceptorem quidem illum, sed parentem optimum appellarent. Mediolanensium verò Principum ita sibi gratiam conciliauit, vt illum magno in honore semper habuerint. Cum quo sæpe etiam de rebus magnis atque arduis communicabant; quorum amicitiâ deinceps per omnem ætatem, omnibus in locis semper est vsus.

Mediolanensibus Principibus charus.

Papiæ cùm esset aliquot annos moratus, magno sui apud omnes desiderio relicto, anno ætatis suæ vigesimonono cùm ad Vrbem venisset, tametsi illum diuinæ virtutes suæ satis commendare potuissent, magnum tamen earum illustratorem inuenit. Erat enim tum Romæ Oliuerius cognomento Carrafa, quippe qui ex Illustrissima Carrafæorum familia genus ducebat, Cardinalis Neapolitanus amplissimus, cùm generis nobilitate, tum vel maximè litteris, elegantiâ morum, vitæ integritate, sapientiâ denique, atq; adeo omni virtutum genere sui ordinis facilè princeps. Cui religionis cura, atque protectio à Summis Pontificibus olim fuerat demandata. Iampridem tanti viri nomen, ac fama ad Oliuerium peruenerat. Quâ incensus homo ille virtutum omnium cultor, atque admirator egregius, auebat illum videre, illum audire, vel legentem vel disputātem, cum eo quam familiarissimè colloqui. Eius igitur aduentu mirum in modum lætatus Oliuerius, cum nescio quid sibi maius quàm mente conceperat intueri videretur, illum magno in honore habere cœpit, ac statim de illius ornamentis, & commodis cogitare. Itaque cùm primùm per occasionem licuit, illum vniuersi Ordinis procuratorem, ac Vicarium generalem creauit. Eundemque in Romano gymnasio ad docendum publicè Philosophiam, ac sacras litteras pręfecit. In omnes occasiones intentus, vt tantum virum omnibus quibus posset honoribus, ac dignitatibus exornaret.

Honoribus & dignitatibus à Cardinale Carrafa exornatur.

Dij immortales, quantus erat tum in rebus omnibus, tum vel maximè in disputationibus, ac litterariis certaminibus! quoties rumor increbuisset Caietanum in certamen prodire, quæ omnium mortalium concursatio? alij potiora loca præripere, alij eminentiora occupare, omnes denique certatim confluere. Qui audire non poterant, satis habebant si illum saltem videre potuissent. Venienti occurrere gestiebant, redeuntem velut ouantem comitabantur. Per omnes vicos, per omnia compita, per totam denique vrbem Caietani nomen personabat. Cum verò Procurationis munus toto integro decennio cum summâ integritatis laude gessisset, vitâ functo Generali Magistro, dum quis potissimum par tanto oneri, verius quam honori, summâ diligentiâ quæreretur (non enim deerant eâ tempestate eiusdem Ordinis viri alioqui religiosissimi, doctrinâ, moribus, atque ætate etiam venerandi, sed quos nequaquam cum Caietani sapientia conferres) Oliuerius plus virtuti tribuens quàm ætati, indictis Romæ ad creandum Magistrum Generalem comitiis, Caietanum nondum quadraginta annos natum, omnibus anteferēdum existimauit. Euntibus itaque in suffragia patribus, magno omnium consensu, paucis dumtaxat, qui ad eam dignitatem aspirabant exceptis, Magister Generalis est declaratus.

Ordinis Prædicatorū Magister Generalis eligitur.

Tum verò quasi alterū sydus religioni exortū omnibus visū est. Reuixisse D. Dominicus putabatur, qui Religionē in pristinā illam integritatem, ac præceptorum obseruantiam à qua (vt verū fateri liceat) nōnihil defecisse videbatur, restitueret. Nec me Hercule hominum opinionem fefellit. Nam delatū sibi Magistratum nemo vnquā diligentius administrauit. Iustitiā nemo sanctius coluit, Muneribus verò ac pecuniis, tantùm aberat vt corrumpi

Quàm sanctè Ordinem suum rexit.

rumpi posset, vt non solū oblata sperneret, sed offerentes ambitus damnatos, tanquā bonarum artium corruptores, atque humani generis hostes, inexpiabili quodam odio prosequeretur. Sontes ac facinorosos homines seuerissimè castigabat: probos viros ac doctos honoribus ac dignitatibus honestabat. Nihil amicitiæ, nihil fauoribus, nihil precibus tribuebat. Virtutes tantum ac merita spectabat. Et quod omnium maximum est, in rebus publicis administrandis, quæ aliis imperabat primus ipse obibat. Nec tam legibus ac pręceptis, quàm exemplo subiectos sibi in officio continebat. Nam castitatem quis vnquam incorruptius seruauit? parsimoniam verò, ac frugalitatem ita coluit, vt vix quantum naturæ satis esset hauriret. Paupertatem tantâ animi alacritate in omni vita complexus est, vt diuitias atque opes, pro quibus inter se mortales digladiantur, non modò non quęreret, sed omnino contemnere, ac pro nihilo ducere videretur. Nihil vnquam cupidè, nihil auarè, nihil ambitiosè, nihil temerè administrabat. His itaque artibus ac moribus, perpetuo altero decennio, cùm religionem ingenti nomine sanctitatis gubernasset, illam eò perfectionis adduxit, vt si tum demum reuixisset D. Dominicus, nequaquam illum suæ Religionis pœnituisset.

Hęc quanquam satis multa, per se clara, atque illustria videri possunt, quibus illum, Patres Amplissimi, nondum Cardinalem, immortalitate dignum facilè iudicetis, plura tamen rerum gestarum multitudine oppressus omisi. Nam de lucubrationibus & scriptis eius, quæ per omnem ętatem, per omnes gradus, omnibus in locis in quibus versatus est, tam multa edidit, quasi nunquam aliud quicquam in tota vita gessisset, nihil hactenus dictum est. De quibus hoc in loco (ne pigeat audire, est enim hęc pars longè pulcherrima) dicere constitui, non omnia quidem nunc, sed ea tantum quæ nondum Cardinalis ediderit, cætera suis locis postea referemus. Primo quidem sui tyrocinij tempore, ac planè adolescens, D. Thomæ Aquinatis Philosophi ac Theologi non pœnitendi libellum *de ente & essentia* accuratissimè exposuit. In Porphyrij quoque acutissimi Philosophi *Isagogen de quinque vocibus*, exactissima commentaria edidit. Aristotelis etiam Principis Philosophorum *Prædicamenta*, atque eiusdem difficillimum sanè, sed quam maximè necessarium, *Posteriorum Analyticorum* librum mirâ arte atque ingenio declarauit: quibus tantum splendoris ac luminis adiecit, vt cùm antea cognitu difficillimi, atque obscurissimi habiti essent, editis eius lucubrationibus planè, faciles ac perspicui viderentur: quibus tametsi adhuc tyro, summam tamen ingenij atque eruditionis laudem est consecutus.

Lucubrationes & scripta eius antequàm fieret Cardinalis.

Cùm verò procurationis munere fungeretur, robustior iam miles, ad diuina mysteria conuersus, eiusdem D. Thomæ Aquinatis pręclarissimas lucubrationes, omni scientiarū genere refertas, atque in tres partes diuisas, exponere aggressus est. Ac primum quidem *in Primam partem* ingens edidit Commentariorum volumen. Postea verò quam Magister Generalis creatus est, quamuis in administrādа re publica non parum esset occupatus, in *primum secundæ partis Tomum*, pręclara edidit commentaria. *Alterum* quoque eiusdem *secundæ partis Tomum*, cùm iam exposuisset, non prius tamen commentaria edidit, quàm Cardinalis supremam manum imposuerit. *Tertiæ* verò *partis* Commentaria Magister quidem Generalis inchoauit, sed quæ postea dum Cardinalatus dignitate fungeretur perfecit. Vasta quidem nedum iusta volumina. Quibus tanti Philosophi non modò sensum ac mentem aperuit, sed aduersus illius obtrectatores acutissimis rationibus strenuissimè tutatus est, vt suum splendorem atque authoritatem, quam inuidi labefactare conabantur, facilè retineret. In quo quidem auctore exponendo idcirco tantum laboris suscepit, quòd eum priscis Philosophis, ac summis in omni scientia viris, non solum conferendum, verū etiam pręferendum existimabat, nec quemquam quicquam scire in omni genere sciētiarum arbitrabatur, qui non esset doctrinâ D. Thomæ Aquinatis imbutus.

Quanti D. Thomam æstimabat.

Quod si iis lucubrationibus, ac rebus hactenus præclarissimè gestis, de quibus supra retulimus, alia eius scripta ac gesta, quæ maturiori quidem, ac grauiori ætate iam Cardinalis ediderit ac gesserit conferantur, iam tricas & nugas omnia illa superiora existimabitis. De quibus antequam dicere ingrediar, vos admonendos censeo (quandoquidem audiendi tædio vos propemodum fatigatos animaduerto) ne tam vestras aures rudis noster stylus offendat, quàm tanti viri, quem haud secus quàm parentem venerabamini, splendor ac memoria delectet.

Vos itaq; rogatos vehemēter velim, vt ad ea quæ sequūtur (sunt enim superioribus lōgè speciosiora, atq; illustriora) faciles nobis aures accomodetis, nec tā verborum delectum, ac leporē orationis, quā tāti viri dicta ac facta præclarissima contemplemini. Accepistis enim illū pronis auribus virū religiosum, Sui ordinis Procuratorē, ac Generalē Magistrū, An nō

eundem iam Cardinalem, in istum vestrum inquam sacratissimum ordinem adscitum, æquissimis auribus accipietis? Noui modestiam vestram, noui patientiam. Audiuistis sæpè, & ferre potuistis inania quædam, ac somniis persimillima, sed tamen eleganti stylo orationis, ac verbis magnificis exornata. An rudem atque indisertum oratorem, vera tamen dicentem non audietis? Nam is demum satis facundè laudatur qui verè laudatur. Sed video iam vos, Patres Amplissimi (ni fallor) comitate vestra non modò ad audiendum paratos, sed vt cœpta iam prosequar propemodùm efflagitare. Enitar ergo ne vestrâ abutar facilitate, eo vti temperamento, vt tantam rerum dicendarum molem summa breuitate perstringam, vt æquè vos & materia ipsa, etsi non splendor, breuitas tamen orationis delectet.

Satis facundè laudatur, qui verè.

Primum itaque Iulius Secundus Pontifex Maximus acris ingenij vir, omnibus quamuis optimis principibus comparandus, cum Thomæ nostri ingenium ac virtutes admiratus, tum illi ob egregiam Reipublicæ Christianæ nauatam operam non mediocriter obstrictus, in sacrosanctum Cardinalium Senatum illum adsciscere destinauit. Nempe cùm quidam vestri ordinis Patres res nouas molientes Mediolanum secessissent, publicũ Christianorum conuentum sine Pontificis authoritate, cui ipse etiam Pontifex Maximus subiiceretur, indici, atque eo etiam inuito celebrari posse iactitabant. Cum in eam sententiam plures libelli à doctissimis alioqui viris, in gratiam potius quorundam principum, quorum fauoribus coniurati nitebantur, quàm vero iudicio editi essent, inuito Iulio Pontifice Maximo vniuersale Christianorum Concilium indixerunt. Et quamuis legibus agere viderẽtur, re tamẽ verâ, ad arma spectabant. Ingẽs itaque Romæ trepidatio, trepidabat Italia, totus penè orbis concussus videbatur. Facilè apparebat si res ex eorum sententia processisset, ingens quidem bellum, ac magnum schisma futurum. Itaque Iulius tantis rumoribus consternatus, qua ratione eorum conatibus resisteret cogitabat. Sed nihil prius agere constituit quàm Thomam nostrum in consilium adhibuisset. Is rebus omnibus diligenter perspectis, non armis quidem, sed legibus quibus primùm oppugnari videbatur, resistendum consuluit. Aduersarios haud quaquam firmo ac solido fundamento inniti, quo sublato totam eorum molem ruituram, id se certissimis rationibus ostensurum. Indiceret ipse demum in vrbe Concilium: ita fore vt hostes suomet ipsorum gladio conficerentur.

Iulio II quã vtilis Caietanus.

Quo diuino consilio mirum in modum lætatus Iulius, collaudatâ Thomæ sapientiâ, statim Concilium Romæ celebrandum indixit. At Thomas collectis vndique libellis, qui Pontificis auctoritatem labefactare videbantur, animum ad scribendum appulit, ac breui libellum illum celeberrimum ac diuinum, *de potestate Papæ atque Concilij* (sic enim illum inscripsit) mirâ arte ac sapientia lucubrauit. Quo edito vniuersos illorum seditiosorum hominum conatus ac furores infregit: Surgentémque illam flammam, quâ totus penè orbis conflagraturus videbatur extinxit. Cuius æterni beneficij magnitudinem si verè quispiam velit existimare, plus habet in recessu ponderis ac momenti, quam præ se ferat in fronte. Nam per Deos immortales quæ bella, quas strages, quas populationes, quæ stupra, quos virginum ac matronarũ raptus, quæ incendia, quas vrbium euersiones, nefanda illa coniuratio datura fuisset, nisi in ipso ortu Thomæ nostri saluberrimo consilio fuisset oppressa? Nam sicut minùs agat qui latè vagantem flammam extinxerit, quàm qui eandem prius quàm inualesceret extinxisset. Sic plus beneficij rei publicæ præstat, qui magna quidem ac periculosa bella in ipsis principiis oppresserit, quàm si quis captâ iam vrbe hostes commisso prælio superasset: nam is reliquiis tantum consulit ciuitatis, ille verò id efficit ne quod damnum omnino res publica patiatur. Plus me Hercule Furium Camillum olim facturum fuisse existimauerim, si Gallos priusquam vrbem ingrederentur, aditu prohibuisset, quàm quòd incensâ iam, ac vastatâ vrbe ad vnum omnes ceciderit. Quod si nunquam quicquam aliud noster Thomas in tota vita gessisset, hoc vno tantùm facto, atque immortali beneficio, quantâ vix maximâ dignitate satis dignus poterat iudicari. Non immeritò ergo diuus Iulius de illo homine exornando cogitauerat. Sed importuna mors quò minùs id facere posset impedimentum attulit.

Scribit de Potestate Papæ & Concilij.

Mortuo diuo Iulio, Leo Decimus Medices Pontifex Maximus creatur. Is cum Thomæ virtutes ac merita non ignorabat, tum diui Iulij vestigia atque iudicium sectatus, vbi primum tempus ad eam rem opportunum nactus est, Thomam ingenti omnium mortalium plausu, atque lætitiâ, diui Xysti titulo insignitum, Cardinalem creauit. Omnes diuum Leonem commendare; omnes ad cœlum vsque laudibus ferre, quod talem

A Leone X. Cardinalis creatur.

ac tan

ac tantum virum exornasset: habitam esse aliquando virtutum rationem; eos tandem Cardinales creari qui tanto honore verè digni iudicentur.

Tantam igitur cum esset dignitatem consecutus, num quicquàm de pristina illius vita mutatum existimatis? Idem victus, idem vestitus, eadem grauitas, eadem studia, idem diuitiarum contemptus, idem amor paupertatis, eadem quidem ac perpetua castitas, nihil denique de priore vita accessione tantæ dignitatis remissum. Non vt plerique ex infima fortuna ad summas dignitates euecti, velut hominem exuti, ac præteritarum sordium obliti, diuinos sibi honores deposcentes, diis se quàm simillimos arbitrantur, ac quasi cum morte inducias pacti, vel potius immortales effecti, nihil vnquam nisi de suis commodis cogitant, ac nullo vnquam genere voluptatum possunt satis expleri. Non audiunt, non vident, veteres relinquunt amicitias, indulgent nouis, vt verè hominem exutos possis existimare. Non sic inquam noster Thomas, hominem quidem se, atque mortalem nihilominus agnoscebat, nulli (quod posset) non prodesse studebat, voluptates non aspernabatur modò, sed illas tanquam pestem penitus fugiebat. Non minorem quam prius in exponendis sacris literis operam nauabat.

Statim quàm Cardinalis creatus est, Commentaria quæ in *secundum tomum secundæ partis* Diui Thomæ Aquinatis lucubrauerat, supremâ manu impositâ edidit, ac diuo Leoni de se optimè merito dedicauit. Ac deinceps vsque ad extremum vitæ halitum nullum vnquam diem sine linea prætermisit, quin scilicet aliquid reponeret, aliquid lucubraret. Nam & *tertiam* eiusdem diui Thomæ *partem*, quam Magister generalis inchoauerat, iam Cardinalis, multis laboribus ac vigiliis consummauit. Nouum quoque Christianæ religionis Instrumentum exponere aggressus, *quatuor Euangelistarum volumina* summâ fide, ac diligentiâ declarauit. Non minorem curam, ac diligentiam, in exponendis *Apostolorum gestis* adhibuit. *Epistolas* quoque *Diui Pauli*, atque aliorum Apostolorum sic exposuit, vt in iis ambigui reliquerit nihil. Apocalypsim omnino intactam reliquit, quod in ea exponenda non ingenio, sed diuinatione opus esse arbitrabatur.

Ipsius iam Cardinalis lucubrationes & opera.

Veteri quoque Instrumento suis lucubrationibus magnum lumen adiecit. In quo exponendo infinitum propemodum laborem suscepit. Nam cùm varias quidem, ac tam multas, tum veterum, tum recentiorum translationes, inspicere cogebatur, Tum etiam peritissimos quosque Hebræorum consulebat. Ita tamen vt plus illi ab eo discere, quàm illum docere faterentur. Ita enim singula ac minima quæque prosequebatur, ita sæpe scrupulos iniiciebat, interrogando, admonendo, disputando, vt ad intelligendum ea quæ ipsi per se intelligere nunquam potuissent, excitarentur. Hac itaque tam exactâ ac laboriosâ diligentiâ, totam illam vastam, ac perdifficilem veteris Instrumenti molem, pluribus digestam voluminibus, multis etiam ac propemodum infinitis in locis vel corruptâ, vel perperam interpretatam, ad pristinam integritatem, atque ad verissimum suorum auctorum sensum (quantùm humanâ fieri potuit diligentiâ) restituit. Cantico canticorum, ac Prophetis dumtaxat exceptis, quos moriens inchoatos reliquit. Quod si ista apud huius hominis ignaros narrarentur, falsa fortassis, ac supra omnem fidem in eius gratiam conficta iudicari facile possent, atque ego non orator, sed adulator potius existimari.

Extant illius per totum orbem terrarum sparsa volumina, non in angulis quidem, in oliuarum penulas, aut cordillarum togas seposita, vt pleraque multa. Sed passim per omnes scholas, per omnia gymnasia, per totum denique orbem terrarum lectitantur, atque in manibus hominum doctissimorum habentur. Quæ nulla vnquam caries, nulla teredo, nulla temporum vitia consument. Quæ nullis inuidiæ sentibus, nullis spinis vnquàm poterunt lacerari. Quibus tanta etiam grauitas, tanta auctoritas, vt cum de aliqua re ambigitur, si quis ita dicat, *hoc scripsit Caietanus*, hoc dixit, hoc sensit, perinde sit ac si dixerit, hoc sensit Socrates, hoc dixit Plato, hoc scripsit Aristoteles. Plura me Hercule, atque ea quidem grauissima, hic vnus volumina edidit, quàm quilibet lector in tota vita vel diligentissimus percurrat. Si mentiri me quispiam arbitretur, illum ad omnes bibliopolas, ad omnes bibliothecas, ad omnia gymnasia remitto. Quid quòd multa etiam quæ mihi exciderant omisi? Nam quis tot ac tanta satis memoriæ commendabit? Sed inter narrandum alia quædam mihi in mentem venêre.

Vel illum *Ientaculorum* libellum quis non admirabitur? Sic enim illum libuit appellare, quòd qui eum legerit ad alios grauiores libros non omnino ieiunus accedat. Nam sicut nullo præsumpto matutino cibo, quem veteres ientaculum appellabant, ad prandium auidius quàm par est accedentibus, cibus deuoratus potiùs, quàm comestus, malè concoquitur. Sic qui ad grauissimas disciplinas accedit, nisi prius certis præceptis, certisque

documentis, velut ientaculis quibusdam, fuerit instructus, nihil omnino agat, frustráque tempus terat. Id enim eo libello efficitur, vt solutis nonnullis arduis qnidem, ac difficillimis quæstionibus, quæ passim sacras literas legentibus occurrunt, mentémque perturbant, ceu dolabrâ quadam detractis nodis, cætera plana ac facillima videantur.

At illum alium, quem *summam de peccatis* inscripsit, quis vnquam satis commendabit? Quo omnia peccatorum genera miro ordine elementorum complexus est, quo inquam nihil Christianis hominibus vtilius esse potest. Ibi enim quid fugere, quid sectari oporteat, facilè possunt agnoscere. Sunt etiam nonnulla alia ac propemodum infinita præclara illius opuscula, de quibus nulla hactenus mentio facta est. Vtpote *de Missa, de Confessione, de conceptu Virginis, de Indulgentiis, de Eleemosyna, de subiecto Philosophiæ, de analogia nominum, de Monte pietatis, de vsura, de Simonia, de Cambiis*, sic enim quendam suum libellum appellare placuit. Non enim fuit illi magna admodum de nominibus cura.

Stylus Caietani.

Vocabulis vtebatur vt plures, quamuis essent minus Latina, dum tamen essent in cōmunem vsum recepta: æquius esse ducebat nomina rebus, quàm res nominibus inseruire. Proinde delicatas aures ab eius lucubrationibus facessere iubeo. Eius scripta, tametsi non indiserta, non attingant, qui præter vnum Ciceronem omnes alios fastidiunt, qui velut psitaci, eius tantùm verba conari didicerunt, quos non tam res delectant quàm verba, qui dum flores tantùm orationis sectantur, suauissimos rerum fructus amittunt. At qui non flores, sed fructus quærunt, qui non rotunda ac volubilia verba, sed grauissimas sententias discere cupiunt, ij demum ad hunc diuinum auctorem accedant. In quo quicquid ad rerum naturalium cognitionem, quicquid ad moralem scientiam, quicquid denique ad naturam diuinam & sacra mysteria pertinet, continetur, vt nihil possit vnquàm à quoquam amplius desiderari.

An verò, cum tam multa iam dixerim, censetis me omnia eius scripta enumerasse? Quot epistolas, quot orationes, quot consilia, quot prudentissima responsa pretermisi? quod si singula persequi velim, nunquam dicendi finem inueniam.

At quæret quispiam fortasse, quando hic tot ac tam præclara volumina ediderit, quorum singulis vix singuli homines, vel doctissimi vel sapientissimi, sufficere potuissent, num aliud quicquam in omni vita gerere potuerit?

Quàm piè oraret.

Hîc operæpretium erit audire quàm sapienter vitam instituerit, quàm prudenter rem domesticam administrauerit. Nam quod ad se attinet, mane quotidie ante lucem surgebat. Minimum quiddam curando corpori tribuebat. Orationibus ac rebus diuinis plurimum operæ nauabat. At cum oraret putatisne illum cursim, singultim, blesè, imperfectè, velut per tumultum ac festinationem (vt vulgò fermè homines facere solent) pronunciare consueuisse? Ita distinctè, ita clarè, ita apertè, ita memoriter, ita attentè orabat, quasi Deum ipsum non mente modò atque animo, sed ipsis etiam corporeis oculis intueri videretur: quod non solùm pronuntiatione, sed nutu etiam, ac decenti corporis motu significabat. Sæpe ad cœlum manus, sæpe oculos attollebat. Neminem cum oraret in colloquium admittebat. Inseruiendum Deo primùm quàm hominibus asserebat.

Ordo diurnus.

Rebus diuinis manè peractis, accito scriptore vsque ad prandium dictitabat. Pransus à studiis aliquantulum quiescebat. Sed interim rationem rei domesticæ requirebat. Si quid facto opus esset imperabat. Nihil prætermittebat quod ad bonum, ac diligentem patremfamilias pertineret. Vbi cibum subsedisse existimabat, iterum statis horis, diuinis orationibus vacabat, studebat, scribebat, dictitabat, ac deinceps suo tempore quàm parcissimè cœnabat. Cœnatus non in multam noctem vigilabat. Post horam à cœna cubitum ibat. Somni minimum capiebat. Quantùm à somno cessaret, tantùm sanctissimis cogitationibus, ac diuinis orationibus tribuebat. Manè iterum ante lucem surgebat. Ac velut circulo quodam, eadem munia singulis diebus præstabat.

Cura rei domesticæ.

Non in horas quidem, aut in dies viuebat. In integrum annum quæ necessaria essent parabat. Familiaribus fermè omnibus, pro suo exiguo censu, stipendia constituebat. Æs alienum tanquàm venenum pernitiosissimum fugiebat. Vitia pariter, ac flagitia procul à suis laribus pellebat. Lusores, Blasphemos, Scortatores, Religionum desertores, atque id genus hominum (quod ipse sciret) intra suas ædes non admittebat. Vt non aulam quidem illius domum, sed planè Religionem esse putares.

Quantâ iustitiâ atque integritate, Setiam opidum vetustissimum suæ fidei commissum gubernabat? vt eum amissum haud secus quàm parentem optimum lugeant. Ecclesiam Caietanam, cuius erat Episcopus, quanta cura ac solicitudine regebat? Dij immortales quæ seueritas, quæ legum obseruantia, cùm in rebus omnibus, tum vel maximè in

sacer

sacerdotiis collocandis? Nemini sacerdotium conferebat, neminem initiari patiebatur. qui sacris legibus non probaretur. Cultum diuinum nemo vnquam diligentius curauit, Commissum sibi gregem pascebat, fouebat, custodiebat, non deuorabat. Omnia munia quæ ad optimum Pastorem pertinerent, summa curâ ac diligentiâ obibat.

Caietana Ecclesia cuius erat administratio.

An cuipiam hæc otiosi fortasse, atque inertis hominis officia videri possunt? Illud audacter asserere non dubitauerim, neminem vnquam (quem ego hactenus nouerim) fuisse qui vel in negotio otiosior, vel in otio negotiosior fuerit. Adeo hęc seinuicem non impediebant. Ita sibi inuicem cedebant, vt quasi vestem, vel pallium mutaret, statim se à negotiis ad otia litterarum, ab otio litterarum ad negotia transferret.

Labor assiduus.

At, inquis, domestica hæc, & quasi propria diligenter curabat, publica negligebat. Vt omittam illius tum Patauij, tum Papiæ, atque omnibus Italiæ gymnasiis impēsos labores. Vt præteream annos decem quibus Ordinis sui procurationis munere summâ diligentiâ functus est. Vt taceam alteros decem annos quibus magister Generalis mirâ sapientiâ atque integritate rem publicam administrauit, de quibus multa quidem, nondum tamen satis, superiùs disseruimus: ea tantùm attingam, quæ iam Cardinalis, magnis quidem laboribus, ac periculis, annis iam ingrauescentibus, gerere non recusauit. Nam quæ vasta itinera non suscepit? quas regiones non peragrauit? quos æstus, quæ frigora, quos labores, quæ tandem pericula non sustinuit? dum Germanicâ, scilicet ac Pannonicâ, magnis quidem atque arduis legationibus fungeretur.

Nempe cum D. Leo Pontifex maximus de bello Christiani nominis hostibus inferendo cogitaret, ratus omnia quæ vasto animo gestaret fore sibi facillima, si robora Germanorum militum sibi consociaret, quorum animos iam tum Martinus quidam cognomēto Lutherus, homo subdolus, ac rebus nouis studens, per speciē sanctitatis, primùm Romanæ curiæ mores insectando, deinceps totam religionem Christianam inuertendo, cœperat exulcerare, quem potissimum tanto negotio deligeret, tametsi non deerāt viri, cùm litteris, tum rerum experientiâ non contemnendi, Xystum tamen omnibus anteferendū existimauit. Atque in primis iussit, vt Martinum illum, si qua spes esset resipiscendi, promissâ etiam præteritorum impunitate complecteretur. At si omnino insanabilis esset, daret operam vt per Maximilianum, ac cæteros Germaniæ Principes, iustas tandem pœnas luere cogeretur. Quæ quidem omnia ex illius sententia gesta fuissent, nisi fortuna plerumque rebus magnis atque arduis inimica, Maximiliano Cæsare optimo Principe e medio sublato, illius sanctissimis conatibus obstitisset.

Legatio ipsius in Germaniam aduersus Lutherum.

Libet hîc, si vultis, Patres Amplissimi, propter quosdam rumores ab improbis quidem, atq; inuidis hominibus sparsos, liberiùs aliquantulum euagari, ac de Martino rē, vt gesta est, palam omnibus facere. Cùm primum legatus Germaniam attigisset, Martinum accersiri iubet, ratus illum posse bonis verbis, ac miti oratione ad sanitatem restitui. Is vbi primum ante Legatum constitit, seu tanti viri maiestate, seu lęsâ potius conscientiâ consternatus, furenti similis, in genua ante Legati pedes procubuit. Hunc assurgere iussum, non vt quidam inuidi, quos tanti viri splendor offendebat, cōfixêre, minaci vultu, verbis atrocibus, adunco naso, toruo supercilio exceptum, ac pedibus etiam (vt quando cœperint, nauiter mentiantur) conculcatum, sed manu prehensum, hilari atque exporrectâ fronte, graui quidem, quæ scilicet Legatum deceret: sed tamen dulci, ac suaui oratione, hominem tractare cœpit, ac modò resipisceret præteritorum etiam impunitatem ostentare. Cum Romano Pontifice facilè in gratiam rediturum: Romanam Ecclesiam gremium ad se redeuntibus nunquam claudere solere: quòd peccent homines non admodum magnifacere: quòd perseuerent id demum ferre non posse. Imitaretur Augustinum, quem non minùs puduit suos errores fateri quàm corrigere, His atque aliis mitissimis verbis ægrotum illius animum sanare conabatur.

Cum Luthero quomodo egerit.

At cùm Martinus ambigua quædam, ac non satis fida responderet, intellexit Legatus pudere eum apertè suos errores fateri. Quem pudorem illi vt detergeret: Nec ego abs te, inquit, Martine, vt planè errasse fatearis vehementer efflagitauerim, quem non mente quidem (neque enim de viro bono ac religioso id suspicari æquum esse censeo) sed verbis potiùs minùs accuratè prolatis, si quid inest suspicionis potiùs quā erroris, peccasse crediderim. Sed cum in tuis scriptis pleraque sint, quæ minus rectam interpretationem suscipiunt, æquum esse duxerim, atque hoc ipsum etiam satis, si sub conditione tantùm, quā scis nihil certi astruere, ita scripseris: *Si qua sunt in meis lucubrationibus, quæ minus sanam doctrinam subolere videantur, ea omnia censuræ Apostolicæ Sedis subiicio.* His pauculis verbis & Pontifici Maximo satisfacies, & tibi ipsi potissimum consules, atque omnium ora tibi

detra

detrahentium occludes, ac tot de te sparsos rumores facilè extingues. Ipse etiam Pontifex Maximus, vbi te obsequentem animaduerterit, commodi ac dignitatis tuæ rationem habebit.

Tum Martinus seu dolo, quòd tergiuersari amplius non auderet, seu quòd re vera ita sentiret, victus tam benignâ oratione, probatâ sententiâ Legati, omnia se facturum asseruit, quæ sibi Legatus imperasset. Quid moror? res iam composita videbatur. Nec quicquam amplius restabat quàm quòd Martinus dicta factis præstaret. Itaque cùm iam serum diei esset, factâ Martino abeundi potestate, in diem crastinum res dilata est.

Interea Martinus seu pœnitentiâ ductus, seu suorum satellitum consilio corruptus, seu fretus quorundam potentiorum fauore, statim sententiam mutauit. Non enim deerant qui hunc hominem aduersus Romanum Pontificem, cuius potentia iampridem multis cœpit esse formidolosa, ceu frænum quoddam sustinendum existimabant; ac ne cum Pontifice rediret in gratiam suadebant. At Legatus cum nihil tale metueret, vt suprema manus negotio imponeretur, Martinum lætus expectabat. Ecce autem Martinus, non quidem vt antea, sed pluribus stipatus satellitibus, qui non modò prohibere, sed vim etiam inferre facilè potuissent, non humilis vt prius, sed superbiâ inflatus, ac barbarico furore plenus, ad Legatum intrepidus venit. Ac statim; non esse opus, inquit, cum aliquo redire in gratiam, quæ nunquam esset imminuta. Neminem lædere qui verum astrueret. Quæ dixisset, quæque scripsisset, non eiusmodi esse quæ ipse correcta esse velit. Nihil contra se moliretur, nihil grauius statueret. Si secus factum esset, ad futurum Concilium appellare. His atque aliis insolentissimis verbis consternatus Legatus, primùm quidem rei nouitatem vehementer admirari, deinde leniùs admonere. Non esse constantis hominis ita repentè sententiam mutare. Non eundem ad se rediisse qui abierat. Ne se impiorum consiliis, qui illum perditum iri cuperent, subuerti pateretur. Non omitteret tam bonam vel suo commodo rei componendæ occasionem, saluâ etiam dignitate: Occasionem fronte quidem capillatam esse, occipitio caluam: oblatam prehenderet; omissam frustrà sectaturum. Abiret, cogitaret melius, ac demum consultiùs, ac prudentiùs responderet. Vbi verò nihil proficere animaduertit, paulò liberiùs illum accusare cœpit, ac vehementiùs increpare. Prospiceret tandem quid ageret. Non semel peccare qui populos decipiunt. Toties peccare quot homines seducunt. Ac tanto magis quanto ad posteritatem scelus transmittitur. Non eum esse Romanum Pontificem quem sic pro nihilo ducere oporteat. Non id Maximilianum, non id cæteros Germaniæ Principes passuros. Longas esse Regibus ac Principibus manus. Si pergeret obstinato animo, aliquando pœnas daturum! Et quò seriùs eò etiam grauiores. Abeuntem verò, ac tergiuersantem, hoc tantum leni scommate perstrinxit: Ad suos enim conuersus familiares; Iste homo, inquit, ouis eget recentioribus. Quo latenter illius stultitiam subnotabat.

Videte, obsecro, Patres Amplissimi, quàm insciè, quàm imprudenter, quàm inhumanè, quàm seuerè, quàm atrociter, quàm superbè, quibus iurgiis, quibus contumeliis, quâ mente, quo vultu, quo naso, quibus superciliis, hominem perditissimum pertractauerit. At, inquiunt, amplissimas saltem diuitias, Episcopatum aliquem, rubeum etiam galerum, dum istam pestem auerteret promisisset. Si vt promissa præstaret (quod tamen in illius potestate non erat) ingentem fenestram impiis ac perditissimis hominibus aperuisset: docuissétque, quando ad eas dignitates per virtutes ac merita, quibus omnino carerent, iter non esset, quo pacto per dolos, per fraudes, per nefandissima scelera grassarentur. Si vt deciperet, alios quærere oportebat, qui has decipiendi artes non ignorarent. Nec me Hercule defuissent, quandoquidem, si diis placet, tales homines passim reperiuntur. Virum bonum, virum grauem, hominem sanctum, hominem Deum timentem, non deceptorem, veridicum, à criminibus ac flagitiis, haud secus quàm à morte penitus abhorrentem, haudquaquam facilè inuenias. Expectabam id dicerent potius, cur illum nefandissimum hominem in secretum colloquium accersitum non statim necari iussisset, & si ministri defuissent ipse suismet manibus confecisset. Aut saltem, si id non posset, occulto aliquo veneno administrato è medio sustulisset. Pium esse impium hominem quâ velis & possis ratione interficere. Quibus quid tandem respondeam non habeo, nisi dignos esse qui ad talia ministeria perpetranda mittantur. Ille didicit ex Paulo Apostolo non esse facienda mala vt eueniant bona. Vtinam omnes diuinum Xysti nostri iudicium sequuti fuissent, non ita esset profectò res ista Martini exulcerata. Aduersus quem nunquam suæ lucubrationis gladium distringere voluit; ne (vt ipse dicebat) dum vnum hominem insectaretur, imperiti vulgi rerum nouarum cupidi studia excitaret. Quid enim aliud

aliud actum est iurgiis, clamoribus, insectationibus, ab iis qui contra Martinum scripserunt, quàm quòd hominem sordidum in lustris degentem, à suis vix bene notum, in cœlum vsque extulerunt: Nusquam non notus Martinus non tam suis quidem præclaris rebus gestis, quàm insectantium studiis nobilitatus: quem si iacere permisissent, aut ipso silentio fuisset oppressus, aut certè ad pauciores ea pestis peruasisset. Sed hos tandem obtrectatores omissos faciamus.

Dum hæc agerentur, Maximilianus Cæsar, vnus qui inter optimos principes annumerari dignus sit, intempestiuâ morte interceptus, magno mortalium detrimento in astra relatus est. Qui si diutius vixisset, iampridem Martinus scelerum suorum pœnas luisset: Nempe eo mortuo statim nouis quidem ac maioribus studiis excitatis animis, silentio Martinus traditus est: ac de Imperio magnæ inter principes Christianos concertationes fieri cœptæ, quæ Legato magnum quidem ac periculosum negocium fecêre.

Mors Maximiliani Imperatoris.

Hinc de Successore magna concertationes.

Plerique ad Christianissimum Francorum Regem deferri Imperium volebant. At Germani suæ gentis Carolum, Maximiliani ex Philippo eius filio nepotem, regem Neapolitanum Imperio destinabant. Obstabant Carolo quo minùs eligi posset vetera quædam (vt tum audieram) instituta, ne videlicet is qui Neapolitanorum regno potiretur eligi Imperator posset. Ipse quoquemet Carolus non accepturum vnà cum regno Neapolitano Imperium iurasse ferebatur. Itaque diuus Leo frequentes nuntios cum litteris, tum publicis, tum priuatis, ad Legatum mittebat: Non pateretur regem Neapolitanum Imperatorem creari: Seruarentur leges: seruaretur iusiurandum. Hinc diuersa hominum studia. Alij priuatum Legati officium publico anteponebant: nihil aduersus suum regem conandum. Erat enim Legatus (vt nostis) patriâ Caietanus sub ditione regis Neapolitani. Alij publicum officium deserendum non esse existimabant. Hinc ingentia aduersus Legatum odia Germanorum: quibus eò etiam inmanitatis processum est, vt illi nefandissimæ insidiæ pararentur. Hinc varij rumores per vrbem sparsi, alij carpebant, alij Legati officium commendabant: diuersæ etiam à sententia Legati è Germania litteræ à quibusdam eius familiaribus (tanta est hominum inconstantia) in quorundam potentiorum gratiam scriptæ. Hi quæ fauore & gratiâ digna esse censebant ad sese trahere, quæ verò digna odio arbitrabantur in Legatum retundebant. Nunquam me Hercule errant potentiores, *Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui.*

His itaque malis, velut inter Scyllæ & Charybdis angustias conflictatus, tam diu versatus est, quoad Caroli Legati, Pontificis animum expugnarunt. Tunc demum cœptæ scribi litteræ blandiores, abrogata iura, soluta iuramenta. Daret tandem operam vt Carolus Imperator eligeretur. Tunc demum sublato publico Legationis impedimento, priuata pietas in suum regem emicuit. Totus in Caroli fauorem conuersus Germanorum animos sibi conciliauit. Ipse etiam Francorum rex, tametsi Leonis inconstantiam accusaret, pium tamen Legati officium commendabat. Carolus quoque Imperator electus per litteras (nam tum in Hispania erat) ingentes Legato gratias egit. Extant eius humanissimæ litteræ: possum ostendere.

Cùm verò tam ancipitem fortunam summâ prudentiâ ac sapientiâ superasset, ad Vrbē tandem reuersus à diuo Leone haud secus quàm parentis loco magno in honore semper est habitus: à quo ne Consistoriis interesset, nisi res aliqua magna atque ardua, quæ scilicet ad fidem pertineret incidisset, vt suis studiis, ac lucubrationibus vacare facile posset impetrauit: sunt tamen qui arbitrentur, quorum sententiæ facilè me subscripserim, non ob eam tantum causam illam vacationem impetrasse, sed cùm bene monendo parum proficere videret, ne vel principem frustra obsistendo offenderet, vel contra conscientiam, sententiam dicere cogeretur.

Caietanus Romam reuertitur ad Leonem X.

Mortuo diuo Leone, cùm de eligēdo successore magna inter Patres dissēsio esset, quāta fuerit Xysti nostri tum virtus, tum auctoritas apud omnes apparuit. Nam cum quidam, velut apertâ vi, in Pontificatum grassarentur, non modò eorum conatibus restitit, sed occasionem nactus agendo, monēdo, suadendo, increpando, singulos appellādo, omnibus in suam sententiam pertractis, tantum effecit vt Hadrianus, qui tum in Hispania erat, ac vir probus & sanctus habebatur, Pontifex Maximus eligeretur. Id factum à principio improbatum, barbarum hominem, extra Romanam curiam degentem, qui in Vrbe nunquam fuisset, qui curiam penitus ignoraret, Pontificem maximum electum: quid si Cardinales ad se omnes ire præcipiat? quid si curiam in Hispaniam, aut Germaniam, vt olim in Galliam translata fertur, ipse quoque transferret? An deerant in vrbe ex Italico genere Cardinales, qui tanto honore digni iudicari possent? prælatum Italis Barbarum,

Caietano suadente Adrianus VI. eligitur.

Extra

Extra Vrbem,extra Italiam, ac propemodum extra Orbem ipsum, Pontificem Maximum adſcitum. Hæc,atque his ſimilia, imperitum vulgus iactitabat. Sæpe etiam ipſemet Xyſtus,ob tam ſanctam nauatam operam,malè audiebat.

Cum verò haud ita multo poſt quàm Pontifex Maximus electus eſt,ad Vrbem veniſſet,omnium mortalium animos exhilarauit, atque hos inanes ſermones, ſtudiis in contrarium verſis,extinxit. Non iam barbarum hominem quidem illum, vt priùs, ſed verè ſanctum,verè diuinum, ac diuinitus electum clamitabant. Nihil referre in qua tandem patria quiſpiam genitus ſit. Vnam eſſe omnium mortalium patriam, quæ cœlo ſcilicet tegatur; Virtutes denique ac mores tantum ſpectandos eſſe: Quem ſi diutius nobis fata ſeruare voluiſſent, non eſſent fortaſſe tot rapinæ, tot cędes, tot ſtrages, tot tandem ac tanta mala,quæ vidimus,quæ paſſi ſumus,noſtris temporibus conſecuta,quæ illud Xyſti conſilium,atque iudicium,non humanum quidem,ſed verè diuinum fuiſſe declarauerũt.

At Pontifice Hadriano Turca Rhodum Inſulam, atque eiuſdem nominis ciuitatem munitiſſimam, expugnauit. Id mirum ſcilicet videri cuipiam poteſt? ſi, eo vitâ functo, vrbs ipſa Roma, in viſceribus Chriſtianorum ſita, Chriſtianæ Reipublicæ caput, in oculis Principum, ipſomet Pontifice Maximo è ſumma arce ſpectante, defendi non potuit,quò minus ab improbiſsimis latronibus,Chriſti hoſtibus verius, quàm Chriſtianis,caperetur,diriperetur, incenderetur. Annon vitâ functo Hadriano capta Pannonia? Rex ille pientiſſimus interfectus? Atque vt ad Rhodum captam redeam, quid tandem faceret Hadrianus? Vt omittam quòd tam vaſto terrarum ſpatio Rhodus ipſa diſtaret, quódque vt ſuppetiæ mitterentur longa erant maria tranſmittenda, vix ſe Pontificem agnoſcebat. Ita in principio eius Pontificatus oppreſſa eſt, vt ea clades nequaquam Hadriano Pontifice accepta videatur.

An verò cum rumor increbreſceret Turcas Pannoniam inuaſuros, nonne ſtatim illuc, de Pannoniis ſollicitus,Xyſtum cum ingenti pecuniarum vi Legatum miſit? Stetit ergo viuo Hadriano,ac Xyſto Legato,incolumis Pannonia, Quanti retuliſſe exiſtimatis, veniſſe in Pannoniam Legatum,vim auri magnam allatam, conſcribi exercitus, non deeſſe conſilia? Hac tandem famâ perculſus hoſtis bello abſtinendum cenſuit. Non armis modò,ſæpe etiam famâ ingentia bella conficiuntur.

Caietanus Legatus in Pannoniam mittitur.

At vitâ functo Hadriano reuocatus Legatus,amiſſa Pannonia. Non deſunt tamen qui exiſtiment,non tam vltrò ab Hadriano eam legationem Xyſto fuiſſe delatam,quam dolo ac fraude quorundam hominum, qui Xyſtum per ſpeciem honoris in exilium mitti volebant; veriti ne ſi cum Hadriano diutius moraretur, eos loco moueret, quorum mores nequaquam cum Xyſti moribus conuenirent. Nec verò me fallunt eorum lepidiſſimi ſermones: Iſte Cardinalis S.Xyſti vir quidem bonus eſt, ac planè doctus (id enim negare non poterant) verùm ignorat iſtęc curialia. Negat pro ſacerdotiis ac rebus Eccleſiaſticis quicquam accipi oportere: gratis danda cenſet,non primò quidem petentibus, aut iis qui velociùs curſitant, qui (vt ipſe inquit) grabatulos circumuolant, qui morientium animas ſedulò aucupantur,qui eas recèns emiſſas,adhuc tepentes, ad curiam deferunt,ſed bene merentibus,ac virtute pręditis viris,& iis quidem qui eiuſdem patriæ ſunt, in qua ipſa ſunt ſita ſacerdotia. Non vni ſexcentos Epiſcopatus,totidem Abbatias,totidem Parochiales Eccleſias concedendas. Æquè iniquum eſſe vt vnus saginâ,alius fame atque ineđiâ pereat, Quid? quòd Epiſcopos etiam ipſos ad ſuos Epiſcopatus remittendos eſse arbitratur: his hanc ſacerdotiorum curam relinquendam. Nihil eos agere in Romana curia,ornamento eſſe tantùm. At ſi quid agant,quidvis potius agere quam eos agere oporteret. Non idcirco Epiſcopos,atque alios, quibus animarum cura commiſsa eſt,creari,aliena vt curent,ſua vt negligant,ſed vt oues ſuas paſcant (ſunt, inquit,Paſtores) non vt deſerant: Commiſſum ſibi gregem cuſtodiant, non ad ſuam quidem, ſed ad ipſius gregis vtilitatem,non vt deglubant. Romanum Pontificem, omnium hominum merita,omnes Eccleſias,quid omnibus in locis fieri oporteat ignorare, Diuiſa eſse onera, quemque ſuum munus præſtare decere, melius ſinguli ſingula, & ſcire, & facere poſſe, quàm vnus omnia, id ſoli Deo tributum; Romanum Pontificem hominem eſse: Vileſcere etiam inquit Romani Pontificis maieſtatem, Imminui etiam auctoritatem,dum ſingula,& quidem minima,perſequatur. Decere magnum Principem magna,atque ardua negotia gerere. Id,ſcilicet curandum eſse,vt quàm optimi Paſtores eligantur. Inter Principes Chriſtianos pacem conciliare, Iuſtitiam inuiolatam ſeruare, Factiones extirpare, Lites extinguere,non fouere, Annonam quàm viliſſimam efficere,ea demum eſse Pontificia munera. Multa etiam de Diſpenſationibus,multa de Indulgentiis, ne quid intactũ relinquat,

Quid de Caietano cenſerent quidam Curiales,

relinquat, iste homo inculcat. Non pretio, non passim, non pro quacunque causa, non omnibus concedendas. Venalitate, nimio abusu vilescere, ac pro nihilo haberi. Et pleraque alia perstrepit, non minus ineptè, quàm stultè, vt planè desipere videatur. Sunt hæc fortasse dictu speciosa, sed quæ, ne si ipse quidem Pontifex esset, fieri possent. Nam quod de Episcopis, de cura sacerdotiorum eis relinquenda, iste bonus homo astruit, quid stultius esse potest? Quid enim aliud esset quam vastam in vrbe facere solitudinem? Pontificatum ad nihilum redigere? Quo pacto Romanus Pontifex, tot ac tantos sumptus, poterit sustinere, tanto præsertim ære alieno oppressus? Ridiculum est quod gratjs donare possis, id ipsum vendere non posse. Quis hunc tam grauem, ac tam molestum Censorem, nostris ceruicibus inminentem, ferre possit? Abeat, valeat, facessat hinc quò dignus est, vel in suum Episcopatulum Caietanum. Ibi solus regnet cum istac rectitudine conscientiæ, nobis desinat molestus esse. Quin potius in aliquem orbis angulum per speciem Legationis, procul mittendus est, ne nobis Pontificem hunc sanctum suis ineptiis corrumpat.

Nec tamen defuisse homines existimauerim, qui in eandem sententiam, diuersa tamen ratione conuenirent. Erat enim Hadrianus planè senex, nec diu victurus putabatur. Timebant igitur si fortè vacatio Romanæ Sedis accidisset, illum eorum conatibus obstiturum. Quapropter longiùs per speciem honoris aliquò relegandum curauerunt. Hæc quamquam inter se consilia agitabant, magnifica tamen verba coram Hadriano iactitabant: Hunc hominem moribus ac doctrinâ præstantem, aut nullum alium esse, cui rectiùs hæc prouincia delegari posset. Nec tamen Xystum horum hominum consilia latuêre. Sed cum quædam præter spem, non tam Pontificis culpâ, quam eorum quos in consilium adhibebat, minus rectè fieri videret, nec quicquam consilio proficere animaduerteret, optabat aliquò proficisci, vt si fieri posset ne audiret quidem.

Pannoniam itaque profectus, cum summa omnium, tum in primis ipsius regis lætitiâ, ac diuinis propemodum honoribus exceptus, ita illorum animos auctoritate, consilio, opibus confirmauit, vt non solùm quâ ratione resisteretur, sed de bello vltrò hostibus inferendo cogitarent.

Verum huius quoque Legationis felicitati fortuna se immiscuit, ac omnem rei bene gerendæ rationem turbauit Hadriani importuna mors. Accepto itaque tam tristi nuntio, quid potissimum ageret cogitabat. Reuerteretúrne ad Pontificia comitia suffragium daturus? obstabant longa itinera. At interesse optabat, ægrè ferebat interesse non posse: non quò Pontificatum ambiret (nihil enim vnquam vel dicere vel facere visus est, quo ad eam dignitatem ne suspicari quidem quispiam posset) sed vt daret operam vt quàm optimus Pontifex eligeretur. Tandem ea potissimum sententia placuit, Vt comitiorum euentum expectaret, atque id demũ ageret quod sibi futurus Pontifex imperaret.

Adriani VI. mors.

Interea diuus Iulius Medices diui Leonis patruelis, Pontifex Maximus creatur, qui mutato nomine Clemens VII. est appellatus. Cui vel ingenio, vel consilio, vel rerum experientiâ, neminem censeas anteferendum. Sed in quem cùm aduersa, tum prospera fortuna, omnes suas vires effuderit. Is paulò postquam Pontifex Maximus creatus est, Xystum è Pannoniis reuocauit. Cuius deinceps operâ atque consilio omnibus in rebus quæ ad bonos mores, atque ad fidem Christianam pertinerent, semper est vsus.

Clemens VII. Pontifex Max. Caietanum è Pannonia reuocat.

At, inquis, ingentes diuitias è Germania, atque Pannonia, vnde plerique ditissimi euaserunt, asportauit. Quid ei diuitiis opus est, qui sit in summa paupertate ditissimus: Cui non modò satis erat quod habebat, vt nihil amplius optaret, sed aliquid etiam redundabat; vt ex vtrisque extremis composito nomine, verè licuerit eum ditissimum pauperem appellare. Non aurum, non argentum, non lapides pretiosi, non splendida supellex, sed diuinæ eius virtutes illum diuitem faciebant: Æquè igitur pauper quàm profectus est rediit. Nihil inde præter rectitudinem conscientiæ, præter vitæ integritatem, præter sanctissimos mores, quos secum detulerat, reportauit.

Sed quæ sequuntur piget referre, horret animus meminisse. At quoniam talia sunt vt in quibus ingens Xysti nostri virtus apparuerit, nequaquam sunt silentio prętereunda. Captâ siquidem atque incensâ Vrbe, cùm perditissimorum latronum præda fuisset, inter tot enses recenti sanguine respersos, inter tot hostium minas, num censetis illum de arce diuinæ mentis suæ fuisse deiectum? Nihil minus se quam priùs Cardinalem agnoscebat, eandem grauitatem, eandem seueritatem semper retinuit. Num supplicem illum ad eorum genua, quasi vitam deprecaretur prouolutum existimatis? Nihil fractus, nihil perterritus, hostes admonere, atque increpare non destitit: Haurirent si sic collibitum esset,

Caietani constantia captâ Româ.

 senilem

senilem sanguinem: Non tanti sibi esse vitam, vt deletá Vrbe superstes esse optaret: Non Byzantium illos, sed vrbem Romam religionis Christianæ, atque adeò totius orbis. caput, diripere atque vastare: Meminerint quacumque incederent, se sanctissimorum hominum qui Christum piè ac sanctè coluerunt ossa calcare: Non id Cæsarem, sub cuius signis militarent, imperare: Non id tandem Cæsarem esse passurum: Viderent quid agerent, Vrbi parcerent, rapinis ac cædibus abstinerent: Si pergerent, aliquando tanti sceleris pœnas daturos: Hinc licet animaduertere quanta sit virtutis vis, ac rectæ mentis potentia, quæ vel inermis, ipsis etiam immanissimis hostibus terrorem incutiat.

Nemo illum attingere ausus est. Quin potius illius maiestatem, atque constantiam admirati, illum haud secus quàm par erat venerabantur. Paupertatémque, quòd tam impia arma sumpsissent excusabant. Quibus tandem cum quinque millia aureorum tradidisset, suam atque adeo omnium qui cum eo erant, è quibus tres tantum illius familiares fuerunt, cæteri sanè multi ex omni hominum genere, quos ne nosset quidem, libertatem redemit.

Quinque aureorum millibus suam multorumque libertatem redemit.

Sed priusquam pecuniæ expedirentur, cùm aliquot dies apud hostes fuisset, in tanta rerum omnium perturbatione (quæ ea mentis serenitas?) etiam otium potuit inuenire. At quod otium? numquam me Hercule quamdiu apud hostes fuit (vidi, interfui, possum testimonium perhibere) desiit studere, legere, lucubrare: hac semper sententiâ vsus, posse sibi quidem cætera omnia, quod autem rectè faceret, id demum auferri sibi non posse. Quem non tam sua, quàm aliorum calamitas perturbabat. Qui illam quidem sæuientem fortunam, nequaquam ad se pertinere existimabat. Quæ licet non modò externa bona, sed vitam etiam ipsam eripere potuisset, ad arcem tamen diuinæ mentis eius peruenire non poterat; non vitæ integritatem corrumpere, non sanctissimos mores, non prudentiam, non sapientiam.

Caietam deinde profectus, tam diu ibi mansit, quoad de suis censibus modicis quidem atque exilibus, creditoribus satisfaceret, à quibus vt se ab hostibus redimeret pecuniam mutuatus est.

Pacatis deinde rebus, Romam reuersus, vsque ad extremum vitæ diem quo inter diuos relatus est, ab Vrbe nunquam amplius discessit.

Illud etiam haudquaquam prætermittendum censeo, quod medio hoc tempore idcirco euenisse crediderim, vt eius diuina virtus, tametsi satis clara, nouâ tamen aliquâ oblatâ occasione, magis illustraretur. Orta siquidem inter Britanniæ regem atque eius vxorem, Caroli Romanorum Imperatoris materteram, cum qua, susceptâ prole propemodũ consenuerat, de Matrimonio controuersia, quasi legitimum non esset, vt pellicem sibi quam vnicè diligebat adiungeret, cùm repudium dare non liceret, per speciem sanctitatis dissolui volebat. Obstare leges, obstare ius diuinum, quominus id Matrimonium legitimum videretur. Non licere defuncti fratris coniugem sibi matrimonio copulare: Diuinâ lege id cautum esse. Non potuisse Romanum Pontificem, cuius auctoritate id matrimonium factum esset, iuri diuino derogare. His atque aliis, quasi rectitudine conscientię motus, amorem quo deperibat malè dissimulans, veterem coniugem expellere cupiebat. Hinc diuersa hominum studia: Multa in gratiam regis scripta, factionibus magis quàm rationibus, res ipsa geri videbatur. Causa tandem ad Romanum Pontificem delata. Xystum accersiri Summus Pontifex iubet. Imperat vt nouas, ac veteres diuinas leges euoluat. Causam hanc regiam examinet. Ac demum quid in ea re tam arduâ iudicandum sit diligenter perspiciat. Tum Xystus rebus omnibus quâ solebat integritate, atque animi candore diligentissimè perspectis, ingenti mortalium expectatione (porrò in exitum tanti certaminis vniuersus penè orbis erectus erat) verissimum illud, atque sanctissimum matrimonium declarauit. Nihil vel hominum ius, vel diuinum obstare. Rectè interpositam Pontificis auctoritatem. Aduersus Regem denique sententiam ferendam esse pronunciauit. Ac docuit tandem mortales, regiam quidem maiestatem venerandam, sed in primis iustitiam colendam esse. Cuius consilium sequutus diuus Clemens, criminis violati matrimonij regem damnauit.

De Matrimonio Henrici Angliæ Regis, Caietani consilium.

Hic posset fortasse quispiam suspicari, ob eam rem Xystum magnis muneribus donatum fuisse. Sed quid attinet in eum munera congerere, quem muneribus corrumpere non possis? Qui non principum gratiam, non preces, non minas, non vlla denique munera, sed ea tantum quæ recta ratio suaderet spectabat. Liberum ergo suffragium, liberam vocem, liberam denique sententiam, non venalem, pronunciabat. Quid? quod nec gratias quidem agi sibi volebat. Aut enim, si quid ab eo peteretur, omnino negabat, aut si

quid

quid dicendum, faciendúmve recepisset, statim (dum posset) atque hoc ipsum gratis præstabat.

Sed iam tempus admonet, vt & illius sanctissimam vitam, & nostram orationem, aliquando ad exitum perducamus. Non quò me, in hoc homine laudando, materia deficiat: nam quò plura dixerimus, eò plura dicenda semper restabunt. Non quò vos fessos animaduertam, quos tanti viri laudibus, ac memoriâ video recreari.

At vereor, Patres amplissimi, ita me sentio conturbari, ita oculos lachrymis oppleri, ita vocem debilitari, cùm de obitu heri mei, ah: quid dixi heri, immo verò parentis optimi, dicere propono, ne cœptam orationem, ac propemodum absolutam, cogar occlusis faucibus imperfectam dimittere. Non ego te, Diue Xyste; deploro, Non doleo vices tuas, Non inuideo felicitati. Mea damna, meas ærumnas, meas lugeo calamitates. An seruus herum, an filius parentem optimum non lugebit? Quo viuente viuebam, quo defuncto penè defunctus sum. Vtinam eodem funere prælatus, ante tuos pedes sepultus iacerem: ita enim & viuere pariter, ac seruire desiissem. At saltem manumisisses, tecum & meam libertatem sustulisti. Ita me pauperem, ita rebus omnibus egentem reliquisti, vt æternum mihi seruire necesse sit. At pauper eras, paupertatem accuso, non voluntatem. Nam haud secus quàm filium & diligebas plurimùm, & benefacere plurimùm cupiebas. Nec in domo tua postremum seruitutis locum tenebam. Nec minus fortunam incusauerim, quæ te eo potissimum tempore surripuerit, quo non modò mihi, sed omnibus fortasse mortalibus, benefacere potuisses. Cui ne mortuo quidem, seruire vnquam desinam (Non enim iugum detrecto) Tibi quot annis pia mente, supplicibus vocibus (quando aliud non possum) iusta persoluam.

Hìc mihi amplissima latera, hìc vocem ferream mihi dari optarem, hìc mihi tandem auxilio opus est tuo. Ad te iterum, Diue Xyste, mi here, mi domine, mi pater optime confugio: erige labantem mentem: absterge oculis lachrymas: excita vocem debilitatam. Tuis auspiciis cœpta est, tuis auspiciis finiatur oratio.

Caietanus ab omnibus ad Papatum designabatur.

Anno igitur ætatis eius sexagesimosexto, tot ac tantis rebus præclarissimè gestis, cùm Diuus Clemens Pontifex Maximus grauiter ægrotare cœpisset, omnes in Xystum oculos coniiciebant, omnes illum Pontificem Maximum designabant. Hunc vnum aut alium neminem posse Rempublicam Christianam, ac Pontificiam auctoritatem, vitio temporum labefactatam, humanarum ac diuinarum rerum scientiâ, vitæ ac morum integritate, omni denique virtutum genere conflata sapientia, ad integritatem pristinam restituere. Pluris equidem fecerim istum omnium mortalium consensum, atque iudicium, quàm si fuisset Pontificatum assecutus. Nam plerique, vel pessimi quidem homines, principatus ac summas dignitates adepti sunt, qui verò iis digni iudicati fuerint quàm paucissimi. At ille longè aliter sentiebat. Se indignum tanto munere iudicabat. Quid? quòd toto illo anno, qui illius obitum præcessit, nunquam quicquam aliud quàm de futura morte cogitabat. Nihil nisi de morte loquebatur. Huc se parabat. Ad futuram vitam omnes suæ cogitationis neruos intendebat. Satis annorum, Satis dignitatum. Nihil sibi amplius optandum asseuerabat quàm ab hac luce, quin potius ab iis tenebris, ad illam cœlestem lucem, atque æternam patriam, si ita sua merita postularent, migrare.

De sepulchro suo quid statuerit?

Senex sum, inquit, iam inutilis, & fortasse etiam grauis. Quæ ea modestia? se grauem, se inutilem appellabat, qui totum Orbem suo splendore, velut alter sol, fœcundissimis sapientiæ radiis illustrauerat. Procuratorem Ordinis vocari iubet. Imperat scilicet Sepulchrum sibi speciosissimum construi. Paria marmora conquiri; Praxiteles & Polycletos qui pulcherrimas Virtutum statuas inciderent, accersiri. Hinc Prudentiam ac Temperantiam, inde Iustitiam ac Fortitudinem, Supernè magni Dei Patris barbatam imaginem, sinistrâ manu orbem gestantem, dexterâ prælatis duobus digitis omnia moderantem: Infernè sua insignia: Se verò medium dormienti similem, eleganti manu sculptum collocari. Argentum, aurum, lapides pretiosos, quibus exornari maximè posset. In sumptum denique vim magnam pecuniarum expediri. Optabat fortasse viuens tam speciosam Sepulchri molem spectare. At, inquit, extra templum olim Mineruæ, nunc Deiparæ Virgini consecratum, vbi gradus ascenderis, in ipso templi vestibulo, foueam effodito: intus opere tectorio leuigato. In eam nullis sumptibus, nullâ funebri pompâ, meum cadauer coniici iubeo.

Ridebamus omnes quasi ioco, non seriò dixisset. Si nobis superstitibus moreretur, id nequaquam esse passuros affirmabamus. Habendam esse dignitatis rationem, dandum

aliquid consuetudini. In ipso templo, loco aliquo illustri, ponendum Sepulchrum, non magnis quidem, sed tamen honestis sumptibus exornatum. Ille nobis leniter subirasci: Nō æquum esse in ipsis templis, quæ quàm mundissima esse decet, vt in quibus diuinus cultus celebratur, olentia cadauera inferri. Nullum esse locum, non Sepulchris, non cadaueribus occupatum. Parietes, pilas, columnas, pauimenta, dehonestari. Sæpè etiam fœtoribus è putrefactis cadaueribus excitatis, aërem pestilentem creari. Non sic veteres. In Cœmiteriis, circa templa, sub dio, loco sacro, cadauera sepeliebant. In iis, diuitibus etiam ac nobilibus, quos ea cura tangebat, sepulchra magnifica erigebantur. Passim per omnes Christianorum Prouincias, per omnes Ciuitates, per omnia loca, circa omnia templa, vetustissima sepulchra intueri licere. Non consuetudinem esse hanc nostrum, sed abusum. Funebres sumptus, nihil ad mortuos pertinere, rectius illos in vsum pauperū erogari. Proinde desineremus molesti esse: scire se tandem quid faceret: Non verbis tantum, aut scriptis, sed factis etiam, atque exemplis, populos instruendos esse: Non denique tantum nobis pecuniarum relicturum, vnde isthæc magnifica facere possemus. Vicit auctoritate, vicit rationibus. Tandem sepulchrum illud speciosissimum, quale quidem videre potuistis, erectum est.

Mens futurorum præsaga, ac diuino numine illustrata, eius felicissimum excessum instare prænuntiabat. Igitur Diuo Clemente adhuc ægrotante, de cuius salute iam Medici desperauerant, ecce Xystus, quasi se tanto oneri surriperet, cui se imparem existimabat, vt cederet videlicet meliori, profluuio ventris debilitatus, ac leui febricula correptus, non tam magnitudine morbi, quàm suâmet ipsius sponte, aut certè non inuitus, quarto Idus Augusti, felicem illam animam, Deo Optimo, Maximo, à quo profecta erat, restituere festinauit. Cuius sanctissimum cadauer, omnibus quidem sęculis venerandum, in eo ipso sepulchro conditum est, quod ipse iam viuens effodiendum curauerat.

Mors Caietani.

Vultis fortasse scire quid ille fecerit moriens? Vultis scire quid moriens loqueretur? Vbi morbum ingrauescere animaduertit, non terrore aliquo perturbatus, sed lætâ fronte, atque alacri vultu, ad suos familiares conuersus, qui sedulò astabamus. Video, inquit, instare diem resolutionis meæ. Vtinam mihi hoc potissimum tempore, ad illam cœlestem vitam, positâ hac putri mortalis corporis mole, liceat migrare. Instabat solenne festum Assumptionis Deiparæ Virginis, eo potissimum die quasi cum ipsa Virgine cœlū ascensurus, expirare cupiebat. Nihil eum terrebat mortis cogitatio. Sæpè ad cœlum sublatis manibus atque oculis, hæc verba dicere solebat: *Tu scis Domine, tu scis*. cætera supprimebat. Quid enim illum dicere voluisse existimatis? Ego verò sic opinor; Tu scis Domine, tu scis hominem esse me atque mortalem, at peccant homines, peccasse fateor, tu peccantis hominis miserere, pro quo & fieri mortalis, & mortem obire non dubitasti. Tu scis, inquam, Domine, tu scis nihil boni vnquam, nisi tuo adiutos præsidio, non modò facere, sed ne cogitare quidem mortales posse. Si quid ergo vnquam rectè dixi, si quid feci, si quid scripsi, non id mihi quidem arrogo, sed tibi acceptum referri oportere confiteor. Hæc itaque, atque iis etiam meliora, illum arbitror dicere voluisse.

Instabamus cibum hauriret, resumeret vires, in tantam spem, atque omnium expectationem, viuere non recusaret. Inepti, inquit, quid petitis ignoratis, nisi fortè vestra commoda, meos labores. Annos natus sex supra sexaginta, in laboribus semper versatus sum, nunquámne erit quiescendum? An defuturos existimatis, qui me longè meliores, humeris valentioribus, tantum possint oneris sustinere? Vos corticem tantum, ac speciosam Pontificatus faciem intuemini, quæ curæ, quæ solicitudines, qui denique labores intus lateant, non videtis.

Nocte illa quæ diem mortis præcessit, accito Sacerdote conscientiam diligentissimè expurgauit. At quibus criminibus, quibúsve sordibus? Qui illam singulis septenis diebus discutere consueuerat. Exiguam suam supellectilem pauperibus erogandam, se verò sine vllo honore, sine funebri pompa, sine sumptibus, noctu sepeliendum testamento mandauit. Mane (quid enim aliud vir ille sanctissimus poterat cogitare?) SACERDOTEM iterum vocari iubet, Sacratissimum CHRISTI corpus afferri. Quod vbi præsto fuit suismet ipsius viribus innixus, in genua senile corpusculum, ægritudine confectum, repentè quasi nunquam ægrotauerit erexit. Ac tanti numinis maiestatem veneratus, præ lætitia manantibus lachrymis, in hæc pauca verba prorupit: Tu verè es mortalium cibus, quem qui piè sumpserint nunquam amplius esuriant. Tu hinc abeuntibus præbes viaticum saluberrimum. Te colo, te veneror, te adoro, te Deum esse confiteor. Non eram dignus vt intra meos lares venires, qui me vel vno tantum verbo, seruare potuisses.

ses.

ſes. Flebat ipſe ſpei plenus ac lætabundus,nos miſeri ingenti dolore perculſi etiam lugebamus. His dictis ſummâ pietate, ac reuerentiâ, hauſto illo diuino nectare, paulò poſt felicem illam animam expirauit.

Videte obſecro, Patres Ampliſſimi, quàm parem vitæ exitum præbuerit. Quod ſi ex Solonis ſententia, non antè hominis felicitatem iudicare debemus,quàm extremum vitæ diem obierit, quid tandem obſtat, quominus hunc hominem feliciſſimum iudicetis? Nam ſi illius vitam cum morte conferre voluerimus, illum ſanè feliciſſimum fuiſſe comperiemus.

Primum quidem illuſtri patriâ, atque honeſtiſſimis parentibus genitus, diuorum auſpiciis educatus, non humana quidem, ſed diuina caſtra ſectatus, omnibus muneribus cum ſumma laude atque integritate perfunctus, ſummum religionis ſuæ faſtigium eſt conſecuius; Deinceps non principum fauoribus, non factionibus, non generis nobilitate, quippe qui non ab atauis regibus, ſed ab honeſtiſſima familia genus ducebat, non muneribus, non pecuniis, ſed virtutibus tantum innixus, poſcentibus ſuis meritis, Cardinalis creatus in eodem ſemper tenore vitæ perſeuerauit. Quid ne ſi Cardinalis quidem vnquam fuiſſet, aut nullam fuiſſet aliam dignitatem adeptus, non idcirco tamen illum minus felicem exiſtimauerim. Quem non magiſtratus,non dignitates,non vlla denique externa bona, ſed illius diuinæ virtutes felicem atque beatum faciebant. Quas vſque ad extremum vitæ diem incorruptas ſeruauit.

Caietani virtutes.

Nam Iuſtitiam quis vnquam conſtantiùs coluit? Quem non minæ, non preces, non gratia, non odium, non munera denique vlla, vnquam corrumpere potuerunt. Fortitudinem quis vnquam fortius? Quem aduerſa fortuna nunquam infregit, proſpera nunquam inflauit.Cuius diuinam virtutem labores, ærumnæ, pericula, non modò non frangebant, ſed potiùs acuebant. Prudentiam verò quis vnquam prudentius? Qui nunquam quicquam temerè vel dicebat vel faciebat. At Temperantiam nemo vnquam effuſius,atque etiam (vt ita dicam) intemperantiùs coluit. Etenim hæc virtus, cùm modum rebus omnibus aliis ſtatuat, ipſa ſibi finem nunquam præſcribit. In qua excolenda Xyſtus noſter nunquam finem vllum faciebat. Nam caſtitatem ab ipſo natali die, vſque ad extremum vitæ exitum inuiolatam ſeruauit. Nulla poſt illius feliciſſimum exceſſum fœda libidinum relicta veſtigia. Iram, ad quam naturali quodam impulſu propenſior videbatur,nemo diligentius compeſcuit, vt ne in ſuos familiares quidem,verbum vnquam vllum atrociùs protulerit.Cæteras paſsiones ita calcabat,vt nunquam ſupra rectam rationem illas erumpere pateretur.

Paucis quidem,ac minimis contentus, tantum cibi ac potus hauriebat, quantum naturæ ſatis eſſe exiſtimabat. In paupertate ditiſsimus. In conſiliis capiundis prudentiſſimus. In rebus cùm priuatis, tum publicis adminiſtrandis, iuſtiſsimus. In aduerſis ac proſperis æquè fortiſsimus. In libidinibus, ac voluptatibus temperantiſsimus, atque caſtiſsimus. Simplex, Verax, Gratus, Liberalis, vt nullam in hoc homine virtutem non fuiſſe contendam. Quod ſi ad aliquam partem felicitatis ad poſteros tranſmiſſam memoriam pertinere exiſtimatis, quis tandem XYSTO noſtro felicior vnquam fuit, atque beatior? cuius nomen tot ſuis caſtigatiſsimis lucubrationibus, ac propemodum infinitis voluminibus, per omnes ſcholas, per omnia gymnaſia, apud omnes gentes, apud omnes nationes, per totum denique orbem terrarum, celebratur. Vixit itaque ſemper felix ſuis tantum virtutibus contentus. Feliciſsimè etiam vitam finiuit. Non illum ſcelerum conſcientia ſtimulabat: non terrore mortis cruciabatur: nihil quod ad Chriſtianum hominem, ac virum ſanctiſsimum pertineret, prætermiſit. Omnia dixit, omnia fecit quibus illum ad cœleſtem illam patriam inter diuos relatum, aſcendiſſe credamus.

Expectabatis fortaſſe, quando ſcilicet tam multa de hoc homine dicta ſunt, cuius tanta eſſet opinio ſanctitatis, vt aliqua miracula, quibus vitæ ſanctitas declarari creditur, enumerarem? At quæ miracula? ſubcreuiſſe videlicet pilos, auiculas ſponte aduolaſſe, odorem aliquem ſuauiſsimum è cadauere excitatum? Puerilia, inquis, ſunt hæc, & quæ ſæpè homines mentiantur. Quæ igitur? loripedes rectè ambulaſſe? audiuiſſe ſurdos? cæcos vidiſſe? Et ſi mauultis, mortuos etiam ab inferis reuocatos? Sunt quidem hæc magna, & quæ non niſi diuinâ quadam virtute fieri poſſe creduntur.Sed tamen audiui ſæpè, præſtigiis quibuſdam, ab improbiſſimis etiam hominibus, hæc, aut certè iis ſimilia, fieri poſſe. An vllum maius miraculum eſſe poteſt, quàm in tam corrupto orbe, in tam perditiſsimis moribus, in tanta libidinum ac vitiorum omnium licentia, ſeſe im-

mmunem, atque incorruptum seruasse. Id siquidem magis admiror quàm rectè loripedes ambulare, quàm surdos audire, quàm cæcos videre, quàm denique mortuos ab inferis reuocari. Quæ vt non sunt ab omnibus sapientibus contemnenda, sic vbi potissimum de sanctitate vitæ, ac morum integritate constat, non sunt admodum requirenda.

Quocirca, Patres Amplissimi, cùm satis signorum, satísque miraculorum habeatis, quid tandem cessatis hunc hominem verè sanctum, in albo Sanctorum ascribere, atque illi meritos honores decernere? Num ad probandam huius hominis sanctitatem, sunt vobis trecentorum annorum testimonia requirenda? Num vetustissimi annales euoluendi? An plus aliorum testimoniis quàm vobismetipsis credetis? Vidistis, collocuti estis, inter vos vnus ex vestro Ordine quotidie versatus est. An vultis hanc prouinciam posteris demandare? Vultis, inquam hanc palmam vobis de manibus extorqueri? Non enim dubito, si nunc cessatum fuerit, aliquando tamen tantæ virtutis habendam esse rationem. Non patietur (mihi credite) posteritas, tantam virtutem inhonoratam iacere. Crescet in dies illius sanctitatis opinio. Addet etiam aliquid potius, quàm quicquam detrahat ipsa dies. Nunquam erit tanti viri memoria interitura.

At ego, si omnes cessent, vt ad te tandem Diue Xyste, me conuertam (non enim inane sepulchrum sed cœlum ipsum intueor, vbi te velut fulgentissimum virtutum omnium sydus, inter beatissimos illos heroas, ac felicissimas animas, quæ Christum piè ac sanctè coluerunt, non his quidem lippis, ac caligantibus oculis, sed certissimo mentis lumine, locatum esse conspicio) nequaquam cessabo pro sanctissimo numine, quicquid mihi superest vitæ, te colere, te venerari. Nunquam ego te (quippe qui tuarum virtutum locupletissimus testis sum) quicquid ponderis, quicquid auctoritatis, quicquid denique fidei mea vox vnquam est habitura, certissimo, ac verissimo testimonio, defraudabo. Dixi.

FINIS.

AVGVSTINO TRIVVLTIO
PRINCIPI ILLVSTRISSIMO
SACROSANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ, SANCTI HADRIANI DIACONO CARDINALI AMPLISSIMO: OMNIVM BONORVM ARTIVM CVLTORI, IO. BAPTISTA FLAVIVS AQVILANVS HERO SVO,
S. D.

POST obitum Sanctissimi viri, Thomæ de Vio Caietani, Tituli S. Xysti Cardinalis amplissimi, ab herilibus obsequiis aliquantulum ocij nactus, tametsi in colligendis meis sarcinulis non parum fuerim occupatus, sopitas iampridem, ac torpentes Musas, veluti ab inferis reuocatas, excitaui: ne id quidem satis meo genio. Sed tantumdem apud me, cùm dolor, tum officium valuêre, quãtum apud alios indignatio. Cecini itaque rusticâ sanè Musâ, sed non (vt reor) inofficiosâ, heri olim mei vitæ seriem, obiter nempe, ac tumultuosè, viri quidem mea, atque adeo omnium qui illum rectè norunt sententia, doctissimi atque integerrimi. Non sum omnes eius laudes prosequutus: plures enim omisi de industria. Creuisset quippe in immensum opus: ac veritatis fidem diligens officium corrumpere potuisset. Quicquid autem hoc est ineptiarum mearum idcirco tibi lubens dicare constitui, quòd & herus meus es, & illum sanctissimum virum præ ceteris omnibus diligebas. Leges itaque cum voles, non tam meâ hac Musâ allectus, quàm tanti viri, tuique vicissim amantissimi, memoriâ delectatus. VALE.

OMNIA misceri bello cùm Xyste videres,
Et nutare orbem, vastásque instare ruinas,
Relligione Patrum extincta, moréque iacere,
Necquicquam sanum, aut tutum appareret in orbe,
Cælum ipse ascendisti. Et qua est rapidissimus orbis,
Inter vtrumque polum radianti sydere fulges.
At quæret fortasse aliquis quibus artibus astra
Intrasti, aut quæ tandem admota est machina cælo,
Num aggesti montes, olim vt fecere gigantes?
Aut aptasti humeris, ceu quondam Dædalus, alas?
Hic mihi præstari vellem latera ampla, canorum
Pectus, & immensam vocem, lachrymasque perennes,
Hic mecum tantam iacturam defleat orbis.
Musarúmque chorus dictent mihi flebile carmen,
Dum tibi iusta cano, & cineri pia munera soluo.

Atque

Atque tuas strictim percurro Carmine laudes:
Non fictas laudes, turpi mercede locatas.
Liuor edax procul hinc, procul hinc mala lingua vel auris,
Audiet inuita hæc, inuitáque lingua loquetur.
Ni procul hinc aberint, cogentur vera fateri:
Auribus admittent pronis liuore carentes.
Natus in excelsa Tyrrheni littoris arce,
Cui nomen Caieta dedit, tumulóque perenni
Reddidit insignem: hunc clari genuère parentes.
Quæ visa in somnis Mater? quæ fata canebat?
Diuus adesse Thomas in somnis visus Aquinas,
Qui puero rudimenta daret, moréſque doceret,
Et tandem in cœlum sanctis gestaret in vlnis.
Relligio huic primum placuit; quam pectore toto
Hausit, & hæc primum quamuis puer induit arma.
Non inter lixas, aut segnes miles agebat:
Primus inire aciem, postremus cedere bello.
Munera militiæ Christi, virtute subibat
Intrepidus: Noctem insomnem, lucisque labores
Pertulit, atque alacris, quoties rem cum hoste gerebat,
Terga dedit nunquam, nunquam nisi victor abibat.
Quin etiam grauibus quantùm de rebus agendis
Cessabat, studiis tantùm impendebat honestis.
Hic Logicen, Physicenque, & mystica sacra Deorum
Perdidicit; docuit, scripsit, simul omnia nouit.
Nec vacat in terris vsquam locus, omnia plena
Librorum, summo quos scripserat iste labore.
Fidolis hunc tantæ, tantæ virtutis amore,
Necdum plenâ ætate virum, iuuenilibus annis,
Præficiunt, Patremque vocant, Dominúmque, Magistrumque.
At quibus auspiciis; aut quâ pietate regebat
Relligionem ipsam, nulli nisi fortè proteruis
Ignorare licet, quæ iam custode remoto,
(Mentiri cupio) tandem laxata iacebit,
Et priscos mores, mandata que prisca relinquent,
Quæ veterum ad normam Xystus seruare coëgit.
Iulius hunc primùm Diuus, ni fata negassent,
Virtutem admiratus, vitam, & fortia facta,
Incorruptam mentem, & mores, castaq ue semper
Pectora, puniceo voluit decorare galero.
Quàm multus fueras olim! nomenque sonabat
Cuncta per ora tuum: tunc cùm velut agmine facto
Secessère Patres, ciuilia bella parantes,

Dum

Dum trepidant alij, atque in primis Iulius, ipse
Consilio occurris, molem virtutis & alti
Ingenij opponis: Quàm forti pectore solus,
Ceu quondam Cocles, virtus Romana, ruentem
Sustinuisti aciem? atque vt pons defensus ab illo,
Pontificum virtute tuâ firmata potestas.
Apparet clypeus, totum monumenta per orbem
Visuntur, vigili lucubrata volumina nocte.
Julius vt cessit fatis. Leo Maximus orbem
Excipit: atq; Thomam (namque id tunc nomen habebat)
Consiliis adhibet; sacrumque intrare Senatum
Cardineâ chlamyde indutum, phalerísque superbis
Inter purpureos Patres incedere iussit,
Et titulum adiecit diui cognomine Xysti.
Mox ad Germanos mittit, sedare tumultus
Imperat excitos, dirum calcare Lutherum:
Fecissetque satis, cessissent omnia votis;
Ni superi obstarint. Mors Cæsaris improba magni
Omnia turbauit: manibúsque elabitur hostis.
Inde noua insurgunt studia, & pars altera Regem
Gallorum Imperio, pars altera Parthenopæum
Destinat. Huic Carlo nomen, genitorque Philippus,
Austria quem genuit domus inclyta Germanorum.
Par virtus, par forma, ætas, paria omnia, vterque
Imperio dignus, dispar fortuna, fauórque.
Ipse Leo Gallis fauet, & Germania alumno.
Obstabant leges, iurataque numina Regi
Parthenopæo, odio insequitur Germania Gallum.
Certatum vtrinque est magno conamine, tandem
Consilium mutat Leo, legem & vincula soluit.
Sic visum superis, cessit victoria Carlo.
Qualis in hoc ludo fortunæ Xyste fuisti?
Non vllis precibus, nullo corruptus ab auro,
Officio insistis. Seruantur iussa Leonis.
Cæsar agit grates: non est offensus ab illo
Gallus: & ancipitem vicit prudentia casum.
Inde vrbem rediit: Leo maximus astra subiuit;
Mutatur rerum facies: coguntque Senatum,
Disceptántque Patres. Vicit sententia Xysti.
Pontificémque creant, cui tradidit Hadria nomen.
Vix dum Vrbem ingressus, vix regni sceptra tenebat,
(Non procul hinc aberat, populosque regebat Iberos)
Xystum ad se vocat, & suspensus talia fatur.

 Audio

Carmen

Audio Pannonios Turcæ vexarier armis.
Quod nisi suppetias citò mittimus, opprimet hostis
Pannoniam, Regémque pium, populumque ferocem.
Imminet Italiæ, Christumque extinguere tentat.
Vade celer, cessare nefas, pelle otia Xyste.
Hæc fatus lacrymans, vim magnam tradidit auri
Pauca refert Xystus quæ tempus postulat, & res.
Nec mora carpit iter, montes atque inuia saxa,
Fluminaque, & quicquid tandem cupientibus obstat
Peruicit pietas, nullo superata labore.
Præterit Italiam, Germanas præterit Alpes.
Tantum iter emensus, tandem peruenit ad Istrum.
Excipiunt læti venientem, occurrere campis
Pannonij gaudent, peragit mandata, piumque
Consilio, atque opibus, Regem confirmat, & omnem
Pannoniam: vltrò alacres hostem iam incessere tentant
Inuidit semper rebus fortuna secundis.
Vix bene Pannoniam attigerat (sic Dij voluère)
Nuntia fama mali volucres inuecta per auras,
Pontificis mortem, turbarique omnia Romæ
Nuntiat. Incertum quid agat, remearet ad Vrbem?
Longum iter est, tempusque breue, expectare, molestum.
Expectare libet tamen: hæc sententia vicit,
Pontificis veniant donec mandata futuri.
Interea Patres ineunt suffragia, Clemens
Septimus eligitur. Postquam est in Sede locatus
Pontificum, statim Xystum vocat, ille remenso
Tam vasto spatio terrarum, venit ad Vrbem,
Pontificemque adit, & pedibus sacra oscula figit.
Excipit hunc lætus Clemens, veneratus amicum.
Multa inter sese de bello & pace loquuti:
Pannonij quid agant, & quid Germania tentet,
Quóve loco sit sacra fides, quid fortè Lutherus
Molitur, quid Turca ferox, quæ denique sit spes.
Et quæ sit tandem Xysti sententia poscit.
Nec quicquam occultum, palàm nihil, omnia Xysti
Consilio, quæcumque fidem, moresque, Deúmque,
Tangebant, summâ tractans pietate gerebat.
Et si quod monstrum Christi vastaret agellum,
Xystum opponebat, tanquam Stheneleius alter.
Hic velut Alcides alter, monstra omnia vicit.
Quot Christi hostes prostrarit, Germania testis,
Testes seiuncti penitus toto orbe Britanni:

Semper

Semper in aduersis idem, rebusque secundis.
Qualis in Vrbe fuit capta, quàm pectore forti,
Ipse ego sum testis, vidi, piguitque videre
Vrbem direptam, & spumantem sanguine Tibrim,
Et sæuire hostes nullo discrimine passim
Cædibus infandis, turbarique omnia luctu.
Tum Xystus, licet ante oculos instare videret
Mortem atram, & gladios consperſos cæde recenti,
Virtutis clypeum obiectans, fortissimus vnus,
Armatos stetit ante hostes, atque increpat vltrò.
Siccine vos sanctam vastatis cædibus vrbem?
Hæc tellus quam vos pedibus calcatis iniquis,
Sanctorum Patrum sacris tegit ossa sepulchris.
An nulla est vobis pietas? num defuit hostis
Impius? En vestris vacat impia terra triumphis.
Nos Christum colimus: quæ vos dementia cepit?
Hostibus hunc decuit veris haurire cruorem.
Talibus, atque aliis dictis audacibus, hostem
Terruit: Ille virum sanctum veneratus adorat,
Pauperiem excusans quòd tam impia sumpserit arma.
Nec quisquam est ausus manibus tractare nefandis.
Virtutis tanta est, rectæque potentia mentis.
Quid quòd in immensa Vrbis strage, arma inter, & hostes,
Incensasque domos, mactataque corpora passim,
Horrendos inter strepitus, vastosque fragores,
Ære cauo, excussosque inclusis ignibus orbes,
Virtutum intrepidus, tutam collectus in arcem,
Abstrusos aperit sensus, diuinaque Regis
Carmina, qui cecinit magni primordia Christi:
Extat opus toto nullum præclarius orbe.
Sed parum externos hostes vicisse putandum,
Inuictum victor ni se quoque vinceret ipsum.
Hic quamquam summo fuerat decoratus honore,
Nunquam habitum sacræ mutauit Relligionis,
Quâ semel hic teneris puer est imbutus ab annis,
Perpetuúsque tenor vitæ, immutata voluntas.
Non vnquam flecti precibus, preciòque, minisque
Hic potuit, tantum rectum iustumque colebat.
Atque animi motus mirâ virtute repressit.
Nec regnare illos passus, seruire coëgit.
Nec simulare vnquam, nec dissimulare sciebat.
Cuncta in aperto, eadem in corde, atque in fronte gerebat.
Diuitias contempsit inops, sed ditior ipso

Carmen de Vita Caietani.

Pauper erat Crœso, atque Myda, Crassôque superbis.
Non opibus, gemmisque, aut fuluo ditior auro,
Sed modicis contentus erat, fictilibus vsus,
Et tenui mensâ, qualem natura popoſcit.
Virtutum omnium erat specimen, morumque Magister.
Quid mihi Fabritium narras? aut fortè Catonem?
Aut illos septem quos iactat Gracia mendax?
Et quoscunque alios quos est venerata vetustas?
Hos facile æquauit, vel (si fas dicere) vicit.
Artibus his tandem Cœlum conscendit & astra.
Hos igitur montes, has virtus tradidit alas:
Hæ vires, hæc tandem admota est machina cœlo.
Relligio, sancti mores, & casta per omnem
Ætatem vita acta, pij, durique labores,
Ad superos peperêre viam, cœlôque locarunt.
Felix, ô nimium felix, nimiúmque beatus,
Mortalem exutus vitam, nunc denique viues.
Et fructum vitæ innocuæ si fine frueris.
Nos miseri qui viuimus extrema omnia passi,
Sed quæ iam impendent longè maiora timentes.
Ergo inter Diuos meritis poscentibus vltrò
Asscitus, veniam miseris mortalibus ora.

Flauius ista tibi cecinit Jouis alite natus,
Officium viuo præstitit & cineri.

IDEM.

Ponite Virtutes aliis de marmore fictas,
Vel Pario, aut multo auro aliis ornate sepulchra.
Exiguo hoc tumulo, quicquid virtutis vbique
Inter mortales vnquam fuit, aut erit vnquam,
Conditur, hunc veræ virtutes, veraque Pallas
Circumstant, & veræ ornant monumenta Mineruæ.

IDEM.

Virtutem & mores si spectem, hominem esse negabo,
Esse hominem vt fatear, mors tua, Xyste, facit.
Jnfra mortales fuerat tibi debile corpus,
Supra mortales vis fuit ingenij.
Ergo nulla fuit varij tibi cura sepulchri,
Astra petis, nullum pulchrius esse potest.

INTRO

INTRODVCTIO
AD PENTATEVCHVM
MOSI,

In qua singulorum librorum præstantia & dignitas exponitur, vt velut per compendium Lectori appareat, quid è cognitione Mosaicæ legis expetat, & mundo proponat diuina Bonitas.

PER F. ANTONIVM FONSECA LVSITANVM.

ETSI constat ante tempora Mosi, viri Deo coniunctissimi, cognitionem aliquam Dei, & veræ iustitiæ mundo inuectam fuisse: propterea quòd Deus hominibus in corda opus legis inscripserat. Illa tamen cognitio siue hominum malitiâ, siue naturæ morbo adeò obscurata erat: vt si illorum temporum monimenta videas, nil possis adeò absurdum aut insanum fingere, quod furor illorum non longè excesserit. Nam omni intelligentiâ corruptâ, quæ in hominis natura Conditoris consilio relucere solet, in errores adeò absurdos prolapsi sunt, vt nemo satis eorum dementiam possit admirari. Altissimæ erant tenebræ, paucæque stellæ in generatione peruersa fulgebant: occupabat orbem caligo, corrumpebat omnis caro viam suam: & ita tandem corrupit: vt necessum fuerit mundum diluuio repurgari. Sed neque sic homines cessarunt; nam mundo à diluuio non satis amplificato, Sodomitas malos homines, Chananæos, Amorræos, & huiusmodi legimus, inter quos, ne multis dicam, vix decem iusti inuenti sunt. Ita homines eo tempore omnium gentium iure violato furebant, vt cæcutirent in meridie, quemadmodum solet cæcus errare in tenebris. Perditâ itaque dignitate, extinctis boni, & æqui notitiis, quibus nihil habet natura hominum melius, cùm sint ve-

Rom. 2.

Genes. 6.

Gen. 18.

Deut. 28.

stigium & imago quædam ipsius Diuinitatis, percussi erant à Domino amentiâ, & cæcitate: ita vt Deum negarent prorsus, aut confingerent sibi Deos innumeros, Religionémque à prudentibus viris excogitatam, arbitrarentur ad terrendos malos. Declinauerant omnes, & simul inutiles facti erant. Etenim non solùm gentes, sed & Isaac semen, etiam post collatum Abrahæ testamentum, adeò erat in Ægypto societate & commercio idola colentium, velut contagione corruptum, vt non modò Deum patrum suorum nesciret, sed iam quid rectum, quid prauum esset, prorsus ignoraret. Cúmque sic iam populus etiam electus, à Deo abalienatus esset, grassaretur per orbem impietas, ignoraretur Deus, dominaretur iniustitia; Dei suauis clementia Mosem fidelissimum legislatorem misit, (lex enim per Mosem data est,) qui vitæ regulam, peccati indicem promulgaret, cognitio siquidem peccati per legem, quâ conuictus homo, & abiectus qui sic antea se efferebat, fateretur solum Deum esse bonum, omnem autem carnem corruptissimam, nam lex omnia conclusit sub peccato. Præterea ea causa lex data est vt pædagogus esset ad CHRISTVM, vt quemadmodum adhibetur pueris pædagogus, qui erumpentes affectus vel coërceat vel moderetur: ita lex ab hominum genere Iudæorum in primis, varij generis flagitia, præcipuè autem idololatriam prohiberet, & metu terreret. Is enim fuit Mosi viri Dei, conscribendi Pentateuchi finis, mundum scilicet abstrahere à sacrilega opinione falsorum deorum, ad quam suum populum deprehenderat propensissimum Nec abs re mundum dixerim vniuersum. Sacræ enim & prophanæ historiæ testantur, post Mosi tempora vbique Philosophiæ desudatum esse. De religione, de officiis, déque finibus bonorum & malorum plurimos libros scriptos, quæ omnia ab vno Mose ad gentes dimanasse lubens crediderim, quia salus ex Iudæis est, hoc est omnis vera Dei cognitio ortum à Iudæis habuit. Notus erat in Iudæa Deus. Quicquid igitur sapientes gentium de Deo docuerunt, ab illis sunt mutuati: cùm ex Sion vtique egressa lex & doctrina vitæ sit, & è Hierusalem verbum, illis siquidem credita erant eloquia Dei, nempe lex Mosaica per quam Iudæa illustrata est, totíque mundo nomen Dei innotuit. Verùm cùm magni momenti sit, multúmque ad cuiusvis libri cognitionem faciat, nosse, quis sit author, quod sit institutum: quo fuerit tempore, quâve sit vsus scribendi ratione, libuit hæc suo ordine enarrare.

Psalm. 13. Ioan. 1. Galat. 3. Galat. 3. Ioann. 4. Esa. 2. Rom. 3.

De nomine legis. Illud imprimis notandum erit, codicem hunc Mosaicæ legis, variè ab Hebræis, Græcis & Latinis nominari, dictus est siquidem *Chomez* Hebræis, id est, quinarius à numero librorum vocatus, sicut à Græcis eadem ratione *Pentatheucon* appellatur: itidem *Thorah* ducto nomine à verbo quod *docuit*, *erudiuit*, & *formauit* significat, quasi doctrina, & vitæ rectæ institutio sit: eo quòd quicquid in his libris scriptum est, huc spectat, vt ad iustitiam eruditus integer sit homo Dei ad omne bonum opus adparatus. Dicitur & alio nomine *Lex*, eâ ratione quâ vniuersa Scriptura sancta lex à Christo appellatur Ioannis 10. quòd scilicet vbique doceat, nihílque aliud sit quàm cælestis disciplina. Solent enim Hebræi legis nomen vsurpare, non solùm pro decretis, sanctionibus, & piè viuendi instituto quod propriè lex est: sed etiam pro omnibus diuinis oraculis, carminibus, & rebus in gente sua gestis. Vocatur item *Testamentum*, eo nomine pro signo, & symbolo testamenti, vsurpato. Testamentum enim in sacris Literis aliquando

1. Tim. 3. *Quid lex?* *Lex testamentum.*

quando accipitur pro ordinatione aliqua, metaphora sumpta à morientibus qui testamenta condunt, id est, ita res suas disponunt, ordinántque vt volunt. Aliquando pro certa ponitur promissione, & per metalepsim nonnunquam pro ipsa peccatorum remissione: vt in Euangelistis testamentum est mors & sanguis Christi, interdum abusiuè accipitur pro symbolo testamenti, quemadmodum instrumenta dicuntur testimonia, quæ tamen nec spirent, nec loquantur: sed signa sunt dictorum & factorum, eorum qui aliquando spirabant. Cùm igitur in Mosi libris describantur præcepta, promissiones, facta, ritus, & traditiones, quibus Deus olim populum suum in testamento, fœderéque suo, & in religione sacra instituit, meritò testamentum dicuntur, seu eadem ratione instrumentum. Verùm quòd Testamentum vetus dicuntur, ea causa est quod populi veteris, & Messiæ olim venturi, dispositiones & promissa complectantur: quemadmodum libri, qui post exhibitum Christum scripti sunt, cùm noui populi è Iudæis & Gentibus collecti, in vnúmque corpus per Christi sanguinem coaliti, quo omnia instaurauit, hæreditatem complectantur, optimo iure Nouum Testamentum appellantur: quanquam idem noster Deus est qui Iudæorum fuit, idem sit fœdus, ac testamentum, quod cum illis, atque nobiscum percussit, nisi quod illis, & cæremonias, ritúsque externos varios adiunxit: quare vetus fœdus, & Testamentum vetus vocatur, nobis non item: sed voluit ab elementis mundi liberiores. Partitur autem lex Mosaica dupliciter; primò in libros quinque, Genesim, Exodum, Leuiticum, Numerorum, Deuteronomium. Patres verò Synagogæ olim per distinctiones quinquaginta duas diuiserunt ob quinquaginta duas anni hebdomadas: quarum singulis Sabbathis singulæ Israëlitis prælegebantur. Conducebat enim rudi populo, vt sua huiusmodi velut comitia haberet, quibus ad fidem, verámque religionem formaretur. Quos conuentus vsque ad Apostolorum tempora durasse legimus in Actis Apostolorum, in quos Christus sæpè ingressus est. Hinc putarem ideo olim tam seuerè Deum Sabbathi cultum exegisse, nempe quòd Sabbathis legem omnes dicere deberent, fidem alere, & ad timorem Domini erudiri. Hinc etiam Scribarum toties mentio est in nouo Testamento, qui quasi librarij dicti sunt nomine Hebræo ab euoluendis libris sacris: atque enarrandis, qualis Esdras fuit: quorum omnis erat opera in lege rectè intelligenda, populóque Sabbathis explanandâ è suggesto. Eò Christus Cathedræ & suggesti Mosis meminit: quam nonnulli interpretantur locum peculiarem: ex quo Moses purè legem populo interpretabatur. Huiusmodíque sedem vel suggestum stetisse in Synagoga constat 2. Regum 16. quam Achaz legitur deposuisse. Scribitur item Esdræ 8. stetisse Esdram super turriculam ligneam ad loquendum cum populo, indéque legem Dei recitasse. Ac cùm mos ille semper apud Iudæos seruaretur, vt lex in die Sabbathi legeretur: verisimile est habuisse ad id propriam cathedram, eámque cathedram Mosi à Christo vocatam esse, quod ex simili sede legem populo intelligendam tradiderit: quam etiam Rex ipse singulis septem annis promulgabat, quod & Iosue & Iosiam regem obseruasse legimus. Nec solum tunc legere præceperat, sed omni die euoluere, & meditari atque ideò lege ipsa, & diademate regem coronari, dum rex consecrari deberet. Nam 4. Regum 11. cùm Ioas à Ioiade Pontifice in regem Iudæ inungeretur, diadema capiti erat

Testamentum vetus.

Nouum Testamentum.

Legis partitio.

Act. 13. & 15. & Matth. 13. & Lucę 4.

Iof. 8.

4. Reg. 11.

Rex lege coronabatur. impositum & in manu liber erat: túncque clamabat cunctus populus *viuat Rex*: quam cæremoniam à Mose traditam facilè crediderim. At quo tempore Moses Pentateuchum scripserit sacri libri apertè non meminerunt. *Quo tempore à Mose Pentateuchum scriptum?* quod viderim. Verùm coniecturâ ducor: id prope vitæ finem fecisse, & posterioribus annis peregrinationis per desertum, idémque videtur author noster annotasse Genes.36. Huius libri scopus est vt Dei bonitas à nobis agnoscatur, nósque in illam transformemur: id quod variis rationibus contendit. *Scopus Pentateuchi.* Habet siquidem manifestas historias operum Dei,præcipuè eorum, quæ Dominus pro suis edidit. Habet & aliquot vaticinia, eorum quæ suorum causâ se facturum promiserat, habet denique præcepta, & leges, quibus peccata ostendat, & arguat, suósque doceat, quid ab illis Deus requirat. Atque hæc quidem omnia illuc referuntur: vt expendamus, quam mirificè in omnibus quæ Deus cum suis egit, bonitatem suam declarauit: vt nostra inde roboretur fides: & meditemur, vnum hoc in omnibus, quæ suis vnquam siue de moribus, siue de cæremoniis præcepit, requisiuit, vt se timeremus, & amaremus, totíque ab eo solo penderemus: tum cum proximo viueremus summa cum honestate & officiosa dilectione. Quæ omnia cùm non nisi per Christum possint contingere, illum passim prædicat vt CHRISTVS ipse testatur, Ioan.5.De me, inquiens, Moses scripsit. *Rom. 1.* Et Paulus docet Euangelium in lege promissum: nihilque aliud esse Euangelium, quàm apertam quandam prædicationem promissionum veteris Testamenti, gratiam, & pacem, per remissionem peccatorum in Christo nobis annuntiantem. *Euangeliũ in lege promissum.* Narrat etiam in hoc libro Moses, præcipua quæ à mundi exordio vsque ad ætatem suam contigerunt. Adiicit præterea, quæ gessit, ac vidit quadraginta annis, quibus per desertum errauit cum Iudæis. *Quot annos complectitur Pentateuchi historia?* Continent libri isti historiam annorum 2489 Nam Genesis annos habet 2309. Ab Adam enim ad diluuium sunt anni 1656. A diluuio ad exitum Abrahæ è Chaldæa 363. Inde verò ad mortem Ioseph 290. Exodus habet annos afflictionis residuos 140. exitúsque primi anni gesta. Reliqui tres libri absoluunt quadraginta annorum spatium, quibus Iudæi oberrarunt in deserto,qui omnes collecti efficiunt annos 2489.

PRIMVS liber exponit originem & causas rerum omnium. In quo voluit Moses, fidelis Propheta Domini, mundo ostendere, in natura rerum aliquod Numen & aliquam diuinam naturam subsistere. Quòd Deus vnus sit aduersùs eos, qui multos deos introduxerunt, quòd mundus hic sit creatus aduersus eos, qui eum statuerunt sempiternum. *Quid tradat Genesis?* Quòd hunc gubernet, contra nonnullos qui fato, & stellis omnia subiiciunt, mundúmque prouidentiâ Dei destituunt. Quòd vindex malorum sit, & omnia propter hominem creauerit. Describit præterea hominis ortum, qualis fuerit ab initio, quomodo lapsus sit, quomodo ab vno nati sint omnes: pérque terras sparsi flagitiis nefariis, diluuio tamen ab irato Deo obruti fuerint. Rursus qui in illo seruati omnibus regnis dederunt principium. Postremò Abraham, Isaac, Iacob, & Ioseph sanctorum Patriarcharum, qui ante legem tabularem vixerunt, vitæ describuntur, mores, illustria dicta, facta, & religio, & quomodo de terra Chanaan descenderunt in Ægyptum. Atque propter hos aliósque viros beatos dictus est à quibusdam hic liber primus, *liber Iustorum*, toties in Scripturis repetitus; quæ sententia esse videtur Hieronymi & Augustini. *Hier. super Ezech. Aug. 8. de ciuitate.* A nobis & maioribus nostris vocatus

est

est *Genesis*, haud dubiè ab origine & generatione omnium rerum, à qua librum auspicatur. Hanc inscriptionem illi dedisse Mosem testatur Philon, alij verò à Septuaginta Interpretibus positam dicunt: dictus est verò Hebræis *Bereschit*: quòd libros à prima dictione soleant nominare. Complectitur historiam 2309. annorum: nempe ab exordio mundi vsque ad mortem Ioseph. Tantáque est huius libri dignitas: vt ex illo cùm Apostoli, tum Christus ipse, in Nouo Testamento viginti septem testimonia apertè & ad verbum citauerint, eiusdem verò sententiæ extant citata testimonia, plus octo & triginta.

Exodus cur sic dictus?

SECVNDVS liber indicat quomodo Israëlitæ in Ægypto per Pharaonem oppressi, duce Mose liberati fuerint. Ab exitu, quem præcipuè exponit, totus liber dictus est *Exodus*, Hebræis verò ratione iam dictâ *Veelle schemot*. In eo tractat Moses de institutione Reipublicæ Israëlis. Nam cùm Abrahamo, aliísque Patriarchis promisisset Dominus, se multiplicaturum semen ipsorum, vt fieret gens maxima, populúsque celeberrimus: cúmque populus consistere non possit, nisi certis legibus, & magistratibus, certâque religione fuerit constitutus & ordinatus: ideo in hoc libro Moses legum publicarum, magistratuum, & religionis institutionem tradit: & quo pacto ex multis virorum millibus Iudæorum gens in vnum legitimum Reipublicæ corpus, à Deo constituta sit. Nimirum eam ob causam, vt certus esset populus in quo promissiones de CHRISTO vsque ad eius aduentum conseruarentur. Et licèt huius libri historia multa complectatur: ingressum scilicet populi Israël in Ægyptum cum septuaginta Iudæis: eiúsque egressum cum septingentis millibus: vt ostenderet re ipsâ comprobari, iam inceptas Dei promissiones de multiplicando semine Abrahæ: Item quomodo contra Amalechitas pugnarint, cœlitus depluto pane pasti sint, referátque duodecim primas populi mansiones vsque ad desertum Sinaï: Illud tamen commemoratur præcipuè, admirabilis illa & omnibus sæculis decantata, liberatio Israëlitarum ex Ægypto, per quam mundo ferè vniuerso gloria Dei nostri cognita fuit, quam & ipse Deus effecit, vt suam orbi ostenderet fortitudinem. Tradit & magnam illam ac gloriosam promulgationem Decalogi, quæ excepto Euangelio maxima & clarissima inter omnes res diuinas in terra fuit: in qua aperta est Dei nostri voluntas, & quid ipse à nobis requirat qui salutem nostram meditabatur. Et certè si sua rebus vocabula dare volueris, hunc librum Catechismum Christianismi, potius quàm Exodum diceres: cùm nihil aliud doceat, quàm Dei leges, veram religionem, mores sanctos, cæremonias, & ritus. Complectitur historiam 140. annorum, incipiens à morte Ioseph vsque ad diem quo Moses completo tabernaculo in monte Sinaï illud erexit, vnxit & consecrauit cum omnibus vasis suis. Nam à morte Ioseph vsque ad egressum de Ægypto, intercesserunt anni centum quadraginta, & ab egressu vsque ad consecrationem tabernaculi, intercessit annus vnus, Exod. 12. & 14. Cæterùm si rectè attendas, reperies viginti quinque testimonia à Christo, & Apostolis, ex hoc libro ad verbum desumpta, eiusdem verò sententię decem & nouem duntaxat.

Quid tradat?

Quid narret Exodus?

Exodus, Catechismus Christianismi.

HVIC pulchrè subnectitur liber tertius, qui à Leuiticis ministeriis, quæ instituit, nomen obtinuit: Et appellatus est *Leuiticus*, Hebræis verò dicitur, *Vaiiicra*, hoc est, *& vocauit*, quòd hactenus à constitutione mundi tam

magnifica

magnifica & gratiosa vocatio hominibus non contigerit. Inuenitur quidem, Deum vocasse de cœlis, de nube, & de rubo ardenti: sed hîc vocat ex domicilio, quod maiestate sua, & gloriâ impleuit: & quod sibi vnicè in terris delegerat, vt inter homines habitaret. Præcipit autem liber de Sacrificiorum speciebus, de Votis & Purificationibus, de Contagione & generali Expiatione scelerum, de iusto, & iniusto Concubitu, & his rebus similibus. Spargit quædam de Politia: præcipuè tamen tradit ritus sacros. In hoc libro videre licet quàm deceat sanctos, doctos, & integros esse sacerdotes. In hoc item omnia Euangelij mysteria, licèt typis inuoluta, ipsius Christi sacerdotium & sacrificium: adeóque tota redemptio & omnes Christi virtutes continentur. Sunt qui dicant hunc librum complecti historiam primi & secundi anni dum pararetur tabernaculum: & postmodum eo erecto sacrificia inciperent: populúsque ad iustas cæremonias à Domino per Mosem edoceretur. Alij verò sentiunt tempus vnius mensis duntaxat continere ab erectione tabernaculi vsque ad diem, quo præcepit Dominus Mosi numerare populum. Nam Calendis mensis primi anni secundi, erectum est tabernaculum, Exodi 40. Hinc Dominus vocauit Mosem de tabernaculo testimonij: vt traderet illi holocaustorum ritus, vsque ad Calendas mensis secundi, anno altero egressionis ab Ægypto: quo tempore iussit Dominus Mosi numerare summam filiorum Israël, Num. 1. Huius libri tredecim locos ad verbum, & totidem sententias citarunt tum Euangelistæ, tum Paulus ipse.

Historia Leuitici.

QVARTVS *Numerorum* dictus, est; ideò fortassis quod in eo agitur census populi Israëlitici. Secundùm aliquos propter prima quinque capita, in quibus describit Moses duodecim tribus Israël per familias suas, rediguntúrque nomina eorum, qui bella suscipere poterant, in numerum. Hebræi vocant more suo ab initiali dictione *Vajedabber*. Describit hic liber gesta à secundo anno vsque ad mortem Mosi: historiámque totam à mansione in monte Choreb, vsque ad mansionem in campestribus Moab è regione Hierico. Referuntur in eo egregia variorum motuum, tumultuúmque in Republica, & populi rebellis exempla. Indicatur quæ sors, quis euentus eueniat seditiosis. Ostenditur & mira conditio eorum, qui præsunt Reipublicæ: vtque in toleranda & à suis, & ab exteris illata iniuria, omnium hominum patientissimus, & constantissimus fuerit Moses, qui tamen & ipse non caruit suis vitiis. Multa itidem ponuntur in hoc libro, quæ ad politiam pertinent, & religionem. Ad finem propè describuntur varia bella, & leges quædam copiosiùs explicatæ in campis Moabiticis. Complectitur historiam triginta nouem annorum. Nam omnia ferè continet quæ sub Mose sunt facta, vsque ad vndecimum mensem anni quadragesimi ab egressu de Ægypto. Vnum duntaxat locum huius libri in Ioanne citatum reperi, sententias verò decem & octo, tum in Ioanne, tum in aliis.

Quid proponat Numerorum liber?

QVINTVS & vltimus liber *Deuteronomium*, id est, lex secunda dicitur: perinde ac si quis dicat secundò iam exposita. Hebræis appellatur *Elle haddeuarim*, hoc est, *& hæc sunt verba*, quòd ab illis dictionibus incipiat. Dictus est etiam apud Rabinos *Mesne*, id est. repetita lectio. Nam vt dicunt, hic liber nihil habet præter memoriam rerum antedictarum: ídque eorum causa factum est, qui leges traditas memoriæ non manda-

uerant.

uerant. Nam multi cùm iuuenes & pueri essent, eo tempore quo ex Ægypto egressi sunt, non satis eas intellexerant. Alij verò dum lex daretur, nondum nati, & in lucem editi erant. Additur superioribus hic liber, velut enchiridion & compendium totius Philosophiæ cœlestis: & quasi commentarius ac explanatio decalogi. Etenim prætermissis illis, quæ ad Leuitas & Sacerdotes pertinent, tantum ea docentur, quæ vulgo & populo erant necessaria. Itaque si propriè ad nostrum vsum librum hunc velis appellare: rectè appellaueris explanationem Decalogi, copiosissimam, & elegantissimam. Docet siquidem omnes ex decem præceptis bene viuere: instituítque internum conscientiæ regnum, prophanámque simul politiam. Tradit præterea egregium cæremoniarum modum, diuinâ sanè æquitate, & sapientiâ: vt nihil sit in vniuerso genere vitæ, quod hîc non sit sapientissimè, & æquissimè dispositum. Atque hac ratione voluit Dominus librum hunc à suis semper tractari manibus. Complectitur historiam duorum mensium anni quadragesimi ab egressu ex Ægypto, nouissimæque mansionis tempus in campis Moabiticis: vbi & Moses seruus Dei moritur, & sepelitur. Eáque est huius libri maiestas: vt in nouo Testamento quinquagies, & eo amplius, in testimonium adferatur.

Historia Deuteronomij.

PRÆFATIO

PRÆFATIO THOMÆ DE VIO CAIETANI CARDINALIS S. XYSTI, IN QVINQVE MOSAICOS LIBROS.

Scripturus super quinque libros Mosi iuxta sensum literalem, nouumque Scripturæ sensum quandoque illaturus, sub sanctæ Matris Ecclesiæ ac Apostolicæ Sedis censura, Rogo Lectores omnes ne præcipites detestentur aliquid, sed librent omnia apud Sacram scripturam, apud Christianæ fidei veritatem, apud Catholicæ Ecclesiæ documenta ac mores. Et si quando occurrerit nouus sensus textui consonus, nec à sacra Scriptura, nec ab Ecclesiæ doctrina dissonus quamuis à torrente Doctorum sacrorum alienus, æquos se præbeant censores. Meminerint ius suum vnicuique tribuere: Solis Sacræ scripturæ authoribus reseruata est authoritas hæc, vt ideo credamus sic esse quia ipsi ita scripserunt, alios autem (inquit Augustinus) ita lego, vt quantâlibet sanctitate doctrinâque præpolleant, non ideo credã sic esse, quia ipsi ita scripserunt. Nullus itaque detestetur nouum sacræ Scripturæ sensum, ex hoc quod dissonat à priscis Doctoribus: sed scrutetur perspicaciùs textum ac contextum Scripturæ, & si quadrare inuenerit, laudet Deum: qui non alligauit expositionem Scripturarum sacrarum priscorum Doctorum sensibus, sed Scripturæ ipsæ integræ sub Catholicæ Ecclesiæ censura. Alioquin spes nobis ac posteris tolleretur exponendi Scripturam sacram, nisi transferendo (vt aiunt) de libro in quinternum. Ego iam senex non nouitatis sed veritatis solius amore allectus, opus hoc aggredior in holocaustum omnipotenti Deo, ad accendendum aliorum mentes erga sacras Scripturas. Det Dominus Iesus Christus vt assequar intentum, intendo autem iuxta Hebraïcam veritatem textum exponere, vbi diuersa occurrerit sententia in vulgata Editione & in Hebraïco textu, Nam ipsius Mosis textus, non interpres eius exponendus est. Non enim Interpretis Græci, aut Latini, Sed ipsius tantum Hebræi textus authoritas est, quam complecti cogimur, & complectimur fideles omnes.

THOMÆ

THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS S. XISTI, IN QVINQVE LIBROS MOSIS, iuxta ſenſum literalem, COMMENTARII:

ET PRIMVM IN GENESIM.

CAPVT PRIMVM.

VERS. 1.

IN principio creauit Deus cælum, & terram.] In hac prima enũciatione differt, quoad duas dictiones, vulgata editio à textu Hebræo: nam Hebraïcè numeri pluralis ſunt, tam Deus, quàm cælum: ita quòd textus Hebræus habet: *In principio creauit* אלהים *calos, & terram.* Et manifeſtè diſcordat in numero nominatiuus cum verbo: nam אלהים pluralis numeri eſt: & eſt nomen non proprium Deo; ſed commune Deo, & creaturis: quemadmodum ſapiens, bonus, iuſtus, & alia eiuſmodi nomina: & communi ſignificatione ſignificat Iudices. In quæſtionem tamen vertitur, an careat ſingulari [a]. Quidam putant אלהים eſſe plurale nominis אל; ſed hi facilè refelluntur ex eo, quòd plurale אל conſtat eſſe אלים. Alij putant אלהים eſſe plurale nominis אלוה: &, ſi אלוה eſſet dictio Hebraïca, verum dicerent: ſed aiunt אלוה non eſſe Hebraïcam dictionem; ſed, vel Chaldaicam, vel iuxta Chaldaïcam formationem Hebraïcis inſertam. Quid horum verum ſit, neſcio, vtpote Hebrææ linguæ expers.

Duabus tamen coniecturis ducor ad opinandum, quòd אלהים caret ſingulari. Prima eſt, quòd Moſes frequentiſſimè nominans Deum אלהים (inchoando præſertim doctrinam creationis mundi,) maximam dediſſet occaſionem Iſraëlitis exiſtimandi plures Deos. Si enim אלהים habet in Hebræo ſingulare, vtendo Moſes, non ſingulari, ſed plurali, manifeſtè ſignificaſſet pluralitatem Iudicum. Et propterea ex hoc ipſo, quòd vtitur plurali, nominando Deum, colligitur, quòd caret ſingulari. Altera (quæ maximè vrget) eſt, quòd expreſsè Moſes manifeſtat ſe vti plurali pro ſingulari, adiungendo verbum ſingularis numeri, *creauit*. Hæc enim adiectio conuincit, quòd pro ſingulari vtitur plurali [b]: quod oportet ſæpè fieri in vſu nominum carentium ſingulari. Dixi, *conuincit*: quià non eſt hîc locus myſterio Trinitatis diuinarum Perſonarum: tum, quia falsò Perſonæ diuinæ dicuntur Iudices, quemadmodum falsò dicuntur Dij Domini, &c. vt patet in Symbolo Athanaſij: tum, quia, ſi verè dicerentur Iudices, dicendum conſequenter fuiſſet in plurali numero, *creauerunt*: quemadmodum, quia Pater, & Filius verè dicuntur ſpirantes, dicitur conſequenter, quòd Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum. Stat enim vera hæc, & propria locutio cum vnitate eſſentiæ diuinæ, cum vnitate principij formalis ſpirandi, cum vnitate numerali ſpirationis actiuæ: nam Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, & vna, eadémque omninò ſpiratione ſpirant

[a] Exodi 32. & Iudicum cap. 5. idem annotat Author.

[b] Exodi 20. & 32. idem annotatur.

rant Spiritum sanctum. Simili itaque forma dicendum fuisset: Iudices creauerunt nō obstante, quòd fuissent vnum principium creaturæ, vna & eadem omninò essentia eorum, atque actione creandi existente.

Non igitur propter mysterium Personarum diuinarum, sed propter rem singularem, cui appropriatur nomen, *Elohim*, Moses iungit nomē אלהים cum verbo, *creauit*, nulla interueniente Grammaticæ incongruitate: eò quòd est constructio de significato non inusitata apud viros doctos. Quocirca, hanc amplectendo traditionem, suscipimus אלהים nomen sic plurale, quòd caret singulari: & propterea quandoque inuenitur cum verbo singularis numeri [c], & quandoque cum verbo pluralis numeri, vt ex verbo discernendum sit, quando pro vno, & quando pro multis supponatur. In toto itaque hoc capitulo, & frequentissimè posteà, Moses vtitur אלהים pro vno, videlicet, Deo: ex actione enim apparet, quòd appropriatè ad Deum vtitur hoc nomine: & significat Deum, quatenus Iudicem.

[c] Vt Genes. 20. & 35.

Crediderim ego fuisse tunc frequenti vsu peruulgatum nomē אלהים absolutè tāquàm appropriatum Deo, sicut nomen Domini: tanquàm ipse solus sit simpliciter, & absolutè Dominus; simpliciter, & absolutè Iudex. Et proptereà Moses, conscius vsus, non metuit populo à tali nomine: quin potiùs eum, quem *Elohim* (id est, Iudicem) vocitabant, docet esse illum, qui creauit cælos, & terram. Signum autem, quòd cōsueuerit populus vti nomine אלהים ad Deum Iudicem nominandum, est, quòd in hodiernum vsque diem Hebræi loco nominis tetragrammaton (quod creditur propriissimum esse Deo) vtuntur nomine אדני, quod est plurale, & significat, *Domini mei*. Nec est incredibile, vsum istum ortum ex consuetudine alloquendi Principes, & venerabiles personas in numero plurali [d]. In cuius signum Moses pluries alloquitur Deum dicendo אדני, hoc est, *Domini mei*: & certum est inueniri singulare, *Adoni*; hoc est, *Domine mi*. Quandocunque itaque in textu Elohim appropriatur Deo, exponemus Iudicem singulariter: quia pro vno ponitur Deo sub ratione Iudicis.

[d] Idem annotat Author Iosuē 24. & opinionē Hebræorum esse censet Eugubinus.

Quare autem Moses in hoc exordio appellauerit Deum אלהים, in promptu causa est duplex. Altera, vt vnus, atque idem Deus credatur Creator mundi, & Iudex vniuersorum: ne crederent Philosophis tradentibus, quòd supremus rerum Opifex non est Iudex humanarum actionum; percutit siquidem Moses Philosophos omnes, describēdo, Iudicem omnium creasse cælos, terram, & omnia, quæ in eis sunt. Altera, vt creatione cælorum, & terræ, & eorum, quæ in eis sunt, intelligatur actio Dei Iudicis secundum iustitiam distributiuam: ne putaretur, Deum creasse res secundum esse earū tantum, & non secundum diuersos illarum gradus, atque ordines, res ipsas creando distribuisse: ad hunc siquidem errorem tollendum, describitur, quòd Deus, quatenus Iudex, secundum iustitiæ distributiuæ rationem creauit omnes res, sic quòd creando distribuit singulas res suauissimè, suis quasque locis, gradibus, ac ordinibus [illegible] principij. Quomodo [illegible], quia Moses numero plurali nominauit Deum, constat ex adiuncto verbo numeri singularis, *creauit*, vnum Deum Creatorem significasse: nam ad moderationē nominis אלהים appositum est, *creauit*, non, creauerunt: vt ex ipso verbo intelligatur, vnum esse, qui creauit cælos. Quia apud Hebræos cælorum nomen caret singulari numero; ideò Interpres transtulit cælum: poterat tamen ad verbum transferre cælos: quoniam materia, de qua est sermo, non cogit ad interpretandum de vno cælo. Hæc de litera.

Sensus autem literalis est [e], quòd in principio temporis, (quod principium constat esse instans initium temporis;) in illo, inquam, tanquàm in mensura actionis significatæ per verbum, *creauit*, creauit Deus cælos & terram: creatio enim actio est instantanea. Nec hinc nouitiē intelligas, quod creatio cælorum, & terræ præsupponit initium temporis: sed intellige, quòd Creator creando cælos, & terram, simul concreauit temporis initium, mensuram ipsius creationis: ita quòd effecit mensuram, & mensuratam actionem simul: sic quòd actio mensuraretur illo temporis initio, quod simul effectum est. Et quia initium temporis est secundùm naturæ ordinem simul cum initio motus primi mobilis, & initium motus primi mobilis est etiam secundùm naturam simul cum initio motus Solis, quod naturali ordine est Sole existente in principio Arietis, (quia inde incipit secundùm naturæ ordinem moueri etiam secundùm negantes motum cæli incepisse: tradunt enim ideò verè dici inde incipere motum secundùm naturam; quia, si incepisset, incepisset inde;) ideò quum dicitur, *in principio*, formaliter quidem significatur principium temporis; materialiter verò significatur principium primi motus cælestis, & principium motus Solis.

[e] Comprobatur hic sensus editione Chaldaica. Vide Eugubinum.

Creauit, hoc est, effecit, non ex aliqua materia præexistente: hoc enim appellatur facere ex nihilo; quod significat creare, vt vsurpatum est à Theologis. Quod ideò dico: quia dictio interpretata, *creauit* [f], non arctatur ad significandum facere non ex aliqua materia; sed significatum eius commune est ad multa faciendi genera. Quocirca nos non ex vi significationis Hebraici verbi; sed ex natura actionis significatę in tali materia, (videlicet, efficere cælos, & terram,) exponimus, *creauit*: hoc est, non ex aliqua præsupposita materia effecit. Impossibile siquidem est, aliter intelligi à Sapientibus, qui tenēt, quod hæc non possunt aliter effici: tum, quia primo-prima mundi elementa secundum se tota non possunt aliter effici: tum, quia cælestia corpora non possunt aliter effici, quum sint ingenerabilia, & incorruptibilia secundum se tota, & singulas partes.

[f] Sic inferiùs dicitur: *Creauit Deus cete grandia*. constat autem eiusmodi animalia ex aliquo facta.

Cælos, & terram. Sapientissimè Moses vniuersum comprehendit ex duabus præcipuis illius partibus [g], corpore, scilicet, simplici circulariter mobili, & centro, circa quod oportet illud moueri, cælo, & terra: hæ siquidem duæ naturæ sunt etiam à Philosophis descriptæ præcipuæ vniuersi partes substantiales: vsque adeò, vt quærentibus, quare totum vniuersum corporeum non constat ex natura cælesti, reddant rationem, quia natura cælestis est circulariter mobilis, ac per hoc oportet habere immobile centrum, (non mathematicum, sed naturale,) circa quod moueatur. Et propterea ex hoc, quòd cæli sunt, oportet, quòd terra sit: & ideò Moses

[g] Exodi 20. singulorū creatio explicatur: *Sabbathum est requies Deo tuo, qui creauit cælum, & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt.* Idem Psal. 145.

Moses priùs nominat creationem cælorum, & posteà terræ [h]. Et in his duobus (scilicet, cœlis, & terra) comprehendit concomitanter reliqua corpora simplicia, & Spiritus angelicos: vt ipsemet manifestat explicando dispositiones, in quibus cęli, & terra creati sunt, vt *infrà* patebit. Et Philosophi quidem ex eo, quòd est terra, probant esse reliqua tria corpora simplicia: existente enim in rerum natura vno contrariorum (videlicet, terra) corpore simplici, quod mouetur ad medium; oportet esse alterum extremũ contrariorum, quod mouetur à medio: & hoc extremum appellamus ignem. Existentibus verò extremis contrariis in rerum natura, oportet quoque in rerum natura esse media, quæ mouentur ad media loca, quæ appellamus aërem, & aquam: ex his siquidem quinque corporibus simplicibus (cęlo, & vocatis elementis quatuor) constituitur prima substantialis perfectio vniuersi: mixta siquidem omnia spectant ad secundam vniuersi perfectionem. Ex eo verò, quòd cælum mouetur circulariter, probant spirituales substantias mouentes cælos. Vt hinc pateat, quàm sapientissimè Moses inchoauerit creationem mundi dicendo, in principio creatos cælos, & terram: in his siquidem duobus apparet comprehendi integrum vniuersum, secundùm primariam vniuersi perfectionem: quia his duobus explicatis, tanquàm præcipuis partibus, reliquæ vniuersi partes spectantes ad primam vniuersi perfectionem, implicitè & concomitanter sunt comprehensæ. Prætereo rationem ex parte figuræ sphæricæ: mundus enim ex eo, quòd sphæricus, describitur aptissimè primò creatus in circunferentia, & centro; cælo, & terra; vtpote primis sphæræ principiis. Cum his tamen speculationibus intellige, secundùm literæ sonum, explicata omnia corpora simplicia Hebræo populo, quòd eo cælorum [i] nomine intelligunt omnia superiora corpora; videlicet, corpora cælestia, & sphæras ignis, & aëris: terram autem coopertam aquis explicitè statim subiungit, nominando abyssum.

h Secundo capite hunc ordinẽ inuertit Moses, iuxta editionem Hebraicam, vt notat Eugubinus.

i Sic Aristoteles variè eo nomine vtitur. Primò, pro Deorum habitatione extra cælestem verticem. Secundò, pro substantia orbium cælestium. Tertiò, cælum est, quicquid est præter terram: terra autem, quicquid infrà est.

Vers. 2. Terra autẽ erat inanis, & vacua] Iuxta Hebræum habetur: *Et terra fuit inanis, & vacua*. subintelligẽdo in dictione, *inanis*, funditùs: caremus enim Latino nomine vno, significante funditùs inane. Apud Hebræos siquidẽ vtraque dictio nomen est vacuitatis: & ideò benè interpretatæ sunt, *inanis, & vacua*. Verùm apud illos prima dictio sonat plùs quàm secunda: nam sonat vacuitatem funditùs: secunda autem puram vacuitatem: & est sensus, quòd terra in principio temporis fuit creata vacua intùs, & vacua extrà. Verissimè, & perfectè describitur dispositio terræ, in qua fuit tunc, quãdo creata est: nam pro tunc fuit purum elementum: ac per hoc intùs vacua omni semine vegetabilium, & omni vena mineralium; & extrà, omni herba, ac virgulto, & reliquis, quæ sub aquis sunt modò super terram: nam omnia, quæ intùs, vel extrà continentur in terra, sunt mixta: puris autem existentibus elementis, constat & intùs, & extrà vacua esse mixtis. Nec superfluè adiunxit Moses vacuitatem vacuitati funditùs: quoniam ex primo nomine explicatur, quòd erat totaliter vacua ex seipsa: ex secundo autẽ, quòd nec à Deo in aliqua sui parte plena fuit; sed quòd & ex se funditùs vacua, & actualiter fuit vacua. Hæc est dispositio terræ in seipsa: dispositio autem eiusdem relatiuè ad elementum aquæ subiungitur.

Et tenebræ erant super faciem abyssi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et obscuritas super facies abyssi*. Quia Latini caremus singulari nominis, *tenebræ*; ideò Interpretes transtulit pluraliter, *tenebræ*. Et quia dictio interpretata, *facies*, caret singulari apud Hebræos; ideò in textu Hebræo habetur, *facies*, in numero plurali. Nec inuenitur ibidem aliquod verbum: sed verbum, *fuit*, antè positum seruit vtrique particulæ; præcedenti, scilicet, & huic. Abyssi [k] nomen, quanuis Græcum, quia tamen vsurpatum est à Latinis, & Hebraïcæ dictioni consonat, libenter acceptamus. Hæc quoad literam. Sensus autem est, quòd super non aliquam faciem, (putà, vnius hemisphęrij,) sed super facies omnes abyssi, (hoc est, elementi aquæ valdè profundæ,) tunc fuit obscuritas. Et appellatur elementum aquæ, *abyssus*, ne intelligeres terram opertam paruæ altitudinis aquis: veluti in diluuio posteà legitur, aquas quindecim tantùm cubitorum fuisse super montes: nam elementum aquæ est secundùm se tam grande, vt linea ducta à superficie terræ ad circunferentiã aquæ, sit longè maior, quàm linea ducta à centro terræ ad superficiem terræ: quia elementum quantò superius, tantò grandius secundùm omnes dimensiones: ad significandum itaque immensam aquæ profunditatem, dicitur abyssus. Per obscuritatem autem intellige duo: & ipsam negationem luminis, & conditionẽ subiecti (abyssi, scilicet) quod erat perspicuum: obscuritas enim est negatio luminis in diaphano. Aptè quoque elementi aquæ dispositio, in qua creatum fuit, describitur ex profunditate, diaphaneitate, & obscuritate circunquaque: omnes enim has conditiones sibi secundùm se vendicat. Nec abs re describitur habens facies; sed ad insinuandum differentiam inter aquam & terram: penes hoc, quòd terra in nulla sui parte habuit tunc faciem (vtpote omni ex parte sub aquis;) sed facies aquæ fuerunt tunc facies abyssi operientis vndique terram. Cum his dictis de abysso applicata ad elementum aquæ, perspicaciùs intellige abyssi nomine vniuersam molem corporum simplicium diaphanorum: ita quòd descripta dispositione, in qua creata fuit terra, describitur conditio communis omnibus corporibus simplicibus, quæ simul cum terra creata sunt. Commune autem est omnibus diaphanis, esse, quantùm ex se est, obscura; hoc est, non habere lumen, quo actualiter transpareant: nam hoc habent ex lumine, quod est constitutiuum diaphani in actu. Est itaque sensus literalis, quòd fuerunt creata omnia corpora diaphana, (cælestia, scilicet, corpora, & tria elementa, ignis, aër, & aqua,) obscura: hæc enim omnia abyssi nomine significantur. Constat enim ex his altitudo non opaca immensa: non quòd infinita sit; sed, quia, vt absque terminis maximè considerata spectat ad perfectionem huius diei. Meminit autem facierum propter facies diuersorum hemisphæriorum: vt intelligamus, vbique obscuritatem fuisse.

k Proponit Moses, vt censent aliqui, mundum in illa massa, ac cõgerie cœptũ, quam Gentiles chaos nominarũt, hoc est, terram initio inanẽ, & vacuam, vtpote abysso vestitam, tanquàm tegumẽto, Ps. 103. Quæ quidem abyssus operta tenebris erat: nam eam Deus caligine velut pannis inuoluerat, Iob 38.

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.] Iuxta Hebræum dictio interpretata, *Domini*, est illamet dictio, (scilicet, אלהים) in plurali numero. Dictio interpretata, *ferebatur*,

batur, non est verbum, sed participium præsentis tẽporis actiuum: & interpretatur [l] commouens, siue cubans more auium cubantium super pullos suos, seu volans: ter enim in tota Biblia hæc dictio inuenitur, hîc, & in Cantico Mosi Deuter. 32. vbi litera nostra habet: *Et super eos volitans*. ab aliis interpretatur, *cubauit*. Et demum Ierem. 23. vbi litera nostra habet: *Contremuerunt omnia ossa mea*. significatur passiuè: Commota sunt omnia ossa mea. Ex istis siquidem locis posterioribus, tanquàm clarioribus, eliciunt Interpretes, quòd hoc in loco significatur commouens, aut cubans, aut volans: sufflatio autem ex Chaldaïca prodiit officina. Mihi verò quadrare videtur, quòd significetur volans: eò quòd in sacra Scriptura volatione describitur pluries motus cæli: vt patet in Psal. 18. *Equitauit super Cherub: & volauit super alas Spiritus*. & in Psalm. 104. *Ponens densitates equitatum suum, ambulans super alas Spiritus*. vtrobique enim Angeli, (quum Spiritum alatum describit,) & volatus explicitè in primo meminit. Deficit quoque in vulgata editione, *facies*; ita quòd litera iuxta Hebræum est: *Et Spiritus* אלהים *commouens* (seu volans, seu cubans) *super facies aquarum*. Et est singularis numeri, Spiritus. Hęc de litera. Sensus autem est, quòd angelicus Spiritus, minister Dei Iudicis secundùm formam iustitiæ distributiuæ distribuentis omnia, mouebat cælum motu velocissimo. Quòd enim sit sermo de Spiritu angelico, seu substantia spirituali, habetur, tum ex authoritate Dauidis: nam in præfato Psalmo 104. laudando Deum, inchoat ab opere creationis. Et in illius Psalmi principio, quum dixisset de Deo, *ambulans super alas Spiritus* (proculdubiò angelici,) statim subiungit: *Faciens Angelos suos Spiritus*: apertè insinuans, Spiritum Dei in principio creationis commemoratum à Mose, esse spiritualem substantiam, cui Deus dedit officium nuncij. Tum ex ipsa serie rerum creatarum: dixerat enim, cælos, & terram creatos. & descripserat, in qua dispositione creata fuit terra: supererat, vt describeret, in qua conditione creatum est cælum, videlicet, in motu: nam, secundùm veritatem, cęlum in principio temporis creatum est secundùm initium motus: initium siquidem temporis respondet initio motus. Et describendo Spiritum motorem cæli, manifestat, quòd motus cæli non est quemadmodum motus grauium, & leuium; sed est à substantia spirituali, quam constat esse motorem à proposito: & apponẽdo אלהים, aperit Spiritum illum subiici Deo distribuenti omnia. Siue autem intelligatur *commouens*, siue *volans*, idem est sensus: nisi quòd velocitas summa inter motus vitales exprimitur per metaphoram volationis. Si autem legitur *cubans*, vita ipsius cælestis motus insinuatur, ex hoc, quòd fouetur à Spiritu: est enim primus motus, velut vita omnium corporalium: & hoc habet à spirituali substantia. Quòd autem dicitur, *super facies aquarum*, manifestè significat supremum cælum, quod in opere secundi diei appellatur, *aqua super cælos*: motor siquidem cælj in circunferentia est cæli, non in centro, & in circulo illius maximo, quem Æquinoctialem vocamus: quia ibi apparet, & est motus velocissimus. Cum his quoque perspicaciùs intelligẽ Spiritus nomine, non vnicum tantùm Spiritum: sed Hebræo more vniuersam multitudinem Spirituum mouentium cælos, Spiritum nominauit. *Super facies aquarum*, hoc est, cælorum, qui propter perspicuitatem absque luce, pro tunc appellantur aquæ: & in singulorum circunferentiis Spiritus mouentes sunt: & propterea à Mose definiuntur, *super facies aquarum*.

Vers. 3. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit* אלהים: *Erit lux. Et fuit lux*. Dicere diuinum [m] est proculdubiò intellectuale: nec est dicere prophetando, quòd erit lux; sed est dicere practicum; hoc est, diffinitiuum, ac imperatiuum, vt sit lux. Et significat, Deum produxisse creaturas, non per modum agentis naturalis, (vt Sol illuminat, & ignis calefacit;) sed per modum agentis à proposito: vt artifex intelligendo, & volendo efficit artificialia. Ita quòd, postquàm Moses descripsit, quòd Deus ipse creauit cælos, & terram, describit modum, quo creauit, videlicet, dicendo: dicere siquidem actio est intellectualis. Nec alia creatione effecit lucem, quam illamet, qua fecit cælos: quoniam lux proprietas quædam est consequens cæleste corpus, eadémque generatione generatur, qua generatur cælum: vt si iunxeris hæc duo, & quòd *Deus creauit cælos*; & quòd *dixit*: *Erit lux*. perspicias, Deum imperasse dicendo, & executum fuisse creando cælos cum luce. Meminit autem priùs executionis, quàm imperij, vt faciliùs manuducemur ex tam excellenti executione ad credendum imperium. Priùs quoque cælorũ oportuit meminisse, quàm lucis: quia ipse rerum ordo exigit substantiam qualitati præsupponi. Motus etiam cæli priùs quidem descriptus est, quàm lux, sed aliter: nam motus commemoratur accessoriè; lux autem velut per se intenta: nam de luce scribitur: *Dixit Deus: Erit lux*. de motu autem nihil simile dicitur. Priùs verò exprimitur motus: tum, quia est dispositio totius cæli; lux autem partium est: tum, quia motus ad lucem ferendam ordinatur, vt finem. Et quanuis diuinum dicere mensuretur æternitate carente præterito, & futuro; humano tamen more loquendo, describitur verbo præteriti temporis: & esse lucis, verbo futuri temporis: ad significandum, quòd Deus ab æterno dixit: *Non sit coæterna lux; sed erit in principio temporis lux*. per hoc enim verbũ futuri temporis, *erit*, insinuauit Moses, quòd de principio temporis intẽderat dicendo: *In principio creauit*, &c. Nec oportet quærere mensuram mensurantem dictũ, *erit*: quia illud *erit* non habebat esse nisi in dicere diuino: quanuis nos imaginatio tempore mensuremus mundum futurum, antequam esset: quum secundùm rem nihil fuerit futurum relatiuè ad æternitatem: quoniam æternitati nihil est, aut fuit futurum. Et quemadmodum dicendo: *Dixit Deus*. declaratur Deus agens à proposito; & dicendo: *Erit lux*. excluditur coæternitas lucis ad Deum: ita dicendo: *Et fuit lux*. significatur efficacia diuini dicere, quod fuit in rerum natura lux imperata: fuit autẽ in principio temporis, pro quo fore imperata est.

Vers. 4. Et vidit Deus lucem, quòd esset bona.] Hebræa litera habet, אלהים: & caret verbo, *esset*. Considera ordinem. Ad similitudinem artificis primò creat cælos: deinde, quasi informes

[l] Etsi sẽsus Scripturis probatissimus sit: tamen Salomõ, Dauid, & Iob, ipsius Mosis Expositores, hic spiritum Dei, sapientiam intellexisse videntur, quæ super aquas ferebatur, stupendũ infinitæ considerationis opus: cælum, scilicet, tendẽdo, & fortè ex ipsis aquis. Sic ipsa de se inquit: *In fluctibus maris ambulaui*. Ecclesi. 24. Prouerb. 6. *Quando certa lege, & gyro vallabat abyssos, aderã cum illo*. Et Iob 16. *Spiritus Domini ornauit cælos*. Canit & Ecclesia: *Super aquas, foturus eas, ferebaris Spiritus*. Hoc Ethnici intellexerunt, qui mẽtẽ diuinam omnium rerũ principium posuère; nimirũ, hæc ipsa & pleraque alia à Mose mutuati.

[m] Exponi[t] Dauid Ps. *Verbo D[omini] cæli firma[ti sunt]*. Itidem: *Ipse [dixit et facta] sunt*. Hebr[ai]ca phrasis e[st] *dicere*, pro *im*perare. Ionæ *Dixit Deus c[e]te, & euomuit Ionam*.

informes cælos (vtpote obscuros) formando imperat esse lucem, formam diaphanorum: tertiò, videndo (non ex relatione percipiendo) vtilitatem, appetibilitatem, ac bonitatem lucis à se factæ, illam approbat [n]. Sicut enim ex hoc, quòd artifex videt opus à se factum esse bonum, ipsius iudicio decernitur bonum: ita multò magis ex hoc, quòd Deus vidit ab æterno lucem in principio temporis factam, & esse, & fore bonam; ipsius Dei iudicio habemus lucis bonitatem; & vnde reiiciamus stultitias dogmatizantium, quòd creaturæ sensibiles non sunt secundùm se bonæ. Et benè nota, quòd non est sermo in specie de Sole, Luna, aut stellis; sed de luce: non alia à luce Solis, Lunæ, & stellarum; sed aliter significata, ac nominata. Quemadmodum enim cælum describitur priùs natura obscurum, posteriùs natura formatum luce: ita priùs natura describitur facta lux cælestis, & posteriùs natura distincta in Solem, Lunam, & stellas: quia & priùs natura est cælestis lux vt sic, quàm sit ipsamet vt distincta in Solem, Lunam & stellas.

[n] Cùm pulchra soleamus admirari, sic Moses phrasi hebraica adducit Deum lucis suæ decorem ac venustatem demirantē: inde innuens eā optimam esse, vt quam ipse Deus miretur.

Et diuisit lucem à tenebris.] Iuxta Hebræum habetur: *Et diuisit Elohim inter lucem, & inter obscuritatem.*

Vers. 5. Appellauítque lucem, diem; & tenebras, noctem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vocauit* אלהים *luci diem, & obscuritati vocauit noctem.* Clarum est, noctem [o] esse speciē obscuritatis: omnis enim nox est obscuritas; sed non omnis obscuritas est nox: & propterea ex hoc ipso, quòd obscuritas diuisa à luce definitur ad noctem, dicendo: *Et vocauit obscuritati noctem.* manifestè habetur, quòd dicendo: *Diuisit inter lucem, & inter obscuritatem.* non est sermo de diuisione quidditatiua; sed de diuisione locali; hoc est, secundùm diuersitatem hemisphæriorum. Et est sensus, quòd Deus non fecit lucem illuminantem simul vtrunque hemisphærium: si enim lux cælestis simul illuminaret vtrunque hemisphærium, (putà, si essent multi Soles fixi in diuersis hemisphæriis,) nulla esset nox: quia nullus relinqueretur locus vmbræ terræ: nam vmbra terræ totius vocatur nox: sed Deus fecit lucem tantam in tali loco, & in tanta distantia à terra, vt terræ vmbræ locus relinqueretur: & hoc est, Deum diuisisse inter lucem, & inter obscuritatem: hoc est, inter diem, & noctem. Ex hoc quoque, quòd lux ad diem, & obscuritas ad noctem definitur, habetur, & quòd sermo est de luce cælesti, cuius ex interposita terræ vmbra est nox: & quòd de illa luce non secundùm seipsam, sed secundùm diffusum lumen in elementari sphæra est sermo: nam dies non vocatur ipsa cælestis lux, sed effectus eius in his inferioribus: quæ inferiora extendi constat vsque ad orbem lunarem: nisi enim vmbra terræ pertingeret vsque ad Lunam, non appareret eclipsis Lunæ. Ita quòd quum dicitur in litera: *Et vocauit luci diem.* non est sensus, quòd lux, de qua dictum est: *Erit lux.* vocata sit dies: sed quòd lux, de qua dictum est: *Et diuisit inter lucem.* vocata est dies. Et verè sic est: nam nulla lux vocatur dies, nisi cui succedit obscuritas, quæ vocatur nox. Et dicitur Deum vocasse lucē, diem, & similia, pro quanto effecit cognoscendo lucem propriè nominabilem, diem: & sic de similibus. Et scripsit hæc Moses, vt manifestaret, quòd Deus est author non solùm rerum naturalium; sed etiam artificialium, qualia sunt nomina: & quòd Deus singularia sensibilia & priuationes (de quarum numero est obscuritas) intimè & nominatim nouit: vtpote propria illis nomina vocans.

[o] Diei, & noctis vicissitudo, sine qua omnis vita deficeret prorsus, tanquā maximum opificis consilium, hic tacitè exprimitur, quandoquidem eam lucem prouidentissimè reperit Deus, quæ non omnē noctem in omni hemisphærio summoueret, quod pestis animātiū fuisset; sed sic mirificè fabricauit, vt tenebræ, & lucis intercapedo esset.

Factúmque est vespere, & mane, dies vnus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit vespera, & fuit mane, dies vnus.* Si lux fuisset fixa, consequenter fuisset fixus, ac perennis dies in vno hemisphærio, & iugis nox in altero hemisphærio: nec vnquam fuisset vespera terminans diem artificialem. Vnde ex hoc effectu [p], quòd fuit vespera terminans diem artificialem, & fuit mane terminans noctem, manifestè significatur, quòd lux facta est in motu: ex continuo enim lucis motu circa terram fit vespera, & fit mane. Et si lux fuisset creata in puncto medij cæli, fuisset quidem vespera, & fuisset mane; sed non fuisset dies vnus, sed dimidius, sed mutilus: quoniam non fuisset dies naturalis integer, quum fuit mane. Vnde ex hoc, quòd ex vespera, & mane constitui dicitur dies vnus, (proculdubiò naturalis,) manifestatur, quòd lux creata est in puncto Orientis: sic enim verificatur, quòd fuit vespera, & fuit mane dies vnus, non dimidius, non aliqua ex parte mutilus. Et quoniam priùs describitur vespera terminus diei artificialis, & deinde mane terminus noctis, manifestatur, quòd primum diem artificialem nulla præcessit nox. Quod etiam conuincitur ex hoc, quòd antequam esset lux, nulla potest esse, aut intelligi vmbra terræ, quæ est nox. Et si perspicaciùs consideratum fuerit, apparebit hinc haberi, quòd illudmet instans, quod fuit principium temporis mensurans creationem cælorum, ac terræ, fuit instans initium diei primi artificialis: alioquin creatio cælorum, & terræ, in statu obscuritatis præcessisset tempore indeterminato omnem diem: quod non solùm est absurdum, sed falsum; vtpote contra textum ipsius Genesis cap. 2. vbi dicitur: *Ista sunt generationes calorum, & terræ, quando creata sunt in die, quo fecit Deus cælos, & terram.* Vbi clarè explicatur, quando creati sunt cæli, & terra, fuisse diem: vt absque omni hæsitatione intelligamus, in principio temporis, eodémque ipsomet principio diei artificialis, Deum creasse cælos, & terram, & concreasse lucem. Et si his adiunxeris, quòd primus dies non æquiuocè fuit dies, (imò ipse meruit vocari dies ab ipso Deo,) percipies, quòd lux secundùm suum lumen hîc diffusum appellata dies, fuit lux cælestis illamet, quæ reliquos constituit dies: ob cuius intelligentiam Moses [q] reliquos dies eisdem præcisè terminis describit; videlicet: *Et fuit vespera, & fuit mane, dies secundus.* & sic deinceps. Quocirca non describitur dies vnus naturalis, vt mensura operationum diuinarum, *creauit, dixit, vidit*; nec vt mensura rerum factarum, *cæli, terra, ac lucis:* sed vt mensura integræ circulationis primi mobilis, (constat enim illam perfici vigintiquatuor horis,) & vt effectus lucis circulariter motæ motu primi mobilis: lux enim cælestis vna circulatione huiusmodi efficit vicissitudinem diei, ac noctis, vtroque hemisphærio. Ita quòd reducendo effectus in proprias causas, vespera, & mane, (hoc est, vicissitudo diei, ac noctis in vtroque hemisphærio.) est proprius effectus

[p] Significatur itidē noctium, ac dierum aurora, & crepusculum, & varij status, & declinationes, pro horizontis cōditione differentes: deniq; & ipsum mane, & vesperum; quæ omnia non solū miranda sunt, sed etiam stupenda, cùm nihil iucūdius, nihil vitalius: quæ omnia primo die absolùta sunt.

[q] Moses ipse hoc ipsum manifestat, cùm & hîc lucē, & inferius Solem eadē voce nominet: tum hanc factam asserat, vt diem à tenebris secernat, Solē vt præesset diei, & itidē diuideret lucem à tenebris. Quomodo igitur horū diuersa substantia, cū idem vtriusque munus, idē nomen? quod & ratio confirmat, vt prior Sol sit productus, qui præstantissima omnium rerū sensu carētium sit natura, & progenitor omnium à Philosophis nominetur: Sol enim, & homo generant hominem.

effectus lucis circulariter latæ motu primi mobilis: ipse verò dies naturalis constans ex vigintiquatuor horis, est effectus ipsius motus primi mobilis, propriaque integræ circulationis illius mensura. Et est literalis sensus, quòd à principio, in quo creauit Deus cælos, & terram, numerando, fuit vespera, & fuit mane; dies vnus. Et si hæc omnia iunxeris antedictis, & traditis, secundùm naturæ ordinem à Philosophis, (videlicet, quòd motus diurnus naturaliter incipit Sole existente in principio Arietis,) perpendes, quòd mundus creatus describitur in principio veris, dicendo: *In principio creauit Deus cælos, & terram.* Vnum nanque atque idem est initium & temporis, & motus primi mobilis, & motus Solis secundùm naturæ ordinem, qui in prima rerum conditione est præcipuè considerandus.

Et sunt hæc omnia descripta à Mose in primo die, ad significandum ea, quæ spectant ad primam vniuersi perfectionem: ita quòd vniuersum perfectum motu primo, & luce circulariter lata illo motu, cum suis propriis, ac communissimis effectibus die, ac nocte integrantibus diem naturalem, est materia accommodata à Mose primo diei. Dico autem, *accommodata*: quoniam ad literam Moses loquitur de diebus naturalibus sensibilibus: alioquin non inde inferret, quenque diem naturalem septimum sanctificatum, ac Deo dicandum: imò ad hoc Moses vniuersitatem dierum summauit ad septem repetendos perenniter, vt septimus quisque sanctus haberetur ex quiete diuina in illo ab operibus sex dierum: nam secundùm veritatem vnus tantùm erat repetendus dies: quum constet secundum diem non nisi repetitionem primi esse, sicut secunda circulatio primi mobilis est repetitio primæ: sed Moses propter sanctificationem septimi cuiusque diei collegit dies ad septem potiùs, quàm alium numerum.

Nec propterea finxit opera sex dierum: sed accommodauit sex ordinatè se habentibus perfectionibus vniuersi, sex dies: ad significandum, quòd res vniuersi sunt à Deo dispositæ ordinatè, & consequenter se habentes inter seipsas, quemadmodum sex dies naturales. Ita quòd inter dies, & opera est similitudo proportionalis: vt sicut secundus dies consequenter se habet ad primum, & tertius ad secundum, & sic vsque ad septimum; ita effectæ sex perfectiones consequenter se habent inter sese vsque ad consummationem omnium requisitorum ad omnimodam perfectionem vniuersi in esse naturæ. Quia itaque effecta à Deo in sex distributa gradus se habent inter se, ac si facti fuissent singuli gradus singulis diebus, & septimo die quieuisset opifex perfectis omnibus; ideò absque fictione Moses effecta à Deo omnia in primo instanti, quo creauit cælos, & terram, distributa in sex perfectionum gradus consequenter se habentes, accommodauit sex diebus naturalibus, & quietem diei septimo, Nec somnio hæc: quoniam omnia fuisse creata simul [r] non solùm Ecclesi.18. legitur: *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* sed Moses ipse testatur in hoc libro, cap. 2. *Istæ sunt generationes cælorum, & terræ, in die, qua fecit Deus cælos, & terram, & omne virgultum agri, omnémque herbam,* &c. Vbi clarè explicat vegetabilia, quæ sunt opus tertiæ diei, facta esse in die, qua fecit Deus cælos, & terram. Simile est autem iudicium de operibus reliquorum dierum.

[r] Etsi Augustinus hûc locum sic accipiat, qui vellet sequi Hieronymum, in Anaxagoram & Timæum Philo-

Vers. 6. Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit* אלהים: *Erit extensio inter aquas, & erit diuidens inter aquas ab aquis.* Nomine extensionis appellari in hoc textu omnia corpora simplicia, sita inter primum mobile, & elementum aquæ, non solùm hinc & inde explicatæ aquæ manifestant; sed etiam in opere, tam quartæ, quàm quintæ diei aperitur: nam quarta die luminaria locantur in extensione, & quinta die aues volant in extensione. Quemadmodum itaque tertio die [f] aquæ elementum describitur per modum congregationis cedere terræ, vt appareat: ita in hoc secundo describitur per modum extensionis corporum simplicium, occupari situm vniuersum inter primum mobile, & elementum aquæ: ita quòd mundus, quatenus perfectus secundùm situm medium inter primum mobile, & elementum aquæ, est materia secundi diei: hæc enim perfectio consequens est ad perfectionem primam, qua mundus perfectus est primo motu & luce. Et quia extensio supponit rem quantam, quæ extenditur; instruimur ex ipsa extensionis ratione, substantiam quidem quantam quantitate interminata istorum corporum simplicium, sicut & omnium esse corporum simplicium, spectare ad opus primæ diei, (propter quod vniuersitas diaphanorum corporum vocata est à Mose, primo die, *abyssus*, hoc est, profunditas immensa:) extensionem autem istorum ad certos terminos, esse opus secundæ diei.

Fieri autem extensionem contingit multis modis. Ferrum enim extenditur malleo: aqua congelata extenditur rarefactione: infans extenditur motu augmenti: cortinæ extenduntur sola expansione. In sacra Scriptura hoc vltimo modo inuenitur hic textus expositus à Dauide in Psalm. 104. *Extendens cælos, vt cortinam.* quanuis vulgata editio habeat, *sicut pellem.* Quocirca, Dauidem sequendo, simplicissimam extensionem, quæ pura extensio est, quæve decet simplicia corpora, intelligimus: quasi ipsæ substantiæ quantæ quasi quantitate interminata horum corporum secundum se, sint velut cortinæ complicitæ, & ipsæmet extensæ sint velut cortinæ explicatæ, seu expansæ: huc enim tendit Dauidis interpretatio: & huic sensui quadrat illorum sententia, qui dictionem interpretatam, *extensio*, interpretandam censent, *expansio.* Sicut enim cortinæ complicitæ latet certa quantitas latitudinis, & longitudinis: ita substantiæ quanti interminati latet quantitas terminata. Et quemadmodum cortinæ quantitas certa expansione panditur: ita substantia quanta extensione ad certos terminos perficitur. Necessariam autem esse huiusmodi extensionem ad vniuersi perfectionem, patet ex eo, quòd, sicut oportet inferiorem mundum superioribus lationibus continuari, vt omnis inde huc influxus deriuetur: ita oportet cælestes lationes continuari primæ, vt illinc omnium vita deriuetur.

Alterum quoque officium textus adiungit: nam non tantùm dicit: *Erit extensio inter aquas supremas,*

sophos, dictum hoc retortũ interpretari potest: ponebant enim, rerũ principia, seu abyssũ illã à Mose traditam, per infinitum tempus quieuisse, quod & Aristoteles carpit, & Ecclesiasticus hãc vocem, *simul*, pro *coniunctim* accipiẽs hîc. Quippe Dauid, & Iob solent Philosophorum placita improbare, vt qui creationis seriem à Mose traditam, tãtum omnipotentiæ Dei argumentũ peruertant.

[f] Cùm videatur naturam frustrà aquas super cælos pependisse, cælique crystallini nulla appareat cum aquis vicinitas; multi arbitrantur, verisimilius esse, aquas cælestes, quas toties Scriptura inculcat, pro illis, quæ ex altissimis cæli regionibus delabi videntur, accipere vel eò cœlestes dictæ, quòd Scripturæ testẽtur à cataractis cæli prouenire: fitque, vt hoc firmamentũ inter aquas positum, ipsum aërẽ intelligant, eò quòd aërem Biblia cælum, & firmamẽtũ passim vocant. Sed Authoris sententia antiquorum Patrum est.

supremas,& infimas. qua exercetur dictum officium continuandi infima supremo, & è conuerso: sed adiungit: *Et erit diuidēs inter aquas infimas ab aquis supremis.* significando alterum officium. Ista nanque corpora media, verè media describuntur, non solùm situ, quo terminos sortiuntur penes aquas supremas, & aquas infimas, vt suis terminis situaliter diuidant inter vtrasque aquas; sed conditionibus: quatenus enim mouentur solo motu raptus, sequendo primum mobile, diuidunt ab aquis infimis, quæ non mouentur circulariter ad motum primi mobilis: elementorum enim solæ sphæræ ignis, & aëris mouentur circulariter ad motum primi mobilis; & propterea Moses has duas sphæras ex parte cælorum supputat, & sub extensionis nomine comprehendit, & cælos appellat: quatenus verò mouentur motibus propriis diuersis, diuidunt ab aquis supremis. Appellatur autem primum mobile aqua, eò quòd est naturæ purè perspicuæ, sicut aqua: & appellatur, *aquæ*, in numero plurali: quia dictio Hebraïca significans aquam, caret singulari.

Vers.7. Et fecit Deus firmamentum: diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab iis, quæ erant super firmamentum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecit* אלהי״ם *extensionem: & diuisit inter aquas, quæ sub extensione; & inter aquas, quæ super extensionem.* Absque verbo substantiuo loquitur: & describitur executio. Priùs descripsit æternum conceptum, simul & præceptum, dicendo: *Et dixit*, (non in secundo die, sed ab æterno:) *Erit*, in tempore, *extensio*, *& erit diuidens*, &c. modò describit executionem, tanquàm secundo die factam, non per ministros Dei, sed per ipsum Deum: & propterea significanter dicit: *Et fecit Deus.* Nec solùm fecisse, sed diuisisse describitur: vt intelligamus, Deum per seipsum constituisse terminos corporum simplicium, non solùm extremorum, sed mediorum.

Et factum est ita.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit ita.* Impedimentum, obstánsque nullum valuisse describitur, ad differētiam actionum agentium multorum, siue naturalium, siue à proposito, quæ ex parte sui faciunt; sed ipsorum facere impeditur: & propterea, quamuis fecerint; non tamen efficitur, quòd sit in effectu, ita vt agens intendebat, & conatum est facere. Ad significandum itaque, quòd diuinum facere nullum pertulit impediens, dicitur: *Et fuit ita.*

Vers.8. Vocauítque Deus firmamentum, cælum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vocauit* אלהי״ם *extensioni cælos.* Nota hæc quatuor, *dixit, fecit, fuit, vocauit.* nam *dixit*, ad differentiam agentium naturalium: *fecit*, ad differentiam agentis per alium: *fuit*, ad differentiam actionum, quæ impediuntur: *vocauit*, nominando proprio nomine, ad differentiam agentium à proposito, nescientium quandoque perfectè id, quod fecerunt; & nescientium effecta propriis nominibus vocare. Hinc habes apud Hebræos appellari cælos etiam sphæras ignis, & aëris. [t]

[t] Infinitis aquarum agminibus terrā obtuentibus, Solèque iā in cælo radiāte, quid conueniētius aëre fieri debuit? tū, quia ad omnem vitā erat necessarius: tum, vt terra denudaretur, magna aquarū parte in aërem cōuersa per Solis feruorem.

Et factum est vespere, & mane, dies secundus.] Iuxta Hebręū habetur: *Et fuit vespera, & fuit mane, dies secundus.* quod expone, *vt suprà.*

Vers.9. Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum: & appareat arida.] Iuxta Hebręum habetur: *Et dixit* אלהי״ם: *Congregabuntur aquæ sub cælis ad locum vnum: & videbitur siccum.* Congregatio aquarum [u] non significat purum localem motum: (elementum siquidē aquæ non erat dispersum per partes à se inuicem separatas, quemadmodum multitudo militum dispersa congreganda est: sed integrum elementum ex omnibus suis partibus continuum, ac sphæricum erat in suo naturali loco:) sed significat motum alterationis, quo aquæ condensatæ sunt, & ex raris factæ sunt densæ: ac per hoc per modum congregationis occupauerunt minorem locum, relinquentes multas sui loci partes, quas occuparunt partim aër mixtus, qui penes nos est; & partim eleuatæ quædam partes terræ. Tacet siquidem Moses eam, quæ comitata est, eleuationem partium terræ, in qua eleuatione facti sunt montes: ex his siquidem duabus causis effecta est congregatio aquarum, ita vt appareat terra pro vegetabilibus, & animalibus terrestribus. Et quanuis Moses non explicet istas causas; explicando tamen vtrunque effectum, (videlicet, congregationem aquarum, & apparitionem terræ; imò congregationem aquarum, ad hoc vt appareat terra, manifestando: poterant siquidem condensari aquæ absque apparitione terræ; putà, si sphæricè fuissent densatæ singulæ partes in propriis, quibus erant, locis:) insinuat implicitè horum ordinatorum effectuum causas prędictas. Nec propterea intelligas, priùs tempore fuisse causas, quàm effectus: sed, quemadmodū priùs natura abyssi obscuritas pręcessit lucem in primo die; ita alteratio aquarum, & terræ præcessit congregatas aquas, non tempore, sed natura. Nec intercesserunt motus alterationum, & locales; sed Deus fecit effectus motuum sine ipsis motibus mediis. Et quemadmodum dicimus, quòd Deus est æternus, quia est immutabilis; (non significando, quòd æternitas diuina sit res causata à sua immutabilitate, quum constet in Deo nihil esse causatum; sed significando, quòd si æternitas causaretur, causaretur ab immutabilitate:) ita in proposito dicitur, congregationem aquarum, & apparitionem terræ esse propter condensationem aquæ, & eleuationem terræ: quia, si causarentur naturaliter, causarentur ab huiusmodi alterationibus aquæ, & terræ. Si quis autem dubitat, terram apparentem esse superiorem aquis, nō tam eget ratione, quàm applicatione ad sensum, quo ad oculum videmus aquæ motum semper in decliuiorem esse locum: hinc enim manifestum est, quòd si terra apparens esset inferior mari, aqua maris ad ipsam (vtpote decliuiorem) moueretur, ac operiret illam. Describitur itaque tum elementi aquæ condensatio per congregationem: tum terræ eleuatio per apparitionem sicci ex congregatione aquarum. Quòd autem dicitur, *ad locum vnum*; nō significat, aquas ex diuersis locis in vnum confluere; sed significat, quòd condensatio illarum cum terræ eleuatione non abstulit ab aquis vnitatem loci. Et oportuit hoc explicari, ne putares, quòd aquæ congregatæ fuerint ad diuersos sinus, & propterea apparuerit siccū. Nec vnitati loci aquarum, diuersitas, quæ apparet, aquarum in locis diuersis.

[u] Terræ & aquarum cōditor ita principiò terrā disposuerat, vt eas voragines haberet, quibus aquæ receptæ terras altiores habitabiles relinquerēt. Sic Sole exæstuāte ex omni Oceano aquas exhauriēte, & in aërem resoluente, fiebat aëria regio, terræ nudabantur, & ab editiori loco in decliuiora aquæ decurrebāt, vt appareret arida, & aquę congregarentur in locum vnum. Cuius diuini consilii meminit Aristoteles, qui plures ex ethnicis ait opinatos esse, quòd, cùm Sol multā aquarum partē resolueret, mare illud factum sit.

diuersis.

diuersis, obstat. Succutanea nanque flumina testantur, succutaneos esse meatus continuatiuos apparentium lacuum & marium: & naturali rationi consentaneum est, vt vni elemento aquæ vnus locus respondeat, non violentus, sed naturalis circa terram.

Et factum est ita.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit ita*. Expone, *vt suprà*. Aduerte primò, quod Moses alterationis motum in tertium vsque diem distulit: nihil enim alterationis considerandum censuit in vniuerso, vt est materia primorum duorum dierum: sed in hoc tertio vniuersum considerat secundùm id perfectionis, quod ex elementis infimis alteratis habet. Aduerte secundò, quòd Moses sapientissimus, describendo Deum facientem vniuersum, modò loquitur more humano, distinguendo inter diuinum dicere, & diuinum facere, priùs dicendo: *Dixit Deus*. & posteà: *Fecit Deus*. modò loquitur secundùm ipsius Dei excellentiam, dicendo: *Dixit Deus. Et fuit ita*. vt intelligamus, quòd diuinum dicere est tam eminentis efficaciæ, vt habeat in se, & quod est dicere, & quod est facere.

Vers. 10. Et vocauit Deus aridam, terram; congregationésque aquarum [x] appellauit maria.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vocauit* אלהים *sicco terram; & congregationi aquarum vocauit maria*. Aduerte, quòd siccum est res nominata, & terra est nomen: vt textus Hebræus testatur, habens in datiuo, *sicco*; & *terram*, in accusatiuo. Sicut etiam in primo die habet: *Et vocauit luci diem, & obscuritati noctem*. & similiter in secundo: *Et vocauit extensioni cælos*. Nec legendum est, *congregationes*; sed, *congregationem aquarum*: vt vnitas aquarum significetur. Et hinc apud Hebræos etiam lacus vocantur, *maria*.

[x] Has rerũ appellationes toties nobis inculcat Moses, vt dignitatem opificij commendet: ea siquidem est cæli, & terræ perfectio, vt à suo Conditore intelligi, & secundùm veram naturam nomẽ sortiri meruerit.

Et vidit Deus, quòd esset bonum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vidit* ארח׳ים, *quod bonum*. Et refertur ad opus, tam secundi diei, quàm commemoratum in hoc tertio. Distulit autem Moses iudicium diuinum de bonitate vtriusque operis, eò quòd vtilitas prouenienſ ex expansione cælorum, considerata in secundo die, non est nobis manifesta vsque ad apparitionem terræ ex condensatis aquis: quemadmodum in opere primi diei nihil dicitur de bonitate cælorum & terræ, vsque ad factam lucem: quia bonitas illius creationis per lucem nobis manifestata est

Vers. 11. Et ait. (Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit* אלהים. Expone, *vt suprà*.) Germinet terra herbam virentem, & facientem semen; & lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram.] Iuxta Hebræum habetur: *Herbabit terra germen, herbam seminificantem semen; lignum fructus faciens fructum generi suo, cuius semen eius in ipso super terram*. Recolendum est, in primo die descriptam fuisse terram inanem funditùs, & vacuam: vt intelligamus, terræ inanitatem funditùs, modò tolli, implendo ipsam seminariis virtutibus ad producendum vegetabilia: quæ distinguit in duos ordines, videlicet, in herbam seminificantem, & in lignum fructiferum, sub quibus comprehenduntur omnia vegetabilia. Et tacuit Moses virtutes minerales inditas terræ, eò quòd productio mineralium est occulta, sicut & gemmarum.

Nec mireris scribi, *seminificantem semen*; & similiter, *lignum fructus faciens fructum*. idiomati siquidem Hebræo tribuendum est hoc: gaudet enim idioma illud quasi conduplicatione: *Veniendo veniet, faciendo faciet*, & huiusmodi.

Vbi aduerte, quòd virtus productiua vegetabilium describitur pulchro ordine succedentium statuum: nam dicendo, *herbabit*, modus producendi manifestatur: per modum siquidem herbæ producuntur, tam ipsæ herbæ, quàm arbores: herbascunt siquidem omnia vegetabilia, quum è terra pullulant [y]. Et dictio Hebraïca prima non propriè significat herbam, quæ distinguitur contra arbores, sed vniuersa vegetabilia viridia: & propterea dicitur, *germen*, tanquàm genericum nomen. Quum verò in textu subiungitur, *herbam*, alia dictio est significans herbam, quæ distinguitur contra arborem: Moses enim primò dicit, quod commune est herbis, & arboribus: deinde appositiuè singillatim, quod est herbarum, & quod est arborum.

[y] Mirificus fuit hic ordo prouidentiæ & naturæ, quem multi sic disponunt, vt primo die facta sit aquarum per Solem quædam resolutio: secundo die magis terræ exaruerint, & aëris expansio absoluta sit: simúlq; fundebatur puluis in terra, & glebę eius compingebantur, Iob 38. iámque hoc secundo die consolidata omne genus fruticum produxit, iussæque sunt herbę solũ semen producere quod ad pastum animãtium sufficeret, cuius gratia à Deo creatæ sũt. Cæterùm, cùm illæ perpetuò consistere non possent, factum est, vt semen in semetipsis esset super terram. id est, vim haberẽt sui similem gignendi, vt corruptio vnius, alterius esset generatio: quod cũ maximum naturę opus à Philosophis arbitratum sit, hoc non immeritò Moses tacitè expressit.

Et factum est ita.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit ita*. Scilicet, quòd terra habuit vires productiuas naturaliter vegetabilium. Expone, *vt suprà*.

Vers. 12. Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum: lignúmque faciens fructum, & habens vnunquodque sementem secundùm speciem suam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et protulit terra germen, herbam seminificantem semen generi suo: & lignum faciens fructum, cuius semen eius in ipso generi suo*. Non explicatur per hæc verba id, quod significatur per illa verba: *Et fuit ita*. quoniam per illa verba: *Et fuit ita*. significant terram ex interna vacuitate mutatam esse in plenitudinem virtutum internarum ad producendum vegetabilia: hæc autem verba: *Et protulit terra*, &c. significant ex terra ablatam externam vacuitatem: ita quòd exteriùs plena est terra vegetabilibus. Nec solùm significatur terræ plenitudo exterior; sed etiam modus plenitudinis dicendo: *Et protulit terra*. manifestè enim per hoc significatur, quòd ipsa terra generauit vegetabilia: vt intelligamus, quòd Deus non produxit immediatè vegetabilia, sed mediante terra: non tamen in tempore, sed virtute diuina in eodem instanti suscepit terra virtutem productiuam, & productionem cum effectu producto: ita quòd, quicquid vegetabilium produxisset naturaliter terra in spatio vnius anni, seu multorum annorum (vt diuersa vegetabilia exigunt ad sui perfectionem;) produxit tunc terra virtute diuina in instanti: credimus enim omnia producta esse in statu perfecto: sicut constat hominem productum, non infantem, sed perfectum: & in Paradiso terrestri constat fuisse arbores cum fructibus à principio: in cuius signum non describitur: Herbauit terra. sed, *Protulit terra*.

Aduerte hîc, quàm consequenter, ac gradatim perfectiones vniuersi Moses describit. Post alterationem siquidem elementorum, aquæ, & terræ, ad generationem imperfectorum mixtorum procedit, ascendendo vsque ad primum gradum viuentium: ita quòd vniuersum, secundùm

eundùm perfectionem, quam habet ex motibus alterationis, & generationis augmenti vsque ad infimum gradum viuentium inclusiuè, materia est tertij diei.

Et vidit Deus, quòd esset bonum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vidit* אלהים, *quod bonum*. Expone, *vt suprà*.

Vers. 13. Et factum est vespere, & mane, dies tertius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit vespera, & fuit mane, dies tertius*. Intellige, *vt suprà*.

Vers. 14. Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli: & diuidant diem, ac noctem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit* אלהים: *Erit luminaria in extensione calorum ad diuidendum inter diem, & inter noctem*. In singulari numero legendum est, *erit*, *luminaria*, in plurali numero: subauditur enim lux primo die creata. Et est sensus: *Lux erit luminaria*. ita quòd distinctio lucis in luminaria ad literam describitur. In primo enim die consideratur ipsa lux secundùm se, non considerata diuisione, seu diffusione ipsius in Solem, Lunam & stellas. Dico autem diuisione, vel diffusione: quia incertum nobis est, an stellæ sint ex se lucentes, an recipiant lumen à Sole: in quarto autem die eadem lux consideratur, vt distincta in plura luminaria, & stellas.

Occurrit autem hîc aduersùs Mosen quæstio: eò quòd præposterum definierit ordinem operum tertij diei, & quarti: nam opera tertij diei præsupponunt opus quarti, & non è conuerso: distinctio siquidem luminarium, & stellarum, prior est secundùm naturæ ordinem, quàm condensatio aquarum, & eleuatio terræ, & vniuersa congeries vegetabilium: quum hæc dependeant ab astris, & non è conuerso. Solutio est, quòd distinctio lucis in astra, potest considerari dupliciter: vel, quatenus est in astra absolutè: vel, quatenus est in astra secundùm officia in textu expressa. Et distinctio quidem lucis in astra absolutè, prior naturæ ordine est condensatione aquarum, & apparitione terræ, cunctisque vegetabilibus: quoniam distinctio per se incorruptibilium partium vniuersi, quales sunt astra; prior naturaliter omni alteratione est. [z] Distinctio verò lucis in astra relatiuè ad hæc officia, posterior est naturæ ordine causis operum tertij diei: quod est dictum. Quòd si non esset distinctio lucis in astra relatiuè ad hæc officia, saluæ essent causæ sufficientes ad opera tertij diei: hoc est, quòd cælestia corpora, vt præueniunt distinctionem horum officiorum, sufficiunt ad causandum, quicquid descriptum, & factum in tertio die est: & propterea Moses non violauit naturæ ordinem in operibus horum dierum. Verum tamen est, quòd distinctionem lucis in astra absolutè, silentio præteriuit, ne impedimentum futuris cautelis apponeret: sciebat enim se mandaturum Deuter. 4. *Ne fortè eleuatis oculis ad calum, videas Solem, & Lunam, & omnia astra cæli; & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub calo sunt.* Ob hanc siquidem rationem meminit Moses solius distinctionis lucis in astra, quatenus sunt officiosa nobis. Et propter hoc significanter, absque nota coniunctionis in textu dicitur: *Erit luminaria in extensione calorum, ad diuidendum inter diem, & inter noctem*, &c. & non dicitur: *Erit luminaria in extensione calorum, & diuidant.* vt vulgata editio habet: clarè enim textus ipse significat, Deum dixisse, quòd erit lux in luminaria ad officium diuidendi, & reliqua subiuncta officia. Appellatione luminarium intellige astra omnia; videlicet, Solem, & Lunam, & stellas.

[z] Non est verisimile, vt Auctor annotat, quòd dum plantæ in terris orirentur, cælum sine Sole & stellis esset. Hinc fit, quòd multi sentiant, licèt luminariũ, aëris, & plantarum creatio descriptione secernantur, nõ propterea debet hæ res diuersæ putari. Nã sic Moses descripta hoc capite hominis creatione, cùm iam 2. mulieris formationẽ describeret, tunc hominem è luto factum, & alia quædam priùs omissa repetit. Quis tamẽ hæc diuersis temporibus facta intelligat. Sic hoc loco, licèt lucis primo die factæ noua hîc descriptio adducatur, debet hoc per repetitionẽ intelligi. Idcircò factum, vt causam creationis luminarium exprimeret, vt cæli ornatus historia cõnexa esset, nec separatim tanquàm cæsa mẽbra describeretur. Nam, cùm totam creationẽ Moses ante oculos haberet, alterum post aliud ei dicẽdum erat, secutúsque est iter, quod natura mõstrabat, ordinem terrestrium aggressus, ipsóque finito ad astra reuertitur iã rutilantia: nam eodem tempore, quo aër fiebat, terra nudabatur, stirpes è terra prodibant, Spiritus quoque Domini ornabat cælos, Iob. 26. Quod opus, cùm esset immensũ, ad quartum diem vsque processit, astrísque completis, dies quartus factus est.

Adiungitur autem, *in extensione calorum*; ad differentiam primi mobilis, quod appellatum est, *aqua super extensionem*. In primo enim mobili nullum decretum est astrorum, sed in cælis sub eo, qui extensio, siue expansio cælorum appellatur. Officium verò, quod primò explicatur ad diuidendum inter diem, & inter noctem; non est illud met officium, quod primo die fecit Deus per lucem: quoniam ibi est sermo de diuisione situali secundùm vicissitudines inter diem, & noctem, vt ibi declaratum est: hîc autem est sermo de diuisione secundùm lumen inter diem, & inter noctem. Multùm enim differt lumen nocturnum à lumine diurno: & videmus, lumen nocturnum esse à stellis, & Luna; lumen autem diurnum à Sole: & propterea Moses distinctioni luminarium attribuit hanc diuisionem inter diem, & inter noctem, in quarto die: quæ diuisio non cadebat sub consideratione primi diei, in qua lux absque diuisione considerabatur.

Et sint in signa, & tempora, & annos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erunt ad signa, ad tempora, ad dies, & annos.* Ecce officia multa astrorum: & decernuntur futura in signa, tum descripta in Zodiaco, tum innumerabilium effectuum; corporalium tamen, & ab his dependentium. In tempora verò, quatenus sunt in opportunitates temporum collatas, seu conferendas ab astris: innumeras siquidem commoditates temporum conferunt astra; sed nos non nouimus, seu discernimus, quando sunt. In dies autem, obseruandos à Medicis, nautis, agricolis, & huiusmodi. In annos demum, Lunares, Solares, Martiales, Saturninos, & magnos.

Vers. 15. Vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erunt luminaria in extensione calorum, ad illuminandum super terram.* Locus decretus astris ad antedicta officia, reperitur ad hoc etiam officium, videlicet, illuminandum super terram. Lux facta in primo die non illuminabat super terram, sed super aquas: quoniam terra cooperta vndique erat immensa magnitudine aquarum: officium verò astrorum quarto die describitur, illuminare super terram, quæ iam tertio die fuerat detecta.

Et factum est ita.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit ita.* Expone, *vt suprà*.

Vers. 16. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei: & luminare minus, vt præesset nocti; & stellas.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecit* אלהים *duo luminaria grandia: luminare grande in potestatem diei, & luminare paruum in potestatem noctis; & stellas.* Non est sensus, quòd postquàm fuit ita, sicut dixit Deus. quòd fecerit Deus duo luminaria, (facere enim præcedit esse:) sed est sensus, quòd fuisse ita, vt dixit Deus, effectum est hoc modo, videlicet, quòd fecit Deus duo luminaria: ita quòd

priùs

priùs deſcribitur terminus : *Et fuit ita.* & poſteà deſcribitur modus, quo factum eſt, quòd fuit ita. Deſcribitur autem modus, excludendo agentia media, dicendo : *Et fecit* אלהים. ad differentiam modi deſcripti in tertio die : *Et produxit terra.* Et quum prænominaſſet luminaria abſque certo numero, modò numerum binarium determinat luminarium grandium, ſubiungendo, *& ſtellas* : ad inſinuandum, quòd appellatione luminarium comprehendebantur aſtra omnia.

Quòd autem dicit, *duo grandia*, ſecundùm apparentiam loquitur : nam alterũ [a] luminare (hoc eſt, Luna) grande eſt ſecundùm apparentiam relatiuè ad ſtellas, quum ſecundùm veritatem longè minus ſit ſtellis : terra ſiquidem ſupputatur centeſimaoctogeſima pars verè grandis luminatis, quod eſt Sol : Luna verò vigeſimaoctaua pars terræ ſupputatur : quælibet autem ſtellarum fixarum viſu notabilium maior terra dicitur. Vnde patet, quàm paruum luminare ſecundùm veritatem ſit Luna : quæ, quia propinquiſſima eſt nobis, apparet maior qualibet ſtella. Vnde & Moſes ad inſinuandum, quòd ſecundùm apparentiam dixerat, *duo luminaria grandia*, ſtatim diſtinguit inter ea, vnum appellando luminare grande, & alterum luminare paruum : vt intelligamus, quòd ſecundùm rem eſt paruum.

[a] Sed ſunt, qui dicant, nulla ratione conuinci, Solem maiorem eſſe terra, aut aſtra maiora Sole : nam ad quid tanta ſyderum magnitudo, cũ lucẽ à Sole fortè mutuentur? Sed friuolum eſt de harum magnitudine contendere.

Quòd autem dicitur, *in poteſtatem diei, & in poteſtatem noctis* ; officia ſignificantur potentiarum Solis in die, & Lunæ in nocte : maximè enim apparet potentia Solis in die, & ſimiliter maximè apparet potentia Lunæ in nocte : ſtellarum autem potentiis, quanuis non magis diem, quàm noctem Moſes aſſignet ; (quia nec apparet eàrum potentias plùs efficere die, quàm nocte, aut è conuerſo ;) ſecundùm tamen apparentiam directiuam nocti adiunguntur.

Verſ. 17. Et poſuit eas in firmamento cæli, vt lucerent ſuper terram ;] *Verſ.* 18. & præeſſent diei, ac nocti ; & diuiderent lucem, ac tenebras.] Iuxta Hebræũ habetur : *Et dedit ipſas* אלהים *in extenſione calorum ad illuminandum ſuper terram, & ad præſidendum in die, & in nocte ; & ad diuidendum inter lucem, & inter obſcuritatem.* Deſcripſerat dictum à Deo, non ſolùm quòd erunt luminaria, ſed vbi erunt : videlicet, quòd erunt in extenſione cælorum : & propterea, quum declaraſſet executionem primi dicti, dicendo : *Et fecit Deus*, &c. modo declarat executionem ſecundi dicti, explicando locum, in quo poſuit Deus aſtra ; dicendo : *Et dedit ipſa Deus in extenſione calorum.* Et ſubiungit tria officia eorundem in illo loco, hoc eſt, *in extenſione calorum.* Et repetit hæc officia relatiuè ad aſtra iam locata, ad ſignificandum, quòd hæc officia executioni mandantur ab aſtris, non quomodolibet, ſed locatis in cælis citra ſupremum. Et explicauit hoc, vt intelligeremus, quòd aſtra ſunt data expanſis cælis, vt hæc officia exerceant ſecundùm motus cælorum : hoc enim ſignificare videtur, dicendo : *Et dedit ipſa in extenſione calorum.*

Nec intelligas aſtra data, vt locata in loco propriè, ſed quaſi : ſunt enim in cælis, vt pars eſt in toto : quæ quaſi eſt vt locatum in loco. Et officia quidem hæc iam declarata ſunt, nec noua egent expoſitione, ſed excitatione, vt reſpectiuè intelligãtur : videlicet, ad præſidendum in die, & in nocte, præſidentiam diei attribuendo aſtro Solis, & præſidentiam noctis attribuendo aſtro Lunæ, & ſtellis quoad directionem noſtrorum operum.

Et vidit Deus, quòd eſſet bonum.] Iuxta Hebræum habetur : *Et vidit* אלהים, *quòd bonum.* Expone, *vt ſuprà.*

Verſ. 19. Et factũ eſt veſpere, & mane, dies quartus.] Iuxta Hebræum habetur : *Et fuit veſpera, & fuit mane, dies quartus.* Quod intellige, *vt ſuprà.* Ex quibus apparet, quòd materia quarti diei eſt vniuerſum, quatenus perfectum aſtris ad tot officia mutationum, tum ſignificando, tum efficiendo.

Verſ. 20. Dixit etiam Deus : Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram in firmamento cæli.] Iuxta Hebræum habetur : *Et dixit* אלהים : *Reptilificabunt* [b] *aquæ reptile anima viua : & volatile volabit ſuper terram, ſuper facies extenſionis calorum.* Diximus, *reptilificare*, quemadmodum dicimus, animalificare, & ouificare. Oportuit autem nouum verbum effingere, vt Hebræum verbum exprimeretur. Nec ſignificat purum efficere reptile : ſed ſignificat efficere in multitudine. Et aptè productionem piſcium appellauit, *reptilificare*, eò quòd in magna multitudine piſcis producitur : vt innumerabilitas ouorum piſcis teſtatur. Et ſignificatur per, *reptilificabunt*, decreta ab æterno virtus danda in initio temporis aquis ad producendum piſcem in multitudine.

[b] Dum terra ab aquis retecta, virgulta produceret, dumque Conditor cæleſti ornatui à primo die inchoato ſummam manum imponeret, aquæ etiam non ceſſabant. Cur enim quintum diem expectaſſet? Itaque & ipſæ paſſim feruentes ſuos piſces producebant. Nec ei, nec mari tamen prolificatio ſic quinto diei accommodanda, quaſi prioribus diebus nullum principium habuerit, ſed quod eo die expleta ſit : poſſunt enim multa diuerſis temporibus fieri, quæ ſimul dici non poſſunt.

Et quum legis : *Reptilificabunt reptile.* memento Hebraïci idiomatis, quemadmodum *ſuperiùs* dictum eſt, *feminificare ſemen.* Et ſignificauit piſces à rependo, (hoc eſt, à naturali motu progreſsiuo piſcium,) ad differentiam, tum gradientium, tum volantium. Et dixit, *anima viua*, vulgo ſermonem conformando : vulgus enim non exiſtimat viuere, niſi ea, quæ ſentiunt. Propter hoc enim nomen animæ viuæ non attribuit *ſuperius* vegetabilibus, ſed reſeruauit animalibus : ex ſenſu ſiquidem, & motu locali manifeſtatur anima viua vitalibus motibus manifeſtis : ad differentiam ſiquidem vegetatiuæ animæ dixit, *anima viua*, tanquam vegetabilia viuant, non per animam, ſed viriditatem.

Ex eo autem, quòd ſubdit : *Et volatile volabit.* excluditur ſenſus vulgatæ editionis, ſonantis, quòd aquis [c] datum eſt producere etiam volatile : tacet enim hîc Moſes productiuum volatilium, quod *inferiùs* in 2. cap. explicabit : motum tantum cum loco hîc explicat : motum quidem progreſſiuum naturalem dicendo, *volabit* ; locum autem motus dicendo, *ſuper terram, ſuper facies extenſionis calorum* : hoc eſt, nõ multùm longè à terra ſuper facies aëris ; vt ex ipſo celſiori loco ſignificatam intelligamus perfectiorem naturam eſſe generis volatilium genere piſcium. Et hîc clarè apparet, quod *ſuperius* diximus, appellatione extenſionis cælorum comprehendi à Moſe non ſolùm orbes, in quibus ſunt aſtra ; ſed orbes ignis, & aëris. Superficies itaque aëris prope terram deſcribitur naturalis locus volationis, in cuius ſignum tempore diluuij, Noë ſaluauit volatilia in arca. Iunxit autem Moſes piſcibus volatilia, non ratione productiui vnius, (quum oppoſitum *inferius*

[c] Etſi liber iſte Authoris ſententiam amplectatur, non perinde videtur Philoſophiæ contrariũ auium generationẽ aquis tribuere : ſiquidem hoc teſtatur prodigioſa illa auiũ productio, ex foliis arborum delapſis in aquas ; tum tot genera volucrũ, ſtagna, & lacus nunquam deſerentium teſtantur, ſuam originẽ ex aquis eſſe. Quæ verò ab aquis longiùs diſceſſerunt, cum ſedibus colorem mutantes, quãuis in terris ex propagatione naſcantur ; credibile tamen eſt ab aquis ortum duxiſſe. Nec ſine cauſa auium, & piſcium permixta creationis deſcriptio à Moſe facta eſt.

ferius explicetur:) sed ideò sub vno, eodémque die comprehendit: quia, tam pisces, quàm volatilia ex vniuerso suo genere sunt animalia imperfecta. Quod ex eo manifestè patet, quòd nec piscis aliquis, nec volatile aliquod animalificat in seipso, sed tantùm ouificat. Dixit autem, *ex vniuerso suo genere*, ad differentiam animalium terrestrium, quorum aliquibus tantùm conuenit non animalificare in seipsis. Inchoauit autem à piscibus, & ascendit ad volatilia: quia pisces sunt imperfectiores auibus. Quod manifestè patet ex eo, quòd pisces habent minùs distincta membra.

Vers. 21. Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas; & omne volatile secundùm genus suum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et creauit* אלהים *dracones grandes, & omnem animam viuam, quæ repens, quam reptilificauerunt aquæ generibus suis; & omne volatile in genere suo.* Priùs descripsit virtutem decretam ab æterno aquis ad producendum pisces; & decretum, quòd volatile volet super aërem prope terram: modò describit creationem vtrorunque. Vbi perspicaciter aduerte, quòd non absolutè dicit, quòd Deus creauit hæc, (quemadmodum absolutè dixerat, quòd creauit cælos, & terram:) sed adiungit: *quam reptilificauerunt aquæ.* ad significandum, quòd non creauit ex nihilo, sed illa met Deus creauit, quæ aquæ reptilificauerunt: ita quòd simul creauit illa Deus, & aquæ reptilificauerunt illa: vt intelligamus, quòd Deus effecit illa mediantibus aquis eodem modo, quo exposuimus terram produxisse tunc ligna fructifera. Vtitur autem verbo creationis, ea (*vt reor*) ratione: quia anima viua in hûc diem reseruata, est anima sensitiua: cognoscere autem, & seipsum mouere, diuinum quid est, vniuersæ naturæ vires excedens: ad huiusmodi siquidem eminentiam significandam dixit Moses, *creauit*: tanquàm non ex inferioribus elementis, sed ex celsiori diuina participatione corruptibilia hæc habeant animam viuam; hoc est, quæ cognoscunt, & seipsa mouent. In cuius rationis signû, non dicit Moses: Et omne reptile animæ viuæ. sed dicit: *Et omnem animam viuam.* Et meminit in primis draconum grandium, ad tollendum errorem existimãtium, huiusmodi animalia non esse producta ex intentione diuina; sed velut ex necessitate materiæ. Mutila autem oratione accipe dictum, *quæ repens.* subauditur enim verbum substantiuum, *est.* Et ad differentiam animalium repentium in terra, adiungitur: *Quam reptilificauerunt aquæ generibus suis.* Quod autem dictum est de piscibus, quòd creati sunt mediantibus aquis, proportionaliter intellige de volatilibus, quæ creata sunt mediante eorum productiuo naturali: quod, quia occultius est, tacitum est à Mose, explicandum inferiùs sub ratione tantùm principij materialis. Et dicit: *Volatile alæ.* ad exprimendum naturalia organa ad volandum; hoc est, motum progressiuum: vt ex ipsa distinctione organorum ad motum localem, etiam significetur maior perfectio volatilium, quàm aquaticorum animalium: pisces enim organa ad motum localem valdè indistincta habent.

Et vidit Deus, quòd esset bonum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vidit* אלהים, *quod bonum.* Expone, *vt supra.*

Vers. 22. Benedixitque eis dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris: auésque multiplicentur super terram.] Iuxta Hebræum habetur: *Et benedixit ipsa* אלהים, *dicendo: Fructificate, & multiplicate, & implete* [d] *aquas in maribus: & volatile multiplicabit in terra.* Nouum genus rerũ describi manifestat reseruata benedictio: hactenus siquidem non est benedictionis mẽtio facta. Et verè nouum genus rerum est, quod diuersitate sexuum, quod coniunctione seminũ ex cõmixtione maris, & fœminæ gaudet: & propterea vis ipsa sic generatiua referenda & applicãda ad actionẽ ob conseruationem speciei, per huiusmodi benedictionem significatur: benedicere enim Dei, est benefacere: & propterea significanter explicatur, quòd *benedixit dicendo*: diuinũ siquidem dicere tam efficax est, vt sit benefacere. Et dicendo: *Fructificate.* Insinuat, quòd perfecta sunt creata: fructificatio enim actio est perfectorum animalium. Et ne numerus fructus paruus intelligeretur, adiungitur: *Et multiplicate.* & ne arctitudo loci obstaret, subditur: *Et implete aquas in maribus.* Volatilibus autem decernitur terra in multiplicatione: quia in terra, seu in iis, quæ in terra sunt, nidificant aues, & multiplicantur.

[d] Foud expressa est hæc aquatilium benedictio à Mose: vt intelligeres, vnde numerosa illa piscium multitudo proueniret: nimirum, ex illius benedictionis vbertate: at non immeritò ornatus cæli creationi, piscium creatio subiungitur. Nam Luna humiditatũ mater, & quæ in aquis præcipuè dominatur, ad quintæ diei opus exequendũ necessariò præcessit.

Vers. 23. Et factum est vespere, & mane, dies quintus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit vespera, & fuit mane, dies quintus.* Intellige, *vt supra.*

Vers. 24. Dixit quoque Deus: Producat terra animam viuentem in genere suo: iumenta, & reptilia, & bestias terræ secundùm species suas.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit* אלהים: *Producet terra animam viuam generi suo: iumentum, & reptile; & bestiam terræ generi suo.* Dicendo: *Producet terra.* significat decretam esse terræ vim productiuam terrestrium animalium. Dico autem vim productiuam, & non tantùm materialem: quoniam de principio tantùm materiali nõ verificatur, quòd producat: nunquam enim lignũ producet lectulum, nunquàm lana producet indumentum. Vnde non est vertendum in dubium, significari decretam esse terræ [e] vim productiuam iumentorum, bestiarum, &c. Modus autem, quo hoc verificari potest, duplex assignatur. Alter est, vt terra afflata cælesti influxu, habeat vim productiuam istorum, quemadmodum habet vim productiuam multorum animalium imperfectorum: existimarunt enim quidam Philosophi, tali modo posse produci quæcunque animalia perfecta. Et hunc sensum sonare videtur prima fronte textus iste, dicendo: *Producet terra.*

[e] Asserũt aliqui, hæc etiam ideò dicta, vt intelligamus, summũ Opificem cũ secundis causis multa ex hoc opificio perfecisse, & ante particulares effectus vniuersales causas excogitasse, sicut & abyssum & terram primò iecit, vnde stupenda sapientia cuncta deponeret.

Obstant autem huic sensui duo: alterum est, quòd non est certum, hoc modo posse generari omnia hæc animalia perfecta: alterum est, quòd, quamuis sub virtute productiua decreta terræ comprehendantur, etiam vires terrestres, quæ rarò contingunt; per se tamen primò continentur productiuæ vires terrestres, quas frequenter terra exercet: imò ad hoc Moses describit priùs virtutes productiuas herbarũ decretas terræ, & virtutes productiuas iumentorum, & bestiarum decretas terræ, vt significet

vires

vires naturales, quibus hæc elementa naturaliter viuta sunt ad productionê herbarum quamuis Deus primo vice suppleuerit efficiendo prima indiuidua in esse perfecto: primas herbas, primas arbores, primos pisces primas bestias, &c. Vnde, quemadmodum, quum decretum fuit: *Germinabit terra germen*, &c. vires terrestres naturales ad producendum vegetabilia, quas terra continue exercet, significantur: ita, quum dictũ est: *Reptilia abundent aquæ.* & proportionaliter modò dicitur: *Producat terra.* vires aquaticæ productiuæ piscium, quas frequenti vsu exercêt aquæ producendo pisces. & vires terrestres productiuæ iumentorum bestiarum, quas frequenti vsu exercet terra, significantur: mixta siquidem terrestria significantur appellatione terræ, & mixta aquatica appellatione aquarum. Ita quòd semina productiua terrestrium animalium significantur: perinde ac si dictum fuisset: Producent terrestria mixta iumentum, & bestias, &c quod quotidie videmus fieri. Et simile proportionaliter intellige de aquis in die quinta. Et hic sensus nullum habet obstaculum. Et significanter dicit, *animam viuam*, ad insinuandum, quod anima sensitiua producitur virtute mixtionis naturalis: ac per hoc est anima corruptibilis secundum totum genus suum.

Et factum est ita.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit ita*. videlicet, quod terra habuit vires productiuas omnium animalium terrestrium.

Vers. 25. Et fecit Deus bestias terræ [f] iuxta species suas, iumenta, & omne reptile terræ in genere suo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecit* אלהים bestiam terræ generi suo, & iumentum generi suo, & omne reptile terræ generi suo. Prima indiuidua animalium terrestrium facta esse a Deo, (non producta à viribus terrestribus,) describuntur: naturæ enim ordo habet, vt perfecta sint priora imperfectis, vt animalia sint priora suis seminibus. Arctat autem tam bestias, quam reptilia, adiiciendo, *terræ*: ad differentiam bestiarum aquaticarum, & similiter reptilium aquaticorum. Quam arctationem non oportuit adiungere iumentis: quia nullum aquaticum animal est nostrum iumentum.

[f] Dũ aquæ suos pisces producerent, generabantur simul & animalia fiebâtque nutu Dei, quòd humus ipsa cõuerteretur in carnes, eo limũ commodè ad id disponente. Nã omnia quæcunque voluit, fecit in cęlo, & in terra. Fortè hinc Ethnici terram omnium genitricem, ac matrem nominarunt.

Et vidit Deus, quod esset bonum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vidit* אלהים, *quod bonum*. Expone, *vt supra*. Aduerte, quòd ex industria Moses omittit benedictionem animalium irrationalium terrestrium, ad insinuandum, quòd non assumpsit propriam singula sigillatim explanandi: sed multa omittit ex industria, quæ tamen ex manifestis percipi à sapientibus possent.

Vers. 26. Et ait.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit* אלהים Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.] Iuxta Hebræum habetur: *Faciemus hominem ad imaginem nostri, sicut similitudinem nostri.* Nouum [illegible] à Deo describitur, *Faciemus*: hactenus siquidem descriptum est: *Dixit Deus. Fiat lux. Fiat [illegible]. Fiant luminaria. Congregentur aquæ. Germinet. Producant.* Modò describitur, quod dixit Deus: *Faciemus hominem*. Et est duplex nouitas: altera, quæ significat, se facturum: altera, quæ numero plurali hoc significat, non dicendo, Faciam, sed, *Faciemus*. Et ratio quidem primæ nouitatis in promptu est creatio hominis secundum animam intellectiuam. In reliquis enim a Deo dictis nihil significatum est per modum creationis efficiendum: vt patet discurrendo per singulos dies: nam primo die dictum est: *Erit lux.* quæ per modum consequentis proprietatis fit: secundo autem: *Erit extensio.* quæ manifeste præsupponit rem quantam: quarto autem die: *Erunt luminaria.* subintelligendo, quòd lux erit luminaria: reliquorum autem dierum dicta manifeste a modo creationis distant. Ad insinuandum itaque, decreuisse Deum ab æterno, quòd hominem faciet ipse per seipsum, creando intellectiuam animam hominis ex nihilo; describitur quod dixit Deus: *Faciemus hominem.*

Numero autem plurali dicit, *Faciemus* ad insinuandum mysterium pluralitatis diuinarum Personarum. Ad quod etiam magis explicandum non dicit, Faciemus ad imaginem mei, & sicut similitudinem mei, sed dicit, *ad imaginem nostri*, seu nostram, *sicut similitudinem nostri*, siue nostram. huiusmodi enim pronomen pluralitatem Personarum manifeste sonat: quemadmodum & verbum, *Faciemus*. Et si hæc duo iunxeris, perspicies, significari hoc textu, quòd eædem personæ sunt facturæ hominem, ad quarũ imaginem fiet homo: vt hinc clarè appareat, quod hic sermo non potest esse Dei ad Angelos: quoniam Angeli non sunt creaturi simul cum Deo ad faciendum hominem: quia à solo Deo creatur homo secundùm animam intellectiuam, ratione cuius dictum est: *Faciemus hominem ad imaginem nostri.* homo enim secundùm animam intellectiuam est ad imaginem Dei, eò quod supremus gradus rerum est ordo intellectualium rerum: in hoc enim ordine est Deus secundùm propriam ipsius naturam: & propterea anima intellectiua in eodem existens ordine, ad imaginem Dei est, & dicitur; ad differentiam omnium rerum sensibilium, & imaginabilium, quarum nulla ascendit in ordinem rerum intellectualium. Ad significandum itaque, quod homo secundùm animam [g] repræsentat Deum, tanquam res eiusdem ordinis, (videlicet, gradus intellectualis,) dicitur: *Faciemus hominem ad imaginem nostri.* Et ne erraremus intelligendo, quod homo secundùm animam esset ad imaginem Dei, sic quòd esset Deo similis similitudine specifica, aut generica; subiunctum est: *Sicut similitudinem nostri*, aperte significando, quod [illegible] hominem ad imaginem [illegible] [illegible] nobis, sed velut [illegible] nobis vt [illegible] [illegible] [illegible] similitudine Dei [illegible] vtrunque verum, nam anima intellectiua præstat [illegible] sensibilium terrenorum [illegible] quod est intellectualis ordinis [illegible] ipsa esse natura, & propter hoc est ad imaginem Dei. & quia nec etiam generalis est similitudo animæ ad Deum, ideò dicitur, *Sicut similitudinem nostri.*

[g] Si naturæ rationalis ad bonum propensionem, & quæ iter, vt Plato ait, iudicio mentis ad virtutes conciteter, contemplemur denique ipsius dignitatẽ, intelligẽdi vim, libertatem, & imperium consideres; perspicue videbis, omnes hominis dotes non nisi Dei meras esse similitudines.

Et præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, vniuersæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.] Iuxta Hebræum habetur: *Et subiugabunt in piscem maris, & in volatile cælorum, & in iumento, & in tota terra, & in omni reptili, quod repens super terram.* Ecce effectus hominis, secundùm

quod

quod est ad imaginem Dei: effectus, inquam, relatiuè ad alia animalia. Et dicit in numero plurali, *subiugabunt*: ad significandum, quòd non homo vnus, sed multitudo hominum subiugabit animalia. Nec minùs cautè loquitur Moses adiungendo præpositionem, *in*, dicendo, *in pisce maris, & in volatili*, &c. Significatur enim manifestè per hoc, quòd etiam multitudo hominum non subiugabit omnes pisces maris, & omnia volatilia, & omnia reliqua animantia; sed, quòd subiugabit indeterminatè in genere piscium, & volatilium, & sic de aliis: nullum siquidem exemptum animal determinatur, quin possit subiugari ab homine: sicut & nulla pars terræ ab eius subiectione eximitur. Nec prætereas, hinc haberi, consentaneum esse sacræ Scripturæ, vt omnes terræ [h] quartæ habitentur ab homine: dicendo enim, & *in tota*, seu *omni terra*, nullam terræ quartam excipit à subactione humana: imò omnes subiiciendas esse homini decernitur, quemadmodum omne animal.

[h] Hinc improbatur antiquorũ illa censura de tribus zonis inhabitabilibus: quod & Portugalensium in nouum orbem nauigationes merum figmentum esse edocuerunt.

Vers. 27. Et creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam: ad imaginem Dei creauit illum; masculum, & fœminam creauit eos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et creauit* אלהים *hominem ad imaginem sui: ad imaginem* אלהים *creauit eum: masculum, & fœminam creauit eos.* Executio decretæ ab æterno efficientiæ describitur in numero singulari: non enim dicitur: & creauerunt, sed, *& creauit*. Repetit autem Moses, quòd ad imaginem Dei creauit eum, tum ad tollendum sensum eorum [i], qui intellexissent, quòd ad imaginem Angelorum creatus fuisset homo: tum ad arctiùs imprimendum hominibus tanti magnitudinem beneficij, quòd ad imaginem Dei creatus est homo.

[i] Vnde apertè conuincuntur Hebræi, qui sententiam illam: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, &c. Dei ad Angelos locutionem esse peruersè intelligebant.

Quòd autem subdit: *Masculum, & fœminam creauit eos.* Dominus IESVS in Euangelio dignatus est aperire, scriptum esse ad significandum institutionem coniugij in specie humana à Deo in principio creationis: nusquam enim in productionibus reliquorum animalium mentio facta est maris, & fœminæ; sed reseruata est distinctio sexus explicanda in specie humana: quia in sola specie humana instituit Deus commixtionem maris, & fœminæ per modum coniugij: in hoc enim præstat homo cæteris animantibus, quòd in reliquis animalibus mas, & fœmina iunguntur ad generandum ex appetitu sensitiuo: in specie autem humana mas, & fœmina coire debent ex appetitu rationali: propter hoc enim Scriptura apposuit creationem maris, & fœminæ immediatè creationi hominis ad imaginem Dei, vt intelligeremus, vsum maris, & fœminæ in specie humana, debere esse secundùm id, quòd sumus ad imaginem Dei; hoc est, secundùm rectæ rationis ordinem, (quod est per modum coniugij:) & non secundùm appetitum sensitiuum, vt reliqua animalia coëunt.

Aduerte hîc, prudens lector, mulierem creatam esse sexto die: hoc enim clarè Textus dicit: in quo & modum loquendi non prætereas: nam, quum de creatione ad imaginem Dei sermo habetur, singulari numero dicitur, *hominem:* & repetendo dicitur pronomen, *eum:* quum vero diuersitas sexus creatur, plurali numero dicitur, *eos*: ea proculdubio ratione, quia imago Dei communis est cuique homini; sexus autem discernit inter eos.

Vers. 28. Benedixítque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terrã, & subiicite eam: & dominamini piscibus [k] maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.] Iuxta Hebræum habetur: *Et benedixit eos* אלהים, *& dixit ad eos* אלהים: *Fructificate, & multiplicate, & implete terram, & acquirite eam: & subiugate in pisce maris, & in volatili cælorum, & in omni bestia, quæ repens super terram.* Quia mas, & fœmina humanæ speciei rationales sunt, ideò describit Moses, Deum eos primùm allocutum, *& dixit ad eos Deus:* quod nunquam relatiuè ad alia animalia descriptum est. Et dicendo in numero plurali, *ad eos*, &c. manifestat, quòd iam creata erat mulier hoc sexto die, quando data est benedictio hæc, iuxta planum literæ contextum.

[k] Quæ h[...] scribuntur [...]atim, d[...] cap. 2. pe[...] fusiùs ex[...]buntur: [...] scriptio[...] tio cre[...] primæ.

Et similiter dicitur ad solos homines: *Acquirite eam*, (scilicet, terram, proculdubiò ad fructum, & habitationem:) quia solus homo terram, & colit ad fructum, & in habitacula ædificat. Reliqua expone, *vt suprà*: intelligendo tamen in vltima particula, *in omni bestia, quæ repens super terram*; subintelligendum esse aduerbium, *etiam*: est enim sensus: & in omni bestia, etiam quæ repens est super terram: comprehendit enim vtrunque bestiarum genus, & reptantium, & gradientium: serpentes enim in genere sunt bestiarum reptantium.

Vers. 29. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam.]

Vers. 30. Et cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, & vniuersis, quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum.] Iuxta Hebræum habetur sic: *Et dixit* אלהים: *Ecce dedi vobis omnem herbam semificantem semen, quæ super facies totius terræ, & omne lignum, cuius in ipso fructus: lignum semificans semen vobis erit ad escam, & omni bestiæ terræ, & omni volatili cælorum, & omni reptanti super terram, cuius in ipso anima viua, omnis viriditas herbæ ad escam.* Postquàm descripta est productio rerum omnium, & prouisum conseruationi specierum animalium corruptibilium per virtutem generatiuam, supererat, vt prouideretur conseruationi animalium in indiuiduis per alimentum: & hæc prouisio modo describitur.

In qua tres sunt difficultates: prima circa literam: duæ circa rem.

Circa literam quidem, eò quòd non apparet constructio: *Ecce dedi vobis omnem herbam* ad quid dederit. Solutio est, quòd illa particula, *ad escam*, seruit vtrique verbo: videlicet, *dedi*, & *erit*. Secunda est circa rem: quia solæ herbæ dicuntur datæ in cibum aliis animalibus. Solutio est, vel quòd locutio est accumulatiua: & est sensus: Et omni bestiæ terræ, & omni volatili, & omni reptanti super terram, non solùm genus lignorum, sed omnis viriditas herbæ erit ad comedendum. Vel hæc vltima prouisio refertur ad sola animalia reptantia super terram, & sic oportet construere literam sic: Et omne

lignum, cuius in ipso fructus, lignum seminificans semen, vobis erit ad escam, & omni bestiæ terræ, & omni volatili cælorum. Et hic fiat punctus: deinde subiungatur alia oratio: Et omni reptanti super terram, cuius in ipso anima viua, omnis viriditas herbæ ad escam, supple, erit.

Circa rem quoque difficilis quæstio est de animalibus carniuoris, & volucribus multis, quo pacto verificetur, quòd eis sit prouisum de alimento fructuum, seminum, & herbarum, vt in textu dicitur. Solutio est, quòd nullum animal est, quod non possit viuere ex his; vt testatur prouisio facta à Noë pro victu animaliũ omnium in arca tempore diluuij. Tacuit autem Moses prouisionem, qua etiam prouisum est à Deo huiusmodi animalibus, vt vescantur carnibus, eò quòd huiusmodi appetitus competit istis animalibus non secundùm naturam communem illis, & reliquis animalibus; & ipse describebat prouisionem communem: quocirca relatiuè ad communem rationem animantium, appetitus vescendi carnibus, tanquàm ex necessitate materiæ consurgens inuenitur: & propterea meritò tacitus est. Quòd autem repetitur, *lignum*, ad vtrunque lignorum genus comprehendendum spectat: apparent enim ligna fructifera, & ligna non fructifera, sed seminificantia. Nec intelligas, omne lignum, omnémque herbam fuisse olim bonam ad vescendum, & modò non: sed secundùm distributionem accommodam intellige omne lignum, & omnem herbam in genere habilium ad escam: quemadmodum dicimus, cælum continet omnia corpora, intelligendo, in genere contentorum.

Et factum est ita.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit ita*. proculdubiò vt dixit Deus.

Vers. 31. Viditque Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valdè bona.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vidit* אלהים *omne illud, quod fecit: & ecce bonum valdè.* Iudicium diuinum circa totum vniuersum describitur: & quum singulæ res factæ visæ fuerint à Deo bonæ, ipsum vniuersum non bonum, sed bonum valdè visum describitur à Deo. Et apponitur aduerbium, *ecce*, ad demonstrandum, non futuram, non expectandam, sed præsentem haberi bonitatem summam ipsius vniuersi. Et significatur per hoc, quòd vniuersum est ita bonum, quòd nihil ei deficit, quòd nihil habet superflui, quòd nullam desiderat additionem.

Et factum est vespere, & mane, dies sextus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit vespera, & fuit mane, dies sextus.* Expone, *vt suprà*.

CAPVT II.

Vers. 1. IGitur perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum [a].] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuerunt finiti cæli, & terra, & omnes eorum exercitus.* Descriptis operibus sex dierum, ac per hoc producta vniuersitate rerum omnium, redit Moses ad id, vnde inchoauerat; cælos, scilicet, & terram, quum dixit: *In principio creauit* אלהים *cælos, & terram.* & summat, omnia sex dierum opera spectare ad perfectionem cælorum, & terræ: ita quòd per hæc omnia opera nihil aliud factum est, nisi quòd cæli, & terra, & eorum (cælorum, scilicet, & terræ) cuncti exercitus finiti sunt, & complementum suum acceperunt. Appellat autem omnia à luce vsque ad hominem inclusiuè producta, *exercitus cælorum, & terræ*, eò quòd, tam cælestia, quàm aërea, quàm aquatica, quàm terrestria vegetabilia, quàm terrestria animantia vsque ad hominem inclusiuè, sunt gradatim ordinata inter se se ad similitudinem exercituum: ita quòd astra sunt sic condita, & ordinatè disposita, quemadmodum si essent exercitus corporum cælestium: & similiter volatilia sunt à Deo sic disposita ordinatè, vt constituant velut exercitum inferiorum cælorum, hoc est, aëris: & similiter pisces sunt inter se sic ordinatè dispositi à Deo, vt constituant velut exercitum aquarum: & similiter herbæ, virgulta, & arbores sic à Deo ordinata sunt gradatim, vt constituant velut exercitum vegetabilium terræ: & demum animalia terrestria sunt sic disposita, vt constituant alterum exercitum terræ. Et propter tantam diuersitatem exercituum dixit in plurali numero, *& omnes exercitus eorum*: ad significandum, quòd vniuersum, quod est valdè bonum, est vnum ordine constante ex multis exercitibus suarum partium; hoc est, ex ordinatissimis gradibus in singulis partibus integratur summus ordo vnius vniuersi. Intendit siquidem, ex ordinibus secundùm singulas vniuersi partes insinuare, ipsum vniuersum esse ordinatissimum: vtpote quod ex valdè ordinatis integratur: propter huiusmodi enim ordinem metaphora exercitus vsus est: ordo siquidem multitudinis magnæ, & multitudinis graduum, maximè apparet in exercitu. Ex hoc autem ordine apparet ratio, quare Deus sub nomine Iudicis descriptus sit Creator cælorum, & terræ, & reliquorum: relucet siquidem in tot exercitibus opus iustitiæ distributiuæ.

Vers. 2. Compleuitque [b] Deus die septimo opus suum, quod fecerat.] Iuxta Hebræum habetur: *Et finiuit* אלהים *in die septimo opus suum, quod fecit.* Non aduersatur complemento vniuersi, facto in die sexto, hæc sententia, quòd finitum est opus die septimo. Dupliciter enim finisse Deum opus suum, describitur. Primò, actione positiua, qua perfectè formauit vniuersum, tanquàm supremam manum apponendo: & huiusmodi finitio spectat ad diem sextum, in quo scriptum est: *Et vidit Deus omne, quod fecit: & ecce bonum valdè.* Secundò, per negationem ab vlteriori operatione: & hoc modo describitur, septimo die finiisse Deum opus suum. Et ne intelligeretur, Deum finiisse opus suum, quod poterat facere; adiungitur, *opus suum, quod fecit*, nunquam enim Deus finit opus, quod potest facere: sed finit opus, quod facit, ita perfectè faciendo illud, vt nihil desit, vt nihil superflui habeat, vt nihil addendum sit: & cum hoc potest sempe[r] [ali]ud, & aliud opus facere.

Et requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod fecerat.] Iuxta Hebræum habetur: *Et requieuit die septimo ab omni opere suo, quod fecit.* Explicatur modus, quo finiuit Deus vniuersum die septimo, dicendo: *Et requieuit in die septimo* [c]. requies enim ab opere, cessatio est ab operando. Vnde non dicit: *Et requieuit*, absolutè: sed adiungit, *ab omni opere suo*: apertè significando, quòd non requieuit simpliciter, &

corporibus ex vno principio, sanguine, scilicet, fiunt medullæ, ossa, membra, cartilagines, & quod mirabilius, spiritus, & ipsa vita: sic ex illa congerie miranda Dei solertia omnes res productæ sunt.

[a] Illis, scilicet, sex diebus, si velis sequi Hieronymum. Et sententia quorundam est, quam refutare poteris, si libuerit, omnia ex abysso illa producta. Dicunt enim, vt quemadmodum in artificiosissimis animalium

[b] Hæc vox, compleuit, indicare videtur omnia successiuè creata.

[c] Iob 38. cap. passimque in Scripturis legimus, Deum infinitum hoc opus, & incomprehē-

nibus, creationis, videlicet, in suæ omnipotentiæ, ac celsitudinis testimonium adducere: nec vnquam voluit id nos latere, cum nihil tam Deum esse demonstret, atque hoc opificium. Ideoque singulorum dierum res, tempus, modum, & seriē, Moses studiosè obseruauit; nimirum significare volens, & totius artificii, & singularum partium creationem à nobis summo studio considerari debere, & ipsum totum opus, singulaque eius partes magnalia sunt, hincque septimum diem à Deo sanctificatum, id est, ad celebrandū destinatum tradit, vt ex septem diebus, creationis series, ordo, & modus à mundo nō ignoraretur, cui & ante Mosem Sabbathum celebre fuit.

& absolutè; sed requieuit ab vniuersi efficientia. Nec etiam dicitur, quòd requieuit ab omni opere suo absolutè; sed adiungitur, *quod fecit*: ne errares intelligendo, quòd Deus cessando ab vniuerso, cessauerit ab operando: ad hunc enim erroneum sensum excludendum adiungitur, *quod fecit*. Cessauit siquidem Deus ab efficiendo nouas creaturas; non autem cessauit ab operando, tum actione conseruatiua, tum actione gubernatiua: iuxta verbum Domini in Euangelio: *Pater meus vsque modò operatur.*

Vers. 3. Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum: quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Deus, vt faceret.] Iuxta Hebræum habetur: *Et benedixit* אלהים *diem septimum, & sanctificauit ipsum: quia in ipso requieuit ab omni opere suo, quod creauit* אלהים *ad faciendum.* Benedictio diei septimæ dicationem septimi diei ad diuinum cultum; sanctificatio verò exemptionem, seu munditiam eiusdem diei ab operibus seruilibus significat: & ratio redditur cessatio diuina ab opere condendi nouas creaturas: nullam enim creaturam posteà creauit, quæ in prima vniuersi creatione non præfuerit aliquo modo. Quocirca & ipsa sanctificatio diei septimi præcesserat in creatione vniuersi: quandoquidem vniuersa propter semetipsum creauit Altissimus. Nec propterea mundus obligatus est ad sanctificandum Sabbathum: quia (vt priùs dictum est) accommodatio est, quantùm ad diem spectat septimum, innixa veritati inditæ à Deo naturali rationi sanctificationis alicuius partis temporis ad diuinum cultum pro beneficiis diuinis recolendis. Moses enim, quemadmodum descripsit perfectiones naturales vniuersi à Deo creati gradatim, proportionaliter ad sex dierum successus; ita proportionaliter ad diem septimum, diem completi iam vniuersi describit valdè consequenter diuinum præceptum, humanúmque debitum ad recolenda diuina beneficia in aliqua temporis parte, describendo septimum diem sanctificatum & benedictum: par enim est, vt post accepta beneficia agnoscamus benefactorem quandoque, imò statim. Quod autem dicit, *ad faciendum*, finem significat cuiuslibet creaturæ: vnaquæque siquidem creata est propter proprium opus, vt finem proximum. Ac si apertiùs dixisset, quòd cuncta, quæ creauit Deus, non creauit, vt essent otiosa; sed ad opera propria facienda. Et doctè dixit: eò quòd etiam secundùm Philosophos vnunquodque est propter suum opus. Et aptè meminit hoc in loco Moses huius finis cuiuslibet creaturæ: ne putaretur, cessante Deo ab opere, quod fecit, indictam esse aliis creaturis cessationem ab operibus propriis. Nec sanctificatio Sabbathi tollit ab homine operationem propriam, propter quam factus est, prout est ad Dei imaginem: mentis enim operatio maximè exercenda instituitur in die Sabbathi, ex hoc, quòd dies ille dicatus est diuino cultui.

Vers. 4. Illæ sunt generationes cæli, & terræ, quando creatæ sunt in die [d], quo fecit Deus cælum, & terram, & omne virgultum agri. Iuxta Hebræum habetur: *Istæ generationes cælorum, & terræ, in esse creatos ipsos in die, facere* אלהים יהוה *terram, & cælos, & omne virgultum agri.* Aliud quodammodo initium facit Moses productionis mundi, ad reddendum rationem multorum difficilium circa antedicta: discurrendo partes vniuersi, & quasi supplendo omissa. Et inchoat à primis vniuersi partibus; cælis, scilicet, & terra: circa productionem enim cælorum, & terræ, quatuor difficultates soluit.

[d] Hoc loco hæc vox, *dies*, non est cum tanta præcisione accipienda: frequentissimè enim accipitur pro tempore indeterminato, vt Numerorum 7. Author annotauit.

Prima est de modo, quo generati sunt cæli, & terra: communis siquidem Philosophorum traditio habebat, quia ex nihilo nihil fit; ex immenso chaos generatos esse cælos, & terram. Contra hoc directè Moses dicit, quòd generationes cælorum, & terræ, sunt istæ; videlicet, *in esse creatos ipsos*: hoc est, non sunt generati ex chaos; sed per creationem. Et dicit, *generationes*, in numero plurali, propter pluralitatem productorum.

Secunda difficultas est circa tempus productionis cælorum, & terræ. Et hæc etiam ex ipso Mosi textu fouebatur: nam ante descriptam productionem lucis, sine qua, nec intelligi potest, tam dies, quàm nox, descripserat creationem cælorum, & terræ: propter quod consueuit dici, quòd creatio cælorum, & terræ fuit ante omnem diem. Hanc difficultatem soluendo adiungit, *in die*: vt intelligamus, (prout *superiùs* declaratum fuit,) quòd in initio diei primi creati sunt cæli, & terra.

Tertia difficultas est circa productorem cælorum, & terræ; an ipse Deus per seipsum creauerit cælos, & terram; an mediantibus causis secundis. Et hæc etiam difficultas fouebatur ex textu Mosi: ex eo, quòd producentem cælos, & terram, & reliqua vniuersi, nominauerat, non nomine proprio ipsi Deo, sed nomine communi Deo, & aliis potentibus. Hactenus enim semper vsus est nomine אלהים: &, quod magis vrgebat, quia hactenus semper significauit producentem in numero plurali. Hanc difficultatem soluendo subiungit: *facere* אלהים יהוה *ipsos.* Vbi quoad congruitatem orationis subauditur repeti præpositionem, *in*, positam ante infinitiuum, *esse*: perinde ac dictum fuerit: *In facere* אלהים יהוה *terram, & cælos.*

Quoad sensum verò scito, quòd dictio אלהים est illamet, quæ toties repetita est: dictio autem יהוה est dictio quatuor literarum, appellata Græcè nomen Domini tetragrammatō. Et est velut nomen singularissimè proprium ipsi Deo: quod ab Hebræis dicitur nomen ineffabile: & scribitur apud ipsos quatuor literis: sed Latinis literis oportet vti pluribus. Et manifestat per hoc, quòd productor cælorum, & terræ, ac totius vniuersi, est ipse Deus, qui solus est Deus, qui solus est ipse fons essendi: aiunt enim, nomen tetragrammaton ab *esse* deductum, & significare illum, qui ita est, quòd est primum essendi principium: tanquàm esse sit ipsius solius, vt proprium; & reliqua omnia ab ipso esse mendicent. Et per hæc nomina simul iuncta Moses explicat, quòd vnus, atque idem est fons essendi, & Iudex vniuersorum contra philosophantes: quod implicitè diximus in principio contineri. Per hoc autem, quòd præponit terram cælis, insinuat, terram esse aliud principium sphærici motus: immobilitas enim sphæræ secundùm locum totius, ex immobilitate centri est. Vnde, quòd cælum moueatur secundùm omnes sui partes, habet in circunferentia: quòd autem semper in eodem loco maneat

neat secūdùm se totum, habet ex centro, quod est terra omninò immobilis. Et propter primum præposuit priùs cælos terræ: propter secundum præponit nunc tèrram cælis.

Quarta difficultas est circa ordinem temporis inter primas vniuersi partes, *celos, & terram*; & secundarias partes, hoc est, mixta: & hæc difficultas fomentum habebat ex descriptione ipsius Mosi in successu dierum describendo huiusmodi productiones. Ad hanc enim difficultatem directè soluendam, subiūgit: *Et omne virgultum agri*, &c. Manifestat siquidem per hoc, simul tempore creata esse mixta vniuersa, & cælos, & terram, dum idem omninò tempus productionis vtrorunque describit dicendo: *In die facere* אלהים יהוה *terram, & calos, & omne virgultum*, &c. Idem est enim iudicium quoad simultatem temporis cum creatione cælorum, & terræ, de productis tertio die, & aliis diebus.

Antequàm oriretur in terra, omnémque herbam regionis, priusquàm germinaret [e].] Iuxta Hebræum habetur: *Antè erit in terra, & omnem herbam agri anteflorebit*. Ad clariùs explicandum, quòd simul fecit Deus cælos, & terram, & arbores, & herbas, explicat, fuisse aliter productionem arborum, & herbarum à Deo relatiuè ad productionem arborum, & herbarum naturalem ex terra: dicendo, Deum fecisse virgulta, & herbas, antequàm naturali productione arbores, & herbæ essent in terra. Breuissimo autem loquendi modo describit hoc, vtens verbis futuri temporis significantibus perfectos terminos productionum. Et vtitur verbis nominaliter, ea ratione, vt simul describat tempus medium necessarium in productione naturali inter esse terræ, & esse herbas, ac virgulta: & est sensus: Antè erit, hoc est, ante esse futurum virgultorum in terra: esse enim virgultorum relatiuè ad terram naturaliter producentem, est esse futurum, est esse post tempus medium mensurans productionem. Et similiter est sensus: *Et omnem herbam agri anteflorebit*. hoc est, ante futuram floritionem: quemadmodum enim status perfectus virgultorum significatus est per esse virgultum, ad differétiam status eorumdem herbascentium; ita status perfectus herbarum significatur per floritionem: herbæ enim tunc perfectæ sunt, quum florent. Et hinc quoque habetur, quòd Deus fecit arbores, & herbas in statu perfecto; quemadmodum & hominem.

[e] Modo, scilicet, quo posteà nascitur.

Non enim pluerat Dominus Deus super terram: & homo non erat, qui operaretur terram.]

Vers. 6. Sed fons ascendebat è terra, irrigans vniuersam superficiem terræ [f].] Iuxta Hebræum habetur: *Quia non fecit pluere* אלהים יהוה *super terram: & homo non ad seruiendum terræ: & vapor saliet de terra, & adaquabit totas facies terræ*. Probat, quòd ante naturalem productionem arborum, & herbarum Deus fecit ipsas: probat autem hoc, excludendo omnes causas extrinsecas, concurrentes cum terra ad naturalem productionem arborum, & plantarum. Excludit enim primò pluuiam: quia tunc Deus adhuc *non fecerat pluere*. Deinde excludit culturam, quæ exercetur ab homine circa terram; quia tunc *homo non* (supple, erat) *ad seruiendum terræ*. Laborem humanum, colendo terram, appellat seruitium exhibitum terræ: quia verè seruitur terræ ad proprium bonum ipsius terræ: iam enim dictum est, quòd vegetabilia constituunt exercitium terræ. Et quamuis homo non ea ratione colat, vt seruiat terræ; sed, vt seruiat sibi ipsi homini: ipsa tamen cultura, ex proprio genere, seruit terræ. Demum excludit aquas fontium, & fluminum, ac rorem. Et oportuit has etiam causas excludere, propter terras, quæ nō irrigantur pluuiis; sed rore, & fontibus, seu fluminibus ad producendum arbores, & herbas. Et hæc omnia excludit dicendo: *Et vapor saliet*. sub vapore nanque comprehendit rorem, & aquas fontium, ac fluminum: quoniam non sunt nisi vapores ascendentes de terra cōdensata frigore, &c. Et significatur exclusio, non per negationem, (qualiter significata est exclusio pluuiæ, & hominis;) sed per futuram eorum generationem: ex hoc enim, quòd roris, & fontium naturalis generatio erat tunc futura, manifestè excluduntur à concursu cum terra tunc ad producendum naturaliter arbores, & herbas.

[f] Hæc clausula declaratio est præcedentium, ac si diceret: Herba nondum germinauerat: quia pluuiæ nō erant, sine quibus non germinat. Ex quibus tacitè indicare volebat, qualiter terra primam herbam produxerit, ex copioso, scilicet, vitali humore, quem aquæ paulò antè terram deserentes reliquerant: non aliter quàm Nilus ipse stagnans, lutulentos, & humidos Ægypti cāpos relinquit. Exprimit itidem Moses nascentibus arboribus, & omni agrorū viriditate, nascētibúsque animalibus vbique fuisse cæli serenitatem: nondū enim stabāt tenebrosæ aquæ in nubibus aëris, Psal. 17. sed, quia pluuias meminerat priùs non extitisse, prosequitur earum creationem; putà, quòd fons ascendebat è terra, &c. id est, vapor: sunt enim fons, & quasi fluuius, etiam teste Aristotele, iste vaporum ascensus. Hic etiam cùm dixisset: *Homo non erat, qui operaretur terram*, hominis creationem prosequitur. Quare hunc fontem cū Authore simplicissimè capio: mirabile nanque est, quòd difficultates ex fonte isto scaturierint.

Quum itaque legis: *Et vapor saliet de terra*. futurum, *saliet*, memento referri ad, *Quando Deus produxit calos, & terram, & omne virgultum*, &c. Et quadrat verbum, *saliet è terra*, ad significandum naturalem generationem roris, fontium, ac fluminum: quoniam ascendentes vapores è terra, fiunt rores, & aquæ fontium: & earum effectus ad propositum optimè describitur etiam in futurum: *Adaquabit totas facies terra*. subaudi, quæ non adaquatur pluuiis.

Quòd autem dicitur אלהים יהוה, intellige, vt priùs dictum est: & similiter in sequentibus intellige: nam eædem dictiones repetuntur; (videlicet, nomen quatuor literarum, & אלהים) ad significandum, quòd primum essendi principium, Creator vniuersorum, est causa pluuiæ: & non, sicut aliqui putauerunt, longè est à causando hæc inferiora.

Vers. 7. Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ: & factus est homo in animam viuentem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et formauit* אלהים יהוה *hominem puluerem de terra: & inspirauit in nares eius spiritum vitarum: & fuit homo in animam vita*. Declaratis difficultatibus circa generationes cælorum, & terræ, (primarum vniuersi partium;) declarat modò difficultates circa productionem hominis: in quo vniuersum genus vitæ continetur [g].

Prima difficultas est circa corpus hominis: quo pacto homo secundùm animam est ad imaginem Dei factus, (hoc est, habens animam intellectiuam:) & tamen habens corpus terrestre. Hanc soluendo difficultatem, dixit, quòd, quamuis corpus hominis sit sumptum ex terra, formatum inde est ex puluere terræ. Et dicit, *de puluere terra*, ad differentiam, tam vaporis, qui eleuatur ex aquis, quàm fumi, qui eleuatur ex igne: grauitas enim corporis humani testatur illud esse terrestre: verùm non ex terrestri grosso, sed ex terrestri subtilissimo, significato nomine *pulueris*: significatur enim per hoc, quòd terra redacta in supremam

[g] Quamuis litera à nostro Authore subtilissimè, sicut solet, tractetur; illud tamen nō ignorandum, Mosis scopū hoc loco esse, humanum corpus, & spiritum, scilicet, à Deo formatum ostendere: vt in quo admiranda Dei solertia reluceat maximè, nec abs re microcosmos no-

minetur. Tradit igitur supremũ illum omnium repertorem primò finxisse limum, in effigiẽ humanam, ita vt iaceret Adam corpus exangue, ante pedes Dei, membris & artubus delineatum, terreus homo, quemadmodum in figulorum officinis videre soleas: deinde, vt ostenderet Moses animam ab extrinseco aduenisse, subiungit: *Et spirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* tropo simplicissimo vsus: nam, licèt eum nõ lateret, animã simul omnibus mẽbris diffundi, ac tandẽ disiungi: quia tamẽ rudis populus, per faciem animã efflare opinatur; ita rudi tropo hæc obscura populo expressit per faciẽ, scilicet, animam fuisse in corpus à Deo immissã; sicque factus homo in animã viuentem; nimirum, vita est spiritus præsentia.

supremam subtilitatem, ad quam potest perduci, est illa, ex qua constat corpus humanum. Quod manifestat, tum perfectissimus in homine tactus, tum statura recta solius hominis: nam subtilissimum terræ optimè commiscetur reliquis elementis ad constituendum verè medium, quale oportet organum perfectissimi tactus esse: vt, quantùm natura patitur, discernat differentias omnes tangibilium. Et similiter subtilissimum terræ, prima causa ex parte materiæ est, quòd homo sit rectæ staturæ: quantuncunque enim calor moueret sursum, si terrestre grossum non moueretur sursum, statura recta, aut non esset, aut cum discrimine esset. Et propterea Moses sapientissimus hominem ex puluere terræ formatum descripsit: vt hinc haberetur, quòd corpus hominis est reductum ad æqualitatem remotissimam à contrariis, qualem exigit terra subtilissima optimè mixta: ac per hoc est consonum animæ ad imaginem Dei: & similiter haberetur ex hac eadem materiali causa differentia corporis humani à corporibus reliquorum animantium quoad rectitudinem staturæ consurgentem ex subtilissima terra, commixta tanquàm ex materia: vt hinc etiam ipsa eleuatio capitis, congruum manifestaret corpus rationali animæ: cerebrum enim non nisi eleuatum idoneum est ad spiritualia phantasmata ministrandum intellectuali animæ. Literam autem construe sic: *Et formauit Deus puluerem de terra hominem.* hoc est, in hominem.

Secunda difficultas circa productionem hominis est, vnde habet homo vitam sensitiuam, ac vegetatiuam, si eius anima est intellectualis ordinis ad imaginem Dei. Hanc difficultatem soluendo, dicit, quòd *Deus inspirauit in nares hominis spiritum vitarum:* significatur enim per hoc, quòd Deus non dedit homini aliam animam; sed eidem animæ ab extrinseco datæ dedit instrumentum omnium vitarum; & quòd ab extrinseco dedit *spiritum vitarum*; hoc est, dedit spiritualem substantiam, quæ etiam esset vitarum omnium, & quæ esset sic spiritus, quòd etiam esset ratio omnium vitarum, qua vteretur, vt instrumento, spiritu vitarum omnium. Dicendo quidem, *inspirauit*, seu sufflauit, collationem ab extrinseco significat: ad differentiam cæterorum animalium, quorum principium spirandi ortum est ex viribus naturalium principiorum: in homine verò ipsa intellectiua anima ad imaginem Dei, est illamet, quæ est principium spirandi: & quoniam ipsa deforis venit, propterea vocabulo inspirationis, seu sufflationis diuinæ vsus est.

Et scito, quòd triplex in homine spiritus subordinatus, qui spiritus vitarum omnium dici potest, inuenitur. Primus secundùm naturæ ordinem est anima intellectiua; quæ, quia spiritualis ordinis substantia est, appellatur spiritus; & quia est virtualiter sensitiua, & vegetatiua, est spiritus vitarum, vtpote dans homini omnes vitas, videlicet, rationalem, sensitiuam, & vegetatiuam. Secundus est commune instrumentum animæ ad omnium vitarum opera exercenda. qui spiritus vocatur, & distinguitur in naturalem, vitalem, & animalem; & propterea spiritus vitarum appellatur. Tertius est spiratus, & respiratus aër, qui spiritus vitarum est, quatenus fouet omnes vitas in homine; vt experientia testatur. Hic vltimus secundùm naturæ ordinem subordinatur naturaliter secundo; vtpote medio, imò instrumento, quo anima omnia animæ opera in corpore exercet: & secundus clarè subordinatur primo; nec solùm subordinatur vtrique, vt effectus causæ; sed etiam est manifestior nobis vtroque, & perspicaciùs consideratus, vt nominatus est à Mose, est proprius effectus animæ intellectiuæ. Nominauit enim *spiritum vitarum*: perspicuum autem est, proprium esse respirationi humanæ, esse spiritum vitarum, non harum, sed omniũ, ex hoc, quòd est ab anima intellectiua, quæ sola inter animas est spiritus vitarum: quia sola est spiritualis ordinis substantia dans omnes vitas. Quocirca Moses formaliter pinxit respirationem, vt pendet ab anima intellectiua. Et ab hoc vltimo spiritu vitarum vt sic, significauit animam ad imaginem Dei factam, datam esse ab extrinseco, dicendo: *Et inspirauit in nares eius spiritum vitarum.* propriam nanque causam spiritus vitarum (quæ propria causa vocatur etiam, & est spiritus vitarum) docet ab effectu proprio inspiratam (hoc est, ab extra datam) esse à Deo, ita quòd sit spiritus vitarum omnium.

Meminit autem nasi, eò quòd nasus est extrinsecum organum purum respirationis, & inspirationis, cuius duo sunt signa. Alterum est, quòd nasus factus est patulus; os autem clauditur: vnde dormiendo clauso ore, inspiratio, & respiratio fit sufficienter per nasum. Alterum est, quòd aër in ore inquinatur ex vaporibus, qui eleuantur ex stomacho, (vt patet in iis, qui sunt fœtidi anhelitus:) aër autem per nasum respiratur absque inquinatione, ad pulmonem tendens. Describendo itaque, quòd homo habet vitam vegetatiuam, ac sensitiuam per spiritum collatum ab extrinseco, sapientissimè significauit, quòd anima ad imaginem Dei ab extrinseco data, est illa, per quam homo habet omnes vitas, ex hoc ipso, quòd est illa, quæ vtitur spiritu omnium vitarum: quoniam spiritu viuificantur omnes partes corporis.

Tertia difficultas est, an in homine sint plures animæ, an vna tantùm: huius enim solutio implicitè tantùm inchoata est in solutione præcedentis difficultatis. Et propterea manifestè explicando solutionem huius quæstionis, subiungit: *Et fuit homo in animam vitæ.* Dicendo, *in animam*, manifestè excludit pluralitatem animarum: & similiter, dicendo, *vitæ*, in numero singulari, manifestè reducit multitudinem vitarum in homine in vnam vitam: vt intelligamus, secundùm rei veritatem, in homine esse vnam tantùm animam, quæ est ad imaginem Dei, & vnam tantùm vitam, quæ est esse viuẽtis: (viuere enim viuentibus est esse:) sed ex hac vna anima, & hac vna vita essentiali prodire multitudinem vitarum, (hoc est, potentiarum, & operationum vitalium,) tam ad vitam vegetabilem, quàm ad vitam sensitiuam, internam, & externam, &c.

Signum autem, quòd vires vegetatiuæ in habentibus animam sensitiuam, sint ipsius animæ sensitiuæ, & non sint in eis duæ animæ, est, quòd vires vegetatiuæ efficiunt organa sensuum: hoc enim opus excedit omnem vim animæ sensitiuæ, & testatur, vires vegetatiuas esse

esse animæ sensitiuæ: ac per hoc agere in virtute ipsius; & propterea Philosophi dicunt, quòd vegetatiuum est in sensitiuo, sicut trigonum in tetragono. Signum autem, quòd in homine vires sensitiuæ non sint animæ sensitiuæ, sed animæ rationalis, est in parte quidem præceptiua, quòd supremæ sensitiuarum virium rationales sunt; reminiscitur enim solus homo: & similiter syllogistico exemplo de singulari sensibili in aliud singulare sensibile sola cogitatiua hominis vtitur. In parte verò appetitiua, quòd appetitus sensitiuus rationalis quoque est; vt testantur virtutes morales, quibus moderatur; temperantia, scilicet, & fortitudo: sunt enim habitus rationales; quoniam consistunt in medietate determinata ratione.

Et oportuit explicari à Mose, & ex præcedentibus inferri, quòd *fuit homo in animam vitæ*, (hoc est, in animam conferentem esse vitale:) ne erraretur, putando, quòd anima ad imaginem Dei (vtpote intellectualis) vteretur spiritu vitali in homine, tanquàm motor, & non tanquàm anima: ad hunc enim errorem excludendum subiungit: *Et fuit homo in animam vitæ.* Et cum hoc intellige cum Paulo, dictum hoc esse ad differentiam vitæ spiritualis: anima siquidem hominis est spiritus, & est vitarum, Homo autem quandiu indiget alimento ad viuendum, habet animam vitæ; hoc est, ducit vitam animalem; vitam, quæ fouetur operibus animæ vegetatiuæ. In statu verò vltimo (æternitatis, scilicet) homo viuet vita spirituali; hoc est, sine indigentia alimenti, sine operibus animæ vegetatiuæ, solis vtens operibus spiritus, etiam in corpore, vt Paulus docet. Ad differentiam itaque spiritualis vitæ, qualem expectamus post resurrectionem futuram, dicitur, quòd, quanuis anima hominis sit essentialiter spiritus; attamen homo fuit in animam vitæ; hoc est, in animam seruantem vitam hominis propriis officiis animæ, quatenus anima est, sumendo, digerendo, ac conuertendo alimentum.

Vers. 8. Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio: in quo posuit hominem, quem formauerat. [b]] Iuxta Hebræum habetur: *Et plantauit* יהוה אלהים *hortum in Heden ab ante: & posuit ibi hominem, quem formauit.* Explicatis difficultatibus circa productionem hominis, inchoat modò difficultates circa vitam hominis, quarum prima est, an homo à principio vitam duxerit subiectam tot miseriis, quot nunc subiicitur: hanc enim quæstionem soluendo manifestat primum statum vitæ hominis, tam quoad corpus, quàm quoad animam; patefaciens simul, à quo, & quo pacto huiusmodi primum vitæ statum habuerit homo: & propterea à statu vitæ corporalis incipiens inchoat à loco, dicendo, quòd *Deus plantauit:* ad significandum, quòd non humana opera, sed diuina factus est hortus ille. Et describitur Deus vtroque simul prædicto nomine, vt fons essendi, idémque Iudex omnium, etiam horum infimorum artifex manifesteretur: vt nulla ratione alium Deum crederet populus.

b Hæc Paradisi descriptio, hoc loco à Mose expressa videtur, vt indicaret, quòd quemadmodum Deus Hierusalem delegit ad sua ostendenda magnalia: sic inter syluas multas, ac pulcherrimas, herbis, ac floribus omnigenis repletas, quæ passim in terra productæ erant, locum quendã fortunatum, ac deliciosum constituerit, in quo hominem crearet, mundíque in eo formatio publicaretur, vbi & Deus ipse visus est, & Dei cognoscendi, homo compos factus.

Quod autem dicitur, *in Heden*, certum significat locum, in quo Deus plantauit hortum illum. Vbi, ne fallaris, aduerte, quòd, *Heden*, Hebraica dictio, quandoque est nomen loci, quandoque est nomen deliciȷ. Esse autem hic nomen certi loci (à deliciis fortè nominati) restatur ipse contextus literæ, paulò pòst habens: *Et fluuius egrediens de Heden, ad irrigandum hortum; & inde diuidetur in quatuor capita*, &c. Certo siquidem certius est, esse locum certum, vnde egreditur fluuius, qui posteà diuiditur in quatuor capita. Et quanuis iste contextus locupletissimus testis sit, quòd Heden est hîc nomen certi loci; testimonium quoque habetur ad idem ex cap. 4. vbi dicitur: *Egressúsque Cain à facie Domini, habitauit in terra Nod, ad orientalem plagam Heden.* vbi manifestissimè patet, Heden esse nomen certi loci. Nec tamen locus iste est ille, cuius meminit Ezechiel 27. cap. dicendo: *Charan, & Channeh, & Heden negotiatores tui.* Nam apud Ezechielem nomen certæ ciuitatis, seu patriæ, est; fortè etiam à deliciis denominatæ: sæpè enim contingit, eodem nomine plura nominari loca. Quod autem non idem locus sit nominatus apud Ezechielem, & hîc, ipsa sacra Scriptura testatur; describendo locum hunc inaccessibilem ex custodia Cherubinorum, & gladij versatilis; illius verò negotiatores cum Tyro commercium exercere. Ipse quoque modus loquendi, quo vtitur hîc Moses dicendo: *Et plantauit hortum in Heden*, porrigit eundem sensum. Vnde descripto loco deliciarum, secundò aptè describit & tempus, quando plantatus est hortus, dicendo: *Ab ante.* hoc est, non plantauit tunc, facto homine; sed ab ante: quod Hieronymus optimè interpretatus est, *à principio:* quando, scilicet, creauit cælos, & terram, & omne virgultum, &c. Et quanta cura fuerit Deo, vt homo duceret vitam corporalem in loco delicioso (ac per hoc temperati aëris) manifestatur ex eo, quòd collocauit ibidem hominem, quem formauit.

Vers. 9. Produxitque Dominus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue; lignum etiam vitæ in medio Paradisi; lignúmque scientiæ boni, & mali [i].] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecit florere* יהוה אלהים *de terra omne lignum desiderabile aspectui, & bonum ad comedendum; & lignum vitarum in intus horti; & lignum sciendi bonum, & malum.* Plenitudinem horti manifestat ex arboribus delectantibus sensum visus, & consonis ad sensum alimenti: & præter has ex arboribus [k], tum vitæ, tum sciendi bonum, & malum. Et arborem quidem vitæ intelligere consueuimus arborem illam, cuius fructus esus præbebat homini, ne ætas senilis ipsum dissolueret, hoc est, ne senectutis defectus incurreret. Propterea enim appellata est arbor vitarum: quia vitas omnes (vegetationis, sensationis, & rationis) seruabat. Arbor autem sciendi bonum, & malum, quanuis varias sortita sit expositiones, si quis in Textu perceperit, omnes has arbores productas esse è terra, (ac per hoc naturales tantùm vires habere,) simúlque primum hominem in ætate perfecta creatum, ac per hoc plenè vsum liberi arbitrij habentem, (quod conuincitur ex eo, quòd suscepit à Deo positiuam legem, vt non comederet de fructu huius arboris: lex enim positiua, cum pœna præcipuè mortis, non datur carentibus vsu liberi arbitrij;) perspiciet verum non esse, quòd hæc arbor vim habuerit accelerandi, seu præbendi vsum liberi arbitrij; & propterea

i Paradisi hæc constitutio ad tertiũ diem referenda est, sicut pluuiarum creatio ad secundũ; hominis, & animalium ad sextum.

k Multis placet, has arbores duas non ob vim aliquam naturalẽ, sed ob symbolũ, nomẽ suum sortitas esse: vt, quemadmodũ antiqui cibis suauissimis, ambrosia, & nectare, quibus Dij vterentur, scilicet, immortalitatẽ figurarunt; Christúsque ipse figuratis verbis regni sui diuitias ostẽdit, promittens suaues potus in regno Patris: sic Deũ figuratis rebus, illis arboribus, scilicet, immortalitatem, & mortẽ ipsi Adæ insi-

ſinuaſſe, atque ob oculos poſuiſſe; ſolet enim Moſes ſub imaginibus terrenis res ſecretiores tegere, quemadmodũ cùm de ſerpente loqueretur, qui manifeſtiſſimè Dæmõ erat; nihil tamen de ipſo, Dæmone meminit.

proptereà eſſe appellatam arborem ſciendi bonum, & malum; ſed appellatam eſſe arborem ſciendi bonum,& malum, ab annexa lege poſitiua, quòd ſi homo ex illa ederet, ſciret, experiendo, differentiam inter bonum, & malum. Ita quòd inter arbores iſta ſola appellata eſt ante peccatum arbor ſcientiæ boni, & mali: quia ipſi ſoli inter arbores annexa eſt lex prohibens illius eſum ſub pœna mali, quod eſt mors.

Significanter autem dico, *inter arbores:* quia experientia boni, & mali non erat arctata ad eſum huius arboris: imò multò peiùs annexa erat tranſgreſſioni iuris naturalis, quantò peius eſt peccare contra ius naturale, quàm contra ius poſitiuum. Non vocatur itaque arbor ſcientiæ boni, & mali, ab efficacia naturali; ſed ab efficacia annexæ ſibi legis diuinæ poſitiuæ. Quocirca per, *ſcire bonum, & malum*, non intelligitur intellectuale, ſeu rationale diſcernere inter bonũ,& malum:(hanc enim cognitionem hominem habuiſſe, antequàm guſtaret ex hac arbore, conſtat ex ipſa lege ſuſcepta à Deo: in ipſa enim diſcernitur manifeſtè inter bonum morale obediendi Deo,& malum culpæ inobedientiæ: rurſus in ipſa diſcernitur inter malum pœnæ mortis pro inobedientia incurrendæ, & euaſionem mortis obediendo conſequendam:) ſed eſt ſermo de ſcire experimento. Ex eſu ſiquidem illius arboris euenit, vt homo experiendo diſcerneret inter bonum,& malum pœnæ: vt patet ex eo, quòd prima notitia deſcribitur, quòd experti ſunt malum nuditatis. Vnde bonum,& malum, quanuis ſint communia ad bonum,& malum culpæ; & bonum,& malum pœnæ: directè tamen ſermo hîc eſt de bono,& malo pœnæ, vt euentus ipſe teſtatur: nam poſt malum culpæ admiſſum aperti oculi deſcribuntur ad malum pœnæ. Et deſcribit perfectum ſtatum arborum à florere, alludens ad communem loquendi vſum, quo res in ſtatu perfecto florere dicimus. Quod autem dicit, *in intus horti*; ad differentiam extremarum partium eiuſdem horti dicit: vt intelligeremus, arborem vitarum in interioribus partibus ipſius horti ſitam fuiſſe.

Verſ. 10. Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum: qui inde diuiditur in quatuor capita.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fluuius exiens de Heden ad irrigandum hortum: & inde diuidetur, & erit ad quatuor capita.* Hinc clarè apparet, (vt diximus) quòd Heden vtitur Moſes hîc, vt eſt nomen certi loci, non ſolùm amœni, ratione aëris fouentis omnes arbores pulcherrimas, & optimas; ſed etiam ratione aquæ abundanter irrigantis locum horti. Et deſcribitur fluuius in horto quidem vnus; poſt exitum autem ab horto diuiſus: & ad hoc ſignificandum vtitur verbo futuri temporis, *diuidetur, & erit ad quatuor capita.* Neque enim tantùm interuenit prioritas ſecundùm locum; ſed etiam prioritas ſecundùm tempus inter vnitatem, & diuiſionẽ fluuij: nam ſecundùm locum motum neceſſe eſt intercedere, quo priùs aqua mouetur vnico alueo, & ſucceſſiuo motu deſcendit ad loca, in quibus diuiditur. Et quoniam hoc commune eſt omni fluuio, qui diuiditur; crediderim ego Moſen vſum his futuris ad inſinuandum, quòd fluuius ille non ſtatim poſt egreſſum ex horto diuiditur; ſed multum intercedit temporis; ac loci ſpatium, quouſque motus eius perueniat ad diuiſionem. Quo fit, vt ſi etiam innoteſcerent loca horum quatuor capitum, adhuc inquirendus remaneret locus, qui dicitur Paradiſus terreſtris.

Verſ. 11. Nomen vni Phiſon: ipſe eſt, qui circuit omnem terram Heuilath, vbi naſcitur aurum:] *Verſ.* 12. & aurum terræ illius optimum eſt: ibíque inuenitur bdellium,& lapis onychinus.] Iuxta Hebræum habetur: *Nomen vni Phiſon ipſe, qui circumiens totam terram Chauilah: quòd ibi aurum,& aurum terræ illius bonum: ibi bdellium,& lapis onychinus.* Fluuius iſte intelligitur Ganges: terra autem Chauilah intelligitur India. Et ex induſtria Moſes reddit rationem nominis terræ, vt ſciremus, quòd nec à nepote Cham, nec à nepote Heber nominata eſt Chauilah; ſed à partu: quia parit tot pretioſiſſima, videlicet, aurum optimum, & tot genera lapidum pretioſorum. Bdellium [l] autem dictio eſt ex Hebræo ducta, videlicet, *bedolach.* Nec eſt certum, quid ſignificet: alij enim carbunculum, alij ſmaragdum, alij lapillos pretioſos, paruos, ac rotundos ex aquis prodeuntes; alij cryſtallum. Quanuis Plinius gummam eſſe ſcribat diſtillantem ex arbore eiuſdem nominis, & inde congelaſcere, lapidémque fieri. Similiter ambiguum eſt de ſubiuncto lapide, iuxta Hebræum appellato *ſoham.* Nam alij lapidem onychinũ, alij ſmaragdum, alij ſardonychum. Et, vt vnico verbo dicatur, nomina propria lapidum, auium, ac locorum incerta valdè ſunt apud ipſos Hebræos: periiſſe enim notitiam eorum aiunt.

l Bdellium in libro Numer. Mannæ ſimilitudinem habere deſcribitur; ſed de huius, & aliorum lapidũ natura, aut ſimilitudine, diſceptare friuolum eſt: cùm vel multò fuerit cũ Hebræis ignorantiam lapidum in Scripturis ingenuè fateri.

Verſ. 13. Et nomen fluuij ſecundi Gion: ipſe eſt, qui circuit omnẽ terræ Æthiopiæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nomen fluuij ſecundi Ghichon: ipſe, qui circumiens totam terram Chus.* Iſte fluuius intelligitur Nilus: terra autem Chus intelligitur Æthiopia nominata à Chus, filio Cham.

Verſ. 14. Nomẽ verò fluuij tertij. Tigris: ipſe vadit contra Aſſyrios.] Iuxta Hebræũ habetur: *Nomen fluuij tertij, Chiddecel: ipſe, qui vadens ante Aſſur.* Fluuius iſte intelligitur Tigris, cuius curſus deſcribitur ad anteriorem partem Aſſyriæ. Creditur autem anteriorem partem ſignificaſſe partem orientalem; eò quòd tradunt, fluuium hunc per orientalem plagam Aſſyriæ tranſire.

Fluuius autem quartus, ipſe eſt Euphrates.] Iuxta Hebræum habetur: *Fluuius quartus, ipſe Perath.* Fluuius hic, Euphrates intelligitur, cuius curſum Moſes non deſcribit, eò quòd conterminus erat terræ promiſſionis: ac per hoc notiſſimus populo Iſraël.

Aduerte, prudens lector, quòd ex hoc ipſo, quòd iſta quatuor flumina deſcribuntur oriri à flumine irrigante hortum, cogimur intelligere hortum, qui Paradiſus terreſtris conſueuit appellari, eſſe certum locum corporeum in terra: nam hæc flumina non ſpiritualia, ſed corporea ſunt, & corporea etiam illorum origo manifeſtè inde deſcribitur. Sed magna ex deſcripta origine iſtorum fluminum quæſtio ingeritur, quo pacto verificari poteſt origo horum fluminum ex illo vno innominato fluuio, qui egreditur ex Heden; cùm duorum poſtremorum origines inueniri dicantur in monte Tauro,

 multùm

multùm inter se distantes: primorum verò fluminum quanuis origines non vsquequaq; certæ videantur;alter tamen ab Aquilone, & alter à meridie fluere videtur [m]. Verùm non esse hoc impossibile,quod Moses describit, ex aliis fluuiis deprehenditur, qui sub terra absorpti post longa etiam marium spatia emergentes apparent. Vbi autem sit Heden, incertum est: ex hoc tamen, quòd fluuius inde egredi dicitur,mons videtur esse: naturalis enim generatio fluminum in montibus apparet.

[m] Dictante ratione videtur, remotissima flumina vnum locum alluere non posse:si obseruaueris igitur, regiones, quas Nilus, Gāges, Euphrates, & Tigris præterfluere dicuntur, putabis sanè,per Phison, Gangem, aut Indum; nec Geon,Nilum esse. Nam,cùm non possint Bibliæ à vera historia dissentire, Gangésq; orientalioris Indiæ fluuius,ab Euphrate plùs 20. gradibus longitudine distet, ipséque Nilus à Meridie per Africam defluat, Tigrísque ex opposito à Septentrione per Armeniam; quomodo vnius loci flumina. Quòd si vrgeas, Scripturam manifestò indicare, Geon fluuium per terrā Æthiopum decurrere, quod & solus Nilus facit; vnde eumdem esse fluuium colligitur:scito, Scripturam duplicē Æthiopiā memorare; vtrunque, scilicet, latus maris rubro diuisum. Nam & Madianitas, Ismaelitas, & Epha populos, filios Abrahæ,& Ceturæ Æthiopes appellat. vt Num.12. vxorē Mosis,filiam Sacerdotis Madia, Æthiopissam nominat:& Habac.3. *Vidi tentoria Æthiopiæ: turbabuntur pelles terræ Madian.* Ad idem est, quòd cùm de Nilo mentio fit in Scripturis, (fit autem non infrequenter,) semper adiungitur celebre epithetū, illud: *Ipse est, qui irrigat terrā Ægypti.* Quare ergo hic aliam terrā irrigare diceretur? Sed de hac re cum nullo contenderim; fateórque hæc quatuor flumina,quæ è Paradiso proueniūt, mihi incognita: licèt antiquorū sententiam, in hac parte, obuiis,quod aiunt, vlnis suscipio.

Vers. 15. Tulit ergo Dominus Deus hominem,& posuit eum in Paradiso voluptatis,vt operaretur,& custodiret illū.] Iuxta Hebræū habetur: *Et tulit* יהוה אלהים *hominem: & posuit ipsum in horto Heden, ad seruiendum ei, & custodiendum ipsum.* Dicendo, *& tulit*, manifestat, hominem nō esse creatum in horto; sed extra hortum; & inde latum, & positum in horto affluenti deliciis aëris,aquarum, & arborum fructiferarum: vt ex loco intelligeremus, peculiarem curam diuinam de felici vita corporali hominis; & primo essendi principio incumbere curam etiam harum singularium commoditatum hominis; necnon ad distributionis ordinē spectare,quòd homo sit locatus in Paradiso terrestri: ambo enim hæc,duo illa Dei nomina ingerunt.

Quòd autem dicit, *ad seruiendum ei, & custodiendum ipsum*, quum hæc pronomina in Textu Hebræo sint fœminini generis, (ac per hoc nec referant Deum, nec hominem;) manifestum est. quòd referunt hortum. Vniuersámque agriculturam duobus officiis Moses comprehendit, altero ad bonum procurādum, altero ad seruandum à malo. Officia quæque opportuna ad bonum arborum, significantur dicendo, *ad seruiendum ei:* officia verò quæcunque exercere oportet ad custodiendum à malis easdem arbores,significantur dicendo,*& ad custodiendum ipsum:* vtroque enim genere officiorum egere hortos, experientia continua testatur. Et per hoc describitur, quòd prima ars indicta homini fuit agricultura. Et meritò prima: quoniam erat necessaria ad victum ipsius hominis, etiam in illo statu innocentiæ; & naturali ordine priùs occurrit agricultura, quàm cura ouium,& quæcunque alia ars. Vnde etiam de Noë post diluuium dicitur, quòd vacauit agriculturæ,Genes.9.

Vers. 16. Præcepítque eis dicens: Ex omni ligno Paradisi comede: *Vers.*17. de ligno autem scientiæ boni, & mali, ne comedas.] Iuxta Hebræum habetur: *Et præcepit* יהוה אלהים *super homine,dicendo: De omni ligno horti comedendo comedes:& de ligno sciendi bonum, & malum,non comedes.* Descripta vita hominis, quoad corpus, & exercitia corporalia:prosequitur describendo vitam hominis, quoad animam; hoc est, relatiuè ad vitam æternam. Et ante omnia describitur, Deūm tulisse legem positiuam super viuere ipsius hominis. Legem autem positiuam dico, quæ est iusti; non,quia iustum in se est; sed,quia lege positum; huiusmodi siquidem legem Deus sanciuit circa viuere humanum: nam comedere, vel non comedere ex fructu illius arboris, nihil referebat ad iustum,ad bonum, vel malū morale, sublata ratione istius legis; sed, lege condita,vesci ex fructu illius arboris redditum est malum moraliter;& non vesci, bonū moraliter. Et in sanctione huiusmodi legis perpendere oportet, quòd homo tunc habuit fidem diuinæ prouidentiæ; quòd,videlicet,Deus curam habet de singularibus actibus hominis; quòd est vltor malorum moraliter operum: nisi enim hæc credidisset, vana fuisset susceptio legis huius positiuæ.

Nec abs re describitur homo in primo statu subiectus legi positiuæ à Deo promulgatæ:sed ad insinuandum ex eo, quòd homo subiectus est à Deo legi supra rationem naturalē, ipsum esse ordinatum ad felicitatem supra vires naturæ; vt finis correspondeat medio: & ad insinuandum,quòd homo in omni statu indiguit, & indiget lege supernaturali ad hoc, vt perueniat ad felicitatem supernaturalem, ad quam à Deo ordinatus per hoc intelligitur. Simile quid credimus accidisse Angelis: credimus enim eis impositam fuisse legem fidei supernaturalium credendorum, & supernaturalis felicitatis sperandæ.

Quo autem sermonis genere vsus fuerit Deus promulgando hanc legem,incertum est. Rationi consentaneum est, quòd sicut de credendis, ac sperandis instruxit intellectuali reuelatione;ita legem hanc de agendis dedit intellectualiter. Et huius positiuæ legis lator describitur fons essendi, & iudicandi, vt non solùm naturalium, sed etiam legum positiuarum actor manifestetur summus omnium Opifex, ac Censor: & non solùm circa credenda; sed etiam circa actiones exteriores secundum se indifferentes prouidentiam legis suæ extendere credatur.

Et cautus esto,prudens lector,quòd non dicitur,super viro; sed,*super homine,* comprehendente virum, & mulierem:& similiter alloquitur,Deus hominem,non virum dumtaxat, dicendo: *Non comedes.*& alia subiuncta verba.

In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris.] Iuxta Hebræum habetur: *Qua in die comedere tui de ipso,moriendo morieris.* Pœna mortis adiicitur comedenti ex arbore illa. Et esse sermonem de morte corporis [n], testatur Paulus Apostolus ad Rom.5. dicendo: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum,& per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit.* Constat siquidem,quòd de morte corporis Paulus loquitur.

[n] In corporis morte, animæ pœnas minabatur, cùm homo vtrúque sit, anima, & corpus, quæ cùm à Deo simul creata sint, debuit vtrunque, aut beatū, aut miserū esse.

Nec intelligitur, quòd in die comestionis actualiter moreretur: sed, quòd necessitatem moriendi incurreret. Et hoc fortè significatur Hebræo idiomate:*Moriendo morieris*.tanquàm diceret: Statum mortalitatis incurrendo morieris. quemadmodum dictum est: *Comedendo comedes*. tanquàm dictum fuerit: Vtendo alimento comedes. ad differentiam status,quo non esset vsurus alimento: credimus enim, ex hoc Textu hominem, si non peccasset, seruandum fuisse à Deo absque incursu mortis; & ad hoc officium datum lignum vitæ.

Et benè nota,quòd non dicimus,hominem ante peccatum fuisse immortalem; (quoniam mors naturalis est homini ex necessitate materiæ:) sed dicimus, quòd fuisset seruandus à morte diuino dono, quo homo priuatus est merito peccati inobedientiæ; & propterea mors, quæ homini absolutè erat naturalis,effecta est etiam pœna peccati primi hominis, ita quòd

quòd nunc mors est nobis,& naturalis, & pœna peccati.

Verſ. 18. Dixit quoque Dominus Deus: Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi[o].] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit* אלהים יהוה: *Non eſt bonum, eſſe Adam ſolum ipſum: faciam ei auxilium contra ipſum.* In Textu Hebræo hactenus Adam fuit nomen hominis: hîc autem incipit eſſe nomen viri: vtrunque enim ſignificat. Nam Adam ex propria ſignificatione ſignificat hominem: ex appropriatione autem ſignificat primum virum creatum. De primo enim viro dicitur, quòd non eſt bonum eſſe ſolum ipſum: ita quòd ſolitudo negatur bona. Et in promptu eſt ratio: quia non eſt vtilis ad conſeruationem ſpeciei. Significanter autem non dicitur, malum eſſe hominem eſſe ſolum; ſed dicitur, non bonum: quia virum cælibem vitam ducere, non eſt malum; ſed eſt inutile ad conſeruationem ſpeciei. Eſt autem progreſſus literæ valdè ordinatus: nam tractando difficultates circa vitam hominis, & declarata vita hominis, (tum quoad corpus; tum quoad corporalem exercitationem; tum quoad legem fidei, & mortis; in qua manifeſtata eſt conceſſa facultas viuendi abſque morte,) conſequens erat, vt manifeſtaretur, quomodo homo incidit in mortem, & has miſerias, quas experimur. Et quoniam modus iſte fuit per mulierem, ideò oportuit Moſen hoc in loco reddere rationem productionis mulieris.

[o] Quæ hoc loco commemorantur, cū illis quæ ſexto die facta ſunt, ita coniungi debent, vt eadē hiſtoria, eædem res omninò intelligātur; nec à diuerſa deſcriptione, ea diuerſo tempore facta contendamus.

Vbi diligentiùs aduerte, Moſen ſtudium adhibere ad monſtrandum, quòd mulier non eſt producta ex primæua Dei intentione: ſed, quia non potuit fieri ſecùs, ad propagandam, & ſeruandam ſpeciem humanam ſecundùm naturæ ordinem. Ad hanc ſiquidem neceſſitatem oſtendendam, primùm affert, quòd iudicauit Deus, non eſſe bonum, virum eſſe ſolum. Et appellatur efficienda mulier, *auxilium:* quia verè eſt auxilium ad propagationem, & educationem prolis, & ad officia domeſtica. Quum enim res agantur, quemadmodum aptæ natæ ſunt agi, & è conuerſo; ex hoc ipſo, quòd in vniuerſo mundo alia ſunt officia domeſtica mulieris, & alia viri, apparet, quòd ſuapte natura mulier eſt auxilium viri, etiam ad officia domeſtica. Quòd autem dicit, *contra ipſum*; non ſignificat, aduersùs ipſum; ſed è regione ipſius, quoad ſtaturæ rectitudinem, ac magnitudinem. Ac ſi dictum fuiſſet, adiutorium correſpondens ei in ſtatura, magnitudine, loquela, & huiuſmodi.

Significanter quoque dicit, *faciam*; ad inſinuandum, quòd mulier eſt etiam rationalis animæ, quam oportet fieri immediatè à Deo.

Verſ. 19. Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli; adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea: omne enim, quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius.] Iuxta Hebræū habetur: *Et formauit* ▭ אלהים יהוה *de terra omnem beſtiam agri, & omne volatile cælorum*[p]; *& fecit venire ad Adam, ad videndum, quid vocabit ei: & omne illud, quod vocabit ei Adam animæ vitæ, ipſum eius.* Conſtrue literam ſic: *Et omne, quod Adam vocabit ei animæ vitæ, ipſum* (ſupple, erit) *nomen eius.* Non digreditur Moſes: ſed, quum monſtraſſet neceſſitatem faciendi mulierem ex ſolitudine viri non bona, manifeſtat eandem neceſſitatem ex parte reliquorum animantium: quia, ſcilicet, inter animantia non inueniebatur aliquod, quod præſtare poſſet huiuſmodi auxilium viro: hac enim ratione ipſemet Moſes ſubiungit, & inſerit hæc de animantibus, repetendo primùm eorum productionem; ad hoc etiam, vt manifeſtaret materiam, ex qua producta ſunt: aperit enim, quòd de terra, tanquam ex materia, producta ſunt omnia animantia, tam terreſtria, quàm volatilia. Vbi clarè patet, tum differentia inter materiam horum, & materiam hominis; quia iſta de terra; homo autem de puluere terræ: tum corruptio textus vulgatæ editionis, vbi ſcriptum eſt, quòd aues productæ ſunt ex aquis: tum, quòd productio animalium diuerſis diebus ſcripta, & attributa Elohim, fuerit ab ipſo fonte eſſendi; ad hoc enim inſinuandum adiungitur tetragrammaton. Et ſubiungit, quòd *fecit venire ad Adam*; non locali motu, ſed intellectuali aduentu. Et ad huiuſmodi veniendi modum inſinuandum, ſubiungitur, *ad videndum*; hoc eſt, vt ipſe Adam videret, oculis mentis, naturam terreſtrium, & volatilium animalium: vt ſic ſciret, quo nomine quodcunque animal eſſet vocaturus: non enim ex corporali viſu noſſe poterat proprietates animalium; ſed intellectuali opus erat viſione. Perfectio itaque Adæ in hoc opere ſimul deſcribitur ſecundùm mentem, quantùm ad ſcientiam animalium, tum terreſtrium, tum volatilium.

[p] Hoc loco creationis animaliū fit repetitio, propter indita nomina: quod prius omiſſum erat.

Quorſum autem impoſitio nominum, tam animantibus terreſtribus, quàm volatilibus adſcribatur Adæ, ſubiungit Moſes[q], dicendo, quòd omne nomen, quod impoſiturus eſſet Adam huiuſmodi animalibus, ipſum foret nomen vniuſcuiuſque eorum: ad ſignificandum enim huiuſmodi fines, ſeu effectus, (videlicet, nominationem, & futurum nomen,) vtitur verbis futuri temporis, *vocabit.* Et dixit hoc, non ſolùm ad deſcribendam perfectam notitiam animalium in Adam; ſed ad differentiam aſtrorum, quorum nomina reſeruata ſunt Deo, iuxta illud: *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* & ad differentiam cælorum, tam primi, quàm reliquorum, & terræ, ac marium, quæ à Deo nomina ſortita fuiſſe ſcriptum eſt ſuperiùs: vt ex his non intelligamus, Adæ fuiſſe communicatam ſcientiam perfectam omnium corporalium. Vnde & ſignificantiùs ſubditur executio facta ab ipſo Adam reſpectu horum tantùm animalium, dicendo:

[q] Quòd Moſes rerum omnium appellationes & ab ipſo Deo, & ab Adam impoſitas toties inculcet, mihi videtur illud forte innuere; nempe, Hebræorum linguā ab ipſo Deo inuentam, à primóque homine vſurpatam: ideóque ſubiunxit: *Omne enim, quod vocauit Adā animæ viuentis ipſum eſt nomen eius.* id eſt, quo tunc vtetetur. Hinc fortè lingua ſancta nominata eſt, quam Deus ipſe adinuenerit. Quòd verò primus homo ea vſus fuerit; etymologiæ nominum Adæ, & Euæ, cæterorúmque primorum hominum manifeſtè docent.

Verſ. 20. Appellauítque Adā nominibus ſuis cūcta animātia, & vniuerſa volatilia cæli, & omnes beſtias terræ.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vocauit Adam nomina omni iumento, & volatili cælorum, & omni beſtiæ agri.* Rationabile autem eſt, communicatam quoque intelligi primo homini ſcientiam piſcium, & vegetabilium: eiuſdem enim rationis eſt communicare ſcientiam animantium terreſtrium, & volatilium; & communicare ſcientiam piſcium, & vegetabilium. Imò, cùm in maiori claudatur minus; & terreſtria, ac volatilia perfectiora ſint piſcibus, & vegetabilibus;

communicata

communicata scientia perfectiorum, communicata quoque insinuatur scientia imperfectiorum. Nec est simile de cælis,& terra:quoniam horum perfecta notitia ad totius vniuersi perfectam notitiam spectat: sunt enim hæc primoprima vniuersi principia; & propterea merito diuinæ nominationi reseruata sunt, simul cum maribus, quorum etiam notitia nunquam perfecta habita est ab homine.

Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Ada non inuenit adiutorium contra ipsum.* Et iuxta planum literæ contextum Deus subintelligitur in verbo, *inuenit*: ita, quòd, cùm dixisset de Deo, quòd *formauit de terra, & fecit venire ad Adam, ad videndum*, &c. adiungit nunc: *Et non inuenit Ada adiutorium contra ipsum.* Et dixit hoc ad manifestandum, quare Deus adduxerit volatilia, & terrestria ad perfectam notitiam Adæ: vt pateficret, quòd inter omnia animantia nullum erat, quod posset esse adiutorium correspondens Adæ: vt hinc necessitas producendi mulierem manifesta fieret. Ad quod etiam magis explicandum inducit Deum, tanquàm per huiusmodi collectionem animalium ad Adam, inquirentem, si fortè inueniretur aliquod animal, quod posset esse adiutorium correspondens Adæ; & inquisitione facta, non inuenientem inter huiusmodi animantia adiutorium correspondens Adæ.

Vers. 21. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea[r].] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecit cadere* יהוה אלהים *soporem super Adam,& dormiuit: & tulit vnam de costis eius, & restituit carnem pro ea.* Cogor ex ipso textu, & contextu intelligere hanc mulieris productionem,non vt sonat litera; sed secundùm mysterium, non allegoriæ, sed parabolæ. Textus in primis dicens, ablatam fuisse costam ex Adam, si, vt sonat litera, intelligitur, ineuitabile absurdum incurritur; vel, quòd Adam fuerit monstrum ante sublatam ex eo costam; vel, quòd fuerit mancus post sublatam ex eo costam: quorum vtrunque manifestè est absurdum: nihil autem absurdi in prima rerum productione asserendum esse, confessum est ab omnibus. Et patet sequela: quia, si costa illa erat superflua homini: ergo monstruosus homo. Et significanter dico, *homo*, ad differentiam principij: quandoquidem, etsi non fuisset monstruosum principium humanæ naturæ; (quia costa illa erat de integritate primi hominis, quatenus principij: ita quòd non erat superflua Adæ, quatenus erat principium humanæ naturæ:) erat tamen monstruosus homo; quia habebat costam superfluam homini. Si verò costa illa necessaria erat homini, constat, quòd illa sublata redditus est homo mancus.

[r] Et quamuis verba textus inter mulieris, & viri creationem aliquod temporis spatium intercessisse notare videantur: est tamen hoc ratione reiciendũ: vt, quemadmodum illud: *Non est bonum, hominem esse solum: faciamus ei adiutorium* &c. ad tẽpus, quo Deus hominem creare volebat, referendũ intelligimus: similiter & illud: *Ada non inueniebatur adiutorium simile eius*, &c. Nimirũ, cùm iã animalia essent producta, nullúmque inter illa rationale, nullúmque homini simile extaret, virque, cum adiutorio consimili, Dei consilio producendus esset, iam hominem formásset, etiam mulierẽ simul plasmauit.

Contextus quoque idem insinuat: nam adducere animalia coram Adam, & non inuenire inter ea adiutorium correspondens ei, si secundùm literam intelligatur, ridiculam inquisitionem significat: in cuius enim mente verti poterat in dubium, an inter aues inueniretur adiutor correspondens Adæ? Vnde huiusmodi diuina inquisitio introducta à Mose, dicendo: *Et non inuenit*, ad hoc introducta est, vt intelligeremus, formationem subsecutam mulieris ex costa viri, non esse iuxta sonum literæ intelligendam, sed similitudinariè: quemadmodum ipsa inquisitio diuina, secundùm similitudinem intelligenda est; hoc est, quòd ad similitudinem inquirentis, non inuenit. Accedit ad idem Textus Mosi de sexto die, in quo manifestè scriptum est, masculum, & fœminam creauit eos: ex hoc enim, quòd Moses scripserat, mulierem creatam esse sexto die, & posteà translato homine in Paradisum describit eam ex costa viri formatam; aditum intelligendi huiusmodi formationem ex costa[s], non propriè, sed secundùm similitudinem dedit: producta siquidem sexto die muliere, non esse intelligendum putauit, quòd iterum produceretur.

[s] Non admirari debes, si Authoris sententia hoc loco nimis recẽs videatur: nã hic locus vnus ex multis Scripturę est, qui antiquis Doctoribus non modicam difficultatem exhibuit. Sed, quãuis Authoris sententiam, aut probãdam, aut improbandã peritiorũ iudicio relinquam: non possum tamen satis admirari miras illas tragœdias, quas Catarinus quidam, & hoc loco, & in aliis multis, in hunc Authorem excitauit, clamans, vociferans, & ingemiscens, hæreses esse, & errores in nostro Authore. Non sine magna tãti Viri iniuria, ac summa detractione: vt si eius libellum citra affectum legas, liceat videre, quàm modestiæ Christianæ Catarinus sit egentissimus: nihilq; occurret, nisi subsannationes, mordacissimi latratus, irrisiones huius probatissimi Viri. Vsi sunt fateor sancti Viri reprehensionibus, Basilius, Athanasius, & inter sese Augustinus, & Hieronymus: sed magna cum modestia: Catarinus sũma cum Authoris ignominia. Sed, quid de illius in Doctorem nostrum censuris, docti iudicent, ipse viderit. Nos certè eruditionẽ incomparabilẽ tanti Viri sẽper admirabimur, cuius pietatem vtinam imitaremur: nec credã,

Et confirmatur assertio productionis mulieris in sexto die, ex eo, quòd ibidem, & non hic subiungitur benedictio diuina: *Fructificate, & multiplicate*, &c. quæ tamen benedictio differenda erat post productam mulierem, si mulier ex costa viri corporaliter formata est: data siquidem tunc, & non nunc benedictio ad generandum, per commixtionem viri, & mulieris, attestatur, quòd tunc, & non nunc mulier est corporaliter producta. Vnde & Dominus in Euangelio ex illis verbis: *Masculum, & fœminam creauit eos.* docet, tunc institutum fuisse coniugium ab ipso Deo. Et rationi ergo rectè, & contextui, & Textui sacræ Scripturæ quadrat, vt hæc mulieris formatio ex viri costa non intelligatur corporaliter, sed secundùm similitudinem. Nec obstat, si obiiciatur, quòd productio mulieris ex costa viri à Scriptura narratur per modum historiæ, seu rei gestæ: tum, quia non minùs narrantur per modum historiæ sex dies naturales cum vespera, & mane; & tamen non oportet intelligere opera illa fuisse facta per huiusmodi naturales sex dies: tum, quia pœna serpentis inferiùs per modum quoque historiæ describitur; & tamen puerile esse constat, intelligere illam corporaliter, vt sonat. Non aduersatur igitur sensus iste sobrio sacræ Scripturæ sensui: quemadmodum sobrius sensus inquisitionis diuinæ supradictæ est, quòd ad similitudinem inquirentis, & non inuenientis, Deus describitur.

Scito itaque, quòd id, quod Philosophi tradiderunt de productione mulieris, quòd est vir læsus; hoc Moses sub metaphora tradidit. Multùm tamen interest inter cõsiderationem Philosophorum, & Mosi: quoniam illi productionem mulieris relatiuè ad sexum considerauerunt; Moses verò productionem mulieris relatiuè non solùm ad sexum, sed ad vniuersam vitam moralem tradidit: & propterea metaphora vsus est constante ex multis partibus; quarum prima est profundus somnus in viro. Nec describitur somnus ex euaporatione cibi consurgens; (ieiunus enim erat, quantùm ex Scriptura habetur:) sed immissus à Deo. Et vt metaphoricè somnus intelligeretur, describitur Adam dormiisse; & tamen non describitur ipsum expergefactum fuisse, seu euigilasse: somnus enim profundus immissus à Deo, viro, ex quo producenda est mulier; similitudinem gerit defectus virtutis virilis, vnde naturaliter producitur mulier: homo enim dormiens semihomo est: & similiter principium generans mulierem,

quòd minima nubecula, tanti Solis gloriam, & radios obscuratura sit. Hic verò quàm dextrè, quàmq; strenuè Catarinus Authoré nostrũ de Adæ costa prostrauerit, aliis censendum permitto. Mihi certè & costas, & ossa omnia virulentia plena in Caietanum habere videtur Catarinus.

mulierem, semiuirile est: & propterea à Philosophis mulier dicitur vir læsus. Et quoniam huiusmodi defectus non est per accidens, respectu vniuersalis naturæ; sed ex intentione diuina ad propagandam, & conseruandam speciem; ideò describitur, soporem (hoc est, profundum somnum huiusmodi) immissum esse à Deo. Et Hebraïcè à cadendo describitur hic viri somnus: quia verè casus est virtutis virilis. Quemadmodum autem somnus viri defectum productiui principij naturalis in productione mulieris relatiuè ad sexum significat: ita costa vnica ex viro ablata ad formandum mulierem, repræsentat productionem mulieris relatiuè ad vitam moralem. Ablatio siquidem costæ ex viro in formandam mulierem, quatenus costa est os, similitudo est diminutionis roboris ex animo viri ob vxorem: quatenus verò est costa, similitudo est socialis inter virum, & vxorem; ita, quòd nec superior viro, nec serua viri, sed collateralis esset viri. Quatenus auté vna, similitudo est minimi roboris, tũ corporis, tũ animi mulieris: & perinde, vt proportio viriũ muliebriũ ad vires viriles sit, quéadmodum proportio vnius costæ ad reliquas costas omnes. Restitutio verò carnis pro costa, similitudo est repensationis, quæ fit viro, dando illi carnalem generationem, ac propagationem filiorum, loco diminuti roboris animi ex coniugio: excusatur siquidem vir incurrens diminutionem virilis animi, ducẽdo vxorem, ex hoc, quòd dat operam carnali conseruationi speciei humanæ. Et attribuitur etiam tetragrammaton modus producendi mulierem: vt etiam actor intelligatur deficientium modorum producendi.

Vers. 22. Et ædificauit Dominus Deus costã, quã tulerat de Adam, in mulierẽ: & adduxit eam ad Adam.] Iuxta Hebræũ habetur: *Et ædificauit* יהוה אלהים *costam, quam tulit de Adam, in mulierem: & fecit venire eam ad Adam.* Ædificatio costæ in mulierem, ex ipsa metaphora ædificationis significat mulierem ad hoc fieri, vt sit ædificium hominis; vt sit velut domus fouens hominem in hominis initio. Quòd autem fecit venire mulierem ad Adam, manifestè repræsentat, quòd vxor ad habitandum cum viro, & non vir ad domum vxoris accedere debet: vt nationum omnium mos, naturalis inclinationis testis, habet. Vbi etiam aduerte, quòd vndique Moses insinuat, sermonem suum esse metaphoricè intelligendum: nam, si corporaliter mulier formata fuisset ex costa viri, ibidem iuxta virum fuisset formata, & non aliò abducta, vt inde oportuisset eam venire ad Adam. Ex hoc itaque, quòd describitur, quòd fecit eam venire ad Adam; insinuat, quòd metaphoricè loquitur. Et hoc opificium attribuitur etiam tetragrammaton: vt fons essendi significetur actor etiam operum imperfectorum, quale est mulier: ita quòd Moses studeat ad persuadendum, vt contra dogmata philosophantium credatur, summum essendi principium distribuere non solùm diuersos gradus rerum; sed etiam imperfectas res, quæ præter intentionem naturæ sunt, & imperfectos producendi modos ex defectu agentis prouenientes, aut ex materia.

Vers. 23. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.] Iuxta Hebræum habetur. *Et dixit Adam: Ista vice, os de ossibus meis, & caro de carne mea.* More eorum, qui, tanquàm decepti, incurrunt in aliquid, quod oportet eos subire; describitur Adam, quum primùm vidit mulierem sibi datam, dixisse: *Ista vice.* debet enim ibi fieri punctus: quia est sermo mutilus, solitus huiusmodi deceptis: consueuimus enim mutilo sermone dicere in huiusmodi euentibus cum quadam emphasi, *ista vice:* significantes, quòd ista vice incidi, seu illaqueatus sum, aut aliquid eiusmodi: & hoc ad significandum, quòd vir illaqueatur laqueo coniugij accipiendo vxorem. Quòd autem subdit: *Os de ossibus meis, & caro de carne mea.* mulieris manifestat naturam simul, & productionem. Mulier enim quælibet, cùm sit vir læsus, est os ex ossibus virilibus, & caro de carne virili, quantùm ad productionem: intendit enim virile semen ad producendum virum; sed, defectu interueniente, impotens facere virum ex integro, efficit virum læsum, hoc est, mulierem: & sic mulier est os ex ossibus virilibus intentis, & caro de carne virili intenta. Et significanter dicit, *os*, non ex osse, sed *ex ossibus:* ad significandum minimum virilis roboris saluari in muliere. E contra non dicitur: Et caro de carnibus meis. sed, *Caro de carne mea;* quia, quanuis imperfectior caro sit mulieris; non tamen minor carnalis affectus: imò tantò maior, quantò minori animi robori est iunctus.

Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.] Iuxta Hebræum habetur: *Et huic vocabitur vira, quoniam de viro sumpta est ista.* Hebræo idiomate vir appellatur, *isc:* & inde deriuatur nomen mulieris, *isca:* & propterea ad huiusmodi deriuationem manifestandam, expedit fingere nomen mulieris deriuatum à viro: & proportionaliter ad Hebræam deriuationem fingitur vira. Et ratio deriuati nominis est deriuatio rei ex re, mulieris ex viro, viri læsi ex viro: quod, quia commune est quibuslibet mulieribus, pronomina, *hæc*, &, *ista*, non exercent demonstrationem personalem, sed simplicem; non illi primæ mulieri hoc fuit nomen proprium, sed commune vniuerso generi mulierum: nomen enim proprium illi primæ mulieri inferiùs imponetur in cap. 3.

Aduerte, prudens lector, quòd, quia Moses scripserat in sexto die: *Masculum, & fœminam creauit eos.* sollicitè posteà studuit explicare necessitatem, & rationem faciendi mulierem: tum, ne intelligeretur, quòd Deus primæua intentione fecerit mulierem, creaturam quidem rationalem, sed minimum rationis in vsu habentem; ac per hoc mollem animo, & humanæ ruinæ causam: tum, ne eadem ratione intelligeremus factam fœminam hominis, & fœminas aliorum animalium. Descripsit autem necessitatem, non solùm proprietate: quia *non est bonum, virum esse solum*; sed etiam metaphora inquisitionis inter alia animalia: & similiter rationem, quia de viro sumpta est. Hoc enim verum est proprietate verborum; sed modus per costam extractam verificatur metaphoricè: cóstat enim, non virum ex viro læso; sed virum læsum ex viro deriuari secundùm primæuam originis rationem, ac ordinem. Quocirca hæc sententia: *Huic vocabitur vira, quia de viro sumpta est ista.* non metaphoricè, sed secundùm

dùm proprietatem intelligenda est: metaphora autem somni, costæ, restitutæ carnis, ædificij, aduentus mulieris, & querimoniæ, ad vxoris conditiones verissimas describendas intelligenda est, vt exposuimus.

Vers. 24. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem; & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna.] Iuxta Hebræum habetur: *Propter hoc relinquet vir patrem suum, & matrem suam; & adhærebit in sua vxore: & erunt in carnem vnam.* Vniuersa de muliere dicta referuntur, dicendo: *Propter hoc.* & mos coniugij manifestè describitur. Et, quia dictum est superiùs, quòd Deus fecit venire mulierem ad Adam, exponitur modò, quo pacto coniunctio viri ad vxorem, quæ venit ad eum, intelligenda sit, tum quoad curam, tum quoad carnem. Et quoad curam quidem dicit, quòd *relinquet vir patrem suum, & matrem suam.* quoad officia curæ: naturalis siquidem, ac rationalis mos habet, vt vir, antequàm vxorem habeat, officia sua exhibeat patri, & matri, curam ipsius gerentibus: postquàm vxoratus est, officia sua impendat vxori, & consequenter filiis. Vnde adhæsio viri in sua vxore, mutua officia inter virum, & vxorem significat: vt sic vir officia sua exhibeat vxori, vt in illa sustineantur, rependendò muliebria officia. Ad differentiam meretricis, cuius non est rependere vices officiis: & propterea de illa non potest verificari, quòd vir adhærebit in illa. Officium demum carnalis coitus inter virum, & vxorē, explicatur dicendo: *Et erunt in carnem vnam.* [b] hoc est: Et erunt habentes carnem pro indiuiso. Hæc siquidem est vera natura coniugij, vt tam caro viri, quàm mulieris, sit vtriusque; quemadmodum res, quæ pro indiuiso possidetur: vnum enim indiuisum significat: hoc est enim, quod posteà Apostolus sub aliis verbis dixit; quòd *non habet potestatem sui corporis, sed vxor; & vxor non habet potestatem sui corporis, sed vir.* Et ex eo, quòd absque determinatione temporis dicitur: *Et erunt in carnem vnam.* (non ad mensem, aut annum:) vniuersum vitæ tempus insinuatur esse tempus coniugij.

[b] Multi hæc verba: *Erunt duo in carne vna, &c.* simplicissimè exponūt: vt sit præcedentis clausulæ expositio: tāquā si diceret: Ita adhærebit vir vxori, vt velut vnus homo censeantur. Quod & Paulus Ephesiorum c. 5. dilucidè explicat, virum, caput mulieris: mulierem autē, corpus, & carnem viri appellans. Sed Doctoris expositio multùm placet, licèt Catarinus ex ea, vincula omnia coniugij, & affinitates Authorē destruxisse inferat, suis solitis illationibus.

Vers. 25. Erat autē vterque nudus, Adam, scilicet, & vxor eius: & non erubescebant. Iuxta Hebræum habetur: *Et fuerunt ambo nudi, Adam, & vxor eius: & non pudebit eos.* Quia nuditas, secundùm se, non est turpis; verecundia autem est de turpi: ideò in primæuo statu innocentiæ nullam verecundiam pariebat nuditas: sicut nec pariet post resurrectionem corporum. Et describitur per tempus futurum, dicendo: *Non pudebit.* ad significandum, quòd non in momento temporis adfuit pudor: sed perseueraturi erant nudi absque verecundia, durante statu innocentiæ.

CAPVT III.

VERS. 1. SEd & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus: qui dixit ad mulierem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et serpens fuit callidus plusquàm omnis bestia agri, quas fecit* אלהים יהוה: *& dixit ad mulierem.* Tum communibus locutionibus sacræ Scripturæ, tum propriis Textus huius quadrat, serpentis nomine non propriè intelligere animal illud brutum, sed metaphoricè Diabolum. Communibus quidem, quoniam animalium nominibus vtitur sacra Scriptura pro rationalibus creaturis, iuxta illud: *Ecce agnus Dei.* & rursus: *Vicit leo de tribu Iuda.* & Apoc. 12. Diabolus non solùm draco, sed etiam serpens appellatur. Vnde, sicut ibi non intelligitur Diabolus in corporea specie serpentis; pari ratione nec hîc. Propriis verò: tum, quia serpenti attribuitur maior prudentia, seu astutia, quàm cæteris animantibus brutis: quod constat esse falsum de animali, qui vocatur serpens, si fides datur Philosophis, qui animalium naturas scrutati sunt. Imò ad hoc Moses serpentem descripsit prudentiorem cæteris, vt intelligeremus, quòd non de serpente, quod est animal irrationale, loquitur; sed de Diabolo officium serpentis exercente, serpendo ad venenandum [a]. Tum, quia locutio attribuitur serpenti, quam constat animali bruto non conuenire: vt per attributum quoque serpenti sermonem intelligeremus, quòd de serpente intellectuali loquitur.

At, si dicatur, quòd serpens miraculosè locutus est opera Diaboli, quemadmodum asina Balaam locuta est opera boni Angeli; in promptu est exclusio similitudinis: quoniam Num. 22. vbi asina locuta scribitur, manifestè Moses exprimit causam dicendo: *Aperuitque Dominus os asinæ, & locuta est.* hîc autem idem Moses nullam afferendo causam miraculi locutionis serpentis; sed tantummodò dicendo, quòd serpens locutus est mulieri; insinuauit, nullum interuenisse miraculum; ac per hoc non serpentem, animal irrationale, locutum fuisse; sed serpentem intellectualem. Tum ex pœna, quæ inferiùs infligetur serpenti; quam constat non animali irrationali, sed Diabolo inflictam. Accedit ad hoc, quòd nihil scribitur de aduentu serpentis ad mulierem; nihil de horrore mulieris ad præsentiam serpentis; quum tamen Moses fugerit præsentiam serpentis Exod. 4. nihil de admiratione mulieris, quòd serpens loqueretur: sed describitur solùm, quòd serpens erat callidior; & quòd allocutus est mulierem; & quòd illa responderit, tanquàm domestico collocutori: quia verè plusquàm domesticus collocutor est Diabolus, serpentinis suggestionibus interna nostra pulsans.

[a] Quamuis Doctoris opinio apud D. [illegible] [illegible] [illegible] : [illegible] in [illegible] [illegible] videtur, quòd si Dæmon in serpentis imagine nō sit visus, serpens à Mose appellatur: nam, quid Deum virum appellauerit, cùm dixit, tres viros Abrahamo apparuisse, eò factum est, quòd in hominis simulacro tunc Deus ipse visus sit. Sed hoc loco, quid Dæmoni cum serpente? Putarim igitur hic à Mose Dæmonem serpentem nominatū, eò quòd illo tempore sic vulgo diceretur: quæ appellatio ad Christum, Ioannē, & Apostolos vsque mansit, cùm Phariseos *genimina viperarum*, id est, filios Diaboli vocauit. Illud verò, quod dicitur, serpentem callidiorē fuisse cunctis animantibus terræ, principaliter pro homine dictum accipio: voluit enim Moses exprimere, eū serpentē callidiorē homine fuisse, vt qui hominem fraude seduxerit.

Nec obstat huic sensui, quòd relatio fiat ad cunctas bestias terræ: cùm Diabolus sit prudentior non solùm cunctis bestiis terræ, sed etiam homine. Quadrat siquidem, & optimè quadrat hæc relatio metaphorico sermoni: quoniam Diabolus ex peccato redactus est in ordinem bestiarum, cadens ab ordine intellectualium creaturarum: & propterea serpentis nomine appellatur, & cunctis bestiis comparatur. Si hoc, Nouitie, non penetras, scito, inter creaturas rationales, & irrationales hanc esse differentiam, quòd rationales sunt creatæ propter seipsas, hoc est, ad felicitatem propriam; irrationales verò sunt creatæ propter alia, vtpote non capaces felicitatis: & hinc fit, vt Dæmones, qui à felicitate consequenda defecerunt, ceciderint ab ordine rationalium creaturarum, & redacti sint in ordinem irrationalium; hoc est, vt sint iam non propter seipsos, sed propter alios, hoc est, electorum gloriam. Quocirca Moses secundùm ordinem gratiæ, & relatiuè

latiuè ad ea, quæ sunt cælestis patriæ, loquendo de Dæmone, aptè nominauit ipsum nomine bestiæ, & prudentiam eius retulit ad cæteras bestias, tanquàm ad res sui ordinis: tanquàm prudentia eius sit similis prudentiæ bestiarum: vtpote ad aliquid vtile, sibi inutile omninò ad felicitatem consequendam.

Non fuit igitur sermo vocalis, sed sermo internæ suggestionis, quo Diabolus serpere venenosa cogitatione incepit. Et eodem sermonis genere vniuersus iste dialogus inter serpentem, & mulierem intelligendus est. Sunt autem sensus isti metaphorici non solùm sobrij secundùm sacram Scripturam; sed non parum vtiles Christianæ fidei professioni, præcipuè coram sapientibus mundi huius: percipientes enim, quòd hæc, non, vt litera sonat; sed metaphoricè dicta intelligimus, ac credimus; non horrent hæc de costa Adam, & serpente, tanquàm fabellas; sed venerantur mysteria, & faciliùs ea, quæ sunt fidei, complectuntur. Nec hinc datur ansa interpretandi reliqua metaphoricè: quoniam non alia, sed hæc habent ex hoc ipsomet Textu testimonia, vt metaphoricè intelligantur.

Cur præcepit Dominus Deus, vt non comederetis ex omni ligno Paradisi?] Iuxta Hebræum habetur: *Etiam quid dixit* אלהים *: Non comedetis ex omni ligno horti?* Interrogatiuè legendum est: & phrasi Hebraïcæ tribuenda videtur transpositio dictionum, *etiam quid*, pro, quid etiam. Plena astutiarum est huiusmodi interrogatio: quam ne intellige sic nudè suggestam: sed, quemadmodum Euangelistæ conclusiones tantùm suggestionum in tentatione Christi scribūt: *Si Filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant. Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* omittendo alia verba, quæ interuenerunt: ita Moses summam suggestionis tantummodò scribit, omissis præuiis, circunstantibúsque verbis. Igitur proponendo, *etiam*, accumulationem legis positiuæ, tum ad legem naturalem, tum ad legem fidei, significat: suggerendo per hoc materiam fastidij super additam legem positiuam: implicitè suggerendo: Nónne sufficit vobis, subditos esse præceptis iuris naturalis, & præceptis fidei? Quid insuper adiecit vobis Deus præceptum iuris positiui, & prohibitionem de eo, quod non est, secundùm se, malum? Hanc enim primam diabolicam astutiam explicauit Moses per aduerbium, *etiam*. Latet quoque sub eodem aduerbio alia astutia tentatiua, an mulier abduci possit à firma fide, quòd Deus dederit hoc præceptum de non comedendo ex illa arbore; interrogando siquidem accumulatiuè ad diuina præcepta, explorat, an mulier diuertat à credendo, quòd hoc fuerit diuinum præceptum.

Dicendo verò, *quid*; astutè tentat, quorsum Deus hoc adiecerit præceptum: an comminatoriè, seu ad terrendum; an secundùm veram exequendi intentionem Deus hanc prohibitionem adiecerit: sic enim omni ex parte suggestio hæc astuta (videlicet, ex parte authoris; ex parte superadiuncti præcepti de indifferenti; & ex parte finis, seu euentus) proposita est: vt aliqua ex parte aditus serpentis veneno ad mulieris animum aperiretur. Nec abs re tacet præcepti nomen, & generico vtitur vocabulo, *dixit*: ad alleuiandum siquidem prohibitionem diuinam ex industria sic suggessit. Astutè quoque non proponit arborem vetitam simpliciter, & absolutè; sed per modum exceptionis ab omni arbore, dicendo: *Non comedetis ex omni ligno.* vt ipsa exceptio suggesta displicentiam pareret in animo mulieris, prohibitionis diuinæ: exceptio nanque, suapte natura, exosa est, præsertim rei eiusdem generis, & eiusdem rationis, ac indifferentiæ: præsefert enim non rationalem, sed voluntariam esse exceptionem vnius arboris à cæteris arboribus.

Vers. 2. Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur:] *Vers. 3.* de fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud; ne fortè moriamur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit mulier ad serpentem: De fructu ligni horti comedemus: & de fructu ligni, quod est in intus horti, dixit* אלהים*: Non comedetis de ipso, & non tangetis in ipso: ne fortè moriamini.* Tactus mulieris animus circa libertatem ex serpentis verbis, excitatur primò ad tuendam libertatem: vnde defendendo suam libertatem, respondet ad exceptionem. Proposuerat serpens indefinitam exceptionem, non explicando, an vna arbor, an plures arbores exceptæ fuissent; sed dicendo: *Non de omni ligno horti.* hinc enim pulsatus est mulieris animus, ad manifestandum, libertatem suam extendi ad omnes arbores horti, vnâ duntaxat excepta, quæ est in intimis horti. Ac si apertiùs dixisset: Non multa est adempta nobis libertas; sed circa illam arborem tantùm. Et dicit in futuro, *comedemus*: vel, quia adhuc erant ieiuni: vel saltem ad significandam perseuerantiam ad liberè comedendum fructus reliquarum arborum.

Quoad authorem verò præcepti respondet immota mulier, asserendo, Deum indixisse huiusmodi prohibitionem, tum viro suo, tum sibi, dicendo: *Dixit* אלהים *: Non comedetis.* Ex quo Textu eliciuntur duo. Alterum, quòd Deus per seipsum, & non per Adam, intimauit hoc præceptum mulieri [b]: hoc nanque fatetur ipsa mulier, dicendo: *Dixit Deus: Non comedetis.* in plurali numero. Hoc etiam ratio suadet: nam, si ex relatione viri sui tantùm mulier notitiam habuisset præcepti huius, facilè deiecta fuisset ab assertione, quòd Deus dixit; & respondisset: Vir meus retulit, quòd Deus prohibuit: Non comedetis. & hæc fuisset facillima via deducendi mulierem ad transgressionem. Ipsa itaque constantia mulieris in assertione, quòd Deus dixit, testis est, quòd Deus vtrique dixit. Alterum, quòd mulier erat creata, quando Deus dixit homini: *In quacunque die comederis de ligno scientiæ boni, & mali; moriendo morieris.*

[b] Secūdo capite, cùm de hoc præcepto Moses loquitur, eum homini, non mulieri datum recenset: ea, nempe, ratione; quia nondum de muliere sermonem fecerat: &, vt omnia suo ordine, ac connexè narraret, hic iam, cùm de mulieris, & serpentis colloquio esset sermo, tanquàm apto loco illud idem præceptum homini datum, mulieri etiam promulgatum insinuat.

Quoad vinculum verò præcepti, respondit mulier exaggerando ipsum: nam Deus dixit: *Non comedetis de ipso.* mulier verò exaggerando præcepti vinculum adiungit: *Et non tangetis in ipso.* Quemadmodū enim mulier inhibita à marito, ne domum exeat, quum interrogatur, cur non exit, respondet: Mihi non licet extra cameram meam pedem ponere. exaggerando displicens sibi mariti præceptum: ita prima mulier, exaggerando

exaggerando diuinum præceptum,refert,quòd nec tangere fructum illum sibi liceret: huiusmodi enim exaggeratio testis est internæ displicentiæ. Ita, quòd verè serpsit Diabolus in mulieris animum: primò,excitando in ea affectum libertatis: & inde consequenter displicentiam vinculi præcepti tantam,vt proruperit in exaggerationem præcepti.

Ad rationem demum præcepti propositam à serpente,respondit: *Ne fortè moriamur.* Vbi aduerte,quòd dictio Hebraïca interpretata, *ne fortè*, non habet omninò certam interpretationem:est enim vnum aduerbiũ,*pen*, quod multi dicunt significare, *non quando:* multi autem significare,*ne fortè*. Crediderim ego tamen certũ esse,quòd est aduerbium dubitandi, & nullam esse inter has significationes differẽtiam quoad rem,sed tantummodò quoad verba:& frequenter inuenitur in dubiis mali, vt patet hîc,& Genesis 26. bis in verbis Isaac dubitantis, ne occideretur in Geraris: & in Psal. 38. vbi vulgata editio habet: *Nequando supergaudeant inimici mei.* Et quanuis in his mulieris verbis appareat prima fronte manifesta diminutio diuini præcepti: (nam Deus asseuerat: *Moriendo morieris.* mulier verò refert,quòd dixit sub dubio: *Ne fortè moriamini.*) si tamen perspicaciùs consideratus fuerit sensus intentus, apparebit, quòd propriã interpretationem mulier inseruit referendo diuinum præceptum secundùm sensum, quo ipsa intelligit illud: huiusmodi enim relatio suapte natura pullulat ex displicentia præcepti: quod enim nobis displicet, ex eo, quòd elongatur à nobis, (displicentia enim elongatiua est,) elõgatur quoque à credulitate:quę enim nobis displicent,minùs credimus. Et hinc effectum est, vt, quanuis mulier nõ dubitauerit,Deum indixisse præceptũ illud;hæsitauerit tamẽ,an pœnã mortis Deus apposuerit cõminando, an cum animo eam infligendi:& propterea non animo referẽdi falsò diuinũ præceptũ,sed manifestando hæsitationẽ suã de sensu diuini præcepti apposuit, *fortè*. Et hic sensus quadrat valdè subiunctis à serpente suggestionibus. Serpsit ergo diabolicum venenum in affectum,& intellectum mulieris: in affectum quidem, per displicentiam præcepti, vnde statim prodiit exaggeratio vinculi: in intellectum verò,per hæsitationem futuræ pœnæ,vnde prodiit hæc relatio.

Vers. 4. Dixit autem serpens ad mulierem:Nequaquam morte moriemini.] *Vers.* 5. Scit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri,& eritis sicut Dij scientes bonum,& malum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit serpens ad mulierem: Non moriendo moriemini: quia sciens* אלהים, *quòd in die comedere vestri de ipso aperientur oculi vestri,& eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum.* Hæc serpentis verba: *Non moriendo moriemini.* cum adiuncta ratione: Quia Deus scit. testantur, quòd mulier in dubium reuocauerit pœnam mortis: indirectè enim, & statim Diabolus sciens, quòd, dum in dubio est animus, paulo momento impellitur; statim suggerit negatiuam, & affert rationem ex certitudine scientiæ diuinæ de euentu. Ac si apertiùs dixisset: Noli dubitare de comminata pœna mortis, quam sub dubio dicis Deum protulisse: quoniam ipse Deus non est dubius; sed est certus de euentu opposito; hoc est, de euentu bono, si comederitis ex fructu ligni illius Et argumentum assumpsit ex nomine arboris [c], quæ vocabatur arbor scientiæ boni, & mali: hinc enim optimum successum comestionis proponit,prę cognitum esse à Deo

Distinguit autem bonitatem euentus in tres partes, iuxta tria bona valdè appetibilia. Primum est libertas ab impedimentis sciendi: & hæc proponitur dicendo: *Aperientur oculi vestri.* est enim sermo metaphoricus de oculis mentis, ad similitudinem oculorum corporis: clausi siquidem oculi impediuntur à videndo: aperti autem liberi sunt ad videndum. Cerne astutiam serpentis:affectui mulieris excitato ad libertatem, proponit, quòd succedet ei libertas ad videndum. Aliud naturaliter appetibile est perfectio sciendi: & hoc proponitur futurum, dicendo: *Scientes bonum, & malum.* Et in hoc libertas quoque sciendi promittitur ex hoc ipso, quòd scire dicitur non arctatum ad bonum, sed extensum quoque ad malum: habet enim quandam seruitutis speciem,non posse scire,nisi bonum: & similiter quandam libertatis speciem, liberè scire bonum, & malum. Amborum autem appetibilium ratio optima proponitur,assimilatio ad Deum, seu Deos. Et verè in hoc tangitur ratio amatæ libertatis, & cuiuscunque scientiæ:excellẽtia siquidem ratio est, vt hæc placeant: & multò magis excellentia tanta,vt homo assimiletur Deo, seu Diis. Dico autem, Deo,seu Diis: quia non est vsquequaque certũ, an Diabolus loquatur de vero Deo, an de Angelis: nam dictio אלהים (quæ hîc habetur) in Scriptura quãdoque pro Deo supponitur, quandoque pro Angelis. Apposuit etiam hoc Diabolus, vt excluderet à mulieris animo,quòd scire bonum,& malum (vnde arbor illa nominabatur) esset malum: per hoc enim, quòd redderet eos similes Angelis, seu Deo, proponit eis, quòd tale scire est bonum; vtpote conueniens Angelis,seu Deo. Et de Angelis quidem veritatem dixit: de Deo autem mentitus est, quoniam Deus non potest nosse malum per experientiam;quia experiri malum tam culpæ,quàm pœnæ,est imperfectionis.

Aduertendum quoque est in hac serpentina suggestione, quòd in numero plurali semper loquitur, dicendo: *Non moriemini. comedere vestri.* & huiusmodi: tendit enim ad hoc, vt mulier non sola comedat; sed,vt inducat etiam virum ad comedendum fructum vetitum. Nec prætereas,quòd in hac suggestione prohibitionem comedendi fructum huius arboris retorquet Diabolus in voluntatem Dei,nolentem,vt homines haberent tantum bonum sciendi bonum, & malum. Nam dicendo, quòd Deus scit hoc tantum bonum euenturum ex esu illius arboris,nihil aliud dicit, quàm quòd ideò prohibuit,vt homo non haberet tantum bonũ. Verùm callidè noluit hoc explicare, ne apertè videretur prouocare mulierem aduersùs Deum: sub specie enim boni suggestiones suas palliabat,vt non cognosceretur hostis, sed suggerens bonum mulieri, & viro eius.

Vers. 6. Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectúque delectabile:& tulit de fructu illius, & comedit.] Iuxta Hebræum habetur; *Et vidit mulier,quòd bonũ lignum*

[c] Etsi arbor illa cognitionis boni, & mali nominaretur,eo quòd mali scientiã, id est, experientiam primo homini designaret; mirabili tamen ac dolosa astutia Dæmon, vocis sciendi bonum, & malum æquiuocatione est vsus, ac si dixisset: Non sine causa arbor hæc suum nomen sortita est: illud enim verè conferet, quod nomen indicat, homines Deo similes reddendo, hoc est, beatos efficiendo: quare comedite:non enim sciendi bonum, & malum, nomen est sortita, eò quod experiri malum faciat, seu scire experientia; sed quodam alio diuino modo, qui similitudinem Dei repræsentat. Capiturque hic Dei similitudo pro beatitudine, Ioannis 3. *Cum apparuerit, similes ei erimus.*

lignum ad comedendum, & quòd iucundum ipsum oculis, & desiderabile lignum ad faciendum intelligere: & tulit de fructu eius, & comedit. Quid secutum fuerit ex suggestione serpentina, explicat Moses, describendo tres subsecutas actiones mulieris. Quarum prima est visio, non solùm oculis corporis, sed præcipuè oculis mentis: vidit enim corporeo intuitu arborem vetitam, & fructum eius; considerauitque, & iudicauit circa fructum arboris tria correspondentia tribus viribus hominis, vegetatiuæ, sensitiuæ, & rationali. Ad vegetatiuam siquidem vitam spectat, quòd censuit, fructum illum esse bonum ad vescendum: ad sensitiuam verò, quòd percepit fructum illum visum visui corporali delectabilem; ad rationalem autem, quòd iudicauit, fructum illum concupiscibilem esse ad efficaciam sciendi. Et hoc quidem tertium duplici innitebatur rationi: videlicet, rationi nominis, (vocabatur enim *arbor scientiæ boni, & mali.* ex nomine siquidẽ putauit, arborẽ largiri efficaciam ad sciendum bonum, & malũ: nisi arbor illa vocata priùs fuisset arbor sciendi bonũ, & malum, nequaquã mulier fructum illius ad faciendum intelligere desiderabilem putasset;). & persuasionis serpentinæ. Quòd verò apprehenderetur à muliere vt desiderabilis, oriebatur, tum ex eo, quòd nitimur in vetitum; tum ex appetitu experiendi euentum dubium quidem, sed in meliorem partem interpretatum ex tot conditionibus bonis apparentibus in illo fructu: facilis enim est appetitus (præcipuè muliebris) ad subeundum experientias delectabiles. Secunda actio ex priore, fuit tollere fructum illius arboris. Tertia, comedere. Et aptè primum humani generis peccatum fuit minimum: tum ex radice, affectu libertatis: tum ex ratione peccandi, appetitu assimilationis ad Superos: tum ex re appetita, scire: tum ex specie actus exterioris, comedere fructum arboris bonum, & pulchrum: tum ex causa peccati, seductione: tum ex conditione peccantis, quia mulier: tum ex lege violata, quia positiua.

Deditque viro suo, qui comedit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dedit etiam viro suo secum: & comedit.* Comesto fructu arboris illius, mulier nihil mortis, nihilque mali in seipsa sentiens, animæquior efficitur ad suadendum marito, vt comedat & ipse de fructu eiusdem arboris. Et dicendo, *dedit*, monstrat, quòd ipse Adam non extendit manus suas ad arborem; sed mulier pro se, & pro viro legit fructum ex arbore: vt hinc intelligamus instantiam mulieris ad prouocandum virum. Dicendo verò, *secum*, quum hæc adiectio non nisi superfluè adiungi possit verbo, *dedit*, (quoniam constat, quòd tempore, quo dedit illi de fructu, erant simul, absque hoc, quòd dicatur, *secum*,) consequens est, vt referatur ad comestionem mulieris: ad significandum, quòd cum ea erat vir eius, quando comedit de fructu illius arboris. Et in hoc, primum, peccatum Adæ insinuatur; negligentia, scilicet, cohibendi vxorem à comestione vetiti fructus. In hoc quoque insinuatur facilior aditus datus mulieri ad persuadendum viro, qui præsens neglexerat ipsam cohibere. Et sic consummata est quarta actio mulieris: quia dedit viro suo tanta efficacia, vt ille comederit; non seductus, (vt Paulus Apostolus declarauit) sed tractus ab vxore. Prædicta negligentia eiusdem moris est cum transgressione præcepti positiui; reductiuè tamen: quia non neglexit cohibere nisi violationem iuris positiui. Verùm diuina vindicta consummatum peccatum exterioris comestionis prohibitæ expectabat, vt sensibilis mortis pœna sensibili trãsgressioni comestionis prohibitæ responderet: pœnę enim nõ sunt extẽdẽdæ ad imperfecta peccata.

Vers. 7. Et aperti sunt oculi ambõrum: cùmque cognouissent, se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuerunt aperti oculi amborum ipsorum: & sciuerunt, quòd nudi ipsi: & consuerunt frondem ficus, & fecerunt sibi cincticulos.* Ecce efficacia illius fructus, quatenus prohibiti à Deo, & non naturalis: si enim fuisset efficacia ex vi naturæ fructus, effectus eius apparuisset in sola muliere: sed ex eo, quòd non nisi, postquàm vir comedit, effectus subsecutus est in ambobus; manifestatur, quòd ex vi diuinæ legis annexæ illi fructui, efficacia hæc fuit. Imò hinc perpendimus, quòd lex diuina, annexa huic arbori, data est masculo, & fœminæ coniunctim: quòd enim vtrique data fuerit, testata sunt verba mulieris ad serpentem: quòd verò coniunctim pœna adiuncta fuerit, testatur effectus, quòd non nisi, postquàm ambo comederunt, subsecuta est pœna.

Describitur autem pœna per apertionem oculorum mentis, non ad quencunque actum videndi; sed ad percipiendum se nudos: vt intelligeremus, apertos fuisse mentis eorum oculos ad notitiam experimentalem nuditatis, quatenus turpis: priùs enim, & oculis corporis, & mentis viderant se nudos; sed non nuditate turpi: sumpto autem ligno vetito experti sunt nuditatem sub ratione turpis: & propterea dicitur, quòd aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt se esse nudos. Quòd autem nuditatem [d], tanquàm turpem, tunc primùm experti fuerint, testantur subiunctæ actiones: quòd consuerunt folia ficus ad operiendum pudenda membra, tam antè, quàm retrò: ad hoc enim significandum vtitur appellatione cinctorij, eò quòd omni ex parte operiret pudenda membra. Quamuis enim nuditatem absolutè, (vt Textus dicit,) hoc est, totius corporis, experirentur turpem: quia tamen non habebant, vnde se vestirent; ad partes maioris turpitudinis tegendas se conuertunt; & multitudinem foliorum ficus consuentes, vtendo pediculis frondium pro acu, & filo, confecerunt cincticulos operientes partes ab vmbilico circumcirca ad media vsque crura. Hinc habes, primum opus artis fuisse suere. Si quæris, qua ratione ex peccato reddita est nuditas totius corporis turpis, in promptu causa est: quoniam redditum est corpus indigens vestimento: omnes enim partes corporis operimento indigentes, turpes apparent nudæ: partes autem, quas pudendas appellamus, tantò turpiores sunt redditæ, quantò non solũ ipsæ, sed earũ officia reddita sunt in occulto exercenda.

Vers. 8. Et cùm audissent vocem Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei, in medio ligni Paradisi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et audierunt vocem* יהוה אלהים *ambulantis in horto ad ventum diei, & abscondit se Adam,* &

[d] His Moses sub symbolis voluit innuendo indicare, vtriusque status, ante peccatum & post, conditionem. Itaque, vt [illegible] status felicitatem, secundique [illegible] miseriam [illegible] exprimeret, [illegible] primos [illegible] maxima [illegible] & [illegible] non [illegible] sentirent [illegible] [illegible] pudorum [illegible] ad [illegible] non quod ista [illegible] intelligat: nam & ante peccatum videbant se nudos, cum sapientissimi essent sufficientque pudenda cooperta [illegible] statu [illegible], cum & natura ea [illegible]; sed Moses his omnibus ad similitudinem infantium alludebat; ideoque expressit, post peccatum Adam folijs ficuum pudenda cooperuisse, cum forte antè breuioribus aliarum arborum folijs cooperta essent, nec omnino nudati, quando cum Deo colloquebantur: vt similitudo adducta infantium ad omnia respõderet: vt enim [illegible] pueri, [illegible] primam [illegible] [illegible] quoque experientes facti, verenda occultant; sic & primi homines [illegible] statu constituti, folijs ficuum, [illegible] magis verentes post peccatum, seipsos tegebant.

& vxor eius, à facie יהוה אלהי׳ם *in intus ligni horti.* In specie sensibilis hominis apparuisse Deum describitur ex eo, quòd describitur, tum loquens, tum ambulans, tanquàm ad refrigerium percipiendum ex aura diei; tum formidatus corporaliter ab Adam, & Eua abscondentibus se. Apparuit itaque Deus loquens, & ambulans illa hora diei, qua refrigerans aura quæritur. Et describitur sub vtroque nomine Deus, vt dignatio summi principij essendi, vsque ad hoc, quòd in specie sensibili appareat, innotescat; & ab ipso fonte essendi iudicium singularum nostrarum actionum prodire, tanquàm à proximo iudice, intelligamus. Quid autem loqueretur, non est scriptum; sed quòd locutio ipsa audita fuit ab Adam, & Eua: qua audita, erubescentes ob nuditatem reliquarum partium corporis, confugerunt ad penetralia inter arbores, vt multitudine arborum tegerentur, ne videret eos Deus deambulans ad auram diei: quemadmodum enim multitudinem frondium ficus, frondem appellauit; ita multitudinem arborum appellat hîc lignum.

Vers. 9. Vocauítque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es?] Iuxta Hebræum habetur: *Et vocauit* יהוה אלהי׳ם *Adam, & dixit ad eum: Vbi tu?* Quanuis Deus certissimè nosset, quòd Adam peccauerat, & vbi tunc erat, (absconditus, scilicet, inter arbores:) iudiciario tamen ordine procedere volens, tanquàm iudicium habens à loco occultationis, tanquàm loco accusante, citat Adam interrogando: *Vbi tu?* vt ex ipso loco incipiat conuinci ad confitendum peccatum suum. Exemplum proinde dedit Iudicibus, vt quanuis certissimi forent, quòd aliquis deliquerit, non procedant incitato reo. Et hinc manifestè habes, quòd ista vox diuina, altera est ab illa, quam audierant, deambulante Deo ad auram: nam illa fuit, antequàm absconderent se inter arbores; (fuit enim causa, vt absconderent se;) ista autem fuit, postquàm se absconderant inter medias arbores. Et ratione iam dicta, hæc iudiciaria inquisitio attribuitur Deo sub vtroque nomine.

Vers. 10. Qui ait: Vocem tuam audiui in Paradiso, & timui, eò quòd nudus essem, & abscondi me.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit: Vocem tuam audiui in horto, & timui: quia nudus ego, fui absconditus.* Directè respondet ad rationem reddendam occulti loci. Et quod dicitur, *in horto,* non refertur ad, *audiui;* sed ad, *vocem tuam.* Asserit ergo, quòd vocem Dei in horto loquentis audierat: timuit autem, quoniam verecundia species est timoris. Et rationem verendi reddit: *Quia nudus ego* [e]. Carebat siquidem indumento, & sola pudenda tecta habebat: & inde confugisse se asserit ad remedium absconsionis inter arbores.

[e] Hæc nuditas reliqui corporis erat, pudendis perizomate iam contectis, quæ quidem nuditas pudorem ante peccatum non incussisset: sed post pudore affecit; quia indigentiam ostendit, & ex consequenti peccatum.

Vers. 11. Cui dixit Dominus: Quis enim indicauit tibi, quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti?] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit: Quis nunciauit tibi, quòd nudus tu? si de ligno, quod præcepi tibi non comedere de ipso comedisti?* Ex confessa experientia nuditatis, absque vllo conuitio, absque quacunque exasperatione, procedit ad vlteriora, formando duas interrogationes: alteram in genere: Quis indicauit tibi nuditatem tuam sub ratione turpis? alteram in specie: An comedisti de ligno vetito? vtuntur enim Hebræi coniunctione, *si*, interrogatiuè. Vbi aduerte, quòd cùm notitia nuditatis potuisset ex diuersis peccatis causari, non interrogauit in specie de quocunque grauiori peccato; sed de minimo: omissis enim peccatis contra ius naturæ, & contra credenda, interrogauit tantummodo de peccato contra ius positiuum vnicum, quod tunc erat latum: vt hinc discerent Iudices maleficiorum, abstinere à vitio suggestionis, interrogando reos.

Vers. 12. Dixítque Adam: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit Adam: Mulier, quam dedisti mecum, ipsa dedit mihi de ligno, & comedi.* Respondet, fatendo quidem se comedisse de ligno vetito; sed retorquendo culpam, tum in vxorem, tum in Deum: dicendo enim: *Quam dedisti.* retorquet quodammodo culpam in ipsum Deum, qui dedit ei talem sociam. Dicendo autem, *mecum,* vxorem significat tâquàm sociam: vt Hieron. interpretatus est. Et ad maiorem sui excusationem accusat mulierem, quòd ipsa dedit sibi de fructu illius arboris, & non solùm suasit, vt comederet: & quod excusare non potuit, in alios retorquere curauit.

Vers. 13. Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc fecisti?] Iuxta Hebræum habetur. *Et dixit* יהוה אלהי׳ם *ad mulierem: Cur hoc fecisti?* Præsens mulier accusationi propriæ, & tacens, non interrogatur, si hoc fecit, sed cur hoc fecerit: tanquam tacendo confessa fuerit se fecisse. Et vide dignationem summi Dei, fontis essendi, & Iudicis vniuersorum, in hoc, quòd per seipsum etiam mulierem interrogat.

Quæ respondit: Serpens decepit me, & comedi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit mulier: Serpens abduxit me, & comedi.* Dictio Hebraïca interpretata, *abduxit*, anceps est ad abducere, vel subleuare: & parui refert, vtram significationem sectemur: nam ibi interuenit & seductio, (vt testatur Apostolus,) quæ abductio à vero est; & subleuatio in appetitum assimilationis ad Superos, quoad scire bonum, & malum: quæ subleuatio deceptionem manifestè annexam habet.

Vers. 14. Et ait Dominus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit* יהוה אלהי׳ם *ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus tu plusquam omne iumentum, & plusquàm omnis bestia agri.* Hæc præsentia serpentis testatur, quòd non fuit animal brutum, serpens tentans mulierem: nam Adam, & Eua iam recesserant ab arbore scientiæ boni, & mali, & absconderant se inter frequentiam arborum; & ibi inuenti sunt à Deo interrogante: non erat igitur ibi serpens, brutum animal; quem recessisse, postquàm voti compos fuerat, naturalis ratio suadet, si fuisset brutum animal: intellectualis ergo serpens, etiam ex hoc, quòd præsens iudicio fuit, manifestatur. Nihil interrogat serpentem: vtpote ex certa scientia operantem malum, & pertinacem in malo. Et quatuor ei pœnas infligit: quarum prima est maledictio præ omnibus,

omnibus, tum iumentis, tum bestiis; hoc est, præ omnibus animantibus, tum vtilibus homini, tum nociuis. Iam enim ex supradictis patet, quòd Diabolus in ordinem irrationalium redactus est: & propterea consequenter præ omnibus irrationalibus maledictionem incurrit. Et fit mentio, tum adiuuantium, tum nocentium; eò quòd officium eius est iuuare, exercendo homines; & est nocere, venenando homines. Et ex hac maledictione declaratur, quòd est maledictus, tum in adiuuando, tum in nocendo, præ omnibus irrationalibus. Et verè sic est: quoniam vtrunque mala intentione agit, qua carent irrationalia: & pro vtroque puniendus erit; quam etiam pœnam non expectant irrationalia. Idem Deus sub eisdem nominibus punit serpentem, quibus & mulierem, & virum: vt omni ex parte pateat, Deum, qui est omnium primum principium, & Iudex, esse non agens remotum in iudicando, & puniendo; sed tanquàm Iudicem, & punitorem proximum interuenire etiam in minimis pœnis, tam Dæmonum, quàm hominum.

Super pectus tuum gradieris.] Iuxta Hebræum habetur: *Super ventrem tuum ibis.* Venter officina est cibi digerendi: ac per hoc, super ventrem ire, est, proprium ventrem eundo opprimere; est, propriam cibi officinam eundo opprimere. Officium Diaboli erga locum cibi sui, erga animas peccantium, (illæ enim sunt locus cibi Diaboli, qui pascitur peccatis nostris,) describitur, opprimere illas, eundo, serpendo, proficiendo de malo in peius. Ac si apertiùs dictũ fuisset: Non solùm maledictus eris tu; sed etiam maledicti erunt tui: opprimentur siquidem à te.

Et terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Et puluerem comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Ad serpentem est sermo: ac per hoc omnes dies vitæ eius, vniuersum tempus comprehendunt, quo Diabolus viuit, quatenus serpens. Terminabitur enim vita eius serpentina, adueniente Christo ad iudicium: cessante siquidem tempore merendi, cessabit & diabolicum serpere: vt non solùm ista tertia pœna; sed omnes hæ pœnæ intelligantur inflictæ serpenti; hoc est, Diabolo, officium tentandi exercenti. Vnde & à principio huius sermonis dicitur: *Quia fecisti hoc.* non enim est hic sermo de pœnis Diaboli ratione primi sui peccati; sed ratione veneni propinati humano generi. Durante itaque tempore, *puluerem*, hoc est, rem omninò ineptam ad cibum, *comedes:* quia vsque ad finem mundi vescetur malis actionibus, & pœnis hominum. Quemadmodum enim puluis omninò ineptus est ad alimentum, tam siccum, quàm humidum; ita malum, tam culpæ, quàm pœnæ, omninò ineptum est ad rationalis animi nutrimentum.

Vers. 15. Inimicitias ponam inter te, & mulierem; & semen tuum, & semen illius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et inimicitias ponam inter te, & mulierem; & inter semen tuum, & inter semen eius.* Noli putare ex eo, quòd superasti mulierem, te habiturum dominium super vniuersas mulieres: nam, quanuis mulier ipsa imbecillis sit; ego tamen ponam inter mulierem, & inter te odium inimicitiæ: vt habeat te non in dominum, sed in inimicũ; vt non pareat tibi, sed hostem te sentiat; vt hostem caueat, vt odio te prosequatur. Et hoc impletum videmus in innumeris mulieribus sanctæ vitæ: non ex propriis mulierum viribus, sed ex diuino dono, quo posuit in animis earum odium, non qualecunque, sed omnis generis inimicitiæ: propter hoc enim dicit, *inimicitias*, in numero plurali, inter ipsas, & serpentem Diabolum. Non sufficit inimicum esse Diabolo quoad ea, quæ sunt fidei, aut spei: sed oportet inimicum esse secundùm omnes partes: secundũ ea, quæ sunt castitatis, abstinentiæ, liberalitatis, misericordiæ, & reliquorum sanctorum officiorum. Et, ne glorieris, quòd vniuersum humanum genus in primis parentibus superasti, ac per hoc vniuersa posteritas tibi obnoxia sit, scito, quòd *inimicitias ponam inter semen tuum, & semen mulieris.* Semen Diaboli, zizania sunt, vt Dominus explicat in Euangelio: semen Diaboli peccantes sunt, dicente Domino: *Vos ex patre Diabolo estis.* Semen autem mulieris, homines sunt imbecilles, qui non possent inimicitias exercere aduersùs semen Diaboli, nisi Dominus poneret in eis huiusmodi inimicitias. Quocirca appellatione seminis mulieris sortituri à Deo inimicitias aduersùs semen Diaboli, posteritas est primorum parentum in electis à Deo ad vitam æternam, inter quos supremum locum tenet homo Christus Iesvs.

Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Ipsum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum.* Non de muliere, sed de semine eius dicitur, quòd conteret caput Diaboli. Et potest sententia hæc referri ad genus electorũ: quia electus quisque conterit caput (hoc est, supremam partem) Diaboli; hoc est, officium Diaboli prouocatiuum ad malum culpæ. Conteritur autem in calcaneo (hoc est, in infima sui parte, hoc est, in corpore secundùm malum pœnæ temporalis) à Diabolo. Potest quoque referri ad Christum, qui singularissimè est semen solius mulieris, vtpote conceptus, & natus ex Virgine; qui verè serpentis contriuit caput, hoc est, supremam partem, excellentiam, ac principatum: & contritus est à Diabolo secundùm personam naturalem in calcaneo; hoc est, infima sui parte, in corpore passibili affectus passione, & morte, iuxta dictum eiusdem: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* secundùm autem suum corpus mysticum conteritur quotidie in calcaneo; hoc est, in infima parte sui corporis mystici, hoc est, in malis Christianis.

Perspicaciter contemplare, prudens lector, has pœnas: & perpendes, puerile esse, intelligere has pœnas illatas animali irrationali, quem serpentem vocamus: vt hinc firmetis in intellectu metaphorici sermonis, tum hîc, tum superiùs, vbi Textus ipse ad metaphoricum sensum non solùm inuitat, sed cogit [f].

Vers. 16. Mulieri quoque dixit. Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad mulierem dixit: Multiplicando multiplicabo dolorem tuum, & fœtum tuum.* Quatuor quoque pœnas infligit mulieri proprias vxoribus, eò quòd coniugali affectu traxerat virum ad

[f] Sicut ea, quæ superius de serpente scripta sũt; vtpote, quòd loqueretur, quòd callidior cunctis animantibus foret; ne pro vero serpẽte dicta intelligeremus, dimouebant, tãquam non illi conuenĩẽtia: sic hoc loco è diuerso hæc de serpente

tota descriptio, ac maledictio, vt verum serpentem fuisse cõfiteamur, pellunt: quippe videntur omnia hic inserta illi conuenire. Quæ descriptionis diuersitas consulto à Mose adducta est, vt ad aliud abstrusius meditãdũ progrederemur (sæpè enim Scriptura multa reliquit rationi elicienda. Tradidit igitur Moses in hac serpẽtis maledictione, suo populo rudi, cui hæc describebat, Dæmonem ipsum, ob deceptionem, quam homini fecerat, maximè à Deo punitũ, atque miserum effectum: quemadmodũ terrestrem serpentẽ omnium animantiũ fœtidum reprobatũ, execrabilem populus ipse rudis videbat. Nec à vero multùm distare videbitur, si confiteamur, Dæmoni ex Dei maledictione nouam pœnã essentialem accreuisse: quamuis in statu demerendi nõ esset; hoc tamen Dei speciali priuilegio.

ad peccatum. Prima spectat ad ea, quæ concurrunt ad prolem in vtero; multitudinem dolorum, nõn solùm in vna, eadémque prole, sed in multiplicatis fœtibus affuturam denunciat: est enim ipsa multiplicatio concipiendi in grauamen mulieris, vt ipsæmet testantur.

In dolore paries filios.] Iuxta Hebræum habetur: *Cum dolore paries filios.* Hinc colligitur, quòd tam concurrentia ad gestandam prolem in vtero, quàm concurrentia ad partum, fuissent in statu innocentiæ sine dolore: dolor enim in pœnam adiectus est.

Et sub viri potestate eris.] Iuxta Hebræum habetur: *Et viro tuo desiderium tuum.* Impotentia vxoris ad prouidendum domui suæ, annexa frequenter priuationi desideratorum, tertia pœna describitur in hoc, quòd desiderium eius pendere à marito dicitur. Spectant enim hæ duæ vltimæ pœnæ ad domesticam conuersationem, quam oportet esse inter virum, & vxorem: nam, quia desiderium est rei non habitæ, frequenter coniuges carere desideratis significatur: sæpè enim viri minùs satisfaciunt desideriis vxorum.

Et ipse dominabitur tibi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ipse dominabitur in te.* Et est accusatiui casus pronomen, *te.* Quanuis etiam in statu innocentiæ vxor subdita fuisset marito, (hoc enim integræ naturæ ordo habet:) quia tamen ferè in seruilem subiectionem vxor redacta est, ideò huiusmodi pœna illi irrogata describitur.

Vers. 17. Adæ verò dixit: Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes; maledicta terra in opere tuo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Ada dixit: Quia audisti ad vocem vxoris tua, & comedisti de ligno, quod pracepi tibi, dicendo: Non comedes de ipso: maledicta terra propter te.* Ordo literæ est: *Quia ad vocem vxoris audisti.* ita quòd vox, nõ vxoris significatur audita, sed adimpleta: *audisti* enim ponitur pro quasi adimplesti. Et executio subiungitur, comedere de ligno vetito. Quod autem subditur: *Maledicta terra propter te.* pœnam in genere significat: non enim maledicta terra absolutè, sed *propter te*; hoc est, relatiuè ad te, relatiuè ad tuum bonum, pro quanto est propter te. Quid autem contineat hæc maledictio, explicatur per partes, subiungendo.

In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.] *Vers.* 18. Spinas, & tribulos germinabit tibi; & comedes herbas terræ.] Iuxta Hebræum habetur: *Cum dolore comedes ipsam omnibus diebus vita tua: & spinam, & tribulum germinabit tibi; & comedes herbam agri.* Ecce maledictiones terræ, quatenus est propter hominem. Nec dicit, cum exercitio agriculturæ; sed dicit, *cum dolore:* quoniam agriculturam exercuisset etiam in statu innocentiæ; sed dolorem non incurrisset, qui ei in pœnam inflictus est.

Quòd autem dicit, *comedes ipsam*; ad figuram spectat, qua continens ponitur pro contento. Nec dicitur, quòd spinam, & tribulum germinabit absolutè; sed, *germinabit tibi* [g]: pars enim maledictionis est, quòd germinet homini huiusmodi impedimenta, seu aduertantia.

[g] Ac si diceret: Necesse erit tibi comedere herbas agri: necessum erit viuere ex agro: ipse tamen ager tribulos, & spinas germinabit tibi; quæ & tibi nocebunt; vel solitam terræ vbertatem impediendo; vel dum terrã araueris, teipsum lædendo.

Nec caret quæstione, vltima harum pœnarum: *Et comedes herbam agri.* quo pacto verificatur, hoc esse in pœnam; cùm ante peccatum humanum Deus sexto die dixerit homini: *Ecce dedi vobis omnem herbam seminificantem semen*, &c. Solutio est, quòd, quia Deus ademerat homini necessitatem comedendi herbas, collocando ipsum in Paradiso terrestri, vt vesceretur fructibus arborum Paradisi, ideò modò reducitur in pœnam ad hoc, vt vescatur herbis. Quanuis etiam dici congruè possit, quòd pœna hæc non sonat comedere herbas, sed comedere herbas agrestes: expresse enim dicitur, *herbas agri:* vt intelligamus, quòd homo collocatus in Paradiso vesci potuisset non solùm fructibus, sed herbis horti: in pœnam autem redactus sit in pristinum; hoc est, naturalem statum ad comedendum etiam herbas agrestes.

Vers. 19. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.] Iuxta Hebræum habetur: *Cum sudore vultus tui comedes panem, vsque reuerti tuum ad terram, quia de ipsa sumptus es: quia puluis tu, & ad puluerem reuerteris.* Non solùm maledicta est terra propter hominem; sed & ipse homo punitus est hac pœna: quæ comprehendens vniuersam vitam hominis vsque ad mortem, inclusiuè describitur: ita quòd vita quidem vniuersa laboriosa vsque ad sudorem inclusiuè futura sit: quod videmus in omni hominum statu verificari. Describitur autem sudor in facie: quia ea pars facillima est ad sudandum ex magnitudine, & humiditate cerebri: fluit enim, non ascendit sudor. Et appellatione panis, vniuersum alimentum intelligitur.

Mors verò non violenta, sed per resolutionem naturalem, in pœnam data significatur; ad significandum, quòd propter ademptum beneficium diuinum, seruatiuum hominis à morte, (merente hoc homine,) relictus est homo naturali mortalitati: ita quòd mors, quæ fuisset, absolutè loquendo, suapte natura naturalis homini, reddita est etiam pœnalis, ex hoc, quòd homo meruit perdere donum diuinum seruatiuum à morte.

Et propter huiusmodi naturalitatem, in quam iustè redactus est, afferuntur causæ naturales: *Quia de terra sumptus es.* hæc est enim causa naturalis resolutionis in terram. Et quoniam non de terra immediatè, sed de puluere terræ formatus fuerat; ideò subiungitur proxima materia: *Quia puluis tu.* secundùm corpus: *& in puluerem reuerteris.* Vbi aduerte, quòd, quum dicitur: *Quia puluis tu.* non significatur puluis sub forma pulueris; sed sub forma corporis humani: sicut, si diceremus, quòd panis est farina, non significaretur, quòd est farina sub forma farinæ, sed sub forma panis: quum autem dicitur: *Et in puluerem reuerteris.* significatur puluis sub forma pulueris.

Aduerte, prudens lector, quòd, quemadmodum mors, quæ suapte natura consequebatur hominem, pœna est propter ademptum beneficium ex peccato: ita impedimenta spinarum, dolores, sudores, ac labores inter pœnas supputantur propter beneficium diuinum

uinum præseruatiuum hominis ab istis, ademptum ex eodem peccato. Ita, quòd non est mutata conditio terræ: sed est mutata conditio hominis ex statu priuilegiato in suum naturalem statum.

Vers. 20. Et vocauit Adam nomen vxoris suæ, Heua: eò quòd mater esset cunctorum viuentium [h].] Iuxta Hebræum habetur: *Et vocauit Adam nomen vxoris suæ, Hauuah: quòd ipsa fuit mater omnis viui.* Ecce nomen proprium primæ mulieris corruptum, tam apud Græcos, quàm apud Latinos: & est nomen à viuere dictum apud Hebræos. Vnde & Moses rationem subdit nominis: *Quia fuit mater omnis viui.* Hæc enim verba non fuisse Adæ, sed Mosi; præteritum tempus restatur. Si fuissent verba Adæ, scriptum fuisset: Quia erit mater omnis viui. quoniam tunc nullius adhuc erat mater: scriptum est autem: *Quia fuit mater omnis viui.* vt intelligamus ad tempus Scriptoris referri. Et per omnem viuum, intellige omnem hominem genitum.

[h] Dicunt aliqui, quòd iam genitis filiis, Adam vxori hoc nomen imposuit.

Vers. 21. Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius, tunicas pelliceas [i]: & induit eos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecit* אלהים יהוה *Ada, & vxori eius vestes corij: & fecit induere eos.* Vide benignitatem diuinam erga primos parentes, (quanuis inobedientes ei,) quòd nec inter puniendum omittit prouidere singularissima cura: vt, qui seipsos reddiderant indigentes veste, nec haberent, vnde se vestirent; habeant vestes diuinitùs factas. Et aptè primarum vestium materia corium describitur: vtpote, quòd minimum operis expetit inter materias vestium: laneæ siquidem, & lineæ vestes, multas, & longas præexigunt operas.

[i] Curiosum nimis erit de his pellibus disceptare, si ex extis animalibus fuerint, & ex qua specie animaliũ: de qua re nihil, nisi somniando, discere possumus.

Vers. 22. Et ait: Ecce Adam, quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum: nunc ergo, ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum [k].] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit* אלהים יהוה*: Ecce Adam fuit, sicut vnus ex nobis, ad sciendum bonum, & malum: & nunc ne fortè mittet manum suam, & tollet de ligno vitarum, & comedet, & viuet in sæculum.* Sermo est rationem peccandi exprobrans versam in oppositum. Proposita peccandi ratio fuerat: *Eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum.* Hoc modo ironicè dicitur adimpletum, ad significandum contrarium euenisse: quòd, scilicet, Adam redditus est minor homine, experiendo bonum, & malum, redactus in tot miserias.

[k] Mallem hæc omnia per ironiam dicta intelligere: ita vt sensus sit: Probè Adã similis nobis effectus est: probè habet, quod ei à Dæmone promissum erat: vt, inquã, perpetuò felix foret, ex vitæque arbore comesturus. At nunc, vt se delusum intelligat, & ne de ligno vitæ comedat, quòd futurum sperabat, & ne viuat in æternum, sicut illi Dæmon promiserat; expellatur nunc miser etiã ab hoc loco amœnissimo, quem inhabitare dignus non est.

Quòd verò dicit: *Sicut vnus ex nobis.* ad Angelos refertur. Et hinc habetur, quòd, quum serpens dixit: *Eritis, sicut Dij.* significauit in genere ordinem spiritualium substantiarum, non explicando ipsum Deum, neque Angelos in specie: hoc enim præ se fert diuinum hoc verbum: *Vnus ex nobis.* nam pronomen, *nobis*, ordinem spiritualium substantiarum in communi demonstrat. Et supradictis pœnis adiungit pœnam priuationis comedendi fructum arboris vitarum: & proptereà dicit, *& nunc*; damnatus, scilicet, ad vitam miseram. Dictio interpretata, *ne fortè*, est illudmet aduerbium dubitandi, cuius superiùs meminimus: quod minùs quadrat hoc in loco interpretari, *ne fortè*: imperfectam siquidem reddit orationem; vt patet intuenti textum. Quæ imperfectio tollitur subintelligendo, cauendum est: sonat enim considerationem diuinam futuri, qui posset accidere, euentus, nisi prouideretur. Et describitur sub dubio, non relatiuè ad diuinam scientiam, sed relatiuè ad libertatem hominis, & ad conditionem actionis secundùm se: ad significandum, quod potuisset accidere. Dictio autem interpretata, *in sæculum*; parui refert, an interpretetur, *in æternum*; si arbor vitæ tantæ creditur efficaciæ, vt etiam hominem laboribus, sudoribus, ac doloribus subiectum seruare posset, ne incurreret senectutis defectus: nam repetitis congruo tempore sumptionibus illius fructus successiuè, seruari potuisset in æternum. At si tanta non erat eius vis, æternum sumitur pro longa valdè duratione: quemadmodum montes dicuntur æterni.

Vers. 23. Et misit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est.] *Vers.* 24. Eiecitque Adam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et misit eum* אלהים יהוה *de horto Heden, ad seruiendum terræ; quia sumptus est inde: & eiecit Adam.* Duas Dei actiones describit: & quòd misit, & quòd eiecit: vt intelligamus, eiectionem qualificare missionem violentia, & eiectionem qualificatam missione, quòd non portatus eiectus fuerit; sed quòd missus ierit. Quare autem agricultura seruitium terræ appelletur, superiùs dictum est. Nec explicatur certus terræ locus, ad quem missus fuerit, seu quò ierit: quanuis reddatur ratio, quare ad seruiendum terræ missus fuerit: *Quia de terra sumptus est.* Vnde non scitur, vbi Adam habitauerit, vbive mortuus, aut sepultus fuerit: sicut nec vbi factus fuerit. Attribuuntur autem Deo sub vtroque nomine omnes narratæ actiones circa singularia hæc effecta, ratione iam dicta: vt credatur Deus, qui est primum omnium principium, efficere cognoscendo hæc minima, tanquàm proximus actor, prouisor, ac Iudex omnium, & singulorum.

Et collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ [l].] Iuxta Hebræum habetur: *Et collocauit ab ante ad hortum Heden Cherubinos, & flammam gladij versatilis ad custodiendum viam ligni vitarum.* Vel describitur hortus, tanquàm omni ex parte tutus, excepta parte anteriori; & proptereà in anteriori parte munitus custodia: vel per, *ab ante*, comprehenditur omnis circumcirca pars ante hortum: nam de qualibet parte extra hortum circumcirca verificatur, quòd est ante hortum: quemadmodum vniuersa fossa arcis dicitur, quod est ante arcem. Et hic sensus magis consentaneus est rationi, vt vndecunque euntibus versùs hortum, obuia facta intelligatur custodia ante hortum. Quanta autem sit distantia inter huiusmodi custodiam, & hortum; scriptum non est. Ipsa autem custodia ex duabus constat partibus: altera spirituali; altera corporali. Pars spiri-

[l] Hæc possunt simplicissimè intelligi, sine allegoriis: tales enim apparitiones Angelorum cum gladiis flãmeis, hoc est, lucidis, ac rutilantibus, sæpe in Scripturis legimus, vt 2. Reg. 24. & Iosuè 5. Hanc verò custodiã, post eiectos primos parentes, nõ eò fuisse positam intelligas, ne Adam reuerteretur: sed voluit Moses in hac custodia insinuare, illum locum Paradisi beatissimũ, ac deliciosum, vbi & arbores floridissimæ, & quarũ viriditati ac proceritati Reges magni in Scripturis comparentur, neminem postea intrasse. Quod si quæras, quid de eo loco factũ sit,

 tualis

paradisum esse, eundē non magis esse demonstrandum, quàm sanctam Hierusalem, & montem Sinai, quorum nec vestigia quaeret, qui tamen magnorum mysteriorum spectatores fuerunt. ut & Paradisus ille, quantumvis celebratissimus esse desiit; sicut & hortulus Salomonis, & Regum Persarum nominata viridaria esse defecerunt.

tualis sunt Cherubini: quot autem, nescitur. Nec per Cherubinos intelligas octauũ Angelorum ordinem, sed Angelos: hoc enim nomen commune est Angelis omnibus, quemadmodum communis est omnibus plenitudo scientiæ. Pars verò corporea, appellatur flamma gladij versatilis. Metaphoricam appellationem esse constat: & potes intelligere ignem in forma, seu efficacia flammæ procedentem à gladio, qui vertitur, hoc est, à cælesti corpore. Quod ideò gladius appellatur: quia velut gladius est diuinæ potestatis: & incidentis officium exercet, tanquàm incidendo viam ad hortum, mediante flamma. An autem hæc flamma verè sit ignis corporeus, an propter efficaciam ad impediendum viam appelletur flamma, incertum est. Id tantùm ex hoc Textu certi habetur, quòd corporeum aliquod impedimentum accessus ad hortum significatur: metaphora siquidem, cuius aliunde ex Scriptura, vel ratione naturali non habetur certa significatio, ambigua semper manet.

Ex his autem collige, prudens lector, quòd ter Moses meminit spiritualium substantiarum, quas Angelos dicimus, in hoc Genesis principio. Primùm dicendo: *Et Spiritus* אלהים *volans super faciem aquarum.* Iterum introducendo dialogum inter serpentem, & mulierem: locutionem nanque serpentis à spirituali substantia profectam esse, omnes fatentur. Tertiò dicendo: *Et collocauit Cherubinos ab ante hortum Heden.* Et primùm quidem manifestauit quosdam Spiritus præsidere cælestibus corporibus: deinde quosdam Spiritus hostes esse hominibus, ac mendaces: & demum quosdam Spiritus ministerium exhibere Deo in gubernatione generis humani. Quando autem creati fuerint, Moses non explicauit: sicut nec explicauit, an corporei, an omninò incorporei sunt: nisi de illis, qui præsident cælis, quos ex eo, quòd appellauit Spiritus, aperuit, eos esse incorporeos: iuxta verbum Domini IESV Ioannis 4. *Spiritus est Deus.* vtrobique enim spiritus, vt distinguitur, contra rem corpoream sumitur. Sed Philosophiæ longo eget tractatu disputatio hæc, & lis, quæ semper sub Iudice pendet.

CAPVT IV.

VERS. 1.

ADam verò cognouit vxorem suam, Heuam.] Deinceps non prosequemur Textum Hebræum de verbo ad verbum, quia materia non videtur hoc exigere: sed, vbi mutatio sententiæ eueniet, referemus Hebræa verba. Et dicemus nihilominùs, quando superfluum aliquid, aut diminutũ est. Ex hoc itaque textu, sine omni aduerbio ordinis, per solam coniunctionem copulatiuam introducto, (nam non dicitur: Adam posteà cognouit, sed dicitur: *Et Adam cognouit,*) occasio accepta est disputandi de tempore, quando Adam cognouit vxorem suã, an post eiectionem ex horto; an ante [a]. Et quum nihil explicet de hoc Scriptura; contextus autem insinuet, hoc fuisse, postquàm fuit eiectus ex horto, in hanc partem declinandum videtur.

[a] Sententia est Augustini 9 super Genesim. & D. Chrysostomi homil. 18 contra Hebræos, qui censent, Caïn, & Abel in Paradiso natos esse.

Quæ concepit, & peperit Caïn, dicens: Possedi hominem per Deum [b].] Iuxta Hebræum habetur: *Acquisiui virum cum* (vel à) יהוה. Verba sunt Euæ, & rationem nominis Caïn reddit: ab acquisitione enim Caïn dicitur. Dicit autem Eua: *Acquisiui virum à Deo.* agnoscens virtutem generatiuam, ac generationem non esse suam, sed à Deo. Vel dicit, *cum Deo,* agnoscens, diuinum concursum peculiariter interuenire ad conseruationem speciei in perpetuum, vel agnoscens specialem Dei concursum, creando animam intellectiuam prolis. Et agnoscit hæc à יהוה: quia ad fontem essendi propriè hæc pertinent opera.

[b] Nonnulli temerè dixerunt, Caïn Adæ primogenitum non extitisse, quibus aduersatur August. 15. de Ciuit. Dei, c. 15 & Chrysost. hom. 18. in Genesim; ipsiúsque nominis etymologia, ideo enim Caïn à patre nominatus est: quia eum primo acquisierit. Caïn enim idem est, ac acquisitio.

Vers. 2. Rursúmque peperit fratrem eius Abel. Fuit autem Abel pastor ouiũ, & Caïn agricola.] Hinc coniectura est, multiplicatos fuisse tunc homines, adeò vt opus esset grege ouium, & vt iam essent effecta instrumenta ad colendum terram: nulla siquidem Scriptura testificatur, instrumenta ferrea inuenta fuisse posteà à Tubalcaïn, vt ibidem patebit: & similiter nulla Scriptura testatur, homines ante diluuium, postquàm eiecti sunt ex Paradiso, solis fructibus terræ vixisse. Berosus nanque refert, homines ante diluuium etiam humanas carnes comedisse. Et officium Abelis testatur, gregem ouium humanis vsibus seruisse: constat autem, humano more loquendo, quòd grex ouium seruit humano generi, non solùm præbendo lanas, & agnos; sed lac, & caseum. Nec obstat, diuinam Scripturam differre indulgentiam vescendi carnibus post diluuium: quoniam non indulgentia, sed necessitatis explicatio est illa: ante peccatum siquidem explicata est materia necessaria ad cibum in vegetabilibus; post diluuium autem in animalibus: vnde & ibi dicitur: *Sicut olera virentia.* Cum quibus stat, quòd medio tempore (postquàm, scilicet, primi parentes peccauerunt, & eiecti sunt ex horto) naturali iure vsi fuerunt, vescendo carnibus animalium: & ob id Abel fuit pastor ouium. Et confirmatur: quia, nisi agni tunc fuissent hominibus ad esum, nulla laus esset Abel ex hoc, quòd primogenitos pingues elegisset ad diuinum sacrificium, vt subiungitur: perinde enim fuisset Abeli pingues, ac macros sacrificare, si solis coriis incumbebatur.

Vers. 3. Factum est autem post multos dies.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit de fine dierum.* Vt offerret Caïn de fructibus terræ munera Domino [c].] Ratio religionis offerentis Deo sacrificia, describitur finis dierum: describitur autem oblatio tanquàm proficiscens à fine dierum. Et appellatur finis dierum, finis sex dierum creationis rerum. Ac si apertiùs dixisset, quòd ad agnoscendum beneficium creationis mundi, processit vterque frater ad offerendum Deo.

[c] Ecclesiastica historia tradit, eos edoctos à patre sacrificia obtulisse.

Vers. 4. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorũ.] Ipsa narratio disparitatem insinuat inter oblata ab Abel, & oblata à Caïn, ex parte electionis: nam oblatum ab Abel describitur electum; tum, quia primogenitum; tum, quia pingue. Quòd enim dicitur: *Et de adipibus eorum* (primogenitorum,) significat, quòd elegit inter primogenitos agnum pinguem.

pinguem. Oblatum verò à Caïn absque vlla electione describitur: nihil tamen detrimenti in eodem narratur: vt intelligamus, penes electionem à Caïn neglectam disparitatem fuisse.

Et respexit Dominus.] Nomen est tetragrammaton, ad significandum, quòd curam habet nostrorum sacrificiorum ipse summus fons essendi. Dictione tamen interpretata, *respexit*, minùs explicatur: nam significat non simplicem intuitum, sed cum applicatione animi ad intuendum. Et quadrat proposito: nam & Dei simplex intuitus communis fuit oblationi Abel, & Caïn; (nihil enim subterfugit diuinos oculos:) sed proprium fuit oblationi Abel, quòd Deus ad similitudinem videntis oblationem sibi placitam, applicasse dicitur animum ad videndum illam.

Ad Abel, & ad munera eius.] *Vers.* 5. Ad Caïn verò, & ad munera illius non respexit. Ad significandum, quòd externæ oblationes non sunt Deo gratæ secundùm seipsas; nec etiam displicent secundùm seipsas; sed ratione offerentium placent, vel displicent; proponuntur personæ Abel, & Caïn. Rursus, ad significandum, quòd ipsæ externæ oblationes non sunt vanæ; sed ratione offerentium placent, vel displicent Deo; describitur, quòd non solùm Abel, sed oblatio eius fuit accepta: & similiter quòd non solùm Caïn, sed nec oblatio eius fuit accepta.

Quo autem exteriore signo Deus monstrauerit, se animaduertere ad Abel, & oblationem eius; & non ad Caïn, eiúsque oblationem; scriptum non est explicitè: ex aliis autem Scripturæ sacræ locis coniici potest, quòd emiserit ignem deuorantem oblationē Abel, & non Caïn[d]. Nam hoc modo respexisse legitur primam immolationem summi Sacerdotis Aaron, Leuitici 9. & sacrificium Gedeonis Iudicum 6. & sacrificium primum in templo Salomonis, 2. Paralip. 7. & sacrificium Eliæ 3. Reg. 18.

[d] Sententia est D. Hieronymi.

Iratúsque est Caïn vehementer, & concidit vultus eius.] In demissione vultus, tanquàm non audentis respicere in cælum, tristitia interna, ex qua excandescit animus, significatur. Pudore enim suffusus est, videns se despectum à Deo: & videns, minorem fratrem sibi præponi, inuidit, atque excanduit. Hæ sunt radices subsecuti fratricidij: quæ vtinam non sæpè repeterentur in humano genere.

Vers. 6. Dixitque Dominus ad eum] Nomen est tetragrammaton, vt intelligamus, quòd ipse supremus Deus homines etiam peccatores alloqui non dedignatur. Sed, quo dicendi genere locutus fuerit Deus, scriptum non est: potuit enim hoc fieri sermone interno, vel externo, assumpta aliqua specie visibili. Ex eo tamen, quòd Scriptura nullo pacto meminit alicuius sensibilis, (quemadmodum meminerat formæ sensibilis describendo Deū ambulantem ad auram diei in horto;) sed absolutè refert, quòd Deus allocutus est Caïn, insinuare videtur, quòd illo modo locutus est, quo secundùm suauem humani generis gubernationem consueuit alloqui homines post peccatum, arguendo mediante interno synderesis sermone, vt resipiscant. In cuius signum communes tantùm rationes resipiscendi in hoc sermone continentur: vt hinc discamus, officium synderesis attribuere, non naturæ, aut Angelo; sed ipsi summo Deo, qui dat esse omnibus, quæ sunt.

Quare iratus es? & cur concidit facies tua?] Benignus Deus ab effectibus (à turbato animo, à casu vultus,) tanquàm inquirendo causam, procedit; manifestaturus, quòd nulla est externa causa horum effectuum: hoc est, quòd non ego, non Abel; sed tu ipse causa es horum effectuum.

Vers. 7. Nonne, si benè egeris, recipies; sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus eius: & tu dominaberis illius.] Iuxta Hebræum habetur: *Iam, si benè facies, leuare: si non benè facies, ad portam peccatum cubans: & ubi appetitus eius, & tu præsidebis in eo*[e]. Dictio interpretata, *iam*, non est aduerbium temporis: sed penuria vocabulorum, aut potiùs Interpretum, positum est iuxta vulgare Italicum, *iam*: nihil enim aliud ab Interpretibus haurire potui, nisi quòd significat, quod vulgari Italico dicimus, *gia*: vnde coniicio, quòd est interiectio expressiua.

[e] Phrasis est Hebraica, ac si dixisset Deus? Quòd à me contemnaris, fratri tuo Abel non imputes? nam ego sum. qui, si benè egeris, mercedem dabo; si autem malè, peccatum tuum, cuius appetitus in tuo arbitrio est, statim in foribus aderit, id est, tibi ostendam, mihi displicere.

Nec dicitur: Si bonum facies sed, *Si benè*, vel *malè facies*. vt intelligamus, quòd non sufficit facere bonum; sed oportet bonum benè facere. Vt hinc agnosceret Caïn, se deliquisse in hoc, quòd non benè fecerit, quanuis fecerit bonum: obtulerat enim Deo sacrificium, sed non benè: quia non elegerat.

Quòd autem subditur, *leuare*, infinitiuum est actiuum; & nominaliter sumitur: subintelligitur enim verbum, *erit*: perinde ac si dictum fuisset, *leuare erit tibi*. Sensus autem duplex potest esse. Alter, vt, *leuare* sumatur pro condonare peccatum. Et sic est sensus, quòd si benè feceris, venia erit tibi. Hunc sensum libenter amplecterer, (quoniam apud Hebræos *leuare* sumitur quandoque pro veniam dare,) nisi obstaret formalitas sermonis. Benè faciens enim non eget venia: respondet enim ipsi benè facere, non venia; sed præmium, aut gratia.

Alter sensus est, quòd eleuatio animi erit tibi: & hic sensus è regione quadrat casui Caïn: depressus siquidem fuerat vultus eius, testis internæ depressionis. Et quadrat ipsi benefacere: consequitur enim ad benefacere hilaritas animi leuans animum ad bonum, ad maiora, ad Deum. Quadrat & quæsitæ causæ: *Quare iratus es? & cur concidit vultus tuus?* Manifestat enim, quòd si benè fecisset, leuasset animum, vultúmque suum; nec incurrisset inuidiam, atque iram. Quadrat & sequentibus: subiungendo enim contradictorium: *Si non benè facies*; cum illius pœna; *ad portam peccatum cubans*, (supple, erit;) patefacit causam, quare depressus est vultus eius cum ira. Ex eo, inquit, quòd non benè fecisti, consecutum est, quòd peccatum commissum in non benè faciendo, ad similitudinem cubantis (hoc est, fouentis) in porta (hoc est, in exitu) redditum est. Assimilatur portæ, per quam egredimur domum, exterior pars nostra, per quam animus egreditur ad

exteriores

exteriores motus : quales apparuerunt in Caïn, tum depreſſione vultus, tum excandeſcentia iræ. Et commiſſum peccatum abſque ſubſequente pœnitudine aſſimilatur cubanti: quoniam verè fouet motum animi ad malum, vt, videlicet, prodeat in exteriores motus.

Nec ab his diſcrepat, quod ſubditur : *Et tibi appetitus eius.* Dixerat ſiquidem conditionaliter de opere, *ſi benè facies* ; &, *ſi non benè facies.* monſtrat modò, vtriuſque appetitum ineſſe homini. Ita, quòd pronomen, *eius*, refert vtrunque ; videlicet, benè facere, vel non benè facere : vt ex intimo ſuo agnoſcat Caïn prodiiſſe ſuum non benè facere. Et demum, ne cauſari poſſit, quòd appetitus huiuſmodi non eſſet liber, ſubiungit ipſius libertatem : *Et tu præſidebis in eo.* ſcilicet, appetitu: vt tuæ præſidentiæ imputari intelligas, quod appetiſti ; quod non benè feciſti : ac per hoc, quòd cecidit vultus tuus, irámque incurriſti. Non igitur in me (Deum) non reſpicientem ad te, & tuam oblationem ; reſpicientem autem ad Abel, & oblationem eius ; neque in fratrem tuum benè facientem intorqueas cauſam : ſed in tua libertate totius mali cauſam agnoſce.

Verſ. 8. Dixitque Caïn ad Abel fratrem ſuum : Egrediamur foras[f].] Superfluunt duæ dictiones, *egrediamur foras.* nihil enim in Textu Hebræo explicatur in ſpecie dictum à Caïn ; ſed tantummodo, quòd allocutus eſt fratrem ſuum Abel. Quocirca incertum relinquitur, an pacificus fuerit iſte ſermo, an prouocatiuus ad iram. Si ad præcedentem monitionem diuinam ſpectetur, fieri potuit, vt Caïn monitus pacificè alloqueretur Abel ; fictè tamen, tanquàm deferens monitioni diuinæ. Si verò ad ſubſequens factum ſpectetur, fieri potuit, vt inchoaret à verbis laceſſendo Abel : vt vel ſic occaſionem acciperet ſæuiendi in eum. Primus tamen ſenſus quadrat magis contextui, & textui. Textui quidem : nam ex eo, quòd non narratur ſermo dictus ; ſed tantùm, quòd allocutus eſt fratrem ſuum ; inſinuatur, quòd ita non effecit, vt Caïn ſubtraxerit colloquium cum fratre ſuo ; ſed, quòd allocutus eſt eum, ſicut priùs. Contextui autem : quia ſubiungitur, eos ſimul eſſe verſatos in agro, à qua conuerſatione abſtinuiſſet Abel, ſi fratrem ſuum iratum aduersùs ſe cognouiſſet. Et ad huius ſenſus confirmationem ſubiungitur:

f Hinc conſtat iam tunc fuiſſe oppida, ac ciuitates extructas: quod confirmant Hiſtoriæ tradentes Hebron ab Adam ædificatam extitiſſe.

Cúmque eſſent in agro, conſurrexit Caïn aduersùs Abel, fratrem ſuum ; & interfecit eum[g].] Dicendo enim, *ſurrexit*, inſinuat, quòd ex improuiſo, cùm iaceret, aut ſederet, *ſurrexit* : &, vt Textus Hebræus habet, non *aduersùs* ; ſed *ad Abel fratrem ſuum* ; proculdubio aggrediendum, & fortè apprehendendum ſedentem : vt faciliùs, & omninò illæſus occideret eum.

g Huius mortis meminit Christus Matthæi 23. quia ea eſt celeberrima totius Scripturæ.

Verſ. 9. Et ait Dominus ad Caïn.] Iuxta Hebræum habetur : *Et dixit* יהוה *ad Cain.* Quanuis nomen אלהים apponendum fuiſſet hîc ; (quia iudicium exercetur:) maluit tamen Moſes vti tetragrammaton : vt diſceremus, quòd ipſe fons eſſendi eſt ſcrutator ſingularum actionum noſtrarum : & hac ratione in vniuerſo hoc colloquio repetitur tetragrammaton. Dialogus iſte, qui ſequitur inter Deum, & Caïn, in aliqua ſenſibili ſpecie factus videtur, ex tot colloquiis cum ſenſibili ſigno impetrato intercedentibus.

Vbi eſt Abel frater tuus ?] A loco inquiſitionem inchoat : vt ex hoc, quòd nuſquam apparebat Abel, inciperet Caïn agnoſcere crimen ſuum deprehenſum. Inquirit autem, ad docendum Iudices hominum, vt citent reum, quantuncunque certum, antequàm iudicent. Nec aliqua vtitur contumelia : non inquit, ô ſceleſte ; ſed abſolutè inquirit : ad inſtruendum etiam humanos Iudices, vt abſtineant à contumeliis.

Qui reſpondit : Neſcio[h]. Nunquid cuſtos fratris mei ſum ?] *Verſ.* 10. Dixítque ad eum : Quid feciſti ?] Cerne modum inquirendi : neganti enim non dicit, ſe ſcire ; ſed perſeuerat, ex loco conuincendo factum. Ita quòd non interrogando dicit, *Quid feciſti* ? ſed arguendo, & conuincendo: & propterea ſubdit rationem conuictionis.

h Primum hominis mendacium.

Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.] Iuxta Hebræum habetur : *Voce ſanguines fratris tui clamantes ad me de terra.* Vtuntur Hebræi participio præſentis temporis, loco verbi præſentis temporis, quo carent : eſt enim ſenſus : Sanguines fratris tui clamant voce ad me de terra. Et dicit, *ſanguines*, in numero plurali, vel propter multa vulnera Abelis, ex quibus multi ſanguines fluxerunt ; vel propter multos filios, quos producturus erat Abel longo tempore victurus, tanquàm omnes fuerint ſimul occiſi cum eo. Quòd autem dicitur, *clamantes voce* ; Hebrææ videtur locutioni tribuendum, gaudenti huiuſmodi conduplicationibus. Vtitur autem clamoris, ac vocis nomine, ad ſignificandum, quòd etiam iniqua facta relatiuè ad Deum loquuntur, & querula voce clamant : & explicando, *de terra*, locum, vnde inquiſitio inceperat conuincere ipſum Caïn, manifeſtat.

Verſ. 11. Nunc igitur maledictus eris ſuper terram.] Iuxta Hebræum habetur : *Et nunc maledictus tu è terra.* Quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua.] Ad Adam dixerat : *Maledicta terra propter te.* ad Caïn dicit : *Maledictus tu è terra.* Longè maior eſt hæc pœna illa: quia & crimen hoc maius fuit illo. Ibi terra maledicitur, relata ad hominem : hîc ipſe Caïn maledictus eſt ab ipſa terra. Et maledictio hæc non ex verbis, ſed ex factis conſtat, quæ maledictionis nomine in genere primò deſcribuntur : & deinde in ſpecie, ſubiungendo:

Verſ. 12. Quum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos[i].] Iuxta Hebræum habetur, *Vim ſuam.* Ecce primum factum, ex quo conſtat maledictio : quòd, videlicet, terra non reſpondebit ſecundùm vim ſuam fructificando Caïn colenti illam. Quæ non parua pœna eſt agricolæ.

i Magna pœna profectò, quòd non par ſit fortuna labori, ex qua manifeſtè ſequebatur, quòd vagus, & profugus foret Nâ, cum terram ſterilem vbiuis reperiret, neceſſe erat, aliò ſubinde commigrare.

Vagus, & profugus eris ſuper terram.] Ecce aliud factum, ex quo conſtat maledictio : & in hoc clauduntur duo mala ; incertæ, ſcilicet, vagationis ; & longæ fugæ.

Verſ. 13. Dixítque Caïn ad Dominum: Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.] Iuxta Hebræum habetur: *Magnum peccatum meum de leuari.* Nullum compatatiuum

comparatiuum habetur in Textu: verùm præpositio, *de*, Hebræo idiomati tribuenda videtur: Latina siquidem phrasi vtendum fuisset præpositione, *ad*: nos enim dicimus: Magnum peccatum meum ad leuari, seu leuandum. illi verò dicunt: *Magnum peccatum meum de leuari*. Est itaque sensus, quòd peccatum meum magnum relatiuè est ad hoc, vt leuetur; hoc est, vt condonetur. Et verum dixit: quoniam magna venia eget, magna pœnitentia eget, ad hoc, vt condonetur. Quo autem affectu Caïn hoc dixerit, scriptum non est: interpretetur quisque, vt Spiritus sanctus suggerit ei. Contextus tamen nihil aliud porrigit, quàm vt Caïn agnoscens grauitatem peccati sui, ex ipsa grauitate peccati dubitauerit, licitum fore cuilibet ipsum occidere: ad hoc enim tendunt subiuncta.

Vers. 14. Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar: & ero vagus, & profugus in terra: omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.] Quod dicitur in præsenti, *eiicis*, in Hebræo habetur in præterito, *eiecisti*. Pœnã iuxta grauitatẽ peccati proprij sibi illatam cõmemorat, tum eiectionis à facie terræ, tum à facie Dei. Eiectio enim à facie terræ fuit in hoc, quòd terra non responderet ei secundùm vim suam: eiectio autem à facie Dei fuit in hoc, quòd eiectus est à terra, in qua habitabat cum patre suo, & fratre suo, sub speciali cura diuina: ab hac siquidem speciali cura eiectus significatur per eiectionem à facie Dei. Apparuit autem specialis cura Dei in terra illa; tum discernendo inter oblationem Abel, & Caïn; tum in hoc dialogo ad Caïn ibidem; tum in ipsa expulsione Caïn illinc. Nec pœnam tantummodo eiectionis; sed absconsionis, ac vagationis, & longæ fugæ commemorat. Et ex his quinque pœnis, pensata grauitate peccati, timendo subiungit euentum, dicendo, *& erit*. Minùs dicit, & plùs significat: dicit enim solùm euentum futurum, quem timet: significat autem, quòd impunè quilibet reperiens ipsum, occidet eum. Et quòd ambo hæc intendat, patet ex duobus remediis adhibitis à Deo, quæ inferiùs subiunguntur.

Nec te moueat, prudens lector, verbum Caïn, *omnis reperiens me*; eò quòd Scriptura non narrat viros alios, nisi tres: vt enim ex cap. sequenti coniicitur, occisio Abelis fuit circa centesimumtrigesimum annum vitæ Adæ: infra quod tempus multiplicatum fuisse humanum genus in multa centena millia hominum, testatur multiplicatio filiorum Israël infra ducentos septuaginta annos. Neque enim tantum temporis spatium fluxit à tempore, quo Iacob nuptias Liæ, primæ suæ vxoris, celebrauit, vsque ad exitum filiorum Israël ex Ægypto; & tamen infra id temporis spatium multiplicatum est genus eius ad sexcenta millia ferè virorum, exceptis mulieribus, & paruulis, & interim defunctis. Quid igitur mirum, si genus Adæ infra circiter triginta supra centum annos multiplicatum fuerit in multa centena millia hominum dispersorum per orbem: vt meritò timuerit Caïn propter peccatum suum, & pœnas sibi illatas, ne omnis, qui reperisset eum, ipsum occideret. Nec tacuit Moses huiusmodi hominum multiplicationem: quia introducendo Caïn timentem, quòd omnis reperiens eum, occideret ipsum vagum, & longè fugientem; insinuat, quòd longè, latéque sparsum iam erat genus humanum. Nec vertendum esse in dubium, quòd pro hominibus distribuit dictio, *omnis*, testatur responsio diuina, apponens pœnam occisori Caïn: constat enim leges hominibus, non bestiis imponi.

Vers. 15. Dixítque ei Dominus: Nequaquam ita fiet: sed omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit ei* יהוה: *Ideò omnis occidens Caïn, septies vindicabitur*. Coniunctio, *ideò*, eandem refert causam vindictæ, quam Caïn retulerat causam licentiæ. Attulerat pro causa licentiæ eiectionem à facie Dei cum reliquis antedictis pœnis. Ex eadem causa, inquit Deus, (quia, scilicet, ego te puniui,) non erit licitum cuilibet occidere te: sed omnis occidens te, vindictam subibit septies. Dictio interpretata, *septies*, non est dictio relatiua, qualis est, *septuplum*, (sicut duplum, & triplum, & quadruplum;) sed est dictio numeralis: & est aduerbium septenarij numeri, quod significat septies. Nec est sensus, quòd septem vicibus punietur, cùm nec bis Deus iudicet idem: sed, quòd perfectè, & ex integro punietur: quemadmodum & in Psalmo dicitur: *Argentum igni examinatum purgatum septies*. non septem vicibus, sed perfectè. Duo itaque dicuntur de occidente Caïn; & quòd punietur; & quòd perfectè. Punietur quidem, ne licitum putaretur cuilibet occidere hominem fratricidam: perfectè autem, ne pœnam minorem pœna homicidæ putaretur infligendam esse, eò quòd hominem tam impium occidisset: quanuis enim fratricida mereatur occidi; non tamen à quolibet potest licitè occidi; sed tantummodo à publica potestate, cuius est ius in huiusmodi dicere, & facere. Propter quod Deus non inhibuit Adæ, qui tunc erat Princeps, occisionem Caïn: sed inhibuit cuilibet priuatæ personæ, in genere, dicendo: *Omnis, qui occiderit Caïn*.

Posuítque Dominus יהוה id est, Iehouah) in Cain signum, vt non eum interficeret omnis, qui inuenisset eum [k].] Certum non est, quale fuerit hoc signum: quanuis ex verbis literæ constet, quòd fuerit signum sensibile, positum diuina opera in ipso Cain: quia fuit signum apparens cuilibet reperienti eum: alioquin non suffecisset ad hoc, vt omnis reperiens eum non occideret ipsum. Et in hoc apparet, non solùm magna Dei clementia, minuendo pœnam debitam fratricidæ; sed etiam maxima benignitas, seruando eundem, ne interficiatur ab aliis.

Vers. 16. Egressúsque est Cain à facie Domini.] (יהוה). Confer hoc factum Caïn cum eius dictis, & sollicitudine: & perpendes, quòd malum quidem culpæ suæ, quantùm ad magnitudinem pensauit; sed ad malum pœnæ animũ diuertit; ac sollicitus, ne occideretur à reperiente ipsum. Mota enim est eius mens magis à timore pœnæ mortis, quàm ab admissa offensa Dei, parentum, ac fratris: & proptereà, qui eiectus à facie Dei debuisset supplicare pro venia; manifestat, se non resipiscere, ex hoc ipso, quòd exiuit à facie Dei; hoc est,

[k] Quemadmodum Deus manum Mosis leprosam reddidit, vt illi crederet: sic & in ipso Cain aliquod signum factum puto. Cùm enim illi timido securitatem promitteret, ipséque minimè confidens Dei verbis, adhuc cõqueri perseueraret; posuit Dominus in eo signũ, id est, exercuit: ponere enim phrasi Hebræa pro exercere capitur, vt Ieremiæ 49. *Ponam solium meũ in Ælam*, id est, potẽtiam meam exercebo in Ælamitas.

est, à speciali cura diuina, quam erga iustos Deus exercet.

Habitauit in terra profugus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et sedit in terra Nod.* Et aiunt, nomen esse proprium loci, *Nod:* alij autem, vt nomine appellatiuo vtuntur, interpretantes, *profugus.* Quid horum verius sit, nescio.

Ad orientalem plagam Heden.] Iuxta Hebræum habetur: *Ante Heden.* Nescio autem, qua ratione etiam Hebræi interpretentur, *ante plagam orientalem.* Si de Heden est sermo, in quo plantatus est Paradisus terrestris, regionis, seu montis nomẽ est, ad cuius anteriorẽ, seu orientalem plagam fugisse dicitur Caïn. Si autem de Heden, cuius meminit Ezechiel 27. cap. est sermo, facilior est intellectus, quòd ante locum illum habitauit Caïn. Et hic sensus quadrat fortè loco, in quo ædificata fuit à Caïn ciuitas. Veruntamen, si ad orientalem plagam montis, seu regionis Heden profugus habitauit, non propè, sed longè ab Heden, versùs Orientem, habitasse intelligendus est: nisi forte versùs regionem illam, tanquàm solitariam, confugisset. Nihil tamen in re hac certi habemus.

Vers. 17. Cognouit autem Cain vxorem suam.] Proculdubiò sororem: tunc enim necessitate vrgente licitum, imò necessarium erat coniugium inter fratrem, & sororem: alioquin in primis Adæ filiis defecisset humanum genus, contra diuinum præceptum: *Fructificate, & multiplicate, & replete terram.*

Quæ concepit & peperit Henoch: & ædificauit ciuitatem: vocauitque nomen eius ex nomine filij sui, Henoch [l].] Caïn destitutus ab agricultura ob diuinam maledictionem, vertit se ad ædificandum ciuitatem: iam enim multiplicatum, & sparsum valdè erat humanum genus: & Caïn primogenitus Adæ, Princeps erat iure primogeniti: & propterea primus ædificator ciuitatis fuit, vt non ampliùs profugus vagaretur.

[l] Berosus Babylonicus huius oppidi Henoch meminit, eumque monti Libano proximum ex Chaldæorum relatu dixit. An verò Caïn eũ ante fratris cædem, seu posteà, extruxerit, incertum est.

Vers. 18. Porrò Henoch genuit Irad: & Irad genuit Mauiaël: & Mauiaël genuit Mathusaël: & Mathusaël genuit Lamech.]

Vers. 19. Qui accepit duas vxores: nomẽ vni Ada & nomen alteri Sella.] De stirpe Caïn quinta generatio introduxit pluralitatem vxorum; quæ, Augustino teste, quando mos erat, peccatum non erat.

Vers. 20. Genuitque Ada Iabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Ipse fuit pater sedentis tentorij, & iumenti.* Dictio tamen interpretata, *iumenti,* sonat etiam, *armenti:* & apud nonnullos pecoris, seu peculij. Tentoriis tamen magis quadrat vsus iumentorum: vt idem, qui instituit habitationem in tentoriis, inuenerit quoque vsum iumentorum ad vehendum tentoria, & fortè ad sedendum in iumentis.

Vers. 21. Et nomen fratris eius Iubal: ipse fuit pater canentium cithara, & organo.] Iuxta Hebræum habetur: *Ipse fuit pater omnis attrectantis citharam, & organum.* Ita quòd non est sermo de cantu, sed de sono, qui fiebat tactu: ad differentiam sonorum, qui fiunt flatu. Nec sollicitus sis circa citharã, aut organum: quoniam propria nomina instrumẽtorum musicorum illius temporis ignota sunt, quoad eorum propriam significationem: sufficit nosse, quòd erant instrumenta musica, quæ attrectatione sonabant.

Vers. 22. Sella quoque genuit Tubalcaïn, qui fuit malleator, & faber in cuncta opera æris, & ferri.] Iuxta Hebræum habetur: *Expolientem omne opificium æris, & ferri.* Certa igitur ars Tubalcaïn fuit, expolire, quæcunque ex ære, & ferro fiũt. Nec desunt interpretantes, huiusmodi expolitionem factã fuisse malleo acuente, tam æs, quàm ferrum. Quocirca ante Tubalcaïn erant opificia ex ferro, quãuis non expolita: & propterea superiùs diximus, quòd Caïn, quum esset agricola, habebat instrumenta ad colendum terram: & similiter Abel ad decoriandum agnos.

Soror vero Tubalcaïn, Noëma.] *Vers.* 23. Dixitque Lamech vxoribus suis, Adæ, & Sellæ [m]: Audite vocem meam, vxores Lamech: auscultate sermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum: & adolescentulum in liuorem meum: septuplum vltio dabitur de Cain; de Lamech verò septuagies septies.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia virum occidi ad vulnus meum, & puerum ad liuorem meum: quia septies vindicabitur Caïn; & Lamech septuaginta, & septem.* Vbi magna apparet disparitas vulgatæ editionis ab Hebraïco Textu: duas enim in Hebraïco Textu reddit causas, quare Lamech punietur septuaginta, & septẽ: alteram, quia occidit virum, & puerum; est autem puer, ætatis nomen: alteram, quia Caïn puniendus est septies. Confitetur itaque expressè Lamech, se duos occidisse homines; tum ex diuersitate ætatis, alterum virum, alterum puerum; tum ex diuerso modo occidendi, altero vulnere, altero liuore. Et est liuor, nomen effectus, qui fit ex percussione absque vulnere: fit enim concursus sanguinis sub cute, & redditur pars percussa liuida.

[m] Bigamia Lamech, veluti quid rarum, & præter illorũ tẽporũ consuetudinem hìc à Scriptura memoratur. Sed, quod eius posteritas hìc tota recenseatur tanquã septima generatio à Cain, ob id aliqui factum putant, quòd & septima impiorum, & iustorum generatione caro corruperit viam suã, ideóque Henoch ab Adã septimus translatus est, ne malitia immutaret illum. Cæterũ, an Lamech ipse fuerit homicida, quémve occiderit, consule Augustinum in quæstionibus veteris Testamenti, & Hieronymum tertia parte epistolarum.

Quis autem fuerit vir, puérve occisus, litera non apertè significat: coniecturam tamen ingerit, quòd vir occisus vulnere fuerit Caïn. Tum ex eo, quòd hæc sola progenies Caïn recensetur, & non nisi vsque ad Lamech, tãquàm occisorem Caïn: vxorum siquidem, & trium filiorum eius meminit Moses, vt quis, qualis, & quantus fuerit iste Lamech, explicaret ex fama, & bigamiæ, & filiorum. Tum ex eo, quòd vniuersa hæc historia Caïn terminatur ad verba homicidij, tanquàm principaliter intenta: tum ex comparatione pœnæ Caïn ad pœnam ipsius Lamech: tum, quia quadrat literæ, quòd Lamech cæcutiens, dicente puero dirigente ipsũ: Emitte sagittã illò. arbitratus bestiam ibi moueri, vulnerauerit Caïn absconditum: & postquàm aduertit, se occidisse patrem atauí sui, flagellauerit puerũ, qui ex liuore flagelli mortuus fuerit: liuor enim magnus non purgatus, mortifer est. Quadrare enim hæc literæ testantur ætates occisorum, & modi occidendi. Legendo autem septies vindicatum Caïn, habes iungendo superioribus, & quòd occisor Caïn vindicandus esset septies. Quod autem infertur: *Et Lamech septuaginta & septem.* significat, quòd longè maiori pœna puniendus esset: vtpote reus patricidij, & filicidij,

filicidij, (si puer ille filius eius erat;) vel saltem homicidij, & reus contemptæ iustitiæ diuinæ, qua punitum sciebat Caïn ob homicidium.

Significatur autem maior pœna more Hebræo per duos primos septenarios, *septem*, & *septuaginta*. Primus siquidem numerus septenarius appellatur, *septem*; secundus verò *septuaginta*: nam à septem vsque ad septuaginta nullus est numerus denominatus à septem. Alludendo itaque ad Caïn vindictam primo septenario, (videlicet, septies;) infert suam fore duplici septenario, videlicet, septem, & septuaginta. Cur verò non dixerit aduerbialiter, *septuagies & septies*; sed nominaliter; *septuaginta & septem*, nescio: nisi fortè verum sit, quod Iosephus dicit, Lamech habuisse filios, & filias septuagintaseptem: & propterea se puniendum esse dixerit in septuaginta, & septem filiis.

Vers. 25. Cognouit quoque adhuc Adam, vxorem suam: & peperit filium: vocauitque nomē eius, Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Caïn.] Iuxta Hebræum habetur: *Quoniam posuit mihi* אלהים, (id est, Iudex) *semen aliud sub Abel: quoniam occidit eum Cain.* Reddit siquidem Eua rationem nominis Seth: *Quoniam posuit mihi Deus semen aliud.* Vbi aduerte, per totum hoc capitulum quartum, nominatum fuisse Deum nomine tetragrammaton, nisi hoc in loco, vbi nominatur nomine אלהים, hoc est, Iudicis. Et propterea construitur cum verbo singularis numeri, *posuit*. Mirū autē apparet, quòd in punitione Caïn non sit nominatus Deus Iudex: & hîc nominetur Iudex. Cessat autem admiratio, si pensauerimus, quòd in punitione Caïn, tam parum tributum est iustitiæ, vt meritò tacitum fuerit Iudicis nomen: hoc autem in loco distributiuæ iustitiæ actus, subrogantis parentibus Seth, pro Abel, cōmendatur: vt hinc perpendatur, promptissimum esse Deum ad exercitium iustitiæ, rependendo bonum; clementissimum autē inferendo malum pœnæ. Et rationē subrogati feminis reddit: *Quoniam occidit eū Cain.* vt actus repensantis iustitiæ explicetur. Et ex hac litera, iūcta iis, quæ dicūtur in sequenti capitulo, de ætate Adæ, quando natus est Seth; manifestè apparet, quòd Abel occisus est ante centesimum trigesimum annum vitæ Adæ. Et quòd parum antè occisus fuerit, testatur subrogatio ipsius Seth Abeli; si iunctum his fuerit, quòd primi parentes, quantùm tempus permittebat, operam dabant multiplicationi humani generis, iuxta præceptum diuinum: *Fructificate, & multiplicate, & implete terram.*

Vers. 26. Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos: iste cœpit inuocare nomen Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Tunc cœptum est inuocare in nomine* יהוה. Et est tetragrammaton. Explicat Moses, non personam, sed tempus, dicendo, *tunc*: & non passiuè, sed actiuè, dicendo, *inuocare*: quando homo incepit non inuocare Deum, (quia hoc iam fecerant Abel, & Caïn sacrificando;) sed inuocare in nomine quatuor literarum[a]. Religiosorum siquidem inter Hebræos actuum, quos exercent inuocando in hoc speciali Dei nomine, initium Moses narrat: tribuunt enim Hebræi admirandas virtutes inuocationibus huius nominis: & propterea Moses sollicitus fuit circa initium inuocationis in tali nomine. Et ex hac litera habetur, quòd lingua hæc, quæ Hebraïca nuncupatur, fuit ante diluuium: nam hoc nomen quatuor literarum illius est linguæ, & illius characteribus scribitur. Nec propterea habetur, quòd sola hæc lingua ante diluuium fuerit, (quum Scriptura id non testetur;) sed tantummodo, quòd filij Noë post diluuium erant vnius labij.

[a] Quod hic scribitur, tempore huius Enos nomen Domini inuocari primū cœptū esse perinde est phrasi Hebraïca, ac si diceretur, Dei cultum eo tempore initium habuisse. sicque cum de Abraham legis, extruxisse aras, & inuocasse nomen Dei, cū loca ad colendū Deū instituisse intellige.

Sed illud scrupulo nō caret, quòd cùm Cain & Abel Sacrificia ad Deum colendum, & ex consequenti aras, & cæremonias tempus Enos præcessisse videamus: Enos primus Dei cultor hic nominetur. Velim igitur hoc sic intelligere, vt hic Enos ex officio, & tanquam primus Sacerdos, primus Dei cultor nominetur. Nam, cùm in lege naturæ primogenito sacerdotiū deberetur; & hic Enos ex Iustis omnibus primogenitus primus extiterit, meritò primus Dei cultor est nominatus.

CAPVT V.

Hic est liber generationis Adam.] Iuxta Hebræum habetur in numero plurali, *generationum*. Nec terminatur hîc sententia: sed oportet adiungere subiuncta verba: In die, qua creauit Deus hominem.] Iuxta Hebræum habetur: *In die creare* אלהים, (id est, Iudicem) *Adam*. Vtrobique Adam non est nomen proprium viri: sed est nomen commune, significans hominem: vt manifestè contestatur subiuncta litera: & est sensus: Hic est liber generationum hominis, in die creationis hominis à Deo. Auertit Moses omnes ab inquirendo generationem hominis, (vel, quando inceperit; vel, si fuerit æterna,) proponendo, quòd hic est liber, ad quem recurrendum est pro veritate: quoniam hic est liber generationum hominis, non ab aliis hominibus in infinitum præcedentibus, non à corporibus cœlestibus, & elementis; sed à Deo in die creationis hominis. Iam enim descripserat, quòd sexto die produxerat Deus hominem. Et dicit, *generationum*, pluraliter: quoniam de generationibus passiuè loquitur: & constat, alteram fuisse generationem passiuam masculi, & alteram fœminæ: quemadmodum & in secundo capitulo dixerat: *Istæ sunt generationes cælorum, & terræ.* Et attribuitur אלהים creatio hominis, ratione superiùs dicta in primo cap.

VERS. 1.

Ad similitudinem Dei fecit illum.] Iuxta Hebræum habetur: *In similitudine* אלהים (id est, Iudicis) *fecit illum.* Quia in primo capitulo creationem rerum descripserat factam à Deo sub nomine אלהים, id est, Iudicis; ideò אלהים repetit eadem ratione. Et pronomen, *illum*, demonstrare hominem, testantur subiuncta verba:

Vers. 2. Masculum, & fœminam creauit eos: & benedixit illis: & vocauit nomen eorum Adam, in die, quo creati sunt.] Hinc manifestè patet, quòd Adam est nomen commune vtrique sexui, quemadmodum nomen hominis in lingua Latina. Verùm appropriatum esse nomen Adam primo viro, testantur subiuncta verba:

Vers. 3. Vixit autem Adam centum triginta annis.] Hæc enim verba de primo viro dicuntur: in cuius signum transit de numero plurali in singularem: dixerat nanque, *eos*, *illis*, *eorum*; modò autem dicit singulariter, *vixit*.

Et genuit filium ad similitudinem, &

imaginem ſuam.] Superfluit, *filium:* & verbum verbo reddendo legendum eſſet: Et genuit in ſimilitudinem ſuam, ſicut imaginem ſuam. *vocauitque nomen eius, Seth.* Mirum autem eſt, quòd Moſes recenſendo generationē, tam Caïn, quàm Abel, quàm etiam reliquorū filiorum, & filiarum Adæ, nūquam dicit, quòd genuit ad ſimilitudinem ſuam, niſi eùm genuit Seth. Ceſſat autem admiratio percipiendo rationem fuiſſe, eò quòd in ſolo ſemine Seth ſeruanda eſſet ſimilitudo eius, tanquàm ipſius imago. Delendum ſiquidem erat humanum genus vniuerſum in diluuio, & tantummodo progenies Seth in Noë ſaluanda erat: & proptereà Moſes adimpletum hoc ſciens, in ſola generatione Seth pinxit imaginem Adæ.

Verſ. 4. Et facti ſunt dies Adam, poſtquàm genuit Seth, octingenti anni: genuitque filios, & filias.] Non reſtringitur hoc ad tempus poſt generationem Seth: ſed extenditur ad vniuerſum tempus, quo vixit Adam. Multiplicatum enim valdè fuiſſe humanum genus ante natiuitatem Seth, ſuperiùs deſcripſerat in verbis Caïn: *Omnis reperiens me, occidet me.*

Verſ. 5. Et factum eſt omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti, & triginta: & mortuus eſt.] Si his annis adiungantur anni, quos naturali curſu vixiſſet Adam, vt perueniret ad ætatem, qua creatus eſt; (creatus ſiquidem eſt vir perfectus:) apparebit, quòd longiori tempore vixit Adam, quàm Mathuſalem, & quicunque alius: nullus enim, ab ætate virili ſupputando, vixit nongentis, & triginta annis. Nam, cùm ætas virilis hominum viuentium annos centum, ſit ætas triginta annorum; conſentaneum rationi eſt, vt ætas virilis hominum viuentium ferè mille annos, fuerit ad minus ſexaginta annorum: poſt quam ætatem ſolus Adam vixit nongentis, & triginta annis. Et quadrat rationi, vt primus vir à Deo formatus, plùs vixerit [a] quàm quicunque alius.

[a] Plùs vixiſſe, pro, in maiori ſenio mortuū eſſe, hic intellexit Author.

Verſ. 6. Vixit quoque Seth centum quinque annis: & genuit Enos.] Non ideò hoc dicitur, quòd Enos fuerit primogenitus Seth; (multos enim filios, & filias priùs genuerat [b]) ſed ad ſupputandum tempus, quo natus eſt Enos, ſecundùm quem genealogia vſque ad Noë deſcribitur. Et hæc, quæ diximus de natiuitate Enos, & de filiis, & filiabus Adæ[b], intellige quoque in ſimilibus ſubiūctis.

[b] Crediderim ego, quòd Seth facie perſimilis erat patri Adæ; ideóque dicitur Adam genuiſſe filiū ad ſimilitudinē ſuā. Nec fuit Seth tertius filius Adæ: nā multi alij poſt Caïn ipſum præceſsēre.

Verſ. 7. Vixitque Seth, poſtquàm genuit Enos, octingentis ſeptem annis: genuitque filios, & filias.] 8. Et facti ſunt omnes dies Seth, nongentorum duodecim annorum: & mortuus eſt.] 9. Vixit verò Enos nonaginta annis: & genuit Caïnam.] 10. Poſt cuius ortū vixit octingentis quindecim annis: & genuit filios, & filias.] 11. Factique ſunt omnes dies Enos, nongentorum quinque annorum: & mortuus eſt.] 12. Vixit quoque Caïnam ſeptuaginta annis: & genuit Malaleel] 13. Et vixit Caïnam, poſtquàm genuit Malaleel, octingentis quadraginta annis: genuitque filios, & filias.] 14. Et facti ſunt omnes dies Caïnam, nongenti decem anni: & mortuus eſt.] 15. Vixit autem Malaleel ſeptuagintaquinque annis.] (Error eſt numeri. Legendum eſt iuxta Hebræum: *Sexagintaquinque annos*[c].) Et genuit Iared.] 16. Et vixit Malaleel, poſtquàm genuit Iared, octingentis triginta annis: & genuit filios, & filias. 17. Et facti ſunt omnes dies Malaleel, octingenti nonagintaquinque anni: & mortuus eſt.] 18. Vixitque Iared centum ſexagintaduobus annis: & genuit Henoch.] 19. Et vixit Iared, poſtquàm genuit Henoch, octingentis annis: & genuit filios, & filias.] 20. Et facti ſunt omnes dies Iared, nongenti ſexagintaduo anni: & mortuus eſt.] 21. Porrò Henoch vixit ſexagintaquinque annis: & genuit Mathuſalam.] 22. Et ambulauit Henoch cum Deo: & vixit, poſtquàm genuit Mathuſalam, trecentis annis: & genuit filios, & filias.] 23. Et facti ſunt omnes dies Henoch trecēti ſexagintaquinq; anni.] 24. Ambulauitque cum Deo; & non apparuit: quia tulit eum Deus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ambulauit Henoch cum* יהוה*: & non ipſe: quia tulit eum* אלהים. Bis de Henoch dicitur: *Et ambulauit cum Deo.* ſemel, narrando vitam eius, vſquequò genuit Mathuſalam; & iterum, narrando reliquum vitæ eius; ad explicandum, quòd ab ineunte ætate profecit in via Dei, & perſeuerauit proficiendo in eadem ſemper.

[c] Editio 70 in hac annorum mundi ſupputatione ab Hebraica veritate plurimū diſtat; non quidem vitio Interpretum, ſed Librariorum incuria. Nam facile fuit ex ipſa vetuſtate aliquid addere, aut diminuere ſed veriſſima temporum ratio, ac ſupputatio ea eſt, quæ apud Hebræos extat, quæ cū ſacris Literis in omnibus ſit conſentanea, non eſt ab illis hac in re diſſentiendum: quòd verò hoc loco dicunt, Enoch mortuum eſſe, non recipimus, cùm Sap. 4 cap oppoſitum videatur habere.

Nec narratur Henoch mors: ſed ad ſignificandum, quòd non eſt mortuus dicitur: *Et non ipſe.* Quod ſignificaſſet ipſum mortuum, niſi ſubiuncta cauſa, quare nō ipſe, ſignificaret oppoſitum, dicendo: *Quia tulit eum* אלהים, id eſt, Deus Iudex. Vide differentiam. De aliis, qui mortui narrantur, dicitur: *Et mortuus eſt.* proculdubiò corpore; ita quòd ipſe remanſit ſecūdùm corpus: de Henoch verò dicitur: *Et non ipſe.* quia nec ſecundùm corpus remanſit; ſed omninò non ipſe. Et ratio ſubiungitur: non, quia mortuus fuerit; non, quia in nihilum redactus fuerit; ſed, quia tulit ipſum Deus. Integer ergo ipſe ſublatus ſignificatur à Deo.

Quò autem latus fuerit, Scriptura non dicit: ſed ſecundùm planum literæ ſenſum, integrum ipſum ablatū à Deo deſcribit. Et quoniam Deū introducit ſub nomine Iudicis, quemadmodū nominauerat in diſtributione rerum in vniuerſo; ſignificatur, quòd hæc ablatio Henoch ad diſtributionē humani generis ſpectat: vt diſtributiuæ iuſtitiæ actio inſinuata ſit in huiuſmodi ablatione. Et quadrat hæc diſtributio iis, quæ à ſacris Doctoribus dicuntur de tranſlatione Henoch, ad hoc, vt tempore Antichriſti appareat: tanquàm Deus diſtribuere inceperit teſtes ſuæ curæ erga genus humanum, producendos tempore Antichriſti, proſequuturus diſtributionē tollendo Eliam. Sancta autem vita Henoch non cum אלהים, ſed cum יהוה ſcribitur, vt manifeſtetur, quòd non timore pœnæ, ſed amore amicitiæ erga ſummum Deum rectè vixit: ſocietatem enim quandam inſinuat præpoſitio, *cum:* & יהוה nomen eſt propriiſſimum ſupremi Dei.

Verſ. 25. Vixit quoque Mathuſala centum octoginta ſeptem annis: & genuit Lamech.] *Verſ.* 26. Et vixit Mathuſala, poſtquàm

postquàm genuit Lamech, septingentis octoginta duobus annis: & genuit filios, & filias.] *Vers.* 27. Et facti sunt omnes dies Mathusala nongenti sexagintanouem anni: & mortuus est.] Si rectè supputentur anni, inuenietur, quòd Mathusala mortuus est eodem anno, quo fuit diluuium: nam ipse vixit centum octogintaseptem annis ante natiuitatem Lamech filij sui, qui vixit ante natiuitatem Noë, centum octoginta duobus annis: qui omnes anni conficiunt trecentos sexagintanouem annos: quibus si addantur sexcenti anni vitæ Noë vsque ad diluuium, consurget numerus nongentorum sexagintanouem annorum. Anno igitur diluuij mortuus est. An autem in ipso diluuio perierit, an parum antè mortuus fuerit, quanuis Scriptura non explicitè narret; insinuare tamen videtur, quòd parum antè mortuus fuerit [d], dicendo de ipso: *Et mortuus est.* antequàm aliquid dicat de diluuio. Rationi quoque consentaneum est, vt ante diluuium Mathusala, auus Noë, mortuus fuerit: vt Noë neglectæ pietatis erga auum saluandum non arguatur: patrem enim eius, scilicet, Noë, constat, quinquennio ante diluuium mortuum fuisse.

[d] Sententia est D. Hieronymi in Hebraicis quæstionibus.

Vers. 28. Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis: & genuit filium:] *Vers.* 29. vocauítque nomen eius Noë, dicens: Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum, in terra, cui maledixit Dominus.] Iuxta Hebræum, loco *laboris*, habetur *dolor:* & est singularis numeri, tam dolor, quàm opus. Et loco *Domini*, habetur tetragrammaton.

Duo sunt hîc incerta. Alterum, de quo opere agriculturæ sit sermo: Litera siquidem, memorando opus, & dolorem manuum, circa terram maledictam à Deo; testatur, quòd de agricultura est sermo; sed non explicat, de quo opere agriculturæ. Aiunt autem, Noë inuenisse artem arandi: & propterea consolationem attulisse hominibus, vtendo animalibus ad culturam terræ: sic enim subleuauit à dolore manuum, & ab opere manuali ad fodiendum terram [e]. Alterum est, vnde pater ipsius Noë præsciuerit, Noë allaturum huiusmodi consolationem. Ex huiusmodi nàque cognitione nomen ei imposuit, vt Litera dicit. Mirum autem est, si ex astris hoc cognouerit, pensata natiuitate Noë: de diuina autem reuelatione Scriptura nihil dicit. Et tamen altero istorum modorum cognouit: nisi somnium, aut eiusmodi signum aliquod causa nominis fuerit.

[e] Hic manifestò constat, quod & terræ maledictio, Adæ prævaricatio, & tota creationis historia, hoc tempore vulgata erat. Quid enim aliud tam verisimile, quàm quòd primi illi homines iusti continuũ sermonem de rebus priscis, de cæli, terræ, & hominis origine haberent, quæ omnia & ipse Noë mundo retulit. Nam Berosus refert, suos Chaldæos multa eorum, quæ inundationem præcesserant, in scriptis habuisse. Quòd autẽ hic Noë in parentum subsidium natus dicatur, simplicissimè accipio infirmiores quippe erãt, filij operis indigentes. Hinc legimus, Noe vsque ad 500. annum in illo sæculo cælibem fuisse; nimirum vt parentum imbecillitati succurreret.

Vers. 30. Vixítque Lamech, postquàm genuit Noë, quingentis nonagintaquinque annis: & genuit filios, & filias.] *Vers.* 31. Et facti sunt omnes dies Lamech, septingenti septuaginta septem anni: & mortuus est: Noë verò, cùm quingentorum esset annorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit Noach filius quingentorum annorum.* Non fortè sine mysterio de solo Noë dicit Moses, quòd fuit filius tot annorum. Et intelligo, quòd hoc dixerit, ad significandum abstinentiam Noë à generando, vsque ad quingentesimum annum: ac si apertiùs dixisset, quòd Noë fuit tãtummodo filius, & non pater, vsque ad quingentesimum annũ suæ ætatis. In cuius quoque signum subiungit, ipsum exinde patrem trium filiorum, dicendo:

Genuit Sem, Cham, & Iapheth.] Non enim est intelligendum, quòd quingentesimo anno suæ vitæ Noë genuerit istos, tanquàm gemellos: sed, quòd non ante quingentesimum suæ vitæ annum genuit aliquem istorum.

CAPVT VI.

Vers. 1. Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent.] Ne putaretur vitiorum copiam incepisse tempore Noë, manifestat Moses, quòd longè priùs abundauit multitudo peccatorum, quæ meruit diluuium: & explicat, quòd à tempore, quo incepit multiplicatio hominum, simul multiplicata est vitiorum copia.

Vers. 2. Videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ.] Iuxta Hebræum habetur: *Viderunt filij* אלהים *filias hominis, quòd pulchræ ipsæ.* Multitudo vitiorum manifestatur ex casu iustorum: vt ex hoc, quòd iusti ex tunc declinauerunt à recto, intelligatur innumera multitudo peccantium; imò vitia fuisse tunc communia. Filius autem, tam אלהים, quàm hominis, non est nomen originis, sed studij. Hebræo siquidem more Moses loquitur, quo *filij nuptiarum, filij lucis, filij huius sæculi,* & huiusmodi multa dicuntur. Ita quòd filij אלהים appellantur iusti: vtpote studentes iis, quę diuini iudicij sunt, & profitẽtes sectari se diuinam iustitiam. Et similiter filiæ hominis appellantur mulieres studentes iis, quæ hominis sunt, studẽtes placere hominibus.

Declinatio itaque iustorum ex pulchritudine mulierum describitur. Et quoniam hoc fuisse describitur, ex quo homines cœperunt multiplicari super facies terræ, & huiusmodi multiplicationem apparet fuisse ante mortẽ Abel, (dicente Caïn: *Omnis me reperiens vagum, & profugum, occidet me.*) colligitur, secundum humani generis peccatum à re venerea incepisse. Et quadrat primo, quod incepit à gula quoad corpus, & quoad animam ab appetitu excellentiæ penes scire. Rationabile enim est, vt paulatim obrepserint vitia secundum inclinationes magis naturales: quales sunt hæ tres, tendentes ad bonum. Priores nanque sunt huiusmodi inclinationes ad bonum, (delectabile, vtile, ac speciem honesti habens, quàm inclinationes ad malum, quæ mouerunt Caïn ad fratricidium.

Vers. 3. Acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant [a].] Ardorem profitentium iustitiam ad pulchritudinem mulierũ describit ex eo, quòd non sufficiebat ipsis, vt acciperẽt mulieres pulchras; sed ex pulchris eligebant; & non ex aliquibus, sed ex omnibus: vt hinc intelligamus, percussum iustorum animum vehementer à pulchritudine mulierum.

[a] Hoc aliqui sic intelligunt, vt promiscuè propriis matribus, filiabus, sororibus, & omni consanguinitati nuberent: quod & Berosus attestatur.

Vers. 4. Dixítque Deus:] (Tetragrammaton est.) Non permanebit spiritus meus in homine in æternum: quia caro est: erúntque dies illius centum viginti annorum.]

annorum.] Iuxta Hebræū habetur: *Non iudicabit spiritus meus in homine in æternum, in quo etiam ipse caro: erunt dies eius centum & viginti anni.* Dictio interpretata, *iudicabit*, à quibusdam interpretatur, *vaginabit*; hoc est, erit vt in vagina: ad similitudinem gladij reconditi in vagina, quo, quandiu in vagina est, non vtitur quis ad incidendum, ad percutiendum, &c. & esset sensus: Non erit iustitia mea relatiuè ad hominem puniendum, vt gladius in vagina in æternum; sed euaginabo ipsam post centum viginti annos. Quia tamen non desunt dicentes, impossibile esse, verbum Hebraicum deduci à vagina; tutius est illos sectari, qui interpretantur, *iudicabit*: quoniam interpretatio hæc carere videtur contradictoribus. Et est sensus: Spiritualis modus iudicandi homines, quo in diem homines iudico, non durabit in æternum; sed hinc ad centum viginti annos iudicabo eos corporaliter.

Vbi aduerte, quòd duæ rationes tanguntur in litera huius corporalis iudicij. Altera ex parte Dei, qui spiritus cùm sit, spiritualiter iudicabat, prout in communi gubernatione humani generis Deus exercet iudicia sua: exercet enim ea adeò spiritualiter, vt non existimetur iudicare; imò de ipso dicatur: *Iuxta cardines cæli perambulat, nec nostra considerat.* Hunc spiritualem iudicandi modum, tanquam suauem Dei naturæ, quæ spiritualis est, describit Moses dicendo: *Non iudicabit spiritus meus* [b], ac si apertiùs dixisset: Non iudicabo spiritualiter: iudicium enim quadrans spiritui, spirituale est. Et ampliùs describendo qualitatem iudicij, dicit: *In homine in æternum.* hoc est, non perseuerabit spirituale iudicium in homine perseuerante in æternum. Si genus humanum totum corporaliter punitum non fuisset, spirituale diuinum iudicium fuisset in homine in æternum perseuerante: sed decernendo corporaliter punire humanum genus, spirituale iudicium transiit in iudicium corporale. Per hanc enim diuinam sententiam, decretam intelligimus fuisse visibilem punitionem totius humani generis. Nam saluatio Noë ex gratia posteà describitur, tanquàm superueniens. Et ad totius humani generis punitionem significandam dicitur, *in homine*, non hoc, vel illo; sed *in homine* vniuersaliter.

[b] Hoc loco spiritus Dei pro eo spiritu accipitur, quem diebus singulis conseruator Deus in corpora infundit, de quo Psal. 103. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur, &c. Auferes spiritum eorum, & deficient, &c.* illud verò: *Quia caro est* perinde est, ac si diceret: Peruersi sunt, carnales sunt: sic 1 Corinth 15. *Caro, & sanguis regnum Dei nō possidebunt*, hoc est, peruersi. Annos verò illos 120 cum Chrysostomo, ad pœnitēdum datos, intelligo, fueruntque verba dicta ad Noë, vt ea mūdo proponeret, ante 120 annos, scilicet, punitionem venturā: sicut & illud Ionæ 3. *Adhuc quadraginta dies Niniue subuertetur*, tefétque etiam Berosus, multos de venturo cataclysmo concionari solitos esse.

Altera ratio est: *In quo etiam ipse caro.* Apertè explicatur, quòd ex parte hominis accedit ratio ad quandoque subeundum iudiciū corporale, in eo, quòd ipse homo est caro. Ex hoc enim, quòd homo carneus est, exigit quodammodo vt etiam carnaliter iudicetur. Tum ergo ex parte spiritus Dei omnia penetrantis, tum ex parte hominis carnei, expediens decernitur, vt homo corporaliter iudicetur. Et datur eis spatium pœnitendi centum viginti annorum. Viginti igitur annis, antequàm Noë generaret hos filios, decretum hoc significatur: quoniam sexcentesimo anno vitæ Noë fuisse diluuium testatur Scriptura. Aptè autem, deficiente iudicio diuino inter homines, ob declinationem filiorum אלהים, (hoc est, profitentium diuinum ius,) Deus mutare decreuit iudicium suum spirituale in corporale: vt destitutum humanum genus monitionibus, exemplisque iustorum hominum, experiatur sensibiliter iudicium diuinum.

Vers. 4. Gigantes autem erant super terram in diebus illis.] Dictio interpretata, *gigantes*, iuxta Hebræum sonat, *lapsi*. Et quanuis communiter hac appellatione intelligantur *gigantes*, (quod etiam ex contextu apparet: quoniam de eis subiungetur: *Isti sunt potentes a sæculo viri famosi.*) valdè tamen obstrusum est, quare appellentur *lapsi*. Si enim à lapsu in scelera denominantur, cùm lapsus iste fuerit communis; (nam *omnis caro corruperat viam suam.*) minùs quadrare videtur: & tantò minùs, quantò isti describuntur filij iustorum, qui exarserunt in mulieres pulchras: ac per hoc erant filij lapsorum. Suspicor ergo, Mosen vulgato nomine vsum, quo gigantes, tanquàm lapsi è cœlo appellati sunt: tanquàm sint magis diuini, quàm humani generis. Pleni sunt Poëtæ huiusmodi locutionis modo. Vnde & Virgilius:

Iam noua progenies cælo demittitur alto.

Inferuntur autem isti ad cumulum malorum: nam fuerunt (vt Berosus narrat) viri valdè iniqui.

Postquàm enim ingressi sunt filij Dei [c] ad filias hominum, illæque genuerunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Et etiam postquam sic, quòd venient filij* אלהים, (id est, Iudicis) *ad filias hominis, & gignent eis.* Sensus literæ est, quòd isti gigantes fuerunt etiam post coniugia antedicta iustorum cum filiabus hominis. Et quanuis rigor Literæ non significet, gigantes fuisse natos ex his coniugiis; (sed dūtaxat, quòd fuerunt etiam post dicta coniugia:) contextus tamen monstrat, significari, quòd etiam ex dictis coniugiis nati sunt gigantes: nam sufficienter expressum erat tempus, quo fuerunt gigantes, dicendo, quòd lapsi fuerunt in terra in diebus illis; constat enim dies illos demonstrare tempus, postquàm cœperunt homines multiplicari super terram: quo tempore inita esse dicta coniugia, Litera testata fuerat. Non igitur propter tempus, sed propter originem adiicitur, quòd etiam post dicta coniugia isti fuerunt. Et confirmatur sensus iste ex eo, quòd alioquin vana fuisset huiusmodi adiectio. Habentur itaque hinc duo. Alterum, quòd gigantes geniti fuerunt ex dictis coniugiis: alterum, quòd gigantes geniti fuerunt ex aliis coniugiis. Horum primum iam deductum est ex contextu: alterum autem exprimit Litera, dicendo: *Et etiam*. iungit enim gigantes gigantibus; gigantes aliunde genitos gigantibus genitis ex dictis coniugiis.

[c] Quibus Deus abunde benefacit, & peculiari dignatione bonis suis præ aliis cumulat, filios Dei Scriptura vocat. Sic & Deuteron 14. Israelitæ filij Dei dicti, quòd præ aliis mundi populis, beneficiis diuinis ornati sint. Hos ergo hic adducit Scriptura, cum impiis ingratos extitisse.

Dicendo autem, *postquàm sic*, turpem modū, imò turpiorem modum ineundi dicta coniugia significat. Superiùs nanque turpis affectus ad hæc ex pulchritudine mulierum descriptus est: modò autem adiungitur altera turpitudo, explicando, *sic*, *quòd venient filij* אלהים *ad filias hominis*. Naturæ siquidem mos habet, vt mulier veniat ad virum, (attestante Deo, qui, formata Eua, fecit eam venire ad Adā:) hic autē peruersus describitur modus; videlicet, quòd viri venerunt ad mulieres: & fortè ad Literam, etiam corporaliter ad domos vxorū se transtulerunt. Illud tamē certū est, quòd venerūt moribus ad eas, & quòd mutati sunt in mores earū. Quocirca explicat Moses, quòd etiā ex istis cōiugiis nati sunt gigātes, non obstante, quòd sic turpiter inita fuerint: tum, vt benignitas diuina,

etiam inter turpia coniugia, ferax tanti boni significetur: tum vt gigantes abusi dono sui roboris, etiam ex turpibus coniugiis orti describantur, tanquam hæreditario iure turpes. Describuntur autem futuri temporis, *venient*, & *gignent*, non relatiuè ad tempus, quo scripsit hæc Moses; sed relatiuè ad tempus, *sic*: hoc est, turpis modi cupiendi, & contrahendi dicta cõiugia: respectu enim turpis affectus, atque contractus, futurum erat, tam venire, quàm gignere. Et si Hebræi haberent futurum Optatiui, scriptum fuisset: Et etiam postquàm sic, quòd veniant filij אלהים ad filias hominis, & illæ gignant eis. Planus siquidem Literæ sensus est, & etiam postquàm sic conuentum est, quòd filij אלהים veniant ad filias hominis, & illæ gignant eis [d].

[d] Vide, qualiter & Mosis tempore mentio erat de iis, quæ diluuium antecesserant.

Isti sunt potentes à sæculo viri famosi.] Iuxta Hebræum habetur: *Isti fortes, qui ab æterno viri nominis.* Lapsos, qui & gigantes, demonstrat pronomen, *isti*: & describuntur, tum à robore corporali, tum à fama æterna: in quibus comprehenduntur fortia gesta, prælia, subactiones, violentiæ, & id genus reliqua, quæ lege in Beroso. Quòd autem dicit, *ab æterno*, Hebraïco more longissimam durationem significat. Commemorantur autem gigãtes hoc in loco, quemadmodum priùs mentio facta est filiorum Dei, ad describendum alterum principium peccatorum: illi siquidem suo exemplo libidinem extenderunt Venereorum in omnes: isti sua elatione mundum repleuerunt malitia. In quorum signum memoratis illis describitur Deus decernens vindictam: & memoratis istis subiungitur videns, & decernens speciem vindictæ.

Vers. 5. Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum esset in terra.] Dictio interpretata, *Deus*, tetragrammaton est. A diuino intuitu inchoat iudicium diluuij. Et rectè introducit Deum non audientem, sed videntem, vt omnimoda certitudo describatur. Et primum visum describitur in voluntate hominum malitia, non imbecillitas, non passio; sed, quod in voluntate pessimum est, malitia: nec ea parua, aut vna; sed multa: vt hinc intelligamus, homines vsque adeò declinasse in malum, quòd peccabant ex malitia: ac per hoc incorrigibiles erant.

Et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.] Iuxta Hebræum habetur: *Et omnis formatio cogitationum cordis eius solummodo malum omni die.* Alterum visum spectat ad intellectum, non absolutè, sed motum à voluntate: hoc enim significatur dicendo: *Formatio cogitationum cordis.* nam cogitationes formare, intellectus est: cor autem pro voluntate ponitur. Magna, ingénsque corruptio interiùs significatur, dicendo, quòd *solummodo malum*, nihil habens boni admixtum, nisi relatiuè ad malum: &, quod amplius est, nulla hora præstabat eis sapere: sed *omni* (seu tota) *die* vniuersa cogitatio eorum formabatur duntaxat ad malum.

Vers. 6 Pœnituit eum, quòd hominem fecisset in terra [e].] Iuxta Hebræum, loco pronominis, *eum*, habetur tetragrammaton: apponiturq. coniunctio, *&*, dicendo: *Et pœnituit.* Secunda actio diuina describitur pœnitudo, quòd fecit hominem. Et si verũ est, tetragrammaton deduci ab esse, aptè describitur, quòd fontem essendi pœnituit fecisse hominem: nã facere terminatur ad esse. Quum autem audis pœnitentiam Dei, recole, quòd metaphoricus est sermo. Dicitur enim in Deo pœnitentia, quemadmodũ & ira, non secundùm proprietatem, sed secundùm similitudinem. Describitur siquidem Deus ad similitudinem pœnitẽtis; quemadmodũ etiam describitur ad similitudinem irati. Viso enim tanto abusu essendi, consequens est, quòd tanquàm pœnitens fuerit, quòd dederit esse homini sic abutenti essendi dono.

[e] Moses rudi populo loquens, de Deo, tanquàm de humano Rege loquitur: ideo illi indignationem furorem, miserationem, pœnitentiæ mutationem, recordationem, & id genus multa tribuit, idiotismo Hebræo.

Et præcauens in futurum, & tactus dolore cordis intrinsecùs.] Multa sunt hîc superflua: nam iuxta Hebræum habetur: *Et doluit ad cor suum.* Tertia actio diuina similiter metaphoricè describitur ad similitudinem doloris intimi: pœnitudinem siquidem comitatur tristitia: & si rei magnæ est pœnitentia, comitatur maxima tristitia. Et propterea Deus descriptus similis pœnitenti tanti facti, consequenter describitur similis dolenti dolore penetrante intima cordis.

Vers. 7. Delebo, inquit, hominem, quẽ creaui, à facie terræ [f].] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit* יהוה: *Delebo hominem, quem creaui, à facie terræ.* Ex industria Moses narrat, Deum sub nomine tetragrammaton (hoc est, fontis essendi) dixisse, (hoc est, definisse:) *Delebo hominem.* vt doceret, Deum sic esse fontem essendi, vt ab ipso etiam emanet non esse. Ita, quòd non est principium essendi naturale (hoc est, per modum naturæ, vt multi philosophantes putauerunt;) nec est principium tantũmodo essendi; sed & est principium priuandi esse, & est principium liberum. Vide quoque augmentum, tum peccati, tum pœnæ. Prima namque vice peccatum fuit ex concupiscentia iustorum: secunda autem peccatum est ex multa malitia. Tunc pœna decreta fuit iudicium corporale cum spatio pœnitentiæ: modò pœna decreta est delere hominem. A genere pœnæ corporalis, descenditur ad speciem deletionis.

[f] Verba hæc ad Noë dicta intelligas.

Ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cœli.] Iuxta Hebræum rectiùs habetur: *Ab homine vsque ad iumentum, vsque ad reptile, vsque ad volatile cœlorum.* cùm dixisset: *Delebo hominem.* adiuncturus deletionem animalium innocentum, rationem deletionis illorum explicat dicendo: *Ab homine vsq; ad iumẽtũ, vsque ad reptile, vsq; ad volatile.* Vt intelligamus, quòd ratione hominis decreuit delere omnia habitantia cũ homine. Ad similitudinem siquidẽ vlciscentis loquitur: consueuimus enim comminari vindictã in hominem, & in omnes habitantes eum eo. Vnde & Dauid comminabatur occidere vsque ad mingentem ad parietem. Tali siquidem more narratur Deus deleturus hominem cum omnibus animantibus habitantibus cum homine: & propterea nulla mentio fit piscium, qui non communicant in habitaculo cum homine: nam pisces habitant sub aquis; homo autem, & reliqua animantia habitant super terram in aëre.

Pœnitet enim me fecisse eos.] Rectè legitur pronomen, *eos*, masculino genere: quoniam non demonstrat animalia, sed homines,

quorum vitæ pœnitebat Deum:& ratione huius pœnitentiæ decreuerat delere hominem cum omnibus animantibus habitantibus super terram.

Verſ. 8. Noë verò inuenit gratiam coram Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Noach inuenit gratiam in oculis* יהוה. Rectè dicitur, quòd *inuenit gratiam*, non iuſtitiam: nec in oculis אלהים (id eſt, Dei Iudicis;) ſed in oculis יהוה, hoc eſt, Dei fontis eſſendi: gratia ſiquidem fuit ad ſaluandum eſſe hominis, & cæterorum animantium. Penſa progreſſum diuinæ benignitatis: prima vice dedit ſpatium pœnitendi: ſecunda autem adſciuit ad gratiam Noë, vt in ipſo ſeruaretur genus humanum. Et dicendo, *inuenit*, commendatur ſtudium Noë, quærendo diuinam gratiam.

Verſ. 9. Hæ ſunt generationes Noë.] De generationibus actiuè eſt ſermo, vt teſtantur ſubiuncta, non de genealogia patrum Noë, ſed filiorum.

Noë vir iuſtus, atque perfectus fuit in generationibus ſuis.] Superfluit coniunctio, *atque*. Duabus virtutibus generalibus prędītus deſcribitur Noë: altera relatiuè ad bonum, dicendo, *iuſtus*: altera relatiuè ad malum, dicendo, *perfectus*. Iuſtitia ſiquidem ſuum cuique tribuit: perfectio autem nihil abeſſe requiſitorum ſignificans, defectum omnem excludit. Nec dicit, in generationibus ſui temporis. ſed, *in generationibus ſuis*, proculdubiò illis, de quibus dixerat: *Hæ ſunt generationes Noë*. Deſcribitur nanque per hoc, quòd Noë fuit perfectus, non ſolùm in ſeipſo, ſed etiam in generationibus ſuis, Sem, Cham, & Iaphet: ita quòd ſeruauit ſe, & filios ſine defectu morali. Et eſt ſermo de generationibus Noë ante diluuium: pro tunc enim deſcribitur perfectus in generationibus propriis: poſt diluuium ſiquidem peccauit Cham.

Cum Deo ambulauit [g].] Iuxta Hebræum habetur: *Cum* אלהים *ambulauit Noach*. Ad ſignificandum, quòd *cum Deo* Iudice, quòd iuxta formam diuinæ iuſtitiæ, iuxta formam iuris diuini, *ambulauit*; hoc eſt, profecit. Vt hinc intelligeremus qualis fuit iuſtitia, ac perfectio Noë; videlicet, ſecundùm ius diuinum.

[g] Phraſis eſt Hebræa, vt Geneſis 17. *Ambula coram me, & eſto perfectus*. Idem Geneſis 48.

Verſ. 10. Et genuit tres filios, Sem, Cham, & Iaphet.] Ecce generationes propriæ Noë.

Verſ. 11. Corrupta eſt autem terra coram Deo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et corrupta eſt terra in faciebus* אלהים. Perpende progreſſum peccati. Primùm fuit declinatio filiorum Dei ex concupiſcentia: deinde multa malitia hominis: & demum corrupta eſt terra. Vſque ad corruptionem animorum progreſſa deſcribitur malitia hominum, vt omninò irreparabiles mali mores deſcribantur: & hoc coram ſupremo Iudice, qui teſtis eſt veritatis intimæ. Deſcribitur autem tanta corruptio animorum à corrupta terra, vt deſcribendo corruptum etiam locum, tam ingens corruptio animorum ſignificetur, vt effuſa etiam ſit in loca: vt intelligamus, non ſolùm corruptos mores intus, ſed etiam in exterioribus actionibus, vſque adeò, vt loca ipſa actionum corrupta etiam ſint, tanquàm continentia corruptas actiones.

Et repleta eſt iniquitate.] Ne putares, quòd alicubi ſolū eſſet huiuſmodi corruptio, explicat, quòd repleta eſt terra iniquitate. Et directè iniquitas reſpondet dictioni Hebraicę: vt & malis moribus in propriis, & iniquitate in alienis, repleti intelligantur violantes, & torquentes quicquid recti eſt.

Verſ. 12. Cúmque vidiſſet Deus, terram eſſe corruptã: (omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram [h].)] Iuxta Hebræum habetur: *Et vidit* אלהים *terram: & ecce fuit corrupta*, quia corrupit omnis caro viam ſuam ſuper terram. Penſa progreſſum. Extenditur viſio Dei ad locum, vt qui priùs viderat peccata hominum, modò etiam ad locum hominis fixerit intuitum: fixerit autem, tanquàm Iudex, puniturus etiam locum. Verùm, quia locus non erat in culpa, ſubiungitur ratio corruptæ terræ: quia omnis caro (hoc eſt, omnis homo) corruperat viam ſuam ſuper terram: quod eſt dictum, quia terra erat locus tot corruptionum.

[h] Eugubinus putat, partem aquilonarem huius noſtri hemiſphærij, tanquam editiorem, primò apparuiſſe, eámque ſolam ante diluuium habitatam dicit, cùm aliæ nondum eſſent detectæ aquis, paulatímque mare diſceſſiſſe, quantò magis genus humanum augeretur.

Verſ. 13. Dixit ad Noë.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit* אלהים *ad Noach*.

Finis vniuerſæ carnis venit corã me: repleta eſt terra Iniquitate à facie eorum: & ego diſperdam eos.] Tertia hac vice Deus dixit circa hoc negotium. Primùm quidem: *Non indicabit ſpiritus meus*. deinde, *Delebo hominem*. & demum, *Immittam diluuiū. Fac tibi arcam*, &c. Primum iudicium in genere; deinde in ſpecie; & demum in indiuiduo (diluuium, ſcilicet) definiunt. Rurſus primùm ſpatium pœnitendi dedit: deinde elegit Noë: & demum ſaluandum ipſum per arcam inſtituit. Primi mali occaſio fuit ardor filiorum Dei: ſecundi, gigantum elatio: tertij, corruptio viæ omnis carnis in terra. Primo, & ſecundo Deus dixit ſecum, tertio autem dixit ad Noach: vt hinc penſemus, homines, quàm matura deliberatione, quot curis, quot progreſſibus procedendum eſt ad vindictam communem. Rurſus, non ſine myſterio, primo, & ſecundo dixit Deus ſub nomine tetragrammaton; tertio autem ſub nomine Iudicis: tanquàm actor eſſendi ſecum primùm meditatus fuerit bis; tertiò autem promulgauerit Iudex ſententiam.

Cum terra.] Punitionem loci adiicit: punita ſiquidem eſt terra ex inundatione aquarum, præcipuè ſalſarum.

Verſ. 14. Fac tibi arcam de lignis læuigatis.] Iuxta Hebræum habetur: *De lignis ghopher*. Nomen proprium ligni eſt *ghopher*: neſcimus tamen, quod ſit illud.

Manſiunculas in arca facies.] Iuxta Hebræum habetur: *Nidos ad arcam facies*. Appellauit manſiunculas pro animalibus, nidos: ad ſignificandum, quòd erant, tanquàm nidi; hoc eſt, ſufficientes ad manendum tantùm, & non ad diſcurrendum.

Et bitumine linies intrinſecùs, & extrinſecùs.] Iuxta Hebræum habetur: *Et picabis eam è domo, & deforis, cum pice*. Et eſt ſenſus, quòd ex parte interiori, qua exercetur officium domus; & ex parte exteriori, linienda eſſet pice.

Verſ. 15. Et ſic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ: quinquaginta cubitorum latitudo: & triginta cubitorum altitudo illius.] Iuxta Hebræum,

Hebræum, loco cubiti, habetur brachium, nomen humani membri. Quo etiam, si ita est, nō excluditur quæstio, an de cubito mathematico sit sermo: quoniam, sicut cubitum, ita & brachium, nomen est naturalis partis corporis; & vtriusque nomen, per translationem, est nomē mensuræ. Pensata multitudine animalium, creditur, de cubitis mathematicis esse sermonem; ac per hoc longitudinem arcæ fuisse fortè sex, vel septem stadiorum [i]. Aliis videtur, sufficisse mensuram brachiorum trecentorum, præsertim illius temporis: nam arcæ longitudo fuisset duorum stadiorum, vel circiter. Pensatáque latitudine quinquaginta brachiorum, & quòd non tam multæ sunt species animalium terrestrium magnorum, apparet hoc, & rationi, & literæ Hebraïcæ magis consentaneum: nā tres contignationes, multiplicatæ per tantam latitudinem, capacissimæ apparent omnium, &c. Scriptura siquidem non eximit infimam ab habitatione animalium: nec damnat plusquàm tertiam partem arcæ ad stercora, contrà quod picturæ somniant.

[i] Sic intellexit Origenes contra Celsū, & August. 15. de Ciuit. Dei, c. 27.

Verf. 16. Fenestram in arca facies.] Iuxta Hebræum habetur: *Luminare arcæ facies.* Mandat Deus, vt prouideat Noë de lucerna illuminante arcam: est enim, *arcæ*, casus datiui. Nec intelligo vnam duntaxat lucernam: sed Hebræo more multitudo lucernarum, vocatur luminare.

Et in cubito consummabis summitatem eius.] Iuxta Hebræum clariùs habetur: *Ad brachium perficies eam supernè.* Non de fenestra, sed de arca est sermo, quòd suprema pars eius, vnius tantùm brachij esset: tum, vt pluuiales aquæ hinc inde elaberentur: tum, vt arca non flecteretur grauedine summitatis. Sed hoc potest dupliciter intelligi. Primò, vt summitas arcæ fuerit quadrata: hoc secundùm singula quatuor latera vnius cubiti. Et hic sensus valdè dissonat, tum à superficie pendula arcæ foris, tum à capacitate arcæ intus. Nam, surgente linea altitudinis triginta cubitorum in medio arcæ, secante in medio lineam longitudinis trecentorum, & lineam latitudinis quinquaginta cubitorum, constat, quòd linea ducta ab extremo semilongitudinis vsque ad summitatem lineæ altitudinis, esset plusquàm centum quinquaginta cubitorum, vt patet. Et maior adhuc esset linea ducta ab angulo arcæ ad eandem summitatem, vt patet. Existentibus igitur lineis ductis à quatuor arcæ angulis ad summitatem lineæ altitudinis, in medio tam longis, & ipsa linea altitudinis existente tam parua, manifestè apparet, quòd minimè pendula, imò ferè plana fuisset foris arca. Et hinc etiam apparet, quòd arca fuisset intus minimæ capacitatis: nam lineæ, tam à quatuor angulis, quàm ab extremis longitudinis arcæ ductæ ad summitatem tam breuis lineæ in medio, fuissent adeò propinquæ pauimento arcæ, vt valdè modicum spatium vacuum intercepissent, vt patet.

Alter itaque sensus est, quòd suprema pars arcæ fuit vnius cubiti secundùm latitudinem duntaxat; secundùm verò longitudinem fuit, quantùm erat longa arca, scilicet, trecentorum cubitorum. Et, quia sic verificatur litera, & cessant omnia absurda; ideò hic sensus amplectēdus est. Fouetúrq; ex eo, quòd constat, arcæ supremæ parti ideò decretum fuisse cubitum, vt capacior esset arca intùs: nisi enim maioris capacitatis ratio fuisset habita, decretū fuisset, vt tabulæ per longitudinem arcæ versùs altitudinem ad concludendam summitatem vtrinque cōsurgentes, sese in summitate tangerent, absq; cubito medio. Non est itaque forma arcæ nostro accommodanda figmento: sed, quò foris magis pendula, & intùs magis capax, eò veriùs intelligitur Litera.

Ostium autem arcæ pones ex latere deorsum.] Communis error est iungere, *deorsum*, huic orationi: iungendum est enim cum oratione sequenti. Vnde & in Hebræo habetur: *Et portam arcæ in latere eius pones.* Et, propriè loquendo, significatur pars latitudinis arcæ: latera enim propriè secundùm latitudinem dicuntur: vt patet in lateribus hominis, & lateribus arcæ domus.

Deorsum cœnacula, & tristega facies in ea.] Vnde venerit error, nescio: iuxta Hebræum habetur: *Infera secunda, & tertia, facies eam.* scilicet, arcam. Appositiua siquidem est constructio, significans arcam distributam in tria loca principalia: videlicet, infima, media, & suprema. Quot autem in istis contignationibus fuerint cæsuræ, nescitur: in genere enim dictum est, vt fierent in arca nidi, hoc est, commensuratæ māsiones animalibus ad manendū.

Verf. 17. Ecce ego adducam aquas diluuij super terram, vt interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cælum: vniuersa, quę in terra sunt, consumentur. *Verf.* 18. Ponámque fœdus meum tecum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et firmabo fœdus meum tecum.* Introducendo Noë cùm suis in arcam, firmauit fœdus initum cum ipso, quando inuenit gratiam in oculis eius: stabilitum est autem in ingressu in arcam facto, vt saluaretur per Noë genus humanum.

Et ingredieris arcam [k] tu, & filij tui, vxor tua, & vxores filiorū tuorū, tecū.] Hinc apparet, quòd iam natis filiis Noë, imò & acceptis vxoribus cœpta est fabrica arcæ. Ex eo siquidem, quòd præcipiendo fabricationem arcæ, meminit Deus filiorum, & vxorum, insinuatur, quòd tūc, tam filij, quàm vxores erant: nam filij futuri non sunt filij, & vxores futuræ nō sūt vxores: sicut nec futurus Rex, aut Papa, est Rex, aut Papa. Dicendo igitur, tēpore, quo præcipit fieri arcā, *tu, & filij tui,* (nō futuri filij tui,) *vxor tua,* (non futura vxor tua,) *& vxores filiorum tuorum,* (non futuræ vxores futurorū filiorum tuorum;) insinuat, quòd tunc erant hi omnes: quantùm autem temporis intercesserit vsque ad diluuium, scriptum non est.

[k] Berosus refert hic arcam annis 78. fabricatam fuisse.

Verf. 19. Et ex cūctis animantibus vniuersæ carnis, bina induces in arcam, vt viuant tecum, masculini sexus, & fœminini. *Verf.* 20. De volucribus iuxta genus suū: & de iumentis in genere suo: & ex omni reptili terræ, secundùm genus suū: bina de omnibus ingredientur tecum, vt possint viuere.] Iuxta Hebræum habetur: *Venient ad te, ad faciendum viuere.* Nota differentiam. Superiùs, quū de ingressu animaliū in arcam esset sermo, dixerat: *Facies venire ad arcam, ad faciendum viuere tecum.* modò quū de congregatione animalium est sermo, dicitur,

quòd *duo ex omnibus venient ad te,ad faciendũ viuere.* Soluitur siquidem hinc quæstio, quomodo Noë congregauerit bina ex omnibus animantibus: clarè enim Deus absoluit ipsum ab hac cura,dicendo: *Venient ad te.* Diuino siquidem nutu,ministerio Angelorum, venerũt ex vniuersis animantibus, mas, & fœmina ad Noë:ipsius autem Noë cura,ac opera fuit efficere, vt quæ venerant animantia,ingrederẽtur arcam,inuenirent nidos in ea,& pascerentur ab eo. Et ab hoc miraculo veniendi, disce reliqua consequentia circa pacem animalium apud Noë:eiusdem enim rationis sunt.

*Verſ.*21. Tolles igitur tecum ex omnibus escis, quæ mandi possunt: & comportabis apud te: & erunt,tã tibi,quàm illis, in cibum.] Vel necessitatis temporis, vel specialis tunc diuinæ gubernationis efficacia effecit, vt etiam animalia carniuora vescerentur vegetabilibus.

*Verſ.*22. Fecit igitur Noë omnia, quæ præceperat illi Deus.] Nomen est אלהים ad significandum, prouisionem hanc esse distributiuæ iustitiæ opus.

CAPVT VII.

Vers. 1.

DIxítque Dominus ad eum.] Nomen est tetragrãmaton. Et aptè: nam ad fontem essendi spectat saluare esse generis humani.

Ingredere,tu,& omnis domus tua, in arcam.]Hinc apparet,Noë ante hos filios abstinuisse à generatione: tota enim domus eius constabat ex octo tantùm personis, supputato ipso.

Te enim vidi iustum coram me in generatione hac.] Hinc apparet, tum, quòd, ratione Noë,seruata est domus eius:tum,quòd in vniuersa generatione illa(hoc est, illius ætatis)solus Noë cum domo sua inuentus est iustus.Ratio siquidem,quòd seruatus fuerit,allegatur iustitia ipsius coram Deo: quæ non militaret, si alij etiam fuissent iusti apud Deum in ætate illa.

Verſ. 2. Ex omnibus animantibus mũdis [a].] Si de munditia, relatiuè ad humanum cibum, intelligitur, obstat sententia diuina inferiùs cap 9.scripta,qua indistinctè omnia animalia in cibum humanum tradita narrantur. Non ergo erat priùs distinctio inter munda,& immunda animalia, relatiuè ad cibum humanum.Vnde relinquitur,quòd sit sermo de mũditia,& immunditia,relatiuè ad diuinum sacrificiũ. Insinuatur siquidem per hanc differentiam in Litera scriptam, quòd traditione Patrũ didicerant,non omnia animalia esse sacrificanda Deo; sed quædam animalium genera duntaxat;& illa appellabantur munda: & sic facta est differentia inter munda,& immunda.

[a] Hic delectus animaliũ indicat,aliquibus cæremoniis viros sanctos in suis litationibus vsos fuisse; quos ritus ex Dei traditione institutos credimus.

Tolles septena,& septena;masculum, & fœminam.] Iuxta Hebræum habetur: *Tolles tibi septem;septem, virum,& vxorem eius.*

De animantibus verò immũdis, duo, & duo;masculum, & fœminam.] Iuxta Hebræum habetur: *Duo, duo; virum,& vxorem eius.* ita quòd non repetitur,*duo.*

*Verſ.*3.Sed & de volatilibus cæli,septena,& septena; masculum,& fœminam.] (Iuxta Hebræũ habetur:*Septem,septem,masculũ,& fœminam.*) Vt saluetur semen super faciẽ vniuersæ terræ.] Scito quoque, quòd inferiùs in hoc eodem capitulo, vbi animalia recensentur ingredientia arcam, & in vulgata editione dicitur: *Duo,& duo.* iuxta Hebræum habetur: *Duo,duo;masculus,& fœmina.*Et similiter, vbi iam ingressa describuntur, & in vulgata editione habetur: *Duo,& duo.* iuxta Hebræum habetur: *Duo,duo.*Ita quòd in Hebræo, in geminatione numeri(siue binarij,siue septenarij) nunquam interponitur coniunctio,*&*.

Quæ omnia ideò collegerim, vt quæstio hinc exorta meliùs intelligatur. Vertitur siquidem in dubium,an bis septem,an septem tantùm de animalibus mundis iussa sint seruari.Et est ratio dubitandi:quoniam Litera semper adiungit numero masculum, & fœminam; seu (quod æquiualet) virum, & vxorem. Ter siquidem Moses in hoc capitulo recenset homines,& animalia;primùm,ingressura; secundò,ingredientia; & tertiò,ingressa: & semper recensitis animalibus adiungit masculũ, & fœminam. Hinc enim argumentũ sumitur, quòd numero pari fuerunt animalia omnia:alioquin fuisset mas sine fœmina,aut fœmina sine mare, numero existente impari: ac per hoc non fuerunt septem;sed bis septem ex mũdis animantibus, & volatilibus iussa tolli. Ad oppositum autem,argumentum sumitur ex eo,quòd si dicendo: *Septem,septem.* intelligitur bis septem; pari sensu,quũ toties dicitur: *Duo,duo.*intelligendum est bis duo: & si sic intelligitur,consequens est,quòd etiam de qualibet specie animantium immundorum seruata sunt bis duo. Quod minùs quadrat Literæ præcedentis capituli, in qua disponit Deus, quòd ex omnibus animantibus duo ventura essent ad Noë: & similiter,vt de cunctis animantibus duo inducat Noë in arcam, masculum, videlicet, & fœminam.

Solutio est, tum ex verbis, tũ ex ratione sumenda.Ex verbis quidem apparet,quòd tantũmodo septem animalia ex mundis saluata sint: quia geminatio numeri non ad hoc scripta est, vt significetur duplicatus numerus;sed ad hoc, vt idem numerus in singulis speciebus intelligeretur. Ita,quòd dicendo:*Septem,septem.*perinde est,ac si dictũ fuisset:Septem per singulas species. Et similiter dicendo: *Duo,duo.*perinde est,ac si dictũ fuisset:Duo per singulas species. Testatur autem, hunc esse sensum literalem, non solùm inconueniens deductũ de quaternario numero animaliũ immundorũ;sed etiam binarius numerus absque duplicatione aliqua bis scriptus in calce præcedentis capituli.Clarè enim ibi dicitur, quòd ex cunctis animantibus *duo facies venire in arcam:* & iterum ex omnibus animantibus *duo venient ad te.* Testatur & frequentissimus in his Mosi libris vsus describendi per repetitionem numeri eiusdem absq; coniunctione, non duplicatum numerum, sed eundem in singulis. Quòd autem reputatur inconueniens,septimum animal,septimámque auem absque coniuge saluatam fuisse; inconueniẽs nõ esse,ex fine apparet:manifestè siquidem subiungitur in calce capituli 8. quòd Noë egressus de arca,de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit Deo holocausta: vt intelligeremus,

intelligeremus, ad hoc septimum quodque seruatum masculini sexus, vt offerretur Deo in holocaustum. Reliqua autem ad multiplicationem erant.

Quare autem non suffecerit tertium, (hoc est, quòd tria tantùm fuissent saluata:) sed fuerint septem, ratio est ex eodem fine sumenda: quia, videlicet, holocausta [b] Deo offerenda, deinceps non erant differenda vsquequò animalia munda multiplicata essent à duobus tantùm. Oportuisset namque vel multùm differre holocausta, vel impedire multiplicationem, si duo tantùm mundorum remansissent post primum holocaustum, in quo ex singulis speciebus vnum oblatum est. Et ex eodem fine soluitur alia quæstio, quare auium septem seruatæ sint absque differentia mundi, vel immundi: voluit siquidem Moses subintelligi, quòd de mundis auibus loquebatur. Quod cauit explicare in calce 8. capituli, apertè dicens de volucribus mundis.

[b] Hinc constat frequentia eo tempore fuisse Sacrificia. ideò enim in multo numero munda animalia seruata sunt, vt fecundior fieret eorum creatio, ad sacrificandi vsum.

Vltima autem quæstio, quare Moses, de irrationalibus animalibus loquens, modò vtatur nominibus viri, & vxoris, modò fœminæ, & masculi; soluitur, quòd masculi quidem, & fœminæ nomine vtitur ad significandum diuersitatem sexus: metaphora autem viri, & vxoris vtitur ad significandum ætatem maris, & fœminæ aptam ad generandum, & multiplicandum: vt explicaretur, quòd non pulli ex nido, nec vetuli; sed ætatis iuuenilis, tam mas, quàm fœmina, saluaretur.

Vers. 4. Adhuc enim, & post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.] In Hebræo non habetur, *post*; sed, *ad dies adhuc septem*. Hinc apparet, quòd infra hos septem dies fuit ingressus animantium in arcam: datum siquidem eis spatium septem dierum ad ingrediendum in arcam, significatur dicendo: *Ingredere tu*, &c. *quia ad dies adhuc septem ego faciens pluere*, &c.

Et delebo omnem substantiam, quam feci, de superficie terræ.] Iuxta Hebræum habetur: *Omne surgens, quod feci, de superficie terræ*. Communicant enim animalia omnia terrestria, & volatilia, in hoc, quòd ex seipsis surgunt, mouendo seipsa: & propterea hoc nomine appellata sunt omnia huiusmodi animalia.

Vers. 5. Fecit ergo Noë omnia, quæ mandauerat ei Dominus.] Nomen est tetragrammaton, aptè: vtpote cui conuenit cura, vt seruetur esse.

Vers. 6. Erátque sexcentorum annorum.] In Hebræo habetur: *Filius sexcentorum annorum*. ad significandum, quòd erat præditus copia studiorum, & officiorum sexcentorum annorum.

Quando diluuij aquæ inundauerunt super terram.

Vers. 7. Et ingressus [c] est Noë, & filij eius; vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo in arcam, propter aquas diluuij.] Vt iam dictum est, primùm in hoc capitulo describitur Noë cum familia, & reliquis animantibus ingressurus arcam, infra spatium septem dierum: modo describitur cum eisdem ingrediens arcam.

[c] Idem habetur 1. [illegible]

Vers. 8. De animantibus quoque mundis, & immundis, & de volucribus, & ex omni, quod mouetur super terram,

Vers. 9. Duo, & duo ingressa sunt ad Noë in arcam, masculus, & fœmina. Iuxta Hebræum habetur: *Duo, duo*. Recenset ingredientia secundùm numerum communem singulis speciebus: quia communiter de mundis, & immundis loquitur, tacito numero specialiter adiuncto quibusdam valdè paucis speciebus, propter diuina sacrificia.

Sicut præceperat Dominus Noë.] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut præcepit* אלהים *ad Noach*. Aptè nomen אלהים scribitur in executione distributionis præceptæ, ad seruandum in diuersis arcæ locis vniuersa animalia.

Vers. 10. Cúmque transissent septem dies.] Concessum spatium temporis ad ingrediendum, adimpletum significatur.

Aquæ diluuij inundauerunt super terram.

Vers. 11. Anno sexcentesimo vitæ Noë, mense secundo, septimodecimo die mensis.] Quoto anno, quoto mense illius anni, quoto die illius mensis incepit diluuium, describitur. Et supputatur tempus, relatiuè ad vitam Noë. Et id aptè: quandoquidem Noe pater noui sæculi erat. Agebat itaque Noë sexcentesimum suæ vitæ annum; agebat mensem secundum illius anni, agebat decimumseptimum diem illius mensis secundi, quando incepit diluuium: vt clarè subiungitur in Hebræo, quod omissum est in Textu Latino, in quo subditur:

Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ.] In Hebræo habetur: *In die isto rupti fuerunt omnes fontes abyssi amplæ*. In ipso ergo die decimoseptimo incepit diluuium.

Et cataractæ cæli apertæ sunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fenestræ calorum apertæ fuerunt*. Metaphoricus est sermo vtrobique: describitur enim ex parte terræ eruptio aquarum, tanquàm si amplissima aquarum multitudo occultata in terra detineretur, paruis meatibus fontium non permittentibus illam exire. Secundùm hanc siquidem metaphoram describuntur scissi fontes omnes amplissimæ abyssi, vt sic per scissos meatus erumperent aquæ amplissimæ. Et similiter ex parte cæli describuntur aquæ, tanquàm detentæ claustris fenestrarum, & apertis fenestris præcipites ruisse. Quorum neutrum est verum secundùm proprietatem: sed vtrunque est verum secundùm similitudinem. Significatur enim ad literam, quòd vtrinque; (videlicet, ex parte cæli, & ex parte terræ,) concurrerunt duo ad diluuium faciendum; alterum, vt causa secunda; alterum, vt actio ipsius causæ. Et ex parte quidem terræ describitur abyssus magna, seu ampla, vt causa, in qua intelligitur causa proxima generatiua fluminũ, & fontium in terris existens [d]. Actio autem describitur tantus effluxus, vt fuerit ad similitudinem scissorum meatuum immensæ aquæ.

Vbi nota, quòd non dicitur: Ruptæ sunt viæ abyssi. sed, *Rupti sunt fontes*, ad significandum, non esse scissas vias Oceani ad diluendam terram; sed esse scissos fontes aquarum dulcium; fluminum, videlicet, torrentium, stagnorum, & huiusmodi. Vsus siquidem describitur Deus ad causandum diluuium, huiusmodi causis secundis infimis ex parte terræ, & superioribus ex parte

[d] Ea est Eugubini sententia, quòd nisi fluminum quotidie mare intrantium aliquid æstu Solis extenuaretur, ipsum mare terras inundaret: & quòd tot fluminibus mare non redundet, inde fieri putat, quòd tantundem Sol omni die dissoluens reddat aëri. Si hæc placeant, poteris hos abyssi fontes ideò ruptos intelligere, quòd Sol parum ex ipso mari, illis 40. diebus euaporauerit, Deo Solem, prout volebat, impediente.

parte aëris, & corporum cæleſtium. Tanquàm clauſum cælum, quando inde non emanat pluuia,etiam Chriſtus in Euangelio nominat Luc. 4.non quòd clauſura aliqua ſit ; (imò maximè cælum patet ſerenitatis tempore;) ſed, quia ad ſimilitudinem clauſi apprehenditur à vulgo, tanquam retentis aquis in ipſo, ne emanent ad nos. Verùm,quemadmodum cauſæ ſiccitatis in cæleſtibus corporibus, & in aëre ſignificantur per clauſuram ; ita cauſæ maximæ humiditatis ſignificantur per apertionem feneſtrarum cælorum : vſus enim eſt Deus cauſis ſecundis ſuperioribus,(videlicet, cæleſtibus corporibus, & aëre,) ad producendum tam ingentem pluuiã. Ita quòd ab inferioribus, & ſuperioribus deſcribuntur cauſæ ſecundæ immenſarum aquarum:& actio ſuperiorum cauſarum deſcribitur pluuia,non qualiſcunque,ſed ad ſimilitudinem aquarum præcipitatarum per feneſtras tectorum plenorum immenſis aquis.

Verſ. 12. Et facta eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.] Quod dicitur de pluuia, intellige etiam de emanatione fontium : ita quòd tanto quoque tempore durauit eruptio fontium. Et ſcripſit hoc Moſes, ad ſignificandum, quòd Deus non deleuit hominem, quemadmodum creauit illum. Creando ſiquidem hominem, creauit ipſum in momento perfectum:delendo autem hominem, non operuit in momento omnem terram aquis ; faciendo,ſcilicet,in momento per ſeipſum, quod fecit per quadraginta dies,ac noctes,per cauſas ſecundas;quod vtique facere potuiſſet.

Verſ. 13. In articulo diei illius ingreſſus eſt.] Iuxta Hebræũ habetur : *In proprietate diei iſtius*. Pronomen, *iſtius*,demonſtrat diem antedictum ; hoc eſt, pridie quàm inciperet diluuium,qui fuit dies ſextusdecimus illius menſis: nam decimoſeptimo incepit diluuium. Quòd autem dicitur, *in proprietate*,ſignificat,in ipſomet ſolo die,(& non ipſo die,& alio,) introïerunt in arcam Noë,& filij ; vxor eius,& vxores filiorum. Et explicauit hoc,vt ſciremus,quòd non præmiſit vxorem, & filios, cum vxoribus eorum,illis ſex diebus in arcam ; ſed omnes ſimul vno die ingreſſi ſunt.

Noë,& Sem,& Cham,& Iapheth, filij eius ; vxor illius, & tres vxores filiorum eius, cum eis in arcam.] Seorſum mares à fœminis deſcribuntur,ad ſignificandum continentiam ſeruatam in arca.

Verſ. 14. Ipſi, & omne animal ſecundùm genus ſuum, vniuerſáque iumenta in genere ſuo : & omne, quod mouetur ſuper terram in genere ſuo:cunctúmque volatile ſecundùm genus ſuum [e]. Vniuerſæ aues,omnéſque volucres,]

[e] Non hic contendas de phœnice, quæ vnica reperitur : omnia enim ſyncerè ſane intelligenda.

Verſ. 15. Ingreſſæ ſunt ad Noë in arcam.] Ecce iam,vt diximus,tertiò in hoc capitulo recenſet Moſes ſaluata in arca : recenſuit ſiquidem priùs ingreſſura;deinde ingredientia, & modò ingreſſa.

Bina,& bina.] Iuxta Hebræum habetur: *Duo, duo*. Quod expone,vt immediatè antè, quum ingredientia recenſerentur.

Ex omni carne,in qua erat ſpiritus vitæ] *Verſ.* 16. Et quæ ingreſſa ſunt, maſculus,& fœmina,ex omni carne introierunt, ſicut præceperat ei Deus.] In Hebræo habetur, אלהים: quia præceptum diſtributiuum fuerat, vt declaratum eſt.

Et incluſit eum Dominus deforis.] Iuxta Hebræum habetur : *Et clauſit* יהוה *pro eo*. Non poterat Noë intus exiſtens claudere oſtium arcæ foris, ne per rimas aquæ penetrarent ; & propterea ſuppleuit Deus loco eius. Deſcribitur autem Deus claudens, ſub nomine tetragrammaton:quia aptiſſimè congruit danti eſſe, actus claudendi ad ſeruandum eſſe hominum,& reliquorum animantium.

Verſ. 17. Factúmque eſt diluuium quadraginta diebus ſuper terram : & multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt arcam in ſublime à terra.] Ex hoc, quòd ante deſcriptum augmentum aquarum ſupra montes, deſcribitur arca eleuata ab aquis, & ambulans ſuper aquas,inſinuatur, quòd arca fabricata eſt, non in monte,ſed in planitie.

Verſ. 18. Vehementer enim inundauerunt ; & omnia repleuerunt in ſuperficie terræ. Porrò arca ferebatur ſuper aquas.] *Verſ.* 19. Et aquæ præualuerunt nimis ſuper terram.] In Hebræo repetitur, *nimis* : habetur enim,*valdè,valdè*. Priùs Moſes deſcripſit multiplicationem aquarum vſque ad hoc, quòd arca eleuata eſt ſuper terram : deinde augmentum earundem vſque ad hoc,quòd arca ambulabat ſuper aquas : modò deſcribit augmentum tam magnum, quòd aquæ operuerunt omnes montes. Et hinc patet,quòd ex aquis diluuij, & aquis marium effectum eſt corpus vnum : & commixtis aquis dulcibus,& ſalſis ſuper terram, non paruo detrimento terra affecta eſt.

Opertíque ſunt omnes montes excelſi ſub vniuerſo cælo.] Iuxta Hebræum interponitur relatiuum, dicendo, *qui ſub vniuerſo* (ſeu toto) *calo* ; imò totis cælis:quoniam apud eos cælum caret ſingulari. Et ex hac Litera apparet,quòd Moſes non loquitur de omnibus montibus excelſis ſimpliciter, & abſolutè ; ſed de illis tantùm, qui ſunt ſub cælo ; hoc eſt,ſub regione aëris,in qua generantur pluuię, & reliqua huiuſmodi : conſtat enim, appellatione cælorum in ſacra Scriptura intelligi quandoque aërem, iuxta illud : *Volucres cæli*. Conſtat etiam,quòd Moſes non vanè adiunxit: *Qui ſub toto cælo*.(ſciebat enim, nullos montes eſſe,qui non eſſent ſub corporibus cæleſtibus:) ſed hoc adiecit ad differentiam montium,qui ſunt ſupra, non partem cæli,ſed totum cælum: hoc eſt,totum aëreum cælum tegens nos nubibus. Quo fit, vt non aduerſetur ſacræ Scripturæ exceptio cacuminum montium ſupereminentium vniuerſo cælo, in quo generantur pluuiæ,& alia huiuſmodi. Atteſtatur quoque huic ſenſui communis exceptio montis, in quo eſt Paradiſus terreſtris,in quo diluuij tempore erat Henoch, adhuc ibidem viuens.

Nec propterea ſaluati ſunt homines aliqui in cacuminibus talium montium [f] : quoniam (vt Dominus in Euangelio Matth. 24. & Luc. 17.teſtatur)homines Noë tempore non credebant diluuium futurum:& irruentibus repentè tam ingentibus aquis ſub, & ſupra, ruentibúſque ex montibus immenſis aquis in præceps [g], impediebatur acceſſus ad tantam celſitudinem. Et eò magis, quòd non credentes diluuium,per multos dies expectabant ſerenitatem:

[f] Fabulantur hoc loco Thalmudiſtæ,qui aiunt,ſuum montem Sion ab hoc diluuio ſeruatum fuiſſe.

[g] Beroſus etiam teſtatur : ex improuiſo exundaſſe Oceanum, & omnia maria mediterranea.

infra

infra quos tanta exuberantia multiplicata eſt aquarum, vt impoſſibilis fuerit acceſſus ad huiuſmodi cacumina. Et multò minùs potuerunt ad hæc cacumina ire animalia irrationalia, tam gradientia, quàm volantia: quoniam commune eſt eis ſecundùm præſentium diſpoſitionem moueri: ac per hoc in principio tantæ pluuiæ quæſiſſe latebras protegentes, & continuatis quàm maximis pluuiis, prohibita eſſe ab egreſſu.

Verſ. 20. Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, quos operuerat.] Non ſufficit Moſi deſcribere, quòd aquæ operuerunt montes ſub cælo aëreo; ſed declarat, quantùm altior fuerit.

Verſ. 21. Conſumptáque eſt omnis caro, quæ mouebatur ſuper terram, volucrum, animantium, beſtiarum, omniúmque reptilium, quæ reptant ſuper terram: vniuerſi homines,] *Verſ.* 22. & cuncta, in quibus ſpiraculum vitæ eſt in terra, mortua ſunt.] *Verſ.* 23. Et deleuit Deus omnem ſubſtantiam, quæ erat ſuper terram.] Superfluit, *Deus*; & ſubſtantiæ nomen eſt illudmet, quod ſuperiùs interpretatum eſt, *ſurgens*: ſubintelligitur tamen *Deus*. Explicat enim Moſes priùs effectum diluuij, dicendo, *conſumptam fuiſſe omnem carnem*, &c. & modò effectum diuinæ iuſtitiæ effectricis diluuij. Vnde & repetit verba Dei.

Ab homine vſque ad pecus, tam reptile, quàm volucres cæli: & deleta ſunt de terra. Remãſit autem ſolus Noe [b], & qui cum eo erant in arca. Ad excludendum fabellas omnes dicentes, aliquos homines extra arcam ſaluatos, hoc dicit.

[b] Hinc conſtat Mathuſalem non vixiſſe poſt diluuium.

Verſ. 24. Obtinueruntque aquæ terram. Iuxta Hebræum habetur: *Et roborauerunt ſe aquæ ſuper terram.*

Quinquaginta, & centum diebus.] Si iſti centum quinquaginta dies ſupputentur à principio diluuij, abſque modificatione aliqua, verum dicitur, vt ſonat: ſi verò ſupputantur poſt quadraginta dies pluuiæ; cum moderatione, quæ in ſequenti capitulo ſubiungitur, intelligendi ſunt.

CAPVT VIII.

VERS. 1. Recordatus autem Deus.] Nomen eſt אלהים. Metaphoricè Deus recordatus dicitur; (quemadmodum & iratus:) quia ad ſimilitudinem recordati ſe habuit. Et aptè attribuitur recordatio Deo ſub ratione Iudicis, ad ſignificandum recordationem finientem pœnam.

Noe, cunctorúmque animantium, & omnium iumentorum, quæ erant cum eo in arca; adduxit ſpiritum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et tranſire fecit* אלהים *ventum ſuper terram.* Deo ſub ratione Iudicis, ſecundùm actum iuſtitiæ diſtributiuæ, attribuitur productio venti ad ſiccandum aquas. Magnitudo venti ſignificatur dicendo: *Fecit tranſire.* fuit enim tam validus, vt permeauerit aquas. Quòd autem dicitur, *ſuper terram*; intellige opertam aquis: poſt primam ſiquidem cauſam, ſecunda poſitiua exiccatiua aquarum introducitur ventus. Simile quid deſcribetur in Exodo in exiccatione fundi maris rubri, cap. 14. dicendo: *Cúmque extendiſſet Moſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus, flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in ſiccum.*

Et imminutæ ſunt aquæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Et quieuerunt aquæ.*

Verſ. 2. Et clauſi ſunt fontes abyſſi, & cataractæ cæli: & prohibitæ ſunt pluuiæ de cælo.] Non ſignificatur effectus venti, ſed cauſas cauſis adiungit. Poſitiuæ ſiquidem cauſæ exiccationis aquarum (vento, videlicet) connumerat cauſas negatiuas, tam ex parte terræ, quàm ex parte cæli. Et ex parte quidem terræ explicat, tum quietem aquarum, tum clauſos fontes abyſſi: ſignificatur enim per quietem aquarum ceſſatio à fluxu ex ruptis fontibus: & propterea aptè adiungitur, clauſos fuiſſe fontes. Ex parte verò cæli ſimiliter deſcribitur feneſtras cæli clauſas, & prohibitam pluuiam.

Verſ. 3. Reuerſæque ſunt aquæ de terra euntes, & redeuntes.] Iuxta Hebræum habetur: *Et reuerſæ ſunt aquæ ſuper terram, eundo, & redeundo.* Niſi priùs receſſiſſent aquæ ab acceſſu, & receſſu ſuper terram, non dixiſſet Moſes: *Et reuerſæ ſunt.* Significatur itaque, quòd tanta fuerat aquarum copia, vt priuauerit aquas officio fluxus, & refluxus: primúſque effectus clauſorum fontium, clauſarúmque feneſtrarum cæli, ac noui venti, deſcribitur reuerſio aquarum ad fluendum, & refluendum ſuper terram. Et hæc fuit prima deficientia aquarum.

Et cœperunt minui poſt centum quinquaginta dies.] Iuxta Hebræum habetur: *Et defecerunt aquæ de angulo quinquaginta, & centum dies.* Secunda deſcribitur deficientia aquarum, quæ fuit manifeſta ex effectu quietis arcæ ſuper montes. Quòd autem dicitur, *de angulo*, ſignificat, quòd defectus iſte aquarum fuerit à tanquàm ſtrictiori parte numeri centum, & quinquaginta dierum: vtuntur enim Hebræi frequenter ſingulari ad ſignificandum multitudinem. Et hoc eſt moderamen, quod in calce præcedentis capituli diximus adiectum his centum, & quinquaginta diebus: hinc enim intelligendum inſinuatur, quòd aquæ ſic roboratæ ſunt centum, & quinquaginta diebus, quòd in angulo eorum cœperunt manifeſtè deficere: deficientia ſiquidem aquarum non fiebat in inſtanti, ſed menſurata eſt tempore anguli: vnde & terminus huiuſmodi deficientiæ ſubiungitur.

Verſ. 4. Requieuítque arca menſe ſeptimo, vigeſimoſeptimo die menſis, ſuper montes Armeniæ [a].] Iuxta Hebræum habetur, non, *in vigeſimoſeptimo*, ſed, *in decimoſeptimo die*. Nec habetur, *Armeniæ*; ſed, *Ararat*. Si ſupputaueris à die, quo incepit diluuium, vſque ad diem hunc, ſummabis centum nonaginta, & vnum dies, qui conficiunt menſes ſex, & dies decem, & ſeptem, deputando, Hebræo more, cuilibet menſi vigintinouem dies: ita quòd decimusſeptimus dies ſeptimi menſis fuit centeſimus nonageſimusprimus dies à principio diluuij. Et hinc patet, quòd numerus centum quinquaginta dierum intelligitur poſt quadraginta dies pluuiæ, ſequentes diem, quo inchoauit diluuium. Decimoſeptimo igitur die

[a] Non eſt recipiendum, quod multi Geographi tradunt, Ararat minorem eſſe Armeniam: nam, teſte Beroſo, in Gordiæi montis vertice arca conquieuit, qui mons maioris eſt Armeniæ, Caſpiis collibus adiacens. Cũ igitur portio illa Armeniæ maioris, quæ Araxi fluuio vicina eſt, Aramæa lingua Araxia nominetur, eandem ab Hebræis Ararat nominatam credo, in eáque arcã ſubſediſſe, cuius partem ante ſua tempora extitiſſe refert Beroſus, qua homines vtebantur ad expeditionem.

die mensis septimi ab inchoatione diluuij, arcæ fundum positum est super montes Ararat: Ararat verò nomen est proprium significans Armeniam; vel, vt aliis placet, significans locum Armeniæ confinem.

Vers. 5. At verò aquæ ibant, & decrescebant vsque ad decimum mensem.] Vtrunque colligit Moses; videlicet, fluxum, & refluxum, dicendo, *ibant*: & deficientiam, dicendo, *& decrescebant*. Et vtrunque clariùs sonat Hebraïca litera, dicendo: *Et aquæ fuerunt eundo, & deficiendo vsque ad mensem decimum*. Proculdubiò ab initio diluuij. Septuaginta dies præteriisse describuntur à quiete arcæ super montes, vsque ad mensem decimum. Fluxerunt nanque duodecim dies septimi mensis, & quinquagintaocto dies integrantes octauum, & nonum mensem.

Decimo enim mense, prima die mensis, apparuerunt cacumina montium.] Die immediatè sequenti septuaginta dictos dies, apparuisse dicuntur capita montium. Igitur, quando arca quieuit super montes, adhuc capita montium erant cooperta aquis: & tam alta erat aqua supra capita montium, vt septuaginta dierum spatio opus fuerit ad hanc tertiam deficientiam aquarum, vsque ad hoc, quòd capita montium apparerent, & tota arca libera esset ab aquis, quæ per dies illos septuaginta secundùm non paruam partem cingebatur aquis sensim deficientibus. Nec refert, quòd Hebraïca litera habet: *Visa sunt capita montium*. Quoniam sensus in idem redit: nam significatur, non quòd actualiter visa fuerint; sed quòd reddita sunt, vt videri potuissent, quæ priùs videri non poterant, vtpote tecta aquis.

Vers. 6. Cúmque transissent quadraginta dies, aperiens Noë fenestram, arcæ, quam fecerat.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit de angulo quadraginta diei, aperuit Noë fenestram* [b] *arcæ, quam fecit*. Primo diei mensis decimi adiunguntur hi quadraginta dies. Quoto autem die intra hos quadraginta aperuerit Noë fenestram arcæ, non est vsquequaque certum, propter nomen anguli: attamen finem intelligo significari per angulum. Significanter autem adiungit, *quam fecit*: quia non descripserat in fabricatione arcæ, fuisse factam fenestram: tanquàm supplendo omissam descriptionem.

[b] Fenestellas etiam in lateribus arcæ fuisse, superiùs scriptum est, per quas diem, ac noctè Noë discernebat: neque enim credendum est, in tenebris delituisse.

Si quæritur, quomodo Noë nouit fluxum tot dierum clausus in arca absque sensu solaris luminis; responderi potest, quòd horologium secum habebat nescio cuius materiæ, quo innotescebant singulorum dierum naturalium spatia: sic enim facilè supputabat dies, & menses, more suo, in arca.

Dimisit coruum:] *Vers.* 7. Qui egrediebatur, & non reuertebatur, donec siccarentur aquæ super terram [c].] Iuxta Hebræum habetur: *Et misit coruum: & exiuit exeundo, & redeundo, vsque ad siccari aquas, quæ super terram*. Egressus corui describitur tam exigui progressus, vt exitus simul fuerit cum reditu: huiusmodi enim parua progressio corui significatur dicendo, quòd *exiuit exeundo, & redeundo*. Ac si apertiùs dixisset, quòd exiuit sic, quòd simul exiit, & rediit. Et quoniam hoc pluribus vicibus repetitum est, ideò dicitur: *Vsque ad siccari aquas super terram*. Causa redditur, quare coruus tam citò redibat: quia aquæ erant super terram. Ac si apertiùs dixisset, quòd, quandiu coruus non videbat, nisi aquas, statim vt exibat, regrediebatur.

[c] Eugubinus hòc loco putat, nostram editionem in eo verbo corruptam, vel à Librariis, vel temporum diuturnitate: quod & Hieronymũ sit annotasse in Hebraicis quæstionibus.

Vers. 8. Emisit quoque columbam post eum, vt videret, si iam cessassent aquæ super faciem terræ.] Iuxta Hebræum habetur: *Et misit columbam à cum ipso, ad videndum, si alleuiatæ aquæ super facies terræ*. Videns Noë, quòd coruus non progrediebatur; sed statim exiens reuertebatur; non potuit percipere ex coruo, si terra esset alleuiata aquis: & propterea emisit simul coruum, & columbam, vt ex societate columbæ coruus progrederetur. Simultatem siquidem loci, & temporis significat litera, dicendo: *Misit columbam à cum ipso*, scilicet, coruo. Quemadmodum enim alter currens ad brauium, dicitur inchoare cursum à cum altero; ita columba dicitur missa à cum coruo: vtrobique enim significatur identitas loci, & temporis. Sed coruus, vt prædictum est, non prosequutus est volationem, (quoniam vsque ad desiccationem aquarum, statim vt egrediebatur, reuertebatur:) columba verò prosecuta est volatum: & propterea de ea sola subiungitur.

Vers. 9. Quæ, cùm non inuenisset, vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam.] Oritur hîc quæstio, quo pacto verificatur, columbam non inuenisse locum, in quo quiesceret pes eius; cùm ante multos dies capita montium fuerint detecta. Solutio est, quòd campestris terra erat operta aquis, vt clarè subiungit Litera: montana autem erant occupata ab arca: & propterea columba, nisi volasset ad quærendum alios montes, (quod non videtur congruere columbæ; eò quòd volatus eius non videtur multùm longus, nisi impulsus ab incommodis loci, aëris, & huiusmodi;) non inuenisset, vbi requiesceret pes eius.

Aquæ enim erant super vniuersam terram.] Iunge hoc cum priùs visis capitibus montium; & discerne, quòd de terra campestri est hîc sermo.

Extendítque manum, & apprehensam intulit in arcam.] Columba non ad ipsam fenestram, sed ad locum prope eam venerat: coruus autem ad fenestram ipsam regrediebatur: & propterea de sola columba dicitur, quòd extensione manus Noë, ducta est ad ipsum Noë ad arcam: habetur enim in Hebræo: *Et fecit venire eam ad se ad arcam*.

Vers. 10. Expectatis autem vltrà septem diebus aliis, rursum dimisit columbam ex arca.] *Vers.* 11. At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum oliuæ [d], virentibus foliis, in ore suo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ecce folium oliuæ raptum in ore eius*. Quoniam Hebræus sermo frequenter vtitur singulari, pro multitudine, non est à ratione alienum, vt appellatione folij rapti intelligatur ramusculus multa habens folia: hic enim sensus consonat rapinæ: & eò magis, quòd dictio Hebraïca sonat rapinam lupino more, quam constat fieri morsu. Violentiáque adhibita ad accipiendum huiusmodi ramusculum tenellum, (vtpote foliis plenum,) significatur per raptum.

[d] Hinc constat, arbores in diluuio non fuisse ab aquis euulsas.

Vers. 12.

Intellexit ergo, quòd cessassent aquæ super terram. *Vers.* 12. Expectauitque nihilominùs septem alios dies: & emisit columbam: quæ non est vltrà reuersa ad eum.] Hinc apparet, quòd tunc exiccatæ sunt aquæ super terram, etiam campestrem; ita quòd ante secundam emissionem columbæ, ante hos alios dies septem, iam aruerant aquæ. Scriptura tamen arefactionem terræ, ita quòd vsui humano, & animalium, esset magis apta, post istos alios septem dies supputat, vt tempus arefactionis terræ, subiungendo:

Vers. 13. Igitur sexcentesimoprimo anno vitæ, primo mense, prima die mensis, imminutæ sunt aquæ super terram. In Hebræo habetur: *Et fuit in vno, & sexcentis annis, in primo in vno ad mensem aruerunt aquæ desuper terram.* Supputauerat tempora ab inchoatione diluuij per multas partes; videlicet, quadraginta dies, centum quinquaginta dies, septuaginta & vnum dies, quadraginta dies, & bis septem, qui conficiunt trecentos & quindecim dies: ex quibus constant menses lunares decem, & dies vigintiquinque, qui fluxerunt à principio diluuij vsque ad arefactam terram. Supputat modò tempus idem; quo, scilicet, Noë fuit in arca relatiuè ad annos vitæ Noë, redeundo ad annos Noë: dixerat enim, quòd anno sexcentesimo vitæ Noë, mense secundo, decimoseptimo die illius mensis incepit diluuium: dicit modò, quòd anno sexcentesimoprimo vitæ Noë, mense primo, die primo, aruit terra. Supputando adiunge illi mensi, & decem & septem diebus, (hoc est, illis quadraginta & sex diebus,) istos trecentos, & quindecim: & summabis trecentos, & sexaginta, & vnum dies: ac per hoc inuenies totum annum sexcentesimum vitæ Noë, & diem primum anni sexcentesimiprimi vitæ Noë: vt nec vnius diei mentionem Moses omiserit.

Et scito, quòd mensi lunari deputantur dies vigintinouem: annus verò constabat apud veteres ex diebus trecentis sexaginta iuxta numerum graduum signorum in Zodiaco, deputando singulis gradibus singulos dies [e]. Et constat, tam apud Græcos, quàm Romanos, hunc fuisse annum solarem: idémque creditur apud Ægyptios. Et fuisse idem tempore Noë, seu Mosi, præsens Litera testatur. Legimus tamen, apud Græcos, & Romanos, fuisse sexto quoque anno adiunctum mensem intercalarium; ad colligendum illos quinque dies, qui singulis annis non supputabantur, ad complementum reditus Solis ad eundem punctum Zodiaci. Quem mensem Iulius Cæsar abstulit; decernens, quòd annus integraretur ex quinque diebus supra sexaginta & trecentos; & nihilominùs quarto quoque anno adderetur dies intercalatius, quem bissextum dicimus. Et hæc commemorata ideò sint, vt lectores non mirentur, si annus iste, cuius dies omnes tam studiosè Moses supputat, integratum ex trecentis sexaginta diebus duntaxat, non erat annus ille habens mensem intercalarium, quem Græcos ab Ægyptiis didicisse; Romanos verò à Græcis rationabile est.

e Berosus Babylonicus scribit, quòd Noë omnium primus annos ad cursum Solis, & menses ad motum Lunæ distinxit. Ab eo dissentit Herodotus, tribuens idipsum Ægyptiis, in supputandis astrorum cursibus eruditissimis: sed, cum constet, Ægyptios, sicut & Chaldæos, & Hybericos, anno mẽstruo bimestri, & quadrimestri vsos fuisse, si solarem etiam annũ obseruarunt, à Noë mutuatos esse, credamus, quæ anni receptio ad Mosis vsque tempora, vt hoc loco apparet, permansit, eaque semper Historia vtriusque Testamenti vtitur.

Et aperiens Noë tectum arcæ, aspexit, viditque, quòd exiccata esset superficies terræ.] Iuxta Hebræum habetur: *Et remouit Noach operimentum arcæ, & vidit: & ecce aruerunt facies terræ.* Non dicit, aperuit; non dicit, scidit; sed, *remouit*: vt hinc significetur operimentum arcæ, quod remouit, non fuisse per modum continui; sed per modum contigui iunctum reliquis partibus arcæ. Contiguum autem dico quoad ligna, non quoad picem: quoniam picatio fuit per modum continui. Erat ergo lignum operimenti contiguum partibus reliquis, infixum illis, insertionibus & aliis opportunis firmitatibus, vt nulla ex parte moueri posset: & propterea de ipso dicitur, quòd remouit illud Noë.

Nec intelligo, quòd vniuersum operimentum arcæ remouerit: nam, cùm operimentum esset longum trecentis cubitis, non potuisset amoueri, nisi per valdè multas partes diuisum fuisset; & multo fuisset opus labore; nec apparet quorsum: Litera enim nullum effectum huius remotionis narrat, nisi visionem; quòd Noë, videlicet, remoto operimento, vidit terram esse aridam: ad hunc autem effectum sufficit operimentum arcæ secundùm aliquam partem (putà, longitudinis duorum cubitorum) remotum fuisse. Et hinc habetur, quòd fenestra, per quam emisit, tum coruum, tum columbam, erat sic disposita, vt per eam non esset facultas Noë videndi, an terra esset operta aquis, an arida: ad hoc enim Noë remouit partem illam tecti, vt non solo testimonio columbæ, sed oculis propriis videret terram esse aridam.

Vers. 14 Mense secundo, septimo, & vigesimo die mensis, arefacta est terra.] Tripliciter Moses descripsit diem exiccationis terræ: primùm, relatiuè ad principium diluuij, supputando tot numeros dierum, & mensium: deinde, relatiuè ad annos, menses, ac dies vitæ Noë: & demum relatiuè ad menses solitorum annorum. Quòd enim nunc dicit: *Mense secundo, vigesimoseptimo die mensis.* nec ad principium diluuij, nec ad vitam Noë referri posse, clarè patet: & propterea refertur ad ordinem mensium, iuxta solitum cursum anni.

Et quia non constat, vnde tunc temporis initium anni supputaretur; ideò incertum restat, quis fuerit iste secundus mensis: ex eo tamen, quòd Moses scribit apud Hebræos, quadrat, vt mensis secundus intelligatur ille, qui apud eos supputatur secundus [f]. Verùm inter Hebræos dissensio opinionum est: aliis inchoantibus mẽses à lunatione æquinoctij vernalis; aliis à lunatione æquinoctij autumnalis: propter quod (vt dictum est) adhuc sub iudice lis est. Si tamen perfecta, ac completa (vt par est) fuerit creatio mundi in principio veris, Sole inchoante iter Arietis; clarum fiet, quòd mensis secundus est lunatio relata ad Solem in Tauro, perfecta prima lunatione ad Solem in Ariete. Hinc habes diem natiuitatis Noë: nam vigesimusseptimus dies mensis secundi fuit primus dies anni sexcentesimiprimi vitæ Noë: idem enim fuit dies exiccatæ terræ: ac per hoc fuit primus dies vitæ Noë tot annis repetitus, &c.

f Verisimile fuerit, vt quemadmodum filij Israel mensem Nisã, hoc est, Martium nostrum, primum in mensibus anni ex præscriptione Dei habuerunt, in memoriam liberationis suæ, à cuius tempore ætates supputabant; eodem modo Noë à diluuio ætates numerauit: quem & Chaldæi in hoc sunt secuti, teste Beroso. At, cui ex nostris mẽsibus ille diluuij mẽsis correspondent, meritò Author incertum putat, cùm nihil de hac re Scriptura meminerit. Cõiectura tamen ducor, vt credam, eum Ianuarium fuisse: nam, quòd mensis Ianuarius à primis gentibus ipsi Noë fuerit consecratus, quem & Ianum nominarunt, eò factũ puto, quòd ipse Noë Ianuarium caput anni constituerit. Hinc Numa Pompilius in honorem Noë primum anni mensem designauit.

Vers. 15. Locutus est autem Deus ad Noë dicens.] Nomen est אלהים: cui ex officio distributiuæ iustitiæ incumbit distribuere iterum homines, & reliqua animantia per orbem terrarum.

Vers. 16. Egredere de arca tu, & vxor tua,

tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum: *Verſ.* 17. Cuncta animantia, quæ ſunt apud te, ex omni carne, tam in volatilibus, quàm in beſtiis, & vniuerſis reptilibus, quæ reptant ſuper terram, educ tecum.] Quoniam ad multiplicandum egreſſus præcipitur, deſcribendo iungitur ei vxor; & filiis iunguntur vxores.

Et ingredimini ſuper terram: creſcite, & multiplicamini ſuper eam.] Hæc omnia in Hebræo habentur in tertia perſona futuri Indicatiui: ita, quòd non ſunt verba præcepti, ſed explicatiua actionum, ſeu officiorum, ad quæ perficienda mandabantur exire.

Verſ. 18. Egreſſus eſt ergo Noë, & filij eius; vxor illius, & vxores filiorum eius, cum eo.] Vide differentiam inter finem præcepti, & factum: quia enim præceptum exeundi ordinabatur ad multiplicationem, ideò ibi deſcribuntur vxores iunctæ viris: quia autem de facto, ab ingreſſu in arcam vſque ad exitum, continuerant; ideò deſcribuntur egredientes, ſeorſum viri, & ſeorſum vxores, quemadmodum deſcripti fuerant ingredientes: vt ex ipſa deſcriptione inſinuaretur perſeuerans continentia ab ingreſſu vſque ad egreſſum.

Verſ. 19. Sed & omnia animantia, iumenta, & reptilia, quæ reptant ſuper terram, ſecundùm genus ſuum, egreſſa ſunt de arca.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad familias ſuas exierunt de arca.* Ad inſinuandum, quòd non ad gregem, ſed ad familiam, ſat erant ſingulæ animalium ſpecies, vtitur vocabulo familiæ: vnus enim maſculus, & vna fœmina, domus principia ſunt; non ciuitatis, aut gregis, niſi poſt multiplicationem familiarum. Et ſpecies animalium ſæpè ſuperiùs commemoratæ ſub numero binario, modò memorantur ad proprias familias: vt hinc inſinuetur, quòd etiam irrationalia animalia in arca abſtinuerunt à coïtu; exeuntia autem exierunt ad propagandas familias proprias.

Verſ. 20. Ædificauit autem Noë altare Domino.] Nomen eſt tetragrammaton, cui conſeruatori eſſe debebatur gratiarum actio.

Et tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare.] Ecce quorſum maior eſt ſeruatus numerus mundorum.

Verſ. 21. Odoratúſque eſt Dominus.] Nomen eſt tetragrammaton; cui, tanquàm eſſendi fonti, ſacrificabatur.

Odorem ſuauitatis.] Iuxta Hebræum habetur: *Odorem quietis.* Et ad differentiam odorum ſenſibilium dicitur *odor quietis*; hoc eſt, quietem abſque faſtidio pariens: nullus enim eſt odor ſenſibilis, qui perſeuerans non faſtidio afficiat: ac per hoc nullus odor ſenſibilis eſt odor quietis in ipſo. Ad excludendum itaque faſtidium perſeuerantis odoris, dicitur in ſacra Scriptura ſæpè, *odor quietis*: quia verè nunquam faſtidit Deum deuotio offerentium: perſpicuum eſt enim, quòd non ratione animalium oblatorum; ſed ratione deuotæ mentis offerentium deſcribitur placere Deo, vt *odorem quietis.* Et hæc recole pro intelligentia ſæpè ſubiuncti odoris ſuauitatis: quoniam odor quietis ſignificatur ob dictam rationem.

Et ait ad eum.] Iuxta Hebræũ habetur: *Et dixit* יהוה *ad cor ſuum.* Aptè poſt odorem quietis, fons eſſendi, intra ſemetipſum, decernit quietem perpetuam à diluuio.

Nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines.] Non decernit quieſcendum à maledictione terræ abſolutè; ſed, *propter hominem*: reſeruauit ſiquidem ſibi maledictionem terræ propter alias cauſas: creditur enim, quòd maledicet terræ in fine mundi; ſed non propter hominem; ſed propter nouitatem futuri ſæculi.

Senſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua[g].] Iuxta Hebræum habetur: *Quia formatio cordis hominis mala à pueritiis ſuis.* Ratio mitigandæ pœnæ redditur ex pronitate hominis ad malum ab ineunte ætate; tanquàm clementiam mereatur id mali, quod ferè inditum eſt. Ratio autem, quare affectus humani, vt in pluribus, malè formentur ab ineunte ætate rationis, eſt, quia homo naturaliter conſtat ex duabus partibus contra ſeſe pugnantibus; ſenſu, videlicet, & intellectu: natura enim ſenſitiua, prona ad bonum, ſecundùm ſenſum, vtile, ac delectabile eſt: natura verò intellectiua tendit ad bonum, ſecundùm rationem rectam, honeſtum, vtile, ac delectabile: rariſſimi autem ſunt, qui totis viribus adnituntur ad bonum intelligibile: ſed prona eſt multitudo ad bonum ſenſibile.

[g] Magna admiratio tenuit viros ſapiẽtes, vnde hoc horribile diſſidium carnis, & ſpiritus oriatur in tã excellenti natura; cuius cauſam non potuit videre Philoſophia: ſed hic Scriptura oſtendit, vitium, ſcilicet, originis eſſe. Senſus igitur eſt: Fragilis eſt homo ſuapte natura, & infirmus. quod enim nobis connaturale eſt, dicimus habere ab ipſis cunabulis, & ab adoleſcentia.

Non igitur vltrà percutiam omnem animam viuentem, ſicut feci.] Percutiet quidem omne viuens in fine mundi huius; ſed non, ſicut fecit: quoniam tunc percutiet, reſtaurando homines omnes (bonos, & malos) in vitam corporis perpetuam: nunc autem ſeruando tantùm octo homines ad vitam temporalem.

Verſ. 22. Cunctis diebus terræ.] Et hoc videtur dici ad differentiam futuri mundi, in quo non erunt ampliùs terræ dies, iuxta illud Apoc. 10. *Iurauit per viuentem in ſæcula, quod tempus non erit vltrà.*

Sementis, & meſſis; frigus, & æſtus.] (Iuxta Hebræum habetur: *Frigus, & calor.*) Æſtas, & hyems; nox, & dies non requieſcent.] Per has quatuor combinationes vniuerſæ mutationes, tum temporum, tum vegetabilium, ſignificantur. Nox ſiquidem, & dies, relatiuè ad corpora cæleſtia; calor, & frigus relatiuè ad elementa; æſtas, & hyems, relatiuè ad mutationes temporum; ſemen, & meſſis, relatiuè ad vegetabilia tanguntur. Quæ omnia in anno diluuij confuſa fuerunt.

CAPVT IX.

VERS. 1.

Benedixítque Deus Noë, & filiis eius.] Nomen eſt אלהים: inter officia ſiquidem diſtributoris humani generis, ſupputatur, prouidere, vt multiplicetur genus humanum.

Et dixit ad eos: Creſcite, & multiplicamini, & replete terrã.] Iuxta Hebræũ habetur: *Fructificate, & multiplicate, & replete terram.* Ex eo, quòd hæc benedictio non ſolùm refertur ad filios Noë, ſed ad ipſum Noë, habetur, quòd Noë poſt diluuiũ genuit: quanuis

Scriptura

Scriptura eius filios post diluuium non nominet.

Verſ. 2. Et terror veſter ac tremor.] In Hebræo adiungitur, *veſtri*: eſt enim ſermo de tremore animalium cauſato ex actiuo terrore ab hominibus.

Sit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cæli, cum vniuerſis, quæ mouentur ſuper terram: omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt.] Vide differentiã. In principio, quando creatus eſt homo, datus eſt homini dominatus animalium: modò datur eidem territatio animaliũ. Ad inſinuãdũ, quòd in ſtatu innocẽtiæ fuiſſet dominiũ pacificum: modò autem eſt dominiũ terribile.

Verſ. 3. Et omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum.] Neceſſitas explicatur veſcendi carnibus; hoc eſt, quòd ante diluuium poterat quidem homo veſci carnibus ex naturali dominio; ſed non indigebat alimento carnium: poſt diluuium verò indiguit alimento carnium; tum ex parte terræ, quæ ob aquas diluuij reddita eſt minoris roboris ad productionem vegetabilium; tum ex parte hominum, quos debiliores poſt diluuium fuiſſe, minor eorum ætas teſtatur.

Quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.] Hoc eſt: Sicut olim tradidi vobis vegetabilia pro alimento neceſſario; ita modò tradidi vobis omnia animalia. Et dicendo, *omnia*, apertè ſignificat, nullum animal eſſe immundum, relatiuè ad cibum humanum: ex lege enim Moſi prodiit poſtmodum huiuſmodi immunditia.

Verſ. 4. Excepto, quòd carnem cum ſanguine non comedetis [a].] Iuxta Hebræum habetur: *Solùm carnem in anima eius (ſanguine eius) non comedetis.* Naturalis modus comedendi carnes definitur; ita quòd, quum primùm in ſacra Scriptura introductus eſt eſus carniũ, mox extenſus, ex parte carnis, ad omnia animalia, duo moderamina adiecta ſunt. Alterum, de modo comedendi carnes, qui per modum exceptionis deſcribitur, dicendo: *Solùm carnem in anima eius*, &c. ac ſi apertiùs dictum fuiſſet: Comedatis carnes, quocunque modo vultis; hoc duntaxat modo excepto, quòd carnem viuam animalium habentium ſanguinem non comedetis: ferinus ſiquidem eſt iſte modus comedendi carnes, nõ humanus. Hunc autem eſſe literalem ſenſum, apparet ex ipſa litera. Nam, *caro in anima eius*, planiſſimo ſenſu nihil aliud eſt, quàm caro viua. Et ſimiliter, quòd appoſitiuè iungitur, *ſanguine eius*; nihil aliud ſignificat, quàm carnem viuam habentem ſanguinem. Et hoc ad differentiam multorum animalium: tum conchyliorum, quæ conſueuimus viua comedere; exanguia enim ſunt: tum ad differentiam quorundam animalium paruulorum exanguium, quibus etiam viuis veſcimur. Erudiuit ſiquidem eos Deus, manifeſtando modum naturalem homini, veſcendi carnibus, longè diſtare à modo, quo feræ, ac multi piſces veſcuntur carnibus. Et hinc argumentum ſumitur, quòd ante diluuium, aut non fuit eſus carnium apud homines, aut fuit tanquàm abuſus apud aliquos: vtpote non adhuc explicitè conceſſus filiis Dei; hoc eſt, illis, qui ſecundùm legem Dei datam primo homini viuebant: ipſa enim eruditio de modo veſcendi carnibus, teſtatur, quòd tunc primò incepit, aut eſus, aut conceſſus à Deo eſus carnium. Veruntamen argumentum retunditur, tum ab officio Abelis, tum à laude ipſius, quòd primogenitos, eóſque pingues elegerit ad ſacrificandum: vt priùs annotauimus. Ratio ſiquidem annexæ iſtius eruditionis de modo veſcendi carnibus, eſt; quia nunc, & non priùs, neceſſitas veſcendi carnibus, promulgata ſcribitur à Deo: par enim fuit, vt cum promulgatione neceſſitatis veſcẽdi carnibus, promulgaretur ſimul modus veſcẽdi naturalis homini: cum quibus ſtat, quòd licitè homines ante diluuium veſcebantur carnibus.

[a] Verba Textus, quę ſtatim ſubiunguntur, deſignant, hæc per tropum dicta eſſe Cũ enim ante diluuium homines carnibus humanis veſcerentur (ſicut & Canibales, nuper ab Hiſpanis reperti) aborſuſque pararent in edulium, teſte Beroſo; Deus hanc feritatem hominibus interdicere volens, præcepit, ne carnem cum ſanguine, hoc eſt, cum impietate, ac feritate, proximorúmque homicidio comederẽt: ſanguis enim in Scriptura, pro homicidio, & feritate capitur. Sic Semei Dauidi obiiciebat, quòd vir ſanguinum eſſet. 2. Regum 16. & Pſal. 54. *Viri ſanguinum non dimidiabunt dies ſuos*; hoc eſt, homines efferati.

Verſ. 5. Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram.] Et hæc ſimiliter litera longè aliter eſt iuxta Hebræum: *Et ſolum ſanguinem veſtrum ad animas veſtras, requiram.* Non redditur ratio prioris dicti: ſed priori moderamini adiungitur alterum moderamen ſimiliter per modum exceptionis. Ac ſi apertiùs dictum fuiſſet: Etſi dedi vobis, tanquàm herbas virides, omne, quod viuit; declaro, quòd ſolum hominem excipio à materia alimenti. Iniuſtum enim eſſe cenſet, vt homo ſit alimentum, ſiue homini, ſiue cuiquam alij animali. Et hoc ſignificatur in genere, dicendo: *Et ſolum ſanguinem veſtrum*, qui eſt *ad animas veſtras* ſeruandas, (hoc eſt, ad vitas veſtras ſeruandas,) *requiram*, tanquàm iniuſtè ablatum. Et dicendo, *ſanguinem veſtrum ad animas veſtras*, tangit ex officio ſanguinis rationem iniuſtæ effuſionis: ex eo enim, quòd ſanguinis humani officium eſt conſeruare vitam hominis, (non ſolùm vegetabilem, ſed rationalem;) exemptus eſt homo ab hoc, vt ſit alimentum cuiuſcunque, tam hominis, quàm bruti. Alimentum ſiquidem ſuapte natura oportet eſſe imperfectius illo, quod alitur: quoniam alimentum ordinatur ad id, quod alitur, vt medium ad finem: conſtat autem vniuerſaliter, finem eſſe perfectiorem iis, quæ ſuapte natura ordinantur ad finem. Quo fit, vt homo, ſuapte natura, nullius ſit alimentum: quoniam relatiuè ad cætera animalia inuenitur præſtantior; relatiuè verò ad homines inuenitur par: alimentum autem naturale (vt dictum eſt) oportet eſſe imperfectius.

De manu cunctarum beſtiarum [b].] Iuxta Hebræum adiungitur iterum, *requiram*: ita quòd habetur: *De manu omnis beſtiæ requiram eum.* Et de manu hominis, de manu viri fratris eius requiram animam hominis.] Nec interiacet coniunctio inter dictionem, *viri*; & dictionem, *fratris*. Quod dixerat in genere, explicat in ſpecie, deſcendendo primùm ad irrationalia; deinde ad homines promiſcuè; & demum ad proximos. Quòd autem dicitur, Deum requiſiturum humanum ſanguinem de manu omnis beſtiæ, non ſignificat, quòd Deus vocaturus ſit in ius beſtias occidentes homines; ſed, quòd huiuſmodi occiſio eſt naturaliter iniuſta: quoniam homo non eſt naturale alimentum cuiuſcunque beſtiæ. Ac ſi apertiùs dixiſſet: Non ex ordine naturali à me ſtatuto prouenit, quòd beſtiæ occidant homines ad comedendum eos: præternaturale enim eſt hoc, non decretum, ſed permiſſum à me; vtpote naturaliter malum. Propterea enim ſignificatur, vt requirendum. Meminit autem in ſpecie, *viri fratris*; quia frequentiùs

[b] Quod dicit, *de manu cunctarum beſtiarum*, per exaggerationem dictum intellige.

frequentiùs homicidia patrantur inter communicantes: Persæ enim non occiduntur ab Hispanis, aut è conuerso.

Vers. 6. Quicunque effuderit humanum sanguinem, effundetur sanguis illius [c].] Iuxta Hebræum habetur: *Effundens sanguinem hominis in hominem, sanguis eius effundetur.* Dixerat, se requisiturum vitam hominis de manu cuiuslibet occidentis eum; modò apponit pœnam homicidæ, & est pœna talionis. Et dicit, *in hominem:* tum ad excludendum irrationalia animalia ab hac pœnali lege: quam exclusionem oportebat fieri, eò quòd communiter præmiserat, se requisiturum vitam hominis de manu bestiæ, & hominis: excluduntur autem irrationalia ex eo, quòd non occidunt hominem in hominem; hoc est, ad iniuriandum homini. Tum ad excludendum occisionem hominis ab hominibus, iustis Iudicibus; tales enim non occidunt hominem in hominem; sed in vindictam criminum, sed pro communi bono: nisi enim adiunctum fuisset, *in hominem*; pœna hæc, secundùm verba, extenderet se etiam ad iustos Iudices. Intellige autẽ pœnam talionis decretã homicidæ secundùm meritum: hoc est, decernitur, quòd homicida meretur occidi ab ipso Deo, & à vices Dei gerentibus, hominibus Iudicibus.

[c] Ex hoc loco desumpta est prouerbialis illa sententia, Matth. 26. *Omnis, qui acceperit gladium, gladio peribit.* Hincque leges gentium exordium sumpsere.

Ad imaginem quippe Dei factus est homo.] Nomen אלהים est: & meritò; quia in creatione hominis scriptus est Deus sub nomine אלהים: & pœna talionis ad Iudices spectat.

Vers. 7. Vos autem crescite, & multiplicamini.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vos fructificate, & multiplicate.*

Et ingredimini super terram, & implete eam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et propagamini in terra, & multiplicate in ea.* Priùs benedixerat: *Fructificate, & multiplicate.* modò, exclusa diminutione hominum ex occisione, vt essent alimentum; vt nulla ex parte intelligerent, impediendam multiplicationem; repetit benedictionem, tum multiplicationis absolutè, tum multiplicationis in terra iam maledicta.

Vers. 8. Hæc quoque dixit Deus ad Noë, & ad filios eius cum eo.] Dictio interpretata, *Deus*, est nomen אלהים: & quadrat materiæ punitionis per diluuium ampliùs non futuræ.

Vers. 9. Ecce ego.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ego ecce ego.* Dixerat, adempta diminutione hominum ex parte occisionis: *Vos fructificate, & multiplicate.* obuiat modò tacitæ quæstioni: Quid si tu, Deus, iterum deleas nos aquis diluuij? Huic, inquam, obiectioni contrariæ multiplicationi generis humani obuiando, dicit: *Et ego.* significans: Vos ex parte vestra facite, quod dixi: & ego ex parte mea, ecce ego. Ne in longum protraham, quod ego ex parte mea faciam, ecce ego, non,

Statuam] (vt vulgatã habet editio,) sed, *statuens*; hoc est, statuo in præsenti.

Pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos:] *Vers. 10.* Et ad omnem animam viuentem, quæ est vobiscum; tam in volucribus, quàm in iumentis, & pecudibus terræ cunctis, quæ egressa sunt de arca, & vniuersis bestiis terræ.] Considera ordinem literæ: nam primò explicatur, inter quos fit hoc pactum; videlicet, inter Deum ex vna, & homines tunc præsentes, & semen eorum, & omnia animantia terræ ex alia parte. Vbi & aduerte, illa verba: *Et vniuersis bestiis terræ*, legenda esse iuxta Hebræum: *Ad omnem bestiam terræ.* ne superflua censeantur: sed per modum extensionis, significando vsque ad omnem bestiam terræ.

Vers. 11. Statuam pactum meum vobiscum.] Iuxta Hebræum præponitur coniunctio, *&*: postquàm enim explicatum est, inter quos fit pactum; explicaturus materiam pacti, resumit idem pactum sub verbo futuri temporis: ad significandum perseuerantiam fœderis.

Et nequaquam vltrà interficietur omnis caro aquis diluuij: neque erit deinceps diluuium dissipans terram.] Ecce res pacto firmata. Non dicit, aliqua caro; sed *omnis caro.* Sicut etiam non excludit subiungendo, diluuium alicuius partis terræ; sed, *terræ*, absolutè: quoniam de vniuersali diluuio, delente omnem carnem, est sermo. Nec dicit: Non cædetur omnis caro, absolutè; sed, *aquis diluuij:* ad explicandum, sub hoc pacto contineri hunc duntaxat modum occidendi omnem carnem.

Vers. 12. Dixítque Deus.] Nomen est אלהים, eadem ratione.

Hoc signum [d] fœderis, quod do inter me, & inter vos, & ad omnem animam viuentem, quæ est vobiscum.] Non suffecit Deo pacisci; sed signum pacti adiecit. Et pronomen, *hoc*, demonstrat demonstratione simplici, quemlibet arcum futurum in nubibus. Quod statim explicauit:

[d] Signa, quæ posita in Dei pactis legimus, vt in fœdere Abrahæ, & Mosis in monte Sinai, propter nos data intelligimus, vt beneficia eius, & fœdera memoremur. Nam Deus signis pro se nõ eget, cum obliuiosus non sit. sic & arcum cœlestem, signum esse positum propter nos, arbitremur, vt, quemadmodũ voluit manna in Arca positum, monumentum esse filiis Israël beneficij pastus eã in deserto; sic eidem voluit mũdo symbolum esse, suæ miserationis; nempe, quòd in lumbis Noë seruati sumus. Intelligo igitur, Deum dixisse Noë, vt iidem deinceps in memoriã saluationis e diluuio haberet: vt quemadmodum iris pluuias extenuat; sic recordaretur, qualiter & ipse pluuias cessare fecisset. Sibi verò etiã signum esse voluit, non alia proprietate, quàm sanguinis aspersione, quam adoptionis symbolum sibi posuit. Nec aliud voluit Moses in hac iridis positione philosophari, nisi ostendere, quòd, sicut solebant antiquitus fœdera inter homines signis confirmari, vt de Iacob, & Laban; Abraham, & Rege Geraris legimus: sic Deus signum sui fœderis dedit.

In generationes sempiternas.] Libra benè hanc particulam: refertur enim ad verbum, *do*; seu participium, *dans*, in Hebræo. Reuelauit siquidem Deus, quòd ipse ad generationes æterni, (non ad tempus; sed ad succedentes in æternum generationes,) dat hoc signum, dat arcum in nubibus. Hæc reuelatio scribitur dicendo: *Et dixit* אלהים. nam alloquendo Noë, & filios eius dixit: Et in indeficiente (quandiu durant generationes sæculorum) apparitione arcus consistit signum diuini fœderis.

Quod vt penetres, ad quietem vsque intellectus; scito, quòd iris, quam Scriptura appellat arcum, est naturale signum diluuij, non tunc futuri; non enim est signum diluuij nunquam futuri; sed non propinqui diluuij, sed non dispositi aëris ad diluuium: quoniam arcus causatur ex victoria Solis super dispositionem nubium ad immensam pluuiam: diluuium autem non causatur, nisi concurrente dispositione ad immensas pluuias. Quo fit, vt si arcus per omnes generationes appareat, signum semper habeatur naturale aëris non dispositi ad diluuium: & propterea Deus, dando ad generationes æternas arcum in nubibus; dat naturale signum aëris non dispositi ad diluuium: ac per hoc dat semper naturale signum non futuri diluuij. Nec huiusmodi signum naturale supponit, pluuias esse causam totalem diluuij: sed supponit, quòd sine immensis pluuiis, nec fuit, nec est, nec erit diluuium vniuersale: vt ipsa quoque sacra Scriptura testatur, dicendo,

concurrisse

concurrisse ad illud diluuium apertas fenestras cælorum, ad immensas pluuias quadraginta dierum, & quadraginta noctium.

Et si altiùs contemplatus fueris, intelliges, fœdus diuinum consistere in hoc, quòd Deus deinceps gubernabit mundum, quantùm ad vniuersale spectat diluuium, secundùm cursum naturalem, iuxta quem nunquam vsque adeò nubes præualent ad pluuias, vt omninò vincant apparentiam Solis, quæ manifestatur in iride. Quocirca ex hoc, quòd arcus, signum naturale est deficientis vnius causæ requisitæ ad diluuium, & secundùm cursum naturalem nulla generatio præterit sine iride; habetur, quòd diluuium vniuersale non est naturale; sed immensitas illa pluuiarum ad causandum diluuium, fuit ex supernaturali causa. Deus itaque paciscendo, quòd non erit ampliùs diluuium vniuersale, & in signum fœderis dando iridem ad generationes æterni; manifestat, se pacisci, quòd non vtetur ampliùs potestate sua supernaturali ad causandum diluuium. Et hoc fuit specialis reuelationis, & specialis gratiæ, quòd non desistet efficere arcum per generationes singulas vsque in æternum. Suauiter siquidem, se gubernaturum vniuersum, (hoc est, secundùm cursum naturalem,) quoad hoc spondet: ac per hoc non monstrabit vnum arcu, & aliud faciet potestate.

Vers. 13. Arcum meum ponam in nubibus.] Iuxta Hebræum habetur in præterito: *Arcum meum dedi in nube.* Dixerat sub pronomine, *hoc signum:* explicat modò nomen signi, dicendo, *arcum meum.* Et dicendo, *dedi in nube*; manifestat, quòd non tunc primùm dederit causis naturalibus apparitionem arcus; sed, quòd olim dedit. Et hinc soluitur quæstio, an iris apparuerit ante diluuium: testatur enim Deus ipse, quòd iam dederat arcum in nube.

Et erit signum fœderis inter me, & inter terram.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erit ad signum pacti inter me, & inter terram.* Arcũ quidem in nube olim dedi; sed non in signũ fœderis, non vtendi mea potestate supernaturali: deinceps erit in signum fœderis modò initi inter me, & terram, non vtendi potestate supernaturali ad causandum pluuias immensas requisitas ad vniuersale diluuium.

Vers. 14. Cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus.] Explicatur tempus signi, fore tempus multiplicatæ nubis super terram: ita quòd tempus pluuiæ definitur, fore tempus iridis. Quod non est sic intelligendum, quòd in omni multiplicatione nubium ad pluuiam promittatur iris: sed, quòd nunquam erit tanta multiplicatio nubium ad pluuiam, vt tollat apparitionem iridis.

Vers. 15. Et recordabor fœderis mei vobiscum, & cum omni anima viuente, quæ carnem vegetat: & non erunt vltrà aquæ diluuij ad delendum vniuersam carnem.] Humano more loquitur Deus, describens, se fore ad similitudinem recordantis, quoad hunc effectum, vt non causet diluuium vniuersale.

Vers. 16. Eritque arcus in nubibus: & videbo illum: & recordabor fœderis sempiterni.] Clariùs habetur in Hebræo: *Et videbo illum ad recordandum fœderis sempiterni.* Humano more etiam nũc se describit. Priùs descripserat se, secundùm actionem internæ recordationis: modò describit modum extrinsecum, quo excitabitur ad internam recordationem, dicendo: Et videbo illum, ad recordandum pacti æterni. hominibus enim humano more se describit, ad similitudinem hominis, qui ex sensibili signo excitatur ad memoriam promissi. Quæ omnia sunt intelligenda in Deo secũdùm similitudinem effectus: hoc est, quòd sic abstinebo à causando diluuium; quemadmodum recordatus ex signo sensibili pacti facti ad non causandum diluuium: vt nulla obliuione prætermitti possit, quod promissum est.

Quod pactum est inter Deum, & omnem animam viuentem vniuersæ carnis, quæ est super terram.] Dictio interpretata, *Deum*, est nomen אלהים, cui conuenit seruare fœdus. Ius enim hoc exigit, vt etiam Princeps ex pacto teneatur.

Vers. 17. Dixítque Deus ad Noë.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit* אלהים *ad Noach.*

Hoc erit signum fœderis, quod constitui inter me, & omnem carnem super terram.] Demum, Deum Iudicem, tanquàm subscribentem, suáque subscriptione firmantem, quòd iris erit signum dicti fœderis, describit Moses.

Vers. 18. Erant ergo filij Noë.] Ab hoc loco, vsque ad duodecimum capitulum, quæ tractaturus sit Moses, præfatione, tanquàm argumento quodam, summat. Nec in Hebræo habetur nota illationis: sed litera ista inchoat à coniunctione, dicendo: *Et fuerunt filij Noach.*

Qui egressi sunt de arca, Sem, Cham, & Iapheth [c].] Et hinc rursus apparet, quòd Noë post diluuium genuit: nisi enim alios filios habuisset, non dixisset: *Et fuerunt filij Noach, exeuntes de arca, Sem, Cham, & Iapheth.* ad differentiam siquidem aliorum filiorum Noë, meminit exeuntium de arca. Et in hoc præstasse istos tres filios reliquis filiis Noë, insinuatur: vsque adeò, vt nomina aliorum abolita sint; & soli hi tres, tanquàm patres mundi, habiti sint.

[c] Iapheth Atlas Maurus dicitur à gẽtibus; Cham, Zoroastes, & Saturnus Ægyptius, à quo Ægyptus terra Cham, Psal. 104.

Porrò Cham ipse pater Chanaan.] Hoc est aliud tractandum, quod prælibat hic Moses.

Vers. 19. Tres isti filij sunt Noë.] Ne putares Chanaan priuilegiatum ex huiusmodi inserta prælibatione (tanquàm ipse habendus sit velut quartus filius Noë) explicat numero ternario filios Noë.

Et ab his disseminatum est omne genus hominum super vniuersam terram.] Iuxta Hebræum habetur: *Et de ipsis sparsa est omnis terra.* Pronomen, *ipsis*, monstrare tres istos filios Noë, & ipsum Noë; rigor verborum permittit: suauitas tamen contextus exigit, vt demonstret tantùm tres istos filios Noë: quoniam inferiùs nulla genealogia Noë recensetur, nisi ratione istorum trium filiorum. Et hoc est aliud tractandum, quod prælibatur: quo instruimur, quòd alij Noë filij, & descẽdẽtes ab eis, sub nominibus istorum trium filiorum reputati sunt. Simile quid habes in filiis Ioseph, dicẽte Iacob, auo eorũ, ad Ioseph, Genes. 48. *Ephraim, & Manasses mei*

mei erunt filij: reliqui autem tui erunt, & nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis. Dicitur autem omnis terra sparsa ex istis, metaphoricè, tanquàm aspersa fuerit hominibus descendentibus ab istis.

*Vers.*20. Cœpitque Noë, vir agricola, exercere terram.] Iuxta Hebræū breuissimè idem significatur: *Et incepit Noach, vir terræ.* Recole, quòd colere terrā pluries appellatū est in superioribus, seruire terræ: inde enim deriuatū est, vt homo deditus culturæ terræ, dicatur vir terræ, tanquàm seruus terræ. Et more Hebræo deest verbum substantiuum, *incepit esse vir terræ.*

Et plantauit vineam [f].] Non dicit: Et plantauit vitem, sed, *vineam:* ad significandum multitudinem vitium plantatam in ordine ad faciendum vinum: ad differentiam vitium, quę plantantur ad comedendum vuas.

[f] Ideò Noë, teste Beroso, Ianus dictus est à gentibus, Scythica lingua: quia vitis inuentor fuit. Vocatus est & Ogyges: quia sacra docuit. Vertūnus, quòd cæli cardines verteret. Sator Deorum, antiquissimus Diuum, Iupiter maximus, Cælumq; à Nembrot, cui & mirabiles statuæ, & quadrifrontes, & aræ duodecim extructæ sunt ab antiquis.

Vers. 21. Bibénsque vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo.

*Vers.*22. Et vidit Cham, pater Chanaan, turpitudinem patris sui.] Hic incipit exequi prælibatum illud: *Cham, ipse pater Chanaan.* Duo siquidem hæc litera manifestat. Alterum, quòd Cham iam genuerat quartum filium, qui vocabatur Chanaan, tempore, quo Noë inebriatus est: alioquin non esset scriptum, quòd *Cham, pater Chanaan, vidit turpitudinem patris sui.* quoniam Cham, non Cham, pater Chanaan, vidisset. Alterum, quòd nunciante Chanaan puero, cognouit Cham patrem nudatum, & vidit: nisi enim, quatenus pater Chanaan vidisset, quum esset pater aliorum filiorum, non scriptum fuisset, quòd *Cham, pater Chanaan, vidit turpitudinem patris sui.* Vtrunque itaque Litera ista insinuat.

Et nunciauit duobus fratribus suis foras.] Multiplex peccatum congeritur: & quòd non operuit patrem, & quòd nunciauit non vni tantùm, sed duobus fratribus; & quòd foras ad hoc exiuit.

*Vers.*23. Acceperunt verò Sem, & Iapheth pallium.] Iuxta Hebræum habetur, *pannum*; nulla expressa figura, aut conditione vestimenti.

Et imposuerunt humeris suis: & incedentes retrorsum, operuerunt turpitudinem patris sui: faciésque eorum auersæ erant: & turpitudinē patris sui nō viderunt.] *Vers.*24. Et euigilans Noë ex vino suo, cùm didicisset quæ fecerat ei filius [g] suus minor.] Iuxta Hebræum habetur: *Et cognouit, quod fecit sibi filius suus paruus.* Non vtitur Litera participio, quo vsus est Interpres antiquus, dicendo: *Et euigilans, cùm didicisset.* sed vtitur duobus præteritis, dicendo: *Et expergefactus est, & cognouit.* Quo fit, vt nec sciamus, quantùm temporis intercesserit à vigilia vsque ad notitiam; nec sciamus modum, quo cognouit ignominiam sibi illatam. Et appellatur Cham, filius Noë paruus, non absolutè; (nam plusquàm centum annorum erat:) sed relatiuè ad fratres duos, Sem, & Iapheth, quos esse priùs natos, ex hac Litera iuncta Literæ sequentis capituli insinuatur; vt ibi declarabitur.

[g] Fortè hic, *filius*, pro nepote capitur, sicut & passim in Scriptura: ideóque nepotis statim subiungitur maledictio.

Vers. 25. Ait: Maledictus puer Chanaan.] Superfluit, *puer.* Et hinc apparet, quòd Chanaan retulerit patri Noë, iacere nudatum: perinde ac si dictum fuisset: Maledictus Chā, quatenus pater Chanaan. Vterque itaque maledictus est maledictione pœnæ subiunctæ.

Seruus seruorum erit fratribus suis.] Infima seruitutis species significatur, dicendo: *Seruus seruorum.* tanquàm non sat sit seruire fratribus; sed oporteret etiam seruire seruis fratrum. Pœnalis autem hæc maledictio prophetauit futuram Chananæorum seruitutem, quæ posteà superuenit.

Vers. 26. Dixítque: Benedictus Dominus Deus Sem.] Iuxta Hebræum habetur: *Benedictus* אלהים יהוה *Sem.* Vtrunque est nomen Dei: sed primum proprium, (est enim nomen tetragrammaton:) secundum appropriatum: aiunt enim esse plurale nominis אלה: significare autem idem quod אלהים. Et dicitur, *Elohe Sem*, hoc est, qui colitur Iudex, ac Gubernator, à Sem. Secundùm hunc siquidem sensum infinities dicit Scriptura, Deum verum, vel existimatum, Elohe alicuius; hoc est, qui colitur ab illo. In Sem itaque benedicendus benedictione laudis prophetatur Deus, & secundùm propria, & secundùm appropriata; hoc est, & secundùm se, & secundùm quod gubernat creaturas; subauditur enim verbum substantiuum futuri temporis. Et hoc adimpletum est: quoniam ex Sem descendit Abraham, ex quo diuinus cultus propagatus est in filiis Israël. Et tandem ex eodem semine natus est Christus, in quo benedicitur vndequaque Deus.

Sit Chanaan seruus eius.] Iuxta Hebræū habetur: *Erit Chanaan seruus eius.* Significáter enim dicit, *eis*, in numero plurali, ad significandum, quòd non ipsi Sem; sed filiis ipsius futurum erat seruum Chanaan semen.

*Vers.*27. Dilatet Deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem.] Dictio interpretata, *dilatet*, futurū Indicatiui est: & anceps ad significandū dilatationem, vel venustationem. Et nomini quidem Iapheth magis quadrat, *venustabit:* vt tanquā alludendo ad nomen Iapheth (sonans pulchritudinem) dictum sit, *venustabit pulchrum.* Sed contextui magis quadrat, vt significet dilatationem: nam explicatur dilatatio tanta, vt habitent filij Iapheth in tentoriis Sem, vt non sufficiant eis loca propria, sed etiam habitent in locis Sem. Et nominatur hîc Deus אלהים, valdè congruè, ad distribuendum tam latè filios Iapheth, vt communicent etiam cum filiis Sem. Si pensarentur distributæ nationes, appareret, quando hoc fuerit verificatum: sed hæc hodie valdè ignota sunt.

Sítque Chanaan seruus eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erit Chanaan seruus eis.* hoc est, filiis Iapheth. Et hæc clausula manifestat, quòd verbum, *habitabit*, refertur ad Iapheth: alioquin repeteretur seruitus Chanaan respectu Sem, secundùm planum contextum literæ. Est itaque Chanaan prædictus seruus filiorum Sem, & filiorum Iapheth; iuxta id, quod promissum fuerat: *Seruus seruorum erit fratribus suis.* Oporteret autem conferre loca locis, & nationes nationibus, iuxta mutationes subsecutas ex bellis; ad videndum, quando hæc fuerint adimpleta.

*Vers.*28. Vixit autē Noë [h] post diluuium trecentis quinquaginta annis.

Vers. 29. Et impleti sunt omnes dies eius

[h] Antiquitatum obseruatores Noë Phœnicem fuisse tradūt, eáque ratione Phœnices illi, tanquam incolæ, oppida dedicasse, nomináque Iani, & Noë illis imposuisse, quæ Iosue 15. in Tribu Iuda recen-

sentur, & 2 Machabæorum. Traduntq; similiter Plinius, & Solinus, Iope, & Hebrō Phœniciæ vrbes, ante diluuium extitisse; quæ, cum sola à Noë memoriæ traditæ fuerint; videtur eas incoluisse, ibique arcam fabricasse. Sed, vbi mortuus fuerit, ignoratur: nam tradit Berosus, cū lustrasse ferè orbem, colonias ducens.

eius nongentorum quinquaginta annorum: & mortuus est. Quemadmodum vitam Noë ante diluuium Moses, nec quoad locum, nec quoad exercitationem descripsit; sed tantùm quoad tempus, & iustitiam: ita vitam eius, post diluuium, silentio inuoluit; nec locum, vbi vixerit, aut vbi mortuus fuerit, explicat; sed tantùm, quòd fuit vir terræ, & quod vixit tantùm temporis. Festinat siquidem Moses ad Abraham.

CAPVT X.

VERS. 1.

HÆ sunt generationes filiorum Noë: Sem, Cham, & Iapheth.] Repetit istos tres filios duntaxat: quia fratres eorum sub nominibus istorum trium, tanquàm patrum, (vtpote, qui fuerunt ante diluuium,) obtrusi sunt.

Natique sunt ei filij post diluuium.] Hoc dictum est ad explicandum, quòd ante diluuium non genuerunt.

Vers. 2. Filij Iapheth.] Retrogrado ordine exequitur: nam proponendo inceperat à Sem, terminando in Iapheth: exequendo autem retrogreditur, incheoando à Iapheth, & terminando ad Sem. Septem autem filij supputantur Iapheth: sed quorundam nomina sunt corrupta.

Ghomer, & Maghog, & Madaï, & Ianan.] Legendum est, *Iauan.*

Et Tubal.] Nonnulli putant, legendum esse, *Tinal.*

Et Mosoch.] Legendum est, *Mesech.*

Et Thiras.]

Vers. 3. Porrò filij Ghomer, Ascenez, & Riphath, & Thogorma.] Inter filios quoque primogeniti Iapheth, qui appellatus est Ghomer, enumerantur tres: & duæ corruptiones inueniuntur: nam primus, qui appellatur Ascenez, nominatur *Aschenam:* vltimus Thogorma, nominandus est *Thogharmah.*

Vers. 4. Filij autem Ianan.] Pro, *Iauan.* Vide, quòd cùm septem numerauerit filios Iapheth; omissis quinque eorum, duorum tantùm (primi, videlicet, & quarti) filios supputat: ad insinuandum, quòd non est propositi sui texere genealogias omnium. Quatuor autem filios Iauan nominat:

Elisah, & Tharsis, Cetthim.] Legendum est, *Chitthim.*

Et Dodanim.]

Vers. 5. Ab his diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, vnusquisque secundùm linguam suam, & familias in nationibus suis.] Non prosequutus Moses historias diuisarum nationum, præoccupat, quod pòst factum est; valdè summariè scribendo, quòd à filiis Iapheth separatæ sunt, quoad proprietatem habitandi, colendi, dominandi, insulæ gentium; hoc est, insulæ, quas modò tempore Mosi inhabitant gentes, inhabitant Ethnici: fecerunt enim suas, regiones, quas occuparunt.

Vers. 6. Filij autem Cham, Chus, & Mesraïm.] Legendum est, *Misraïm.*

Et Phuth, & Chanaan.] *Vers.* 7. Filij Chus, Saba.] Legendum est, *Seba*, seu *Seua.*

Et Heuila.] Legendum est, *Chauilah.*

Et Sabatha.] (Legendum est, *Sabthah*, vel *Sauthah.*) Et Regma.] Legēdum est, *Raghmah.*

Et Sabathaca.] Legendum est, *Sabthecha*, vel *Sauthecah.*

Filij Regma.] Legendum est: *Fily Raghmah.*

Saba, & Dadan.] Prosequitur Moses genealogiam Chus, per quartum eius filium; supputando duos illius Raghmah filios: quorum alter nominatur Saba; sed nominādus est *Seba*, seu *Seua:* alter nominatur Dadan; & nominandus est *Dedan.*

Vers. 8. Porrò Chus genuit Nemrod.] Legendum est, *Nimrod.* Quinque filiis Chus adiungit sextum.

Ipse cœpit esse potens in terra.] Dictio interpretata, *potens*, propriè interpretanda est, *fortis.* Apud nos tamen clariùs explicat sensum potens: quoniam sensus est, quòd iste incepit habere potentatum in terra; qui potentatus significatur à fortitudine; eò quòd fortitudine sua vendicauit sibi potentatum.

Vers. 9. Et erat robustus venator coram Domino [a].] Eadem dictio, quæ interpretata est, *potens*, repetitur hîc. Habetur itaque iuxta Hebræū: *Ipse fuit fortis venator in faciebus* יהוה. Est enim tetragrammaton. De venatione hominum ab omnibus intelligitur: ad significandum, quòd vsus est fortitudine sua ad capiendū homines, ad similitudinē venatoris. Quòd autem dicitur, *in faciebus Dei*, dupliciter exponi potest. Vel contemptiuè; hoc est, contempto conspectu diuino: vt sit dictum, ad exaggerationem peccati; quemadmodum exaggeratur crimen commissum spectante Prætore. Vel simulatè: ad significandū, quòd Nimrod hinc simulabat, se esse deicolam: inde autem exercebat tyrannidem. Oportet enim, secundùm Philosophorum documenta, Principem esse deicolam, vt populus minùs putet se pati iniustū. Et hic sensus magis quadrat contextui: eò quòd subiungit, inde deriuatum prouerbiū: non est autem verisimile, versum fuisse in prouerbium dignum, vt narraretur à Mose, continens tam ingentem blasphemiam, quantam cōtinet primus sensus. Meminit autem Dei sub nomine propriissimo; ad significandum, vel quòd ipsū Deum secundùm seipsum cōtemnebat, (iuxta primum sensum;) vel quòd summum illud arcanum, quod est primum omnium principium, simulabat se colere.

[a] Eugubinus, vocem, *coram Domino*, phrasis Hebraïcæ esse putat: ita vt sensus sit, Nērod robustum bellatorem, id est, fortē virum fuisse. sicut de Ismaële dicit Scriptura, quòd erat vir sagittarius, id est, fortis, & bellicosus. Cæterùm, hic Nērod, primus. Saturnus Babylonicus est vocatus.

Ob hoc exiuit prouerbium.] Iuxta Hebræū habetur: *Ideò dicetur.* Et significatur verbo futuri temporis ad significandam perseuerantiam prouerbij.

Quasi Nemrod robustus venator coram Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut Nimrod fortis venator in faciebus* יהוה. Vel de Principe aliquo contemnente Deum: vel de tyranno simulante se deicolam, huiusmodi prouerbium dicebatur.

Vers. 10. Fuit autē principiū regni eius, Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne [b], in terra Sēnaar.] Iuxta Hebr. habetur: *Et fuit principiū regni eius Babel, & Erech, & Achad, & Calneh in terra Sinhar.* Nomē est regionis, *Sinhar*, in qua sūt istæ quatuor ciuitates in litera nominatæ. Vide, quātùm profecerit Nimrod: fecit enim se Regem. Et fuit primus post diluuium: nam de ipso scriptum est: *Ipse*

[b] Tradunt aliqui, quòd hæc nomina Arach & Achad, & Chalanne non significant vrbes proprias, sed partes erant Babylonis. Nam Babylō tetrapolis erat, quæ quatuor partibus distincta erat, sub cuius

ditione 12. subeiant oppida. Sic & Hierusalem, quæ tetrapolis erat, ex quatuor vrbibus constitutam esse, in libris Regum legimus, nempe, ex Iebus, Sion, Salem, & Moriat. Sic & Rabath celebris emporij Ammonitarum, altera pars à Ioab occupata est, reliquæ à Dauide. 2. Reg. 12. Niniue etiam ex quatuor ciuitatibus hic nominatis constabat.

cœpit esse fortis in terra. Regna ergo post diluuium ab ipso inceperunt: qui primus cœpit vti fortitudine ad faciendum se Principem, ad cogendum alios sub suo dominio.

Vers. 11. De terra illa egressus est Assur.] Iste Assur fuit secũdus filius Sem, vt in hoc eodem subiũgitur capitulo. Et quoniam ipse imitatus est Nimrod quoad principatum; propterea Moses narrat, quòd ipse egressus est ex eadẽ terra Sinhar, in qua regnum sibi cõstituit Nimrod. Ac si apertiùs dixisset, quòd terra illa fuit ferax Principum, quandoquidem ex illa egressus est Assur, filius Sem, Rex Niniues.

Et ædificauit Niniuen, & plateas ciuitatis, & Chale: *Vers.* 12. Resen quoq; inter Niniuen, & Chale.] Iuxta Hebræum Niniue bissyllabũ est: proferunt enim, *Ninueh:* ciuitas autẽ dicta Chale, nominãda est *Calach.* Ad explicandũ, quòd ipse Assur suo tẽpore ordinauit multas plateas in ciuitate Niniues, meminit non solius ciuitatis; sed platearum eius:

Hæc est ciuitas magna.] Pronomen nõ demonstrat ciuitatem mediam inter Niniuen, & Chalach; sed ipsam Niniuen, quæ apud Ionam dicitur tam magna fuisse, vt occupauerit iter trium dierum.

Vers. 13. At verò Mesraïm.] pro, *Misraïm.* Redit ad genealogiam Cham, prosequẽdo secundũ illius filiũ Misraïm, patrem Ægyptiorum, à quo vsque hodie Ægyptus apud Hebræos dicitur Misraïm, sicut Æthiopia Chus.

Genuit Ludim, & Anamin, & Laabim, Nephthuim. *Vers.* 14 & Phetrusim, & Chasluin.] Iuxta Hebr. legendum est: *Genuit Ludim, & Anamin, Lehauim, & Naphthuchim, & Pathrusim, Chasluchim.* Sic enim scripta sunt Hebraïcè hęc nomina propria filiorũ Misraïm.

De quibus egressi sunt Philisthiim, & Caphthirim.] Iuxta Hebræum habetur: *Qui exiuerunt exinde, Pelistim, & Caphthorim.* Absque certis parentibus describuntur istæ duæ nationes egressæ inde, hoc est, ex his nominatis filiis Misraïm. Fortè verum est, quod aiunt, ex mutuatis vxoribus hos descendisse.

Vers. 15. Chanaan autem genuit.] Prosequitur genealogiam Cham per quartum filium, qui fuit maledictus à Noë: & ne multiplicemus Scripturam, corrigendo nomina propria, legendum est iuxta Hebræum:

Sidon primogenitũ suum, & Cheth,

Vers. 16. & Iebusi, & Emori, & Ghirghasi, *Vers.* 17. & Chiuui, & Harci, & Sini; *Vers.* 18. & Aruadi, & Semari, & Chamathi: & per hos disseminati sunt populi Chananæorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et posteà sparsa sunt familia Chenahani.*

Vers. 19. Factique sunt termini Chanaan venientibus à Sidone Geraram, vsque Gazam, donec ingrediaris Sodomam, & Gomoram, & Adamam, & Seboim, vsque Lesa.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit terminus Chenahani de Sidon, ad venire te ad Gherarah vsque Hazzah, ad venire te ad Sedomah, & Hamorah, & Admah, & Seboim vsque Lasah.* Et hæc sint correcta ratione nominum propriorum.

Vers. 20. Hi sunt filij Cham in cognationibus, & linguis, & generationibus, terrisque, & gentibus suis.] Superfluit, *& generationibus:* nec intelligas numeratos omnes filios Cham: quoniam multorum genealogias ex ipso contextu apparet esse omissas.

Vers. 21. De Sem quoque nati sunt.] Hic faciendus est pũctus: in Hebræo enim habetur: *Et Sem natus est.* & est datiui casus, *Sem.* Tria præmittit genealogiæ ipsius Sem. Primum est, quòd ex Sem nati sunt multi: multitudo enim significatur singulari numero, *natus est*, Hebræo more. Secundum est:

Patre omnium filiorum Heber.] Iuxta Hebræum habetur: *Etiam ipse pater omnium filiorum Heber.* Ad dignitatem Sem spectare monstrat Moses, quòd ipse fuerit pater omnium filiorum Heber: vt per hoc intelligatur, quòd fuit pater Abræ, quòd fuit pater populi electi à Deo, quòd fuit pater Messiæ [c].

Fratre Iapheth maiore.] Iuxta Hebræũ habetur: *Frater Iapheth magnus.* Ecce tertiũ, significans Sem fuisse primogenitũ Noë. Nam, si hic Textus conferatur cum Litera præcedentis capituli, (vbi Cham appellatus est filius Noë paruus.) ex vtraq; Litera simul iuncta habetur, quòd Sem fuit primogenitus, & Chã vltimus: ex hoc enim, quòd Cham est filius paruus, relatiuè ad fratres suos; & Sẽ est magnus, relatiuè ad Iapheth; manifestè sequitur, quòd Sem fuit primus, Iapheth secũdus, & Cham tertius. Nec mireris, scriptum esse, *magnus*, non maior: carent siquidem Hebræi comparatiuis nominibus.

[c] Sententia est Aug. Tom. 10. serm. 15.

Vers. 22. Filij Sem, Ælam, & Assur, & Arphaxad,] (pro, *Arpachsad*,) & Lud, & Arã.]

Vers. 23. Filij Aram.] Prosequitur genealogiam vltimi filij Sem. Legenda autem sunt nomina filiorum Aram sic:

Hus, & Chul, & Ghether, & Mas.

Vers. 24. At verò Arphaxad genuit Salem.] (Legendum est: *Et Arpachsad genuit Selach.*) De quo ortus est Heber.

Vers. 25. Natique sunt Heber filij duo: nomen vni Phalech: (Legendũ est, *Peleg.*) quia in diebus eius diuisa est terra. Non est vsquequaque certum, an pronomen, *eius*, monstret Heber, vel Peleg. Si nomen fuit ei impositum in natiuitate, monstrat, Heber propterea filio nomen imponentem Peleg, quia in diebus Heber diuisa est terra: sonat enim Peleg, *diuisionem.* Si autem aduentitium fuit hoc nomen, monstratur ipse Peleg, quòd ad perpetuam memoriam diuisionis terræ, factæ tẽpore eius, sortitus fuerit nomen Peleg. Et est sermo de diuisione terræ per diuersas linguas, facta post confusionem linguarum.

Et nomen fratris eius Iectan.] Corruptum quoque est nomen istius fratris Peleg: legendum est, *Ioctan.* Et nomina filiorum eius legenda sunt, vt subiungitur.

Vers. 26. Et Ioctan genuit Almodad, & Saleph, & Chasarmaueth, & Iarach.]

Vers. 27. Et Hadoram, & Vzal, & Diclah, *Vers.* 28. & Hobal, & Abimaël, & Seba, *Vers.* 29. & Ophir, & Chauilah, & Iobab. Omnes isti filij Ioctan. *Vers.* 30. Et fuit habitatio eorũ de Mesa pergentibus vsq; Sepharah, montẽ orientalẽ [d].] Quis autem sit iste mons, qui quodammodo antonomasticè appellatus est Orientis, nescio.

Vers. 31. Isti filij Sem, secũdùm cognationes, & linguas, & regiones, in gẽtibus suis. *Vers.* 32. Istæ familiæ filiorum Noë, iuxta populos, & nationes suas.] Legendum

[d] Ioannes Annius, antiquitatum obseruantissimus, montem istum Sepharah in Thracia collocat, lectámque istum, Istrũ nominatum esse dicit, à quo & Danubius Ister dictus est, filiorúmque eius habitationes in Dalmatia, vtraque Mysia, Epiro, & Thracia cõstituit: Eugubinus verò in vtraque Arabia collocat longè verisimiliùs: nam Sepharah mons, quem proximè inhabitabãt, orientalis dicitur.

Orientis autē nomine Scriptura solā Syriam, & Assyriā, Chaldæam, & vtranque Arabiam intelligit. Orientis verò reliqua pars, quæ vltra Babyloniam, & Persiam iacet, Scripturæ ignota est.

Legendum esset: *Ad generationes suas in gentibus suis.*

Et ab his diuisæ sunt gentes in terra post diluuium.] Adiecit hoc Moses, ad differentiam diuisionis gentium per mundum, quæ fuerat ante diluuium.

CAPVT XI.

VERS. 1.

ERat autem terra.] Deficit, *omnis*, seu *tota*. Explicatur siquidem, quòd non solùm aliqua pars terræ, sed vniuersa terra erat vnius linguæ.

Labij vnius, & sermonum eorundem.] Non solùm omnes homines conueniebant in vnitate verborum; sed etiam in vnitate labij; hoc est, modi proferendi: contingit enim, Italos communicantes in verbis, differre in labiis: vt clarè patet. Et simile est in Hispanis, Germanis, &c. Ad tollendam itaque omnem diuersitatem, vtraque vnitas explicatur. Et quanuis Scriptura non explicet, quæ fuerit tunc lingua omnibus communis; duas tamen coniecturas habemus, quòd fuerit Hebræa. Altera est, quia lingua Hebræa fuerat ante diluuium: vt nomen Domini tetragrammaton testatur. Altera est, quòd Babyloniæ nomen, quod iuxta Hebræam linguam sortita est ciuitas illa, apud omnes nationes perseuerasse videtur. Quòd si ita esse constaret, efficax profectò haberetur hinc argumentum; præcipuè quum ciuitas illa non fuerit Heber, aut filiorum eius; sed fuit Nimrod, filij Chus, filij Cham.

Vers. 2. Quumque proficiscerentur de Oriente, venerunt in campum in terra Sinhar; & habitauerunt in eo.] Non intelligas, vniuersum genus humanum profectum fuisse ab Oriente, & iuisse in regionem Sinhar; (quia nec Litera hoc sonat, nec rationi hoc consentaneum est:) sed sensus Literæ est, quòd perseuerante vna lingua in vniuersa terra, illi, qui mouerunt se de Oriente, venerunt in vallem Sinhar.

Vers. 3. Dixitque alter ad proximum suum.] Quòd nec Nimrod [a], nec aliquis certus homo fuerit author subiunctæ fabricæ, manifestat incitatio attributa vagè hominibus: vt intelligamus hinc, quòd Nimrod ciuitatem Babyloniæ inchoatam communi voto, post confusionem linguarum, occupauit, & cœpit regnare ibidem: vt in præcedenti scriptum est capitulo.

[a] Berosus ipse cōfitetur, Babylonem à Nērod nō fuisse fundatam; refértque ille, Noë misisse colonias in diuersas orbis partes, quæ priusquā disgregarentur, in cāpo Sennaar iunctæ ædificarūt turrim, erántque ibi fortè omnes filij Noë, vel saltem Chā, cum omni familia: idque ex eo apparet, quòd eius posteritas vrbis principatum obtinuit, missúsque à Noë in Ægyptū, illac necessariò transeundum erat. Ipsa verò Babylon 131. anno ab aquis diluuij fundata est, teste Beroso.

Venite.] Multi putant, dictionem Hebraïcam interpretandam aduerbio hortandi, *eia*, vel, *age*.

Faciamus lateres: & coquamus eos igne. Habuerúntque lateres pro saxis.] Hinc apparet ibidem penuria saxorum; ac per hoc calcis, quā constat ex saxis fieri; & bitumen pro cæmento. Disputatur de dictione interpretata, *bitumen*; aliis, *lutum*; aliis, *cretam*; aliis, *bitumen*, interpretantibus. Et hoc vltimum magis quadrat scriptis de Semiramide, quòd bitumine vsa est ad ædificandum: constat enim, ipsam imperasse posteà in regione illa.

Vers. 4. Et dixerunt: Venite, faciamus nobis ciuitatem.] Hinc clarè habetur, quòd non erat ibi vniuersum humanum genus: fuissent enim valdè stulti, cogitando, & dicendo: Ædificemus nobis ciuitatem. Sed vox ista illorum tantùm est, qui profecti ex Oriente venerunt ad habitandum in campo Sinhar: delectati enim planitie, & fortè amœnitate loci, tractarunt de ædificatione ciuitatis propriæ.

Et turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum.] Hyperbolicus sermo est, ad significandum maximam celsitudinem turris: proculdubio ad defensionem, & refugium, si contingeret ciuitatem capi.

Et celebremus nomen nostrum, antequàm diuidamur in vniuersas terras.] Iuxta Hebræum habetur: *Et faciemus nobis nomen, ne fortè dispergamur super facies totius terræ.* Duplex finis tangitur ædificij huius. Alter est, communis fama ex ciuitate munita tam excelsa turri, tanquàm ex facto singulari. Alter est, continere seipsos simul: facilè enim accidere potuisset, vt quemadmodum ipsi segregauerant se ab aliis; ita inter sese segregarentur, si non esset eis communis ciuitas: habitantibus siquidem hominibus absque septis ciuitatis, facilis est dilapsus aliquorum ab aliis. Vnde apparet rationabiliter, hæsitando dici: *Ne fortè dispergamur.* quoniam facilè euenire poterat, vt à seipsis dispergerentur.

Vers. 5. Descendit autem Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant.] Dictio interpretata, *Dominus*, est nomen tetragrammaton; ad significandum, quòd ille, qui est primum essendi principium, descendit; hoc est, ad similitudinem descendentis (non corporali motu, sed cura, sed prouidentia) extendit se vsque ad hæc infima; humanas, scilicet, actiones, & singularia hæc corporea; qualia sunt ciuitas, & turris.

Filij Adam.] Dictionem Hebræam reliquit Interpres; cùm potuisset Latinè dicere, *filij hominis*. Hebræo more, *filij hominis*, appellantur hoc in loco, non origine; sed affectu, ac studio: vtpote, quorum studium erat ad perpetuitatem nominis, & ad construendam ciuitatem sibi communem, veriti dispersionem.

Vers. 6. Et dixit.] Deficit tetragrammaton. Postquàm ad similitudinem descendentis vidit ciuitatem, & turrim, iam ædificatas; quanuis non vsque ad terminum intentum ab eis; (in Hebræo siquidem non habetur, ædificabant; sed, *ædificauerunt filij Adam:*) ad similitudinem conferentis describitur idem summum essendi principium. Et scribit hæc Moses ad docendum, quòd ille, qui est fons essendi, curam exercet omnium singularium: perinde ac si descenderet ad videndum, & conferendum, quæcunque apud nos sunt, & geruntur.

Ecce, vnus est populus, & vnum labium omnibus.] Primum, quod confert, est tam vnitas popularis, quàm vnitas linguæ. Ambæ enim hæ vnitates, causæ erant huius ædificij, & impediebant propagationem eorum per diuersas mundi partes: & propterea meritò ab earum incipit collatione.

Cœperúntque hoc facere.] Iuxta Hebræum habetur: *Et hoc incepère eorum ad faciendum.* Secundum collatum est, quòd non sufficit istis, quod ædificatum est ciuitatis, & turris;

turris; sed nunc incipiunt, tanquàm nihil egerint. Sic loquitur Deus, vt consueuimus nos loqui.

Nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nunc non prohibebitur ab eis omne id, quod cogitauerunt ad faciendum.* Optimè dicit: *Et nunc.* videlicet, stante vnitate populi cũ vnitate linguæ: his enim perseuerantibus, nihil prohibebit, nihil impediet istos à prosecutione cœptorum, ab ædificatione turris valdè excelsæ, & ciuitatis munitæ ingentibus mœnibus: hoc est enim tertium collatum.

Vers.7. Venite igitur.] Iuxta Hebræum habetur eadem dictio, quæ superiùs etiam ab antiquo Interprete interpretata est, *venite:* quam, vt prædictum est, multi putant interpretandam esse, *eia*, seu, *agite.* Aduerte, prudens lector, quòd Moses describit Deum par pari referentem. Nam, quia excitando ad ædificandam ciuitatem, & turrim, homo dixerat: *Eia, ædificemus*, &c. ideò dissipaturus Deus hominum consilia, dicit ad similitudinem excitantis eos, qui cum eo sunt, *eia.*

Descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque linguam proximi sui.] Quia ministerio Angelorum Deus operatur, ideò pluraliter loquitur. Et quia sic per Angelos operatur, vt magis ipse operetur, vt ipse non procul absit (vt Philosophi fingunt) sed præsens sit Angelis operantibus circa hæc infima, tanquàm præcipuus operans; ideò dicit: *Descendamus, & confundamus.* Et descendere quidem conuenit Deo secundùm similitudinem effectus: confundere autem, propriè. Ecce remedium ex collatis adhibendum: nam ex hoc effectu ablata est vtraque vnitas, populi, videlicet, & linguæ: & consequenter impedita est prosecutio ædificationis.

Quòd autem dicitur: *Vt non audiat.* non refertur ad sensibilem auditionem; sed ad intelligentiam sermonis: nam diuisis sermonibus audiebat vnusquisque vocem alterius; sed nõ intelligebat alter alterum. Nec tam exacto rigore intelligendum est, non audisse vnunquenque suum proximum, vt non relicti fuerint duo communicantes in sermone: nisi enim aliqui communicantes inter sese in lingua relicti fuissent, oportuisset sigillatim singulos spargi; quod non est verisimile[b]. Nec etiam veritas Literæ exigit hunc rigorem: sufficit enim veritati Literæ, quòd non quilibet intellexerit vocem socij sui: & non oportet, vt nullus intellexerit vocem socij sui. Quod Hebræa Litera meliùs explicat, dicendo, quòd *non audient vir labium socij sui.* Dictio siquidem interpretata, *vir*, quanuis æquipolleat quandoque dictioni, *vnusquisque*, indefinitè; non tamen significat vnunquenque vniuersaliter. Sicut etiam apud Latinos, *vir*, quandoque supponit pro multitudine virorum indefinitè. Et dicendo in numero plurali, *audient*; multos significat (non singulos insinuat) fore non intelligentes; hoc est, communicantes quidem inter sese in sermone; non intelligentes autem socios suos. Hîc itaque sensus, vt Literæ, & rationi consentaneus, amplectendus est.

[b] Existimarim ego, quòd in illa multitudine à Deo constitutum sit, vt de quauis lingua duodecim tãtùm essent. Sicque fortasse interpretandum est, quod scribitur Deut.32. *Quando diuidebat Altissimus gentes, & quando separabat filios Adam, facta est numerus populorum iuxta numerum filiorum Israël:* hoc est, qui ad vnum populũ constituendum diuidebantur (in vna lingua, scilicet,) iuxta numerum filiorum Israel erant, id est, duodecim. Cúmque septuagintaduæ linguæ supputentur à Mose, facilè colliges multitudinem eorũ, qui turrim ædificare voluerunt. Nec inter hos duodecim adnumerantur pueri cum vxoribus. permiscuáque familia; sed cuiusque familiæ capita, quorum summa ad numerum octingentorum sexagintaquatuor, assurgit.

Vers.8. Atque ita diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras, & cessauerunt ædificare ciuitatem.] Dictio interpretata, *Dominus*, est nomen tetragrammaton. Significanter Moses attribuit sparsionem hanc Deo, quatenus est primum essendi principium: ne Angelis attribueretur, tanquàm propinquis agentibus, & Deus existimaretur agens remotum respectu executionis. Et huiusmodi sparsio illorum hominum à Deo facta, ratio est, quare displicuerit Deo vnitas populi cum vnitate linguæ, & ædificio ciuitatis, ac turris, ad continendum illos simul: nihil enim horum secundùm se displicuit Deo; sed, quatenus impediebat propagationem illorum in diuersis partibus mundi.

Vers.9. Et idcircò vocatum est nomen eius Babel.] Iuxta Hebræũ habetur: *Et propter hoc vocauit nomen eius Babel.* Significatur enim, quòd Deus imposuit nomen illi ciuitati, *Babel.*

Quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia ibi confudit* שפת *labium totius terræ.* Attribuitur etiam ipsa confusio linguarum primo essendi principio: ad explicandum, quòd est effector proximus, quando vult, etiam artificialium: diuersitas enim idiomatum, artis est opus. Et dicit, *omnis terræ*: quoniam ibi fuerunt linguæ vniuersi orbis: nam adfuit & illa, quæ priùs erat communis omnibus; & adfuerunt reliquæ tunc genitæ, ex quibus constituuntur vniuersa idiomata.

Et inde dispersit eos Dominus super faciem totius terræ.]

Vers. 10. Hæ sunt generationes Sem: Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad biennio post diluuium.] Iuxta Hebræum habetur: *Sem filius centum annorum: & genuit Arpachsad duobus annis post diluuium.* Appellatur *filius centum annorum*, non tam ad significandum ætatem, quàm ad significandum vitam ex stadio ætatis centum annorum. Ex hoc autem, quòd duobus annis post diluuium describitur Sem centum annorum, inferre aiunt Hebræos, quòd Sem non fuerit primogenitus Noë: quoniam Noë quingentorum erat annorum, quum genuit, vt patet in fine quinti capituli: ac per hoc, biennio post diluuium primogenitus eius erat centum & duorum annorum.

Sed ratio hæc inefficax est, & contra Literam. Contra Literam quidem: quoniam (vt ex duobus præcedentibus capitulis collectum est) Sem fuit primogenitus: nam descriptus est frater grandis respectu Iapheth; & Cham descriptus est filius paruus Noë: hæc enim manifestant, Sem fuisse primogenitum. Inefficax autem: tum, quia Litera non dicit, quòd Sem, cùm esset centum annorum, genuit Arpachsad: sed sunt duæ orationes, interiecta coniunctione. Altera, *Sem filius centum annorum*, Hebræo more subintelligens verbum substantiuum. Altera, *& genuit Arpachsad duobus annis post diluuium.* Tum, quia minùs libratur mos loquendi in sacra Scriptura: nam & in quinti capituli calce dicitur: *Noë, cùm quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Iapheth.* & tamen constat, quòd non illo anno genuit illos tres. Nisi quis dicat, quòd vno, eodémque partu omnes fuerint geniti. Quod si Hebrǽi dixerint, dicunt contra seipsos; videlicet,

videlicet, Sem biennio post diluuium fuisse centum & duorum annorum. Sed sensus verus est, quòd non ante quingentos annos suæ ætatis genuit illos. Similiter inferiùs, in hoc eodem capitulo dicetur de Therach, (quem corruptè vocamus, *Thare*,) quòd *vixit septuaginta annos: & genuit Abram, Nachor, & Haran.* & tamen constat Abram genitum fuisse longè post septuaginta annos patris sui. Et est idem sensus: videlicet, non ante septuaginta annos suæ ætatis genuit istos. Nulla ergo ex parte fundamentum habet solidum, argumentum hoc, quod attribuitur Hebræis.

Indubiè itaque amplectendum est, (quod Scriptura testatur,) Sem fuisse primogenitum. An autem fuerit centum præcisè annorum biennio post diluuium, certum non est. Nam & intelligi potest, quòd genitus fuerit secundo anno post quingentos annos Noë: ita quòd primo anno fuerit conceptus, & secundo genitus: vt sic duobus annis post diluuium non excesserit ætatem centum annorum. Et potest intelligi, quòd fuerit genitus, cùm Noë habuit quingentos annos: ac per hoc, quando genuit Arpachsad erat centum & duorum annorum. Scriptura enim non dicit oppositum: imò adiungendo biennium post diluuium ad centum annos Sem, implicitè insinuat, quòd duos annos supra centum habebat, quando genuit Arpachsad.

Vers. 11. Vixítque Sem, postquàm genuit Arpachsad, quingentis annis: & genuit filios, & filias. *Vers.* 12. Porrò Arpachsad vixit trigintaquinque annis: & genuit Sale.] pro, *Selach.*

Vers. 13. Vixítque Arpachsad, postquàm genuit Selach, trecentis tribus annis:] (Error est in numero: legendum est: *Quadringentis & tribus annis:*) & genuit filios, & filias.]

Vers. 14. Selach quoque vixit triginta annis: & genuit Heber. *Vers.* 15. Vixítque Selach postquàm genuit Heber, quadringentis, & tribus annis: & genuit filios, & filias. *Vers.* 16. Vixit autem Heber trigintaquatuor annis: & genuit Phalech.] (Legendú est, *Peleg.*) *Vers.* 17. Et vixit Heber, postquàm genuit Peleg, quadringentis triginta annis: & genuit filios, & filias. *Vers.* 18. Vixit quoque Peleg triginta annis, & genuit Rehu.] *Vers.* 19. Vixítque Peleg, postquàm genuit Rehu, ducentis nouem annis: & genuit filios, & filias. *Vers.* 20. Vixit autem Rehu trigintaquinque annis.] (Error est in numero: legendum est, *trigintaduobus annis.*) Et genuit Saruch.] (Legendum est, *Serug.*) *Vers.* 21. Vixit quoque Rehu, postquàm genuit Serug, ducentis & septem annis: & genuit filios, & filias.] *Vers.* 22. Vixit verò Serug triginta annis, & genuit Nachor. *Vers.* 23. Vixítque Serug, postquàm genuit Nachor, ducentis annis: & genuit filios, & filias.] *Vers.* 24. Vixit autem Nachor vigintinouem annis, & genuit Therach. *Vers.* 25. Vixítque Nachor, postquàm genuit Therach, centum decem, & nouem annis: & genuit filios, & filias.] *Vers.* 26. Vixítque Therach septuaginta annis: & genuit Abram, & Nachor, & Haran.] *Vers.* 27. Hæ sunt generationes Therach. Therach genuit Abram, Nachór, & Haran. Et scribendum est, *Haran*, per aspirationem in principio: &, vt priùs dictum est, non est intelligendum, quòd Therach septuagesimo anno genuerit istos tres filios: quoniam constat, Abram post mortem patris non excessisse ætatem septuagintaquinque annorum. Nam post mortem patris, qui vixit ducentis, & quinque annis (vt in calce huius capituli dicitur) Abram septuagintaquinque annorum exiuit de Charan: vt Stephanus testatur Actuum 7. Hinc enim clarè paret, quòd ad minus centum, & triginta annorum erat Therach, quando genuit Abram. Quod ergo hîc dicitur, quòd vixit Therach septuaginta annis, & genuit istos tres, intelligendum est negariuè: quòd non ante septuaginta annos incepit generare istos.

Porrò Haran genuit Lot. *Vers.* 28. Mortuúsque est Haràn ante Thare patrem suum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et mortuus est Haran super facies Therach patris sui.* Significatur enim, quòd Haran non separatus à patre mortuus est coram ipso.

In terra natiuitatis suæ in Vr Chaldæorum[c].] Hinc clarè apparet, quòd ibi mortuus est, vbi natus fuerat. Et explicatur nomen ciuitatis Vr, *Chasdim*, iuxta Hebræum: hoc est, *Vr Chaldæorum.*

[c] Chaldæa, regio est Mesopotamiæ vicina, ambitu Euphratis à Septētrione, & Ortu terminata: reliqua vero latera sinu Persico, montana Babylonia, & Euphrate ambiuntur. Hæc à Beato Stephano Actorum 7. & à Plinio Mesopotamia dicitur, translato nominis vsu ob fluuios, quibus, sicut & Mesopotamia, alluitur: quanuis eadem propriè cum illa non sit. In hac exstitit ciuitas Vr, quæ vbi sita fuerit, ignoratur.

Vers. 29. Duxerunt autem Abram, & Nachor vxores.] Iuxta Hebræum attribuitur patri, quòd acceperit vxores his duobus filiis.

Nomen vxoris Abram, Saraï; & nomen vxoris Nachor, Melcha.] Ex eo, quòd nominando vxores Abræ, & Nachor, Saraï, & Milchah, de sola Milchah dicitur, quòd erat filia Haran, argumentum habetur, quòd Saraï non erat filia Haran. Non enim constat, Saraï fuisse duobus nominibus nominatam in hoc eodem contextu; videlicet, Saraï, & Ischah, quæ fuit altera filia Haran: sed multò rationabiliùs repellitur, quàm facilè dicitur. Et hinc apparet, quantò maior natu fuerit Haran, quàm Nachor, cùm Nachor acceperit in vxorem filiam ipsius Haran.

Vers. 30. Erat autē Saraï sterilis; nec habebat liberos.] *Vers.* 31. Tulit itaque Therach Abram, filium suum; & Lot, filium Harā, filium filij sui; & Saraï, nurum suā, vxorem Abram, filij sui.] Hinc apparet, quòd adhuc existentibus in Chaldæa patre, & filiis, Abram erat ad minus triginta annorum. Imò ex eo, quòd Saraï describitur sterilis, coniectura est, quòd multis annis cum ea versatus fuerit, antequàm exirent de Chaldæa.

Et eduxit eos de Vr Chaldæorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et exierunt cum eis de Vr Chasdim.* Non est vsquequaque clarum, ad quos referatur pronomen, *eis*: ex eo namque, quòd non dicitur, Therach tulisse Nachor, & vxorem eius; sed Abram, & Lot; videtur, quòd pronomen, *eis*, mulieres demonstret; videlicet, Saraï, & Ischah: illam quidem nurum; hanc autem neptem innuptam, sororem Lot: non enim fas est credere, quòd illam orbatam patre, solam dimiserit. Si quis autem

autem contenderit, pronomen, *eis*, demonstrare etiam Nachor, & vxorem eius, ex eo, quòd inferiùs in capitulis 24. & 25. apparet, Nachor migrasse etiam, & habitasse in ciuitate Charan, non contendendum puto.

Vt irent in terram Chenahan.] Terminus, ad quem migrare intendebant, explicatur: vt hinc perpendamus, habitationem interiectam in ciuitate Charan, fuisse per modum moræ: vt Stephanus Act. 7. explicauit, dicendo de Abram, *Antequàm moraretur in Charan.*

Veneruntque vsque Haran.] Iuxta Hebræum habetur, *Charan.* Et est Charan nomen ciuitatis.

Et habitauerunt ibi. *Vers.* 32. Et facti sunt dies Therach ducentorum, & quinque annorum: & mortuus est in Haran.] pro, *Charan.* Quanto tempore fuerit habitatio in Charan, scriptum non est: ex verbis tamen Stephani Actuum septimo certum est, quòd Abram moratus est in Charan vsque ad mortem patris.

CAPVT XII.

Vers. 1. Dixit autē Dominus ad Abram.] Iuxta Hebræum habetur nomen tetragrammaton: cura siquidem Abræ attribuitur fonti essendi, vsque adeò, quòd allocutus fuerit ipsum Abram. Modus autem alloquendi non est scriptus hîc, sed à Stephano Actuum 7. manifestatus, dicendo: *Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ.* In forma ergo gloriosa dormienti Abræ apparuit Deus per modum alloquentis, dicendo ei, quæ subiunguntur. Vbi quoque fuerit Abræ facta hæc reuelatio, explicat Stephanus Act. 7. dicendo, quòd, *cum esset in Mesopotamia, antequàm moraretur in Charan,* Deus apparuit ei. In Vr ergo Chaldæorum adhuc erat Abram, quum Deus allocutus est eum. Et hinc quoque habetur tempus istius allocutionis diuinæ; quòd, videlicet, fuit, antequàm migrarent de Chaldæa in Syriam. Et si librata fuerit, explicata in calce præcedentis capituli, intentio patris, & filij, eundi in terram Chanahan, coniectura haurietur, quòd Abram habita huiusmodi apparitione in Vr Chaldæorum, mouerit patrem ad migrandum ex Chaldæa in terram Chanahan: & propterea non Nachor; sed Abræ tantùm mentionem fecerit Moses in huiusmodi migratione.

Egredere de terra tua.] Iuxta Hebræum habetur: *Vade tibi de terra tua.* Et significatur, quòd ad ipsius Abræ vtilitatem præcipitur egressus de terra sua. Terra autem eius appellatur eo modo loquendi, quo quilibet ciuis ciuitatem propriam appellare consueuit suam. Chaldæa siquidem monstratur dicendo, *terra tua.*

Et de cognatione tua.] Præcipitur, vt deserat etiam consanguineos.

Et de domo patris tui] Iubetur, vt deserat etiam paternam domum; hoc est, Nachor, & filios Haran. Quod esse intelligendum: Nisi aliquis eorum voluerit tecum egredi, facta manifestant: nam & pater egressus est vsque ad Charan: & posteà Lot iuit cum Abram in terram Chanahan. Præcipitur itaque, vt quantùm ex se est, deserat & terram, & consanguineos, & paternam familiam. Vt ex hoc præcepto coniiciamus, quod dictum est; videlicet, ad suggestionem Abræ, patrem exiisse ex Vr Chaldæorum.

Et veni in terram, quam monstrauero tibi.] Superfluit, *& veni.* Legendum est: *Ad terram, quam faciam te videre.* Præcepto termino à quo, præcipitur terminus ad quem. Et minùs dicitur; plùs autem significatur. Dicitur enim incertè, *ad terram*; significatur autem certa terra: vt patet, tum ex præcedentibus, vbi dictum est, quòd exierunt de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanahan: tum ex sequentibus, vbi dicetur, quòd Abram exiuit de Charan, vt iret in terram Chanahan. Intenta ergo terra Chanahan testatur, quòd in hac diuina allocutione manifestatus est Abræ terminus ad quem, non in certa terra, sed terra Chanahan, quam promittit Deus, non dare Abræ possidendam, sed videndam, dum dicit: *Quam faciam te videre.* Testatur enim Stephanus, quòd nec passum pedis possidendum dedit Abrahæ in terra Chanahan.

Vers. 2. Faciámque te in gentem magnam: & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum.] Collige has promissiones; & summabis septenario numero comprehendi: vt Hebræo more vniuersitas bonorum, etiam ex ipso numero significetur.

Erísque benedictus.] Imperatiuum est iuxta Hebræum, & nomen abstractum: & legendum est: *Et sis benedictio.* vtendo, *sis,* pro Imperatiuo. Post tria siquidem bona, (principatum, videlicet, magnæ gentis, hoc est, paternitatem magnarum gentium; multiplicationem bonorum, hoc est, facultatum; & gloriam nominis;) quartum adiungit, tanquàm nolens per singula propria ipsi Abræ bona discurrere, quod comprehendit omnia, dicendo: *Et sis benedictio.* Benedictio siquidem in abstracto comprehendit omnia benedictionum genera.

Vers. 3. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi.] Hæc duo, & subiunctum, spectant ad Abram, relatiuè ad alios: imò (vt rectiùs loquar) spectant ad alios, relatiuè ad Abram. Nam horum primum spectat ad amicos, secundum ad inimicos, & tertium comprehendit etiam neutros. Et hoc vltimum non verificatur ex integro de Abram, nisi ratione Messiæ, futuri tunc illius filij. Dupliciter nanque legitur hoc vltimum, videlicet:

Et benedicentur in te vniuersæ cognationes terræ.] vel, *Et benedicent se in te omnes familiæ terræ.* Neutro autem modo constat, verificari de ipso Abram, secundùm se: sed vtroque modo verificatur de eodem, ratione Christi; quoniam ex vniuersis familiis terræ aliquis est benedictus in Christo, qui mortuus est pro omnibus.

Vers. 4. Egressus est itaque Abram, sicut præceperat ei Dominus.] Nomen est tetragrammaton, ratione supradicta. Interceptum fuerat iter Abræ in terram Chanahan ob moram patris in Charan, & propterea continuatio cœpti itineris significatur, dicendo: *Et iuit, sicut locutus est ad eum Deus.*

Et

Et iuit cum eo Lot.] Spontaneus comes describitur Lot: & propterea non desertus est ab Abram. Nachor autē, si cum patre migrauerat, non iuit cū Abram, sed mansit ibidē.

Septuagintaquinque annorum erat Abram.] Iunge hoc verbis Stephani, (quòd post mortem patris Abraham egressus est de Charan,) & clara luce videbis, quòd pater eius ad minus centum & triginta annorum erat, quando genuit Abram.

Quum egrederetur de Aran[a].] Iam dictum est, quòd legendum est de Charan.

Vers. 5. Tulitque Saraï, vxorem suam; & Lot, filium fratris sui; vniuersamque substantiam, quam possederant; & animas[b], quas fecerant in Aran.] pro, *Charan*. Homines genitos, tam mares, quàm fœminas, ibidem, siue à Lot, siue à familia Abræ, & Lot, appellat animas, quas fecerant in Charan.

Et egressi sunt, vt irent in terram Chenahan.] Ecce continuatio itineris ad intentum ab initio terminum terram Chanahan.

Cúmque venissent in eam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et venerunt ad terram Chenahan*. Adiungit enim hoc Moses ad differentiam exitus, qui fuerat de Vr Chaldæorum: nam & tunc exierunt, vt venirent in terram Chenahan; sed non venerunt in eam: modò autem, & exierunt, & venerunt in terram Chenahan.

Vers. 6. Pertransiuit Abram terram vsque ad locum Sichem[c].] pro *Sechem*. Nomen est vrbis, quæ fortè tunc non erat constructa: & ideò non dicitur, vsque Sechem; sed, *ad locum Sechem*.

Vsque ad conuallem illustrem.] Iuxta Hebræum habetur: *Vsque quercum Moreh*. significatur enim locus abundans quercubus. Nec est certum, an Moreh sit nomen propriū, (quod est satis verisimile,) quod sicut Sechem sit interpretandum: Septuaginta siquidem interpretati sunt *excelsam*, alij *timoris*, alij *spectabilem*. Et ad hoc vltimum videtur respexisse Hieron. interpretando, *illustrem*.

Chananæus autem tunc erat in terra.] Æquiuocatur nomen, Chananæus. Nam hic est nomen vnius particularis gentis, distinctæ ab aliis gentibus Chananæis: superiùs verò, cùm dictum est, *in terram Chenahan*; nomen est genericum, commune septem gentibus Chananæis. Et dixit hoc Moses ad monstrandum, in cuius gentis territorio erat locus ille.

Vers. 7. Apparuitque Dominus Abram.] Nomen est tetragrammaton, ratione antedicta. Apparitionem autem intellige in somnis, ad confirmandum apparitionem eiusdem in Vr Chaldæorum. Par enim fuit, vt obedienti Abræ primæ apparitioni, secundò appareret.

Et dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc.] Non dicit, tibi; sed, *semini tuo*: & prioribus promissionibus adiungit hanc, tanquàm in specie determinans, quod in genere promiserat; & simul adimplens, quod promiserat; scilicet, faciámque te videre illam.

Qui ædificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei.] Nomen est tetragrammaton: sub eadem enim ratione sacrificauit gratias agendo; sub qua apparuerat ei.

Vers. 8. Et inde transgrediens ad montem, qui erat contra Orientem Bethel[d].] Sensus est, iuxta Hebræum, ad montem orientalem ipsi Bethel. Et est Bethel, nomen proprium ciuitatis.

Tetendit ibi tabernaculum suum, ab Occidente habens Bethel.] Dictio explicata, *Occidente*, significat mare: & quia mare ibidem est occidentale, ideò Hieronymus, vt clariùs ab omnibus intelligeretur plaga cœli, loco maris posuit, *Occidente*.

Et ab Oriente Haï.] Relatiuè ad tentorium Abræ aspectus isti describuntur.

Ædificauitque ibi altare Domino.] Nomen est tetragrammaton. Et hoc est secundum altare ædificatum ab Abram in terra promissionis, ad sacrificandum Deo, fonti essendi: qui iam bis apparuerat ei, & faciebat ipsum videre terram possidendam à semine eius.

Et inuocauit nomen Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vocauit in nomine* יהוה. Nomen est tetragrammaton. Quod est cœptum tempore Enos ante diluuium, Abram hic prosecutus est Non solùm sacrificauit, sed etiam in nomine illo tetragrammaton inuocationes exercuit. Quales autem erant huiusmodi inuocationes, ignotum est nobis.

Vers. 9. Perrexítque Abram vadens, & vltrà progrediens ad Meridiem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et mouit se Abram eundo, & mouendo ad Meridiem*. Ad literam significatur, quòd Abram ex illo monte inter Bethel, & Haï, perrexit versùs australem plagam castrametando: hoc enim significatur per, *mouendo*: per multas siquidem mansiones tentoria mouendo ibat.

Vers. 10. Facta est autem fames in terra.] Proculdubiò illa, in qua morabatur Abrā.

Et descendit Abram in Ægyptum, vt peregrinaretur ibi.] Ratione situs dicitur: *Et descendit*.

Præualuerat enim fames in terra.] Adiungitur hoc ad monstrandum necessitatem cogentem Abram ad huiusmodi peregrinationem. Leuis nanque fames tolerabilis fuisset: sed grauis intolerabilis est. Grauem autem sonat Hebræus Textus.

Vers. 11. Cumque propè esset, vt ingrederetur Ægyptum, dixit Saraï, vxori suæ: Noui, quòd pulchra sis mulier: *Vers.* 12. & quòd, quum viderint te Ægyptij dicturi sunt: Vxor ipsius est. & interficient me, & te reseruabunt. *Vers.* 13. Dic ergo, obsecro, quòd soror mea sis.] Non instruxit, vt mentiretur: quoniam (vt inferiùs manifestabit) eius erat soror; non tamen vterina: sed instruxit, vt taceret veritatem, (erat enim, & soror, & coniux,) vt manifestaret se sororem, & taceret se coniugem.

Vt benè sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui.] Ecce causa taciti coniugij, ad redimēdam vitam. Et hæc erat causa principalis. Accedebat profectus alter; videlicet, benè tractari ab Ægyptiis, ex affinitate contrahenda ex hoc, quòd Saraï acciperet in coniugem, aliquem Principem Ægyptium.

Occurrit hic quæstio, an Abram, seu Saraï, peccauerit in huiusmodi conuentione. Et est ratio dubij: quia hæc conuentio ordinabatur ad finem illicitum; videlicet, coniugium Saraï

a Quandiu Abraham in Haran commoratus sit, dubium est. Sunt, qui dicant, in ea vrbe quinquenniū mansisse.

b Idiotismo Hebræo in voce *animas*, pecora & iumenta intelligit, quas possederant in Haran.

c Venientibus ex Haran in terram Chanaan, per Sichem transeundum est. Quandoquidem & Iacob redeuntem à Mesopotamia illac prætergressum legimus Genes. 33.

d Bethel, quæ & Bethanam, ciuitas Tribus Beniamin fuit, dicta antea Luza Genesis 28. Huic mons adiacet Hebal, Patriarchis persamiliaris, ac mysteriis plenus: in eo enim Iacob vidit Deum, cùm fugeret in Mesopotamiam: in eo ipso Abraham Deum cōspexit, eique litauit, & Iosue ex Dei præscripto altaria erexit, Deuter. 27 in hoc eodem monte Ieroboam propter loci sanctimoniam, vitulum aureum collocauit. Distat verò is mons duodecim leucis à Sichem.

cum alio viro; vt etiam rei probauit euentus: oportuit enim interuenire consensum Saraï ad coniugium cum altero; imò ad hoc eam instruxisse, & induxisse Abram, hæc verba manifestant: *Vt benè sit mihi propter te.* Huius quæstionis solutio in sacra Scriptura non habetur. Nec desunt inter Hebræos, damnantes huiusmodi conuentionem. Sacri autem Doctores excusant Abræ, & Saraï factum. Et verè, si aliud non interuenit, nisi quod explicitè narratur; facilè vterque excusatur. Nulla enim mentio fit in Litera, quòd Abram dixerit Saraï, vt consentiret in coniugium cum altero; nec quòd Saraï contraxerit vnquam coniugium cum altero: sed narratur duntaxat, quòd instruxit eam tacere, quòd coniux esset; & manifestare, quòd soror esset, propter bonos effectus inde secuturos. De Saraï autem dicitur duntaxat, quòd capta, seu sublata est in domum regiam: & posteà verbum Pharaonis subiungitur: *Et tuli, seu cœpi eam mihi in vxorem.* Ad quod verificandum sufficit, quòd Pharao, quando fecit capi Saraï; ad hoc fecerit duci eam, vt esset sibi vxor; vt affectu maritali, non rapinæ, tulerit eam. Ad hanc enim actionem non oportuit concurrere consensum Saraï in nouum coniugium: sed suffecit, quòd absque reluctatione aliqua permiserit se duci tanquàm futuram coniugem Pharaonis. Et intelligamus, per modum præsuppositi existimatum fuisse, quòd tam Saraï, quàm Abram, pro magno beneficio hoc haberét. Nec abs re: quoniam facta hoc præ se ferebant. Excusatur autem vterque ab huiusmodi factis ferè simulatis, ex fiducia [e], quam vterque habebat in Deo, quòd prouideret, antequàm ad coniugium nouum veniretur. Si quis autem alia dixerit interuenisse, cùm hæc ex Scriptura non habeat, ipse sibiipsi parit quæstiones.

[e] Confirmatus erat per fidem, ad Rom. 4.

Vers. 14. Cùm itaque ingressus esset Abram Ægyptum, viderunt Ægyptij mulierem, quòd esset pulchra nimis: *Vers.* 15. Et nunciauerunt Principes Parhoni: & laudauerunt eam apud illum: & sublata est mulier in domum Parhonis. *Vers.* 16. Abram verò benè vsi sunt propter illam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Abræ benefecit propter illam.* Refertur siquidem ad Pharaonem, qui beneficio affecit Abram, tanquàm sororius.

Fueruntque ei oues, & boues, & asini, & serui. & famulæ, & asinæ, & cameli. *Vers.* 17. Flagellauit autem Dominus Parhonem plagis magnis, & domum eius.] Nomen est tetragrammaton: ad docendum, quòd ille, qui est fons essendi, est etiam effector malorum pœnæ, etiam in singularibus. Et dicendo, *Pa honem & domum eius*; manifestat, quòd plaga talis fuit, quòd ipsum Pharaonem affecit, & non solùm familiam eius. Nescitur autem, quod genus mali fuerit.

Propter Saraï vxorem Abram.] In Hebræo additur vna dictio: *Propter verbum Saraï.* Sed sensus est idem: quoniam, *verbum,* pro, *facto,* ponitur pluries in sacra Scriptura.

Vers. 18. Vocauitque Parho Abram, & dixit ei] Tacet Moses modum, quo cognouit Pharao, quòd Saraï esset coniux Abræ. Iosephus dicit, quòd ob istas plagas Sacerdotes obtulerunt sacrificia; & cognouerunt, quòd propter iniuriam peregrino Abræ illatam, tollendo illius coniugem, hæc acciderent: & quòd tunc Pharao, diligentiùs exacta veritate à Saraï, cognouit, quòd coniux Abræ esset. Et sic accersito Abræ restituit coniugem, excusando se ab iniuria, eò quòd affectu maritali eam tulisset, ipsomet Abram occasionem dante.

Quidnam est hoc, quod fecisti mihi? Quare non indicasti mihi, quòd vxor tua esset? *Vers.* 19. Quam ob causam dixisti, esse sororem tuam, vt tollerem eam mihi in vxorem?] Iuxta Hebræum habetur: *Et tuli eam mihi in vxorem.* Quod iam expositum est. Credimus enim, non fuisse consummatum inter eos coniugium. Argumentum autem sumitur ex secundo capitulo Esther, vbi mulieres ascitæ ad regium coniugium, per menses duodecim vngebantur, antequàm ad opus coniugij veniretur.

Nunc igitur, ecce coniux tua: accipe eam, & vade.] Hinc apparet, quòd Abram non est moratus in Ægypto vltra annum.

Vers. 20. Præcepitque Patho super eum viris: & deduxerunt eum,] (Iuxta Hebræum habetur: *Et dimiserunt eum.*) & vxorem illius; & omnia, quæ habebat.] Non refertur ad viros iussos à Pharaone, sed ad Ægyptios: est enim sensus, quòd comitantibus Abram viris deputatis à Pharaone, Ægyptij non ausi sunt iniuriam aliquam inferre, tam Abræ, quàm vxori, & rebus eius.

CAPVT XIII.

Vers. 1. Ascendit ergo Abram de Ægypto, ipse, & vxor eius, & omnia, quæ habebat.] Quadrat, vt qui de terra Chanahan descéderat in Ægyptum; redeúdo in terram Chanahan ascendat de Ægypto.

Et Lot cum eo.] Hinc apparet, quòd Lot descenderat cum eo.

Ad australem plagam.] Idem significatur locus in terra Chanahan, ex quo descenderat in Ægyptum. Lege præcedens caput: & perspicies, quòd Abram, cùm esset in terra Chanahan, venerat postremò ad Meridiem: & illuc modò ascendit. Et appellatur Meridies, relatiuè ad tabernaculum Abræ, inter Bethel, & Haï. Rediit ergo ad locum, vnde egressus erat.

Vers. 2. Erat autem diues valdè in possessione.] Iuxta Hebræum. habetur: *In armento.* Et subiungitur:

In argēto, & in auro.] Et est sensus clarus.

Vers. 3. Reuersusque est per iter, quo venerat, à Meridie in Bethel.] Iuxta Hebræum habetur: *Et iuit ad motiones suas de meridie vsque Bethel.*

Vsque ad locum, vbi priùs fixerat tabernaculum, inter Bethel, & Haï, *Vers.* 4. in loco altaris, quod fecerat priùs.] Recole ex præcedenti capitulo, quòd Abram ex loco tabernaculi sui, inter Bethel, & Haï, venerat ad plagam australem, multas faciendo māsiones; & intelliges hæc, videlicet, quòd per easdem

easdem mansiones modò pertexit ad locum, vbi priùs fixerat tabernaculum, inter Bethel, & Haï, ad locum, inquam, in quo fecerat altare.

Et inuocauit ibi nomen Domini.[a]] Iuxta Hebræum habetur: *Et vocauit ibi Abrã in nomine* יהוה. Nomen est tetragrammaton. Non recitatur olim factum: sed narratur, quòd iterum ibidem Abram vocauit Deum in nomine tetragrammaton, qui iam bis apparuerat ei: à quo agnoscebat beneficia tot accepta in sua peregrinatione. Subintelligi siquidem vult Moses sacrificia denuò oblata, ex hoc, quòd meminit altaris.

[a] Thalmudistæ, homines quidem superstitiosi, in sua Cabala, de nominis Dei inuocatione, multa somniare solent, ex hoc loco summam vim, ac facultatẽ nominibus attribuẽdo: quæ superstitio, teste Plinio, apud gentes fuit: nam Deorũ nomina, quibus ciuitates dicabantur, occultabant, literis quibusdam ea immutantes, vt appellatione inuersa idolum inuocari non posset, (proprio nomine in arcanis Sacerdotum occultato.) Quam eãdẽ superstitionem Elias quoque irrisit, 3. Reg. 18. nomen Baal eius Sacerdotibus altè inuocandum consulẽs. Verùm hanc nominis Dei inuocationem ab Abrahã hoc loco factã, qualẽ intelligere debeamus, ex Elisæi, & Eliæ, Salomonisque inuocationibus cognoscere poteris.

Vers. 5. Sed & Lot, qui erat cum Abram, fuerunt greges ouium, & armenta, & tabernacula: *Vers.* 6. Nec poterat eos capere terra, vt habitarent simul: erat enim substantia eorum multa: & non quibant habitare communiter. *Vers.* 7. Vnde & facta est rixa inter pastores gregum Abram, & Lot. Eo autem tempore Chananæus, & Pheresæus habitabant in terra illa.] Locus, in quo fuit rixa inter pastores, declaratur, cuius erat, dicendo, quòd erat in territorio, partim Chananææ, & partim Pheresææ gentis. Et corruptum est vocabulum Pheresæi, pro, *Perisæi*.

Vers. 8. Dixit ergo Abram ad Lot: Ne, quæso, sit iurgium inter me, & te; & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus.] Extensò fraternitatis nomine, consanguinei appellantur fratres. Sed hoc, non proprietate vocabuli, sed extensione vsurpatum est: nam propriè fratres appellantur soli geniti ex eodem patre, vel matre.

Vers. 9. Ecce vniuersa terra coram te est.] Hinc apparet, terram illam, quanuis possessam ab illis populis; parum tamen habitatam fuisse: imò, nec illos populos habuisse tot pecora, vt exigerent pro se sua territoria: nisi enim prompti fuissent ad locanda territoria, non dixisset Abram: *Tota terra coram te est.*

Recede (pro, *separare*) à me, obsecro.] Imperatiuum passiuum est, *separare*.

Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.] Non dixit Abram, vt Lot recederet, (imò optionem ei dedit liberam:) sed separationem petiit, quæ poterat fieri, Lot remanente ibidem, & Abram recedente inde.

Vers. 10. Eleuatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis.] Iuxta Hebræum habetur: *Vidit omnem planitiem Iordanis.*

Quæ vniuersa irrigabatur, antequàm subuerteret Dominus Sedom, & Hamoram, sicut Paradisus Domini, & sicut Ægyptus, venientibus in Segor[b].] Ordo Literæ est: Quæ vniuersa irrigabatur venientibus in Segor, sicut Paradisus Domini, & sicut Ægyptus, antequàm subuerteret Dominus Sodomam, & Gomoram. Et describitur irrigatio; tum à tempore ante subuersionem Sodomæ; tùm à situ veniendo in Segor; tum à similitudine, & Paradisi terrestris, (de quo scripserat suprà, quòd irrigabatur fluuio,) & terræ Ægypti, quam viderant filij Israël; quos docebat, irrigari flumine Nili. Nomen autem, *Segor*, corruptum est, pro, *Sohar*. Et est tetragrammaton vtrobique; scilicet, *subuerteret Dominus. Paradisus Domini.* ad significandum, illum, qui est primum essendi principium; & actorem esse pœnarum corporalium, & amœnitatum corporearum. Et quod Interpres vertit: *Venientibus in Segor*. Iuxta Hebræum habetur: *Veniendo te in Sohar*. Sed sensus idem est.

[b] Hæc Segor dicta est antiquitus Bala, ciuitas Sodomæ proxima, balsamique maxime ferax.

Vers. 11. Elegitque sibi Lot regionem circa Iordanem.] Iuxta Hebræum explicatur, & quantitas, & qualitas, dicendo: *Totam planitiem Iordanis.*

Et recessit ab Oriente.] Situs illius planitiei relatiuè ad locum, vnde recessit, describitur: erat enim locus ille orientalis, respectu planitiei Iordanis.

Diuisique sunt alterutrum à fratre suo. *Vers.* 12. Abram habitauit in terra Chenahan.] Hoc est, in territorio populi Chananæi. Quanuis possit intelligi *Chenahan terra*, communiter, pro terra communi filiis Chanahan filij Cham; nam in cap. 10. terminus Chananæorum describitur vsque ad Sodomam, & reliquas ciuitates huius planitiei: vt inde habeatur, quòd extra terram Chanahan erat ista planities, in qua habitauit Lot.

Lot verò moratus est in oppidis, quæ erant circa Iordanem.] Iuxta Hebræum habetur: *In ciuitatibus planitiei.* Quæ sunt illæ quatuor, quas posteà subuertit Dominus.

Et habitauit in Sodomis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et tetendit tentorium vsque Sedom.* Non dicitur, quòd habitauerit in vrbe Sodomæ; sed, quòd extendit tentorium suum illucusque; hoc est, quòd habitauit in campestribus iuxta ciuitatem Sodomæ; quæ Hebraïcè appellatur, *Sedom.*

Vers. 13. Homines autẽ Sedom pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis.] Iuxta Hebræum habetur: *Mali, & peccatores ad* יהוה *valdè.* Carent Hebræi superlatiuis nominibus: & propterea ad significandum superlatiua, adiiciunt aduerbium, *valdè*. Et ex eo, quòd relatiuè ad Deum, sub nomine tetragrammaton, dicuntur *valdè mali & peccatores*; significatur, quòd aduersus ius naturæ valdè peccabant. Erant mali hominibus, & declinabant à recto naturali: vt eorum venerea contra naturam testantur.

Vers. 14. Dixitque Dominus ad Abram, postquàm diuisus est Lot ab eo.] Nomen est tetragrammaton tertiò apparentis Abræ, ratione antedicta. Et hoc, dicere, intelligendum est eodem modo; videlicet, in somnis apparendo ei, tanquàm loquens, & dicens subiuncta:

Leua oculos tuos, & vide à loco, in quo nunc es, ad Aquilonem, & Meridiẽ, ad Orientem, & Occidentem: *Vers.* 15. quoniam omnem terram, quam conspicis.] Vide progressum. Cùm esset in loco Sechem Abram, dixit ei Deus: *Semini tuo dabo terram hanc.* modò dicit: *Omnem terram, quam tu vides.*

Tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſempiternum.] Non eſt ſenſus, quòd ipſe Abraham in propria perſona eſſet poſſeſſurus terram illam; quia nec paſſum pedis dedit illi Deus ibidem: ſed eſt ſenſus, quòd, ratione tui dabo ſemini tuo omnem hanc terram. Quòd autem dicit, *in ſempiternum*; non ſignificat veram ſempiternitatem; ſed coæuitatem reſpectu ſeminis eius. Et eſt ſenſus, quòd, quàdiu erit ſemen tuum, dabo ei terram hanc. Vnde, cùm ſemen Abrahæ deſiuit eſſe ſemē Abrahæ, perdidit terram illam. Et primùm quidem pro magna parte, eùm inde tranſlatæ ſunt decem Tribus: deinde, ex integro, cùm deſtructa eſt Hieruſalem à Nabuchodonoſor: & demum, ſine ſpe recuperationis: cùm quæ regreſſæ fuerant reliquiæ, perdiderunt totum, occiſo Meſſia, quia penitus deſierūt eſſe ſemen Abrahæ. Effecti ſunt enim ſemen Diaboli: dicente Domino Iudæis, aſſerentibus ſe habere patrem Abraham: *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite: vos ex patre Diabolo eſtis.*

Verſ. 16. Faciamque ſemen tuum, ſicut puluerem terræ. Si quis poteſt homo numerare puluerem terræ, ſemen quoque tuum numerabitur.] Vide & hîc progreſſum. Priùs promiſerat: Faciam te in gentem magnam. modo augendo dicit, ſicut puluerem terræ innumerabilem.

Verſ. 17. Surge, & perambula terram in longitudine, & latitudine ſua.] An imperando, an prædicendo futuram perambulationem per eius ſemen hæc verba dicta ſint, perſpicuum non eſt: ſi tamen imperatiuè intelliguntur, perambulandum eſſe reliquum terræ duntaxat iubetur: luſtrauerat enim non paruam partem.

Quia tibi daturus ſum eam. *Verſ.* 18. Mouens igitur Abram tabernaculum ſuum.] Iuxta Hebræum non habetur, *mouens:* ſed habetur: *Et tetendit tentorium Abram.* Ordine præpoſtero ſcribit priùs poſitionem tentorij, quàm iter, ſubiungendo:

Et venit, & ſedit.] Non eſt perſpicuum, an Abram manſerit in territorio Chananææ gentis aliquanto tempore poſt ſeparationem à Lot; an ſtatim poſt ſeparationem à Lot habuerit hanc viſionem, & migrauerit ad territorium Mamre Amorræi. Et eſt ratio ambiguitatis illud ſuprà dictum, quòd Lot quidem in planitiei locis iuxta Sodomam; Abram verò in terra Chanahan habitauit. Nam, ſi terra ſpecialis gentis Chananææ ſignificatur; conſequens eſt, vt aliquanto tempore ante iſtam viſionem ibi habitauerit: ſi autem terra Chanahan communi nomine ſignificatur, comprehendit etiam territorium Amorrææ gentis; ac per hoc non aliud territorium, quàm iſtud, ſignificatur. Quanuis aliter: quia priùs nomine generico Chanahan, & poſteà nomine ſpecifico Mamre Amorræi.

Iuxta conuallem Mamre, quæ eſt in Hebron.] Iuxta Hebræum habetur: *In quercubus Mamre, quæ in Chebron.* Et, *quæ*, eſt numeri pluralis: refertur enim ad quercus. *Mamre*, nomen proprium eſt viri Amorræi, (vt patet in ſequenti capitulo,) cuius erat quercetum illud. *Chebron* autem, nomen proprium eſt loci, ſolito vocabulo appellati, *Hebron*. Et appoſuit Moſes has circunſtantias, ad differentiam querceti Moreeh, cuius ſuperiùs meminerat, ad quod primum venerat Abram, quum veniret de Charan.

Ædificauitque ibi altare Domino.] Nomen eſt tetragrammaton. Et eſt hoc altare tertium conſtructum ab Abram in terra Chanahan Deo danti eſſe, & accumulanti promiſſiones eſſendi in innumerabili ſemine.

CAPVT XIV.

Factum eſt autem in illo tempore, vt Amraphel, Rex.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit.* Et hîc faciendus eſt punctus: & ſubiungendum: VERS. 1.

In diebus Amraphel[a] Regis Sinhar, Arioch Regis Elaſar, Chedarlahomer Regis Helan, & Thidhal Regis gentium. *Verſ.* 2. fecerunt bellum.] Hic eſt ordo literæ: ita quòd tempus explicatur, & perſonæ facientes bellum ſubintelliguntur.

Contra Bara Regem Sodomorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Cum Berah Rege Sedom.*

Et cum Birſah Rege Hamorach, Sinhar Rege Admah, & Semeber Rege Seboïm, & Rege Belah: ipſa Sohar.] Et hæc ſint dicta ad euitandas fabricas fundatas ſuper nominibus, quæ habentur in vulgata editione. Veruntamen, quemadmodum ex nominibus propriis Regum non innoteſcit nobis, qui fuerint nouem iſti Reges: ita nec ex nominibus locorum ſcimus propria loca: mutata ſiquidem ſunt nomina. Fatetur Ioſephus, illos quatuor Reges fuiſſe Aſſyrios: iſtos autem quinque conſtat fuiſſe Reges quinque ciuitatum, quarum quatuor ſubuerſæ poſtmodum ſunt: ſola Sohar ſeruata.

Verſ. 3. Omnes hi conuenerunt in vallem ſyluestrem.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad vallem Siddim.* Et eſt nomen proprium, *Siddim.* Quæ ſit autem vallis iſta, declaratur ſubiungendo:

Quæ nunc eſt mare ſalis.] Iuxta Hebæꝛū non habetur, *nunc*; ſed, *ipſe mare ſalis.* Et aiunt, à tēpore ſubuerſionis Sodomæ, illam vallē coopertam eſſe aquis. Et Hebraïco vſu appellatur *mare*[b] *ſalis*: quia verè tā ſalſum eſt, vt nihil poſſit in eo viuere: hoc eſt enim, quod appellatur alio nomine, *mare mortuum*, appellatur lacus Aſphalti: cuius meminerunt, non ſolùm Hiſtorici, ſed Philoſophi. Verùm, an hoc mare ſalis inceperit poſt iſtud bellum, an fuerit ante, Scriptura hæc non manifeſtat: quia, nec manifeſtè dicit, quòd illa vallis eſt mare ſalis: quoniā pronomen, *ipſe*, eſt maſculini generis in Hebræo: & poteſt monſtrare, tum vallē, quæ eſt cōmunis generis; tum Siddim, maſculini generis. Et ſi demonſtrat Siddim, clarum eſt, quòd non oportet fateri, mare ſalis factum poſt hoc bellum; ſicut oportet fateri, ſi demonſtrat vallem: quoniam locus, qui tunc fuit vallis, in qua cōmiſſum eſt prælium, ſignificatur, quod modò eſt mare ſalis. Et hunc ſenſum ſecutus eſt Ioſephus: ſecutus eſt & Interpres. Verùm, quia ſine authoritate dicitur tam magna nouitas; (nam lacus ille longitudinem ſexcentorum octoginta, & latitudinem centum quinquaginta ſtadiorum

[a] Cùm conſtet, Abraham vigintiquinque annis ante natiuitatem Iſaac peregrinatum fuiſſe in terra Chanaan, ſi ſuppures ex Beroſo tempora Regūm Sinhar, apparebit, quòd iſte Amraphel, Ninias, filius Semiramidis, extiterit quintus Rex poſt Nemrot: nec credendum eſt Hebræis, hūc Amraphel Nemrotū eſſe aſſerentes, cùm multò ante hæc tempora mortuus eſſet.

[b] Hoc mare pluribus nominibus in Scriptura appellatur. Dicitur *mare ſalis*, pro. ſolitudinis quia deſerto eſt proximus. Dicitur *lacus Aſphaltidis* quia ex eo bitumen extrahitur. *Mare mortuum*, quòd nihil in eo viuat. Dicitur & à Septuaginta *Mare primum*, & *mare Orientis*, eo quod terram promiſſionis terminet versùs Orientem hyemalem. Cæterùm hoc mare ſemper extitiſſe, Cornelius Tacitus, & pleraque alij meminerunt, illud à valle Siddim diſtinguentes, quod eſt multùm veriſimile: nam aliter fingendus eſſet locus, in quem anteà Iordanis ſeſe exonerabat.

stadiorum habet, secundùm Iosephum;) non facilè fidem adhibeo: sed potiùs planum sensum Literæ sequendo, quòd vallis ista denominata à Siddim explicatur; hoc est, quòd denominatur à loco propinquo, qui est mare salis.

*Vers.*4. Duodecim enim annis seruierunt Chedarlahomer: & tertiodecimo anno recesserunt ab eo.] Hîc apparet, verum esse, quod dicit Iosephus, quòd fuerat priùs bellum inter Assyrios, & Pentapolitas;& tunc tributarios sibi effecerunt Assyrij habitatores Pentapolis:sed tertiodecimo anno ab hac seruitute se liberarunt; & hæc fuit causa huius secundi belli.

*Vers.*5. Igitur anno quartodecimo venit Chedarlahomer,& Reges, qui erant cum eo: & percusserunt Raphaïm in Astaroth, & Charnaim.] Iuxta Hebræum habetur: *Et percusserunt Rephaim in Hastheroth Carnaïm.* Non dubitatur, quòd Hastheroth Carnaïm est nomen loci:sed in dubium vertitur, an Rephaïm sit proprium nomen gentis alicuius,an significet gigantes. Gigantes interpretati sunt,tam Septuaginta,quàm Chaldaïca editio.

Et Cuzim cum eis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Zuzim in Ham.* Quod tamen, *in Ham*, quidam interpretantur, *in ipsis.* Verùm contextui magis quadrat, vt *Ham*, sit nomen proprium: perspicienti enim textum apparet, quòd quatuor, qui supputantur percussi, describuntur in certis locis. Et hinc conijcitur, quòd etiam isti Zuzim, percussi describantur in loco, in quo percussi sunt. Verùm, *Zuzim*, esse nomen proprium gentis, magis quadrat, quàm quòd sit nomen appellatiuum significans fortes, vt Septuaginta transtulerunt, *&* *gentes fortes*,describendo fortasse conditionem gentis illius.

Et Emim in Saueh Chariathaïm.] Tertia gens percussa describitur: scribendum tamen esset, Ciriathaïm.

*Vers.*6. Et Choreos in montibus Seir, vsque ad campestria Pharan, quæ est in solitudine.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Chori in monte eorum Sehir,vsque quercum Paran, quæ super desertum.* Quarta gens percussa, similiter etiam à loco describitur; videlicet, à monte eorum Sehir, qui postmodum habitatus fuit ab Hesaü: & extensa percussio dicitur vsque ad quercetum Paran: nomen est loci iuxta desertum. Hæc quatuor prælia, has quatuor victorias Assyriorum commemorauit Moses, ad ostendendum potentiam illorum Regum: & quòd non inchoauerunt prælium cum Pentapolitis; sed priùs percusserunt has quatuor gentes: & deinde percusserunt duas alias [c], de quibus subiungitur:

[c] Eugubinus asserit de hoc bello Assyriorum contra Chananæos nihil prorsus gentilium historias meminisse.

*Vers.*7. Reuersique sunt, & venerunt vsque ad fontem Mesphath: ipsa est Cades.] Iuxta Hebræum habetur: *Et reuersi sunt, & venerunt ad Hen Mispat: ipsa Cades.* Non desunt,quod dicitur,*Hen Mispat*,interpretantes fontem iudicij: reputantes ea, non nomina propria, sed appellatiua. Magis tamen quadrat subiunctæ clausulæ: *Ipsa Cades.* quòd sint nomina propria. Nam locus ille cognominatus ab istis, dicitur fons iudicij, ex diuino iudicio aduersùs Mosen, & Aaron in aqua contradictionis:tunc enim sententia lata est contra eos, quòd non intrarent terram promissionis, propter eorum incredulitatem. Sed hoc ex Scriptura non constat,vt infrà patebit: & hoc iam cognitum erat populo Israël; nec egebat expositione, quòd hic locus esset Cades. Sed nomini illi vetustiori quadrat expositio Cades. Quòd autem dicitur: *Et reuersi sunt.* ad descriptionem situs pertinet. Progressi siquidem fuerant digrediendo à via versùs Pentapolim: & propterea describuntur reuersi.

Et percusserunt omnem regionem Amalechitarum [d].] Iuxta Hebræũ habetur: *Omnem agrum Hamalecitæ.* Fortè non percusserunt ciuitates, sed agros.

[d] Mansio Amalechitarum inter Petram vrbem, & Ægyptum fuit,vt legitur 1. Regum: Amorræorum verò habitatio diuersis locis extitit:nam aliqui in Libano mõte, alij inter Sina, & Cades Harne,multi vltra Iordanem morabantur;gẽs omnium Cananæorum deterrima, Genes. 15. & Ezechielis 16. Crediderim ego,omnes Cananæos quandoque Amorræos vocari, eo quòd illi multi essent in terra.

Et Amorræum,qui habitabat in Asasontamar.] Iuxta Hebræum habetur: *Et etiam Emori sedentem in Chasason Thamar.* Ipsam gentem Amorræam percussam describit;non tamen totam, sed habitantem in Chasasonthamar: ad differentiam Amorræorum alibi habitantium.

*Vers.*8 Et egressi sunt Rex Sedom, & Rex Hamoræ, & Rex Admæ, & Rex Seboim,& Rex Belæ,quæ est Sobar: & direxerunt aciem contra eos in valle syluestri.]Iuxta Hebræum habetur: *In valle Siddim.*vt superiùs etiam dictum est: nec oportet repetere correctionem nominum, tam Regũ, quàm locorum:sed corrige,vt suprà.

*Vers.*9.Scilicet,aduersùm Chedarlahomer Regem Helamitarum, & Thidhal Regem gentium, & Amraphel Regem Sinhar, & Arioch Regem Elasar: quatuor Reges aduersùs quinque. *Vers.*10. Vallis autem syluestris habebat puteos multos bituminis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vallis Siddim,putei putei bituminis.*Describitur illa eadem planities à multitudine puteorum, significata geminando,*putei* in numero plurali. Et quanuis dictio interpretata, *bituminis*, aliter ab aliis interpreteτur: quia tamen puteos fuisse bituminis scribitur ab illis, qui putant, vallem Siddim opertam fuisse aquis salsissimis; ita quòd vsque in diem hodiernum ex illa palude,seu stagno,sub quo latet tanta multitudo puteorum, bitumen habetur;ideò quadrat, vt *bitumen* interpretetur: licèt, secundùm proprietatem vocabuli, commune genus ad bitumen, calcem, & si quid aliud eiusmodi est, significare videatur. Amplectere, tu, quod certum est,nec neges bitumen: quia ex propinquitate vallis ad lacum Asphalti, multitudo puteorum bituminis in valle Siddim consequenter haberi potest.

Itaque Rex Sedom, & Rex Hamoræ terga verterunt.] Non est dubium, quòd quinque Reges fuerunt victi: sed incertũ est, an in istis duobus Regibus Sodomæ, & Gomorræ, tanquàm præcipuis, subintelligantur alij tres Reges,etiam fugientes;an isti duo tantùm Reges fugerint, & tres alij fuerint occisi: nam capti non narrantur.

Cecideruntque ibi.] Ad exercitus quinque Regum casus refertur.

Et qui remanserant,fugerunt ad montem.] Explanatur,tum quòd non omnes cæsi, aut capti sunt;tum quòd fugerunt residui.

*Vers.*11. Tulerunt autẽ omnẽ substãtiã Sedom, & Hamoræ, & omnia, quæ ad cibum

cibum pertinent: & abierunt.] Non est vertendum in dubium, reliquarum ciuitatum facultates comprehendi sub istis.

Verf. 12. Necnon & Lot, & substantiam eius, filium fratris Abram, qui habitabat in Sedom.

Verf. 13. Et ecce vnus, qui euaserat, nunciauit Abram Hebræo [e].] Ex hoc, quòd Abram cognominatur *Hebraus*, apparet, quòd *Hebrai* nomen non est à nomine Abràm deductum. Et quanuis sit quæstio, an Abram dictus fuerit *Hebraus* ab *Heber*, (à quo constat originem habuisse Abram, & illius tempore diuisionem fuisse linguarum, non ambigitur;) an ab *Habar* (hoc est, à transire flumen Euphratis; quia ex regione trans flumen migrauerat in terram Chanaan:) ipse tamen sonus vocis præ se fert magis *Heber*, quàm *Habar*: non enim dicitur, Abram Habræo; sed *Hebrao*.

Qui habitabat in conualle Mambre Amorræi.] Iuxta Hebræum habetur: *In quercubus Mambre Emori.* vt superiùs quoque dictum est.

Fratris Eschol, & fratris Haner. Hi enim pepigerant fœdus cum Abram.] Hinc apparet, quòd Abram iam inclytus erat; vtpote fœderatus cum Principibus Amorræis: & quòd ex subditis istorum confœderatorum accepit Abram, (vt infrà explicabitur,) ad liberandum Lot.

Verf. 14. Et audiuit Abram captum Lot, fratrem suum.] Causa belli suscepti ab Abram aduersùs Assyrios, explanatur: sed magis in Hebræo: nam significatur, non qualitercunque captus; sed in præda: ita quòd peregrinus habitator Sodomæ (non pugnator, non ciuis) abductus est in prædam [f].

Numerauit expeditos vernaculos suos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et armauit vsitatos suos natos domus sua.*

Trecentos, & decem, & octo.] Non supputauit Moses, nisi viros, qui erant vsui continuo Abræ: manifestando, quòd non erant alienigenæ; sed nati ex familia ipsius Abræ. Et quia trecenti decem, & octo fuerunt armati, nati ex familia Abræ, patet, quòd magna valdè erat Abræ familia: habens præter hos, senes, paruulos, mulieres, ineptos ad bellum, & relictos ad curam tot animalium, &c.

Et persecutus est eos vsque Dan [g].] Nomen est alterius fontis inchoantis ad radices Antilibani Iordanem.

Verf. 15. Et diuisis sociis irruit super eos nocte.] Iuxta Hebræum habetur: *Et diuisus est super eos nocte, ipse & serui eius.*

Et percussit eos.] Industria Abræ describitur: tum diuidendo viros suos in multas partes, vt per diuersa loca irruentes, & exterrerent incautos quiescentes, & faciliùs interciperent ferè circũdatos: tum eligendo tempus nocturnum, quo victores securi quiescebant somno, vel etiam ebrietate. Et addit Iosephus, quòd quinta nocte percussit illos: festinasse siquidem illum ait: quod Scriptura insinuat, dicendo: *Et persecutus est eos.* Dicendo autem: *Ipse, & serui eius.* excludit alios inclytos, (Mamre, scilicet, & fratres eius,) non viros illorum: nam illorum confœderatorum viri, eò quòd ad seruiendum Abræ in hac expeditione missi fuerant, appellati sunt serui Abræ: erant enim serui eius quoad illud opus, &c.

Et persecutus est eos vsque Hoba, quæ est ad læuam Damasci.] Iuxta Hebræum habetur: *Vsque Chouah, qua à sinistra Dammasec.* Et est casus datiui, *Dammasec.* Attamen ignota nobis restant hæc.

Verf. 16. Et reduxit omnem substantiã: & etiam Lot, fratrem suum, cum substãtia illius: mulieres quoque, & populum.

Verf. 17. Egressus est autẽ Rex Sedom in occursum eius, postquàm reuersus est à cæde Chedarlahomer, & Regum, qui cum eo erant, in valle Saue, quæ est vallis Regis.] Non locus percussionis, sed locus occursus describitur. Vnde in Hebr. habetur, *ad vallem:* ad illam siquidem vallem peruenit Rex Sodomæ, obuiando Abræ victori.

Verf. 18. At vero Melchisedec.] Non est nomen proprium viri, *Melchisedec*; sed est epitheton Regis Salem: sicut, *Cæsar*, seu *Augustus*, Imperatorum Romanorum. Et est compositum ex tribus dictionibus, *Rex meus iustitia:* tali siquidem titulo decorabant Salemitæ Regem suum. Aiunt autem Hebræi, hũc fuisse Sem, filium Noë. Et potest esse verũ: quia supputatis annis à natiuitate in natiuitatem, per omnes generationes Sem, in cap. 11. recensitas, incipiendo à natiuitate Arpachsad, geniti à Sem biennio post diluuium; manifestè patet, Sem fuisse viuum tempore, quo Abram hanc habuit victoriam: imò supputando annos à natiuitate Abræ, vsque ad natiuitatem Ishac, & inde vsque ad natiuitatem Esaii, & Iacob, manifestè apparet, quòd Abram est mortuus, priusquàm Sem, annis trigintaquinque. Nam Sem vixit vsque ad quinquagesimum annum ætatis Esaii, & Iacob: Abram verò vixit vsque ad quintumdecimum duntaxat annum ætatis eorundem.

Rex Salem [h].] Non est certum, an sit ciuitas Hierusalem, an sit ciuitas Salem, iuxta Scythopolim.

Proferens panem, & vinum.] Nihil refert, quòd Hebraïcè scribitur in præterito, *protulit.* Nihil scribitur hìc de sacrificio, seu oblatione, sed de prolatione, seu extractione, quam Iosephus dicit factam ad reficiendum victores. Quòd autem in vulgata editione subditur, vt causa oblationis:

Erat enim Sacerdos Dei altissimi.] In Hebræo non habetur vt causa; sed vt separata clausula: *Et ipse Sacerdos El excelso.* Adiungit siquidem regiæ dignitati, ac liberalitati, dignitatem sacerdotalem, non Diis gentium, sed Deo excelso: & nominatur Deus, *El:* & est datiui casus. Tertium est hoc nomen Dei: hactenus siquidem nominatus est à Mose, vel אלהים, vel יהוה, quod est nomen quatuor literarum: modò incipit nominari *El:* & est nomen commune Deo, & creaturis, significans fortem: sed appropriatur Deo, tanquàm antonomasticè forti. In Litera tamen adiungitur, *excelso*; ad explicandum celsitudinem diuinæ fortitudinis supra omnium fortitudines. Congruit proposito, vt Deus nominetur fortis: quia fortitudine vsus fuit, victoriã præbendo Abræ.

Verf. 19. Benedixitque ei.] Ecce actio sacerdotalis. Medius siquidem est Sacerdos inter Deum, & populum: & propterea vice

[e] Quòd Abrahã Hebræus dicitur ab Heber, sententia est D. Hieronymi: Chrysostomus verò, & Septuaginta hoc loco, eum Hebræum, id est, traiectorem intelligunt.

[f] Vide, quando innocens iustè potest ab hoste debellari.

[g] Hæc ciuitas, Dan, iuxta quam fontes Iordanis iunguntur, ad Libani radices, sita est, leucis vndecim à Sidone distans. Hæc Cæsarea Philippi postmodum dicta est, & Laïs, cùm antè à Dã Adamitis diceretur: Agrippa verò in Neronis gratiam nuncupauit Neroniã.

[h] Dubius videtur Hieronymus an, Salem, & Hierusalem idem fuerint. Sed, cũ Psal. 76. Salem dicatur *habitatio Dei*, sicut & Sion, & Hierusalẽ, hæc eadem esse accipiamus. Verùm Salẽ duplex fuit, vtraque à Melchisedec ædificata; altera pro sacrificiis, Hierusalem, scilicet; altera pro ablutionibus iuxta Iordanem, de qua & Ioan. 3. & Gen. 24. mentio fit. Cæterũ hic Melchisedec quis fuerit, malo cum Scriptura ignorare, quàm cum Hebræis cum Sem, vel cum Egesippo Cananæum quendã asseuerare.

vice Dei benedicit aliis.

Et ait: Benedictus Abram El excelso.] Datiui quoque casus est, *El*. Benedictus, inquit, Abram, es ad gloriam Dei excelsi, quatenus fortis est. Qualis Sacerdos, talis benedictio. Sacerdos Dei refert benedictionem in Deum: quatenus autem excelsæ fortitudinis, ratione materiæ, dictum est:

Qui creauit cælum, & terram.] Iuxta Hebræum habetur: *Possessori cælorum, & terræ*. Non solùm à fortitudine, & celsitudine; sed à tranquillo, ac quieto dominio mundi describitur Deus: possessio enim cælorum, & terræ, plusquàm actuale dominium mundi significat. Et quadrat materiæ, vt à Domino vniuersorum redacta fuerint hæc omnia in potestatem Abræ.

Vers. 20. Et benedictus El excelsus.] Crescit oratio, à benedictione Abræ proficiscens ad benedictionem Dei, sub eodem nomine propter eandem rationem. Verùm Deus à Sacerdote benedicitur benedictione laudis: Abram verò benedictione opitulati.

Quo protegente, hostes in manibus tuis sunt.] Plus habetur iuxta Hebræum: *Qui tradidit angustiatores tuos in manu tua*. Et appellauit Reges Assyrios, *angustiatores Abræ*; angustias Lot imputando Abræ.

Et dedit ei decimam ex omnibus.] Non intelligo quotam, hoc est, decimam quamque partem significari nomine decimæ; sed speciem pro genere positam: & est sensus: Et dedit Abram ipsi Melchisedec, tanquàm Sacerdoti Dei excelsi, portionem ex omnibus, quam consueuimus decimam nominare: sic enim apud Israëlitas nominabatur tempore Mosi.

Vers. 21. Dixit autem Rex Sedom ad Abram: Da mihi animas: cætera tolle tibi.] Ab animabus homines significat.

Vers. 22. Qui respondit ei: Leuo manum [1] meam ad Dominum Deum excelsum.] Iuxta Hebræum habetur: *Leuaui manum meam ad* יהוה *El excelsum*.

[1] Phrasis Hebræa est, vt Exod.6. & Ezech. 16 constat: leuabant enim illo tempore iurantes manus in cælum, Deum veri speculatorem ostendendo.

Possessorem cæli, & terræ.

Vers. 23. Quòd à filo subtegminis, vsque ad corrigiam caligę, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt: ne dicas: Ego ditaui Abram.] Duo Dei nomina hîc iunguntur: alterum est tetragrammaton; alterum *El*: vt vnus, atque idem Deus explicetur primum essendi principium, & fortis, celsus super omnia: vt Abram significetur cultor vnius Dei, qui dat esse omnibus, qui dat fortitudinē omnibus, & cū hoc eminet supra omnia, & regnat & in cælis & in terra, tāquàm in propriis rebus suis: hoc enim explicatur per possessionem cælorū, & terræ. Profitetur itaque Abram coram Regibus fidem suam erga cultum vnius solius Dei, tum verbis istis, tum factis, narrando primùm, quòd vouit Deo, se non acceptur \u016b quicquam rerum; & hoc pro gloria Dei: vt, scilicet, opulentia eius attribuatur Deo, nō hominibus. Dicendo itaque: *Leuaui manum meam*. dicasse seipsum Deo, vouisse se Deo commemorat. Et à rebus minimis, *filo*, & *corrigia*, cūcta comprehendit. Et dicendo: *Ne dicas: Ego ditaui Abrā*. causam voti insinuat fuisse, vt reseruetur Deo gloria, quòd Abram fuerit diues. *Ex omnibus, quæ tua sunt*. Hoc additur, ad differentiam rerū, quæ fuerant Regum Assyriorum; non ad differentiam rerum Gomorræorum, & aliorum Pentapolitarum. Nam, quanuis solus Rex Sodomorū hîc nominetur; ab eo tamen, tanquàm præcipuo, intelligendi sunt reliqui Pentapolitę; qui fugerant ad montem. Et pari ratione Abram nihil pro se voluit rerum, quæ fuerant illorum; sed rerum, quæ aliàs fuerant Regum Assyriorum, non renuit Abram portionem sibi debitam.

Vers. 24. Exceptis iis, quæ comederunt iuuenes, & partibus virorum, qui venerunt mecum, Haner, Eschol, & Mamre: isti accipiant partem suam.] Hinc apparet, quòd viri istorum trium confœderatorū Abrę, iuerunt cum Abram, quos Abram non duxit priuādos portionibus sibi debitis. Occurrit autem hîc quæstio, quare non excepit etiā decimam datam Melchisedec. Solutio est: vel, quia illius mētio facta fuerat, & præsente Rege Sodomorum data: vel, quia decimam dedit de omnibus suis, non aliorum: præter bona siquidem direpta in Pentapoli, accepit Abram alia bona Assyriorum Regum, qui fugerant: & de illis Abram dedit decimam. Prima tamen solutio quadrat Literæ, sonanti, quòd de omnibus dedit decimam, non de aliquibus, &c.

CAPVT XV.

Vers. 1. His itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abram per visionem, dicens.] Quanuis ex Scriptura non constet, an fuerit in somnis, an vigilando, hæc visio; duo tamen coniecturam pariunt, quòd fuerit vigilando. Alterum, quòd inseritur actus credendi imputatus ad iustitiam: dormientes enim, nec iusti, nec iniusti simus. Alterum, quòd tam accuratè describitur à Mose: nam non solùm narrat visionem; sed sermonem in visione. Nec hoc suffecit; sed adiungit actionem loquendi, ad differentiam sermonis scripti monstrati in visione. Describitur itaque interna visio Dei sub specie alloquētis Abram, dicendo ipsi subiuncta. Describitur autem visus, & auditus, sub nomine tetragrammaton: vt hæc quarta visio similis monstretur tribus prioribus: vt ipse essendi fons curam suscepisse videatur Abræ, qui profitebatur, Deum esse possessorem cælorum, & terræ, &c.

Noli timere, Abram: ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.] Rectiùs iuxta Hebræum habetur: *Non timebis, Abram: ego scutum, tibi merces tua multa valdè*. Rationem timendi Abram habebat: quia contra Reges Assyrios insurrexerat, qui erant potentes ad redeundum in Pentapolim, & opprimendum Chebron, & omnem terram Chanaā: vt testantur priùs gesta ab eisdem. Et propterea Deus in primis tollit ab eo timorem, prædicendo illi, non euenturum illi malum, quod timet: quia defensionem Abræ suscepit in seipso, tanquàm scutum Abræ, ad reiiciendum omnes aduersùs Abram sagittas, ictus, & huiusmodi. Hæc metaphora suffecit ad reddendum Abrā tutum, vt securus habitaret in terra Chanahā: timor enim talis trahebat eum ad migrandum inde in remotiorem regionem. Nec contenta

diuina est benignitas hoc dono seruante à malis; sed protulit alterum conferens bona, dicendo: Merces tua multa valdè [a]. Merces operi debetur. Seruierat Deo Abram, relinquendo patriam, & peregrinando, ac peregrè commorando in terra Chanahan, quam timor cogebat ipsum deserere. Et propterea vtrunque illi dicitur: Esto securus: quia ego scutum tibi: & peregrinationi tuæ, obediendo mihi, ego quoque ero merces, hoc est, reddam mercedem multam valdè. In hoc sensu fuisse hæc Dei verba intellecta ab Abram, testatur subiuncta Abræ responsio.

[a] Idiotismus est Hebraicus significans: Benè faciam tibi.

Vers. 2. Dixítque Abram: Domine Deus, quid dabis mihi?] Iuxta Hebræum habentur duo Dei nomina, *Adonai Iehouah*. Et Adonai quartum est nomen Dei à Mose introductum: & est sumptum à dominio: & est nomen commune Deo, & creaturis, sicut Dominus: & constat ex nomine, & pronomine: & est numeri pluralis, significans: *Domini mei*. sed appropriatum Deo vsurpatur ab Hebræis ad significandum, *Domine mi*, seu, *Dominus meus*. Alterum autem est tetragrammaton: aliter tamen scriptum. Sed disputatio de literis relinquatur Hebræis: nobis sat sit nosse, quòd est nomen tetragrammaton. Cùm duo itaque dixisset Deus; Abram securus iam redditus ex primo; sollicitus circa secundum, cupit intelligere in specie, quod Deus promittit in genere. Deus dixit: Ego reddam mercedem multam valdè. Abram petit: Quid dabis mihi in specie? Et est supplicatio admiratiua, seu admiratio supplicatiua. Admiratur tam largam promissionem in genere, conferendo eam cum præsenti suo statu, sine filiis, & sine spe filiorum: & supplex cupit scire, quid in specie dabit sibi Deus, quod erit multùm valdè.

Ecce ego vadam absq; liberis.] De ire ad aliam vitam est sermo: sed non in futuro, *vadam*; sed in præsenti, *vadens*: significando continuum progressum vitæ suæ absque liberis. Nec habetur, *ecce*; sed coniunctio, *&*.

Et filius procuratoris domus meæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Et filius, relictus domus meæ*. Ecce ratio admirationis: Quid erit hoc multum valdè cùm moriturus sim absque liberis, & loco filij erit hic relictus familiæ meæ? Appellatur Elihezer, *relictus domus*, hoc est, familię Abræ: quia ex antiqua familia Abrę hic erat relictus. Filius itaque antiquorum domesticorum significatur.

Iste (pro, *ipse*) Damascus [b] Elihezer.] Verba hæc non sunt Abræ, sed Mosi interponentis hæc ad manifestandum, de quo loquebatur Abram. Tali enim loquendi modo consueuit Moses explicare ignota: *Ipse est Elihezer Damascus*. Deinde redit ad prosequendum verba Abræ, dicendo:

[b] Damascum ex hoc Elihezer nomen sortitam esse putat Hieronymus. Iosephus verò ex quodam filio Aram filij Sem.

Vers. 3. Addidítque Abram: Ecce mihi non dedisti semen: & ecce filius domus meæ hæreditans me.] Sic habetur in Hebræo. Dixerat se continuè ire absque liberis: dicit modò præteritum, tanquàm ex præterito argumentum sumens futuri, quod ægrè ferebar. Et quum dixisset de Elihezer, quòd foret sibi filius, modò consequenter adiungit, quòd foret sibi hæres [c]: eundem enim dicit filium familiæ suæ, quem dixerat relictum eiusdem familiæ. Dolentis sunt verba hæc, accumulantis adiectiua, vt solemus dolentes loqui.

[c] Hoc loco vide quis hæres propinquus erat in successionibus, deficiente prole.

In hac responsione Abræ ad Deum, considera, prudens lector, quòd in præteritis tribus visionibus semper Abram fuit auditor tantùm: in hac autem quarta, & audit, & respondet: quod signum est profectus Abræ in vita spirituali.

Vers. 4. Statímque sermo Domini factus est ad eum.] Nomen est tetragrammaton, qui curam gerebat Abræ. Perseuerante visione respondit Deus,

Dicens: Non erit hic hæres tuus: sed, qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem.] Omnes, quotquot vidi, Interpretes, nescio, quare horruerint interpretari, vt iacet iuxta Hebræum: *Quid, si qui exibit de visceribus tuis, ipse hæreditabit te?* Post negatiuam, *non hæreditabit te iste* (Elihezer,) non statim profert Deus affirmatiuam: sed pedetentim procedit, proponendo interrogatiuè, ac sub conditione affirmatiuam: vt paulatim disponat Abram ad credendum tam insperatum nouum.

Vers. 5. Eduxítque eum foras [d], & ait illi.] Rem gestam, non corporeis gressibus, aut oculis; sed gestam in visione illa, narrat Moses: actionem siquidem Dei visi, & loquentis describit educere Abram foras. Ad similitudinem educentis Abram extra tabernaculum, in quo iacebat, (si in somnis fuit hæc visio,) vel orabat, si in vigilia ecstasim hanc habuit, se habuit Deus, tanquàm educendo Abram foras sub diuo: vt pluries experimur simile quid in somnis nobis accidere.

[d] Existimant nonnulli, quòd sicut hic Scriptura tradit, Abrahã à Deo adductum foras (licèt hæc omnia in sõnis agerentur:) sic similiter Christum à Satana non fuisse corporaliter per aëra transuectum, nunc in pinnaculum templi, nunc in mõtem excelsum; licèt Euangelista Christum ductum dicat: sed per omnia ad similitudinem fratrũ tentatum, Hebr. 4. Verùm horũ sententiam non probamus.

Suscipe cælum, & numera stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum.] Ecce affirmatiua asserta. Vide progressum. Primò, negationem asseruit alieni hæredis: deinde interrogando sub conditione proponit proprium filium, ac hæredem: posteà ex similitudine numeri stellarum conspectarum magis disponit mentem Abræ: & demum asserit: *Sic erit semen tuum*, &c.

Vers. 6. Credidit Abram Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecit credere in Iehouah*. Tetragrammaton est, ratione iam dicta. Et est sensus, quòd Abram fecit seipsum credere in summo Deo: vt significetur, quòd voluntariè credidit Deo: tale enim credere est donum Dei, non credere ex sola euidentia testimoniorum, vt Dæmones credunt. Quantum autem sit donum hoc, non solùm ex relatione ad incredulos (etiam qui viderunt Lazarum resuscitari apud Ioannem;) sed etiam relatiuè ad Zachariam patrem Ioannis Baptistæ, (qui vigilando vidit, & audiuit Angelum loquentem sibi, nec credidit;) apparet.

Nec dicit credidisse Deo, sed, *in Deo*, quod plus est: nam credere Deo, est, fidem adhibere verbis Dei, vtpote veracibus: credere autem in Deo, adiungit confidentiam in Deo: ita quòd non solùm credidit verum sibi dici à Deo; sed etiam innixus est Deo; sed etiam iecit se in Deum, adimpleturum, quæ dixerat. Hic effectus credendi an describatur in illa visione, an subsecutus ex illa visione post illam, perspicuum non est. Si tamen fuit visio hæc in somno, intelligendum est, postquàm vigilauit, credidit: quoniam magni meriti hoc credere

credere apud Apostolum æstimatur, & dormiendo non meremur. Per modum autem interpositionis Mosen insetuisse hunc effectum, tanquàm in vigilia subsecutum, insinuat contextus: post hæc quasi redeundo ad visionem prosequendam, cùm subiungitur: *Dixitque ad eum*, &c.

Et reputatum est illi ad iustitiam.] In idem redit Litera Hebraïca. *Et reputatum est ipsum ei iustitia.* Credere, reputatum est iustitia Abræ. Ecce credere iustum reddens Abram. Ecce iustitia Abræ non penes opera, sed penes fidem. Ecce diuina gratia tanti faciens credere, vt imputet illud ad iustitiam hominis apud Deum, ad faciendum de peccatore iustum. Sed recole, quod de credere in Deo, déque fide formata est sermo.

Vers. 7. Et dixit ad eum.] Vt prædiximus, redeundo ad prosequendum visionem dicit hæc verba Moses: vt priùs quoque fecerat, quum interposuerat: *Ipse Damascus Elibezer.* Et hinc argumentum habetur, quòd visio hæc fuit in somno: & hoc crediderim quadrare non solùm contextui, sed etiam prioribus visionibus.

Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorū, vt darem tibi terram istam, & possideres eam.] Iuxta Hebræum habetur: *Ego* יהוה, *qui traxi te de Vr Chasdim, ad dandam tibi terram, ad hæreditandum eam.* Quanuis ex apparendi specie manifestauerit se Deus Abræ, (alioquin non respondisset illi Abram supplex, dicendo: *Adonai Iehouah:*) nihilominùs etiam verbo aperit, se esse illum Deum, qui apparuit Abræ in Vr Chaldæorum: propter quod, seipsum eodem illo nomine tetragrammaton appellat. Et dicit, *traxi*, non violentia; sed promissionibus, ac mandato.

Quòd verò dicit, *ad dandum tibi*; non dicitur absolutè; sed cum additione subiuncta, *ad hæreditandum:* Deus siquidem nec passum pedis in terra Chanahan dedit absolutè personæ Abræ; sed vniuersam terram illam dedit personæ Abræ, *ad hæreditandum*; hoc est, vt suo legitimo hæredi: hoc est, instituit Abram hæredem terræ Chanahan. Hæredem dico, non possessorem. Vide progressum. In prioribus visionibus promisit dare terram illam. Modò, augendo explicat modum dandi; videlicet, per modum hæreditatis. Et in hoc aperit Deus, arrogasse sibi in hæredem terræ Chanahan ipsum Abram: ita quòd Abræ, tanquàm hæredi Dei, ius competit terræ Chanahan; semini autem eius, tanquàm successoribus Abræ. Ille immediatus Dei hæres; isti mediante Abram hæredes Dei, &c. Quum autem hæredes audis Dei, intellige; non ad similitudinem hæredum mortui; sed hæredum viuentis patris, portiones quasdam dantis hæredibus ipso viuente.

Vers. 8. Et ille ait.] Respondet iterum in visione hac Abram Deo.

Domine Deus, vnde scire possum, quòd possessurus sim eam?] Iuxta Hebræum habetur: *Adonai Iehouah, in quo sciam, quòd hæreditabo eam?* Eisdem duobus nominibus, codémque modo scriptis, respondet modò, quibus responderat priùs simili ratione. Nec increduli, aut tentantis Deum est petitio hæc; sed consulens semini suo, supplicat pro signo[d] necessario, ad hoc, vt semen suum cognoscat, & confidat, quòd hæreditabit terram Chanahan. Timebat Abram, quòd semen suum non crederet sibi dicenti, quòd Deus apparuit mihi, & dixit, ac promisit, &c. & propterea petit firmitatis signum, in quo sciret pro suo semine hæredem se institutum à Deo illius terræ.

d Sic Gedeon Iudic. 6. etiam secundum signum petiuit, progrediens ad pugnā contra Madianitas: hoc tamen, vt populus maioris animi redderetur.

Vers. 9. Et respondit Dominus: Sume mihi vaccam, (pro, *vitulam*,) triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium: turturem quoque, & columbam.] pro, *pullum columbæ*. Quare Deus hæc animalia, & singula, & duas fœminas, & tot annorum elegerit tolli sibi, nescio rationem literalem aliam, quàm diuinum beneplacitum. Hinc tamen Moses statuit posteà, vt hæc sola genera animalium in vsum sacrificij tollerentur: præterea regulariter autem in emundatione lepræ assumebatur passer.

Vers. 10. Qui tollens vniuersa hæc.[c]] Deficit pronomen, *ei*. Legendum esset: Et tulit ei omnia ista. Dixerat Deus: Tolle mihi hæc. Obediens Abram tulit Deo omnia hæc. Et perspicuum est, hanc obedientiam fuisse, non in somno, nec in ecstasi; sed corporeis actionibus accepisse omnia hæc animalia Deo; hoc est, ad sacrificandum Deo.

c Licèt Authoris sententia, à D. Chrysostomo desumpta sit, non erit tamē omninò futile, Historiam sic intelligere; nempe, quòd volens Dominus postulatum signum dare Abræ in confirmationē fœderis, iusserit Abræ parare Sacrificium ex vacca trienni, &c. diuisísque animalibus, Abraham ea in altari composuit, omniáque parauit: Deo verò integro die moram trahente, descendebant aues ad sacrificium, quas abigebat Abrahā; cúmque Sol occubuisset, apparuit titio ignis, nempe, à Domino missus, vt absumeret Sacrificium. Quo signo, sicut Aaron in summum Sacerdotē; sic & Abram in patrem multarum gentium elegit, fœdúsque cum Abraham confirmauit. Abrahā verò nihilominùs miraculo subito timuit, quemadmodū olim Gedeon, & Samsonis parentes simili miraculo timuisse legimus. Eius autem signi horrore soporatus est Abraham, apparuitque in somnis ei Dominus, dicens: Scito, quæ facta sunt, non caruisse symbolis: nā quemadmodum diu me expectasti à volucribus vexatus, sic & semen tuum diu peregrinabitur, non sine afflictione magna, terram promissam expectando, sed tandem adero, sicut feci, ipsum cum summa lætitia huc reducturus.

Et diuisit ea per medium: & vtrasque partes contra se altrinsecùs posuit.] Factum narratur: sed ratio factæ diuisionis non explicatur hîc. Iosephus dicit, quòd Deus mandauit diuisionem hanc: sed non dicit, quorsum. Aiunt fuisse illius temporis morem, vt pactum firmaretur transitu paciscentium inter duas partes animalis. Et consonat ratio, inferiùs subiunctis: vt Deus humano more firmare voluerit pactum cum Abram: & ad hoc mandauerit tolli sibi hæc ad sacrificandum, vt ante sacrificium transeundo inter partes, signum fœderis daret Abræ pro semine eius.

Aues autem non diuisit.] Hinc apparet, quòd sola quadrupedia erant, inter quorum partes transitus fiebat; ita quòd erant pro transitu, & pro sacrificio: aues verò pro sacrificio duntaxat.

Vers. 11. Descenderúntque volucres super cadauera: & abigebat eas Abram.] Expectante Abram transitum Dei inter partes quadrupedum, antequàm sacrificaret, &, si Iosepho creditur, antequàm locarentur super aram; volucres solitæ vesci carnibus cadauerum, venerunt ad cadauera animalium: & Abram assistens officium exercebat abigentis volucres. Sic fuit res gesta in figuram futurorum.

Vers. 12. Cúmque Sol occumberet.] Nondum occiderat Sol, sed occumbebat. Externa siquidem diei pars describitur. A mane (vt rationabile est credere) hora sacrificandi, vsque ad serum expectauit Abram.

Sopor irruit super Abram.] Eadem dictio hîc habetur, quæ habita est superiùs de sopore Adæ. Et nec ille, nec iste, fuit somnus ex naturali causa somni; sed diuinitùs factus: iste tamen fuit, non metaphoricè, sed propriè corporalis somnus; non ad dormiendum, sed eleuandum Abram à sensibus externis ad percipiendum diuinam reuelationem.

Et horror magnus, & tenebrosus inuasit eum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ecce timor,*

timor, obscuritas magna cadens super eum. Sicut sopor descriptus est cadens super Abram; quia desuper venit: ita tam timor, quàm obscuritas describitur cadens super Abram. Et fuit naturalis ordo, quòd repentè circundedit Abram corporalis obscuritas, inferendo internum timorem, quem secutus est sopor.

Vers. 13. Et dixit ad Abram.] Subauditur, Deus paciscens cum Abram.

Scito prænoscens.] Parui refert, quòd Hebraïco more habetur: *Sciens* (seu, sciendo) *scies.*

Quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua.] Ac si apertiùs dixisset: Animalia hæc sumpta mihi figurant semen tuum, non totum; sed illud, quod mihi dicatum erit, (videlicet, per Isaac, Israël;) & mora mea ad transeundum, (qua interim animalia hæc tanquàm derelicta visa sunt,) peregrinationem seminis tui significat. Peregrinationem autem in terra, non ipsorum, dicit; ad explicandum, quòd terra illa non statim foret ipsius, aut seminis eius; sed post completam peregrinationem, tam ibi, quàm in Ægypto, &c.

Et subiicient eos seruituti, & affligent.] Aues, quæ ad cadauera venerunt, obscuritas, ac timor; signa sunt seruitutis, & afflictionum seminis tui.

Quadringentis annis.] Non ad afflictionem, nec ad seruitutem, quæ, vt qualitates inter peregrinandum incidentes, quandoque interpositæ sunt; sed ad peregrinationem refertur hoc tempus. Nam, quòd ducentis, & decem duntaxat annis Israëlitæ fuerint in Ægypto, ex Scriptura hac habetur. Facilè enim patet, quòd à natiuitate Isaac, (quod est semen Abræ, de quo semine est hîc sermo,) vsque ad exitum de Ægypto, supputantur quadringenti anni: vt hæc Litera sonat. Nam, si supra sexaginta annos Isaac, quando genuit Iacob, addantur centum triginta anni, quos natus erat Iacob, quando ingressus est Ægyptum; summantur quadringenti anni, cum illis ducentis decem, quibus perseuerauerunt in Ægypto. Non ergo plures, vel pauciores supputandi sunt anni moræ in Ægypto: quia, nec plures, nec pauciores exiguntur ad integrandum numerum supra centum nonaginta, quos sacra Scriptura clarè tradit.

Vers. 14. Veruntamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo.] Tu abegisti volucres infestas animalibus. Plùs faciam, quàm significatum fuerat: ego gentem illam iudicabo decem plagarum iudiciis.

Et post hæc.] Videlicet, decem plagas.

Egredientur cum magna substantia.] Expoliatis Ægyptiis.

Vers. 15. Tu autem ibis ad patres tuos in pace sepultus.] Quæ dixi, ad semen tuum spectant, non ad tuam personam.

In senectute bona.] Hebræa sonant, *ætatem decrepitam.*

Vers. 16. Et generatione quarta redibunt huc.] Pondera, *redibunt:* vt intelligas, sermonem esse de generatione quarta ab ingrediente vsque ad redeuntem Et verè sic fuisse patet, supputando generationem Chaleb, qui egressus de Ægypto ingressus est terram Chanahan: Iacob siquidem, qui ingressus est Ægyptum, genuit Iehudam: Iehuda genuit Phares: qui genuit Chesron: qui genuit Chaleb. Vbi pater, quater tantùm generatione intercessisse. Lege secundum caput primi Paralipomenon: & inuenies hanc genealogiam.

Nondum enim completæ sunt iniquitates Amorræi vsque nunc.] Rationem reddit Deus dilationis: quia non sunt completæ iniquitates, quibus Amorræi merentur expelli hinc. Vbi docemur, & quòd Deus non est priùs vltor, quàm homo peccat: & quare Deus differat etiam iniquorum punitionem in hac vita: & quòd Deus non pensat merita pœnarum secundùm grauitatem peccatorum, quatenus sunt offensæ Dei, (nam sic minimum peccatum mortale meretur exterminationem;) sed secundùm rationes iudiciorum suorum, quæ sunt nobis ignotæ. Secundùm enim rationes iudiciorum diuinorum, nondum completæ erant iniquitates Amorræorum. Si relatiuè ad rationem diuini iudicij, mala, quæ vides, pensabis, procul eris à murmure.

Vers. 17. Cùm ergo occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa.] Non sic habetur in Hebræo: sed habetur: *Et fuit, Sole occidente, caligo tenebrosa.* Redit Moses ad prosequendum rem gestam, resumendo tempus prædescriptum; videlicet, occidente Sole. Perduxerat enim narrationem rei gestæ, vsque ad obscuritatem, Sole occidente, & diuerterat sermonem ad effectus subsecutos timorem, ac soporem Abræ, adiungendo sermonem Dei ad Abram in sopore constitutum. Resumit itaque idem tempus cum eodem externo effectu, obscuritate, scilicet. Nam in Hebræo non caligo tenebrosa, sed obscuritas habetur, vt priùs.

Et apparuit clibanus fumans.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ecce furnus fumi.* Nec subiungitur, *lampas:* sed subditur:

Et titio ignis, qui transiuit inter diuisiones ipsas.] Quemadmodum in Euangeliis Dominus Discipulis euntibus in Emmaüs talem se exhibuit foris, qualis apud illos erat intus: ita olim Deus paciscens cum Abram, in tali forma transiuit inter partes animalium, qualis futurus erat in semine Abram, tempore peregrinationis eorum. In specie clibani non vacui, nec pleni flamma; sed pleni fumo ex titione, seu titionibus ignis in eo contentis, transiuit per medium: ad significandum, quòd vsque ad libertatem seminis Abram futurus erat in illis continens, & conseruans, non flammam ignis; sed titionem, seu titiones ignis, hoc est, ea, quæ Dei sunt, (tum quoad intelligentiam, tum quoad religionem, tum quoad potentiam;) non tanquàm flammam, clara, publica ac magna, sed tanquàm titionem ignis, parua, priuata, ac minùs clara: cum fumo tamen. Fumus siquidem diuinorum in semine Abram semper seruatus est: in Isaac, in Iacob, in Ioseph, in Mose, vsque ad eductionem populi, multipliciter adiutis à Deo, quem colebant priuatim. Et hæc ad differentiam diuinorum in eodem semine post annos quadringentos. Nam & quoad intelligentiam affuit diuina lex: & quoad religionem cultus Dei publicus: & quoad potentiam subuersio Pharaonis, exiccatio maris, expugnatio tot regnorum: & Deus ipse, non in specie furni; sed ignis ardentis; sed de cælo loquens in monte Sina cum prodigiis, &c.

Dixi, *titionem,* vel, *titiones:* quoniam certum non

non est, an significetur vnus titio, an Hebræo more multitudo titionum vocetur, *titio*, in numero singulari. Et quoniam Moses resumendo effectum externum, (obscuritatem, scilicet,) adiungit clibanum fumi, & titionem ignis; insinuat, quòd hæc apparuerunt in specie visibili corporeis oculis: sicut resumendo tempus occumbentis Solis, insinuat, quòd transitus huius clibani visus fuit, antequàm sopor caderet super Abram: ita quòd Abram, his visis, in illa obscuritate timuit, & sopitus est, & audiuit Deum dicentem sibi supra scripta: sed Moses priùs narrauit sermonem Dei manifestantem conditiones fœderis, vt ipsam firmitatem fœderis, factam transitu diuino post conditiones fœderis, subiungeret & declararet, quorsum apparuerit transitus iste, videlicet, ad firmitatem fœderis. Vnde & ad hoc subiungit:

Vers. 18. In illo die pepigit Dominus cum Abram fœdus.] Nomen est tetragrammaton: sub eodem siquidem nomine fœdus pepigit, sub quo promiserat, & toties apparuerat. Nec caret mysterio, quòd primum essendi principium descenderit sua cura vsque ad hoc, quòd ad similitudinem paciscentis hominis se gesserit cum homine, vt etiam, tanquàm ex contractu, obligatum exhibuerit se homini: vt obmutescant dicentes, supremo Deo fas non esse, vt cura nostratum singularum actionum incumbat ei, &c.

Dicendo: Semini tuo dabo terram hanc.] Hinc clarè apparet, & inter narrandum conditiones fœderis, (videlicet, temporis, & status interim peregrini, &c.) & materiam fœderis, (videlicet, terram hanc,) interposuisse Mosen ea, quæ de clibano dicta sunt, quæ priùs fuerant, quàm hæc verba: quoniam illa fuerunt occidente Sole; ista autem sopito Abram. Nam hæc verba simul cum supradictis verbis dicta sunt. Nec est sermo de alio semine Abraham, quàm Israël: quia sub pacto diuino solus populus Israël comprehenditur, qui solus institutus est hæres Dei.

A fluuio Ægypti.] Non est sermo de Nilo, sed de flumine, qui vocatur Rinocorula [f] diuidente Ægyptum à terra Chanahan.

[f] Rinocorula nomen oppidi est, non procul à mari Syriaco; hoc nomen sortita à latronibus, quos Actisanes, Ægypti Rex, amputatis naribus, in altum deserti tenui sit, qui Rinocorulam ædificantes, ab excisis naribus appellarunt. Per hùc fluuius quidam in mare influit, teste Augustino lib. quæstionum super Iosuè, quem Strabo eruptionem quandam esse Euphratis asserit, per meatus subterraneos illapsam: distatque hoc oppidum à Gaza triginta octo millia-ribus, occasū versùs.

Vsque ad fluuium magnum, fluuium Euphraten.

Vers. 19. Ceneos, & Cenizeos, & Cadmoneos, *Vers.* 20. & Hibeos, & Pereseos, & Rephaïn, *Vers.* 21. & Emoreos, & Chenaneos, & Ghirghaseos, & Iebuseos.] Tempore Dauidis executio huius promissionis facta legitur 2. Reg. 8. & 1. Paralip. 18.

CAPVT XVI.

VERS. 1.

IGitur Saraï, vxor Abram, nō genuerat ei liberos.] Superfluit, *liberos*: significatur enim, quòd non genuerat absolutè. Nec habetur, *igitur*; sed, *&*.

Sed habens ancillam Ægyptiam, nomine Hagar, *Vers.* 2. dixit marito suo: Ecce conclusit me Dominus, ne parerem.] Nomen est tetragrammaton: vt fons essendi significetur etiam effector sterilitatis.

Ingredere ad ancillam meam, si fortè, saltem ex illa, suscipiam filios] Vide priscorum morem. Impotēs vxor generare, subrogabat marito ancillam vice sui, vt nati ex ancilla subrogata, & marito, essent tanquàm filij sui. Perpende quoque, nihil indecentis habuisse tunc huiusmodi pluralitatem vxorum; sed solitam, ac communi more probatam: non enim Saraï ausa fuisset alteram proponere vxorem, nisi communi more vidisset, huiusmodi bigamiam probatam. Nihil hìc de diuina dicitur dispensatione, nihil reprehensibile insinuatur. Et quia hìc primùm sacra Scriptura pluralitatem vxorum apud viros iustos aperit, annotabis, prudens lector, & quæ diximus, & consequenter, non esse contra ius naturæ, pluralitatem vxorum. Non est fas credere, quòd Abram contra ius naturæ alteram duxerit vxorem.

Cùmque ille acquiesceret deprecanti.] Iuxta Hebræum habetur: *Et audiuit Abram vocem Saraï*. Hoc est, exaudiuit, seu acquieuit verbis Saraï. Vt nullius iniuriæ in vxorem primam ex hac bigamia locus relinqueretur, instante ipsa, bigamia hæc fiebat. Et iterum annotabis, quòd non dicitur, audiuit vocem Dei; sed, vocem vxoris. Nulla Dei consultatio; nulla Dei apparitio, seu allocutio scribitur; sed Saraï interpellatio.

Vers. 3. Et tulit Saraï, vxor Abræ, Hagar Ægyptiam, ancillam suam, post decem annos, quàm habitare cœperat Abrā in terra Chenaham.] Narratur tempus, ad significandum, quòd Saraï iam erat septuaginta, & sex annorum: ac per hoc desperabat, se posse concipere; experta, quòd nec puella, nec iuuenis, nec prouectioris ætatis concepisset.

Et dedit eam viro suo in vxorem.] Ne putares fornicariam concubinatus copulam.

Vers. 4. Qui ingressus est ad eam. At illa concepisse se videns, despexit dominam suam.] Desunt tres dictiones: *In oculis suis*. Esse sermonem de oculis Hagar, testatur Saraï: referendo hanc iniuriam, dicens, *in oculis eius*. Perspicuum autem non est, an Hebraïca phrasi dicatur despectio in oculis Hagar; (hoc est, iudicio, seu æstimatione Hagar;) an mentio oculorum fiat, quia corporeis oculis signum despectionis monstrauerit Hagar. Et hic sensus quadrat: rum, quia Saraï librauit in oculis eius: tum, quia certum est, quòd non vilipensionem in solo animo, sed foris monstratam ægrè tulit Saraï. Et quum iam dedisset eam marito in vxorem, non audebat punire eam, (vtpote vxorem tanti viri;) sed in ipsum maritum torquet iniuriam sibi illatam.

Vers. 5. Dixitque Saraï ad Abram: Iniquè agis contra me.] Quamuis sensus in idem redeat: ne quis tamen Hebræa legens offendat in hæc, scito, iuxta Hebræum haberi: *Iniquitas mea super te*. Et dicit, *iniquitas mea*, non actiuè, non quam feci, aut facio; sed passiuè, quam patior. Iniquitas mea, hoc est, quam ego patior, quæ in me fit, super te innititur, super authoritatem tuam fulcitur: nō auderet ancilla mea despicere me, nisi in te confideret. Et scito, quòd, propriè loquendo, iuxta Hebræum legendum esset: *Tortum meum super te*. Sic enim cessaret absona locutio.

Ego dedi ancillam meam in sinum tuum: quæ videns, quòd conceperit, despectui me habet.] Iuxta Hebræum habetur:

tur: *Et vilipensa sum in oculis eius.* Hinc apparet, quòd Saraï ponderauerit despectionem, non qualencunque, sed in oculis Hagar. Ad hoc enim adiecit, *in oculis eius*, vt externam despectionem explicaret à qualitate ipsius.

Iudicet Dominus inter me, & te.] Nomen tetragrammaton est: & legendum est, *iudicabit.* Querula vxor Deum supremo nomine, tanquàm supremum tribunal, appellat: Deum arbitrum causæ inter se, & virum, fore minatur. Et muliebri passione turbata, obliuiscitur solitum honorem exhibere marito, nominando priùs se, quàm maritum.

Vers. 6. Et dixit Abram ad Saraï: Ecce ancilla tua in manu tua est, vtere ea, vt libet.] Moderatiùs locutus est Abram iuxta Hebræum: *Fac ei quod bonum in oculis tuis.* Non ad libitum, sed arbitrium remisit: & hoc non mali, sed boni; secundùm propriam tamen Saraï censuram.

Affligente igitur eam Saraï, fugam iniit.] Qualitas afflictionis tacetur: quia tamen grauis erat, excluditur, quòd afflictio fuerit verbere.

Vers. 7. Cúmque inuenisset illam Angelus Domini iuxta fontem aquæ in solitudine.] Dictio interpretata, *Domini*, est nomen tetragrammaton. Nuncius primi essendi principij describitur: vt etiam per Angelos ipse fons essendi, curam etiam mulierculæ exercere significetur, singulas singulorum actiones conspiciens.

Quæ est in via Sur [a], in deserto.] Repetendum est: *Super fontem in via Sur.* Describitur siquidem fons priùs à loco communi, dicendo, *in deserto:* deinde à loco speciali, à situ in deserto, dicendo, quòd non in quacunque parte deserti, sed in illa, quæ est in via Sur. Versùs Ægyptum Ægyptia ibat.

[a] Sur. desertum est inter Ægyptum, & Arabiam quam multi idem cum Etam eremo esse dicunt: hoc & Agar, Syriace, ab Agar est appellatum. illudque iter est ab Assyria in Ægyptum tendentibus & mons Sina in eodem situ est.

Vers. 8. Dixit ad illam: Hagar, ancilla Saraï.] Proprio nomine, & propria conditione seruitutis propriæ dominæ vocat illam Angelus in specie humana apparens: tum, vt Hagar, quæ putabat illum hominem, non horreat respondere ad interrogata homini cognoscenti illam, vtpote nomen, & domum, & conditionem eius explananti. Tum vt nossent lectores historiæ, quòd ratione ac meritis Saraï misit Deus Angelum suum ad reducendum Hagar.

Vnde venis? & quò vadis?] Iuxta Hebræum habetur: *Vnde huc venisti, & quo ibis?* Sententia clara est.

Quæ respondit: A facie Saraï dominæ meæ ego fugio.

Vers. 9. Dixítque ei Angelus Domini.] Tetragrammaton est ratione dicta.

Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius.] Iuxta Hebræum habetur: *Affige te sub manu eius.* Ex eo, quòd eadem dictio habetur hîc, & superiùs, dicendo: *Afflixit eam.* insinuatur, quòd vtrobique est sermo de afflictione humiliationis, seu subiectionis.

Vers. 10. Et rursum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit Angelus* יהוה. Tetragrammaton est. Ex hoc, quòd Moses distinctè narrat hæc alia verba Angeli, insinuat, quòd Hagar audita monitione, vt reuerteretur, & humiliaret se, tacita secum cogitabat, nesciens, quis esset, qui eam monebat: quemadmodum Beata Virgo, salutata ab Angelo, cogitabat, qualis esset illa salutatio. Et meditante Hagar, Angelus siluit: & posteà subiunxit:

Multiplicans multiplicabo semen tuũ: & non numerabitur præ multitudine.] In his verbis cœpit Angelus manifestare seipsum, dicendo in prima persona: *Multiplicando multiplicabo semen tuum.* Hoc enim Dei officium est: & in persona Dei Angelus hoc dixit: adiunxit siquidem tristibus læta. Dixerat contraria voluntati Hagar: *Reuertere, & humiliare.* adiungit concupita: *Multiplicabo semen tuum.* Et est sensus: Reuertente te, ac humiliante te, vt dixi; faciam ego tibi tam ingens bonum tantæ multiplicationis seminis tui. Vt ex hoc allecta bono, pareret monenti.

Vers. 11. Ac deinceps.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit ei Angelus* יהוה. Et hæc altera discretio insinuat, quòd Hagar læto audito nuncio, iam disposita ad parendum, iam suspicans diuinum Angelum, meditabatur, quisnam esset promittens sibi talia: & Angelo interim silente, Deus operabatur, intus disponendo mentem, ac voluntatem Hagar inter meditandum, vsque adeò vt meruerit tertium sermonem Angeli.

Ecce concepisti.] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce tu pregnans.*

Et paries filium: vocabísque nomen eius Ismaël.] Monuerat primò, deinde promiserat: manifestat modò occulta ventris. Tum, quoad hoc, quòd erat prægnans: quum vterus non appareret grauidæ in principio conceptæ prolis: quod fuisse tunc, coniectura est ex eo, quòd Hagar, vt vidit se concepisse, despexit dominam; & illa statim conquesta afflixit eam: & propterea fugit, ac inuenta est ab Angelo. Tum, quoad sexum prolis, prænunciando masculum: simúlque prædicit futura. Tum, quoad nomen filij, reddendo rationem nominis. Nec prætereas, quòd nulli homini ante Ismaëlem Deus nomen dedit: ipse siquidem primus inter homines sortitus est nomen à Deo [b]. Et eum hac tam noua, ac non parua gratia, nihil scitur, bonúsne, an malus fuerit Ismahel: vt ex diuina gratia gratis data nullus glorietur, nullus laudetur, nullus speretur bonus.

[b] Quatuor sunt, quibus nomina imposita esse ante natiuitatem, legimus. Ismael, Isaac, Iosias Rex Iuda, & Salomon. Sunt, qui his addant Samsonem.

Eò quòd audiuit Dominus afflictionem tuam.] Tetragrammaton vsus est Angelus ratione dicta. Ismahel nomen est compositum ex *auditione*, & *El*, quod appropriatur Deo: & propterea ratio nominis optimè quadrat. Triplex autem afflictio Hagar hîc legitur. Prima inflicta à Saraï: secunda assumpta ab ipsa Hagar fugiendo: tertia, quam posteà voluntariè exhibuit, ad mandatum Angeli, veniam petendo à domina sua. Nulla harum excludenda est à verbo Angeli: quia nulla excluditur ab exauditione diuina. Prima enim, etiamsi iustissima fuerit; quatenus tamen pœnalis erat, clamabat ad Dei misericordiam: & multò magis reliquæ: & tempore natiuitatis Ismahel, iam omnis afflictio diuinum meruerat auditum: ad illud enim tempus refertur veritas præteriti, *audiuit.* Tum quoad vitam filij.

Vers. 12. Hic erit ferus homo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ipse erit onager homo.* Sub metaphora onagri describuntur mores Ismahel. Ad significandum, quòd fugiet hominum

minum frequentiam: onager siquidem (vt Physici tradunt) fugit frequentiam hominum præ cæteris animalibus.

Manus eius in omnes, & manus omnium contra eum [c].] Non solùm segregatus ab aliis; sed fortis, ac hostis omnium futurus prædicitur. Et quadrat secundum primo: dissimilitudo siquidem ratio est inimicitiæ, sicut similitudo amoris.

[c] Cùm legamus Genesis 37. Madianitas, & Arabiæ populos Ismaelitas vocatos, colligimus Ismaelitas illis omnibus regionibus imperasse, quæ omnia, Ismaelē virum bellicosum extitisse, atque in omnes manus iniecisse, fixis tentoriis ad bellum, ostendūt.

Et è regione vniuersorum fratrum suorum figet tentoria.] Iuxta Hebræum habetur: *Et super facies omnium fratrum suorum hospitabitur.* Quanuis syluestris homo, & contra omnes; non tamen ad penetralia deserti fugiet, sed prope omnes fratres suos (tum, qui nascentur ex Abram; tum, qui nati sunt, Lot, scilicet, & filios eius) morabitur, seu hospitabitur. Habitator enim fuit deserti Paran; vt patet infrà cap. 21. Habitare autem in deserto, hospitari est: quia similitudo hospitantis est, &c.

Vers. 13. Vocauit autem nomen Domini, qui loquebatur ad eam.] Nomen est tetragrammaton. Aduerte, prudēs lector, quòd, quem hactenus Moses appellauit Angelum Domini, modò appellat Dominum ipso nomine quatuor literarum incommunicabili: quia hactenus de ipso nuncio, modò de ipso Deo, cuius personam nuncius agebat, loquitur, coactus transferre sermonem de nuncio in Deum, ab intelligentia, ac deuotione Hagar non erga Angelum, sed Deum.

Tu, Deus, qui vidisti me.] Iuxta Hebræū habetur: *Tu El videns mei.* Vt superiùs dictum fuit, *El* nomen est Dei, à fortitudine sumptum. Deum sub ratione fortis venerata est Hagar, eò quòd & ipsam roborauerat ad redeundum, ac manendum domi cum Saraï, & Abram; & filium fortem prænunciauerat. A beneficio autem, quòd dignatus sit ipsam visere, prouidendo illi, peculiare nomen Deo apposuit, *videns mei:* ipsa siquidem nominatio est beneficij agnitio, ac gratiarum actio.

Dixit enim.] Rationem reddit Moses, qua Hagar cognouit illum, qui locutus cum ea fuerat, esse Deum. Reddit autem rationem ex verbis Hagar subiunctis.

Profectò hîc vidi posteriora videntis me.] Iuxta Hebræum habetur: *Si etiam hîc vidi post videre meum?* Vt autem sensum verborum, rationémque redditam percipias, scito, quòd Angelus, inter loquendum cum Hagar, finitis suprascriptis verbis statim euanuit ab oculis Hagar: ita, quòd nec mansit ibi, nec recessit inde ambulando, aut volando; sed statim euanuit: ita quòd, cùm coram esset, subitò non est visus ampliùs. Et hoc repentinum non videre eum post sermonem, explicat Hagar cum emphasi dicendo: *Si etiam hîc vidi?* Ad manifestandum negatam ibi statim visionem, dicit: *Si etiam hîc vidi?* Nam interrogatiuè sumitur, *si*, iuxta consuetum modum emphaticè loquendi: Si feci hoc? vt plusquam negando asseramus, nos non fecisse illud: hoc enim modo Hagar dicit: *Si etiam hîc vidi* (significando, quòd nec etiam ibidem viderit illum) *post videre meum?* hoc est, postquàm vidi eum alloquentem me. Et hoc statim euanescere à visu Hagar, fuit ratio, quòd Hagar cognouerit illum esse Deum: & propterea Moses hæc verba Hagar affert pro ratione, qua nominauerit illum: *Tu El videns mei.* Ita quòd narrando verba Hagar, narrat factum (scilicet, quòd statim euanuit) significatum per verba Hagar. Perpende hinc, prudens lector, quanti refert exponere Textum interpretatum sensu Interpretis, vel interpretatum, vt iacet in Hebraïco; quanuis Interpres nesciat sensum.

Vers. 14. Propterea vocauit puteum illum [d].] Non sat fuit Hagar, agere gratias Deo; sed grata ampliùs, in memoriam tanti beneficij puteum illum nuncupauit ab eodem.

[d] Exprimit Moses, qua ratione Hagar puteum istum viuentis, & videntis Dei appellauerit. Videntis, nempe, quia in eo loco Deus afflictionē eius respexerat: viuētis verò, quia ibi posteriora Dei viderat. Quid autem sit, posteriora Dei videre, Exod. 33. explicabitur.

Puteum viuentis, & videntis me.] Iuxta Hebræum habetur: *Puteum ad viuentem videntem mei.* Deum, quem priùs à fortitudine nominauerat *El*, (hoc est, fortis;) modò à vita nominat *viuentem:* vtpote fortitudinem, & vitam omnium fortium, ac viuentium. Præpositio verò, *ad*, testificationem insinuat, tanquàm dixerit: Puteus ad testificandum, seu ad recordandum Deum viuum, quòd viderit me corporali specie visitando.

Ipse est inter Cades, & Bared [e].]

[e] Bared, locus est medius inter Hebron, & Cades.

Vers. 15. Peperítque Hagar Abræ filium: qui vocauit nomen eius Ismahel.

Vers. 16. Octoginta, & sex annorum erat Abram, quando peperit ei Hagar Ismahelem.

CAPVT XVII.

VERS. 1.

Postquàm verò nonaginta, & nouem annorum esse cœperat.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit Abrā filius nonaginta annorum, & nouem annorum.* Ita quòd Interpres apposuit, *cœperat.*

Et apparuit ei Dominus.] Tetragrammaton est: vt solitus alloqui Abram ipse fons essendi significetur. Qualis autem fuerit hæc visio, non est omninò clarum ex descriptione ista. Nam, siue apparuisse, siue visus esse legatur, intelligi potest, vel in specie visibili, vel imaginationis: ex subiuncta tamen bis adoratione, Abram prosternendo se super terram, insinuatur, quòd fuerit visio corporeis oculis: sensuum enim externorum vsus ad prostrationem, testatur non fuisse Abram abstractum à sensibus. Ad idem quoque confert, quod in calce huius apparitionis scribitur, ascendisse Deum supra Abram, describendo abscessum Dei: sonant siquidem hæc corporales actiones.

Et dixit ad eum: Ego Dominus omnipotens.] Iuxta Hebræum habetur: *Ego El victor.* Iam dictum est, quòd *El* nomen est Dei sumptum à fortitudine. Tria itaque diuina nomina hîc concurrunt; fons essendi, (pronomen enim, *ego*, demonstrat tetragrammaton, qui apparuit,) fortis, victor: tum, vt nō audiamus somnia Philosophorum illorum, qui diuersis principiis attribuerunt, esse fortitudinem, & potentiam vincentem: sed vnum, atque eundem omnes credamus Deum, in quo, & à quo est omne esse, omnis fortitudo, omnis potentia: tum ad significandum, quòd ad infrascripta concurret Deus, vt fons essendi, vt fortis, vt victor, superans omnes rerum naturas, omnia contraria, omnes vires voluntatum.

Et aptè dicit: *Ego fortis victor.* ad differentiam cuiusque fortitudinis creatæ. Angeli enim, & homines fortes, sunt fortes sic, vt non possint omnia efficere, imò multa obsistentia patiuntur: Deus autem fortis est sic, quòd habet potentiam vincentem omnia; nullaque indispositio receptiuorum, nulla vis agentium, aut mediorum resistere valet. Opportunáque fuit huiusmodi nominatio subiunctæ materiæ: vt hinc manifestaretur, quòd Deus sic futurus erat fortis ad debellandum hostes Abram, & seminis eius, quòd potentia vincente omnia vsurus esset: vt rei probauit euentus in exitu de Ægypto, & ingressu in terram promissionis.

Ambula corã me, & esto perfectus.[a]] Iuxta Hebræum habetur: *Ambula ante me, & sis perfectus.* Primum, quod dicitur à Deo, potest ad litteram referri, vel ad moralem vitam ipsius Abræ. Et est sensus: Profice in studio, ac actionibus tuis, tanquàm ambulans ante oculos meos. Nullum maius frænum, nulla efficacior ratio componendi gestus, motus, verba, actionésque hominis apparet, quàm ambulare ante faciem Principis. Et fructus huiusmodi profectus aptè subditur: *Et eris perfectus.* huiusmodi enim ambulatio ducit hominem ad perfectionem. Vnde scriptum est: *Beatus vir, qui in sensu cogitabit circumspectionem Dei.*

a Idiotismus est Hebraicus, significans, voluntati diuinæ se obtemperare.

Vel ad conditionem fœderis inter Deum, & Abram: vt, scilicet, manifestetur, quòd hanc conditionem oportet adimpleri ab ipso Abram, & semine eius, si pactum diuinum seruari volunt. Et est sensus: Ambula, tam tu, quàm semen tuum, quoad fidem, & mores, tanquàm coram me; & eris perfectus; & nihil, tam tibi, quàm semini tuo, deerit, tam spiritualium, quàm corporalium rerum, requisitarum ad vestram felicitatem. Vnde & subditur: *Et dabo pactum meum,* &c. Ac si apertiùs dixisset: Si non ambulaueris, tu, aut semen tuum, ante me; non erit locus pacto: vt experientia testata est.

Vel ad rationem circuncisionis subiunctæ: vt intelligatur, ideò mandari circuncisionem Abram, & semini eius; quia inde sumpturus erat carnem fortis Omnipotens. Et est sensus: *Ambula ante me.* hoc est, antecede me venturum in carne; antecede, inquam, circuncisus, discretus ab aliis: sequar enim te circuncisum, sumendo ex tuo circunciso semine carnem. *Et sis perfectus,* in termino ambulationis ante me. Imperatiuum est, *sis.* Constituit enim Deus Abram perfectionem in termino huius ambulationis Ac si apertiùs dixisset: Et hæc sit perfectio tua, sis tunc perfectus: vtpote constans ex omnibus tibi promissis, & promittendis. In aduentu siquidem Messiæ implentur omnia, tam Patriarcharum, quàm Prophetarum desideria. Et hanc expositionem literalem dixi: quia non dicitur: *Ambula* coram me, sed, *ante me:* & præcipuam huius apparitionis diuinæ rationem constat esse nouam legem circuncisionis hîc promulgatam.

Vers. 2. Ponámque fœdus meum inter me, & inter te.] Iuxta Hebræum habetur: *Dabo* Explicata ratione, seu conditione fœderis, subiungit adimpletionem fœderis iam initi, antequàm Abram despònsasset Hagar, dicendo: *Et dabo fœdus.* Est enim sensus: Et dabo executioni fœdus, quod est inter me, & inter te. & non est sensus, quòd faciam tecum nouum fœdus: sufficit enim illud scriptum superiùs cap. 15.

Et multiplicabo te vehementer nimis.] Iuxta Hebræum habetur: *In valdè valdè.* In capite 15. in quarta apparitione diuina dictum fuerat Abræ, semen eius fore innumerabile, sicut stellas cœli. In hac autem sexta visione dicitur: *Multiplicabo te in valdè valdè.* Quia hæc tria in genere proposuit in principio huius apparitionis Deus: & apto ordine, locando in medio pactum: cuius materia est tertium; cuius suscitatio, continuáque viuificatio est primum.

Vers. 3. Cecidit Abram pronus in faciem[b].] Iuxta Hebræum habetur: *Et cecidit Abra super facies suas.* Auditis tribus propositis à Deo, adorauit, non genuflectens, sed prostratus super propriã faciẽ. Mente, & actu exteriore veneratur, ac colit; verbo autem nihil dicit.

b Corporis prostratio olim Regibus, & summis Principibus in honoris signum exhibebatur; velut nostri quoque temporis Monarchis, & Regibus genua reuerenter flecti solét. Hoc ipso honore Magos etiam Christum profecuros esse legimus. Huiusmodi autem prostrationes, cùm, gestu externo, pietatem animi testarentur, adorationes vocari cœptæ sunt.

Vers. 4. Dixítque ei Deus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et locutus est cum eo* אלהים, *dicendo.* Quoniam de iustitiæ distributiuæ actionibus futurus est sermo, (videlicet, de distributione terrarum, & generis Abram, & dono circuncisionis, quo semen Abram præferretur reliquis nationibus;) ideò sub nomine אלהים Deus describitur. Nec vacat, quòd dicitur, *cum eo:* sed insinuat familiare colloquium. Et quoniam, durante hoc colloquio, Abram iterum cecidit super faciem suam; intelligendum reliquit Moses ex pronomine, *cum eo,* quòd Abram surrexit, mandante Deo, vt Deus cum eo loqueretur. Et nisi Deus siluisset, propositis illis tribus; non adiunxisset Moses: *Et locutus est,* &c. Euenit siquidem Abram, (quanuis alia ratione,) quod accidit Hagar; vterque enim siluit, silente Deo: sed ille adorauit certus, quòd Deus erat, qui apparuit; illa cogitabunda stetit.

Ego sum, & ponam pactum meum tecum, erísque pater multarum gentium] Iuxta Hebræum habetur: *Ego, ecce pactum meum tecum, & eris in patrem multitudinis gentium.* Fiat punctus post, *ego:* quia sensus est: *Ego,* hoc est, ex parte mea Commemorauerat siquidem, proponendo, fœdus initum inter ipsum Deum ex vna, & Abram ex altera parte: & intendens modò explicare per partes tria illa, quæ proposuit in genere; inchoat à personis, inter quas est pactum, incipiendo à seipso; subiuncturus è regione, *& tu:* vt inferiùs claré patet iuxta Hebræum. Dicit itaque, *ego;* subiuncturus, *& tu:* perinde ac si diceretur: Ex parte mea, & ex parte tua. vt stipulantes inter contrahentes consueuerunt Tabelliones dicere. Quid autem ex parte sua faciat Deus, subiungit, demonstrando: *Ecce pactum meum tecum.* Initium adimplendi fœdus demonstrat: fuit enim initium adimplendi pactum gratia diuina, quòd ex Abram, & Sara generaretur Ishac. Et hoc demonstratur, dicendo: *Ecce pactum meum.* hoc est, executio pacti mei. Vnde aptè subditur: *Et eris in patrem multitudinis gentium.* Relege caput 15. & inuenies duas partes fœderis: alteram, *Semen tuum erit sicut stellas cœli.* alteram, *Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti,* &c.

Vtranque

Vtranque prosecuturus hîc Deus, incipit à prima, (priùs enim oportet esse semen Abram; & deinde dari illi terram;) simul incipiens ab vltimo propositi in principio huius apparitionis; videlicet, à multiplicatione Abram ex pacto.

Nec vacat mysterio, quòd dicitur, *multitudinis gentium*. Nam librando verba (vtpote Dei) significatur *occultum à sæculis*, vt Paulus dicit, *mysterium*, quòd promittitur Abram paternitas multitudinis gentium, quæ per vniuersum mundum sparsæ sunt: & non tantùm paternitas filiorum Ishac, aut Iacob, aut omnium filiorum secundùm carnem ipsius Abram. Et hic vetus literalis sensus est: sed latuit, donec Spiritus sanctus docuit Apostolos Christi. Interim enim intellectus est Textus iste, perinde ac si dictum fuisset, *multarum gentium*; vt vulgata editio habet. Habetur autem, quòd hic est sensus literalis ex eo, quòd, vt inferiùs patet in hoc capitulo, pactum diuinum cum Abram restringitur ad Ishac, & inter filios Ishac restringitur ad Iacob in cap. 26. vt clariùs patet Malachiæ 1. *Iacob dilexi, Hesau odio habui*. Constat autem, quòd de multiplicatione Abram ex diuino fœdere, est sermo: vt etiam toties repetitum fœdus in hoc capite prædicat: vniuersa enim, quæ in hoc capite tractantur, ad diuinum spectare fœdus, ipsa adiectio fœderis per singula repetita testatur.

Confirmatúrque sensus hic ex eo, quòd non dicitur: Et eris pater multitudinis gentium, sed, *in patrem multitudinis gentium*: ad insinuandum, quòd huiusmodi paternitas foret magis spiritualis, quàm carnalis. Fuit enim carnalis in principio, & in medio: sed in consummatione fuit, & est spiritualis. Generatio siquidem Ishac, & deinceps, vsque ad Messiam; carnalis fuit: generatio autem per fidem Messiæ, qua multitudo gentium filia est Abrahæ; est spiritualis. Vnde, sicut de Salomone Deus dicet: *Ipse erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem*. ita modò dicitur ad Abram: *Eris in patrem multitudinis gentium*.

Vers. 5. Nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham [c].] Ab hoc loco scribendum, & proferendum est, *Abraham*. Et aiunt nomen, *Abraham*, componi ex patre, & multitudine: quod quadrare patet rationi nominis subiunctæ in Litera.

c Solenne est, vt quos Dominus ad singulare munus eligit, nouum eis nomen indat: per hoc significans, oportere eos alios prorsus esse, quàm fuerint; ideoque & alio nomine vocari: quod & Saræ, & Iacob, & Ioanni, & Petro, factum legimus. Putarémque, hinc originem sumpsisse, quòd & Pontifices, & Reges, cùm ad eam dignitatem assumuntur, nomen immutent; sicquè Pharao Ioseph nouū nomen indidit.

Quia patrem multarum gentium cõstitui te.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia patrem multitudinis gentium dedi te*. Priùs Deus dixerat: *Eris in patrem multitudinis gentium*. modò dicit: *Dedi te patrem*, &c. Vt sciatur, quòd nõ ex natura erit in patrem, sed ex Dei dono datus est pater. Ratio itaque noui nominis, non paternitas ex natura; sed paternitas ex dono Dei redditur: quo fit, vt ab hac ratione excludatur genus Ismaëlitarum, & reliquorum filiorum Abrahæ ex concubina.

Vers. 6. Faciámque te crescere vehementissimè. Iuxta Hebræum habetur: *Et crescere faciam te in valdè valdè*. In confinio duorũ modorum multiplicandi Abraham, repetit Deus multiplicationem. Hactenus siquidem de multiplicatione finali locutus est, subiunctũrus multiplicationem carnalem mediam ad illam spiritualem: & propterea verba hæc in confinio ad vtranque multiplicationem referuntur, repetendo:

Et ponam te in gentibus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dabo te in gentes*. Carnalis generis multiplicatio executioni mandanda promittitur: datus enim est Abraham per Ishac *in gentes* (hoc est, nationes) multas, iuxta multitudinem filiorum Iacob: duodecim siquidem gentes ex illo prodierunt.

Regésque ex te egredientur.] Impletum esse hoc, testatur historia librorum Regum. Non solùm multitudinem, sed dignitatem summam generis promittit Deus.

Vers. 7. Et statuam pactum meum inter me, & te; & inter semen tuum, post te in generationibus suis, fœdere sempiterno, vt sim Deus tuus, & seminis tui post te. [d]] Iuxta Hebræum habetur: *Et surgere faciã pactum inter me, & inter te; & inter semen tuum post te in generationibus suis in pactum sempiternum; ad esse tibi in* אלהים, *& semini tuo post te*. Pedetentim Deus mandaturus circuncisionem, illam introducit. Primò nanque rationem illius proposuit, ad antecedendum ipsum Deũ: modò relatiuè ad initum olim pactũ dicit, quòd redigет illud semel initum fœdus in fœdus semper viuidum cum ipso Abrahã, & semine eius: intendens, quòd olim initum fœdus, ne tanquàm præteritum abolesceret, faciet surgere in fœdus sempiternum hoc est, semper viuidum. Circuncisio siquidem iugis in successione reddidit fœdus semper viuidum; vtpote coæuum cuique generationi. Nec sufficit Deo hoc explicare, sed adiungit, quorsum; videlicet, *ad esse tibi, & semini tuo in* אלהים. Ecce finis suscitationis antiqui fœderis in semper viuum, per circuncisionem; ad hoc, scilicet, vt ego Deus sim tibi, & semini tuo in אלהים; hoc est, in Iudicem. Verè circuncisio est professio, quòd circuncisus diuino subiicitur iudicio, diuinæ est debitor seruãdę iustitiæ. Vnde & Paulus docet, quòd *circuncidens se, debitorem se constituit vniuersæ legis*.

d Hoc fuit vetus Testamentum, nimirũ, vt Dominus per suã bonitatem esset Deus Israëlitarũ, & Israel eius per fidem populus.

Vers. 8. Et dabo tibi, & semini tuo post te, terram peregrinationum tuarũ, omnem terram Chenahan, in possessionem sempiternã: & ero eis in אלהים.] Altera pars fœderis, fuit promissio terræ Chanahan: & propterea se executurum etiam hoc explicat, & ad eundem finem; videlicet, ad hoc, vt sit semini Abrahæ in Iudicem; hoc est, ad hoc, vt ambulent in iustitiis meis, in lege mea; ad hoc, vt colant me Deum dicentem illis ius. Et cùm dixisset, *terram peregrinationum tuarum*; restrinxit appositiuè, *omnem terram Chanahan*; ad differentiam terræ Ægypti, in qua etiam peregrinus fuerat. Et pluraliter dicit, *peregrinationum tuarum*: quia pluries peregrinus ibi fuerat. Quòd autem dicit, *in possessionem æternam*; superiùs expositum est, quo sensu dicatur; videlicet, perseuerante semine Abrahæ in vero cultu, in vera iustitia Dei: hic enim finis, hæc ratio fœderis bis hîc explanatur.

Vers. 9. Dixitque iterum Deus ad Abraham.] Superfluit, *iterum*: non describitur enim, quòd alia vice Deus locutus fuit Abrahæ; sed, quòd interposito silentio; vel, vt rectiùs loquar, interposita pausa prosequutus est Deus sermonem Et scribitur, nõ Deus, sed אלהים, hoc est, Deus, quatenus Iudex; vtpote actiones iustitiæ tractans.

Et tu ergo custodies pactum meum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et tu, pactum meum custodies tu.*

Et semen tuum post te, in generationibus suis.] Ecce altera pars è regione monstrata contrahens fœdus. Hactenus, cùm Deus demonstrasset, se, tanquàm alteram partem, paciscentem, dicendo, *ego*; prosequutus est, quæ ex parte eius adimplenda sunt: modò prosequuturus, quæ ex parte Abrahæ, & seminis eius adimplenda sunt, demonstrat alteram partem paciscentem dicendo, *& tu*: oportet siquidem fieri hîc punctum: & est sensus: Et ex parte tua. Explicando autem comprehensos sub hac parte, *& tu*; subiungit: *Custodies pactum meum tu, & semen tuum post te, in generationibus suis.*

Vers. 10. Hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me, & vos, & semen tuum post te.] Non nouum fœdus producit Deus, sed nouum signum antiqui fœderis; vt ipsemet Deus paulò inferiùs manifestat. Circuncisio siquidem, non nouum est fœdus; sed est nouum signum olim percussi fœderis: quia tamen est signum seruans semper viuidum initum fœdus; ideò nomen fœderis sortita est, & quandoque appellatur pactum diuinum, quandoque signum pacti diuini. Hoc enim est verum formaliter: illud autem materialiter, pro quanto est materia seruans diuinum pactum semper viuidum. Explicat itaque, quod superiùs dixerat, *Surgere faciam pactum meum.* Et pronomen, *hoc*, demonstrat, quod subiungitur.

Circuncidetur [e] ex vobis omne masculinum.] Hoc est enim viuificatio continua pacti, hoc est, ambulare ante me venturum in carne. Prosequitur siquidem Deus proposita in principio apparitionis huius. Et in pronomine, *vobis*, aduerte, prudens lector, quòd etiam ipsa verba legis huius monstrant, quòd lex circuncisionis non ligauit mundum, sicut ligat lex Baptismi: sed ligauit duntaxat Abraham, & semen eius, & illos, ad quos ratione Abrahæ, & seminis eius extensa paulò inferiùs est, natos domus, & seruos. Propter quòd semper repetitur huiusmodi pronomen, vt patet in Litera.

[e] Per circuncisionem, signum fœderis Dei, homo Deo consecrabatur ad publicam gratiæ eius obtestationem, atque vt in rempublicam Israelis reciperetur, in qua sola erant testamenta, oracula, atque Dei promissa.

Vers. 11. Et circuncideris carnem præputij vestri.] Dixerat in genere: *Circuncidetur omne masculinum*, declarat modò per partes, circuncisionis conditiones: & primò partem corporis circuncidendam.

Vt sit in signum fœderis inter me, & inter vos.] Ad vniuersum mandatum circuncisionis refertur hæc clausula, quæ in Hebræo legitur non causaliter, sed copulatiuè: *Et erit signum fœderis inter me & inter vos.* Quare autem Deus elegerit hoc signum, & in tali membro; sola Dei libertas ratio sufficiens est. Accommodationes tamen multæ afferri possunt: præcipua tamen ratio est, quòd carnaliter Messias ex genere Abrahæ producendus erat: nisi enim huius mysterij ratio habita fuisset, quilibet character, seu quæuis nota, in quacunque corporis parte suffecisset, ad distinguendum, & distinctum seruandum Abraham, & genus eius, ab aliis nationibus mundi. Et dicendo, *signum fœderis*, commemorat proculdubio fœdus initum inter Deum, & Abram, in cap. 15. Nec dissentit Paulus scribens ad Romanos, Abraham accepisse circuncisionem, *signum iustitiæ fidei*: quoniam sententia eadem redit: paria siquidem sunt, *signum diuini fœderis*, suscepti proculdubio per fidem, qua tunc *credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad iustitiam*; & *signum iustitiæ fidei*: de dicta enim fide, & iustitia loquitur Paulus.

Vers. 12. Infans octo dierum circuncidetur in vobis.] Tempus circuncidendi, quoad nascituros, decernitur. Et ratio octaui diei creditur: quia ante octauum diem nimis tener infans valdè læderetur dolore circuncisionis: post octauum autem diem, versùs duritiem tendens, plùs doloris sentiret.

Omne masculinum in generationibus vestris (tam vernaculus, quàm emptitius) circuncidetur; & quicunque non fuerit de stirpe vestra [f].] Iuxta Hebræum habetur sensus clarior: *Omnis masculus in generationes vestras, natus domus, & emptus argento, ex omni filio alieni, qui non ex semine tuo ipse.* Dixerat; & repetierat pronomen, *vos*: modò explicat, ad quos extenditur pronomen illud. Et primò, quòd ad infantes: iungitur enim hæc clausula cum præcedenti: quia dixerat: *Filius octo dierum circuncidetur.* Itaque tria genera filiorum masculorum comprehenduntur. Primum est filiorum eius: quod propriè significauit pronomen, *vos*. Secundum est masculorum, qui nati sunt, & nascentur ex familia Abrahæ, & filiorum eius; videlicet, ex procuratoribus, pastoribus, ministris, & huiusmodi. Tertium est seruorum, quos nominat *emptos argento.* Quod autem subiungitur: *Ex omni filio alieni, qui non ex semine tuo ipse.* refertur ad vtrunque genus; videlicet, *natos, filios domus, & emptos argento.* ad explanandum, quòd vult circuncidi, non solùm semen Abrahæ; sed domesticos omnes eorum.

[f] Quia per vnum virum peccatum in orbem intrauerat, per vnumque virum tollendum erat; ideò circuncisio, innouationis, atque purgationis symbolum solis viris dabatur: nihilominus tamen, & fœminæ de familia Dei erant, innuptæ gratia patrum; nuptæ verò gratia maritorum habebant etiam suum sacramentum initiationis, puellæ, sacrificium, scilicet, quo Domino sistebantur.

Vers. 13. Eritque pactum meum in carne vestra in pactum æternum.] Desunt hîc multæ dictiones: nam in Hebræo habetur: *Circuncidendo circuncidetur natus domus tua, & emptus argento tuo: & erit pactum meum in carne vestra in pactum perpetuum.* Extendit consequenter pronomen, *vos*, ad adultos tunc domesticos Abrahæ: præcipiendo, quòd vtrunque genus (scilicet, tum nati domus, tum serui empti) circuncidatur. Quòd autem dicit: *Et erit pactum meum in carne vestra in pactum perpetuum.* iam expositum est. Est enim sensus: Et erit pactum meum, olim tecum initum, in pactum perpetuum, in pactum semper viuum in carne vestra circuncisa. Hoc enim præmiserat, & promiserat, dicendo: *Et surgere faciam pactum meum*, &c. Illud enim sic adimpleri modò manifestat.

Vers. 14. Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.] Aduerte, quòd hæc Litera dupliciter legitur: quidam nanque legunt circuncisionem passiuè, vt habet vulgata editio: alij verò legunt circuncisionem actiuè; videlicet, qui non circuncidet carnem præputij sui. Vtrarum lectio vera, seu verior sit, incertum est. Secunda tamen lectio valdè quadrat, tum rationi, tum Literæ. Quod vt meliùs percipiatur, scito,

scito, quòd inter has duas lectiones hæc apparet prima fronte differentia, quòd, iuxta primā, obnoxij sunt pœnæ omnes masculi incircuncisi, tam infantes, quàm adulti: iuxta secundam verò soli adulti. Sed reuerà nulla est in sensu differentia, si iuxta Hebræum verba pensentur, siue actiuè, siue passiuè lecta: nam sic habetur: *Clausus masculus, cuius caro præputij circuncisa non erit*; vel, *qui carnem præputij sui non circuncidet*; *destruetur anima ipsa de populis suis: pactum meum fregit*. Quadrat in primis rationi, vt non puniatur, nisi qui culpam commisit, ac per hoc soli adulti puniantur: quoniam infantes nullam possunt culpam committere. Quadrat etiam Literæ: *Clausus masculus*. Appellant enim Hebræi incircuncisum, *clausum*; & pelliculam circuncisionis appellant, *clausuram*; eò quòd claudat glandem. Superfluè siquidem in hac lege diceretur *clausus*, nisi ad restringendum legem ad adultos. Quilibet enim masculus nascitur clausus: sed non quilibet adultus ex semine Abrahæ, adultus futurus erat clausus: imò communiter circuncisus. Si quis autem adultus circuncisus sit, hic directè comprehenditur sub hac lege, dicente: *Clausus masculus, qui non circuncidet carnem præputij sui*; vel, *cuius caro præputij circuncisa non fuerit*; proculdubiò voluntariè. Quadrat & rationi subiunctæ, videlicet: *Pactum meum fregit*. Constat siquidem, quòd actio ista, quæ est frangere pactum meū, non habet locum in infantibus; sed tantùm in adultis, in quorum potestate est seruare, vel violare circuncisionis fœdus diuinum. Siue actiuè itaque, siue passiuè legatur, ligat tantùm lex illa adultos: clariùs tamen, si actiuè legatur.

Apposita autem pœna ad præsentem vitam spectat: nam apud Hebræos *anima*, pro *vita* vsurpatur. Et iuxta Hebręum pluraliter legitur: *De populis suis*. ad significandum, quòd huiusmodi pœna mortis corporalis non promulgabatur pro tunc; sed pro futuro tempore, quo semen Abrahæ in multos populos diuisum foret; quod tunc fuit, quando post egressum ex Ægypto filij Israël ingressi sunt terram promissionis; & per diuersas ciuitates sparsi constituerunt plures populos; partes tamen vnius totalis populi Israël. Ad illud itaque tempus refertur hæc pœna: *Destruetur anima ipsa de populis suis*. præcepit siquidem Deus tempore Abrahæ, vt quum aduenerit tempus, quo semen suum erit in terra Chanahan, obtinens ciuitates; non patiantur adultum aliquem incircuncisum: sed, si quis non vult circuncidi, exterminetur vita eius.

Vers. 15. Dixit quoque Deus ad Abraham.] Nomen est אלהים. Eandem materiam prosequendo, eodem vtitur Dei nomine propter eandem rationem.

Sarai vxorem tuam non vocabis Saraï; sed Saram.] Aiunt inter *Sarai*, & *Sara*, hoc interesse, quòd Saraï, *Princeps mea*; Sara *Princeps* interpretatur. Extenditur itaque principatus tollendo pronomen.

Vers. 16. Et benedicam ei.] Fœminini generis est, *ei*: refertur enim ad Saram, significando benedictionem fœcunditatis.

Et ex illa dabo tibi filium.] Hactenus intellexerat Abraham promissiones sibi factas, implendas in Ismaële filio suo: & ad hanc opinionem tollendam dicit illi Deus, quòd *dabo etiam tibi filium ex Sara*.

Cui benedicturus sum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et benedicam eam*. Refertur siquidem etiam hæc altera benedictio ad Saram, significando benedictionem multiplicationis futuræ per illius filium. Vnde & ad ipsam Saram referuntur duo subiuncta, videlicet:

Et erit in gentes: Reges populorum ex ea erunt.] Vt intelligat Abraham promissiones sibi factas implendas per Saram, & non per Hagar.

Vers. 17. Et cecidit Abraham in faciem suam: & risit in corde suo, dicens.] Iuxta Hebræum habetur coniunctio copulatiua inter *risit*, & *dixit*. Ita quòd legendum est: *Et risit, & dixit in corde suo*. Non significatur, quòd riserit in corde suo; sed, quòd verè riserit. Et fuit risus non irridentis diuina verba; sed hilariter suscipientis diuina verba in festiuum nuncium: nesciendo tamen, quid mysterij continerent. Non enim credidit tunc, verba illa dici à Deo, ad illum sensum, quem sonabant; sed ad aliquod mysterium lætum; & propterea hilariter suscipiendo risit: & non credendo dicta ad sensum, quem sonuerant, contulit in corde suo rationes mouentes ipsum ad interpretandum verba diuina secundùm mysterium, & non secundùm literam. Ex hoc actu ridendi, iuncto actui prostrationis propriæ super faciem suam, insinuatur, quòd Abraham non erat in ecstasi; sed in vsu sensuum, & membrorum externorum: iam enim bis in hoc colloquio prostrauit se: & hac secunda vice adiunxit risum.

Putásne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?] Ecce rationes naturales ad non interpretandum diuina verba, vt sonabant. Nec his rationibus innixus Abraham reputauit impossibile esse, impleri ad literam, quod Deus dixerat; sed difficile esse, & non intentum à Deo: propter quod, non assertiuè, sed interrogatiuè confert has rationes in corde suo, & cum maxima reuerentia adorans prostratus super faciem suam.

Vers. 18. Dixítque ad Dominum.] Iuxta Hebræū habetur: *Et dixit Abraham ad* אלהים Interposito silentio, quid concluserit Abraham ex istis rationibus, narratur.

Vtinam Ismaël viuat coram te.] Hinc clarè apparet, quòd non sperabat, se habiturum filium ex Sara: & proptereà conuertit se ad supplicandum pro Ismaële, vt acceptus esset, vt benediceretur, & multiplicaretur à Deo. Nec huiusmodi interpretatio aduersatur dictis Pauli Apostoli ad Romanos scribentis de Abraham: *Non est infirmatus in fide, nec considerauit corpus suum emortuum, (cùm iam ferè centum esset annorum,) & emortuam vuluam Saræ*. Nam verba Pauli referuntur ad fidem, & manifestatum sensum verborum diuinorum. Non est siquidem infirmatus in fide: sed fuit ambiguus in sensu verborum, an secundùm literam, an secundùm mysterium dicerentur. Et postquàm Deus manifestauit sensum verborum, firmiter credidit, non obstantibus naturalibus causis ex parte sui, & Saræ in contrarium.

Vers. 19. Et ait Dominus ad Abraham.]

Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit* אלהים. Iam reddita est ratio ex materia fœderis, quare Moses vtitur nomen אלהים.

Sara vxor tua, pariet tibi filium.] Deficit vna dictio: legendum est: *Sed Sara, vxor tua, pariet tibi filium.* Aduersatiuè respondet interpretationi Abrahæ circa sensum verborum diuinorum, manifestando, quòd Sara, vxor eius, pariet ei filium.

Vocabisque nomen eius Ishac.] Nomen filij prædicit: tum, ne minor Ismaële videretur, (cuius ab Angelo prænunciatum est nomen;) sed maior ex hoc, quòd nomen Ismaëlis prænunciatum est, cùm gestaretur in vtero materno; Ishac verò nomen prænunciatur, antequàm concipiatur: tum, vt ex ipsa prænunciatione nominis, euidentiùs manifestaretur sensus diuinorum verborum.

Et constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & semini eius post eum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et surgere faciam pactum meum cum ipso in pactum sempiternum semini eius post eum.* Manifestat Deus fœdus, quod pepigerat cum Abraham, adimplendum esse in Ishac semine: vt & hinc intelligat Abraham, filium futurum ex Sara, filium fore electum, in cuius semine viuidum semper perseueraret diuinum fœdus: propter quod repetit eadem verba circa Ishac, quæ dixerat circa ipsum Abraham.

Vers. 20. Super Ismaël quoque exaudiui te.] Postquàm respondit Deus interpretationi Abrahæ, respondet modò supplicationi eiusdem. Et quoniam manifestauerat, tam fœdus, quàm promissiones in semine ex filio Saræ adimplendas, ne Ismaël totaliter abiectus videretur, respondet, quòd etiam pro Ismaële exaudiui te.

Ecce benedicam ei.] Iuxta Hebræum habetur in præterito: *Ecce benedixi ei.* hoc est, diffiniui benefacere ei.

Et augebo, & multiplicabo eum valdè.] Iuxta Hebræum habetur: *In valdè valdè.* ad explicandam magnitudinem multiplicationis.

Duodecim Duces generabit [f]: & dabo illum in gentem magnam. *Vers.* 21. Pactum verò meum statuam ad Ishac.] Quanuis effecero Ismaëlem tam magnum; fœdus tamen meum non cum ipso, sed cum Ishac firmabitur: vt longè maior prænuncietur Ishac, quàm Ismaël.

[f] Ismaël duodecim filios Reges habuit, à quibus omnem Arabiam nuncupatā autumant.

Quem pariet tibi Sara tempore isto, in anno altero.] Determinat certum tempus natiuitatis Ishac: vt omni ex parte intelligeret Abraham, sic ad literam futurum esse.

Vers. 22. Et finitus est sermo loquentis cum eo, & ascendit Deus ab Abraham.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ascendit* אלהים *desuper Abraham.* Ecce finis huius apparitionis, insinuans quoque, quòd in vigilia facta fuerit hæc apparitio: & manifestè explicans, quòd in specie sensibili, vel imaginabili fuerit hæc apparitio: ascensus enim supra Abraham, speciem motus significat altero istorum modorum.

Vers. 23. Tulit autem Abraham Ismaëlem, filium suum, & omnes vernaculos domus suæ, vniuersósque, quos emerat [g], cunctos mares ex omnibus viris domus suæ; & circuncidit carnem præputij eorum statim in ipso die, sicut præceperat ei Deus.] Narratur prompta executio facta eodem die, quo habuerat visionem. Et hinc colligitur, quòd nocturna, seu matutina fuerit hæc visio prænarrata.

[g] Tempore iā hoc tēpore homines argento vendi solitos.

Vers. 24. Abraham nonagintanouem erat annorum, quando circuncidit carnem præputij sui: *Vers.* 25. & Ismaël filius eius tredecim annos impleuerat tempore circuncisionis suæ.] Narratur ætas Abrahæ, & Ismaëlis. Verùm in Hebræo non legitur, quòd Ismaël impleuerat tredecim annos, (vt sonat vulgata editio:) sed, quòd Ismaël erat filius tredecim annorum.

Vers. 26. Eadem die circūcisus est Abraham, & Ismaël, filius eius, *Vers.* 27. & omnes viri domus illius, tam vernaculi, quàm emptitij, & alienigenæ pariter circuncisi sunt.] Narratur, quòd non successiuis diebus; sed vno, eodémque die Abraham, & Ismaël, & vniuersa familia masculini sexus circuncisi sunt. Corrige tamen literam dicentem, *& alienigenæ*; legendum est; *& emptus argento à filio alienigenæ*: non enim significantur alienigenæ alij, quàm emptitij.

CAPVT XVIII.

Vers. 1. Apparuit autem ei Dominus.] Nomen Dei tetragrammaton est hîc scriptum: sub quo nomine solitus est Deus apparere Abrahæ. Et hæc est septima visio diuina, quam habuit Abraham: & est prima certa corporalis apparitio ei facta. De nulla siquidem præcedentium apparitionum certum est, an fuerit corporalis. Et est hæc apparitio corporalis inter diuinas apparitiones in specie corporea sensibili exterioribus sensibus tertia. Prima nanque fuit in Paradiso terrestri, quando primi parentes audierunt vocem Dei ambulantis. Secunda fuit, quando Hagar fugiebat à facie dominæ suæ. Tertia est hæc.

In conualle Mambre [a].] Iuxta Hebræū habetur: *In quercubus Mambre.* Quercetum describitur illius viri, qui vocabatur Mamre. Conduxerat siquidem Abraham à Mamre quercetum illud, ibique habitabat.

[a] Hæc vallis, Mābre, ab Hebron sex stadiis distat, teste Hieronymo: quæ ob viciniam Hebron etiam Mambre nomē sortita est. In ea valle quercus vsque ad Constantini tempora ostendebatur, sub qua Abrahā habitans Deum sæpe hospitio recepit.

Sedenti in ostio tabernaculi sui.] Non solùm certus locus communis; sed locus specialissimus, (videlicet, ostium papilionis,) cum certo situ, (videlicet, sessionis,) describitur.

In ipso feruore diei.] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut calefacere diem.* Ita quòd diem intelligas personam agentem grammaticè. Et est sensus, quòd Abraham sedebat in ostio papilionis sui illa ratione: quia consueuimus sedere in ostiis, quum diurnus calor nos afficit.

Vers. 2. Cúmque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et eleuauit oculos suos, & vidit: & ecce tres viri stantes supra ipsum.* Tum ex eleuatione oculorum Abrahæ, tum ex situ (supra ipsum) describitur, quòd hi tres viri erant in loco eminenti, respectiuè ad locum, in quo erat Abraham. Nec isti tres viri alij sunt à nominato tetragrammaton: sed quū Moses incepisset narrare apparitionem Dei, interposita

terposita descriptione loci, temporis, positionísque Abrahæ, prosequitur modum apparitionis diuinæ: manifestando, & quòd apparuit in specie trium virorum [b], non qualitercunque, sed stantium in loco eminenti, respectiuè ad Abraham; & quòd Abraham eleuando oculos suos vidit illos.

[b] Hos tres Eugubinus putat, Deû fuisse duobus Angelis stipatum; Angeliq; soli recesserunt Sodomā versùs, Deo cū Abraham remanente. Sed multùm placet Authoris sententia.

Quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adorauit in terra.] Coniectura est, quòd via publica erat in illo loco eminenti, in quo visi sunt hi tres viri. Veritus enim Abraham, ne viri illi via incederent publica, & sic apud ipsum non hospitarentur, cucurrit ad eos, & magna veneratione honorauit illos, signo prostrationis in terram. Credimus huiusmodi honorem tunc temporis solitum fuisse exhiberi Magnatibus.

Vers. 3. Et dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis.] Iuxta Hebræum habetur: *Adonai si nunc inueni gratiam in oculis tuis.* Quanuis Adonaï sit pluralis numeri, significans, *Domini mei*; hìc tamen vsurpari pro singulari, manifestat pronomen, *tuis*. Vidit siquidem Abraham inter illos tres, vnum præcipuum: & propterea ad vnum illum dirigit sermonem. Et quoniam nusquam eos viderat, accensus hospitalitatis amore, rogat citando in primis nouitatem beneficij, dicens: *Si nunc inueni gratiam in oculis tuis.*

Ne transeas seruum tuum.] Iuxta Hebræum adiungitur, *super*: ita quòd legitur: *Non nunc transibis super seruum tuum.* hoc est, non nunc ante prandium transibis hac via, super habitaculum serui tui.

Vers. 4. Afferam nunc pauxillum aquę, & lauentur pedes vestri.] Preces porrexit vni; officia verò hospitalitatis offert omnibus: & propterea non dicit, pedes tui; sed, *pedes vestri*: & in omnibus adiunctis officiis pluraliter loquitur.

Et requiescite sub arbore. *Vers.* 5. Ponámque buccellam panis: & confortetur cor vestrum; posteà transibitis.] Ex vltimis his verbis, iunctis præcedentibus: *Non nunc transibis.* & subsecuto facto recessus, sumpto cibo, insinuatur, quòd non de cœna, sed de prandio est sermo.

Idcircò enim declinastis ad seruum vestrum.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia propter hoc transiuistis supra seruum vestrum.* Alteram citat rationem ad hoc, vt prandeant apud ipsum, ex propinquitate viæ, qua transibant, vtpote imminentis supra habitaculum ipsius Abrahæ: tanquàm ipsa propinquitas inuitet, & ratio sit diuertendi ad hospitium Abrahæ.

Qui dixerunt.] Quia omnibus obtulerat hospitalitatis officia, responsio data describitur communi voto illorum trium.

Fac, vt locutus es. *Vers.* 6. Et festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria sata similę commisce.] Species mensuræ significatur nomine sati [c]. Quòd autem dicitur, *simila*, aiunt significare subtiliorem partem farinæ. Et est sensus, quòd tres mensuras floris farinæ misceret.

[c] Satum, genus est mensuræ: tria autem sata modium Germanicum conficere dicuntur.

Et fac subcineritios panes.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fac placentas.* Intelligendo tamen per placentas, panes rotundos extensos, altitudinis minimę, quos vulgari Italico appellamus, *pieze*. Citiùs enim panis sub ea forma coquitur.

Vers. 7. Ipse verò ad armentum cucurrit: & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum; dedítque puero. Qui festinauit, & coxit illum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et festinauit ad faciendum ipsum.* Hebræi omnes actiones opportunas ad præparandum vitulum ad esum, verbo faciendi significant. Vnde & inferiùs, vbi subiungitur, *quem coxerat*; in Hebræo habetur, *quem fecit*.

Vers. 8. Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat; & posuit coram eis. Ipse verò stabat iuxta eos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ipse stans supra eos sub arbore.* hoc est, superintendens eis. Assistebat siquidem coram eis, tum humanitatis, tum officij gratia.

Vers. 9. Cúmque comedissent, dixerunt ad eum: Vbi est Sara, vxor tua? Et dixit: Ecce in tabernaculo est.] Completo prandio cœperunt Angeli manifestare seipsos duplici actione.

Vers. 10. Cui dixit.] Vide mutationem: nam priùs Moses pluraliter loquitur: *Dixerunt ad eum: Vbi Sara, vxor tua?* modò vnum tantùm describit loquentem dicendo: *Cui dixit.* Ad significandum mysterium, quòd Deus in illis loquebatur. Et nihilominùs credimus, quòd ille, qui apparebat inter eos præcipuus, verba proferebat.

Reuertens veniam ad te tempore isto, vita comite.] Iuxta Hebræum habetur: *Reuertens reuertar ad te, sicut tempus vitæ.* Duo dicit; reuersionem, videlicet, suam; & similitudinem adhibet. Et ad significandum certitudinem reditus, affertur similitudo. Et est sensus: Erit reditus meus certus, quemadmodum tempus vitæ redibit. Non dicit, vitæ vestræ; nec dicit, vitæ meæ; sed dicit absolutè, *sicut tempus vitæ.* Promiserat siquidem Deus post diluuiū, rediturum semper tempus vitæ: & propterea Angelus certificat reditum suum, ex similitudine ad certitudinem reditus temporis vitæ.

Et habebit filium Sara, vxor tua.] Hæc denunciatio est primum medium, quo Deus cœpit manifestare se.

Quo audito, Sara risit post ostium tabernaculi.] Non habentur tot in Hebræo, sed: *Et Sara audiens in porta papilionis.* Ita quòd nihil scribitur de risu: nec dicitur, *post ostium*; sed, *in porta*. Et aiunt, propriè portæ nomine vti: vt hinc intelligamus, quòd quum dixissent Angeli: *Vbi Sara, vxor tua?* accersita fuerit Sara, & venerit ad portam tabernaculi: & stans in porta, audierit verba Angeli dicentis ad Abraham, quòd reuerteretur ad eum, & inueniret Saram habentem filium.

Vers. 11. Erant autem.] Ante hæc verba desunt quatuor dictiones: *Et ipsa post eum.* Describitur in hac clausula situs, quo dispositū erat tabernaculum, respectiuè ad Angelos sedentes in mensa, dicendo, quòd ipsa porta tabernaculi erat post eum Angelum sedentem ad mensam; hoc est, quòd porta tabernaculi erat post tergum sedentis ad mensam. Et descripsit Moses huiusmodi situm: ad narrandū, quòd Angelus non videbat Saram, nec Sara videbat

*Vers.*20. Dixit itaque Dominus.] Tegrammaton est; ad insinuandum, quòd ipsum summum principium essendi, est etiam principium destruendi Sodomam, & Gomoram: contra Philosophos tradentes, quòd summus Deus est quidem principium essendi; sed non est principium non essendi.

Clamor Sodomorum, & Gomoræ multiplicatus est[g].] Humano more loquitur Deus, ad instruendum homines, vt non præcipites iudicent, & puniant; sed, cùm clamor infamiæ multiplicatæ peruenit ad eos, descendant inquirendo, donec clara luce videant, an sit verum, quod infamia detulit. Si enim Deus ipse, qui omnia nouit certissimè, ad similitudinem inquirentis se exhibuit; multò magis homo, quantuncunque aliàs certus, debet iudiciario ordine certificari ante sententiam. Si Hebræam Literam construere vis, recole, familiarem esse Hebræo sermoni transpositionem: & sic planus erit sensus Literæ: *Clamor Sedom, & Hamora: quia multus.*

[g] Cùm neminè Deus puniat, antequàm peccatum eius aggrauetur; sustineatque in multa patiētia vasa iræ, Rom 9. colligūt multi ex hoc textu, & plerisque aliis Scripturæ, nunquam aliquem pro vno solo mortali peccato damnari.

Et peccatum eorum, quia aggrauatum valdè. *Vers.*21. Descendam nunc, & videbo, si, sicut clamor eorum, qui venit ad me, fecerunt; destructio: & si non; sciam.] Ordo Literæ planus est: *Quia clamor multus, & quia peccatum aggrauatum, descendam, & videbo.* Deinde subiungitur euentus, tam secundùm partem affirmatiuam, dicendo: *Si quemadmodum clamor, qui venit ad me, fecerunt; consumptio eorum erit.* quàm secundùm partem negatiuam, dicendo: *Et si non fecerunt iuxta clamorem, qui venit ad me; sciam.* Vt dictum est, humano more loquitur Deus. Hic enim debet esse fructus inquisitionis, hæc debet esse intentio inquisitoris, vt si non inuenerit ita esse, sufficiat ei scire: & non velit, honoris gratia, (ad monstrandum, quòd non frustrà inquisierit, ad quasi tuendam authoritatem,) vexare subditos.

*Vers.*22. Conuerterúntque se inde, & abierunt Sodomam.] Tres illi Angeli in specie virorum verterunt se à situ, quo stantes allocuti fuerunt Abraham, versis vultibus ad ipsum sequentem eos; & vultus, ac iter direxerunt versùs Sodomam, tanquàm ituri illuc.

Abraham verò adhuc stabat coram Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Abraham adhuc ipse stans ad facies* יהוה. Nomen est Dei tetragrammaton ratione antedicta, & significatur, quòd quamuis viri illi verterint se versùs Sodomam eundo, attamen Abraham, tanquàm occupando viam, posuit se adhuc ante facies eorum. Et quoniam vnum præcipuum venerabatur, ad illum appropinquauit, & direxit sermonem.

Vers. 23. Et appropinquans ait: Nunquid perdes iustum cum impio?] Iam ex tot reuelatis cognouerat Abraham, virum loquentem sibi, non esse hominem, sed Angelum Dei missum ad puniendum Sodomam: & propterea alloquitur ipsum, tanquàm Deum.

*Vers.*24. Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate[h].] Quamuis multarum ciuitatum clamor narratus fuerit; ad vnam tamen ciuitatem vniuersum negotium deducitur; vt si in illa quinquaginta iusti inuenti fuerint, detur venia omnibus: quoniam illa erat caput aliarū.

[h] Chrysostomus asserit, Abrahā pro omnibus interpellasse, vt nepos eius. Lot, seruaretur. fortè ea ratione vnius tātùm ciuitatis meminit.

Peribunt simul?] Iuxta Hebræum habetur: *Num etiam perdes?* Multiplicat sermones interrogatorios per modum admirantis.

Et non parces loco illi propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo?] Ex ciuitate digreditur ad locum, vt propter quinquaginta iustos venia detur vniuerso loco monstratæ planitiei.

Vers. 25. Absit à te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio.] Iuxta Hebræum habetur: *Veta tibi facere, sicut verbum istud, ad faciendum mori iustum cum impio.* Sententia est clara, & modus loquendi correctus valdè; arbitrio diuino attribuens elongationem talis operis, quale est perdere iustum cum impio.

Fiatque iustus, sicut impius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erit, sicut iustus, sicut impius.* Ad obuiandum responsioni, quæ potuisset dari; (videlicet, quòd multitudo tam magna impiorum fert secum etiam paucorum iustorum inter eos corporalem mortem;) adiungit hoc absurdum, dicendo: *Et erit*; hoc est, & sequetur ex perditione iusti cum impio hoc absurdum; videlicet, *sicut iustus, sicut impius.* Mutilum est prouerbium; significans, iustum, sicut impium; & impium, sicut iustum; significans, parem esse iusti, & impij conditionem: quod est manifestè absurdum.

Non est hoc tuum.] Iuxta Hebræum repetitur: *Veta tibi.* Et refertur ad, facere hoc absurdum. Ipsa nanque repetitio vim supplicationis auget.

Qui iudicas omnem terram: nequaquam facias iudicium hoc.] Iuxta Hebræum habetur: *Si Iudex totius terræ non faciet iudicium?* Vtuntur (vt dictum est) Hebræi coniunctione, *si*, pro aduerbio interrogandi: & ad exaggerandam affirmationem dicit: Num Iudex totius terræ non faciet iudicium, discernendo inter iustum, & impium? Ex hoc enim absurdissimo obtinere nititur, vt propter quinquaginta iustos venia detur reliquis.

*Vers.*26. Dixitque Dominus ad eum.] Nomen tetragrammaton est ratione dicta.

Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis.] Hinc clarè apparet, quòd ad vnicam tantùm ciuitatem redacta est inquisitio iustorum. Nec fiat vis in verbis Interpretis, videlicet, *in medio ciuitatis:* quoniam iuxta Hebræum sonat, *intra ciuitatem.* Omisit tamen Interpres coniunctionem copulatiuam sequentis clausulæ; prosequendo:

Dimittam omni loco propter eos.] Nam iuxta Hebræum habetur: *Et dimittam omni loco propter eos.* ita quòd duas actiones pollicetur Deus: inquirere, si in ciuitate Sedom sint quinquaginta iusti; & veniam dare propter eos vniuersæ regioni.

Vers. 27. Respondens autem Abraham, ait: Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum: cùm sim puluis, & cinis.] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce nunc volui ad loquendum ad* אדני: *& ego puluis, & cinis.* Fatetur, non ex ratione, sed ex voluntate, se fuisse motum ad loquendum Deo, petendo propter quinquaginta iustos. Et rationem voluntatis, (hoc est, audaciæ, & præsumptionis) manifestat confitendo: *Et ego puluis,*

&

& cinis.nulla siquidem ratio habet,vt puluis,& cinis petat à Deo iudicium. Ex parte itaque sui fatetur Abraham, quòd non ratio; sed voluntas,tantùm sibi audaciæ, & præsumptionis tribuit. Et verum dixit: quoniam affectus ad salutem iustorum, atque commiseratio tantæ multitudinis perituræ, mouerat, & mouebat eum. Est autem homo materialiter puluis, eò quòd resoluitur in puluerem; & cinis,eò quòd tandem resoluitur in cinerem.

Vers. 28. Quid, si minùs quinquaginta iustis, quinque fuerint? delebis propter quadragintaquinque, vniuersam vrbem?] Iuxta Hebræum locus aptior ad suadendum assumitur, dicendo: *Si facies destrui propter quinque totam ciuitatem?* Argumentatur siquidem à tam paruo numero deficiente: tanquàm absonum sit, propter defectum quinque delere tantam multitudinem.

Et ait: Non delebo, si inuenero ibi quadragintaquinque. *Vers.*29. Rursúmque locutus est ad eum: Sin autem quadraginta inuenti fuerint, quid facies?] Superfluit, *quid facies*. Proponit duntaxat interrogatiuè: *Si quadraginta ibi inuenti fuerint iusti?* Hactenus enim vsus fuerat rationibus, tanquàm ad persuadendum: modò non audet rationem aliquam adiungere.

Et ait: Non percutiam propter quadraginta. *Vers.*30. Ne, quæso, inquit, indigneris,Domine,si loquar.] Nomen est אדני: vsurpari tamen pro singulari, testatur verbum singularis numeri, *indigneris*: nam & in Hebræo verbum est singularis numeri, quamuis tertiæ personæ. Importunitatis timens argui,placationem præmittit.

Quid, si inuenti fuerint ibi triginta? Respondit: Non faciam, si inuenero ibi triginta. *Vers.* 31. Quia semel, ait, cœpi, loquar ad Dominum meum.] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce nunc multiplicaui ad loquendum ad* אדני. Ad excusandum multiplicationem precum, præoccupat, quòd reprehendi veretur.

Quid,si inuenti fuerint ibi viginti? Dixit: Non interficiam propter viginti. *Vers.*32. Obsecro, inquit, ne irascaris, Domine,si loquar adhuc semel.] Nomen est אדני.

Quid, si inuenti ibi fuerint decem? Dixit: Non delebo propter decem. *Vers.* 33. Abiit Dominus, postquàm cessauit loqui ad Abraham.] Nomen est tetragrammaton. In vniuerso siquidem hoc colloquio Moses nominauit Angelum loquentem, nomine tetragrammaton: Abraham autem nominauit eundem אדני. Ille à supremo nomine Dei; iste à dominio ipsius Abrahæ: sonat enim pro singulari, *Domine mi*. Obseruantiæ simul,& fiduciæ supplicantis,huiusmodi nomen congruebat. Significantiùs autem narratur, quòd cùm Deus finisset vltimam responsionem: *Non delebo propter decem*. recessit non expectans vlteriores preces.

Et ille reuersus est in locum suum.]

CAPVT XIX.

VEneruntque duo Angeli Sedom vespere.] Hactenus tres viri nominati sunt à Mose, quorum ille, qui loquebatur, nominatus est pluries tetragrammaton: modò non tres, sed duos duntaxat supputat; non viros, sed Angelos: ad significandum, quòd ille, qui gerebat personam Dei, postquàm recessit ab Abraham, non apparuit ampliùs; sed alij duo angelico fungentes officio remanserunt euntes Sodomam. Venerunt autem Sodomam sero eiusdem diei, quo pransi fuerant apud Abraham, vt etiam extrema diei pars congrueret occasui ciuitatis. VERS. 1.

Sedente Lot in porta Sedom. Qui, cùm vidisset eos, surrexit ad vocandum eos:& adorauit pronus in terrã. *Vers.* 2. Et dixit: Obsecro, domini, declinate in domum pueri vestri.] Iuxta Hebræum habetur: *Serui vestri*. Vide, quanta obseruantia festiuius inuitauit Lot peregrinos viros: nesciebat enim eos esse Angelos.

Et manete ibi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et manete hac nocte*.

Et lauate pedes vestros.] Non solùm hospitium; sed commoditatem pernoctandi offert.

Et manè.] Deficiunt duæ dictiones: legendum est: *Et manè surgetis*.

Et proficiscemini in viam vestram.] Offert singulas commoditates; videlicet, surgendi hora matutina, & eundi.

Qui dixerunt: Minimè, sed in platea manebimus[a].] Non sunt mentiti; sed verum dixerunt, secundùm præsentem inuitationem: quemadmodum & Petrus dixit Iesu secundùm præsentem notitiam: *Non lauabis mihi pedes in æternum*. Intendebant siquidem Angeli non acquiescere illi inuitationi: cum qua veritate stat, quòd intendebant posteà assensum præbere compulsioni.

[a] Verba hæc non assertiuè dicta, sed modo loquendi communi accipienda sunt.

Vers. 3. Et coëgit illos valdè, vt diuerterent ad eum. Ingressísque domum illius, fecit conuiuium: & coxit azyma, & comederunt. *Vers.* 4. Priusquàm autem irent cubitum,viri ciuitatis.] Desunt duæ dictiones: legendum est: *Viri ciuitatis, viri Sedom*. Non sat fuit Mosi dicere, *viri ciuitatis*; sed apposuit, *viri Sedom*; explicando ciuitatis nomen: vt cognosceretur diuina inquisitio executioni mandata in ciuitate promissa Abrahæ.

Vallauerunt domum.] Dictio Hebræa propriè significat, *gyrare*.

A puero vsque ad senem, omnis populus simul.] Dictio interpretata, *simul*, sonat *ab extremo*, vel potiùs *ab angulo*. Sed sensus in idem redit: significatur enim, quòd ex nulla ciuitatis parte defuit concursus ad gyrandum circa domum Lot. Quòd autem dicitur, *à puero*, intellige annos discretionis habente. Et scripsit hæc Moses, ad manifestandum, quòd ipse aduentus Angelorum publicus ad domum Lot,fuit inquisitio facta Sodomis promissa Abrahæ, an Sodomis essent decem viri iusti? concursus enim iste non hyperbolicè describitur; sed ad manifestandum inquisitionem

inquisitionem diuinam. Lege antescriptum colloquium inter Deum, & Abraham: & inuenies, de masculino tantùm genere fuisse sermonem, dum à quinquaginta, vsque ad decem iustos descensum est: & propterea virorum duntaxat hîc mentio fit dicendo: *A puero vsque ad senem*, &c. ex triplici vniuersitate viros omnes ciuitatis illius comprehendẽdo: tum ex omni conditione, *omnis populus*: tum ex omni loco, *ab angulo*, seu *extremo*: Hebræo more, omnia extrema, omnes angulos ciuitatis, numero singulari comprehendens.

Vers. 5. Vocaueruntque Lot: & dixerunt ei: Vbi sunt viri, qui introïerunt ad te nocte? Educ illos huc, vt cognoscamus eos. *Vers.* 6. Egressus ad eos Lot, post tergum occludens ostium, ait: *Vers.* 7. Nolite, obsecro, fratres mei, nolite hoc malum facere. *Vers.* 8. Habeo duas filias, quæ nondum cognouerunt virum: educam eas ad vos, & abutimini eis, sicut vobis placuerit[b].] Honestiùs loquitur iuxta Hebræum: *Et facite eis, sicut bonum in oculis vestris.* Magna hîc oritur quæstio, an Lot peccauerit, offerendo filias suas, ad euitandum iniuriam inferendam hospitibus. Et est ratio ambiguitatis: quia hinc apparet peccatum esse, repensare flagitium flagitio: iuxta doctrinam Pauli: *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona.* & multò minùs, vt euitentur alia mala. Inde autem authoritas est Petri Apostoli, asserentis, & repetentis Lot iustum oppressum, & liberatum à Deo, à nefandorum iniuria, cap. 2. secundæ suæ Epistolæ.

b Per exaggerationẽ verba hæc a Lot pronunciata intelligo, sicut & verba Dauid ad Ionathã, 1 Reg. 20. *Si est in me iniquitas, interfice me tu, & ad patrem tuum nõ introducas.* & Genes. 42. dixit Rubẽ patri suo Iacob. *Duos filios meos interfice, si non reduxero tibi Beniamin.*

Solutio est, quòd Lot non obtulit filias animo repensandi flagitium flagitio; sed placandi, hyperbolica submissione, furentem populum. Arbitrabatur enim, & rationabiliter, (vt rei probauit euentus,) quòd populus non acceptaret huiusmodi oblationem; sed quòd placatus tanta submissione ipsius Lot, desisteret à cœpto: & eò rationabiliùs, quòd filiæ eius sponsæ erant ciuium Sodomæ. Quemadmodum vir placaturus lacessitum iniuria, pugionem nudum offert, dicendo: Interfice me. non animo, vt interficiatur; sed vt tanta submissione placetur læsus. Et propterea non declinauit Lot à iustitia in huiusmodi oblatione.

Dummodo viris istis nihil faciatis mali: quia ingressi sunt sub vmbram culminis mei.] Rationem affert ex protectione illorum suscepta, ex hoc ipso, quòd hospitio eos suscepit: vt intuitu ipsius Lot desisterent.

Vers. 9. At illi dixerunt: Recede illuc.] Iuxta Hebræum habetur: *Appropinqua longè.* Et est sensus: Esto propinquus nobis, sed à longè. Comminatoria siquidem verba sunt, consulendo, vt Lot attendat sibiipsi, & non se impediat inter eos, & peregrinos: sufficit ei, quòd propinquus est populo, habitando inter eos.

Et rursus.] Non sat fuit reiicere preces; sed aggrediuntur ipsum contumelia præsumptionis.

Ingressus es, vt aduena, nunquid vt iudices?] Iuxta Hebræum habetur; *Vnus venit ad habitandum, & iudicauit iudicando.* Improperant, quòd solus receptus est ad beneficium habitandi in ciuitate, & quòd vsurpauit officium Iudicis; inuertunt enim supplicationem Lot in reprehensionem.

Te ergo ipsum magis, quàm hos, affligemus. Vimque faciebant Lot vehementissimè.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecerunt vim in virum Lot valdè.* Exaggerando, violentiam in personam accumulat.

Iámque propè erat, vt effringerent fores.] Iuxta Hebræum clariùs habetur: *Et appropinquauerunt ad frangendum ianuam.* Ita quòd ex parte eorum significatur accessus ad frangendum.

Vers. 10. Et ecce miserunt viri manum: & introduxerunt ad se Lot.] Desunt duæ dictiones, *in domum*: explicatur enim locus, ad quem traxerunt Lot.

Clauseruntque ostium: *Vers.* 11. & eos, qui foris erant, percusserunt cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.] Iuxta Hebræum plùs habetur: *Et lassati sunt ad inueniendum portam.* Significatur, quòd multùm laborauerunt, vt inuenirent portam domus Lot; & tandem fatigati non inueniendo recesserunt: erat enim cæcitas illa, non cæcitas simpliciter; sed quoad hoc; hoc est, priuans illos visione discretiua partium, & accidentium illius domus.

Vers. 12. Dixerunt autem (deficit, *viri*,) ad Lot.] Angelos nominat viros.

Habes hic tuorum quempiam, generum, aut filios, aut filias? Omnes, qui tui sunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Et omne, quod ad te in ciuitate.* subaudiendum est, pertinet.

Educ de vrbe hac: *Vers.* 13. delebimus enim locum istum: eò quòd increuerit clamor[c] eorum coram Domino.] Nomen est tetragrammaton.

c *Clamor*, hoc loco, phrasi Hebraïca, pro infamia, & iniquitate impudẽti capitur: perinde ac si diceret, infamiã, & rumorem Sodomitarum ad aures Dei peruenisse.

Qui misit nos, vt perdamus illos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et misit nos* יהוה *ad destruendum ipsam.* Repetitur enim tetragrammaton, ad explicandum, quòd ille, qui est fons essendi, curam habet singularium hominum, & actionum humanarum: & non solùm dat esse, sed etiam tollit esse hominum quorundam propter peccata eorum.

Vers. 14. Egressus itaque Lot, locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias eius.] Ne vacilles propter diuersos Interpretes, scito, quòd nec præteritum, nec futurum tempus describitur in Hebræo; sed nomen verbale: tanquàm diceretur, *acceptores filiarum eius.*

Et dixit: Surgite, egredimini de loco isto: quia delebit Dominus ciuitatem hanc.] Nomen est tetragrammaton: summum siquidem Deum, qui dat omnibus esse, annunciat Lot, quòd faciet destrui ciuitatem.

Et visus est eis, quasi ludens loqui.] Attende, & perpende, prudens lector, quòd Deus humano more per Angelos suos inquisitionem promissam Abrahæ, an Sodomis essent decem viri iusti, primùm executus est, proponendo publicè Angelos suos in specie iuuenum peregrinorum; & inuenit vniuersum populum furentem. Deinde, ne quispiam diceret, quòd multi viri probi erant in ciuitate, qui si moniti fuissent, resipuissent; misit per Angelos suos

suos Lot iustum, ad monendum eos, quos verisimile erat (propter hoc, quòd Lot iustus elegerat eos in generos) esse viros probos: vt etiam hinc elucesceret, inquisitionem omni ex parte perfectam fuisse.

Vers. 15. Cúmque esset manè.] Iuxta Hebræum aurora describitur.

Cogebant eum Angeli.] Iuxta Hebræum habetur: *Sollicitauerunt Angeli Lot.* Videbant enim Lot minùs promptum ad exeundum.

Dicentes: Surge, & tolle vxorem tuam, & duas filias quas habes.] Iuxta Hebræum habetur: *Inuentas*, vel, *quæ inueniuntur.* ad differentiam aliorum pertinentium ad Lot, quocunque affinitatis, vel consanguinitatis vinculo, qui non erant domi: tanquàm & istæ filiæ relictæ fuissent, nisi fuissent inuentæ cum Lot.

Ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis. *Vers.* 16. Dissimulante illo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et tardauit.* Hìc manifestè apparet tepor Lot.

Et apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, & duarum filiarum eius: eò quòd parceret Dominus illi.] Iuxta Hebræum habetur: *In misereri Iehouah super eum.* Ratio violentæ salutis redditur, non iustitia mulierum, nec iustitia Lot; sed misericordia summi Dei peculiaris erga Lot: ita quòd ratione ipsius seruabat vxorem, & filias.

Vers. 17. Et eduxerunt eum: posuerúntque extra ciuitatem. Ibique.] Deest hìc vna integra clausula; videlicet: *Et fuit, sicut expellere eos ipsos foras.* Declaratur, quòd huiusmodi deductio fuit similis expulsioni: ad manifestandum, quòd inuiti exibant Lot, & mulieres; & quare reliqua familia domestica Lot non est seruata: ex eo enim, quòd isti quatuor, tanquàm expulsi seruati sunt; ratio habetur, quòd domestici libenter domi manserunt.

Locuti sunt.] Iuxta Hebræum post dictam clausulam immediatè subiungitur: *Et dixit.* Vbi clarè vides, loco totius prædictæ clausulæ Interpretem posuisse aduerbium, *ibi:* & mutasse numerum singularem in pluralem: Moses enim ab hoc loco describit vnum Angelum loquentem.

Salua animam tuam.] Iuxta Hebræum habetur: *Seruare super animam tuam.* Imperatiuum passiuum, *seruare*, seu *saluare*, est. Quòd autem dicit, *super animam tuam*; periculum monstrat propriæ vitæ, nisi pareat.

Noli respicere post tergum.] Iuxta Hebræum habetur: *Non facies respicere post te.* Mandatur Lot, vt studeat ad hoc, vt mulieres non respiciant post ipsum; hoc est, vt non tardent in itinere; sed accelerent sic, vt nec remaneant post Lot in itinere; sed simul, vel antè incedant, nec sequendo tardent respiciendo retrò. Celeritas præcipitur, non quasi superstitio.

Nec stes in omni circa regione.] Loco cuius clariùs in Hebræo habetur: *In omni planitie.*

Sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas. *Vers.* 18. Dixitque Lot ad eos: Quæso, domine mi, *Vers.* 19. quia inuenit seruus tuus.] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce nunc inuenit seruus tuus.*

Gratiam coram te.] Cerne diuersitatem. Primùm describit Lot alloquutum eos in numero plurali: deinde loquendo describitur dirigens sermonem ad vnum, dicendo, *seruus tuus*; non seruus vester: & *in oculis tuis*; non, in oculis vestris, &c. ad insinuandum, quòd vtrunque venerabatur; sermonem tamen dirigebat ad eum, qui maior videbatur: credebat enim, eos esse Angelos Dei; sed alterum maiorem.

Et magnificasti gloriam, & misericordiam tuam.] Superfluunt duæ dictiones, *gloriam*, &c.

Quam fecisti mecum, vt saluares animam meam, nec possum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ego non potero.*

In monte saluari: ne fortè apprehendat me malum, & moriar. *Vers.* 20. Est ciuitas hìc iuxta, ad quam possum fugere, & ipsa parua: saluabor, obsecro, illic. An non modica est, & viuet anima mea?] Sciens Lot, longum esse iter ad montem, & quòd in monte non erat habitaculum, timebat incurrere ægritudinem aliquam; vel propter fatigationem in itinere, quia senex erat; vel in monte; & consequenter mori: ac per hoc non effugisset mortem eundo in montem: & propterea petiit, vt seruari posset in propinqua ciuitate, in qua erant domus, vbi posset incolumis morari. Et ad hoc, vt exaudiretur, allegauit ex parte ciuitatis, tum propinquitatem, tum paruitatem.

Vers. 21. Dixitque ad eum: Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem, pro qua locutus es.] Iuxta Hebræum habetur: *Non euertam vrbem, pro qua locutus es.* Quod ideò dixerim, ne fiat vis in vocabulo subuersionis.

Vers. 22. Festina, & saluare ibi: quia non potero.] Intellige, secundùm ordinem mihi definitum à Deo.

Facere quicquam, donec peruenias illuc. Idcircò vocatum est nomen vrbis illius Segor.] Legendum est, *Sohar.* Quod interpretatur, *paruum* seu, *modicum.*

Vers. 23. Sol egressus est super terram, & Lot ingressus est Sohar.] Non solùm ad describendum horam, sed etiam ad describendum serenitatem aëris narratur exitus Solis super terram.

Vers. 24. Igitur Dominus pluit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et* יהוה *fecit pluere.* Quanuis serenitas esset, oriente Sole; primum tamen principium essendi, non habens potestatem suam alligatam dispositionibus elementorum, fecit pluuiam.

Super Sodom, & Hamoram.] Duas tantùm ciuitates nominat Moses, (cùm tamen, vt patet Deuter. 29. super quatuor sit huiusmodi pluuia facta; videlicet, Sodomam, Gomorram, Admam, & Seboim; vtendo nominibus iuxta vulgatam editionem:) quia illæ duæ principales erant.

Sulphur, & ignem à Domino [d] de cælo.] Iuxta Hebræum habetur: *Sulphur, & ignem à* יהוה *è cælis.* Non solùm significatur, quòd ipse fons essendi est etiam author tollendi esse viuentium; sed etiam, quòd præter naturalem rerum cursum, miraculum operatus est puniendo iniquos: ad differentiam enim naturalium

[d] Hinc excluditur Strabonis error lib. 16. qui huius incendij causam in loci naturam reiicit.

lium causarum, naturali ordine concurrentium ad generandum sulphur, & ignem, apponitur, à יהוה : ideò siquidem non sat fuit dixisse, quòd *Iehouah fecit pluere sulphur, & ignem*; sed repetitum est, *à Iehouah*. Attestatur autem miraculo, tum reuelatio facta Abrahæ; inutile siquidem miraculum fuisset humano generi, nisi manifestatum fuisset: tum exceptio Segor; ex eo enim, quòd ipsa sola seruata est in Pentapoli, manifestatur, quòd ex libertate pluentis, plaga illa processit. Et adiungitur, *de cælis*, ad differentiam conflagrationis naturalis, qua pars aliqua terræ solet ardere, accensa terra ex inferioribus: hæc enim combustio, hæc flamma, ex superioribus, è cælis (hoc est, ex superno aëre) venit.

Vers. 25. Et subuertit ciuitates has.] Iuxta Hebræum habetur: *Et euertit ciuitates has.* Ignis enim vis omnia euertit mouendo, & consumendo ab imis.

Et omnem circa regionem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et totam planitiem.* Hinc colligitur, quòd oppidum Segor situm erat in pede montis, & non in ipsa planitie. Hinc intelligas, per hanc planitiem, locum, qui appellatur lacus Asphalti, seu, mare mortuum: quoniam planities ista adhuc cernitur exusta, & nō mersa sub aquis. Nescio, vnde insita fuerit verbis aliquorū huius planitiei submersio: quia Scriptura submersionis, aut aquarū non meminit: & Iosephus in 5. lib. de bell. Iud. describit lacum Asphalti, propinquum terræ Sodomiticæ.

Et vniuersos habitatores vrbium, & cuncta virentia terræ. *Vers.* 26. Respiciensque vxor eius post se.] Iuxta Hebræū habetur: *Et respexit vxor eius de post ipsum.*

Et versa est in statuam salis [c].] Describitur mora vxoris Lot, non solùm tardando gressum ad sequendum Lot; sed etiam vertendo se ad respiciendum: remanebat siquidem post Lot senem contra mandatum Angeli: & hæc positio describitur per præpositionem, *de*, dicēdo, *de post ipsum*: est enim sensus, quòd vxor eius de situ post Lot tardauit, respiciēdo retrò. Sed, & si Iosepho creditur, non semel, sed sæpè vxor Lot tardabat, vertendo se ad respiciēdum ciuitatem. Tempus autē, quo res hæc gesta est, non est vsquequaque clarum, an fuerit eundo in Segor, vel ascendendo ex Segor in mōtem: Scriptura enim, nec in Segor, nec in ascensu ex Segor meminit vxoris; & tamen refert rē hanc post relatam pluuiam ignis, & sulphuris, quam constat incepisse, non antequàm Lot venerit in Segor. Intelligi potest, quòd vxor Lot remanserat post Lot ingressum Segor: & repētina superueniente pluuia sulphuris, & ignis, occupante totam planitiē, vxor Lot adhuc extra oppidū Segor existens vertit se ad videndum ciuitatem, & planitiem: & versa est in statuam salis, quam Iosephus dicit, post tot sæcula se vidisse: vt & hinc testimonium manifestum diuini miraculi haberetur, nec naturali cursui attribueretur consumptio ciuitatum, & planitiei.

[c] Cùm Christus Lucæ 17. nos monuerit, vt memores vxoris Lot, ad ea, quæ à fronte sunt, enitamur sēper, quę à tergo verò, obliuioni mandemus (nempe, mundi huius desideria;) intelligo, hìc Lot vxorem, & oculis, & desiderio Sodomam respexisse: ob quam ingratitudinē punita est; sicut & filij Israël, toties Ægypti recordati.

Vers. 27. Abraham autem consurgens manè, vbi steterat priùs cum Domino.] Iuxta Hebræum explicatur, quòd Abraham, & surrexit manè, & matutinus venit ad locum, vbi hesterno die fuerat coram Adonaī.

Vers. 28. Aspexit super faciem Sodom, & Hamoræ, & vniuersam terrām regionis illius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et super omnes facies terræ planitiei.*

Viditque ascendentem fauillam de terra, quasi fornacis fumum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vidit, & ecce ascendit fumus terræ, sicut fumus fornacis.* Perpende, quàm celer fuerit subsequutus effectus ardentis terræ ex pluto igne cum sulphure. Manè siquidem adueniens Abraham ad locum illū, vnde prospicere posset regionem Sodomiticam, non vidit ignem, aut sulphur descendere per modum pluuiæ, sed fumū ascendere de terra, tanquàm ex fornace ardēte. Hinc enim insinuatur, quòd pluuia ignis, & sulphuris, exiguo valdè tēpore durauit; in magna tamen copia fuit: vtpote extensa per totam illam planitiem, & sufficiens non solùm ad comburendum omnia, sed ad impediendum fugam habitantium. Nam omnes habitatores consumptos esse, Scriptura testatur. Fuit igitur huiusmodi pluuia repentina occupans vniuersam planitiem, vehementissima, & exiguo tempore.

Vers. 29. Cùm enim subuerteret Dominus ciuitates regionis illius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit destruendo* אלהים יהוה *ciuitates planitiei.*

Et recordatus est אלהים Abrahæ.] Vt vnus, atque idem manifestetur fons essendi, & Iudex etiam horum singularium, quæ à nobis fiunt; nominat Deum יהוה & אלהים: explicando, quòd actor essendi, iustitiam exercens, destruxit has ciuitates. Ad commendandum autem meritum Abrahæ, nominatur Deus אלהים recordatus Abrahæ: insinuando, quòd Abraham merebatur, vt Deus propter ipsum misereretur Lot: efficere enim aliquid ob alterius meritum, species iustitiæ est.

Et liberauit Lot de subuersione vrbiū, in quibus habitauerat.] Iuxta Hebræum plura explicantur: *Et misit Lot de intus euersionis in euertendo ciuitates, in quibus habitauit in eis Lot.* Narratur siquidem modus liberationis, videlicet, per modū emissionis: & locus, videlicet, de intimis loci euertendi: & tempus, videlicet, quādo euertebat ciuitates: & præsentia Lot ibidem habitantis. Et narrauit hæc omnia Moses ad manifestandum magnitudinem beneficij diuini, simul & magnitudinem meriti Abrahæ, cuius intuitu Deus liberauerat Lot.

Vers. 30. Ascenditque Lot de Sohar, & mansit in monte: duæque filiæ eius cum eo.] Nulla mentio fit vxoris in hoc ascensu de Segor: & ideò hinc conijcitur, vxorem Lot non ingressam fuisse Segor; sed versam esse in statuam salis, antequàm perueniret in Segor.

Timuerat enim habitare in Sohar.] Quantùm temporis moratus fuerit in Segor, non est scriptum Ratio autem timoris, fuit metus, ne flamma accensæ planitiei extenderetur in Segor: & humana quidem ratione rationabilis fuit timor propter propinquitatem ad terram ardentem: manifesta tamen diffidentia Lot de verbis angelicis hinc apparet; promiserant enim seruare ciuitatem illam.

Et mansit in spelunca, ipse, & duæ filiæ eius. *Vers.* 31. Dixitque maior ad minorem: Pater noster senex est; & nullus virorum remansit in terra, qui possit ingredi ad nos, iuxta morem vniuersæ terræ.]

terræ.] Quòd meminerint senectutis paternæ, in promptu ratio est; videlicet, vt accelerarent concubitum cum patre. Quòd autem crediderint, omnes viros mortuos esse, muliebris temeritatis fuit: nam videbant montem, in quo morabantur, exemptum ab incendio: & ex illo monte videre poterant alios montes distantes similiter non ardentes: & patrem suum poterant interrogare, si incendium hoc commune erat toti mundo, quemadmodum olim diluuium: & (quod magis vrget) ciuitatem Segor inuenerant habitatam. Verùm, quod pater timuit futurum, leuissima mulierum mens iudicauit euenisse, incendium Segor: præcipites locutæ sunt, & fecerunt.

Vers. 32. Veni, inebriemus eum vino, dormiamúsque cum eo: vt seruare possimus ex patre nostro semen[f].] Quamuis in Hebræo non legatur, *inebriemus*; sed *faciamus bibere*; quia tamen intentio earum ad inebriandum patrem tendebat; ideò tolerabilis est vulgata editio finem actionis explicans. Si quæris, vnde habebant vinum, cùm ex propria domo exierint, tanquàm expulsæ, tractæ per manus ab Angelis. Respondetur, quòd ex ciuitate Segor acceperunt illud, antequàm inde ascenderent in montem.

[f] Chrysostomus homilia 46. in Genesim, & Lot, & filias excusat: Hieronymus, & Rabanus filias duntaxat.

Vers. 33. Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illa. Et ingressa est maior: Dormiuitque cum patre. At ille non sensit[g], nec quando accubuit filia, nec quando surrexit.] Honestis vocabulis totum factum Moses describit ab extremis actionibus; videlicet, iacere, & surgere de paterno lecto: est enim sensus, quòd Lot nesciuit penitùs vniuersam rem gestam à primo actu; videlicet, quòd filia iacuerit secum: vsque ad vltimum actum; videlicet, quòd filia recesserit à suo lecto. Nec est à ratione alienum, vt vir ebrius opus venereum cum virgine perficiat, non cognoscendo, quid facit; cùm vniuersum opus hoc manifestè perfici possit, impedito rationis vsu. Si de peccato quæris, liquet, quòd filiæ inexcusabiles sunt, absque paterna consultatione audentes committere incestum talem: Lot verò peccauit, non secundùm incestum sibi ignotum, & omninò inopinatum; sed secundùm ebrietatem; testante Scriptura, quòd non mixtura aliqua deceptus, sed vino potus non sensit, &c.

[g] Verba hæc: *Ille non sensit, nec quando accubuit filia*, &c. ex phrasi Hebraïca accipienda sunt, quasi diceret: Priuatus ratione, cū illis concubuit.

Vers. 34. Altera quoque die dixit maior ad minorem: Ecce dormiui heri cum patre meo: demus ei bibere vinum etiam hac nocte, & dormies cum eo: vt saluemus semen de patre nostro. *Vers.* 35. Et bibere dederunt, etiam nocte illa, patri suo vinum. Ingressáque minor filia dormiuit cum eo: & nec tunc quidem sensit, quando illa accubuit, vel quando surrexit. *Vers.* 36. Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre suo. *Vers.* 37. Peperitque maior filium: & vocauit nomen eius Moab.] Aiunt nomen Moab componi ex duabus dictionibus, præpositione, *ex*, & *patre*. Inuerecunda satis puella, publicans incestum in nomine filij, describitur: vt hinc insinuetur, quàm audax fuerit priùs, consulēdo sibi, & sorori incestū paternū.

Ipse est pater Moabitarum, vsque in præsentem diem. *Vers.* 38. Minor quoque peperit filium: & vocauit nomen eius Ammon.] Corruptum est nomen: legendū esset, *Benhammi*. Quod autem subditur:

Id est, filius populi mei.] non est in Hebræo: sed adiectitium est. Aiunt, Benhammi, componi ex tribus dictionibus; *filius, populus*, & *meus*; & propterea interpretando dictionem Hebraïcam adiectum fuisse: *Id est, filius populi mei*. Et in hoc apparet verecundia, ac sensus huius puellæ, relatiuè ad sororem. Nam in nomine filij non publicauit incestum; & manifestauit, se non genuisse ex populo damnato à Deo, sed ex viro proprij populi: erat enim proprius eius populus Chaldaïcus, seu transfluuialis.

Ipse est pater Ammonitarum vsque hodie.]

CAPVT XX.

Profectus inde.] Hoc est, de quercubus Mamre. **Vers. 1.**

Abrahā in terram australem.] Recessus iste Abrahæ fuit statim, seu paulò post incendium: vt patet ex eo, quòd posteà Sara concepit: quæ tamen peperit infra annum ab aduentu Angelorū ante incendiū Sodomæ.

Habitauit inter Cades, & Sur: & peregrinatus est in Geraris[a].] Iuxta Hebræum habetur, *in Gherar*: & est nomen ciuitatis Palestinæ prouinciæ.

[a] Hoc oppidum Gerar, quod Septuaginta Petram transtulerunt, Gurbaal etiam dici admonet Hieronymus in quæstionibus super Paralipomenon. Olim Sedes regia Philisthiim extitit, distans ab Ierosolyma itinere trium dierum. Genesis 20. iuxta eam est vallis, eiusdem nominis, in qua Abraham peregrinatus est. Cæterū hunc Saræ raptum multo antè accidisse putat Eugubinus, inuersúmque esse historiæ ordinem.

Vers. 2. Dixitque de Sara vxore sua: Soror mea est. Misit ergo Abimelech Rex Gherar: & tulit eam.] Mirum est, quòd mulier nonagenaria tali floreret specie, vt & Abraham timuerit occidi propter illius speciem; & ipsa concupita fuerit à Rege in vxorem.

Vers. 3. Venit autem Deus.] Nomen est אלהים: & aptè Iudex nominatur Deus apparens ad iustitiam exercendum, instruendo, comminando & præcipiendo.

Ad Abimelech per somnium nocte: & ait illi: En morieris propter mulierem, quam tulisti: habet enim virum. *Vers.* 4. Abimelech verò non tetigerat eam: & ait: Domine, num gentem ignorantem, & iustam interficies?] Iuxta Hebræum habetur: אדני, *si gentem etiam iustam occides?* Interrogatiuè sæpè vtuntur Hebræi, *si*, ad explicandū, quòd non occides iustum, tanquàm reum.

Vers. 5. Nōne ipse dixit mihi: Soror mea est: & ipsa ait: Frater meus est? In simplicitate (pro, *in puritate*) cordis mei, & mūditia manuum mearū, feci hoc.] Purū cor, mundáq; opera se habuisse in re hac testatur.

Vers. 6. Dixitque ad eum Deus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit ad eum* אלהים *in somnio*. Vt vniuersum hoc colloquium manifestaretur fuisse dormiendo, repetit somnium.

Et ego scio, quòd simplici corde feceris: & ideò custodiui te, ne peccares in me; & non dimisi, vt tangeres eam.] Refert Iosephus, (& in calce huius capituli habetur,) quòd Abimelech, accepta Sara, ægritudinē incurrit, qua impeditus est à coniugio Saræ: & propterea quadrat, vt huiusmodi ægritudo significetur retentiua Abimelech à contactu Saræ, dicendo: Non dedi ad tangendum eam.

Vers. 7. Nunc igitur, redde vxorē viro suo:

b Hæc vox, *Propheta*, vel Dei Interpretem, vel hominem diuinum, & Deo charum; hoc est, cũ quo Deus loquitur, significat, vt ex variis Scripturę locis colligere poteris.

suo: quia Propheta [b] est.] Non solùm ex parte Saræ, (quia maritum habet;) sed etiam ex parte Abrahæ, (quia Propheta est,) mandat restitui eam: vt ex sanctitate etiam Abrahæ trahatur ad restituendum. Hinc habetur, quòd visiones diuinæ, quas habuit Abraham, intelligendæ sunt similes visionibus Prophetarum: & quòd Abraham est primus Propheta in sacra Scriptura nominatus.

Et orabit pro te, & viues.] Tertiò, ex beneficio sanitatis, intercedente Abraham apud Deum, prouocat Abimelech ad restituendam Saram. Ac si apertiùs dixisset: Et in hoc cognosces, quòd propterea æger es, quòd Abraham orabit pro te, & sanaberis.

Si autem nolueris reddere; scito, quòd morte morieris, tu, & omnia; quæ tua sunt.] Adiungit quartò pœnam mortis ipsius, & suorum, si non restituerit.

Vers. 8. Statimque de nocte consurgens Abimelech.] Iuxta Hebræum habetur: *Et diluculò surrexit Abimelech in mane.* Non nox, sed diluculum significatur.

Et vocauit omnes seruos suos: & locutus est vniuersa verba hæc in auribus eorum. Timueruntque omnes viri valdè. *Vers.* 9. Vocauit autem Abimelech etiam Abraham: & dixit ei: Quid fecisti nobis? quid peccauimus in te, quòd induxisti super me, & super regnum meum peccatum magnum? Quæ non debuisti facere, fecisti nobis.] Parui refert, quòd in Hebræo habetur in numero singulari; tum, *quid peccaui*; tum, *quid* (subiungitur) *fecisti nobis*; pro, fecisti mecum.

Vers. 10. Rursùmque expostulans ait:] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit Abimelech ad Abraham.*

Quid vidisti, vt hoc faceres?] Insinuatur, quòd Abraham reprehensus istis querulis rationibus tacebat: & Rex subiunxit, nosse volens causam, qua motus fuerit Abraham ad simulandum, quòd Sara esset eius soror.

Vers. 11. Respondit Abraham: Cogitaui mecum dicens: Forsitan non est timor Dei in loco isto.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit Abraham: Quòd dixi: Solùm non timor* אלהים *in loco isto.*

Et interficient me propter vxorem meam.] Directè respondet quæsito, non se vidisse aliquid: sed solùm dixisse inter se, & suos, non esse timorem diuini iudicij in loco isto. Intellige hoc dictum ab Abraham, non asserendo; sed dubitando: &, si idololatræ erant, præsumendo.

Vers. 12. Aliàs autem, & verè.] Iuxta Hebræum habetur: *Et etiam verè.*

Soror mea, filia patris mei, ipsa solùm; non filia matris meæ: & duxi eam vxorem. [c] Refert Iosephus, Saram fuisse filiam Haran, fratris longè maioris Abrahæ: erat enim soror carnalis Lot. Sed contra textum Mosi scribere quandoque Iosephum, liquet conferentibus Historiam Mosi cum illius Antiquitatibus: & propterea non est mirum, si in re hac finxerit. Nam secundùm proprietatem verborum aliud significatur; scilicet, quòd Sara erat soror carnalis Abrahæ; non tamen vterina. Si dixisset duntaxat: *Soror mea est.* irem in communẽ sensum: sed adiungendo: *Filia patris mei ipsa: non tamẽ filia matris meæ, apertè significat*, quòd filia est patris sui, non aui sui, non fratris sui. Et hic est sensus literalis: licitum enim erat tunc connubiũ cum sorore non vterina. Quod licitũ quia horruit Iosephus, finxit recitata. Si nomine patris intellexisset auum, nõ adiunxisset negatiuam, *Non filia matris meæ.* Et rursus, sicut matris nomine vtitur propriè, ita & patris. Et demum, si his verbis: *Verè soror mea, filia patris mei ipsa, non filia matris meæ.* non significatur soror carnalis non vterina; quibus, quæso, verbis significanda est soror carnalis non vterina? Finge, si potes.

c Saram, germanam sororem fuisse Abraham, Chrysostomus homilia 45. in Genesim, pro certo tradidit; & Hieronymus in quæstionibus Hebraicis; licèt contra Heluidium aliud videatur sentire.

Vers. 13. Postquàm autem eduxit me Deus de domo patris mei.] Iuxta Hebræũ habetur: *Et fuit, sicut errare fecerunt me* אלהים *è domo patris mei.* Hebræo more faciendus est punctus post, *fuit*. Et similiter aduerbium, *sicut*, iuxta vulgarem loquendi modum interpretandum est: consueuimus enim sic reuerenter loqui de diuinis operibus. Et hic est primus Textus [d], in quo אלהים appropriatũ Deo, construitur cum verbo numeri pluralis, dicẽdo, *fecerunt*. Verùm, si perspicaciùs consideratũ fuerit, (vt in principio huius libri diximus,) quòd ineptè, nedum falsò dicitur de Deo, supposita Trinitate personarũ, אלהים *fecerunt*; quẽadmodum ineptè, & falsò diceretur de Trinitate, *Domini fecerunt*;) apparebit, quòd אלהים in hac Litera non supponit pro Deo, sed pro Angelis: & est sensus, quòd sicut Angelis Dei placuit, vt facerẽt ipsum è domo patris sui, tanquã errando, vagari: sciebat enim Abraham, quòd Deus nõ per seipsum, sed per Angelos suos apparebat ei, & loquebatur ei. Et manifestauit Abrahã, causam peregrinationis suæ fuisse Angelos Dei: vt crederet Abimelech, quòd non profugus, nõ leuis, non inopia actus patriã paternámque domũ reliquerit, & vagetur errando; sed mandato diuino: ac per hoc, quòd rationabiliter peregrè eundo, silentium coniugij cum Sara indixerit, timore mortis propriæ.

d Maximè ex hoc loco Trinitatẽ probare contra Hebræos putat Eugubinus.

Dixi ad eam: Hanc misericordiã facies mecum: in omni loco, ad quẽ ingrediemur, dices, quòd frater tuus sum. *Vers.* 14. Tulit igitur Abimelech oues, & boues, & seruos, & ancillas: & dedit Abraham. Reddiditque illi Sarã, vxorẽ suã: *Vers.* 15. & ait: Terra coram te est: vbicunque tibi placuerit, habita. *Vers.* 16. Saræ autẽ dixit: Ecce mille argẽteos dedi fratri tuo.] Res dono datas æstimauit mille argenteis: & iocando semiironia dixit, *fratri tuo.*

Hoc erit tibi in velamen oculorũ ad omnes, qui tecum sunt; & quocunque perrexeris, memento te deprehensam. [e]] Longè aliter iuxta Hebræum habetur: *Ecce ipse tibi velamen oculorum omnibus, qui tecum, & omnibus: & fuit castigata.* De Abraham dicit: *Ecce ipse tibi* maritus, & quatenus maritus, *velamen oculorum*, ad concupiscendum te in vxorem, non solùm relatiuè ad omnes, qui tecum conuersantur; sed absolutè ad omnes. Monitoria verba sunt, vt in posterum dicat Abraham maritum suum: quia hoc titulo velabit oculos omnium ad concupiscendum ipsam. Et propterea Moses subiungit, qualia fuerint hæc verba Regis ad Saram, manifestando: *Et fuit castigata.* hoc est, reprehensa, vt in posterum non diceret,

e His verbis Abimelech Saram obiurgasse intelligo, cùm iam Abraham anteà increpasset: ac si diceret. Vt deinceps cautior sis, memineris te deprehensam: nã, licèt euaseris culpã; non tamen euades ex tua simulatione infamiam, & verecundiam.

ceret, Abraham fratrem suum, sed maritum.

Vers. 17. Orante autem Abraham, sanauit Deus Abimelech, & vxorem, ancillásque eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et orauit Abraham* אלהים: *& sanauit Elohim Abimelech, & vxorem eius, & ancillas eius.* Vt adimpleretur sermo diuinus, orauit Abraham Deum sub ratione Iudicis iusti, vt innocentes absolueret à vinculis ægritudinis: & iustus Iudex exaudiuit eum.

Et pepererunt.] Iuxta Hebræum habetur, *& genuerunt.* Aiunt, dictionem Hebraïcam sonare actionem generatiuam communem viro, & mulieri: &, si ita est, non solùm ad vxorem, & ancillas; sed etiam ad ipsum Abimelech referri potest, *& genuerunt*; hoc est, liberè applicarunt se ad actus generandi. Et hinc habetur communis ægritudo Abimelech, & mulieribus; videlicet, impedita facultas coëundi.

Vers. 18. Concluserat Dominus omnem vuluam domus Abimelech.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia stringendo strinxit* יהוה *per omnem vuluam domus Abimelech.* A fœminino sexu describitur plaga communis vtrique sexui: non enim dicitur, quòd strinxit omnem vuluam; sed strinxit per omnem vuluam: ad insinuandum impeditum vsum vuluæ per hoc, quòd Deus strinxerat; hoc est, facultatem ademerat aperiendi meatus seminandi ad generandum hominem. Et attribuitur hoc flagellum non אלהים, sed יהוה, ad significandum, quòd non punitio, sed prouisio fuit proficiscens ab ipso fonte essendi.

Propter Saram.] Deest vna dictio: legendum est: *Propter rem Saræ, vxoris Abrahæ.*

CAPVT XXI.

Vers. 1. Visitauit autem Dominus Saram, sicut promiserat: & impleuit, quæ locutus est.] Iuxta Hebræum habetur: *Et* יהוה *visitauit Saram, sicut dixit: & fecit Iehouah Saræ, sicut locutus est.* Vtrunque opus (visitationis internæ, donando ei vim generatiuam; & facti externi, donando ei filium) attribuitur fonti essendi: vt à supremo principio manifestetur proficisci etiam hæc infima beneficia specialissima, non qualitercunque; sed tanquàm à visitante, curámque habente horum singularium.

Vers. 2. Concepítque, & peperit filium in senectute sua.] Iuxta Hebræum habetur: *Et concepit, & peperit Sara Abrahæ filium senectutibus eius.* Et est pronomen eius masculini generis. Ita quòd senectus non Saræ, sed Abrahæ refertur. Et est constructio appositiua: Sara peperit Abrahæ, senectuti Abrahæ. Plurali autem numero significant Hebræi senectutem propter multitudinem ætatis senilis. Variatur enim ætas senilis per primum senium, per senectutem, per decrepitam ætatem.

Tempore, quo prædixerat ei Deus.] Non Saram, sed Abraham demonstrat pronomen, *ei*. Et nomine אלהים appellatur Deus, ea ratione; quia adimplere promissum tempore promisso, species est iustitiæ.

Vers. 3. Vocauítque Abraham nomen filij sui, quē genuit ei Sara, Ishac: *Vers.* 4. & circumcidit eū octauo die, sicut præceperat ei Deus.] Et hic quoque nominatur Deus אלהים, ex eo, quòd lex circuncisionis à supremo Iudice promulgata est.

Vers. 5. Cùm esset centum annorum: hac quippe ætate patris, natus est Ishac.] Nescio, cur confusus fuerit iste contextus. In Hebræo habetur: *Et Abraham filius centum annorum in esse natum ei Ishac filium eius.* Vbi nulla est obscuritas contextus.

Vers. 6. Dixítque Sara: Risum fecit mihi Deus: quicunque audiet, corridebit mihi.] Et hìc Deus appellatur אלהים eadē ratione: quia, videlicet, adimpleuit, quod dixerat. Et à risu significat gaudium tam magnum, vt etiam extra prodeat. Risus enim signum est lætitiæ. Et vtitur ridendi vocabulo, ad reddendam rationem nominis Ishac, quod à ridendo dictum est; eò quòd magna parentum lætitia esset post tantum temporis, in tali ætate, cum tot miraculis natus filius: Deus enim hoc nomen prænunciauit, antequàm Sara risisset, præsentibus Angelis.

Vers. 7. Rursúmque ait: Quis auditurus crederet Abraham, quòd Sara lactaret filium, quem peperit ei iam seni?] Longè aliter habetur iuxta Hebræum: *Et dixit: Qui locutus est Abrahæ, fecit lactare filios Saram, quòd genui filium senectutibus eius.* Verba Saræ sunt agnoscentis tria Dei beneficia. Primum est promissionis diuinæ, factæ Abrahæ de Ishac. Secundum est, quòd idem, qui allocutus est Abraham, effecit, vt ipsa Sara abundaret tantùm lacte, vt lactaret, non solùm filium, sed filios; hoc est, multos infantes. Exuberans siquidem lac Saræ exigebat, vt etiam alteri infanti lac præberet. Tertium beneficium est, quòd ipsa peperit filium senectuti Abrahæ. Nec mireris præposterum ordinem inter partum, & abundantiam lactis. Familiaris siquidem Hebræis videtur huiusmodi transpositio.

Vers. 8. Creuit igitur puer: & ablactatus est. Fecítque Abraham magnum conuiuium in die ablactationis eius.[a]] Laudabilis consuetudo, vt initium comedendi primogeniti celebraretur communi lætitia magni conuiuij.

[a] Et choreis, & conuiuiis, multáque lætitia solēnitates suas olim antiquos celebrasse, & sacræ Scripturæ, & profanæ, mille locis ostendūt: sicque Deuteronomij 16. voluit Dominus lætari populum suū, & epulari coram se. Qui mos ab ipso Noë institutus creditur: nam refert Annius, quòd Lusus Rex, à quo nostra Lusitania nomen accepit, ideò Lusus dictus sit, quòd more Aramæo ludis, & saltu sacra ageret; sicut & legimus, Dauid ante arcā Dei fecisse.

Vers. 9. Cúmque vidisset Sara filium Hagar Ægyptiæ ludentem cum Ishac, filio suo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vidit Sara filium Hagar Ægyptiæ, quem genuit Abrahæ, facientem irridere.* Non nominatur in Textu Hebraïco Ishac; sed Interpres addidit. Nec narratur Ismahel ludens cum Ishac; sed *faciens irridere*: hoc est, efficiens, vt pueri coætanei Ishac, ludentes cū eo, irrisionem aliquā facerēt ipsi Ishac. Et hæc actio congruit ætati Ismahelis, qui ad minus erat decem, & octo annorum, vel circiter. Nam quatuordecim annorum erat, quādo natus est Ishac: & transierat trienniū lactationis Ishac: & nescitur, quātùm tēporis fluxit inter ablactationē Ishac, & hāc actionē, qua Ismahel prouocabat alios puellos ad irridēdum Ishac. Cōgruit quoque hic sensus verbis Pauli Apostoli ad Galatas, appellantis hanc actionem persequutionē[b]. Nonnulla siquidē species persequutionis est, innuere puellis, vt illudāt Ishac.

[b] Sententia est D. Hieronymi.

Vers. 10. Dixit ad Abraham: Eiice ancillam hanc, & filium eius: non enim erit

hæres

hæres filius ancillæ cum filio meo Ishac. *Verſ.* 11. Durè accepit hoc Abraham pro filio ſuo.] Iuxta Hebræum plùs habetur: *Et fuit malum iſtud verbum valdè, in oculis Abraham, ob cauſam filij ſui.* Iniquum, atque crudele videbatur, eiicere filium proprium, ac primogenitum, nulla exigente culpa filij.

Verſ. 12. Cui dixit Deus.] Nomen eſt אֱלֹהִים, & aptè, cùm de actu iniuſtitiæ eſſet quæſtio, Deus, quatenus Iudex, apparet alloquens Abraham.

Non tibi videatur aſperum.] Iuxta Hebræum habetur: *Non erit malum in oculis tuis.*

Super puero, & ſuper ancilla tua.] Directè tollit Deus rationem cuiuſcunque mali ab eiectione filij, & ancillæ matris eius. Quo autem modo Deus loquutus fuerit Abrahæ, Scriptura non dicit: & ideò incertus nobis remanet modus.

Omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius: quia in Ishac vocabitur tibi ſemen [c].] Nulla alia ratio redditur diuini huius iudicij, niſi, quia in Ishac vocabitur tibi ſemen. Non dicit, *erit*; ſed, *vocabitur tibi ſemen*: quoniam etiam Iſmahel ſemen erat Abraham: vt ipſemet Deus ſubiungit, dicendo Abrahæ de Iſmahele: *Quia ſemen tuum ipſe.* Vterque itaque erat ſemen Abrahæ: ſed ſingulare cenſuit Deus fore in Ishac, quòd appellatio ſeminis Abrahæ fieret per Ishac, & non per vtrunque: & propter hanc cauſam iuſſit eiici Iſmahelem de domo Abrahæ. Si enim manſiſſet Iſmahel domi, quũ eſſet primogenitus, propagatio nominis Abrahæ in ſemine pertinuiſſet directiùs, & priùs ad Iſmahelem, quàm ad Iſhac: eiectio autem Iſmahelis effecit, vt Ishac ſolus eſſet ſucceſſor in domo Abrahæ, & in ipſo propagaretur nomen ſeminis Abrahæ. Et ſi hanc cauſam profundiùs conſideraueris, (hoc eſt, relatiuè ad Meſſiam; quia per Ishac naſciturus erat Meſſias, ſemen Abrahæ, in quo benedicendæ erant omnes gentes;) magnipendes cauſam hanc.

[c] Poterit hæc vox, *vocabitur*, idiotiſmo Hebræo pro, *erit*, accipi, vt illud Lucæ 1. *Filius Altiſſimi vocabitur*, hoc eſt, Filius Altiſſimi erit. Senſus igitur eſt: Per Iſaac erit tibi, id eſt, deſcendet tibi ſemen illud; nempe, quod tibi promiſi, in quo omnes gentes benedicentur.

Verſ. 13. Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam.] Superfluit, *magnam*.

Quia ſemen tuum eſt. *Verſ.* 14. Surrexit itaque Abraham manè.] Hinc apparet, quòd nocturna fuerit diuina allocutio Abrahæ.

Et tollens panem, & vtrem aquæ, impoſuit ſcapulæ eius, tradidítque puerum: & dimiſit eam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et accepit panem, & vtrem aquarum, & dedit ad Hagar, poſuit ſuper humerum eius, & puerum: & miſit ipſam.* Ita iacet Textus ad verbum. Et ambiguam habet conſtructionem. Vel, *poſuit ſuper humerum eius, & puerum*; hoc eſt, & poſuit ſuper humerum eius puerum: vel appoſitiuè ad, *dedit ad Hagar*: vt ſit ſenſus: Dedit ad Hagar, ſic quòd poſuit ſuper humerum eius. Vterque autem ſenſus ingerit quæſtionem. Primus quidem, quomodo verificatur, quòd puer decem, & ſeptem ad minus annorum, poneretur geſtandus ſuper humerum matris: ſecundus autem, quomodo decuit, vt Abraham ditiſſimus prouiderit vxori, & filio tam exiguè, imò tam miſerè, vt quãtùm panis, & aquæ ſuper humerum geſtauerit mulier, dederit duntaxat. Solutio eſt, quòd appellatione panis, & aquæ intelliguntur omnia victualia: & quòd Abraham prouidit copioſè, & tã prudenter, vt etiam prouiderit de vaſe ſeruatiuo aquæ in itinere: hoc enim decebat patrem diuitem, inuitum emittentem filium: & quòd nec victualia, nec puerum portanda dedit Hagar; ſed aſinos, ſeu alia iumenta pro rebus, & pro puero, & pro ipſa Hagar dedit, & famulos. Verùm, quia omnium curam dedit ipſi Hagar; ideò in medio traditorum (hinc victualium, inde pueri) ſcribitur, *poſuit ſuper humerum eius* [d], abſolutè. Metaphoricus ſiquidem ſermo eſt, ad declarandum, quòd non alicui famulo, ſed ipſi Hagar dedit onus curæ rerum, & pueri. Nefas enim eſt credere, quòd emiſerit pedites, vxorem, & filium tenellum, & abſque prouiſione. Sed hic ſenſus literalis eſt; non fictus, ſed inſinuatus: tum ex decentia Abrahæ: tum ex ſexu, ac conditione Hagar; erat enim vxor: tùm ex ætate pueri filij proprij: tum ex pane; hoc eſt, victualibus portandis: hæc enim omnia ſignificant iumenta neceſſaria ad hæc; & conſequenter famulos cum reliquis neceſſariis; Neque enim peiùs tractauit Iſmahelem, quàm alios filios, quos poſteà ex concubina genuit, quibus largitus eſt munera. Sed Interpres occaſio fuit alieni ſenſus.

[d] Sic & illud Iſai. 9. *Imperium eius ſuper humeros eius*, hoc eſt, ſub tutela, & cura eius.

Quæ cùm abiiſſet, errabat in ſolitudine Beerſabah [e]. *Verſ.* 15. Cumq; conſumpta eſſet aqua in vtre.] Non defecerant neceſſaria ad comedendum, ſed ad bibendum.

[e] Berſabe, olim fons, poſtmodum amplus vicus Tribus Iudæ, & Simeonis, cõtigua eſt magno deſerto, & vltimus longitudinis limes terræ promiſſæ. Diſtat ab Hebron viginti milliaribus in Auſtrum, iuxta viam, quæ in Sina ducit: nam Elias in eam peruenit, fugiẽs Iezabelis iram, ad montem Horeb pergens.

Abiecit puerum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecit iacere puerum.*

Subter vnam arborem.] Et eſt ſenſus, quòd Hagar fecit, vt famuli tollerent ex iumento puerum, & locarent ipſum ſub vna arbore. Appellatur autem huiuſmodi locatio, *iactus*, non propriè, ſed metaphoricè: tum ex parte matris, ad ſimilitudinem rei, quæ iacitur, tractantis filium, perdita ſpe vitæ pueri: tum ex parte pueri ſic ſiti afflicti, vt tanquàm exanimis iaceretur potiùs, quàm adiuuaretur, ad quieſcendum ſub arbore. Nefarium ſiquidem eſt, cogitare, quòd tam pia mater adderet afflictionem afflicto filio proprio vnigenito.

Verſ. 16. Et abiit: ſeditque è regione procul, quantùm poteſt arcus iacere.] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut ſagittatores arcus.* Aſſimilatur, & elongatio, & directus ſitus, ſitui ſagittatorum. Et in tali ſimilitudine comprehenditur etiam quantitas diſtantiæ, ad quam ſolam ſpectauit Interpres.

Dixit enim: Non videbo morientem puerum. Et ſedens contrà, leuauit vocem ſuam, & fleuit. *Verſ.* 17. Exaudiuit autem Deus vocem pueri.] Hinc habetur, quòd non ſola mater querula voce fleuit; ſed etiam puer ſub arbore iacens: imò quòd puer vocem ſuam direxerit ad Deum; mater autem ad mortem filij imminentem: non enim dicitur, quòd exaudiuit Deus vocem matris, ſed vocem pueri. Et nominatur Deus אלהים: tum ad inſinuandum meritum Abrahæ, propter quem exaudiuit puerum: tum ad inſinuandum huiuſmodi exauditionem fuiſſe ob adimplendam promiſſionem diuinam circa Iſmahelem pluries factam.

Vocauitque Angelus Domini Hagar.] Et hic quoque nomen eſt אלהים: Deſcribitur enim, atque appellatur Angelus אלהים; hoc eſt, Angelus Dei, quatenus Deus

iustitiam exercet adimplendo promissa.

De cælo dicens.] Non est perspicuum hinc, an Angelus apparuerit in specie visibili, (non in terra, sed in aëre,) an absque specie visibili, formata fuerit vox in aëre, tanquàm à supernis loquentis: primum tamen magis quadrat tot discretis clausulis subiunctorum verborum.

Quid agis, Hagar?] Iuxta Hebræum habetur: *Quid tibi, Hagar?* Non quærit, quid agat: sed nomine proprio vocans eam, non interrogat, quid illi euenerit; sed arguendo illius diffidentiam dicit: *Quid tibi?* debebat enim non desperare; sed confidere in diuina promissione, quam ab Angelo Dei audierat, dum gestaret Ismahelem in vtero. Vnde statim subiungit:

Noli timere.] Pro, *Non timebis.* Proculdubiò mortem pueri. Et ratio subiungitur:

Quia exaudiuit אלהים vocem pueri de loco, in quo est ibi.] Ecce ratio redarguti timoris: quia Deus fidelis in promissis audiuit vocem pueri. Sub iustitia enim comprehenditur fides, qua fiunt dicta.

Vers. 18. Surge, tolle puerū, & tene manum illius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fac inualescere manum tuam in eo.*

Quia in gentem magnam ponam eum.] Mandat Angelus, non solùm, vt tollat puerum; sed, vt operam d t ad hoc, vt puer validus fiat: quia Princeps magnæ gentis futurus est.

Vers. 19. Aperuítque Deus oculos eius.] Nomen est אלהים: quia ob adimplenda promissa monstrauit illi puteum. Et hæc demonstratio appellatur apertio oculorum: quia impedimentum videndi puteum non erat ex parte putei latentis; sed ex parte ipsius Hagar. Quale autem fuerit impedimentum, non est scriptum: ex eo tamen, quod subiungitur: *Et iuit, & impleuit vtrem.* distantia nonnulla significatur.

Quæ videns puteum aquæ, abiit, & impleuit vtrem aqua: dedítque puero bibere, *Vers.* 20. & fuit cum eo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit* אלהים *cum puero.* Hinc apparet, nugas esse, quòd Ismahel exercuerit latrocinia: si enim Deus, quatenus Iudex, erat cum puero, longè erat à latrociniis.

Qui creuit, & moratus est in solitudine.] Hinc apparet, quòd pater prouiderat ei de tentorio: non enim sub diuo habitauit, & creuit adolescens in deserto.

Factúsque est iuuenis sagittarius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit sagittator arcus.* Vacabat enim venationi animalium in deserto habitantium.

Vers. 21. Habitauítque in deserto Pharan [f].] Legendum est, *Paran*; est enim nomen proprium loci.

[f] Pharan, eremus est magna ad solitudinem Sinaï, quā ad occasum relinquit, ad meridiémque occiduum protenditur, supra Asphaltidem lacum.

Et accepit illi mater eius vxorem de terra Ægypti.] Naturali amore vnusquisque afficitur nationi suæ: & propterea Hagar Ægyptia mulierem Ægyptiam in nurum asciuit.

Vers. 22. Eodem tempore dixit Abimelech, & Phichol, Princeps exercitus eius ad Abraham: Deus tecum est in omnibus, quæ facis.] Appellatur Deus ab Abimelech אלהים; eò quòd iustitia Dei relucebat in Abraham cum prosperitate temporalium facultatum.

Vers. 23. Iura ergo per Dominum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nunc iura mihi in* אלהים *nunc.* Tempus, locúmque iuramenti exigit, duplicando aduerbium temporis ad accelerandum: & in illo, eodémque Deo, qui Abraham fouet, petit iurari.

Ne noceas mihi, & posteris meis, stirpique meæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Si falsus eris mihi, & filio meo, & nepoti meo.* Dictio interpretata, *falsus eris*; est vnicum verbum futuri temporis; quo quia caremus, meliùs circunloqui creditur, dicendo, *falsus eris*, quàm mentieris: quoniam clariùs significat factum dissonans, imò contrarium, beneficio recepto. Falsum siquidem se exhibet homo beneficiis receptis, reddendo malum pro bono: nam beneficio respondet benefacere. Nec coniunctio, *si*, interrogatiuè, aut conditionaliter tenetur; sed exaggeratiuè, ad horrorem affirmationis fallendi. Perinde ac si dixerit: Iura, quòd horrebis, falsum te exhibere. Et progeniem totam suam significat à filio, & nepote, &c.

Sed iuxta misericordiam, quam feci tibi, facies mihi, & terræ, in qua versatus es aduena.] Ecce ratio horrendi falsitatem: Vt assimileris misericordiæ, quam exhibui tecum. Vnde & in Hebræo habetur: *Sicut misericordia, quam feci tecum, &c.*

Vers. 24. Dixitque Abraham: Ego iurabo. *Vers.* 25. Et increpauit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecit increpare Abraham.*

Abimelech propter puteum aquæ, quem vi abstulerant serui illius.] Dicitur, *fecit increpare*, ad insinuandum, quòd non ipse Abraham per semetipsum protulit verba querula reprehensiua; sed fecit, quòd domestici sui proponerent huiusmodi increpationem, nacta opportunitate temporis, quo Abimelech petebat ab Abraham fœdus perpetuæ amicitiæ: iactanti enim beneficium misericordiæ, opposuerunt iniqua opera seruorum eius aduersus familiam Abraham.

Vers. 26. Respondit autem Abimelech: Nesciui, quis fecerit hanc rem: sed & tu non indicasti mihi; & ego non audiui, nisi hodie. *Vers.* 27. Tulit itaque Abraham oues, & boues; & dedit Abimelech: percusserúntque ambo fœdus: *Vers.* 28. & statuit Abraham septem agnas gregis seorsum. *Vers.* 29. Cui dixit Abimelech: Quid sibi volunt septem agnæ istæ, quas stare fecisti seorsum? *Vers.* 30. Et dixit: Quoniam septem agnas accipies de manu mea, vt sint in testimonium mihi, quòd fodi puteum istū. *Vers.* 31. Idcircò vocatus est locus ille Beersabah: quia ibi vterque iurauit. *Vers.* 32. Et inierunt fœdus pro puteo iuramenti.] Iuxta Hebræum habetur: *In Beersabah.* Quod corruptè dicimus, *Bersabee.* Et est dictio composita ex puteo, & iuramento.

Vers. 33. Surrexit autem Abimelech, & Phichol, Princeps militiæ eius: reuersíque sunt in terram Pelistim.] Hoc est, in ciuitatem. Non enim exierant terminos Palæstinæ: vt patet ex eo, quod subiungitur, Abraham in Beersabah habitantem, fuisse multo tempore colonum Palæstinæ.

Abraham

Abraham verò plantauit nemus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et plantauit arborem in Beersabah.* Rationabile autem est, quòd plantauerit arbores fructiferas potiùs, quàm nemus, si ad plantationem spectetur.

Et inuocauit ibi [g] nomen Domini Dei æterni.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vocauit ibi in nomine* יהוה *El æterni.* Si aduerbium, *ibi*, locum plantatarum arborum demõstrat; rationabilius est, vt nemus quoddam, tanquàm templum, effecerit, velut locum sacrum ad inuocandum nomen Dei: vt esset Oratorium, tam sibi, quàm aliis colentibus verum Deum. Quod quanuis prohibitum fuerit tempore legis scriptæ; ante legem tamen scriptam licitum erat. Nominatur autem Deus à tribus, videlicet, ab esse, à fortitudine, & ab æternitate: ad comprehendendum omnia, quæ Dei sunt, essentiam, vires, & durationem sine principio, & fine.

[g] Ante legem, viros istos in locis amœnissimis, & hortulis arboribus consitis Deo sacra fecisse, hic locus manifestat. Quẽ rum ab eis gentes mutuarunt, Diis suis lucos plãtantes. Sed, cùm illo ritu postea abuterentur, vel arbores luci colendo, vt legimus 2 Paral. 24. vel ex arboribus luci, tãquàm consecratis, idolorũ statuas erigendo; Scriptura passim sacrificia sub arbore frondosa facta, & lucos omnes abominatur.

Vers. 34. Et fuit colonus terræ Pelistim diebus multis.]

CAPVT XXII.

VERS. 1.

Q[V]Væ postquàm gesta sunt.] Non significatur tempus post habitationem Abrahæ multo tempore in Palæstina, (quoniam in calce huius capituli manifestè dicitur, quòd Abraham, Ishac, & famuli iuerunt ad Beersabah:) sed significatur tempus post eiectam Hagar cum Ismahele, & post initum fœdus Abrahæ cum Abimelech, póstque plantatum nemus, & diuinum cultum ibidem exhibitum.

Tentauit Deus Abraham.] Hoc est, ad similitudinem tentantis se habuit. Tentare enim non conuenit Deo propriè, (quia est actio nescientis;) sed metaphoricè; sicut irasci, & pœnitere. Et nominatur Deus אלהים, ad insinuandum, quòd non crudeliter, non iniustè; sed secundùm diuini iudicij rationem, non alligatam humanæ pietatis regulis, tentationem hanc exercuit Abrahæ.

Et dixit ad eum: Abraham, Abraham.] Iuxta Hebræum semel tantùm vocatur, *Abraham.* Et quidem, quòd nocturna fuerit hæc vocatio, manifestant sequentia. Verùm, an fuerit dormiendo, vel vigilando, non omninò perspicuum est. Et est hæc nona visio diuina Abrahæ.

At ille respondit: Adsum.] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce ego.* Apparuit siquidem Deus in specie vocantis, ô Abraham: & respondit Abraham: Ecce ego. promptissimum se exhibendo Deo.

Vers. 2. Ait illi. Tolle filium tuum.] Deficit vna dictio: nam iuxta Hebræum habetur: *Tolle nunc filium tuum.* Præcipit, vt sine mora statim tollat filium suum: & hinc incipit manifestatio nocturni temporis: nam subiungitur, quòd Abraham diluculò executus est diuinam iussionem: ex his enim duobus collatis manifestè apparet nocturnum tempus.

Vnigenitum.] Iuxta Hebræum habetur: *Vnicum tuum.* Habebat Abraham duos filios secundùm rem; sed vnicum duntaxat secundùm electionem diuinam, eiecto Ismahele: & propterea dicitur, *vnicum tuum.*

Quem diligis.] Iuxta Hebræum habetur: *Quem dilexisti Ishac.* Collige conditiones tres præter nomen proprium Ishac: primam à natura, *filium tuum:* secundam ab electione diuina, *vnicum tuum:* tertiam à vehementia amoris firmati, *quem dilexisti.* Ac si apertiùs dixisset: Non obstantibus his omnibus, fac, quod præcipio.

Et vade in terram visionis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vade tibi ad terram Moriiah.* Lege 2. libri Paralipomenon cap. 3. ædificatum esse templum Domini à Salomone in monte Moriiah; & perspicies, vnum, atque eundem esse locum, in quo oblatus est Ishac, in quo sacrificauit Dauid in illa magna peste, & in quo fundatum est templum Domini; non casu, sed ex reuelatione diuina facta Dauidi. Et dicitur: *Vade tibi.* hoc est, ad bonum tuum: vt consideret Abraham Deo dicenti, quòd iubet ei hoc ad proprium bonum.

Atque offer eum ibi in holocaustum.] Hoc est, totum comburendum, vt soli cineres remaneant.

Super vnum montium [a], quem dicam tibi.

[a] Sicut Christus in montibus orauit, & in monte Ierosolymitano semetipsum obtulit: sic & Patres olim in montibus orasse, & Deo sacra obtulisse legimus, causa secessus, & excitandi se in Deum contemplatione cælorum, & omnium operum Dei, ex montibus præclariùs apparentium. Sed templo postmodùm ædificato, excelsa in Scriptura prohibita sunt.

Vers. 3. Igitur Abraham de nocte consurgens, (iuxta Hebræum habetur: *Et anticipauit Abraham in mane,*) & strauit asinum suum; & accepit duos iuuenes secum, & Ishac filium suum.] Ex qua Litera non habetur, quòd euigilauerit à somno, aut quòd surrexerit ex lecto; sed duntaxat, quòd sollicitus peruenerit manè ad sternendum asinum, ad scindendum ligna, & alia præparanda ad iter. Quocirca visio ista nocturna apparet facta vigilante Abraham, ex hoc ipso, quòd nulla fit mentio somni, aut surgendi ex lectulo: & manifestè præcipitur: *Tolle nunc filium tuum.* dormienti enim non præcipitur: *Tolle nunc.* sed, tolle excitatus à somno: vt bis patet in Ioseph Sponso Beatæ Virginis, Matt. 2. Et consentaneum rationi est, vt tale, tantúmque præceptum aduersùs ius naturale, & aduersùs promissionem diuinam factam Abrahæ de progenie per Ishac, fieret modo certissimo: perspicuum est autem, certiora nobis esse, quæ vigilantibus, quàm quæ dormientibus reuelantur, &c.

Cumque concidisset.] pro, *Et scidit ligna in holocaustum.* Non enim significatur, quòd tunc inciderit ligna ex arboribus: sed, quòd ligna grossa in minuta ligna sciderit, vt habiliora redderentur ad ignem holocausti. Nec intelligas, quòd Abraham per semetipsum strauerit asinum, & sciderit ligna; sed per famulos.

Abiit ad locum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et surrexit, & iuit ad locum.* Dicendo, *& surrexit*, insinuat, quòd Abraham senex sedendo fecit scindi ligna, & præparari famulos, ac opportuna victualia in itinere.

Quem præceperat ei Deus.

Vers. 4. Die autem tertio.] Separauit Interpres tempus itineris ab ipso itinere. Nam in Hebræo, post supradicta verba, *& iuit ad locum*; subiungitur: *Quẽ dixit illi* אלהים *in die tertio.* Vbi manifestè patet, mensuram itineris

describi vsque ad diem tertium. Et nominatur אלהים ratione antedicta. Deinde subiungitur:

Et eleuauit Abraham oculos: & vidit locum de longè.] Priùs enim Moses narrauit, quòd die tertio peruenit ad locum holocausti: deinde narrat modum, quo illuc peruenit, manifestando, quòd vsque ad locum, quo vidit corporeis oculis montem Moriiah, venit cum famulis, & asino onusto: viso autem monte, reliquit famulos, & asinum, & iuit cum solo Ishac modo subiuncto.

Vers. 5. Et dixit Abraham ad pueros suos: Expectate hîc.] Iuxta Hebræum habetur: *Sedete vobis hîc cum asino.* hoc est, quiescite vestro commodo hîc. Noluit siquidem Abraham, famulos interesse holocausto, ne impedirent occisionem Ishac in holocaustum.

Ego, & puer illuc vsque properantes.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ego, & puer ibimus vsque huc.* Cuius ætatis fuerit tunc Ishac, non est certum [b]: ex subiunctis tamen verbis eius ad patrem, & ex eo, quòd (quantùm Scriptura tradit) pedes in tertium vsque diem iter continuauit, & ligna holocausti in humeris portauit non paruo spatio, coniectura rationabilis est, quòd ætatem puerilem, & magnam adolescentiæ partem peregerat: alioquin matet inhibuisset. Appellatur tamen puer, extenso pueritiæ nomine ad adolescentiam. Quòd autem dicit, *vsque huc*; non contrariatur descriptioni loci procul visi. Futuræ siquidem viæ terminus diuersis rationibus appellatur distans, & propinquus: distans quidem, relatiuè ad famulos relinquendos, ne impedire possent immolationem Ishac: propinquus autem, relatiuè ad affectum Abrahæ. Et ex hac parte Abraham appellauit locum propinquum, ne sollicitos redderet famulos longæ moræ, & nimij laboris Ishac portantis ligna.

[b] Iosephus 1. Antiquitatum, c. 13. ait, Ishac viginti quinque annorum fuisse, cùm à patre immolaretur: & idem refert Burgensis.

Et adorabimus, & reuertemur ad vos [c].] Non simulando promisit reuersionem, credens Ishac non reuersurum (vtpote, immolandum:) sed vel sperans, filium resuscitandũ, (iuxta id, quod scribitur ad Hebræos 11. quandoquidem Deus promiserat: *In Ishac vocabitur tibi semen.*) vel loquens secundùm ordinẽ causarum secundarum: immolatio enim Ishac futura erat non secundùm ordinem secundarum causarum; sed secundùm miraculosum ordinẽ supremæ causæ. Verum itaque dixit, quod futurum erat secundùm ordinem communem causarum, tacito ordine supernaturali. Et hæc sermonis ratio magis quadrat magnitudini, tum obedientiæ, tũ facti Abrahæ: minùs enim valdè fuisset immolare filium statim resurrecturum.

[c] Legimus 4 Reg. 6. cum milites Regis Syriæ in Dotan tendere statuissent, eoq; iam delati essent, Eliseum Prophetam eis dixisse: *Non est ciuitas hac, quam quæritis*, quæ verba, sicut per amphibologiam accipienda sunt, vt ipse his aliquid tacite subintellexerit; sic & Abraham aliquid sub his verbis intellexisse credamus; puta, si Deus velit; vel aliud quid simile.

Vers. 6. Et cepit Abraham ligna holocausti, & posuit super Ishac filium suũ. Ipse verò portabat in manibus suis ignẽ, & gladium. Cúmque duo pergerent simul, *Vers.* 7. dixit Ishac patri suo: Pater mi. At ille respondit: Quid vis, fili?] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce ego, fili mi.* Promptitudo Abrahæ erga filium Hebræa phrasi significatur, dicendo: *Ecce ego.* teneritudo autem dicendo, *fili mi.*

Ecce, inquit, ignis, & ligna: vbi est victima holocausti?] Iuxta Hebræum habetur: *Et vbi pecus ad holocaustum?* Intellige tamen pecus masculini generis animal, vt comprehendit arietem, & agnũ. Propter quod aliqui transtulerunt, agnum.

Vers. 8. Et dixit Abraham: Deus prouidebit sibi victimam.] Iuxta Hebræum habetur: אלהים *videbit sibi pecus ad holocaustũ, fili mi.* Nominatur Deus אלהים ratione distributiuæ iustitiæ, cuius est curam habere eorum, quæ ad diuinum cultum sunt opportuna, ne desint religionem exercentibus. Et dicit, *videbit*, visione non speculatiua, sed practica: qua dicitur videre ea, quæ videt, consulendo; & non videre ea, quæ permittit, & quibus, tanquã non sit ei curæ, non obuiat.

Pergebant ergo pariter: *Vers.* 9. veneruntque ad locum, quem ostenderat ei Deus, in quo ædificauit altare: & desuper ligna composuit. Cúmque colligasset Ishac filium suum, posuit eum in altari super struem lignorum.] Cerne stupendam obedientiam, mansuetudinem, ac fidem Ishac, non resistentis patri, (cùm facilè potuisset euadere,) & credentis diuino præcepto per patrẽ illi tunc patefacto. Vnde ratio ligandi non fuit timor, ne fugeret Ishac, aut ne exiliret ab altari (vt aries, aut vitulus, cùm mactatur, nisi sit ligatus:) sed ne inuoluntarij (vtpote naturales) motus membrorum in actu iugulationis surgentes, ordinatum, compositúmque situm victimæ exturbarent in nonnullam indecentiam diuini sacrificij.

Vers. 10. Extendítque manum suam: & arripuit gladium, vt immolaret.] Iuxta Hebræũ habetur: *Ad iugulandum filium suũ.* More lanionũ iugulantiũ animalia in macello.

Vers. 11. Et ecce Angelus Domini de cælo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vocauit ad eum Angelus* יהוה *de cælis.* Decima hæc visio diuina Abrahæ, quemadmodum fuit sensibilis quoad vocem; ita sensibilis credenda est quoad sensum visus: ita quòd Angelus in specie visibili apparuit, (non in terra, sed in aëre,) tanquàm à supernis descendens, vocando Abraham. Describitur autem Angelus Dei, quatenus est fons essendi, ratione operis nunciandi: veniebat enim ad seruandum esse Ishac.

Et dixit: Abraham, Abraham. Qui respondit: Adsum.] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce ego.* Promptitudinis est.

Vers. 12. Dixítque ei: Non extendes manum tuam super puerum: neq; facies illi quicquam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non facies illi nihil.* Mors annihilatiua est: & præcipuè talis mors, videlicet, in holocaustum. Nam soli cineres remanent: & propterea Angelus huiusmodi annihilationem Ishac prohibendo, dicit: *Et non facies ei nihilum.*

Nunc cognoui, quòd timeas Deum.] Nomen est אלהים, aptè congruens timori. Timor siquidem debetur summo Iudici. Et quẽadmodum metaphoricè tentauit Deus Abrahã; ita metaphoricè dicit: *Nunc cognoui.* hoc est, ad similitudinem me habui nunc cognoscentis experientia facti tui, quòd times Deum. Est enim sermo de notitia experimentali, quæ non nisi metaphoricè conuenit Deo. Experimentalis enim notitia directè respondet tentationi. Nam tentatio suapte natura ordinatur ad cognoscendum ab experientia.

Et non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.] Iuxta Hebræum habetur: *Et*

Et non prohibuisti filium tuum, vnicum tuum de me. Quantitatem amoris, odium, timor, tristitia, ac euitatio mali contrarij testantur: & ideò vocabulo prohibitionis, cuius materia est malum (prohibemus enim mala) vtitur. Et aptè timori summi Iudicis adiungit non prohibitionem tanti mali proprij, quantùm erat occisio proprij filij propter Deum: nam & timoris materia malum est: non enim timemus bona, sed mala. Et Abraham timebat mala infligenda ab אלהים. Sic enim propriè timemus Deum potentem mittere in gehennam. Et propriissimè significatur magnifica illa actio Abrahæ, dicendo: *Et non prohibuisti.* Nam, si dixisset: Et sacrificasti. actio religiosa significata esset. Et si dixisset: Occidisti, seu iugulasti. actio quidem respectu mali significata fuisset: sed falsò. Et si dixisset: Voluisti iugulare. minor actio significata fuisset. Sed dicendo: *Et non prohibuisti.* significatur exterior actio occisiua; non in animo; non in inchoatione capace pœnitentiæ: sed in actu exteriori exercito absque vlla prohibitione secuturi effectus occisionis. Et est sensus: Et non prohibuisti actionem occisiuam filij tui ex me proficiscentem. Exaggerando autem magnificum factum, dicit: *Filium tuum, vnicum tuum.*

Vers. 13. Leuauit Abraham oculos suos: viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus. Quem assumens, obtulit holocaustum pro filio. *Vers.* 14. Appellauitque nomen loci illius Dominus videt.] Iuxta Hebræum habetur: יהוה *videbit.* A nomine loci, prouidentiam respectu singularium actionum, ac rerum omnium in his inferioribus summi Dei (qui est primum principium, dans esse omnibus) profitetur non defuturam.

Vnde vsque hodie dicitur: In monte Dominus videbit [d].] Iuxta Hebræum habetur: *In monte à* יהוה *videtur.* Aptè vulgatum montis nomen per verbum passiuum respondet nomini imposito ab Abraham per verbum actiuum, vt patet. Et nominatur Deus, primum essendi principium: vt illius prouidentia vsque ad minima, testimonium etiam ex hoc nomine haberet.

[d] Vide rationem, quare mons Moriat, terra visionis superiùs nominatus sit. Cæterùm mons iste patebat vndique versum cubitis quingentis, muroque postmodum cinctus. Fuit id enim mons cum Siō.

Vers. 15. Vocauit autem Angelus Domini Abraham secundò de cœlo, dicens.] Dictio interpretata, *Domini*, est nomen tetragrammaton, vt ab ipso essendi fonte Angelus idem annunciet multiplicationem, extensionem, ac benedictionem essendi.

Vers. 16. Per memetipsum iuraui, dicit Dominus.] Nomen est tetragrammaton, mittentis Angelum, ad significandum curam singularium singulariter illi incumbere. Et dicitur, quòd Deus iurauit in semetipso metaphorico sermone; hoc est, quòd ad similitudinem iurantis immobiliter deliberauit. Et iurauit in semetipso: quia superiorem non habet, in quo iuraret ad firmiùs affirmandum. Annunciat itaque Angelus, Deum non solùm decreuisse; sed omnimoda immobilitate definisse. Quod adhuc non fuerat Abrahæ reuelatum. Hoc enim iuramentum nouiter annunciatum est Abrahæ ex merito tanti facti.

Quia fecisti rem hanc.] Disposuerat Deus ab æterno se facturum ea, quæ subiunguntur: sed, quia disposuerat se facturum illa, intercedente hoc merito Abrahæ, tanquàm causa secunda; ideò dicit: *Quia fecisti rem hanc.*

Et non pepercisti filio tuo vnigenito.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non prohibuisti filium tuum, vnicum tuum.* Expone, vt suprà.

Vers. 17. Benedicam tibi, & multiplicabo.] Iuxta Hebræum habetur: *Quòd benedicendo faciam benedicere te, & multiplicando faciam multiplicare.*

Semen tuum, sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris.] Manifestatur, quòd benedictiones, & multiplicationes, quæ fient per causas secundas, procedent à diuina benedictione, & multiplicatione. Et benedictio quidem refertur ad ipsum Abraham: multiplicatio autem ad semen eius. Comprehendit autem benedictio largitionem rerum spiritualium, & corporalium.

Possidebit. (Iuxta Hebræū habetur: *Hereditabit.*) Semē tuū portas inimicorū suorum.] Quod est longè plùs quàm possidere. Et hoc adimpletum fuit post exitum populi de Ægypto, quando hæreditario iure acquisiuerunt Chanahan.

Vers. 18. Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.] Hoc adimpletum est per Messiam: quoniam in Messia benedicuntur vniuersæ nationes terræ successiuè. Aduerte, quòd illud idem promissum [e] Abrahæ in prima visione scripta capitulo 12. modò repetitur; clariùs tamen: quia, quod ibi implicitè dicitur: *Et benedicentur in te*, hîc explicatur dicendo, *in semine tuo.* Neque enim ibi promissum est, quòd in ipso Abraham secundùm seipsum benedicendæ essent omnes familiæ gentium; sed, quòd (vt hîc aperitur) in ipso secundùm eius semen, qui Messias est, benedicendæ essent omnes gentes terræ.

[e] Longè plura Sancti in promissionibus sibi factis intellexerunt, quàm videatur contextus Literæ indicare. Nam, quis diceret, in his promissionibus, Abraham orbis futuram redēptionem intellexisse. Et tamen Ioan. 8. testatur Christus, suū diem vidisse, & exultasse. Et Paulus ad Galatas, hac in Litera vnitatem Ecclesiæ promissam dicit. Quare, licèt Deus Scripturæ literam tectiorem esse voluit, vt videntes non viderent, Patriarchis & Sanctis in illa multò plura ostēdit. Et hinc certè fuit generalis illa, atque vulgaris Christi expectatio, non apud Iudæos solum, verùm etiā apud Samaritanos, & gentes omnes: quod & Sibyllarum vaticinia testantur.

Quia obedisti voci meæ.] Ecce ratio totius meriti.

Vers. 19. Reuersus est autem Abraham ad pueros suos, Et surrexerunt, & ierunt simul ad Beersabah: & habitauit Abrahā in Beersabah.] Hinc apparet, quòd tempore istius Sacrificij Abraham adhuc habitabat in Palæstina.

Vers. 20. His itaque gestis, nunciatum est Abraham, quòd Milcha quoque genuisset filios Nachor fratri suo: *Vers.* 21. Huz primogenitum, & Buz fratrem eius, & Cemuël patrem Syrorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Patrem Aram.* Nec est certum, an de Aram Syriæ ciuitate, (quæ vocatur Aram Soba;) an de Aram inter Euphratem, & Tigrim ciuitate, sit sermo. Primus tamen intellectus apparet verus, eò quòd inferiùs in cap. 24. Aram Mesopotamiæ nuncupatur ciuitas Nachor: ac per hoc non fuit illius ciuitatis pater, filius Nachor.

Vers. 22. Et Chesed, & Chazo, & Pildas, & Idlaph, *Vers.* 23. & Bethuel, de quo nata est Ribca.] Propter hanc Moses inseruit vniuersam hanc generationem. Alij enim impertinentes sunt materiæ libri: solaque Ribeca, vxor Ishac, ad propositum spectat, &c.

Octo istos genuit Milcha, Nachor fratri Abraham. *Vers.* 24. Concubina verò illius, nomine Reuma, peperit etiam ipsa Tebach, & Ghacham, & Thacas, & Mahacham.]

CAPVT

CAPVT XXIII.

Vers. 1.

Vixit autem Sara centum vigintiseptem annis.] Iuxta Hebræum sic scribitur: *Et fuerunt vita Sara centum anni, & viginti anni, & septem anni, vitarum Sara.* In qua Litera priùs describitur vita Saræ: deinde supputantur anni eiusdem vitæ. Describitur autem vita in numero plurali: quia caret singulari apud Hebræos.

Vers. 2. Et mortua est in ciuitate Arbee: quæ est Chebron [a], in terra Chenahan.] Hinc apparet, quòd Abraham migrauerat de Beersabah in hanc ciuitatem Arbee, corrupto vocabulo. Nam Hebraïcè appellatur Arbah. Vbi scito, quòd Arbah est nomen æquiuocum: nam & significat quatuor, & est nomen proprium gigantis cuiusdam excellentis. Et hæc ciuitas cognominata est ab illo gigante: vt testatur Scriptura Iosuè 14. in Textu Hebraïco. Nam vbi vulgata editio habet: *Nomen Ebron antè vocabatur Cariatharbe, Adam maximus ibi inter Enachim situs est.* Hebraïca Litera habet: *Et nomen Chebron anteà fuit Ciriath-Arbah,* (hoc est, ciuitas Arbah:) *homo magnus in Enachim ipse.* Et est sermo appositiuus. Vide, quanti refert exponere textum originalem, vel exponere Interpretes.

[a] Hebron in vmbilico fortis Iudæ sita erat, sic dicta à filio Caleph, cum antea Cariatharba diceretur. Distat à Ierusalé milliaribus viginti duobus in monticulo locata: quam cum olim filij Israel pro-fectione Ægyptiaca reliquissent [illegible] gigantem, & [illegible] Enach factum est [illegible]aculum.

Venítque Abraham, vt plangeret, & fleret eam. *Vers.* 3. Cúmque surrexisset ab officio funeris.] Iuxta Hebræum habetur: *Et surrexit Abraham desuper facies mortui sui.* Insinuatur, quòd Abraham exercuit officium luctus iacens, seu sedens in loco superiore, respectiuè ad faciem cadaueris, (tanquàm continuè spectans faciem vxoris:) & quòd ex illo loco surrexit.

Et locutus est ad filios Cheth, dicens: *Vers.* 4. Aduena sum, & peregrinus apud vos.] Iuxta Hebræum habetur: *Habitans, & sedens ego vobiscum.* Inuitat enim populum, qui conuenerat ad honorandum funus, ex eo, quòd erat habitator quietus ciuitatis eorum.

Date mihi ius sepulcri vobiscum.] Iuxta Hebræum habetur: *Date mihi possessionem sepulcri inter vos.* Non petit licentiam sepeliendi inter eos, sed possessionem; hoc est, proprietatem, vt sepulcrum sit situm in territorio eorum.

Et sepeliam mortuum meum.] Desunt tres dictiones: *A faciebus meis.* Quamuis Hebraïca phrasi scribatur, *de*; & subauditur præsentia: deinde subditur in datiuo, *faciebus meis.* Et sensus idem est.

Vers. 5. Responderúntque filij Cheth:]
Vers. 6. Audi nos, Domine.] Deest, *mi.* Vnus, qui nomine omnium respondit, dixit: *Domine mi.*

Princeps [b] Dei es apud nos.] Iuxta Hebræum habetur: *Princeps* אלהים *tu inter nos.* Fulgebat in Abraham tãta iustitia diuina, vt vices summi Iudicis Dei gerere videretur ibidem.

[b] Principem vocat Hebraismus virum magnum, & qui præ cæteris eminet in populo. Sensus igitur est: Tu inter primores nostræ vrbis à nobis habitus es: iudex & vir Dei, & sanctus: quare in sepulcris nostris sepelias mortuum tuũ.

In electis sepulcris nostris (iuxta Hebræum habetur: *In electo sepulcrorum nostrorum.*)

Sepeli mortuum tuum.] Optionem sepulcri offerunt Abrahæ.

Nullúsque te prohibere poterit, quin in monumento eius sepelias mortuum tuum.] Minùs habetur iuxta Hebræum: *Vir ex nobis sepulcrum suum non prohibebit ad te ad sepeliendum mortuum tuum.* Vbi clarè patet, sermonem restringi ad præsentes, quamuis fortè omnes conuenissent: nec asseri non poterit, sed non prohibebit.

Vers. 7. Surrexit Abraham, & adorauit populũ terræ, filios, videlicet, Heth.] Iuxta Hebræum habetur: *Et inclinatus est populo terræ, filiis Cheth.* Non adoratio, sed honoratio scribitur.

Vers. 8. Dixítque ad eos: Si placet animæ vestræ, vt sepeliam mortuum meũ.] Deficit quoque hîc: *A faciebus meis.* Interpres superflua hæc reputauit; cùm tamen significent qualitatem personæ mortuæ; videlicet, quòd erat vxor eius; vtpote, iuncta faciei eius. A coniunctione siquidem mulieris cum facie viri, vxor denominata est, (quamuis coniunctio taceatur,) non nouiter; sed etiam à principio, quo creata est Eua.

Audite me, & intercedite apud Hephron filium Sochar, *Vers.* 9. vt det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui: pecunia digna tradat mihi eam coram vobis, (iuxta Hebræum habetur: *In argento pleno dabit eam mihi inter vos,*) in possessionem sepulcri.] Vbi clarè verba sonant, speluncam in possessionem sepulcri vendendam sibi, proponi ab Abraham, tam iusto viro. Dico autem hoc, vt perpendatur nullum peccatum, nullámque speciem mali esse, emere, aut vendere sepulcrum, semotis legibus positiuis: nam homo mortuus non est magis sacer, quàm homo viuus: ac per hoc iustus mortuus non reddit sepulcrum sacrum magis, quàm iustus viuus reddat domum, quam habitat, sacram. Nec actus sepeliendi est sacratior habitatione. Quo fit, vt cùm tunc non fuerint huiusmodi leges positiuæ, nullum peccatum fuerit emere, aut vendere sepulcrum.

Vers. 10. Habitabat autem Hephron in medio filiorum Cheth.] Scribitur hoc, ad insinuandum; tum, quòd Hephron erat in ciuitate præsens; tum, quòd spelunca illa erat commoditati Hephron.

Respondítque Hephron.] Deficit, *Hithæus.* Explicatur, quòd etiam Hephron erat Hithæus.

Ad Abraham cunctis audientibus, qui ingrediebantur portam ciuitatis illius, dicens: *Vers.* 11. Nequaquam ita fiet, domine mi: sed magis ausculta, quod loquor. Agrum trado tibi, & speluncam, quæ in eo est, præsentibus filiis populi mei: sepeli mortuum tuum.

Vers. 12. Adorauit Abraham coram populo terræ.] Iuxta Hebræum habetur: *Et inclinauit se Abraham faciebus populi terræ.* Non adoratio, sed honoratio significatur.

Vers. 13. Et locutus est ad Hephron, circunstante populo terræ, dicens: Quæso, vt audias me: dabo pecuniam pro agro, suscipe eam: & sic sepeliam mortuũ meum in eo. *Vers.* 14. Respondit Hephron: *Vers.* 15. Domine mi, audi me. Terra, quam postulas, quadringentos siclos

siclos argenti valet. Istud est pretium inter me, & te: sed quantùm est hoc.] Non habentur hæc omnia iuxta Hebræum: sed post, *quadringentos siclos argenti*, immediatè subiungitur: *Inter me, & inter te, quid ipsa?*

Sepeli mortuum tuum.] Et videtur ordo Literæ: Quid ipsa terra quadringentorum siclorum inter me, & inter te? Tanquàm diceret: Parui momenti est terra huiusmodi inter te, & inter me. Insinuatur enim, quòd erant ambo diuites.

Vers. 16. Quod cùm audisset Abraham, appendit pecuniam, quam Hephrō postulauerat, audientibus filiis Cheth, quadringentos siclos argenti, & probatæ monetæ publicæ [f]. *Vers.* 17. Confirmatúsque est ager quondam Hephronis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et surrexit ager Hephron.* Vtitur Moses metaphora surgendi; significando, agrum eleuatum in meliorem conditionem per hoc, quòd emptus est ab Abraham.

[f] Monetas olim certum pondus habuisse, sicut & nunc, ex profanis, & sacris Scripturis manifestò constat: quanquam signatæ, necne fuerint, controuertitur. Siclus, vt aiunt, Mosis tempore 160. grana hordei ponderabat: tempore vero secundi templi ad 384. creuit, Hebræorum auaritia, quod Dominus per Ezechielem, 45. cap. illis improperauit, valebat circiter decem, & septem solidos.

In quo erat spelunca duplex, respiciens Mambre.] Legendum esse, *Mamre.* Et clarè patet, quòd non est nomen viri in hac litera; sed est nomen loci, in quo olim habitauerat Abraham. Et si verum dicunt descriptores terræ sanctæ, distantia mediæ leucæ est inter hæc duo loca.

Tam ipse, quàm spelunca, & omnes arbores eius in cunctis terminis per circuitum,

Vers. 18. Abrahæ in possessionem.] Iuxta Hebræum habetur: *Per emptionem.* Prius enim describitur appensio argenti currentis inter mercatores: deinde proprietas agri acquisita Abrahæ per emptionem.

Videntibus filiis Cheth, & cunctis, qui intrabant portam ciuitatis illius. *Vers.* 19. Atque ita sepeliuit Abraham Saram, vxorem suam, in spelunca agri duplici.] Crediderim ego appellatam speluncam duplicem, eò quòd altera anterior, altera posterior interstitio naturali fuerit vnicum habens ingressum.

Quæ respiciebat Mambre.] Iuxta Hebræum habetur: *Super facies Mamre.* Priùs descripserat situm speluncæ ad facies Mamre: modò describit situm eiusdem super facies Mamre: ad significandum, quòd erat sic ad conspectum Mamre, vt emineret.

Hæc est Chebron in terra Chenahan.] Pronomen, *hæc*, non demonstrat Mamre; sed speluncam: quia nomen Chebron extensum est vsque ad locum huius agri, ad quem forte non extendebatur antiquum nomen ciuitatis.

Vers. 20. Et confirmatus est ager.] Iuxta Hebræum habetur: *Et surrexit ager.*

Et antrum, quod erat in eo, Abrahæ, in possessionem monumenti à filiis Cheth.] Eadem vtitur metaphora, describendo agri possessionem ab Abraham, qua vsus fuerat, illius proprietatem emendo.

CAPVT XXIV.

Vers. 1. ERat autem Abraham senex, dierúmque multorum.] Verè Abraham senex venerat in dies; vtpote, centum quadraginta annorum.

Et Dominus in cunctis benedixerat ei.] Nomen est tetragrammaton, congruens diuinæ largitati, tam affluenti erga Abraham in omnibus.

Vers. 2. Dixítque ad seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat: Pone manum tuam super femur meum [a].] Corrupta est litera: legendum est: *Sub femore meo.* sic enim habetur in Hebræo. Et erat modus iurandi valdè congruus materiæ, de qua tractabatur; videlicet, generationi per coniugium filij.

[a] Rabbi Salomon dicit, ideò Patriarchas manu imposita femori iurasse, quòd in illo loco signum fœderis Dei existeret; nempe, circuncisio, quæ, tanquàm res sacra habebatur. Qui iurandi mos, vt tradit Aben-Esra, adhuc in India obseruatur.

Vers. 3. Vt adiurem te per Dominum Deum cæli, & terræ.] Iuxta Hebræum habetur: *In* יהוה *Elohe cælorum, & Elohe terræ.* Quamuis modus iurandi esset, ponere manum sub femore Abrahæ, cui iurabatur; non tamen iuramentum fiebat in creatura, sed in Creatore. Et nominatur Deus inuocatus in testem, non solùm primum essendi principium, sed Iudex cælorum, & Iudex terræ: vt qui dat esse omnibus, ipse vindex sit, si contra officium propagandi esse fiat. Et dicitur Deus Iudex cælorum, eò quòd verè Iudex est omnium spiritualium substantiarum, quæ in cælis superioribus, & inferioribus, (aëre, scilicet,) sunt.

Vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito: *Vers.* 4. sed ad terram & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo Ishac.] Non ad Vr Chaldæorum, neque ad aliquam aliam ciuitatem in specie; sed ad Mesopotamiam (hoc est, terram inter Euphratem, & Tigrim) mittit, appellando illam terram suam: quia verè inde erat oriundus. Nulla itaque certa ciuitas: sed certa regio significatur, dicendo, *ad terram meam.* Et per hoc exclusit consanguineos, tam genitos ex Lot, quàm Ismahele: vtrique enim erant in terra Chanahan, seu Syriæ: & non in terra vltra Euphratem, vnde erat oriundus Abraham. Et ne ex quacunque progenie Mesopotamiæ, sed ex propria gente (hoc est, ex propria consanguinitate,) vxorem acciperet Ishac, adiunxit, *& cognationem meam*; seu, vt aliis videtur, *ad natiuitatem meam*; hoc est, ad gentem, de qua natus sum ego; quæ vocatur consanguinitas, seu cognatio. Vbi aduerte, quòd, quamuis Moses hæc pauca verba, continentia substantiam dictorum, narret; multò tamen plura dicta, vel nota fuerunt seruo, qui mittebatur: præcipuè, quia, vbi vulgata editio habet, quòd Abraham dixit: *Ad seruum seniorem domus suæ.* iuxta Hebræum habetur: *Ad seruum inueteratum domus suæ.* Hinc enim colligitur, quòd seruus iste fuerat cum Abraham in Mesopotamia: & sciebat, imò viderat omnem cognationem Abrahæ, & locum, seu loca habitationis eorum trans flumen Euphratis.

Vers. 5. Respondit seruus: Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, debeóne ducere filium tuum ad terram, de

de qua tu egressus es? *Vers.* 6. Dixit Abraham: Caue, ne quando reducas filium meum illuc. *Vers.* 7. Dominus Deus cæli, & terræ. (iuxta Hebræum habetur: יהוה *Elohe calorum.*) Qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ: qui locutus est mihi; & iurauit dicens: Semini tuo dabo terram hanc:immittet Angelum suum coram te,& accipies inde vxorem filio meo. *Vers.* 8. Si autem mulier noluerit sequi te, non teneberis iuramento isto:solummodò filium meũ ne ducas illuc.] Nominat Abraham Deum ab esse,& iudicio cælorum, ad persuadendum seruo,primùm,ex tam excelsis Dei conditionibus, deinde ex tot beneficiis sibi à Deo collatis,quòd non deseret ipsum in hoc negotio;sed mittet Angelum suum antecedentem ipsum seruum ad hoc, vt succedat negotium hoc ad votum.Et hoc verè rei probauit euentus.

Vers. 9. Posuit ergo seruus manum sub femore Abraham, domini sui: & iurauit ei super sermone hoc. *Vers.* 10. Tulítque decem camelos de grege Domini sui: & abiit, ex omnibus bonis eius portans secum. Profectúsque perrexit in Mesopotamiam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et surrexit:& iuit ad Aram* [b] *fluuiorum.* Appellatur Aram fluuiorum, ciuitas quædam in Mesopotamia, (hoc est, in terra inter duo flumina,Euphratem, & Tigrim,) ad differentiam alterius Aram, quæ est in Syria,cuius in calce cap.22. mentio facta est. Vnde appositiuè adiungitur:

[b] *Haran*,quæ & Charam, à Chara fluuio, vrbs Mesopotamiæ celebris extitit: eam prope Damascum sitam citra Euphratem fuisse putat Eugubinus,fortè in hoc non multùm probandus: nam.Geographi eandem in Mesopotamia collocant, non longè à Nisibi oppido, seu Antiochia, quondam vrbe clarissima.

Ad ciuitatem Nachor.] Hactenus non scripserat Moses,vbi habitauerit Nachor. Nam, nec supputauit ipsum inter euntes cum Therach patre de Vr in Charan;nec scripsit, ipsum remansisse in Vr: sed seruus iste sciens cuncta gesta, iuit recto itinere ad Aram trans Euphratem, sciens Nachor habitasse ibi: & proptereà dicitur, *ad ciuitatem Nachor*, non tanquàm domini, (quantùm scitur;) sed tanquàm habitatoris.

Vers. 11. Cúmque camelos fecisset accumbere extra oppidum, iuxta puteum aquæ, vespere,(eo tempore, quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam,) dixit: *Vers.* 12. Domine Deus domini mei Abraham.] Iuxta Hebræum habetur: *Iehouah Elohe domini mei Abraham.* Ad ipsum summum essendi principium recurrit, orando pro prosperitate officij ad coniugium propagatiuum seminis Abrahæ. Et qui nominatus fuerat Iudex cælorum, & Iudex terræ; modò inuocatur Iudex Abrahæ ad dirigendum medios actus congruos effectui promisso, & iuramento firmato.

Occurre,obsecro, mihi hodie.] Iuxta Hebræum habetur: *Fac occurrere nunc faciebus meis,hodie.*

Et fac misericordiam cum domino meo Abraham. *Vers.* 13. Et ecce ego sto prope fontem aquæ: & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam. *Vers.* 14. Igitur puella, cui ego dixero:Inclina hydriam tuam, vt bibam. & illa responderit: Bibe,quin & camelis tuis dabo potum. ipsa est, quam præparasti seruo tuo Ishac. Et per hoc intelligam, quòd feceris misericordiam cum domino meo.] Respondet hæc oratio promissioni Abrahæ: *Deus mittet Angelum suum faciebus tuis.*

Vers. 15. Nondum intra se verba compleuerat:& ecce Ribca egrediebatur,filia Bethuël,filij Milchæ, vxoris Nachor,fratris Abraham; habens hydriam in scapula: *Vers.* 16. Puella decora nimis, virgóque pulcherrima, & incognita viro.] Iuxta Hebræum habetur: *Et puella bona aspectu valdè,virgo, & vir non cognouit ipsam.* Nisi ad ampliorem expressionem adiunctum sit, *& vir non cognouit ipsam*; suspicor, virginis nomine habitum innuptarum virginum significari: ita,quòd describitur ab ætate,*puella*; à formositate,*bona aspectu valdè*;ab habitu, *virgo*;ab integritate carnis,*& vir non cognouit eam.*

Descenderat autem ad fontem: & impleuerat hydriam, ac reuertebatur. *Vers.* 17. Occurrítque ei seruus,& ait: Pauxillum aquæ mihi ad sorbendum præbe de hydria tua. *Vers.* 18. Quæ respondit: Bibe, domine mi. Celeritérque deposuit hydriam super vlnam suam: & dedit ei potum. *Vers.* 19. Cúmque ille bibisset, adiecit: Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant. *Vers.* 20. Effundénsque hydriam in canalibus.] Iuxta Hebræum habetur, *ad bibitorium.* subaudi,animalium.

Recurrit ad puteum, vt hauriret aquã: & haustam omnibus camelis dedit. *Vers.* 21. Ipse autem contemplabatur eam tacitus,scire volens.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vir stupens, seu,attonitus, propter eam,faciens tacere ad sciendum.*

Vtrùm prosperum fecisset iter suum Dominus, an non?] Non solùm ipse tacebat admiratus; verùm aliis suis silentium innuebat,ad hoc,vt hinc cognosceret profectum itineris sui à Domino.

Vers. 22. Postquàm autem biberunt cameli,protulit vir inaures aureas appendentes duos siclos.] Iuxta Hebræum habetur: *Circum aureum,becah pondus eius.* Vbi clarè vides, nullam fieri mentionem inaurium. Quantum autem pondus significet, *becah*, non inueni.

Et armillas totidem pondo siclorum decem.]Iuxta Hebræum habetur: *Et duas armillas super manus eius: decem aurei, pondus eorum.* Hæc est veritas Hebraïci Textus.

Vers. 23. Dixitque ad eam:Cuius es filia? Aduerte, quòd (vt testatur istemet seruus in hoc eodem capitulo)priùs interrogauit eam, cuius es filia; & posteà ornauit illam circulo,& armillis,tanquàm consanguineam domini sui: sed Moses narrat priùs rem gestam: & posteà rationem rei gestæ.

Indica mihi.Est in domo patris tui locus ad manendum? *Vers.* 24. Quæ respondit:Filia Bethuëlis sum,filij Milchæ, quem peperit ipsi Nachor. *Vers.* 25. Et addidit dicens:Palearum quoque,& fœni plurimùm est apud nos: & locus spatiosus ad manendum. *Vers.* 26. Inclinauit se homo: & adorauit Dominum.] Nomen est tetragrammaton.

Vers. 27. Dicens:Benedictus Dominus Deus

Deus domini mei Abraham.] Iuxta Hebræum habetur: *Benedictus* יהוה אלהים *domini mei Abraham.*

Qui non abstulit misericordiam, & veritatem suam à domino meo.] Sub eisdem nominibus laudat Deum, gratias agendo, quibus inuocauerat eum. Et misericordia quidem respondet primo nomini: veritas autem secundo.

Et recto itinere perduxit me in domum fratris domini mei.] Iuxta Hebræum habetur: *Ego in via, duxit me* יהוה *domum fratrum domini mei.* Subiungit seruus materiam beneficij diuini collati Abrahæ, dicendo: Ego in via, supple, constitutus sum: & in ipsa via ducem habui summum essendi principium sic quòd direxit, & duxit me in domum consanguineorum domini mei Abrahæ. Ratio, quare fonti essendi attribuuntur hæc beneficia, iam dicta est.

Vers. 28. Cucurrit itaque puella: & nunciauit in domo matris suæ omnia, quæ audierat.] Non dixit, patris sui, sed, *matris suæ:* quia tunc viri habebant plures vxores habentes plura habitacula: & propterea Ribeca ad habitaculum matris suæ currens, dicitur, quòd annunciauit domui matris suæ: non enim annunciauit domui (hoc est, familiæ) nouercæ; sed matris suæ. Et ponderando verbum, *nunciauit*, cessat omnis coniectura de morte patris hinc tracta: quoniam non de domo, hoc est, ędificio; sed de domo, hoc est, familia, (cui potest nunciari,) constat esse sermonem.

Vers. 29. Habebat autem Ribca fratrem, nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem, vbi erat foris. *Vers.* 30. Cúmque vidisset inaures, (pro, *circulum*,) & armillas in manibus sororis suæ, & audisset cuncta verba referentis: Hæc locutus est mihi homo.] Contextus debuisset fieri: *Cum enim vidisset.* nam ratio festinationis Laban describitur; tum visus armillarum, & circuli; tum auditus relatorum à Ribeca verborum. Priùs enim Moses describit rem gestam: & deinde rationem rei gestæ.

Venit ad virum, qui stabat iuxta camelos, & prope fontem aquæ: *Vers.* 31. dixitque ad eum: Ingredere, benedicte Domini.] Nomen est tetragrammaton: summum enim Deum dantem omnibus esse, etiam Laban didicerat: & tanquàm Deum communem benefactorem omnium, benefieum quoque illi nominat.

Cur foris stas? præparaui domum, & locum camelis. *Vers.* 32. Et introduxit eum in hospitium: ac destrauit camelos.] Iuxta Hebræum habetur: *Absoluit camelos.* proculdubiò à vinculis clitellarum.

Deditque paleas, & fœnum: & aquam ad lauandos pedes camelorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Pedes eius*, hoc est, illius serui Abrahæ; & virorum, qui venerant cum eo [a].

Vers. 33. Et appositus est in conspectu eius panis. Qui ait: Non comedam, donec loquar sermones meos. Responditei: Loquere. *Vers.* 34. At ille: Seruus, inquit, Abraham sum: *Vers.* 35. Et Dominus benedixit domino meo valdè, & magnificatus est.] Dictio interpretata, Dominus, est nomen tetragrammaton, congruum tantæ largitati.

[a] Olim sanctis viris mos fuit, hospitibus osculū dare, eorúmque pedes abluere, in signum officiosæ charitatis. Simili signo Christus, discipulis suis, charitatem commendare volens, pedes eorum lauit; nempe, ad antiquorū factum alludens, ad quod etiam Paulus 1. ad Timotheum 5. allusit, viduam quæ rēs, quæ pedes Sanctorū lauaret; hoc est, officioso ministerio illis inseruiret.

Et dedit ei oues, & boues; argentum, & aurum; seruos, & ancillas; camelos, & asinos: *Vers.* 36. Et peperit Sara, vxor domini mei, filium domino meo, in senectute sua: deditque illi omnia, quæ habebat.] Hinc apparet, quòd Abraham, postquàm eiecit Ismaëlem, donauit, fortè adhuc viuente Sara, omnia sua filio suo Ishac. Et retulit hæc seruus, ne crederent parentes Ribecæ, quòd diuitiæ Abrahæ hæreditandæ essent à multis filiis.

Vers. 37. Et adiurauit me dominus meus, dicens: Non accipies vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in quorum terra habito: *Vers.* 38. sed ad domum patris mei perges, & de cognatione mea accipies vxorem filio meo. *Vers.* 39. Ego verò respondi domino meo: Quid, si noluerit venire mecum mulier? *Vers.* 40. Dominus, ait, in cuius conspectu ambulo.] Parui refert, quòd in Hebræo habetur, *ambulaui*: & est nomen tetragrammaton eadem ratione.

Mittet Angelum suum tecum, & diriget viam tuam: accipiésque vxorem filio meo de cognatione mea, & de domo patris mei: *Vers.* 41. Innocens eris à maledictione mea, cùm veneris ad propinquos meos, & non dederint tibi.] Reputauit Interpres, superfluam esse repetitionem, quæ in Textu Hebræo legitur: *Tunc eris mundus à iuramento meo, quando venies ad cognationem meam: etsi non dabunt tibi, & eris mundus à iuramento meo.* Duo sub iureiurando comprehendebantur. Alterum, vt iret ad cognationem Abrahæ, quæ morabatur inter Tigrim, & Euphratem. Et ad implendum hoc, per multas fortè vagandum erat ciuitates, in quas sparsa erat cognatio Abrahæ: & propterea, quantùm ad iter complendum, mentio fit iuramenti. Alterum, quòd diligentia sua vteretur apud singulos consanguineos Abrahæ, donec inueniret vxorem filio suo Ishac: & propterea iterum fit mentio iuramenti.

Vers. 42. Veni ergo hodie ad fontem: & dixi: Domine Deus domini mei Abraham, si direxisti.] Iuxta Hebræum habetur: יהוה אלהים *domini mei Abraham, si es tu nunc faciens proficere viam meam, in qua nunc ambulo.* Ratio nominum Dei inuocati ad hoc negotium, iam reddita est.

Vers. 43. Ecce sto iuxta fontem aquæ: & virgo, quæ egredietur ad hauriendam aquam, audierit à me: Da mihi paululum aquæ ad bibendum ex hydria tua: *Vers.* 44. Et dixerit mihi: Et tu bibe, & camelis tuis hauriam. ipsa est mulier, quam præparauit Dominus filio domini mei.] Dictio interpretata, *Dominus*, est nomen tetragrammaton eadem ratione.

Vers. 45. Cúmque hæc tacitus mecum voluerem, apparuit Rebeca.] Clariùs signum diuinæ prouidentiæ iuxta Hebræum manifestatur:

nifeſtatur: *Ego adhuc non finieram loqui in corde meo, & ecce Rebeca.*

Egrediens cum hydria, quam portabat in ſcapula ſua: deſcenditque ad fontem, & hauſit aquam. Et aio ad eam: Da mihi paulatim bibere. *Verſ.* 46. Quæ feſtinans depoſuit hydriam de humero: & dixit mihi: Et tu bibe, & camelis tuis potum tribuam. Et bibi, & etiam adaquauit camelos. *Verſ.* 47. Interrogauíque eam; & dixi: Cuius es filia? Quæ reſpondit: Filia Bethuëlis ſum, filij Nachor, quem peperit illi Milcha.] Ideò enim iſte refert orationem ſuam innixam promiſſioni Abrahæ, & huiuſmodi occurſum euentus, vt diuinæ prouidentiæ opus agnoſceretur.

Suſpendi itaque inaures, ad ornandam faciem eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et poſui circulum ſuper nares eius.* Si miraris circulum aureum poſitum in naribus puellæ, ad ornatum illius, lege capitulum 3. Iſaiæ: ſciens, quòd vbi vulgata editio habet: *Et gemmas in fronte pendentes.* Textus Hebraïcus habet: *Et circulos naris.* Certúmque eſt, ſermonem fieri de ornamentis mulierum. Habuerunt illa ſæcula hæc ornaméta, quibus nō vtuntur noſtrates.

Et armillas in manibus eius.] Ornamenta brachiorum conſtat eſſe armillas. Et in Hebræo non habetur præpoſitio, *in*; ſed præpoſitio, *ſupra*: ne intelligeremus ornamenta manuum, ſed ornamenta membrorum ſupra manus. Et hæc quoque ſunt ornamenta circularia brachiorum, quemadmodum annuli ſunt ornamenta digitorum.

Verſ. 48. Pronúſque adoraui Dominum.] Nomen eſt tetragrammaton.

Benedicens Domino Deo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et benedixi* יהוה אלהים *Domini mei Abraham.* Ratio congruitatis nominum diuinorum non eſt repetenda: quoniam eadem eſt materia.

Qui perduxit me recto itinere.] Iuxta Hebræum habetur: *Qui duxit me in via veritatis.*

Vt ſumerem filiam fratris domini mei, filios eius.] Ego puto legendum eſſe in ablatiuo, *veritate*: vt ſit conſtructio appoſitiua, *in via in veritate*: nam in Hebræo nullus eſt articulus genitiui caſus. Agnoſcit ſeruus beneficium diuinum, quòd verificatum eſt dictum Abrahæ, confidentis in Deo, non ſolùm in proſperitate viæ; ſed etiam in veritate ſperati coniugij.

Verſ. 49. Quamobrem, ſi facitis miſericordiam, (pro, *gratiam*,) & veritatem cum domino meo, indicate mihi.] Appellat gratiam, quia non tenebatur: appellat veritatem, quia erat verificatio tot ſignorum diuinæ voluntatis.

Sin autem aliud placet, & hoc dicite: vt vadam ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram.] Iurauerat enim ire per terram illam, inter Tigrim, & Euphratem, ad vniuerſos cognatos Abrahæ, quouſque inueniret vxorem Iſhac: & Nachor, frater Abrahæ, genuerat duodecim filios, (vt patet ſuperiùs in calce cap. 22.) quorum vnus erat Bethuël, pater Ribecæ: & propterea dicit: *Vertam me ad dexteram, vel ad ſiniſtram.*

Verſ. 50. Reſponderúntque Laban, & Bethuël.] Cùm nullus alius Bethuël in Scriptura manifeſtetur, niſi pater Ribecæ; non eſt opus vertere in dubium, quis ſit iſte Bethuël. Quòd autem nominetur priùs filius, quàm pater; promptitudinis filij ſignum eſt: promptior iuuenis animus, præueniens patris reſponſioné, ſuggerendo, diuinum eſſe hoc opus, inſinuatur.

A Domino egreſſus eſt ſermo[d].] Nomen eſt tetragrammatō. Et hinc apparet, quòd Bethuël, & ſui colebant ſummum Deum, profitendo, non ſolùm, quòd dat eſſe omnibus; ſed etiam, quòd curam habet horum ſingularium ſingulariter. Primum enim confitentur nomine יהוה: alterum agnoſcendo actionem: *Egreſſus eſt ſermo.* vel, vt aliis placet: *Egreſſa eſt res.*

[d] Senſus eſt; factum iſtud à Domino ordinatum eſt. Mos eſt enim Hebrææ linguæ, quodlibet negotium, cauſam, aut factam; verbum, aut ſermonem appellare: ſicque in libris Samuëlis, liber verborū dierū Regum Iſrael, citatur; hoc eſt, rerum geſtarum.

Et non poſſumus extra placitum eius quicquam aliud tecum loqui. *Verſ.* 51. En Ribca coram te eſt: tolle eam, & proficiſcere, & ſit vxor filij domini tui, ſicut locutus eſt Dominus.] Nomen eſt tetragrammaton eadem ratione.

Verſ. 52. Quod cùm audiiſſet puer Abraham, adorauit in terra Dominum.] Et hîc quoque nomen eſt tetragrammaton, ratione ſæpè dicta.

Verſ. 53. Prolatíſque vaſis argenteis, & aureis, ac veſtibus, dedit ea Ribcæ pro munere.] Hebraïca conſuetudine, quæcunque inſtrumenta appellantur vaſa: & propterea hîc ornamenta appellantur vaſa.

Fratribus quoque eius, & matri dona obtulit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et poma dedit fratri eius, & matri eius.* Teſte Ioſepho, ſeruus iſte tulit ſecum fructus terræ, quibus Meſopotamia carebat: & propterea pretioſa appellantur hæc poma.

Verſ. 54. Initóque conuiuio, veſcentes pariter, & bibentes manſerunt ibi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et comederunt, & biberunt ipſe, & viri, qui cum eo; & pernoctarunt.* Clarè enim explicatur, quòd ſequenti die petiit, vt recederet.

Surgens autem manè locutus eſt puer: Dimitte me.] Legendum eſt pluraliter: *Mittite me.* alloquutus eſt enim parentes virginis, & fratrem.

Vt vadam ad dominum meum. *Verſ.* 55. Reſponderúntque frater eius, & mater.] Præuenitur ſemper Bethuël, pater, à Laban filio, vtpote iuuene prono ad reſpondendum, tāquàm porrigendo, tum patri, tum matri, quid reſpondendum ſit: & propterea nominatur priùs, quàm mater, quæ acceſſit pariter ad reſponſionem filij, tacente patre.

Maneat puella, ſaltem decem dies, apud nos.] Optimè tranſtulit Interpres: quod ideò dixerim, quia dictio interpretata, *dies*, anceps eſt ad diem, vel annum: & dictio, *decem*, nullam aliam habet rem numeratam: & propterea oportet, quòd reflectatur ſuper dies. Nam verbum verbo reddendo iuxta Hebræum habetur: *Sedebit puella nobiſcum diem, vel decem.*

Et poſteà proficiſcetur.] Vbi clarè videre potes, quòd ſi dictio anceps ad dié, aut annum, interpretaretur annū, ſenſus eſſet: Sedebit puella nobiſcū annos ſaltē decē. quo quid abſurdius?

Verſ. 56. Nolite, ait, me tenere: quia Dominus direxit viam meam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et* יהוה *fecit proficere viam meam.*

meam. Suadere nititur ex parte diuinæ voluntatis, vt conforment velle suum, summi Dei prouidentiæ. Et quoniam de nuptialibus agebatur, aptè nominatur Deus fons essendi.

Dimittite me, vt pergam ad dominum meum. *Vers.* 57. Et dixerunt: Vocemus puellam: & quæramus ipsius voluntatem. *Vers.* 58. Cumque vocata venisset, sciscitati sunt: Vis ire cum homine isto? Quæ ait: Vadam. *Vers.* 59. Dimiserunt ergo eam, & Delboram nutricem illius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et emiserunt Ribcam, sororem eorum, seruúmque Abrahæ, & viros eius.* Cùm solus Laban nominatus hactenus fuerit frater Ribecæ, insinuat pronomen, *eorum*, conuenisse consanguineos ad mittendum Ribecam, *sororem eorum*, vt moris est. Nescio autem, quis addidit Delboram, quum in Textu non habeatur, nisi, *& nutricem eius.*

Vers. 60. Imprecantes prospera sorori suæ, atque dicentes: Soror nostra es: crescas in mille millia: & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.] Benedictio hæc imprecatiua, ex auditis à seruo Abrahæ, referente promissiones diuinas, factas semini Abrahæ, profecta est.

Vers. 61. Igitur Ribca, & puellæ illius, ascensis camelis, secutæ sunt virum: qui festinus reuertebatur ad dominum suũ. *Vers.* 62. Eo autem tempore deambulabat Ishac per viam, quæ ducit ad puteũ, cuius nomen est Viuentis, & Videntis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Ishac venit à veniendo de puteo Viuenti Videnti me.* Puteus iste, ille est, cuius mentio facta est capitulo 16. vbi Hagar fugiens vidit Angelum Dei: dicatúsque erat Deo viuo videnti me Hagar. Ab hoc puteo veniens describitur Ishac. Et ratio subditur:

Habitabat enim in terra australi.] Insinuatur, quòd in plaga calida habitabat: & proptereà egressus erat ad plagam, non versùs meridiem, sed fortè septentrionalem, refrigerationis gratia.

Vers. 63. Et egressus fuerat ad meditandum (pro, *ad loquendum*,) in agro, inclinata iam die.] Non solùm causa refrigerationis, sed causa officij venisse describitur: vt, videlicet, alloqueretur agricolas, disponerétque de exercendo agro.

Cùmque leuasset oculos, vidit camelos venientes procul.] Superfluit, *procul.*

Vers. 64. Ribca quoque conspecto Ishac, descendit de camelo.] Iuxta Hebræum promptitudo, ac celeritas quædam significatur, tanquàm iactantis se, seu cadentis de camelo.

Vers. 65. Et ait ad puerum: Quis est ille homo, qui venit per agrum in occursum nobis.] Priùs interrogauit, quis est ille homo? & audita responsione, quòd esset Ishac, iecit se de camelo: sed Moses etiam hîc priùs scribit rẽ gestam; & deinde rationem rei gestæ.

Dixitque ei: Ipse est dominus meus. At illa tollens citò pallium [c].] Iuxta Hebræum habetur: *Et accepit velamen, & operuit se.* Ex hac enim consuetudine operiendi faciem, nubendi, & nuptiarum nomina emanarunt.

Vers. 66. Seruus autem, cuncta, quæ gesserat, narrauit domino suo Ishac.] Superfluit, *domino suo.*

[c] Sunt qui dicant, puellas antiquitùs viris se non præbuisse spectandas; sed faciem, pectus, & manus simul lino tenuissimo ab occurrentibus viris obuelasse; quod linum peplum vocabant: & gentes Mineruæ superstitione dicatum, eóque diuinatrices vehebantur, Ezechielis 13.

Vers. 67. Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ.] Hinc quoque apparet, quòd Abraham omnia dederat Ishac: ita quòd etiam aulam Saræ reliquerat, nec vtebatur ea; sed seruauerat ipsam pro vxore Ishac. Mirum est autem, quòd nulla mentio fit Abrahæ in hoc aduentu Ribecæ: & cùm debuisset subiungi, quòd seruus retulit omnia Abrahæ, qui miserat illum; subiunctum est, quòd retulit omnia Ishac, nulla mentione facta Abrahæ.

Et accepit vxorem: & in tantum dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.] Interpres expositoris officium assumpsit: nam iuxta Hebræum habetur: *Et amauit ipsam, & consolationem accepit Ishac post matrem suam.* A cuius morte iam fluxerat triennium.

CAPVT XXV.

Vers. 1.

ABraham verò aliam duxit vxorẽ, nomine Ceturam.] Iuxta Hebræũ habetur: *Et addidit Abraham, & accepit mulierem: & nomen eius Cetura.* Vbi aduerte, multipliciter insinuari, quòd hæc mulier non fuit Hagar, vt multi Hebræorum crediderunt. Nam & modus loquendi, dicendo: *Et addidit, & accepit mulierem*, nouitatem nuptiarum insinuat: &, quod magis vrget, explicatur, non cognomen, sed nomen mulieris, Cetura: & in hoc eodem capitulo nominatur Hagar suo nomine Hagar: &, quod amplius est, clarè subiungitur, Abraham habuisse, non vnam tantùm, sed multas concubinas. Tempus autem, quando Abraham accepit Ceturam, non est certum, an viuente adhuc Sara post eiectã Hagar cum Ismaële, an mortua Sara. Scripturæ siquidem narratio, si rei gestæ ordine respõdet, insinuat, quòd hoc fuit post mortem Saræ. Mirum tamen est, quòd tam senex (agens, videlicet, centesimum quadragesimũ annum, vel circa,) habénsque filios adultos cum promissionibus diuinis, quòd vterque futurus esset Princeps gentis magnę, & quòd in semine Ishac benedicendæ erãt omnes gentes terræ; acceperit puellã ad generandũ filios, in quibus non erat vocandũ ei semen: quia à Deo dictum fuerat: *In Ishac vocabitur tibi semen.* Augétque admirationẽ quòd horrẽs Abraham dare Ishac filio suo vxorẽ ex terra Chanahan, acceperit in vxorem mulierem, cuius natio ignota est nobis. Nec vlla fit mentio alicuius diuinæ consultationis: imò nec minimæ rationis huius noui coniugij. Et, omnibus collatis, suspicor, Abraham præfecisse domui suæ Ishac, tanquàm hæredem vniuersalem, & quòd ipse seorsum manserit cum Cetura: & proptereà in aduentu Ribecæ nullam fieri Abrahæ mentionem, nec deinceps, nisi narrando mortem, & sepulturam, & exonerationem Ishac.

Vers. 2. Quæ peperit ei Zimran, & Iacsan, & Medan, & Midian, & Ishac, & Suach. *Vers.* 3. Et Iacsan genuit Seban, & Dedan. Et filij Dedan fuerunt Assurim, & Letusim, & Leumim. *Vers.* 4. Et filij Midian Hepha, & Hepher, & Chanoch, & Abidach, & Eldahab. Omnes hi filij Ceturæ. *Vers.* 5. Deditque Abraham cuncta, quæ possederat Ishac: *Vers.* 6.

Filiis autem concubinarum largitus est munera [a].] Interpres mutilauit: nam iuxta Hebræum habetur: *Et filiis concubinarum, quæ Abrahæ, dedit Abraham dona.* Vbi clarè vides, multas concubinas Abrahæ: & per repetitionem commemorari, quòd Abraham dedit omne, quod sibi erat, Ishac: nam seruus eius donationem hanc factam esse, priùs narrauerat in domo Bethuëlis, patris Ribecæ.

[a] Concubinarum filios olim hæredes cũ cæteris extitisse, nisi pater aliter prouidisset, annotat Author Iudicum cap. 9. alij autem tradũt, neque illis hæreditatis ius, neque sacerdotij, neque primogenituræ fuisse.

Et separauit eos ab Ishac filio suo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et misit eos desuper Ishac, filium suum, dum adhuc ipse viueret.* Executio narratur fulta ratione. Ideò dona dedit Abraham filiis concubinarum Hagar, & Ceturæ; & emisit eos à cura sua, vt exoneraret Ishac, filium suum, ab onere prouidendi illis. Incumbebat enim Ishac hæredi vniuersali, cura prouidendi fratribus suis ab hæreditate exclusis. Huiusmodi enim exoneratio significatur dicendo, quòd *misit eos desuper Ishac*: tanquàm tollens onus super Ishac. Et quia hæc executio fuit vltima res gesta ab Abraham prudentissimè, ideò adiungitur, quòd hoc fecit, dum adhuc ipse viueret.

Ad plagam orientalem.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad Orientem, ad terram Orientis.* Ne intelligeretur, quòd ad plagam, seu aspectum orientalem duntaxat, & non ad ipsam terram Orientis miserit filios concubinarum, explicauit vtrunque.

Vers. 7. Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ, centum septuagintaquinque anni: *Vers.* 8. & deficiens mortuus est.] Iuxta Hebræum habetur: *Et finitus est, & mortuus est Abraham.* Non sola mors, sed peruentio ad finem (hoc est, terminos vitæ naturalis) describitur.

In senectute bona.] Minùs dicitur: nam postrema ætas decrepitorum in Hebræo significatur. Et hæc vltima ætas narratur bona: vtpote absque ægritudinibus, & molestiis semper vtilis.

Prouectæque ætatis, & plenus dierũ [b].] Iuxta Hebræum habetur: *Senex, & satur.* Qualitatem vltimæ ætatis, non solùm à bonitate commendat, sed etiam à satietate. Est enim sensus, quòd non solùm habuit senectutem incolumem, & vtilem vsque ad finem; sed etiam, quòd obiit senex satiatus omnibus bonis, vt nihil ei desiderandum superesset. Emphasis autem est repetitio ætatis senilis.

[b] Plenum dierum mori, perinde est, ac in sua periodo naturali.

Congregatúsque est ad populum suum [c].] Iuxta Hebræum habetur: *Et congregatus fuit ad populos suos.* Aduerte, prudens lector, tria narrari de Abraham. Primum, quòd finitus est, mortuus est, &c. Et hoc directè respicit ipsum Abraham, hominem constantem ex anima, & corpore: nam ipse homo finitus est, mortuus est, &c. Tertium, quòd sepelierunt eum filij sui, &c. Et hoc directè refertur ad Abraham secundùm corpus duntaxat, nam non ipsum hominem compositum ex anima, & corpore; sed cadauer tantùm eius sepelierunt filij. Secundum ergo (videlicet: *Et congregatus est ad populos suos.*) directè conuenit Abrahæ secundùm animam: nam, neque ipse homo compositus ex anima, & corpore congregatus est ad populos suos; sed desiit omnibus populis huius mundi, nec cadauer eius aggregatum est populis suis: cùm sola Sara ex gente eius fuerit vsque ad tempus illud in illa spelunca sepulta. De Abraham itaque secundùm animam oportet intelligere & verificare Scripturam hanc: *Et congregatus fuit ad populos suos.*

[c] Phrasis est Hebraïca, pro eo, quod est ad suos maiores proficisci, seu inter defunctos numerari.

Et hæc ideò perpende, vt obmutescere facias impudentium hominum temeritatem, qui audent dicere, nec vnum verbum in libris Mosi haberi de vita hominum post mortem. Patet hìc clarè immortalitas animæ, non solius Abrahæ, sed multorum populorum, quibus adiunctus est Abraham. Et dixit, in numero plurali, *populos*, ad significandum, quod ex quibuscunque mundi nationibus mortui iusti simul in alia vita conueniebant: & vndecunque essent conueniebant cum quocunque iusto mortuo adueniente, tanquàm populus proprius illius. Quare ad literam significatur, quòd Abraham congregatus est ad societatem iustorum omnium, qui mortui fuerant.

Vers. 9. Et sepelierunt eum Ishac, & Ismaël, filij sui, in spelunca duplici, quæ sita est in agro Hephron, filij Sochar Hithei, è regione Mamre, *Vers.* 10. quam emerat à filiis Cheth.] Nihil dicitur de filiis Ceturæ, aut quia isti duo præcipui erant, aut quia alij absentes erant.

Ibi sepultus est ipse, & Sara, vxor eius. *Vers.* 11. Et post obitum illius benedixit Deus Ishac, filio eius.] Nomẽ est אלהים, ad insinuandum, quòd Deus faciendo dicta benefaciebat multiplicando diuitias Ishac: est enim species iustitiæ facere dicta.

Qui habitabat.] Iuxta Hebræum habetur: *Et sedit Ishac iuxta puteum viuentis videntis me.* Conferendo scripta, non apparet à tempore mortis Saræ vsque ad post mortem Abrahæ migratio aliqua. Constat enim Saram mortuam esse in ciuitate Arbah; & fluxisse annos trigintaocto à morte Saræ vsque ad mortem Abrahæ: & post mortem Abrahæ narrari de Ishac, quòd habitauit in puteo viuentis videntis me. Qui locus est in solitudine, vbi Hagar fugiens obuium habuit Angelum Dei: vt superiùs capitulo decimosexto scriptum est. Potest tamen intelligi, quòd Ishac etiam viuente patre inceperat habitare in loco huius putei: & hoc significatum esse in calce præcedentis capituli, vbi dictum est, quòd Ishac venit à puteo viuentis, & videntis: & hoc consonat segregatæ habitationi Ishac ab Abraham post mortem Saræ, & introductioni Ribecæ in tabernaculum Saræ.

Vers. 12. Et istæ generationes Ismaël, filij Abrahæ, quem peperit ei Hagar Ægyptia, famula Saræ: & hæc nomina filiorũ eius in vocabulis, & generationibus suis.] Iuxta Hebræum habetur: *In nominibus nativitatibus suis.* & est datiui casus. *natiuitatibus suis* Et est sensus: in nominibus, quę sortiti sunt, quando nati sunt, ad differentiam aduentitiorum nominum ex euentibus.

Vers. 13. Primogenitus Ismaëlis Nebaioth [d], & Cedar, & Adbeel, & Mibsam, *Vers.* 14. & Misma, & Duma, & Massa, *Vers.* 15. Hadad, & Thema, Ietur, Naphis, & Cedma. *Vers.* 16. Isti sunt filij Ismaël: & hæc nomina per castella, & oppida eorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et hæc nomina eorum in curtis suis, & in palatiis suis: duodecim Principes Tribuum suarum.* Excellentia

[d] Ab hoc Nabaiot Nabathæa Arabia dicta est, quam Geographi duplicem assignant, alteram circa oppidum Hebron, alteram circa felicem Arabiam, cuius meminit Strabo.

lentia status filiorum Ismaëlis significatur, quòd quilibet eorum habebat proprium palatium, & propriam curiam relatiuè ad gentem propriam, vtpote Princeps.

Vers. 17. Anni vitæ Ismaël, centum triginta septem: & deficiens mortuus est, & appositus ad populum suum.] Iuxta Hebræum habentur eadem verba, quæ scripta sunt de obitu Abrahæ: *Et finitus est, & mortuus est, & congregatus est ad populos suos.* Quæ expone, vt suprà: intelligendo tamen per, *populos eius*, animas defunctorum vndecunque similes in bonitate, vel malitia Ismaëli, secundùm animam. Significatur enim, quòd secundùm animam congregatus est ad sibi similes, ex quocunque populo fuerint, defunctorum animas.

Vers. 18. Habitauit autem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et habitauerunt ab Hauila vsque Sur.* Non ad Ismaëlem tantùm; sed ad Ismaëlem, & filios refertur.

Quæ respicit Ægyptum.] Iuxta Hebræum habetur: *Quæ est super facies Ægypti, introëuntibus Assur.* Vt situs regionis Cosmographis clariùs innotescat.

Coram cunctis fratribus suis obiit.] Iuxta Hebræum habetur: *Super facies omnium fratrum suorum cecidit.* Dixerat Angelus ad Hagar de Ismaële: *Et super facies omnium fratrum suorum habitabit*, seu, *morabitur.* & proptereà narrat Moses hoc adimpletum, dicendo, quòd cecidit; hoc est, quòd habitando super facies omnium fratrum suorum cecidit à vita. Situs regionis habitatæ ab eo, postquàm descriptus est à terminis terrarum, describitur etiam relatiuè ad habitata loca à fratribus Ismaëlis, filiis Ceturæ; videlicet, quòd erat super facies eorum: eminentia siquidem habitatæ ab Ismaële regionis significatur.

Vers. 19. Hæ quoque sunt generationes Ishac, filij Abraham. Abraham genuit Ishac. *Vers.* 20. Qui, cùm quadraginta esset annorum, duxit vxorem Ribecam, filiam Bathuëlis Syri de Mesopotamia.] Iuxta Hebræum habetur: *Filiam Bethuelis Aramei de Padan Aram.* Non erat Syrus Bethuël: sed natione Mesopotaminus: pátria autem Aramæus. Et quoniam duæ erant ciuitates nomine Aram: altera Syriæ, cognominata Soba; ad illius differentiam, (scilicet, Aram Soba,) appellatur hæc Aram Padan.

Sororem Laban.] Deficit, *Aramei.* Patrium est nomen ab eadem ciuitate.

Vers. 21. Deprecatúsque est Ishac Dominum pro vxore sua.] Iuxta Hebræum habetur: *Et multiplicauit Ishac* יהוה *è regione vxoris suæ, eò quòd esset sterilis.* Multa narrantur: & quòd Ribeca orabat, & quòd Ishac multiplicauit orationem, & situs vtriusque perseuerans cum prolixa oratione, & quòd ad Deum, fontem essendi, vt gignerent filium, oratio fusa est. In qua oratione (vt Gregorius exposuit) manifestatur, quòd diuina prædestinatio per orationum suffragia adimpletur: prædestinauerat enim, vt in Ishac vocaretur semen Abrahæ; & tamē fructus orationis subiungitur.

Qui exaudiuit eum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit exoratus ei* יהוה. Ecce manifestus fructus orationis Ishac.

Et dedit conceptum Ribecæ.] Deficit, *vxori eius.*

Vers. 22. Sed collidebantur in vtero eius paruuli [c].] Non omninò certus est motus commotionis infantum in vtero Ribecæ: an esset motus tanquàm currentium contra se inuicem; an esset motus per modum pugnantium; an esset motus per modum eorum, quæ in se inuicem collidunrur. Certum autem est, quòd motus ille molestus erat matri.

Quæ ait: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?] Iuxta Hebræum habetur: *Si sic, cur istud ego?* Nullum verbum in Hebræo habetur; sed ambæ locutiones mutilæ. Et est sensus: Si sic pati oportet, cur istud beneficium imprægnationis ego habeo? In malum siquidem versum beneficium esse conqueritur.

[c] Numine diuino facta multa obuenire in futurorum præsagium, præsertim cùm illa pro bono particulari, aut publico prænoscere necessarium est, collisio ista fratrum in vtero manifestò indicat; quam Rebeca sciēs, aliquid præsagire, Dominum consuluit. Hinc gētes huiusmodi præsagia coluerūt, licet nimia cum superstitione, & abusu. Meritò igitur Aristoteles dixit, nihil esse apud omnes gentes diuulgatum, quod omni ex parte falsum sit.

Perrexítque, vt consuleret Dominū.] Nomen est tetragrammaton, à quo cūcta bona procedunt. Modus autem consulendi Deū non est scriptus; an per Prophetam aliquem; an per Sacerdotem, aut alio modo consuluerit. Taceo incerta dicta ab Hebræis de Melchisedech, &c.

Vers. 23. Qui respondens ait.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit* יהוה *ipsi.* Verba sonant reuelationem factam fuisse ipsi Ribecæ. Et primum essendi principium alloquitur Ribecam, declarando illi, mysterium esse motum illum infantum in vtero: ad insinuandum sæpè dictam fidem, quòd ipse prouidentiam habet istorum singularium, etiam secundùm singularissimos motus. Quo autem loquendi genere reuelauerit Deus Ribecæ, nō est scriptū.

Duæ gentes in vtero tuo sunt.] Ecce mysterium, *duæ gentes*, non in seipsis; sed in suis patribus.

Et duo populi ex vtero tuo diuidentur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et duo regna è visceribus tuis separabuntur.* Non solùm duæ gentes generandæ ab infantibus, qui tunc erāt in vtero; sed etiam, quòd illæ gentes duæ euehendæ essent in regna duo, prædicitur.

Populúsque populum superabit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et regnum plusquàm regnū erit forte.* Inæqualitas regnorum penes fortitudinem reuelatur.

Et maior seruiet minori.] Iuxta Hebræū habetur: *Et multum seruiet pauco.* Vbi clarè patet, vniuersā hanc reuelationem spectare ad illos infantes secundū suas familias; & duas inæqualitates inter eas significari: alteram, penes fortitudinem: alterā, penes multitudinē, cū effectu, quòd regnū præstans multitudine seruiet regno paucorū. Et ad literā verificata sunt hæc tēpore Dauidis: tūc enim regnū Idumææ (quod amplū erat) seruiuit regno Israël, quod modicū erat. Nec mireris, quòd Paulus Apostolus, ad Romanos scribens, dicit, quòd *maior seruiet minori*: quoniā vsus est trāslatione Septuaginta, quæ tunc à Græcis, & Romanis in pretio habebatur. Et sensus in idē redit, quantùm ad rem: quoniam, siue multitudine, siue maioritate describatur, significatur Idumæa descendens ab Esaü. Si scripsisset Hebraïcè, vsus fuisset Hebraïco textu: sed scribit Græcè, vsus est textu Græco. *Vers.* 24. Et dies eius pariēdi impleti sunt. Et ecce gemini in vtero eius reperti sūt. *Vers.* 25. Qui primus egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus.] Iuxta Hebræum habetur: *Rufus*

totus ipse, sicut pallium pilosum. Duæ qualitates infantis primi narrantur: altera, pilorũ, non in parte corporis, sed in vniuerso corpore: altera, coloris pilorum, quòd erant pili rufi.

Et vocauerunt nomen eius Hesaü. Aiunt dictum, *Hesaü,* eò quòd natus sit quasi perfectus: pilositas enim perfectæ ætatis signũ erat, quatenus erat effectus adulti hominis.

Protinus alter egrediens, plantam (pro, *calcaneum*) fratris tenebat manu: & idcircò appellauit eum, Iacob.] Vsus corrupit hoc nomen, subtrahendo mediam syllabam: nam apud Hebræos trisyllabum est, *Ia, ha, cob:* vsus autem profert, *Iacob:* & à calcaneo aiunt nomen, *Iahacob,* deductum.

Vers. 26. Sexagenarius erat Ishac, quãdo nati sunt paruuli.] Hinc clarè apparet, quòd Abraham tunc viuebat; vtpote, centum sexaginta annorum: & quòd vixit post natiuitatem nepotum, annis quindecim.

Et manifestum fit, quòd argumenta ab ordine narrandi ad ordinem rerum gestarum, carent solido fundamento: nam priùs narrata est mors Abrahæ, & narrata est benedictio diuina super Ishac post mortẽ Abrahæ: & modò narratur natiuitas Hesaü, & Iahacob, quæ fuit ante mortẽ Abrahæ anno quintodecimo ad minus. Et hanc regulam habeto, prudens lector, semper ante oculos, ne super infirmum fundamentum ædifices.

Vers. 27. Quibus adultis, factus est Hesaü vir gnarus venandi, & homo agricola: Iahacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.] Dictionem interpretatam, *simplex*, multi interpretantur, *perfectus*. Certum aiunt esse, quòd Hebraïca dictio à plenitudine deducitur; & ad perfectionem, seu plenitudinem animi referunt. Hesaü vacabat agriculturæ, & venationi: Iahacob vacabat domesticis officiis, & cultui proprij animi.

Vers. 28. Ishac diligebat Hesaü, eò quòd de venationibus illius vesceretur: & Rebeca diligebat Iahacob. *Vers.* 29. Coxit autem Iahacob pulmentum: ad quem cùm venisset.] Iuxta Hebræum habetur: *Et venit Hesaü de agro lassus.* Non dicitur, quòd venit ad Iahacob: sed posteà quàm fatigatus venit, subiungitur:

Vers. 30. Et dixit Hesaü ad Iahacob: Da mihi de coctione hac rufa: quia oppidò lassus sum.] Iuxta Hebræum habetur: *Fac comedere multùm me nunc de rufo isto, quia lassus ego.* Vt inferiùs subiungitur, coctas lentes appellat rufum pulmentum. Et vehementis concupiscentiæ est, & petere multùm, & conduplicare rufum. Nec intelligas, dictionem Hebraïcam componi ex *comedere*, & *multum*: sed significare ferinum quoddam comedere grosso bolo, & circunlocutione significari per *comedere multùm.*

Quam ob causam vocatum est (pro, *vocauit*) nomen eius Edom.] Incertus author nominis Edom significatur ex magna cupidine alimenti rufi.

Vers. 31. Cui dixit Iahacob: Vende mihi.] Iuxta Hebræum habetur: *Vende, sicut hodie, mihi primogenita tua.* Penes quid attenditur similitudo, non est omninò liquidum. Crediderim ego, similitudinem attendi penes præsens tempus, vt sit sensus: Vende mihi primogenituram; non, vt habendam tempore paterni obitus; sed, vt inchoandam hodie.

Vers. 32. Ille respondit: En morior: quid mihi proderunt primogenita?] Verba sunt turbati vehementi concupiscentia illius cibi simul, & lassitudine.

Vers. 33. Ait Iahacob: Iura ergo mihi.] Iuxta Hebræum habetur: *Iura mihi, sicut hodie.* Expone, vt priùs.

Iurauit ergo Hesaü, & vendidit primogenita. *Vers.* 34. Et sic accepto pane, & lentis edulio.] Intellige à Iahacob, vt clarè dicitur in Hebræo. Et nomine panis intellige vniuersa adiuncta lentibus: integrum enim prandium, seu cœnam dedit Iahacob.

Comedit, & bibit: & abiit paruipendens, quòd primogenita vendidisset.] Iuxta Hebræum habetur: *Et paruipendit Hesaü primogenituram.* Verba sunt Mosi, vel rationem reddentis facti, quòd ideò Hesaü vendidit primogeniturã, quia paruipendit eam [f]; vel narrantis qualitatem animi Hesaü post satiatam concupiscentiam, quòd perseuerauit paruipendendo primogenituram: ad significandum, quòd non resipuit.

[f] Prima expositio ex mente Pauli est Hebræorum 12. Ceterũ scito, quòd primogenitus imperiũ in reliquos fratres habebat. Hinc Paulus ad Colossenses, ex eo, quòd Christus imperium in omnes habet, cunctaque moderatur, & regit; ipsũ primogenitũ omnis creaturæ appellauit.

Circa quæstiones, quæ hîc mouentur de peccato, tum Iahacob, tum Hesaü; certũ est, quòd Hesaü peccauit, saltem vilitate animi. An autẽ primogenitura esset non venalis, eò quòd sacerdotium haberet annexum; sacra Scriptura non tradit: imò Rubenitæ aduersùs Mosem, non pro sacerdotio, sed pro principatu, tãquàm debito primogenito, contendebant Num. 16. Et nisi Iahacob ob reuelationem factam matri diuinitùs excusetur à prouocatione fratris ad huiusmodi peccatum vendendi, excuset ipsum, qui nouit: ego enim aliter excusare nescio.

CAPVT XXVI.

Vers. 1. Orta autem fame super terram, post eam sterilitatem, quæ acciderat in diebus Abraham, abiit Ishac ad Abimelech, Regem Pelesthim in Gherar. *Vers.* 2. Apparuitque ei Dominus.] Nomen est tetragrammaton, aptè congruens largitati diuinæ erga Ishac. Et est hæc prima visio diuina Ishac, quæ an fuerit in vigilia, an dormiendo, scriptum non est: verùm ex eo, quòd nulla mentio fit somni, intelligenda est spiritualis visio, more Prophetarum, in vigilia. Et mos scribendi familiaris Mosi, hinc quoque apparet: priùs scribendo rem gestam, & deinde rationem rei gestæ: priùs scripsit, quòd Ishac iuit in Gherar ad Abimelech: & deinde scribit mandatum diuinum, quòd non eat in Ægyptum, sed in Gherar: constat enim, hanc visionem fuisse, antequàm iret ad Abimelech.

Et ait: Ne descendas in Ægyptum.] In quam descendit Abraham, pater tuus, tempore alterius famis.

Sed quiesce (pro, *appropinqua*) in terram, quam dicam tibi.] Inhibito longo itinere, iter ad propinquum locum mandat: propinquum autem, non incertum; sed monstrandum illi. Et hinc insinuatur, quòd vel alia intercessit reuelatio certi loci; videlicet, Gherar: vel (quod potiùs crediderim) ex certo accepto signo cognouit

nouit locum certum, quem dixerat Deus: sicut Abraham tertio die eleuatis oculis cognouit montem, super quem immolaturus erat Ishac.

Vers. 3. Et peregrinare in ea.] Iuxta Hebræum habetur: *In terra ista.* Terra, quam priùs propinquam appellauerat, explicat esse terram istam; hoc est, infra terminos illius regionis semini eius dandæ.

Eróque tecum, & benedicam tibi. Tibi enim, & semini tuo dabo vniuersas regiones, (pro, *terras has,*) complens iuramẽtum, quod spopõdi Abraham patri tuo: *Vers.* 4. Et multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli: dabóque posteris tuis vniuersas regiones has.] Eadem verba repetuntur in Hebræo: *Et dabo semini tuo omnes terras istas.* Primùm enim commemorauit hoc, tanquàm promissum Abrahæ, ac tanquàm benemerenti Ishac: meritum enim eius significatur, præponendo, *tibi.* Iterum autem dicit, tanquàm omninò executurus, & daturus vniuersas terras illas semini Ishac: vt hinc discernatur manifestè, inter semen Ishac, & semen Ismaëlis, & aliorum filiorum Abrahæ.

Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.] Ecce promissio Messiæ olim facta Abrahæ, modò repetitur ad Ishac: non tamen sine cõmemoratione meriti Abrahæ, cuius obedientia manifestè affertur pro ratione.

Vers. 5. Eò quòd obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta, & mandata mea, & cæremonias, legésque seruauerit.] Iuxta Hebræum plura leguntur: *Et custodiuit custodiam meam, præcepta mea, statuta mea, & doctrinas meas.* Ab obseruatione quatuor diuinarũ rerum commendatur Abraham. Prima res est custodia diuina; hoc est, circunspectio, atque vigilantia diuinæ curæ circa ea, quæ ei sunt placita. Huic vsque adeò studuit Abraham morem gerere, vt non pepercerit charissimo filio suo Ishac, &c. Secũda res comprehendit omnia præcepta moralia. Tertia verò, omnia statuta cæremoniarum, quarum circuncisio erat præcipua. Quarta demum, documenta omnia fidei, spei, ac charitatis comprehendit reuelata.

Vers. 6. Mansit itaque Ishac in Gherar. *Vers.* 7. Qui, cùm interrogaretur à viris illius loci, super vxore sua, respondit: Soror mea est [a]. Timuerat enim confiteri, quòd sibi sociata esset coniugio: reputans, ne fortè interficerent eum propter illius pulchritudinem. *Vers.* 8. Cúmque pertransissent dies plurimi, & ibidem moraretur, prospiciens (pro, *fecit inspicere*) Abimelech Rex Pelisthim per fenestram.] Sensus est, quòd fixit oculos ad inspiciendum; effecit, vt oculi inspicerent.

[a] Hinc nota, quòd inter gentes non erat tunc ille abusus contrahendi cum sorore propria.

Et sic vidit eum iocantem cum Ribeca vxore sua.] Actus coniugalis significatur, vt testantur subiuncta verba Abimelech.

Vers. 9. Et accersito Ishac ait: Perspicuũ est, quòd vxor tua sit: cur mentitus es, sororem tuam esse?] Iuxta Hebræum non habetur: *mentitus es*; sed, *dixisti*: honestiùs enim locutus est.

Respondit: Timui, ne morerer propter eam [b]. *Vers.* 10. Dixitque Abimelech: Quare impòsuisti nobis?] Iuxta Hebræum habetur: *Quare rem istam fecisti nobis?* Et hìc quoque honestiùs increpat.

[b] Vide adulterium inter gentes morte vindicatum.

Potuit coïre.] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut parum cubuit quispiam de populo cum vxore tua.* Non dicit, paulum defuisse; sed, *sicut paulum.* Assimilat periculum concubitus actioni, quæ parum absuit ab hoc, vt efficeretur, ex hoc, quòd Ribeca pulchra habebatur soluta.

Et induxisses super nos grande peccatum.] Superfluit, *grande.*

Præcepítque omni populo, dicens: *Vers.* 11. Qui tetigerit hominis huius vxorem.] Iuxta Hebræum habetur: *Qui tangens in homine isto, & in vxore eius, moriendo morietur.* Vtrique prouidit Abimelech, & vitæ Ishac, & pudicitiæ Ribecæ.

Vers. 12. Seminauit autem Ishac in terra illa: & inuenit in ipso anno centuplum.] Iuxta Hebræum habetur: *Centum æstimationes.* Vt non tam certum, quàm æstimatum centuplum significetur.

Benedixítque ei Dominus.] Nomen est tetragrammaton, congruum tantæ largitati.

Vers. 13. Et locupletatus est homo. Et ibat proficiens, atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est. *Vers.* 14. Habuit quoque possessionem ouium, & armentorum, & familiam plurimam. Ob hæc inuidentes ei Pelisthim, *Vers.* 15. omnes puteos, quos foderant serui patris eius Abraham, illo tempore.] Iuxta Hebræum habetur: *In diebus Abrahæ patris eius.* Tempus enim fossionis significatur, non obtrusionis.

Obstruxerunt, implentes humo. *Vers.* 16. Et dixit Abimelec ad Ishac: Recede à nobis: quoniam potentior nobis factus es valdè. *Vers.* 17. Et ille discedens venit ad torrentem (pro, *vallem*) Gherar.] Appellabatur enim vallis Gherar.

Et habitauit ibi. *Vers.* 18. Rursúmque fodit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et reuersus est Ishac, & fodit.* Non est certum, an huiusmodi reuersio significet tãtùm iteratam fossionem, (& sit sensus: Reuersus est ad fodiendum.) an significet localem reuersionem à valle ad loca puteorum istorum.

Alios puteos.] Superfluit, *alios.*

Quos foderant serui patris eius Abraham: & quos, illo mortuo, olim obstruxerant Pelisthim. Appellauítque eos iisdem nominibus, quibus antè pater eius, vocauerat. *Vers.* 19. Foderúntque in torrente.] Iuxta Hebræum habetur: *Et foderunt serui Ishac in valle: & inuenerunt aquam viuam.* Non esse puteos istos eosdem cum supradictis, ipsa nominum diuersitas testatur. Nam illi nominati sunt nominibus antiquis: isti autem nominati sunt nominibus nouorum euentuum. Et nihilominùs diuersitas locorum insinuatur, narrando de istis, quòd fossi sunt in valle: tanquàm illi alij extra illam vallem fuerint.

Vers. 20. Sed & ibi iurgium fuit pastorum Gherar aduersùs pastores Ishac, dicentium: Nostra est aqua.] Ac si apertiùs dixissent:

dixissent: Aqua puteorum, quos foderat Abraham, vestra est: ista autem nostra est.

Quamobrem nomen putei ex eo, quod acciderat, vocauit Calumniam.] Dictionem interpretatam *calumniam*, alij litigium, alij contentionem interpretantur. Et dicit Iosephus, vtrunque puteum, imperfectum fuisse relictum, propter huiusmodi lites. Tertius autem distans, pacificè perfectus est.

Vers. 21. Foderunt & alium: & pro illo quoque rixati sunt: appellauitque eum inimicitias. *Vers.* 22. Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt. Itaque vocauit nomen eius, latitudo, dicens: Nunc dilatauit nos Dominus.] Nomen est tetragrammaton, congruens effectui.

Et fecit crescere super terram.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fructificabimus in terra.* Aqua enim mater est fructificandi, tam in vegetabilibus, quàm in animalibus.

Vers. 23. Ascendit autem ex illo loco in Beersebah [c].] Hic est locus, in quo habitauerat *Abraham*, & fœdus inierat cum Abimelech: vt scriptum est superiùs cap. 21.

[c] Hæc ascensio, postquam Abimelech dixit, Recede à nobis, fuit. Ordo autem historiæ hic est. Cum viderent Philisthini Ishac diuitem fieri nimis, obstruebant illi puteos. sed Ishac inuidiæ cedens, ad alium locum vallis commigrauit, & alios puteos fodit, pro quibus etiam rixati sunt pastores: cumq; iam pro tertio non rixarentur, Ishacque in pace dimissus ditior fieret in dies, tunc dixit illi Abimelech, vt recederet; indèque profectus venit in Bersabea.

Vers. 24. Vbi apparuit ei Dominus in ipsa nocte, dicens.] Nomen est tetragrammaton. Visionem istam (quæ secunda est diuina apparitio ad Ishac) suspicor fuisse in somnis, ex eo, quòd dicitur ipsa nocte.

Ego sum Deus Abraham.] Iuxta Hebræum habetur: *Ego Elohe Abraham, patris tui.* Summum Iudicem Abrahæ (hoc est, mercedem reddentem debitam Abrahæ) nominat seipsum fons essendi: vt confidat Ishac in eodem summo Deo, seruaturo promissa Abrahæ.

Noli timere.] Iuxta Hebræum habetur: *Non timebis.* Exosus Palæstinis, & eiectus ab Abimelech.

Quia tecum sum: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, propter seruum meum Abraham. *Vers.* 25. Itaque ædificauit ibi altare: & inuocato nomine Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vocauit in nomine* יהוה. Non solùm ædificauit altare ad offerendum sacrificia; sed etiam inuocauit in nomine summi Dei, qui dat esse omnibus, ad recognitionem beneficij creationis, & gubernationis: imitatus Abraham patrem, qui ibidem summum Deum coluerat.

Et extendit ibi tabernaculum suum: præcepitque seruis suis, vt foderent puteum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et foderunt ibi serui Ishac puteum.* Nescitur, an iste puteus sit illemet, quem foderat olim Abraham, & obstrusus fuerat à Palæstinis.

Vers. 26. Ad quem locum cùm venissent de Gherar, Abimelech, & Achuzath, amicus eius, & Phichol, dux militum eius; *Vers.* 27. locutus est eis Ishac: Quid venistis ad me, hominem, quem odistis, & expulistis à vobis? *Vers.* 28. Qui responderunt: Vidimus tecum esse Dominum.] Iuxta Hebræum habetur: *Videndo vidimus, quòd fuit* יהוה *tecū.* Et isti summum Deum, dantem omnibus esse, profitentur prouidentiam habere etiam istorū minimorum; confitendo, quòd ipse prosperum successum dedit Ishac.

Et diximus: Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus.] Iuxta Hebræū habetur: *Erit nunc iuramentum inter nos; inter nos, & inter te, & percutiemus fœdus tecum.* Prima vice pronomen, *nos*, demonstrat Palęstinos, & Ishac, secunda autem vice demonstrat Palæstinos tātùm. Quod enim confusè dixerant, *inter nos*, distinguunt per partes, dicendo, *inter nos, & inter te.*

Vers. 29. Vt non facias nobis quicquā mali: sicut & nos nihil tuorū attigimus; nec fecimus, quod te læderet; sed cū pace dimisimus auctum benedictione Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Si facies nobiscum malum: sicut non tetigimus te, & sicut fecimus tecum duntaxat bonum, & misimus te in pace: tu nunc benedictus* יהוה. Ordo literæ est: Si tu nunc benedictus יהוה facies nobiscum malum, sicut, &c. Materia fœderis proponitur horrendo tantum facinus, vt tu benedictus à Deo reddas nobis malum pro bono: non enim dubitantis, sed horrentis est: *Si facies nobis malum.* Et forma ingratitudinis explicatur, dicendo: *Sicut*, &c. Ratio autem diuini nominis iam reddita est.

Vers. 30. Fecit ergo eis conuiuium: & post cibum, & potum, *Vers.* 31. surgentes manè, iurauerunt sibi mutuò. Dimisitq; eos Ishac pacificè in locum suum. *Vers.* 32. Ecce autem venerunt in isto die serui Ishac, annunciantes ei de puteo, quem foderant, & dicentes: Inuenimus aquam.] Priùs narrauerat Moses, quòd serui Ishac foderunt puteum: modò verò narrat inuentionem aquæ: ad significandum, quòd fossio putei huius priùs inchoata, terminata est ad inuentionem aquæ illo die, quo fœdus inierunt Ishac, & Abimelech.

Vers. 33. Vnde appellauit eum, Abundantiam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vocauit ipsum, Iuramentum.* Hoc enim nomen quadrat, tum Hebraïcæ dictioni; tum euentui, qui illo die fuit: propter quod significantiùs Moses explicauit: *Et fuit in die ipso.* tum supradictis, quòd Ishac nominauit puteos restauratos eisdē nominibus, quibus nominati fuerant ab Abrahā patre suo. Constat enim ex c. 21. quòd Abrahā nominauit puteum iuramenti ibidem.

Et nomen vrbi.] pòst ædificatæ, quam hodie aiunt vocari, *Giblin.*

Impositum est Beersebah, vsque in præsentē diem. *Vers.* 34. Hesaū verò quadragenarius duxit vxores; Iehudith, filiam Beeri Hithei [d]; & Basemath, filiam Elon eiusdem loci.] Insinuatur, quòd non mandato patris, sed iam quadragenarius ex seipso duxit has vxores: non inuitò, non renitēte patre; sed condescendente votis filij: in quorū signum vocauit posteà eum, vt benediceret illi. Et cùm Hesaū expertus fuisset, quòd pater non libenter aspiceret Chananæas, vt rē gratam faceret patri, accepit vxorem Ismahelitam.

[d] Isti Hithei in tractu Hebron habitabant.

Vers. 35. Quæ ambæ offenderunt animū Ishac, & Ribecæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuerunt amaritudo spiritus, Ishac, & Ribecæ.* Datiui casus est, tam *Ishac*, quàm *Ribecæ*. Non fuerūt amaritudo corporis, sed spiritus vtrique. Dissimilitudo morū, & fortè religionis, amara erat spirituali animò, tam Ishac, quàm Ribecæ.

CAPVT

CAPVT XXVII.

VERS. 1.

[a] Cum omnes Patriarchæ, hucusque, in senectute bona, hoc est, non valetudinaria, mortui fuerint; de solo Ishac oppositum legimus: caligauit enim oculis; Deo id non sine mysterio permittente.

SEnuit autem Ishac; & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat: vocauitque Hesaü filium suum maiorem; & dixit ei: Fili mi? Qui respondit: Adsum. *Vers.* 2. Cui pater: Vides, inquit, quòd senuerim, & ignorem diem mortis meæ. *Vers.* 3. Sume arma tua, pharetram, & arcum: & egredere foras. Cúmque venatu aliquid apprehenderis, *Vers.* 4. fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti: & affer, vt comedam: & benedicat tibi anima mea, antequàm moriar. *Vers.* 5. Quod cùm audisset Ribeca, & ille abiisset in agrum, vt iussionem patris impleret, *Vers.* 6. dixit filio suo Iahacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Hesaü fratre tuo: & dicentem ei: *Vers.* 7. Affer mihi de venatione tua, & fac cibos, & comedam, & benedicam tibi coram Domino, antequàm moriar.] Nomen est tetragrammaton, valdè congruum benedictioni: eò quòd ab essendi fonte omne bonum proficiscitur.

Vers. 8. Nunc ergo, fili mi, acquiesce consiliis meis.] Iuxta Hebræum habetur: *Audi in voce mea, ad quod ego præcipiens tibi.* Monet, vt obediat, non consilio, sed præcepto suo.

Vers. 9. Et pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur: *Vers.* 10. quas cùm intuleris, & comederit, benedicat tibi, priusquàm moriatur. *Vers.* 11. Cui ille respondit: Nosti, quòd Hesaü, frater meus, homo pilosus sit, & ego lenis: *Vers.* 12. Si attrectauerit me pater meus, & senserit, timeo, ne putet, me sibi voluisse illudere.] Hinc clarè apparet bona intentio Iahacob, exequendi præceptum maternum, fultum diuina reuelatione, facta olim matri, de ipso præponendo fratri: ita, quòd, non animo fallendi patrem; sed animo assequendi diuinum promissum, manifestat, se attentaturum hanc rem: sed vereri, ne in paternis oculis mentis appareret illusor: quoniam, etsi animus abesset illudendi; factum tamen suapte natura erat fallax.

Et inducat super me maledictionem pro benedictione. *Vers.* 13. Ad quem mater, in me sit, ait, ista maledictio, fili mi: tantùm audi vocem meam: & perge, affer, quæ dixi.] Confidens mater in diuina reuelatione, fideiussoris personam assumit: vt sic tutum reddat filium.

Vers. 14. Abiit, & attulit: deditque matri suæ. Parauit illa cibos, sicut nouerat velle patrem illius: *Vers.* 15. & vestibus Hesaü valdè bonis, quas apud se habebat domi, induit eum.] Hinc quoque apparet, quanta differentia erat inter Hesaü, & Iahacob. Ille nanque primogenitus, vestibus vtebatur (vt in Hebræo dicitur) *desideratis*, quas Interpres appellat *valdè bonas*: iste autem vestibus, quæ desiderabiles erant, (vtpote, pretiosæ, ac raræ,) carebat. Et insinuatur mos, qui etiam hodie seruatur in locis, vbi solus primogenitus est hæres: fratres enim, & in vestitu, & in cæteris habentur ferè, vt famuli.

Vers. 16. Pelliculásque hœdorum circundedit manibus, & colli nuda protexit. *Vers.* 17. Deditque pulmentum, & panes, quos coxerat in manu Iahacob filij sui. *Vers.* 18. Quibus illatis, dixit: Pater mi. At ille respondit: Audio.] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce ego.* sed parui refert.

Quis es tu, fili mi? *Vers.* 19. Dixitque Iahacob: Ego Hesaü primogenitus tuus, feci, sicut præcepisti mihi.] Si dixisset: *Ego primogenitus tuus.* & non addidisset, *Hesaü*, excusaretur; (quia emerat primogenituram:) sed dicendo, *Hesaü*, inexcusabilis apparet à mendacio officioso. Ad quod etiam spectat: *Feci, sicut locutus es mihi.* Quod tamen excusari potest, *locutus es mihi*, vtpote primogenito.

Surge, sede, & comede de venatione mea: vt benedicat mihi anima tua. *Vers.* 20. Et dixit Ishac ad filium suum: Quomodo tam citò inuenire potuisti, fili mi? Qui respondit: Voluntas Dei fuit, vt citò mihi occurreret, quod volebam.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia fecit occurrere* יהוה *Elohe tuus faciebus meis.* Summo essendi principio, distributoríque omnium, specialem curam habenti ipsius Ishac, attribuit Iahacob celeritatem facti.

Vers. 21. Dixítque Ishac: Accede huc, vt tangam te, fili mi, & probem, vtrùm tu sis filius meus Hesaü, an non? *Vers.* 22. Accessit ille ad patrem: & palpato eo, dixit Ishac: Vox quidem, vox Iahacob est: sed manus, manus sunt Hesaü. *Vers.* 23. Et non cognouit eum: quia pilosæ manus similitudinē maioris expresserant. Benedicēs ergo illi, *Vers.* 24. ait: Tu es filius meus Hesaü?] Iuxta Hebrēū habetur: *Tu ipse filius meus Hesaü*: Non sat fuit Ishac palpasse; sed iterum interrogat, adiuncto pronomine idētitatis: *Tu es ipse filius meus Hesaü?* nihil dicēs de primogenitura, sciens, quòd Iahacob emisset illam. Ex industria siquidē interrogationem restrinxit ad personam Hesaü. Quocirca respondendo Iahacob: *Ego sum.* (quamuis in Hebræo non legatur, *sum*; sed subintelligatur;) inexcusabilis est ab officioso mendacio. Intentio ergo Iahacob bona, sed locutio mala moraliter fuit.

Respondit: Ego sum. *Vers.* 25. At ille: Affer, inquit, mihi cibos.] Iuxta Hebræum habetur: *Appropinquare fac mihi, & comedam de venatione tua, fili mi: vt benedicat tibi anima mea.* Sedens senex in lecto egebat, vt mensa propinqua sibi fieret.

Quos cùm oblatos comedisset.] Iuxta Hebræum habetur: *Et appropinquare fecit ei, & comedit.* Fecit propinquam illi mensam: & sic comedit.

Et attulit ei vinum, & bibit: *Vers.* 26. & dixit ad eum Ishac pater eius: Accede ad me, & da mihi osculum, fili mi. *Vers.* 27. Et accessit, & osculatus est eum. Statímque vt sensit vestimentorum [b] eius fragrantiam, benedicens ait: Ecce

[b] Huic vesti primogenituræ erat aliqua materia odorifera intexta.

Ecce odor filij mei, ficut odor agri.]Iuxta Hebræum habetur: *Vide odorem filij mei. ficut odorem agri.* Nec fubiungitur, *pleni:* fed, *Quem benedixit eum* יהוה. Admirantis eft: *Vide odorem*; tanquàm initium benedictionis, tanquàm incitantem ipfum Ishac ad benedicendum. Et fæpè iam dictum eft quadrare benedictionem nomini tetragrammaton.

Verf. 28. Det tibi Deus [c] de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, vini, & olei.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dabit tibi* אלהים *de rore cælorum, & de pinguedinibus terræ, & multitudinem frumenti, & musti.* In partes quinque fecatur hæc benedictio. In prima præfens odor filij affimilatur agro benedicto ab eo, qui dat effe omnibus. In fecunda prædicitur futura filij opulentia, defcripta ex quatuor; videlicet, cælo, terra, frumento, & mufto; ad quæ omne diuitiarum genus reducitur: nam ad rorem cælorum reducuntur mel, manna, & reliqua huiufmodi: ad pinguedines terræ, lac, butyrum, & animalia, quæ funt vtilia homini: ad frumentum, triticum, hordeum, & reliqua huiufmodi: ad muftum denique, omne genus vini, nõ aliunde aduectum, fed in propriis natum; ideò enim mufti nomine vfus eft. Dator autem dicitur Deus, nominatus אלהים: tum, quia Deo facturo, quod promifit Abrahæ, innititur: tum, quia ad Deum, quatenus eft diftributor opum, honorum, aliorumque bonorum, fpectat conferre hæc fubiuncta.

[c] Hæc filiorum benedictio, quæ à Patriarchis iam morituris dabatur, multa continebat. Primò tradebātur iura primogenituræ filio in poffeffionem. Secundo, fiebat illi veræ fidei, & timoris Dei commendatio, & promiffionum Patrum relatio; & quòd per illũ promiffiones iftæ fpectarentur. Interueniebántque fimiliter in huiufmodi colloquio quædam Dei obfecrationes eorũ, quę Dominus promiferat, quas in Textu expreffas habes. Reliqua omnia fubticentur: verum, fi legeris, Iacob in filios benedictionem, & Dauidis in Salomonem, Chriftique iam cælos afcendentis in difcipulos hic omiffa effe intelliges.

Verf. 29. Et feruiant tibi populi, & adorent te tribus.] Tertia eft pars benedictionis relatiuè ad populos, & gentes; duóque prædicuntur bona: alterum dominij fuper populos: alterum honoris exhibendi à populis, feu gentibus. Dictio enim interpretata, *adorent*, honorationem fignificat actu incuruandi feipfum, vt multi interpretantur.

Efto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ.]Dictio interpretata, *dominus*, non propriè fignificat Dominum, fed potiùs Superiorem, feu Principem: & eadem dictio interpretatur hìc, *incuruentur*, quæ interpretata eft, *adorent*. Quarta eft hæc benedictionis pars relatiuè ad fratres: & directè ius primogeniti dat quoad duo: alterum eft, principatus, tanquàm dominium quoddam: alterum eft, honor exhibendus à fratribus. Vtrunque horum confpicimus fieri in terris, in quibus foli primogeniti funt hæredes.

Qui maledixerit tibi, maledictus erit: & qui benedixerit tibi, benedictionibus replebitur.] Iuxta Hebræum breuiffimè habetur: *Maledicentes te, maledictus; & benedicentes te, benedictus.* In hac quinta benedictionis parte, relatiuè ad omnes, benedictio filij ad omnes extenditur: prædicando maledictionis pœnam maledicis, & fimiliter benedictionis præmium benedicentibus ipfum. Vtitur autem fingulari numero, tam in pœna, quàm præmio; ad infinuandum, quòd quilibet maledicentium incurret maledictionem; & fimiliter quilibet benedicentium erit benedictus. Et hæc quinque intellige data Iahacob, non in feipfo purè, nec in femine eius purè; fed, vt ipfe comprehendit, tum fe, tum femen fuum. Primum, & fecundum, ac quintum communia funt ipfi, & femini eius: duo verò media femini tantùm eius conuenerunt: nam ipfe Iahacob adorauit Hefaü, & non è conuerfo: & Iahacob nunquam fuit dominus populorum, & adoratus à gentibus; fed femen eius in Regibus, præcipuè Dauide, & Salomone.

Verf. 30. Vix Ishac fermonem impleuerat: & egreffo Iahacob foras, venit Hefau: *Verf.* 31. coctofque de venatione cibos intulit patri, dicens. Surge, pater mi, & comede de venatione filij tui: vt benedicat mihi anima tua. *Verf.* 32. Dixitque illi Ishac pater eius: Quis es tu? Qui refpondit: Ego fum filius tuus primogenitus Hefaü. *Verf.* 33. Expauit Ishac ftupore vehementi, & vltrà quàm credi poteft admirans.] Iuxta Hebræum habetur: *Et tremuit Ishac tremitu magno vfque valdè.* Non erat ratio timendi, aut tremendi; fed admirandi, & irafcendi fecundùm caufas naturales: quocirca pauor ifte, ac tremor, tam magnus, & repentinus diuinitùs fuit immiffus. Et quoniam ea, quæ exteriùs fiunt à Deo, figna funt internorum; quemadmodum tremor eft motus compofitus ex motibus elementi grauis, & animæ; ita animus Ishac mixtus erat ex affectu proprio pro Hefaü aduerfùs Iahacob, & motione diuina in fauorem Iahacob: & hæc præualuit. Diuina itaque reuelatio, non qualifcunque, fed cum huiufmodi pugna in animo Ishac defcribitur, inchoando ab ipfa contrarietate motuum in corpore, & in animo. Et hæc eft tertia reuelatio diuina facta Ishac.

Et ait: Quis igitur ille eft, qui dudum captam venationem attulit mihi?] Iuxta Hebræum habetur: *Quis, & vbi nunc ipfe, qui venatus eft venationem, & attulit mihi, & comedi ex omnibus, priufquàm tu venires? benedixíque ei.* Non folùm perfonam; fed & locum, & tempus præfens, & præteritam venationem eiufdem admirando, non fatetur fe nefcire, fed nefciuiffe: vt verba eius fubiuncta teftantur. Et oportuit declarare, quòd nefcius benedixiffet Iahacob: vt cognofceret Hefaü, quòd nulla mutatione, nulla arte vfus fuerat benedicendo alteri.

Et erit benedictus.] Hinc clarè apparet diuina reuelatio cum mutatione animi Ishac.

Verf. 34. Auditis Hefaü fermonibus patris, irrugiit clamore magno, & conflernatus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et clamauit clamore magno, & amaro vfque valdè.* Excellentia triftitiæ defcribitur ex magnitudine, tum clamoris, tum amaritudinis.

Et ait: Benedic etiam & mihi.] Iuxta Hebræum repetitur, *mihi. Benedic mihi etiam, mihi, pater mi.* Ad exprimendum, ad commemorandum, fe tam dilectum à patre primogenitum, repetit feipfum: vt vel fic prouocet patrem ad benedicendum, etiam ipfum. Ex qua petitione apparet, quòd non inuidia, fed amore proprij boni petebat.

Verf. 35. Qui ait: Venit germanus tuus fraudulenter [d], & accepit benedictionem tuam.] Et hinc apparet reuelatio facta Ishac: & mendacium officiofum Iahacob.

[d] Hic maximè apparet, Iacob mentitum fuiffe.

Verf. 36. At ille fubiunxit: Iuftè vocatum eft nomen eius Iahacob. fupplantauit enim me altera vice. Primogenita mea

mea antè tulit: & nunc secundò surripuit benedictionem meam.] Interpres mutauit: nam in Hebræo eadem dictio habetur hic, quam Interpres interpretatus est, *tulit*, dicendo: *Primogenita mea antè tulit*.

Et dixit: An non reseruasti & mihi benedictionem? *Vers.* 37. Respondit Ishac: Dominum tuum illum constitui.] Eadem dictio est, quam superiùs diximus, non propriè interpretari dominum; sed potiùs Superiorem, seu Principem.

Et omnes fratres eius seruituti illius subiugaui: frumento, & vino, & oleo stabiliui eum.] In Hebræo non habetur, *oleo*; nec *vino*, sed *musto*.

Et tibi post hæc, fili mi, vltrà quid faciam?] Iuxta Hebræum habetur: *Et tibi, vbi nunc quid faciam, fili mi?* Nec ex parte rerum, nec ex parte locorum reseruatum est aliquid præsenti tempori faciendum.

Vers. 38. Cui Hesaü ait: Num vnam tantùm benedictionem habes, pater mi? Mihi quoque, obsecro, vt benedicas.] Verba eadem repetuntur: *Benedic mihi etiam, mihi, pater mi.* affectu superiùs expresso.

Cumque eiulatu magno fleret[e].] Iuxta Hebræum habetur: *Eleuauit Hesaü vocem suam, & fleuit.* Sententia clara est.

e Perpende, quod Paulus dicit, Esaü nō inuenisse in patre pœnitentiæ locum, quamuis cum lacrymis requisiuisse.

Vers. 39. Motus Ishac.] Iuxta Hebræum habetur: *Et respondit Ishac, pater eius.* Nihil dicitur de commotione.

Et dixit ad eum: In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper, *Vers.* 40. erit benedictio tua.] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce de pinguedinibus terra erit sessio tua, & de rore calorum desuper.* Non scribitur hìc benedictio; sed sessio, seu habitatio tua in copia rerum, quæ ex cælorum beneficio, & terræ nascuntur.

Viues in gladio.] Iuxta Hebræum habetur: *Et super ensem tuum viues.* Militiæ vacaturum genus eius prædicit: & hoc adimpletum fuisse, non est dubium.

Et fratri tuo seruies.] Post longa tempora hoc impletum fuit, quando Idumæa seruiuit Dauidi.

Tempusque veniet, cùm excutias, & soluas iugum eius de ceruicibus tuis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erit, quando dominaberis, & excuties iugum eius desuper collum tuum.* Quarti Regum 8. cap. legitur, quòd regnante super Iuda Ioram, recessit Idumæa, ne esset sub Iuda: & constituit sibi Regem. Tunc itaque impleta est hæc prophetia: non enim dicitur: Et erit, quando dominaberis fratri tuo. sed absolutè, *quando dominaberis*. quod, habendo Regem proprium, liquidum est impleri.

Vers. 41. Oderat ergo semper.] Iuxta Hebræum non tot habentur: *Et odit Hesaü Iahacob.* Subsecutum odium describitur.

Propter benedictionem, qua benedixerat ei pater eius. Dixitque in corde suo: Venient dies luctus patris mei[f]: & occidam Iahacob, fratrem meum. *Vers.* 42. Nunciata sunt hæc Ribeccæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nunciata sunt Ribecca verba Hesaü, filij eius magni.* Hinc clarè apparet, quòd non tantùm in corde suo; sed etiam ore suo Hesaü machinatus est mortē Iahacob.

f Quando scilicet, fit hæreditatis diuisio inter fratres.

Quæ mittens, & vocans Iahacob filium suum paruum.] Hinc apparet absentia Iahacob, postquàm fratrem offendit.

Dixit ad eum: Ecce Hesaü, frater tuus, minatur, vt occidat te.] Iuxta Hebræum habetur: *Consolatur se ad te, ad occidendum te.* Constructio est appositiua, *ad te, ad occidendum te.* & est sensus: Hesaü consolatur seipsum de te: quia occisurus est te.

Vers. 43. Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam: & consurgens fuge ad Laban, fratrem meum, in Aram.] pro, *Charan.* Et hinc apparet, quòd eadē ciuitas est, quæ nominatur *Aram Padan*; & nominatur, *Charan.* Ribecca enim, quæ ibidem fuerat nata, & nutrita, nominat eam *Charan*, quæ superiùs nominata est *Aram fluuiorum* & *Aram Padan.*

Vers. 44. Habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui, *Vers.* 45. & cesset indignatio eius, obliuiscaturque eorum, quæ fecisti in eum: posteà mittam, & adducam te inde huc. Cur vtroque orbabor filio vno die?] Altero, quia occidetur; altero, quia non erit mihi vsui occisor filij mei charissimi.

Vers. 46. Dixit quoque Ribecca ad Ishac: Tædet me vitæ meæ propter filias Cheth: si acceperit Iahacob vxorem de stirpe huius terræ.] Iuxta Hebræum habetur: *De filiabus Cheth, sicut istas de filiabus terra.* Non dubitantis alias fore similes; sed exemplum expertum proponentis, est similitudo. Et fortè non appositiuè, sed extensiuè adiunxit, *de filiabus terræ*: ad excludendum etiam Ismaelitas, vt assequeretur intentum, mittendi Iahacob in Mesopotamiam: propter hoc enim tacita causa principali, (scilicet, timore mortis Iahacob,) proposuit causam secundariam, veram tamen.

Nolo viuere.] Iuxta Hebræum habetur: *Quare mihi vita?* Quasi dicat: Frustrà, imò in amaritudine spiritus.

CAPVT XXVIII.

Vocauit autem Ishac Iahacob: & benedixit.] Ecce iterum firmata benedictio Iahacob. VERS. 1.

Præcepitque ei dicens: Noli accipere coniugem de genere Chenahan: *Vers.* 2. sed surge, & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ[a].] Iuxta Hebræum habetur: *In Padan Aram.* Vt dictum est, ciuitas est inter Euphratem, & Tigrim, quæ alio nomine dicitur Charan.

a Syriæ nomen generale est multarū prouinciarum, nonnunquam Assyriā comprehendens. Plinius eiusdem prouincias numerat vndecim, Mesopotamiā, Cappadociam, Syriam, Damascenam, quæ & terra Vz nominatur, patria Iob, Dei serui patientissimi; Cœlesyriā, seu Emat terrā, Syriam Soba, seu Sophenam, Palestinam, Iudæam, & Phœniciā. Hæc Syria, vt tradit Herodotus, à quodā Syro Apollinis filio dicta est. Hebræi verò eam Aram vocant, teste Iosepho, ab Arā filio Sem, vnde & Arameam dictam putant.

Ad domum Bethuel, patrem matris tuę: & accipe tibi inde vxorem de filiabus Laban, auunculi tui. *Vers.* 3. Deus autem omnipotens.] Iuxta Hebræum habetur: *Et El victor.* Vt superiùs diximus, *El*, nomen est Dei penes attributum fortitudinis: significat enim Deum, quatenus est fortis. Victor quoque nomen est Dei, ab eo, quòd vincit, & superat omnia: & propterea interpretatum est ab aliis, *omnipotens*, tanquàm idem sit, omnia posse, & omnia vincere. Aptè autem victoria

victoria adiungitur fortitudini: finis enim fortis est vincere. Et vtrunque attributum congruit statui Iahacob, quem oportebat fugere iram Hesaü: significatur enim, quòd ille, qui est summè fortis, ac omnia vincit, non solùm eruet te de ira fratris tui; sed præualebit ad benedicendum te, &c.

Benedicat tibi,& crescere te faciat,atque multiplicet, vt sis in turbas populorum: *Vers.* 4. Et det tibi benedictionem Abraham.] Hæc omnia verba futuri Indicatiui sunt: *benedicet, fructificare faciet, & multiplicare, & eris,& dabit.*

Et semini tuo.] Deest, *tibi.* Legendum est: *Tibi, & semini tuo tecum.* Postquàm dixerat: *Et dabit tibi benedictionem Abrahæ.* subiungit exponendo: *Tibi, & semini tuo tecum.* vti benedictio diuina Abrahę intelligatur communis Iahacob,& semini eius.

Vt possideas.] Iuxta Hebræum habetur: *Vt hæredites tu terram peregrinationis tuæ.* Hoc est, vt hæreditario iure ad te pertineat terra ista, & non ad Hesaü. Declarat enim, ipsum Iahacob decretum esse hæredem benedictionis Abrahæ, & promissionis eidem à Deo factæ.

Quam pollicitus est auo tuo.] Iuxta Hebræum habetur: *Quam dedit* אלהים *Abrahæ.* Deus iustus, distributor nominatur, quòd dedit terram hanc Abrahæ: vt hæreditas iusta, sanctáque significetur.

Vers. 5. Cúmque dimisisset eum Ishac, profectus venit in Mesopotamiã Syriæ.] Iuxta Hebræum habetur: *In Padan Aram.* Priùs Moses narrat perfectum iter Iahacob; & deinde, quæ interim euenerunt.

Ad Laban filium Bethuël Syri.] Iuxta Hebræum habetur: *Aramei.* Nomen est patrium à ciuitate Aram.

Fratrem Ribecæ matris suæ. *Vers.* 6. Videns autem Hesaü, quòd benedixisset pater suus Iahacob, & misisset eum in Mesopotamiam Syrię.] Nescio, vnde Interpres iste sumpserit hæc vocabula: nam in Hebræo habetur: *In Padan Aram.* quam constat non esse in Syria.

Vt inde vxorem duceret:& quòd post benedictionem.] Separauit Interpres particulam hanc à præcedente: nam iuxta Hebræum legendum est: *Et misit eum in Padan Aram ad accipiendum sibi inde vxorem in benedicendo ipsum: & præcepit ei dicens: Non accipies coniugem de filiabus Chenahan.* Vbi clarè apparet, & separatio, & mutatio.

Vers. 7. Cúmque obediens Iahacob parentibus iuisset in Syriam.] Iuxta Hebræum habetur: *In Padan Aram.* In Syria enim erat: nam terra promissionis pars est Syriæ: Beersebah autem, vnde egrediebatur Iahacob, extrema pars dicitur terræ sanctæ, secundùm longitudinem ex parte australi: iuxta illud: *A Dan vsque Beersebah.* 2. Regum, cap. vlt.

Vers. 8. Videns quoque Esaü, quòd non libenter aspiceret filias Chenahan pater suus, *Vers.* 9 iuit ad Ismahelem:& duxit vxorem absque iis, quas priùs habebat, Machalath, filiam Ismahel, filij Abraham, sororem Nebaioth.

Vers. 10. Igitur egressus est Iahacob de Beersebah, & pergebat Aram.] Iuxta Hebræum habetur: *Et iuit in Charan.* Quam constat esse inter Euphratem, & Tigrim. Extremos terminos, à quo, & ad quem, itineris Iahacob, narrat Moses, priusquàm narret euentus medios in via.

Vers. 11. Cúmque venisset ad quendam locum, & vellet in eo requiescere post Solis occubitum.] Hebræus Textus sonat nescio quid fortuiti, singularitatis,& inuoluntarij: *Et occurrit in illum locum, & pernoctauit ibi: quia declinauit Sol.* Occursus improuisum quid; articulus, quem per pronomen, *illum*, circunloquimur, singularitatem; ratio autem temporis necessitatem præ se fert.

Tulit de lapidibus,qui iacebant.] Iuxta Hebræum habetur: *Et tulit de lapidibus loci.* Lapidosus enim locus insinuatur.

Vers. 12. Et supponens capiti suo,dormiuit in eodem loco, viditque in somnis scalam stantem super terram.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ecce scala fuit stans ad terram, & cacumen illius tangens cælum.*] Hæc est prima pars somnij, scala à terra vsque ad cælum stans, firma in terra: dictio enim Hebraïca, *stare*, non qualitercunque, sed firmiter significat.

Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam.] Iuxta Hebræum similiter habetur: *Et ecce Angeli* אלהים *ascendentes, & descendentes in ipsa.* Nominantur Angeli ipsius Dei, quatenus Iudex est: eò quòd sunt nuncij Dei, tum quoad iustas distributiones, tum quoad iusta iudicia.

Vers. 13. Et Dominum innixum scalæ.] Iuxta Hebræum similiter describitur tertia pars visionis: *Et ecce* יהוה *stetit supra ipsum.* Ipsum summum essendi principium sub propriissimo sibi nomine describitur visum stans supra scalam, in qua ascendebant, & descendebant Angeli: vt intelligamus, quòd ipse est, qui mittit Angelos, ad quem redeunt Angeli, qui curam habet infimorum.

Et dixit: Ego sum Dominus Deus Abraham, patris tui;& Deus Ishac.] Iuxta Hebræum habetur: *Ego* יהוה *Elohe Abrahæ patris tui; & Elohe Ishac.* Manifestat Deus stans supra scalam in cælis, se ipsum esse Deum, qui dat esse omnibus, & qui specialiter cultus, adoratúsque est summus Iudex, tum ab Abraham, tum ab Ishac: vt Iacob confidat in ipso eodem Deo.

Terram,in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo.] Tibi, tanquàm hæredi; semini autem tuo,tanquàm possessori.

Vers. 14. Eritque semẽ tuum,sicut puluis terræ: dilataberis ad Orientẽ, & Occidẽtem,& Septentrionem,& Meridiẽ:& benedicentur in te,& in semine tuo cunctę Tribus terræ.] Messias promittitur ex progenie Iacob: & æquatur Iacob Abrahæ in hoc, quòd omnes familiæ terræ benedicendæ sint, & in ipso, & in semine eius. Quod intelligendum est, quemadmodum de Abraham declaratum est; videlicet, quòd in semine eius, hoc est, in Messia, & in ipso, tam Abraham, quàm Iacob, tanquàm electo patre Messiæ, benedicendæ erant omnes familiæ vniuersæ terrę. Cõcessum est autem hoc Abrahæ,& Iacob; nõ autem

autem Ishac: quia Abraham est pater fidei; Iacob autem pater populi fidelis., Ishac verò pater fuit etiam Esau separati à populo fideli.

Vers. 15. Et ero custos tuus.] Deficit vna clausula: legendum est: *Et ecce ego tecum, & custodiam te, quocunque perrexeris.* Vbi manifestè patet, plùs promitti, quàm custodiam.

Et reducam te in terram hanc, nec dimittam, nisi compleuero vniuersa, quæ dixi. *Vers.* 16. Cúmque euigilasset Iahacob de somno, ait: Verè Dominus est in loco isto[b].] Nomen est tetragrammaton. Agnouit Iacob in hac prima visione diuina summũ Deum, qui dat omnibus esse, adesse ibi.

> [b] Patriarchæ olim loca, in quibus illis apparitiones Dei contigerunt, summoperè venerati sunt. Sic & Iacob, cum ignorãter in hoc loco cubuisset, quẽ Dominus ad tot mysteria destinatum habebat, expauit, dolensque dixit: [illegible] hoc est, [illegible] familia, Angeli ascendentes, & descẽdẽtes, apparuerunt, & cæli porta, seu [illegible] visa sit [illegible] lux quædam [illegible] apertissima Dei [illegible] quã aperè [illegible] pro Dei visione [illegible] sicque Stephanus [illegible], se vidisse [illegible] cæli, hoc est, Dei claras visiones.

Et ego nesciebam. *Vers.* 17. Pauensque, Quã terribilis est, inquit, locus iste?] Subsequutus timor in Iacob vigilante, & cogitatione, quod viderat, testatur diuinam actionem in animo Iahacob, postquàm vigilauit: ita quòd tria contigerunt: primum, in somnis visio, & auditio: deinde, in vigilia reuelatio, seu intelligentia visorum: & demum, concomitans timor. Intellexit autem Iahacob, quod priùs nesciebat. Tum Deum esse in loco illo, tanquàm in loco appropriato auditorij sui: nec demonstratur locus terræ, nec locus cæli; sed vniuersus situs ille à terra, super quam stabat scala, vsque ad illam cæli partem inclusiuè, in qua apparuerat Deus supra scalam. Tum, quòd locus ille quàm timendus erat: & hoc ex experto in se timore agnouit: timuit autẽ diuinum iudiciũ, quemadmodum consueuimus timere, nouiter præsentes Principi sapiẽti, ne aliquid sibi displicens appareat in nobis: sic enim Iahacob timuit, cõsiderando seipsũ relatiuè ad præsentiã Dei, & frequentiã Angelorũ, ne imputarẽtur sibi defectus sui. Tũ, quòd locus ille erat domus Dei, & porta cælorũ, vt subiũgitur.

Non est hîc aliud, nisi domus Dei, & porta cæli.] Iuxta Hebræum habetur: *Non iste, nisi domus* אלהים; *& iste porta cælorum.* Non sunt aduerbia localia; sed pronomina, quæ interpretata sunt, *hîc.* Ecce intelligentia visionis, quòd locus ille est domus Dei, & porta cælorum. Nemo enim meliùs intellexit hanc visionem, quàm ipse Iahacob. Verè domum appropriatam Deo intellexit, ex eo, quòd in illa parte cælorum viderat Deum ad illam terræ partem spectantem. Et verè portam cæli ibidem agnouit ex eo, quòd scala ad portam cælorum pertingebat, qua egrediebantur descendentes, & ingrediebantur ascendentes Angeli. Dixit autem domus אלהים, eò quòd Deus distributor bonorum, & pœnarum, semper iustus per Angelos suos officia hæc exercet. Et ad literam, visio hæc figura fuit, & initium templi Dei ædificandi ibidem: nam, vt ex 1. Paralip. 22. & ex 2. cap. 3. clarè habetur, Bethel[c], mons Moriah est, qui demonstratus est Dauidi, in quo obtulit sacrificium ad sedandam pestem, & in quo ædificatum fuit templum à Salomone. Et quoniam ibidem immolandus super altare positus est Ishac (vt manifestè dicitur superiùs cap. 22.) ideò locus iste cum articulo significatus est à Mose, describendo, quòd Iahacob occurrit in illũ locũ, tanquàm in locũ singularem immolationis Ishac, & futuri tẽpli.

> [c] Ægletius, Geographus per tissimus, istã Bethel, & Moriah, diuersa loca esse dicit.

Et quoniam similitudines corporeæ Dei, Angelorum, & scalæ monstratæ Iahacob, figuræ sunt spiritualium, (quemadmodum templum, seu domus Dei, figura est Ecclesiæ, hoc est, cõgregationis fidelium;) ideò ad literam visio ista figura fuit Ecclesiæ, hoc est, congregationis iustorum hominum in vna fide, spe, & charitate Dei: hæc enim viua domus Dei, quæ incepit ab Habel iusto, est. Ad hanc solida stat scala vsque ad cælum; hoc est, via gradatim per ordinata merita, officia, gratiásque: & in ea continuè Angeli ascẽdunt à nobis, referendo nostra in Deũ; & descendunt ad nos, afferendo diuina ad nos. Et quanuis simpliciter, absolutéque prior sit descensus Angelorũ ad homines, quàm ascẽsus eorũ ab hominibus; in scala tamẽ à terra in cælum erecta, prior est ascensus à terra, quàm descensus à cælo; hoc est, quanuis Angeli priùs ad custodiã hominum venerint, quàm nostra retulerint; inchoata tamen Ecclesia priùs nostra referuntur in Deum, quàm deferãtur diuina ad ipsam cõgregationem iustorum, vt merita Ecclesiæ intelligantur prouocare Angelos ad descendendum; & Angeli, qui priùs, quàm scala fieret, descenderunt sine scala ad cõstruendam Ecclesiam, præueniant ascendendo per scalam descendentes in illa. Ideò enim priùs nominantur ascendentes, quàm descendentes in scala: nam ascendentes nõ erant nati in terra: sed supponit eos descendisse; sed nõ in scala. In hac sola domo est via ad portam cælorum: quia extra Ecclesiæ vnitatem nullus viam habet ad cælestem patriã: in hac supremus Deus Creator omniũ præsidet, & iudicia sua exercet; & bonis, & malis pœnæ distribuit. *Vers.* 18. Surgens ergo manè, tulit lapidẽ, quem supposuerat capiti suo.] Vnum itaque lapidem ex lapidibus loci acceperat supponendum capiti suo.

Et erexit in titulũ.] Ad literã erectio lapidis in signũ, atq; memoriã visionis significatur.

Fundens oleum desuper[d].] Iuxta Hebræũ habetur: *Et fudit oleũ super caput eius.* Sũmitas erecti lapidis appellatur, *caput lapidis.* Fusio autẽ olei, venerationis gratia, ad literã facta videtur; vt quemadmodum homines iucunditatis gratia vngebantur oleo, ita diuinæ habitationis signũ oleo cultum est. Nec alienũ est à credulitate, vt lapis sic erectus, ac cultus, non facilè à quopiã moueretur. *Vers.* 19. Appellauítque nomẽ vrbis Bethel.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vocauit nomen loci ipsius Bethel.* Est autẽ, *Bethel*, nomen cõpositũ ex *Beth*, & *El*; hoc est, Domus Dei, quatenus fortis: *El* enim significat Deum secundùm attributũ fortitudinis: promiserat enim ei officia fortitudinis; custodire eũ, & dare terrã Chananæorũ semini eius. Quę priùs Luza vocabatur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et verè Luz nomen ciuitatis primũ.* Cùm nõ dixerit, quòd vocauit nomẽ ciuitatis, sed, *nomẽ loci*; & subiũgatur antiquũ ciuitatis nomẽ aliud; insinuatur, quòd locus ille erat locus ciuitatis dirutæ, quæ olim vocata fuerat Luz: & propterea Moses addidit, certũ esse, quòd olim appellabatur ciuitas Luz. *Vers.* 20. Vouit etiã votũ.] Quæstio, quæ hîc mouetur de materia voti huius incõgrua, (ex eo, quòd materia voti debet esse bonũ supererogationis, hoc est, ad quod aliàs voués nõ tenetur: & Iahacob vouit se habiturũ Deũ, ad quod tenebatur sine suo voto,) soluitur dupliciter. Prima solutio est, quòd se habiturũ Deũ in Deũ, nõ est intelligendũ, vt verba sonãt solitariè; sed, vt explicanda per subiũctas partes: sæpè enim sacra Scriptura vtitur hoc loquendi modo, vt explicanda singillatim proponat priùs in vno, tãquã cõfusè, & deinde illud met per partes explicet. Sic autem contingit in hoc Textu, quòd id, quod dicitur: *Eris mihi Deus in Deum*, dicitur explicandũ per subiũctas duas partes: quarum altera est, quòd lapis

> [d] Oleum istud super lapidem effusum ea ratione fiebat, vt lapis quodammodo sacraretur.

lapis iste erit domus Dei: altera est, quòd decimas omnium offeret Deo. Et vtrunque horum, bonum fuisse supererogationis, perspicuum est. Altera solutio est, seruando rigorem verborum, quòd non inconuenit, quandoque materiam voti esse bonum, ad quod quis aliàs tenetur, vt ex duplici vinculo ad idem teneatur; vinculo, scilicet, præcepti diuini, seu naturalis iuris; & vinculo voti proprij.

Dicens: Si fuerit Deus mecum.] Nomen est אֱלֹהִים, congruum petitis: nam ad Deum, quatenùs אֱלֹהִים, spectat distributio bonorum iuxta promissa ab Abraham, & Ishac.

Et custodierit me in via per quam ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestem ad induendum; *Vers.* 21. reuersúsque fuero prosperè (pro, *in pace*) ad domum patris mei.] Timebat enim, & fugiebat persecutionem fratris sui in domo patris sui.

Erit mihi Dominus in Deum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erit* יְהוָה *mihi in* אֱלֹהִים. Deum, Creatorem omnium, vouet culturum se in Iudicem, in distributoré, in curam, prouidentiamque exercenté erga omnia.

Vers. 22. Et lapis iste, quem erexi in titulum[e], vocabitur Domus Dei.] Iuxta Hebræum habetur: *Erit domus* אֱלֹהִים. Recole, quòd pars voti est hoc: & intelliges significari; quòd lapis ille futurus esset ipsi Iahacob in domum אֱלֹהִים; hoc est, loco templi dicati summo Iudici, iusto distributori bonorum, & malorum. Vnde & rediens de Mesopotamia, ad hunc locum venit sacrificaturus Deo: vt inferiùs describitur cap. 35.

[e] Vouit ibidé, se frequenter venturú ad litandum.

Cunctorúmque, quæ dederis mihi, decimam offeram tibi.] Iuxta Hebræum habetur: *Decimando decimabo ipsum tibi.* Non intelligo decimum quodque vouisse; sed decentem, & quam didicerat ab Abraham, & Ishac solitam offerri Deo portionem, decimæ nomine significari. Si quæris, cui Sacerdoti dandæ erant istæ decimæ[f]. Respondeo, quòd nulli; sed in honorem Dei erant offerendæ Deo, iuxta ritum tunc solitum; & quod erat consuetum comburi, comburebatur sacrificando; reliquum autem comedebatur, non tanquàm cibus profanus, sed tanquàm Deo oblatum, vt mos erat, offerentibus ad sacrificandum, participes esse sacrificij, & libaminum.

[f] Legimus Abraham Sacerdoti Melchisedec decimas dedisse.

CAPVT XXIX.

VERS. 1.

PRofectus ergo Iacob.] Iuxta Hebræum habetur: *Et eleuauit Iahacob pedes suos.* Significatur, quòd diuina visione, ac promissione animæquior redditus Iahacob, accelerauit iter.

Et venit in terram orientalem: *Vers.* 2. & vidit puteum in agro; tresque greges ouium accubantes iuxta eum: nam ex illo adaquabantur pecora, & os eius grandi lapide claudebatur: *Vers.* 3. Morísque erat, vt cunctis ouibus congregatis deuoluerent lapidem, & refectis gregibus, rursum super os putei ponerent. *Vers.* 4. Dixítque ad pastores: Fratres, vnde estis? Qui responderunt: De Aram.] Iuxta Hebræum habetur: *De Charan nos.* Quamuis eadem ciuitas sit Charan & Aram.

Vers. 5. Quos interrogans, Nunquid, ait nostis Laban, filium Nachor? Et dixerunt: Nouimus. *Vers.* 6. Et dixit ad eos: Sanusne est?] Iuxta Hebræum habetur: *Si pax ei?*

Et dixerunt valet.] Iuxta Hebræum habetur: *Pax.* Respondentes enim interroganti: *Si pax Laban?* responderunt: *Pax.*

Et ecce Rachel, filia eius, venit cum ouibus. *Vers.* 7. Dixitque Iahacob: Adhuc multum diei superest; nec est tempus vt reducantur ad caulas greges: date antè potum ouibus; & sic ad pastum eas reducite. *Vers.* 8. Qui responderunt: Non possumus, donec omnia pecora congregentur, & amoueamus lapidem de ore putei, vt adaquemus greges. *Vers.* 9. Adhuc loquebantur: & ecce Rachel veniebat cum ouibus patris sui: nam ipsa pascebat gregem. *Vers.* 10. Quam cùm vidisset Iahacob, & sciret cōsobrinam suā.] Iuxta Hebræum extensè habetur: *Filiam Laban, fratris matris suæ, & oues Laban, fratris matris suæ.* Quod ideò dixerim, ne Grammatici pro proprietate consobrinæ pugnent.

Amouit lapidem, quo puteus claudebatur: *Vers.* 11. & adaquato grege.] Iuxta Hebræum habetur: *Et potum dedit.* Quod ideo dixerim, vt lector sciat, non explicari in Textu ordinem, quem Interpres explicauit; videlicet, quòd priùs dedit potum pecudibus; & posteà osculatus est eam: ordo enim gestorum non est certus: quoniam perspicuum est, tres vltimò scriptas actiones, (osculi, fletus, & annunciationis, quòd esset consanguineus) præpostero ordine scriptas: nam primùm indicauit se cōsanguineū; & fleuit teneritudine amoris; & tertiò osculatus est. Incertum autem est, an quartò appropinquauerit ad os putei; an mouerit lapidē, potúmque dederit gregi; an priùs hæc fecerit. Et est ratio dubij; quia hinc apparet, vt retrogradus ordo manifestus in vltimis actionibus extendendus etiā sit ad hoc factum primo scriptum: inde autem apparet, quòd hoc factū fuit, statim vt Iahacob vidit Rachelem: nam in Hebræo habetur: *Et fuit, vt vidit Iahacob Rachelem filiam Laban, fratris matris suæ; & pecudes Laban, fratris matris suæ, & appropinquauit Iahacob, & reuoluit lapidem, & adaquauit oues Laban, fratris matris suæ.* Hic enim loquendi modus insinuat, hoc statim factū fuisse, antequàm indicaret ei, quòd esset consanguineus eius: vt priùs officio, & deinde verbo indicaret.

Et osculatus est Iahacob Rachelem: & eleuata voce fleuit: *Vers.* 12. & indicauit ei, quòd frater esset patris eius, & filius Ribecæ.] Nepos erat: sed fratrem, hoc est, consanguineum se nominat, subiungendo, se filium esse Ribecæ: ne intelligeretur, quòd diceret se fratrem simpliciter, & absolutè.

At illa festinans nunciauit patri suo. *Vers.* 13. Qui cùm audisset venisse Iahacob, filium sororis suæ, cucurrit obuiam ei: complexúsque, & in oscula ruens, duxit in domum suam. Auditis autē causis itineris, *Vers.* 14. respondit: Os meū es, & caro mea.] Iuxta Hebræum habetur: *Tantùm os meū, & caro mea tu.* Ratio redditur susceptionis Iahacob, sola consanguinitas.

Et postquàm impleti sunt dies mensis vnius, *Vers.* 15. dixit ei: Num, quia frater meus es, gratis seruies mihi? Dic, quid mercedis accipias. *Vers.* 16. Habebat autem Laban duas filias: nomen maioris, Lea: & nomen minoris, Rachel. *Vers.* 17. Sed Lea lippis [g] erat oculis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et oculi Leæ teneri.* Erat enim indigesta materia oculorum, nec redacta in naturalem soliditatem.

[g] Onchelus Cyrus pio, *hyppu, elegantibus*, transtulit, intelligēs, eam fuisse differentiam inter sorores, quòd Lia oculos dūtaxat haberet pulchros; Rachel verò facie & aspectu esset formosa. Sed D. Hieronymi translatio præponenda est.

Rachel verò decora facie, & venusto aspectu.] Iuxta Hebræum habetur: *Pulchra forma, & pulchra aspectu.* Vtraque siquidem pulchritudo describitur.

Vers. 18. Quam diligens Iahacob, ait: Seruiam tibi pro Rachel, filia tua minore, septem annis. *Vers.* 19. Respondit Laban: Melius est, vt tibi eam dem, quàm viro alteri: mane apud me. *Vers.* 20. Seruiuit igitur Iahacob pro Rachel septem annis: & videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine. *Vers.* 21. Dixitque ad Laban: Da mihi vxorem meam: quia iam tempus impletum est, vt ingrediar ad eam. *Vers.* 22. Qui vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium, fecit nuptias.] Iuxta Hebręum habetur: *Et congregauit Laban omnes homines loci, & fecit conuiuium.* Nec plùs habetur.

Vers. 23. Et vespere cepit Leam, filiam suam, & introduxit eam ad illum: *Vers.* 24. dans ancillam filiæ, Zilpam nomine. Ad quam cùm ex more Iahacob fuisset ingressus, facto mane vidit Leam: *Vers.* 25. & dixit ad socerum suum: Quid est, quod facere voluisti? nónne pro Rachel seruiui tibi? *Vers.* 26. Respondit Laban: Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores antè tradamus ad nuptias. *Vers.* 27. Imple hebdomadam dierum huius copulæ: & hanc quoque tibi dabo pro opere, quo seruiturus es mihi septem annis aliis. *Vers.* 28. Acquieuit Iahacob placito: & hebdomada transacta, duxit Rachel vxorem. *Vers.* 29. Cui pater Bilham ancillam tradidit. *Vers.* 30. Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori prætulit: seruiens apud eum septem annis aliis. *Vers.* 31. Videns autem Dominus, quòd despiceret Leam.] Iuxta Hebręū habetur: *Et vidit* יהוה, *quòd exosa Lea.*

Et aperuit vuluam eius, sorore sterili permanente.] Primo essendi principio attribuitur, videre hæc minima, & prouidere, efficiendo vnius fœcunditatē, & alterius sterilitatē.

Vers. 32. Concepit autem Lea, & peperit filium: vocauitque nomen eius Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatem meam [h].] Iuxta Hebræum habetur. *Vidit* יהוה *in afflictione mea.* Ratio nominis redditur: nam *Reuben, visionis filius* (vt aiunt) interpretatur. Et Lea etiam profitetur, summi Dei prouidentiam extendi ad hæc minima.

[h] Consuetum olim sanctis Patribus fuit, ea nomina suis paruulis dare, quæ pietatis admonerent: aliquando etiā nomina Sanctorum illis imponentes, vt ad illorū æmulationē eius nomine prouocarentur: verùm maiorum videre nomina, ethnicam ambitionem recipit, immortalitatē suam in posteris statuentium.

Nunc amabit me vir meus. *Vers.* 33. Rursùmque concepit, & peperit filium, & ait: Quoniam audiuit Dominus haberi me contemptui.] Iuxta Hebræum habetur: *Quoniam audiuit* יהוה, *quòd exosa ego.* Ratio siquidem redditur nominis, *Simhon*, interpretati, *auditio.*

Dedit mihi etiam istum. Vocauitque nomen eius, Simhon. *Vers.* 34. Et concepit adhuc, & peperit filium: dixitque: Nunc quoque (pro, *nunc hac vice*) copulabitur mihi maritus meus, eò quòd pepererim ei tres filios.] Et hîc quoq; redditur ratio nominis, *Leui*, interpretati, *applicatus.*

Et idcircò appellauit nomen eius, Leui. *Vers.* 35. Quartò concepit, & peperit filium, & ait: Modò confitebor Domino.] Iuxta Hebræū habetur: *Hac vice confitebor* יהוה. Et est sermo de confessione laudis: vnde & alij interpretantur, *laudabo.* Gratiarum enim actiones promittit summo Deo, agnoscens illius beneficia. Et similiter redditur ratio nominis, *Iehuda*, interpretati, *confitens.*

Et ob hoc vocauit eum Iehudam. Cessauítque parere.]

CAPVT XXX.

Cernens autem Rachel, quòd infœcunda esset, inuidit sorori suæ, & ait marito suo: Da mihi liberos: alioquin moriar.] Iuxta Hebræum habetur: *Mortua ego.* Exaggeratio est. VERS. 1.

Vers. 2. Cui iratus Iahacob respondit: Num ego pro Deo sum, qui priuauit te fructu ventris tui?] Dictio interpretata, *Deo*, est nomen אלהים, distributoris bonorum, & malorum.

Vers. 3. At illa: Ecce, inquit, ancilla mea Bilha: ingredere ad illam, vt pariat super genua mea, & habeā [a] ex ea filios. *Vers.* 4. Dedítque ei Bilham, ancillam suam, in vxorem. *Vers.* 5. Quæ ingresso ad se viro concepit, & peperit filium. *Vers.* 6. Dixítque Rachel: Iudicauit mihi Dominus.] Iuxta Hebræū habetur: *Iudicauit me* אלהים.

[a] Hinc crediderim, ritum adoptandi, & leges, initiū sumpsisse: sicque factum est, vt cum omnes filij concubinarum Iacob, à Lia, vel Rachel adoptati fuerint, veri heredes cū cæteris fratribus extiterint.

Et exaudiuit vocem meam, dans mihi filium. Et idcircò appellauit nomen eius, Dan.] Tanquàm ius debetur mulieri, vt habeat prolem, eò quòd ad hoc facta est: & propterea Rachel à summo Iudice ius sibi ministratum fatetur: & propterea filium nominauit, *Dan*, hoc est, *iudicium.*

Vers. 7. Rursúsque Bilha concipiens peperit alterū: *Vers.* 8. pro quo ait Rachel: Comparauit me Dominus cum sorore mea, & inualui.] Iuxta Hebræum habetur: *Colluctationibus* אלהים *colluctata sum cum sorore mea, etiam potui.*

Vocauítque nomen eius Naphthali.] Non inueni Latinum verbum correspondens Hebræo. Et inter multas interpretationes, nulla videtur magis propinqua sensui Hebraïci Textus, quàm ista, qua Rachel dicit, se diu cum propria sorore quasi luctatam, non brachiis, aut humanis viribus; sed quasi colluctationibus אלהים; hoc est, Dei iusti distributoris fœcūditatis, & sterilitatis. Ex eo namque tēpore, quo ambæ nupserūt vni viro Iahacob, ad similitudinē luctātium inter se ad generandū ex Iahacob fuerunt: sed Rachel sæpè victa est. Verùm, quia mediante ancilla genuit secundū filium, dixit etiam, *potui*, hoc est, non totaliter depressa sum; sed etiam secunda iam vice potui; in hac quasi lucta valui ad generandum Naphthali. Itaque nomen ignotum nobis restat propriè, propter obscuritatem dictam.

Verſ. 9. Sentiens Lea, quòd parere deſiiſſet, Zilpam, ancillam ſuam, marito tradidit. *Verſ.* 10. Qua poſt conceptum edente filium, *Verſ.* 11. dixit Lea: Feliciter.] Iuxta Hebræum habetur: *Venit ſors.*

Et vocauit nomen eius Gad.] Aiunt ſortem æquipollere fortunæ: vt, ſecundùm communem loquendi morem, fortunatè ſibi obtigiſſe dixerit; & à ſorte, *Gad*, nominauerit.

Verſ. 12. Peperítque Zilpa alterum: *Verſ.* 13. Dixitque Lea: Hoc pro beatitudine mea: beatam quippe me dicent mulieres.] Iuxta Hebræum habetur: *In beando me, quia beabunt me filiæ.* Et eſt ſenſus, quòd genitus iſte, eſt tanquàm ad beandum me in hac vita: quia iuuenculæ beabunt me verbis.

Propterea appellauit eum, Aſer.] A beatitudine nomen, *Aſer*, impoſitum eſt.

Verſ. 14. Egreſſus autem Ruben tempore meſſis triticeæ in agrum, reperit mandragoras, quas Leæ matri ſuæ detulit.] Aiunt conferre mandragoras mulierum matricibus ad concipiendum: & proptereà Rachel petiit illas.

Dixitque Rachel: Da mihi partem de mandragoris filij tui. *Verſ.* 15. Illa reſpondit: Parúmne tibi videtur, quòd maritum mihi præripueris[b].] Iuxta Hebræum habetur: *Acceperis.* Verbum abſque iniuria.

Niſi etiam mandragoras[c] filij mei tuleris? dixit Rachel: Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filij tui. *Verſ.* 16. Redeuntique ad veſperam Iahacob de agro, egreſſa eſt in occurſum eius Lea, & ait: Ad me intrabis: quoniam mercede conduxi te.] Iuxta Hebræum habetur: *Quoniam mercando mercata ſum te pro mandragoris filij mei.* Mos eſt Hebraïci ſermonis.

[b] Chryſoſtomus homilia 56. dicit, eò Liā mariti ſubreptionem ſorori impropeꝛaſſe, quòd Iacob rarò ad ad eam ingrederetur: quod & Litera videtur indicare.

[c] Mandragoræ, vt tradit Dioſcorides, herba eſt, lata folia habens, malaque inter folia ſita. Radices cōtinet ternas, quæ mutuis complexibus cōiunguntur, nō puero diſſimiles. Hæc ſecūdum Medicos, & mēſtrua prouocat, mulierémque ad conceptum diſponit. Verùm Auguſtinus huius herbæ naturam ſibi ignotam fatetur, putátque fœminis placuiſſe ob odoris ſuauitatem.

Dormiuitque ea nocte illa. *Verſ.* 17. Et exaudiuit Deus preces eius.] Nomen eſt אלהים: ſignificatur enim Deus intendens cauſis hominum, & audiens vota eorum, tanquàm diſtributor rerum omnium.

Concepitque, & peperit filium quintum: *Verſ.* 18. & ait: Dedit Deus mercedem mihi: quia dedi ancillam meam viro meo. Appellauitque nomen eius, Iſſachar.] Et hîc quoque nomen eſt אלהים, quadrans ad reddendum mercedē boni operis. Et inde vocatus eſt, *Iſſachar*; hoc eſt, *merces.*

Verſ. 19. Rurſuſque Lea concipiens, peperit ſextum filium: *Verſ.* 20. & ait: Dotauit me Deus dote bona.] Nomen eſt אלהים, congruum diſtributioni bonæ dotis.

Hac vice mecum erit (pro, *habitabit*) mecum maritus meus.] Inde enim appellatus eſt, *Zebulun*, interpretatum, *habitaculum.*

Eò quòd genuerim ei ſex filios: & idcircò appellauit nomen eius Zebulun. *Verſ.* 21. Poſt quem peperit filiam, nomine Dinam. *Verſ.* 22. Recordatus quoque Dominus Rachelis.] Nomē eſt אלהים, ad ſimilitudinē recordati ſterilitatis Rachelis, vt diſtribuendo, donum ei fœcunditatis daret.

Exaudiuit eam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et audiuit eam* אלהים. Non ſolùm ex parte Dei gratia, velut recordatio; ſed etiam ex parte Rachelis eadem gratia, velut exauditio precum Rachelis deſcribitur: vt vtrinque profectum eſſe effectum inſinuetur. Et attribuitur exauditio אלהים: quia אלהים nomen eſt Iudicis intendentis cauſis noſtris.

Et aperuit vuluam eius. *Verſ.* 23. Quæ concepit, & peperit filium, dicens: Abſtulit Deus opprobrium meum.] Nomen eſt Elohim: velut iniuriam paſſa à ſterilitate, Iudici attribuit, ſe ampliùs non vituperandam.

Verſ. 24. Et vocauit nomen eius, Ioſeph, dicens: Addat mihi Dominus filium alterū.] Nomen eſt tetragrammaton. A ſūmo Deo ſperat adiūgi ſibi alterū filiū: & ab huiuſmodi augmēto ſperato nominauit, *Ioſeph.*

Verſ. 25. Nato autem Ioſeph, dixit Iahacob ſocero ſuo: Dimitte me, vt reuertar in patriam meam, (pro, *locum meum*,) & ad terram meam.] Terram Chanahan ſibi promiſſam à Deo, in qua natus erat, appellat locum ſuum, & terram ſuam.

Verſ. 26. Da mihi vxores, & liberos meos, pro quibus ſeruiui tibi, vt abeam: tu noſti ſeruitutem, qua ſeruiui tibi. *Verſ.* 27. Ait ei Laban: Inueniam gratiam in conſpectu tuo.] Iuxta Hebræum habetur: *Si nunc inueni gratiam in oculis tuis.* Mutilus ſermo eſt rogantis: ſuſpenditur enim oratio, ſubintelligendo, *fac, quod dicam.*

Experimento didici.] Aiunt Hebræi, diuinationem quandam ſignificari: & proptereà legunt: *Auguratus ſum.* Tanquàm felix augurium agnouerit aduentum Iahacob in domum ipſius Laban.

Quòd benedixerit mihi Deus propter te.] Iuxta Hebræum habetur: *Et benedixit mihi* יהוה *per te.* Ecce vnde, & quid auguratus ſum. Aptéque multiplicationē diuitiarum attribuit ſummo Deo, primo eſſendi principio: quandoquidem illum colebat ſimul cum idolis.

Verſ. 28. Conſtitue mercedem tuam, quam dem tibi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit: Declara mercedem tuam ſuper me; & dabo eam.* Hoc eſt enim, quod rogare intendebat, vt merces ipſi debita ab eo declararetur.

Verſ. 29. At ille reſpondit: Tu noſti, quomodo ſeruierim tibi; & quanta in manibus meis fuerit poſſeſſio tua.] Iuxta Hebræum habetur: *Tu noſti, quòd ſeruitium exhibui tibi, & qui fuit grex tuus cum me.* Duo proponit; & propriam ſeruitutem, & differentiam gregis Laban in principio ſeruitutis Iahacob, & poſteà. Vnde & hoc confuſè propoſitum, diſtinguendo, per partes declarat.

Verſ. 30. Modicum habuiſti, antequàm venirem: & nunc diues effectus es.] Circunlocutus eſt Interpres, quod iuxta Hebræum habetur: *Et creuit ad multitudinem.* Dictio tamē Hebraïca plùs ſignificat, quàm creuit: tanquàm diceretur: Et copioſè creui ad multitudinem.

Benedixitque Dominus ad introitum meum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et benedixit tibi* יהוה *ad pedem meum.* Approbat Iahacob prouidentiam ſummi Dei, qui eſt fons eſſendi, ob ſeruitutem ſuam. Siue per *pedem*, intelligas introitum, vt interpres intellexit; tanquàm dixerit, cùm applicaui pedem ad domum tuam: vel (quod potiùs ſonat) paſtorale officium, quod à pedeſtribus exerceri conſueuit; ex ipſo enim ditatus eſt Laban.

Iuſtum

Iustum est igitur, vt prouideam etiam aliquando domui meæ. *Verſ.* 31. Dixítque Laban: Quid dabo tibi? At ille ait: Nihil volo: sed, si feceris, quod postulo, iterum pascam, & custodiam pecora tua. *Verſ.* 32. Gyra omnes greges tuos, & separa.] Iuxta Hebræum legitur in prima persona: *Transibo in omnibus ouibus tuis, hodie, faciendo separare exinde.* Scito, prudens lector, quòd vniuersa hæc pars Textus, vsque ad finem capituli, paraphrasis est potiùs, quàm textus. Et propterea non miteris, si alia pacta in hoc Textu leges; & nó illa, quæ solitus es legere: Interpres enim antiquus, nescitur, quo spiritu hæc ita summauerit. Iahacob itaque proponit se pertransiturum inter vniuersas oues ad faciendum ex ouibus, & agnis separare tria genera agnorum, subiungendo:

Omnem agnum punctis signatum, & frustis signatum; & omnem agnum rufum in agnis.] Aduerte, quòd dictio interpretata, *rufum*, anceps est: diuersa est Interpretum sententia: quia Hebræi non sunt certi significati coloris per dictionem, *chum*: alij nigrum, alij rufum coniectant: nam dictio non à colore, sed à calore (vt aiunt) deriuatur. Appellant autem, *signatum punctis animal*, respersum coloribus, tanquàm punctis; & similiter *signatum frustis*, respersum coloribus, tanquàm frustis: hæc enim tria genera agnorum separanda tunc proponit à gregibus ouium, vt sint Laban: ad hoc, vt non miscerentur cum deinceps nascendis agnis harum trium conditionum. Et similiter in capris subiungit:

Et frustis signatum, & punctis signatum in capris.] Duo tantùm genera hœdorum separanda proponit.

Et erit merces mea.] Clarè hinc apparet, tria genera agnorum, & duo genera hœdorum nascendorum electa à Iahacob in suam mercedem: & propterea, tam agnos, quàm hœdos, qui nati iam erant habentes has conditiones, separandos proponit: vt non miscerentur cum nascendis similium conditionum.

Verſ. 33. Et testificabitur mihi iustitia mea in die crastino, quando veniet super mercedem meam faciebus tuis: omne, quod non ipsum punctis signatum, & frustis signatum in capris, & rufum in agnis, furto ablatum ipsum mecum.] Aduerte hîc duo. Alterum, quòd dictio interpretata, *rufum*, est illamet. Alterum, quòd accumulando intelligitur, *& rufum in agnis.* Ita quòd subintelligitur repeti, *punctis signatum, & frustis signatum*, quod rememoratum est in capris; & accumulari etiam hoc. Communes siquidem erant illæ duæ conditiones punctorum, & frustorum, hœdis & agnis: hæc autem tertia propria erat agnis, quoad pactum.

Verſ. 34. Et dixit Laban: Ecce vtinam erit sicut verbum tuum.] Consensus est Laban.

Verſ. 35. Et separauit in die illo hircos signatos in talis, & signatos frustis; & omnes capras punctis signatas, & frustis signatas; omne, quod album in eo, & omne rufum in agnis.] Executio narratur facta ab ipso Laban. Et quantùm Textus indicat, inter gregem caprarum, & gregem ouium hæc quoque fuit disparitas; quòd à gregibus ouium soli agni sunt segregati; à gregibus verò caprarum segregati sunt hirci duarum conditionum, & similiter capræ duarum conditionum. Crediderim tamen ego, hanc differentiam apparere quidem, sed non esse: sed explicatos hircos, & capras, ad explicandum hœdos, tam mares, quàm fœminas. Ad manifestandum, quòd, tam in grege caprarum, quàm in grege ouium, separati sunt agni, & hœdi vtriusque sexus.

Signatos autem in talis appellat, habentes in talis, velut maculas albas. Quòd verò dicitur: *Omne, quod album in eo.* appositiuè dictum intellige: ad explicandum, quòd signati in talis, quorum non fuerat mentio facta in pactis, subintelligebantur. Vel ab ipso Laban superadditi sunt, incipiente iam violare fœdera, segregando plura genera, quàm fuerit conuentum. Quòd denique dicit: *Et omne rufum in agnis.* intellige accumulando dictum, vt suprà: vt significetur executio facta similiter in agnis; & præter dicta genera, segregatos etiam fuisse omnes agnos rufos. Intellige tamen rufos, vel nigros, vt priùs dictum est.

Et dedit in manibus filiorum suorum.] Omnes istas species segregatorum ex gregibus, tam ouium, quàm caprarum dedit Laban pascendas filiis suis.

Verſ. 36. Et posuit viam trium dierum inter se, & inter Iahacob] Hoc est, inter greges, quos pascebant filij eius, & greges, quos pascebat Iahacob.

Et Iahacob pascens oues Laban reliquas.] Intellige similiter capras reliquas.

Verſ. 37. Et accepit sibi Iahacob virgam populeam viridem, & amygdalę, & castaneæ: & decorticauit in ipsis decorticationes albas, denudationem albi, quod super virgas [d].] Appositiuè dixit, *denudationem albi.*

Verſ. 38. Et disposuit virgas, quas decorticauit in canalibus, in potaroriis aquarum, ad quæ venient pecudes bibitum, è regione pecudum.] Appositiuè dicitur: *In potatoriis.* Et sententia clara est.

Verſ. 39. Et fuerunt calefactæ in venire eas ad bibendum.] Hoc est, & coïerunt in illo loco, in quo bibebant. Et fuerunt calefactę pecudes ad virgas. Non suffecit dicere, coïtum fuisse in illo loco; sed explicauit etiam aspectum virgarum.

Et genuerunt pecudes signatos in talis, signatos punctis, & signatos frustis.] Ecce effectus subsecutus ex industria Iahacob, qua ad redimendam vexationem suam vtebatur licitè Iahacob.

Verſ. 40. Et ipsos agnos fecit separare Iahacob.] Narrato effectu, narratur consequenter diuisio, tempore congruo facta, fœtuum, iuxta primum pactum: ita quòd prima diuisio agnorum, & hœdorum natorum post fœdus factum, valdè summariè describitur; insinuando, quòd reliquos natos dedit Laban. Et dixit hoc Moses, ad manifestandum, quòd Iahacob, tam agnos, quàm hœdos, qui in partem suam obtingebant, seorsum à gregibus Laban, quos ipse Iahacob pascebat, segregabat in singulis diuisionibus.

[d] Hieronymus similiarte Hispanos olim vsos fuisse tradit, equos pulchros ante equarum conspectũ apponendo, conceptus tempore.

Et dedit facies pecudum ad signandum in talis, & omne rufum in ouibus Laban.] Mutati fœderis meminit: vt enim in sequenti habetur capitulo, mutauit Laban pactum; & voluit, quòd soli signati in talis nascerentur Iahacob. Et quandiu durauit hoc pactum, Iahacob disposuit oues ad aspiciendum sic, quòd generarent signatos in talis. Modus autem, quo hoc fecit, non est scriptus. Quòd autem subditur: *Et omne rufum in ouibus Laban*, tertium sonat fœdus: frequenter enim Laban mutabat pacta, videndo, quòd illud genus, quod futurum erat Iahacob, semper abundabat. Et cùm vidisset, rufum nasci pecus in sortem Iahacob, abstulit nouo pacto omne rufum à nascendo in sortem Iahacob. Et hoc significatur dicendo: *Et omne rufum in ouibus Laban dedit.*

Et posuit sibi greges seorsum ab eo: & nō posuit eos super oues Laban.] Quod tetigerat valdè breuiter in prima diuisione natorum post primum pactum, explicat modò Moses seruatum vniuersaliter in omnibus diuisionibus post singula mutata fœdera factis: videlicet, quòd Iahacob segregauit sibi semper natorum in suam sortem greges seorsum à Laban; hoc est, quòd non habebat greges proprios iuxta greges ouium Laban, quos ipse Iahacob pascebat.

Vers. 41. Et fuit in omni calefactione ouium primitiuarum: & posuit Iahacob virgas coram oculis ouis in canalibus, ad calefiendum ipsas in virgis: & in serotina calefactione ouium non ponet, & erunt serotina Laban, & primitiua Iahacob [c].] A calore coïtum circunloquitur honestè: & vtitur futuro, ad significandum perseuerantiam relatiuè ad pacta. Et postquàm tot mutata fœdera, & industrias Iahacob narrauerat cum diuisionibus natorum, & segregatione partium Iahacob; narrat qualitatem substantialem diuersam inter sortem Iahacob, & sortem Laban: primitiua enim substantialiter sunt meliora serotinis: vnde & in Hebræo à fortitudine appellantur. Dicuntur autem, *primitiua*, quæ erant primi veris; *serotina* autem, quæ autumni. Hic enim apparet, quòd bis in anno in regione illa oues pariebant, quemadmodum & in Italia.

[c] Hæc omnia Dei reuelatione fecisse Iacob, putat Chrysostomus. Cæterum vide, duplices conceptus omni anno oues in Mesopotamia dedisse.

Vers. 42. Et creuit vir valdè valdè: & fuerunt illi oues multæ, & ancillæ, & serui, & cameli, & asini.] Et sic finitur trigesimum capitulum.

CAPVT XXXI.

VERS. 1.

AVdiuit autem verba filiorum Laban, dicentium: Tulit Iahacob omnia, quæ fuerunt patris nostri, & illius facultate ditatus factus est inclytus: *Vers.* 2. & animaduertit faciem Laban, quod non esset erga se, sicut heri, & nudiustertius, *Vers.* 3. maximè dicente sibi Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit* יהוה *ad Iahacob.* Secunda est hæc diuina apparitio ad Iahacob. Et describitur ipse fons essendi alloquutus Iahacob, vt quanta cura summo Deo esset Iahacob insinuetur.

Reuertere in terram patrum tuorū.] Hoc est, promissam patribus tuis Abrahæ, & Ishac. Vnde & ad differentiam terræ, vnde oriundus fuerat Abraham, subiungitur:

Et ad generationem tuam.] Hoc est, ad natiuitatem tuam; ad terram, in qua natus es.

Et ero tecum.] Maxima gratia, quam solam desiderabat petens: *Pone me, Domine, iuxta te: & cuiusuis manus pugnet contra me.*

Vers. 4. Misit autem Iahacob, & vocauit Rachel, & Leam in agrum, vbi pascebat greges: *Vers.* 5. dixitque eis: Video faciem patris vestri, quòd non sit erga me, sicut heri, & nudiustertius: Deus autem patris mei.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Elohe patris mei fuit mecum.* hoc est, & Deus, quem colit pater meus, vt summum Iudicem, fuit mecum, ius mihi dicens, & faciens.

Vers. 6. Et ipsę nostis, quòd totis viribus meis seruierim patri vestro: *Vers.* 7. sed pater vester circunuenit me.] Iuxta Hebræum habetur: *Delusit in me.* & qualitatem delusionis subiungendo, ait:

Et mutauit mercedem meam decem vicibus.] Numerum denarium intelligo hyperbolicè dictum, iuxta consuetum loquendi morem.

Et tamen non dimisit eum Deus, vt noceret mihi.] Nomen est אלהים, aptè congruens actioni Iudicis, non permittentis, vt Laban damnum inferret Iahacob.

Vers. 8. Si quando dixit: Variæ erunt merces tuæ.] Genus, pro specie, Interpres posuit: nam in Hebræo, loco, *varia*, habetur, *punctis signati.* Quædam enim varietatis species est, velut punctis coloris variam esse pecudem.

Pariebant omnes oues varios fœtus.] Similiter hîc legendum est: *Punctis signatos.* Significatur enim restrictio pacti à multis speciebus varij coloris, ad hanc speciem varij coloris.

Quando verò è contrario ait.] Non habetur, *è contrario*, iuxta Hebræum; sed habetur: *Et si sic ait.* Vbi mutatio sola significatur.

Alba quæque.] Iuxta Hebræum habetur: *Signati in talis.* Species alia est varietatis si pecus duntaxat talum habeat altero colore signatum: à quo signo dicimus equos vulgari Italico, *balsani.*

Erit merces tua: omnes greges.] Iuxta Hebræum habetur: *Omnes pecudes.* Nihil explicat de capris.

Alba pepererunt.] Legendum est: *Signatos in talis pepererunt.* Priùs narrauit mutationem pacti, quasi à genere in speciem, punctis signatorum: posteà à specie in speciem, à punctis signatis, ad signatos in talis: vt ex istis duobus modis murandi pactū, insinuentur omnes.

Vers. 9. Tulitque Deus substantiam patris vestri.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecit separare* אלהים *gregem patris vestri.*

Et dedit mihi.] Deo iusto Iudici attribuit effectum distinctionis pecudum, prout in sortem Iahacob opus erat.

Vers. 10. Postquàm enim conceptus ouium tempus aduenerat.] Iuxta Hebræum, absque obscuritate aliqua habetur: *Et fuit*

fuit in tempore coitus pecudum. Habent enim certum anni tempus ad concipiendum. Narrat Iahacob somnium, quod olim viderat; ad manifestandum vxoribus, quòd diuino agebatur, tum consilio, tum auxilio: vt ex experiméto, comprobato auxilio, secundùm quod viderat in somnis, acquiescant vxores consilio recedendi cum eo.

Leuaui oculos meos: & vidi in sõnis ascendentes mares super fœminas, varios, & maculosos, & diuersorum colorum.] Iuxta Hebræum habetur: *In talis signatas, punctis signatas, & grandinibus signatas.* Vt per has tres species varij coloris, fortè omnes varij coloris species intelligantur.

Vers. 11. Dixitq; Angelus Domini (pro, *Angelus* אלהים) ad me in sõnis: Iahacob.] Nuncius iusti Iudicis inter Iahacob & Laban aptè describitur.

Et ego respondi: Adsum.] Iuxta Hebræũ habetur: *Ecce ego.* Promptitudinem sui exhibentis est.

Vers. 12. Qui ait: Leua oculos tuos.] Hinc apparet, quòd visio ista incepit ab apparitione, & allocutione Angeli: ita quòd Iahacob iussu Angeli leuauit oculos suos, & vidit mares ascédentes super fœminas: sed Moses, more suo, priùs factum, deinde rationem facti narrat; cũ tamen ratio rei gestæ præcesserit factum.

Et vide omnes masculos ascendentes super fœminas, varios, & maculosos, atq; respersos.] Lege, & intellige hæc, vt supra: quoniam eædem dictiones sunt.

Vidi enim omnia, quæ fecit tibi. *Vers.* 13 Ego sum Deus Bethel.] Iuxta Hebræum habetur: *Ego El Bethel.* Agnoscendum se manifestat eundem Deũ, qui apparuerat Iahacob in Bethel. Et à fortitudine seipsum nominat, à qua Deus loci illius nominatur: vt verum ex hoc ipso ampliùs manifestet, & se esse eundem Deum.

Vbi vnxisti lapidem.] Iuxta Hebræum habetur: *Cui vnxisti ibi erectam.*

Et votum vouisti mihi.] Commemorat gesta in Bethel, duorum, quòd lapidem erectũ in memoriam vnxerit: tum, quòd vouerit ibidẽ: vt ex istis certior redderetur, quòd ipsemet nunc Deus esset apparens in suo Angelo, & præcipiens, vt reuertatur Iahacob in terram natiuitatis suæ.

Nunc ergo surge, & egredere de terra hac, reuertens in terram natiuitatis tuæ. *Vers.* 14. Responderunt Rachel, & Lea: Nunquid habemus residui quicquam in facultatibus, & hæreditate domus patris nostri? *Vers.* 15. Nónne quasi alienas reputauit nos, & vendidit, comeditque pretiũ nostri? *Vers.* 16. Sed Deus tulit opes patris nostri, & nobis eas tradidit, ac filiis nostris.] Dictio interpretata, *Deus*, est nomen אלהים: diuino siquidem iudicio translatam profitentur opulentiam patris ad ipsas: quoniam malè meritus fuerat pater de ipsis.

Vnde omnia, quæ præcepit tibi Deus, fac.] Nomen est אלהים, à quo non potest nisi iustum dici.

Vers. 17. Surrexit itaq; Iahacob: & impositis liberis, & coniugibus suis super camelos, abiit. *Vers.* 18. Tulitque omnem substantiam, & greges, & quicquid acquisierat in Mesopotamia.] Iuxta Hebræũ habetur: *In Padan Aram.* quę sępè commemorata est.

Pergens ad Ishac, patrem suum, in terram Chenahan. *Vers.* 19. Eo tempore Laban ierat ad tondendas oues: & Rachel furata est idola patris sui.] Hinc apparet, partim Deum verum, partim idola coluisse Laban, domúmq; eius: traditione siquidẽ aui sui Nachor colebat verũ Deum: exemplo autem gentiũ, inter quas viuebat, colebat idola. Hinc, prudens lector, habes, quòd disparitas cultus non est ex naturæ iure impediens coniugiũ [a]. Ex hoc enim, quòd Iahacob iustus, ac fidelis coniugium iniit cum idololatris, & vxor eius idololatra scribitur, discimus, connubia fidelium cum infidelibus fieri, non esse aduersùs ius naturale: Iahacob enim iustus non duxit vxorem contra ius naturæ.

Vers. 20. Noluitque Iahacob confiteri socero suo, quòd fugeret.] Iuxta Hebræũ habetur: *Et furatus est Iahacob cor Laban Aramei, eo quod non fecit nunciare ei, quòd fugiens ipse.* Manifestat Moses, quòd Laban in corde suo disposuerat, vt diuitiæ Iahacob non transferrentur ex Aram: & propterea significãter dicit, *Laban Arames*: affectus enim ad patriã illam insinuatur cum confidentia in Arameis ad impediendum Iahacob, si recedere vellet. Ex hoc cõsilij latẽtis in corde Labã: quia Iahacob, non manifestando recessum suũ socero, abstulit, dicitur, quòd furatus est cor Laban: ad similitudinem siquidem furis abstulit consilium, quod erat in corde Laban.

Vers. 21. Cúmque abiisset, tã ipse, quàm omnia, quæ iuris eius erant, & fluuio transmisso pergeret contra montẽ Gilhad.] Fluuius iste, Euphrates est, diuidens Mesopotamiam à Syria.

Vers. 22. Nunciatum est Laban die tertio, quòd fugeret Iahacob. *Vers.* 23. Qui assumptis fratribus suis persecutus est cũ diebus septem: & comprehendit eum in montem Gilhad. *Vers.* 24. Vidítque in somnis dicentem sibi Deum] Nomen est אלהים: opportuno enim tempore iustus Iudex occurrit, prohibendo iniuriam.

Caue, ne quidquam asperè loquaris contra Iahacob.] Iuxta Hebræum habetur: *Caue tibi, ne quando loquaris cum Iahacob à bono vsque ad malum.* Et sumitur, *loqui*, pro, *facere*: est enim sensus: Caue tibi, ne facias mali aliquid Iahacob. Quòd autem dicit, *à bono*; spectat ad hoc, quod dictum est ei, vt nec bonum, nec malum aliquod inferret Iahacob.

Vers. 25. Iámque Iahacob extenderat in monte tabernaculum suũ, quum Laban assequutus eum statuit fratres suos in monte Gilhad: *Vers.* 26. & dixit ad Iahacob: Quare ita egisti, vt clam me] Iuxta Hebræum habetur: *Et furatus es cor meũ.* hoc est, occultè abstulisti id, quod cordi mihi erat.

Et abduxisti filias meas, quasi captiuas gladio? *Vers.* 27. cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi?] Deest vna clausula intermedia: legendum est: *Quare absconsus es ad fugiendum, & furatus es me, & non fecisti nũciare mihi?* Dicit, se furto ablatum metaphoricè, pro quanto id, quod eius intererat, occultè abstulerat, priuando ipsum officio suo.

[a] Insurgit hoc loco Catharinus contra Authorem, eò quod cultus disparitatem, matrimonium ex lege naturæ dissoluere non admittat. at non vidit Catharinus, quàm illud manifestum sit scriptum: nã 2. Reg. 3. legimus, Dauid, Macham, Regis Gessur filiam, duxisse vxorem: itidem Samsonem vxorẽ de filiabus Philisthiim habuisse, Iudicũ 14. & Salomonem, filiã Pharaonis 3 Reg 3. Et si Catharinus mordicus velit opinionem suam defendere, sanctissimam Esther Assueri, Medorum Regis, scortũ fuisse, habet cont[...]

 Et

Et profecutus fuiſſem tecum gaudio,& canticis;& tympanis,& cithara: *Verſ.*28. & nō es paſſus, vt oſcularer filios meos, ac filias Nunc ſtultè operatus es.Et quidem, *Verſ.*29. valet manus mea reddere tibi malum:ſed Deus patris tui.]Iuxta Hebræum habetur: *Et Elohe patris veſtri.* Deum cultum ab Abraham, & Ishac, appellat *Elohe patris veſtri.* Heri.] Dictio Hebraïca plus ſignificat:putà nocturnam partem heſterni diei.

Dixit mihi: Caue,ne loquaris contra Iahacob quicquā durius.] Iuxta Hebræū habetur:*Caue tibi,ne loquaris cū Iahacob à bono vſque ad malum.*quod priùs expoſitum eſt.

*Verſ.*30. Et ſi ad tuos ire cupiebas, & deſiderio tibi erat domus patris tui, cur furatus es Deos meos?] Iuxta Hebræū habetur: *Et nunc eundo iuiſti: quia concupiſcendo concupiſti ad domum patris tui:quare furatus es Elohe meos?*Idola ſua appellat, diuino nomine, *Elohe:* quia colebat ea diuino honore. Et hinc habes, quòd Theraphim, quos furata eſt Rachel,ſignificāt ſpeciem idolorum:nam ipſe Laban appellat,*Theraphim Elohe meos.*

*Verſ.*31.Reſpondit Iahacob: Quòd,inſcio te, profectus ſum,timui, ne violēter auferres filias tuas; *Verſ.*32.quòd autem furti me arguis, apud quemcunque inueneris Deos tuos.] Iuxta Hebræū habetur: *Elohe tuos.* Expone,vt ſuprà.

Necetur coram fratribus noſtris:ſcrutare:quicquid tuorum apud me inueneris,aufer.Hæc dicēs ignorabat,quòd Rachel furata eſſet idola. *Verſ.*33. Ingreſſus itaque Laban tabernaculum Iahacob,& Leæ, & vtriuſque famulæ, non inuenit. Cúmque intraſſet tentoriū Rachelis.] Deeſt vna clauſula intermedia:legendum eſt: *Et exiuit de tabernaculo Lea, & intrauit in tabernaculum Rachel.*Priùs ſummariè reliqua tabernacula inquiſita narrauerat:modò ordinem narrat, quòd inter illa quatuor tentoria,vltimò inquiſitum fuit tentorium Leæ; ita quòd ex tentorio Leæ immediatè itum eſt ad tentorium Rachelis.

*Verſ.*34.Rachel autē feſtinans abſcondit idola [b] ſub ſtramēto cameli:& ſedit deſuper:ſcrutantíque omne tentorium, & nihil inuenienti, *Verſ.*35.ait:Ne iraſcatur dominus meus, quòd coram te aſſurgere nequeo: quia iuxta cōſuetudinē fœminarum nunc accidit mihi. Sic deluſa ſollicitudo quærentis eſt.] Iuxta Hebræum habetur:*Et perſcrutatus eſt,& non inuenit idola.*Nulla deluſionis mentio fit.

[b] Hoc etiam loco mordet Catharinus Authorem, eò quòd Rachel idololatram fuiſſe putat:ſed mordeat Chryſoſtomum, qui idem aſſerit homil 67 in Geneſ. videátque, Iacobum domo ſua idola expuliſſe Geneſ.35.

Verſ. 36. Tuménſq; Iahacob,cum iurgio ait.] Iuxta Hebræum habetur:*Et iratus eſt Iahacob, & contendit cum Laban: & reſpondit Iahacob,& dixit ad Laban.* Diſpoſitio interna, quantùm ad paſſionem iræ;& externa,quātùm ad iurgium;deſcribitur in officio reſpondendi obiectis, & factis Laban. Quæ culpa mea?] Genus pro ſpecie, culpam pro rebellione, ſeu (vt aliis videtur) præuaricatione, poſuit.

Et quod peccatum meum, quòd ſic exarſiſti poſt me?]Iuxta Hebræum habetur: *Quòd perſecutus es poſt me?* Huic facto primùm reſpondet.

Verſ. 37. Quando ſcrutatus es omnem ſupellectilem meam? Quod inueniſti de cuncta ſubſtantia domus tuæ, pone hic corā fratribus meis,& fratribus tuis.]Cōſanguineos Laban,appellat communes fratres.

Et iudicēt inter me,& te. *Verſ.*38.Idcircò.] Iuxta Hebræum non habetur, *idcircò*;ſed potiùs: Iſtis viginti annis ego tecū.incipit enim proponere merita ſua. Oues tuæ, & capræ tuæ, ſteriles non fuerunt.] Iuxta Hebræum habetur:*Non abortitæ ſunt.* Ex culpa ſiquidē paſtoris abortus ſæpè accidit.

Arietes gregis tui nō comedi: *Verſ.*39. captum à beſtia non oſtendi tibi: ego damnum omne reddebam.] Senſus iudicio meo rectè exprimitur, limitando omne damnum ad laniatum, de quo eſt ſermo.

Quicquid furto perierat, à me exigebas.]Mutila eſt hæc clauſula:nam iuxta Hebr. habetur: *De manu mea requires, quicquid furto die,& quicquid furto nocte ablatum.* Et dicit,*requires*, in futuro,relatiuè ad tēpus furti,non ad tēpus locutionis. Collige quatuor conditiones circa animalia mirabiles ſeruatas à Iahacob.

*Verſ.*40. Die,noctúq; æſtu vrebar,& gelu.] Iuxta Hebræum habetur: *Fui,in die conſumpſit me æſtus,& gelu:in nocte.*

Fugiebátque ſomnus ab oculis meis.] Narratis perpeſſis in ipſis animalibus, narrat perpeſſa in propria perſona:& propterea dicit, *fui,ego*,in perſona propria,&c.

*Verſ.*41. Sic per viginti annos in domo tua ſeruiui: quatuordecim annos pro filiabus tuis, & ſex pro gregibus tuis: & mutaſti mercedem meā decem vicibus.

*Verſ.*42. Niſi Deus patris mei Abrahā.] Iuxta Hebr.habetur:*Niſi Elohe patris mei,Elohe Abraham.* Teſtatur, & profitetur Iahacob, eundē Deum cultum ab atauis,& Abrahā,auo ſuo :appellatione enim patris ſui cōprehendit vniuerſitatē patrum colentiū verum Deum,ex quibus deſcenderat Abraham. Nominatúrque *Elohe*,eò quòd adoratus eſt,vt curam exercens iuſtam etiam omnium inferiorum.

Et timor Ishac affuiſſet mihi.]De reuerentiali timore, quo adhuc venerabatur Ishac Deum,eſt ſermo: profitetur enim,quòd etiam meritum patris ſui apud Deum tanti eſt, quòd adiuuit eum,quòd meruit,vt Deus admoneret in ſomnis Laban,ne læderet Iahacob.

Forſitan modò nudū me dimiſiſſes.] Non eſt in Hebræo aduerbium dubitandi:nec eſt,nudum, ſed, vacuum.

Afflictionem meam, & laborem manuum mearum vidit Deus.] Nomen eſt אלהים,congruens officio iuſtitiæ.

Et arguit te heri.] Pars nocturna heſterni diei ſignificatur in Hebræo.*Verſ.*43.Reſpōdit ei Laban:Filiæ meæ.& filij,& greges tui, & omnia, quæ cernis, mea ſunt.] Iuxta Hebr.habetur:*Filiæ,filiæ meæ,& filij,filij mei,& oues,oues meæ,& omne,quod tu videns, mihi ipſū.* hoc eſt,meū eſt. Quid poſſum facere filiis, & nepotibus meis?]Iuxta Hebr.latiùs habetur:*Et filiabus meis quid faciā iſtis hodie;vel filijs earū, quos genuerunt?* Ecce fructus diuinæ admonitionis.*Verſ.*44. Veni ergo,& ineamus fœdus: vt ſit teſtimoniū inter me, & te. *Verſ.*45. Tulit itaque Iahacob lapidē: & erexit illum in titulū.] Hoc eſt,in ſignū & memoriā.*V.*46. Dixítq; Iahacob fratribus ſuis: Afferte lapides.Qui cōgregātes fecerūt tumulū:comederúntq; ſuper eū.] *Verſ.*47. Quē vocauit Labā,tumulū teſtis; & Iahacob,

& Iahacob vocauit aceruum testimonij: vterque iuxta proprietatem linguæ suæ.] Interpres addidit hæc quinque vltima verba: nam in Hebræo textu hæc non habentur; sed diuersarum linguarum nomina significantia idem: putà, aceruum testis.

Vers. 48. Dixitque Laban: Tumulus iste testis erit inter me, & te hodie: & idcirco vocauit nomen eius, Galaad [c], id est, tumulus testis: & adiecit Laban.] Nescio, vnde mutatio hæc acciderit: nam in Hebræo post dictionem, *Galhed*, quæ corruptè à nobis dicitur, *Galaad*, immediatè subiungitur: *Et speculam.*

[c] *Galaad*, montes sunt trans Iordanem siti, qui à Libano (vt Ieremias habet) sumentes initium, per duo regna quondam Basan, & Amorræi protenduntur; montes pascuosi, & odoriferi; videnturque illi esse, quos Trachonos Strabo appellat.

Qui dixit: *Vers.* 49. Speculabitur יהוה inter me, & inter te: quia abscondemur vir à socio suo.] Duobus nominibus appellatum fuisse locum illum, narrat Moses; videlicet, tumulum testis, & speculam. Ratio primi nominis explicata est, eò quòd aceruus ille, officium testis suppleret inter eos. Ratio verò secundi redditur ex eo, quòd Deus non meus, aut tuus; sed Deus communis omnibus, qui dat omnibus esse, videbit intima cordis, & quæ fient inter nos: quandoquidem longè distabimus, & quæ tu facies, latebunt me, & è conuerso: propter eà enim summus Deus, qui videt omnia, erit vltor. Vnde apparet, Laban rectè sensisse de prouidentia Dei circa humana opera, quanuis coleret etiam idola.

Vers. 50. Si afflixeris filias meas; & si sumpseris vxores alias super filias meas; nullus sermonis nostri testis est, præter Deum, qui præsens respicit.] Iuxta Hebræum habetur: *Non vir nobiscum: videns* אלהים *testis inter me, & inter te.* Erant multi viri ibidem testes fœderis inter Laban, & Iahacob: sed, quia non erat futurus vir aliquis in testem producendus eorum coram Iudice, si violaretur fœdus; ideò dicitur: *Nullus vir nobiscum*; supple, iudicium exercens inter nos: ideò, qui omnia videt, erit Iudex, & testis inter me, & inter te.

Vers. 51. Dixitque rursus ad Iahacob: En tumulus hic, & lapis, quem erexi inter me, & te.] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce aceruus iste, & ecce statua, quam erexi inter me, & inter te.* Hinc apparet, quòd non solùm Iahacob, sed etiam Laban erexit lapidem in titulum, qui statua appellatur. An autem duo fuerint lapides sic eleuati, (altera à Iahacob, altera à Laban:) an, quemadmodum aceruus vnus, atque idem communis fuit vtrique, ita & lapis: non est perspicuum. Quadrat tamen, vt fuerint duo lapides eleuati hinc, & inde, aceruū habentes medium; alter nomine Iahacob, alter nomine Laban, tanquàm fœdus ineuntes super aceruum lapidum.

Vers. 52. Testis erit: Tumulus, inquam, iste, & lapis in testimonium, si, aut ego transiero illum pergens ad te, aut tu prætericris, malùm mihi cogitans.] Iuxta Hebræum habetur: *Testis tumulus iste, & testis statua, si ego non transibo ad aceruum istum, & si tu non transibis ad me aceruum istum, & statuam istam ad malum.* Duo exegit Laban à Iahacob: alterum, vt rectè se haberet cum filiabus: & ad hoc Deum vltorem, Iudicem, ac testem inuocauit: alterum, vt neuter alteri nociturus transiret aceruum illum: & ad perpetuam fœderis memoriam, aceruum cum erectis lapidibus statuit.

Vers. 53. Deus Abraham, & Deus Nachor, iudicet inter nos, Deus patris eorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Elohe Abraham, & Elohe Nachor, iudicabunt inter nos, Elohe patris eorum.* Nisi verba ista essent Laban, idololatræ quæstionem ingererent (eò quòd in plurali numero dicitur, *iudicabunt*:) sed ex eo, quòd prolata sunt à cultore, & veri Dei, & falsorum Deorum; non oportet sollicitum esse de plurali numero, *iudicabunt*: quocirca propriis Diis, tanquàm propriis patronis auorum Laban, & Iahacob, adiungit Deum patris vtriusque aui, tanquàm patronum communem; vtpote patronum communis patris, qui vocatur Therach: vt quasi duobus arbitris, (alteri hinc, & alteri inde,) adiungeretur tertius arbiter communis.

Iurauit Iahacob per timorem patris sui Ishac [d].] Audiens Iahacob ex ore Laban tot Deos, prudenter euitans disceptationem, iurauit per Deum, quem colebat pater suus Ishac, qui adhuc viuebat: hoc enim significatur dicendo, quòd *iurauit Iahacob in timore patris sui Ishac*; hoc est, in Deo, quem timebat pater suus Ishac.

[d] Fortè per maledictionem patris iurabat: qui iurandi mos etiam nunc apud aliquos extat.

Vers. 54. Immolatisque victimis in mōte, vocauit fratres suos, vt ederent panē. Qui cùm comedissent, manserunt ibi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et comederunt panem, & pernoctauerunt in monte.* Somnus nocturnus significatur.

Vers. 55. Laban verò de nocte consurgens.] Diluculum significatur.

Osculatus est filios, & filias suas; & benedixit illis: reuersúsque est in locum suum.]

CAPVT XXXII.

Iahacob autem abiit itinere, quo cœperat: occurrerúntque ei Angeli Dei.] Nomen est אלהים. Tertia est hæc visio diuina Iahacob, de qua nihil dicit Scriptura, qualis fuerit; an in vigilia, an dormiendo; vtrùm in ecstasi, vel vtendo corporali visione. Librando tamen verba Hebraïca, apparet, quòd non fuit visio corporalis, sed interna: nam in Hebræo Textu sic legitur: *Et occurrerunt in eo Angeli* אלהים. Dicendo, *in eo*, occursum internum significat. Ambiguum tamen restat, an vigilando, an dormiendo: nulla siquidem hactenus narrata est visio Iahacob, nisi in somnis: quò fit, vt suspicer, hanc quoque visionem fuisse in somnis. In cuius signum nulla intercessit locutio angelica; sed sola apparitio per modum occurrentium cum intelligentia Iahacob, quòd erant tanquàm castra summi Iudicis, distributorísque omnium.

VERS. I.

Vers. 2. Quos cùm vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc.] Iuxta Hebræum singularis numeri dictio interpretata, *castra*: in Latina siquidem lingua alterius est significationis, *castrum*, in singulari, & alterius, *castra*, in plurali: nam, *castrum*, significat oppidum; *castra*, autem exercitum: & propterea coactus est Interpres dicere, *castra*. Nomen autem Dei est אלהים. Apparebant

rebant siquidem ad iustitiam tuendam Iahacob: imò ad manifestandum Iahacob, quòd Angeli Dei iusti Iudicis, tanquàm exercitus;& fuerunt ei præsidio aduersùs Laban, & erunt ei præsidio aduersùs Hesaü.

Et appellauit nomen loci illius, Manaim, (legendum est, *Machanaim* [a]) id est, castra.] Et aiunt significari *castra*, non quotcunque; sed duo duntaxat; tanquàm duas legiones militum viderit ad pugnandum pro eo.

[a] Machanaim, ciuitas erat Gaditarum trans torrentem Iacob.

Vers. 3. Misit autem Iahacob nuncios ante se ad Hesaü fratrem suum, in terram Sehir, regionis Hedom.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad terram Sehir, campum Edom.* Appositiuè dicitur, *Campum:* ad manifestandum, quòd non ad montem, sed ad campestrem partem terræ Sehir, seu Edom, misit: sunt enim hæc quasi synonyma: planities siquidem terræ Sehir, finitima saltem erat viæ, qua transibat Iahacob.

Vers. 4. Præcepitque ei, dicens: Sic loquimini domino meo Hesaü. Hæc dicit frater tuus Iahacob.] Iuxta Hebræum habetur: *Sic dixit seruus tuus Iahacob.* Non fratrem, sed seruum se appellat Hesaü.

Apud Laban peregrinatus sum, & fui vsque nunc. *Vers.* 5. Habeo boues, & asinos, oues, & seruos, atque ancillas; mittóque nunc legationem ad dominum meum, vt inueniam gratiam in conspectu tuo. *Vers.* 6. Reuersi sunt autem nuncij à Iahacob, dicentes: Venimus ad Hesaü, fratrem tuum: & ecce properat in occursum tibi cum quadringentis viris. *Vers.* 7. Timuit Iahacob valdè, & perterritus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et timuit Iahacob valdè, & angustatus est.* Non solùm timorem in affectu, sed angustias in consilio incurrit, tanquàm nesciens, quid faceret, audito occursu fratris cum quadringentis viris: nam, nec regredi, nec diuertere licebat tunc, vt euaderet, humanóque affectu, ac cõsilio rationabiliter timuit occursum fratris cum tanta multitudine, conscius eorum, quæ aduersùs illum fecerat.

Et diuisit populum, qui secum erat, & greges, & oues, & boues, & camelos, in duas turmas, *Vers.* 8. dicens: Si venerit Hesaü ad vnam turmam, & percusserit eam; alia turma, quæ reliqua est, saluabitur.] Non est à ratione alienum, & quòd exemplo duarum societatum Angelorum, & quòd humano vsus est consilio multiplici, vt ex parte sua (quantùm angustia euentus patiebatur) consuleret sibi, & suis, si fortè istis tot adhibitis cautelis euadere vel in parte posset.

Vers. 9. Dixitque Iahacob. Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Ishac, Domine, qui dixisti mihi.] Iuxta Hebræum habetur: *Elohe patris mei Abrahã, & Elohe patris mei Ishac,* יהוה *dicens mihi.* Humanis officiis adiungit inuocationem diuini præsidij; commemorando, tum merita Abrahæ, tum merita Ishac, tum promissiones sibi ab ipso Deo factas. Et Deum respectu Abrahæ, & Ishac nominat, vt cultum ab vtroque, ad allegandum vtriusque merita: nominat & iustum Iudicem, cuius est rationem habere benemeritorum de seipso. Cùm verò de seipso Iahacob loquitur, nominat Deum, non suum. (quia non audet proprium meritum diuini cultus citare) sed primum essendi principium nominat, liberalissimè dans esse omnibus; tanquàm ad fontem gratiarum recurrens. Vnde nihil proprij meriti subiungit: sed inchoatum beneficium diuinum, tum verbo, tum facto.

Reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis tuæ, & benefaciam tibi.] Et beneficium gubernationis, & commemorationem adimplendi diuinum verbum continet hæc particula: *Tu direxisti me, vt aggrederer hoc iter, promittendo benefacere.*

Vers. 10. Minor sum.] Iuxta Hebræum, si dici liceret, habetur: *Me minoraui.* Verè humilitatis theologicæ professio est, hominem reddidisse, ac reddere seipsum minorem, quàm exigant diuina beneficia: sumus siquidem impares diuinis beneficiis; & ipsam imparitatem nosipsi efficimus; tum minùs præparando, ac disponendo nos ad suscipienda; tum minùs respondendo acceptis.

Cunctis miserationibus tuis.] Iuxta Hebræum habetur: *De cunctis gratiis.* Dictio enim Hebraïca non est nomen compassionis, sed beneficij, quod sine meritis conceditur, quod propriè appellatur gratia. Et frequentissimè sacræ Scripturæ Interpretes minùs aduertunt, interpretando, *misericordiam*, dictionem hanc, quæ interpretari deberet, *gratia*, propter dictam rationem. Vnde & hic subiungitur:

Et omni veritate.] Vniuersæ siquidem viæ Domini, gratia, & veritas.

Quam explesti seruo tuo.] Rectiùs diceretur: *Quas fecisti cum seruo tuo.* Vt relatiuum comprehendat, tum omnem gratiam, tum omnem veritatem exhibitam Iahacob. Et adiungit veritatem gratiæ: quia multæ gratiæ ei collatæ sunt ad verificandum verba Dei cum Abraham, & Ishac, & etiam ipso Iahacob.

In baculo meo transiui Iarden istum [b].] Hine apparet, quòd prope Iordanem erat.

[b] Huius capitis historia suo ordine digesta non est.

Et nunc cum duabus turmis regredior.] Nullus faciat vim in verbo, *regredior:* quoniam in Hebræo non habetur; sed duntaxat verbum substantiuum, *fui.* Inter alias gratias commemorat, se ex tanta inopia, quòd nihil præter virgam habens transierat Iordanem eundo in Mesopotamiam, in tantam euectum opulentiam, quòd nunc duas possidet turmas.

Vers. 11. Erue me de manu fratris mei, de manu Hesaü.] Exaggeratio est causæ. Fratri infensum se sciebat, & Hesaü valdè potentem: potentiam itaque odio adiungit.

Quia valdè eum timeo: ne fortè veniat, & percutiat matres cum filiis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et percutiet me, matrem super filios.* Timet penitùs extingui: nam timet non solùm sibi, sed & vxoribus, & filiis.

Vers. 12. Et tu locutus es, quòd mihi benefaceres, & dilatares semen meum, sicut arenam maris: quæ præ multitudine numerari non potest.] Sicut inter gratias commemorauit opulentiam; ita inter veritates diuinas commemorat promissionem sibi factam: vt non eius meritis, sed ad verificandum diuina verba liberet eum.

Vers. 13. Cùmque dormiisset ibi nocte illa, separauit de his, quæ habebat, munera

munera Hesau fratri suo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et pernoctauit ibi nocte illa, & accepit de occurrente manus sua munus Hesau fratri suo.*

Vers. 14. Capras ducentas, hircos viginti, oues ducentas, arietes viginti; *Vers.* 15. camelos fœtas cum pullis earum triginta, vaccas quadraginta, tauros viginti, asinas viginti, & pullos earum decem.] Nullus ordo in Litera narratur inter pernoctationem, & segregationem muneris: & vt inferius apparet, ante noctem segregatio facta est; quamuis prius Moses narret pernoctationem.

Vers. 16. Et misit per manus seruorum suorum, singulos greges seorsum; dixitque pueris suis: Antecedite me.] Iuxta Hebræum habetur: *Transite ante me.* Iungendo hæc cum subiunctis, apparet, quod die antecedente noctem illam, misit Iahacob seruos cum muneribus, vt transirent fluuium Iabboc; nam nocte illa surrexit Iahacob, (vt inferius subditur,) & transiuit cum vxoribus, & filiis, & reliquis suis idem flumen, de quo hic dicitur: *Transite ante me.*

Et sit spatium inter gregem, & gregem. *Vers.* 17. Et præcepit priori, dicens: Si obuium habueris Hesau, fratrem meum; & interrogauerit te, cuius es, & quo vadis, & cuius sunt ista, quæ sequeris? *Vers.* 18. Respondebis: Serui tui Iahacob.] Tres quæstiones proposuerat: *cuius es, quo vadis? & cuius ista?* Docet ad primam quæstionem respondere: *Serui tui Iahacob.* Ad secundam verò, & tertiam:

Qui munera misit domino meo Hesau: & ecce etiam ipse post nos. *Vers.* 19. Similiter mandata dedit secundo, ac tertio, & cunctis, qui sequebantur greges, dicens: Iisdem verbis loquimini ad Hesau, cum inueneritis eum: *Vers.* 20. & addetis: Ipse quoque seruus tuus Iahacob iter nostrum insequitur: dixit enim: Placabo illum muneribus, quæ præcedunt: & postea videbo eum, forsitan propitiabitur mihi. *Vers.* 21. Præcesserunt itaque munera ante eum: ipse verò mansit, nocte illa in castris.] Ecce, clarè describitur ordo inter nocturnam dormitionem, & destinationem munerum: clarè enim hic dicitur, quod munus transiuit proculdubiò flumen ante Iahacob, & quòd ipse mansit sequente nocte illa in castris, hoc est, in loco illo, quem appellauerat castra, eò quòd ibi vidisset castra Dei.

Vers. 22. Cumque maturè surrexisset tulit duas vxores suas, & totidem ancillas cum vndecim filiis: & transiuit vadum Iabboc[c].] Quanta distantia sit inter locum appellatum, *castra*, & *vadum Iabboc*, Scriptura non dicit: modica tamen vel ferè nulla insinuatur distantia, ex eo, quòd post nocturnum somnum, tam mulieres, quàm reliqui omnes cum gregibus transierunt ante auroram vadum illud. Primus itaque, tanquam dux, transiuit flumen ipse Iahacob, nocte illa: nam vbi antiquus Interpres transtulit; *Cumque maturè surrexisset, tulit;* in Hebræo habetur; *Et surrexit in nocte illa, & accepit,* &c.

c Iabboc torrens regionis Traconitidis ad ortum Iordanis, distans Gerasa 4. mil. passuum, quondam Amorrhæorum terminus. Surrexit dicante eum Iabboc] Iacobo dominatum.

Vers. 23. Traductisque omnibus, quæ ad se pertinebant] Iuxta Hebræum habetur: *Et accepit eos, & transire fecit eos fluuium, & fecit transire quæcunque ei.* Executio describitur, qua Iahacob in transitu fluminis quodammodo manuduxit vxores, & filios super camelos; & superintendit, vt sua omnia transirent.

Vers. 24. Et remansit Iahacob solus.] Ex eo, quòd narrato transitu fluuij Iabboc, describitur Iahacob solus, intelligimus, quòd vxores, & filij, & greges prosequebantur iter, remanente Iahacob solo in loco, quem posteà appellauit, *Pemel.* Et rationabile est, vt mansit solus: vt commendaret se, & suos Deo, sollicitatus ad orandum timore Hesau.

Et luctatus est vir cum eo[d].] In specie viri Angelus apparuit, corpore assumpto: fuit enim quarta apparitio illa sensibilis, in vigilia, corporeis sensibus: vt gesta testantur corporalia. Qualiter autem, seu qua ratione prævia cœpta fuerit hæc lucta, Scriptura non meminit; an, videlicet, prouocatio aliqua ad luctandum præfuerit; an ex improuiso apparens Angelus non verbo, sed facto complexionis prouocauerit Iahacob ad luctum.

d Hæc Angeli lucta cum Iacob, nihil aliud quàm quædam Dei, reuelatio fuit; quod, scilicet, in terra Chanaan contra inimicos prævaleret debebat: nam similibus factis, sicut & verbis, & visionibus, multa legimus, Deũ in Scriptura reuelasse: sicut 3. Reg. 20. vulnere sanguinolẽto Prophetæ, Regi Achab peccatum suũ reuelauit Dominus.

Vsque manè.] Iuxta Hebræum habetur: *Vsque ad ascensum auroræ.* hoc est, vsque ad finem ferè auroræ.

Vers. 25. Qui cum videret, quòd eum superare non posset.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vidit, quod non potuit illi.* Gesta circa terminum luctæ narrantur: & est sensus, quòd cùm colluctati fuissent vsque ad summum ascensum auroræ, vidit Angelus experientia, quòd non prævaluit luctando.

Sed quæstione non caret, quo pacto verificatur, quòd Angelus non potuit vincere Iahacob luctando. Solutio est, quòd Angelus vtitur potentia sua, non secundùm necessitatem naturæ, sed secundùm arbitrium præcipuè diuinæ voluntatis; & quòd dispositione diuina decretum, factumque est, vt Angelus assumeret corpus in tanta mensura virium, quòd non posset supra vires Iahacob luctando: & sic verificatur, quòd Angelus experimento vidit, quòd non potuit vincere Iahacob luctando.

Tetigit neruum femoris eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et tetigit in femine coxæ eius.* Hebraica dictio interpretata *femine* non significat neruum, aut latitudinem propriè loquendo: nam illa nempe est, quæ significat plantam pedis, plantam manus, & similiter plantam coxæ, si vsus admitteret plantæ nomen in coxa, sicut vulgare Italicum admittit in manu. Coxæ itaque pars illa, quæ propriè femen appellatur, quæ lata est, significatur tanquam planta coxæ: hanc enim coxæ partem supremam ex parte interiori (hoc est, è regione alterius coxæ) tetigit Angelus tactu violento.

Et statim emarcuit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit motum femen coxæ Iahacob luctante illo cum eo.* Effectus violenti attactus describitur motus illius supremæ partis coxæ, proculdubiò à dispositione sua naturali. Et, quia motus localis insinuatur, soluta illa pars à naturali vinculo loci sui intelligitur.

Vers. 26. Dixitque ad eum: Dimitte me; iam enim ascendit aurora.] Præteriti temporis est, *ascendit*, id est, *iam enim*, sed [illegible]. Hinc apparet, maiores vires fuisse in Iahacob ad

ad luctandum, quàm in corpore illo assumpto ab Angelo: iuxta testimonium Oseæ 12. dicentis de Iahacob: *Et inualuit ad Angelum.* Nisi enim præualuisset, non potuisset detinere Angelum petentem dimitti.

Respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.] Iuxta Hebræum habetur: *Non dimittam te: quòd si benedixisti mihi.* Duæ sunt orationes: altera, *non dimittam te:* altera, *quòd si benedixisti mihi, dimittam te.* Et præteritum, *benedixisti*, intelligitur relatiuè ad dimissionem futuram post benedictionem: & subintelligitur repeti, *dimittam te.*

Vers. 27. Ait ergo: Quod nomen est tibi? Respondit: Iahacob. *Vers.* 28. At ille, Nequaquàm, inquit, appellabitur vltrà nomen tuum Iahacob, sed Israël.] Iuxta Hebræum habetur: *Quòd si Israël.* Non enim hoc in loco mutauit Angelus nomen Iahacob in Israël; sed posteà facta est hæc mutatio in loco, qui dicitur Bethel: vt clarè patet inferiùs cap. 35. Sed hoc in loco prænunciatur non assertiuè, sed cum ambiguitate quadam tanti nominis spes datur, admirationem ingerendo, *quòd si Israël erit nomen tuum:* oratio siquidem ambigua est: spem tamen magnam præbet ex futura negatione nominis Iahacob asserta.

Quoniam, si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines præualebis?] Iuxta Hebræum habetur: *Quia dominatus es cum* אלהים, *& cum hominibus potuisti.* Ratio nominis, *Israel*, redditur à dominatione, & posse. Vbi scito, quòd *Israel* est dictio composita ex *isra*, quod est, dominari; & *El*, quod est Deus: & ex vtraque dictione integra significat, *Dominabitur Deus.* Et ex hoc, quòd tu Iahacob dominatus es luctãdo cũ אלהים (hoc est, cum Angelis; cum vno, scilicet, Angelorum: præualere enim species quædam dominationis est:) & quia etiam certando cum hominibus Laban, & consanguineis potuisti; ideò Israël fortè appellaberis; hoc est, Deus dominabitur: ad significandum, quòd Deus pugnat pro te aduersùs omnes; & præualebis.

Vers. 29. Et interrogauit eum Iahacob: Dic mihi, obsecro, quo nomine appellaris? Respondit: Cur quæris nomen meũ, quod est mirabile?] Superfluunt tres vltimæ dictiones: Non dixit Angelus: *Quod est mirabile.* sed tantummodò: *Cur quæris nomen meum?* Perinde ac si dixisset: Non spectat ad te, quærere nomen meum. In cuius signum Iahacob tacuit.

Et benedixit ei in eodem loco.] Qualis fuerit hæc benedictio, non est scriptum. Dubium tamen non est, sub hac benedictione comprehendi confortationem Iahacob, & excussionem timendi à fratre suo.

Vers. 30. Vocauitque Iahacob nomen loci illius, Phanuël.] Corruptum est nomen: legendum est, *Peniel*, hoc est, facies Dei: dimisso siquidem Angelo post acceptam benedictionem, nomen loco imposuit.

Dicens: Vidi Dominum facie ad faciem.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia vidi* אלהים *facie ad faciem.* Angelum in forma hominis viderat facie ad faciem: sed, quoniam diuino mysterio omnia tribuebat; ideò à nomine Dei locum appellauit: & non, facies Angeli; sed, *facies Dei*, appellatus est locus.

Et salua facta est anima mea.] Iuxta Hebræum habetur: *Et euasit anima mea.* Si Latina lingua admitteret, legendum esset: Et euasa est anima mea. Antiquum & vetus est[c], timuisse in huiusmodi apparitionibus mortem: & proptereà Iahacob speciale beneficium vitæ collatum sibi profitetur, dicendo, quòd euasit à morte anima mea; quatenus officium animæ exercet, viuificando corpus.

Vers. 31. Ortusque statim est ei Sol, postquàm transgressus est Penuël: ipse verò claudicabat pede.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ipse claudicans super coxam suam.* Hoc est, ratio claudicandi erat coxa.

Vers. 32. Quam ob causam non comedunt filij Israël neruum, qui emarcuit in femore Iahacob.] Iuxta Hebræum habetur: *Neruum extractum, qui super femen coxæ vsque in præsentem diem.* Non negatur esus nerui cuiuslibet, sed nerui duntaxat illius, qui est in femine coxæ, cuius nerui in coxa Iahacob abstractio, (hoc est, motio ex naturalis loci dispositione,) causa fuit claudicandi.

Eò quòd tetigerit neruum femoris eius, & obstupuerit.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia tetigit in femine coxæ Iahacob in neruo abstracto.* Hinc clarè apparet, quòd quemadmodum non quancunque coxæ partem, sed illam, quæ femen dicitur; ita cùm etiam femen distinguatur in plures partes, (carnem, neruum, venas;) non quancunque feminis partem, sed neruum feminis violento tactu læsit Angelus, mouendo eum à naturali vinculo loci sui. Vbi clarè vides, quòd nullus est sermo de membro generationis.

c Vt patet de Gedeone Iud. 6. itidem de Manue Samsonis patre Iudic 13. & Zacharia Luc. 1. omnis enim natura, cùm sit corruptibilis, propter gloriæ diuinioris excellentiam, nequit non turbari, se ab illa immutandã sentiẽs.

CAPVT XXXIII.

ELeuans autem Iahacob oculos suos, vidit venientem Hesaü, & cum eo quadringentos viros.] Apparentem Hesaü cum turba, in loco aliquantulùm eminente, vidit Iahacob eleuans oculos.

VERS. 1.

Diuisitque filios Leæ, & Rachel, ambarúmque famularum: *Vers.* 2. & posuit vtranque ancillam, & liberos earum in principio: Leam verò, & liberos eius in secundo loco: Rachel autem, & Ioseph nouissimos.] Intellige hoc factum; sed non postquàm vidit Hesaü: disposuerat enim priùs vxores, & filios tali ordine.

Vers. 3. Et ipse progrediens.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ipse transiuit ante eos.* Sequebatur priùs Iahacob vxores, & filios: sed viso Hesaü, mandauit, vt vxores, & filij tali ordine sequerentur ipsum antecedentem eos.

Et adorauit pronus in terram septies[a].] Honoris signum maximum inter humana signa honoris, quæ proprio corpore exhiberi possunt, exhibuit fratri: nec semel aut bis; sed septies. Et hinc habes, non esse illicitum huiusmodi honores exhibere Principibus etiam infidelibus: cùm contineantur intra latitudinem humanorum honorum, nec exhibeantur hominibus, tanquàm Diis; sed tanquàm Principibus.

a Septies hic pro sæpe capitur

Donec appropinquaret frater eius.] Iuxta

Iuxta Hebræum habetur: *Vsque ad appropinquare suam vsque ad fratrem suum.* Spatium septem venerationum describitur successiuè appropinquando ad fratrem suum.

Vers. 4. Currens itaque Hesaü obuiam fratri suo.] Non expectauit Hesaü appropinquationem fratris solito gradu; sed cucurrit obuiam.

Amplexatus est eum: stringénsque collum eius, & osculans.] Iuxta Hebræum clariùs habetur: *Et cecidit super colla eius, & osculatus est eum.* Commotus affectus fraternus describitur vsque adeò, vt seipsum non potuerit continere; sed ceciderit super colla Iahacob. Et dicit pluraliter, *colla*, eò quòd super vtranque colli partem cecidit non contentus altera parte.

Fleuit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fleuerunt.* Vterque teneritudine fraterna motus ad lacrymas describitur.

Vers. 5. Leuatísque oculis, vidit mulieres, & paruulos earum: & ait: Quid sibi volunt isti, & si ad te pertinent? Respondit: Paruuli sũt, quos donauit mihi Deus seruo tuo.] Nomen est אלהים: & quoniam est nomẽ iustitiæ, non dicitur in Hebræo, *donauit*; sed, *miserando dedit*: ad significãdũ, quòd iustus omniũ distributor, tãquã cõdolẽdo dedit filios.

Vers. 6. Et appropinquantes ancillæ, & filij earum, incuruati sunt. *Vers.* 7. Accessitque Lea cum liberis suis: & cùm similiter adorassent, extremi Ioseph, & Rachel adorauerunt. *Vers.* 8. Et ait Hesaü: Ad quid tibi omnes turmæ istæ, quas obuiam habui? Respondit: Vt inuenirem gratiam coram domino meo.

Vers. 9. Et ille ait: Habeo plurima, frater mi: sint tua tibi. *Vers.* 10. Dixit Iahacob. Noli ita, obsecro: sed, si inueni gratiam in oculis tuis, accipe munusculum de manibus meis.] Iuxta Hebræum, tam hîc, quàm ferè vbique in hoc, & præcedenti capitulo, vbi muneris nomen habemus, habetur potiùs nomen signi: vt non tam munus, quàm signum subiectionis, & honoris significetur.

Sic enim vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei [b].] Nomen est אלהים: & potest intelligi, tam Angelus, quàm Deus. Et vterque intellectus quadrat proposito: est enim sensus: Suscipe, quæso, munus meum, quanuis opulentia abundes: quia non offero tibi ad subueniendum indigentiæ; sed tanquàm Deo, seu Angelo, cui offertur in signũ venerationis: ego enim in signum venerationis tibi hæc offero.

[b] Quicquid pulchrũ, aut illustre est, Dei dicitur in Scriptura phrasi Hebraïca, vt illud, *mons Dei*; id est, mons illustris; & hoc loco: *Ac si viderim vultum Dei*, hoc est, vultum illustrem, & speciosum.

Esto mihi propitius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et voluisti me.* Dixerat: *Si inueni gratiam in oculis tuis*: affirmat modò, quod conditionaliter dixerat: & affirmato antecedente conditionali, infert consequens.

Vers. 11. Accipe nunc benedictionem meam, quam attuli tibi.] Munus ipsum benedictionem appellat, tanquàm venerationem quandam.

Et quam donauit mihi Deus.] Iuxta Hebræum habetur: *Quoniam misertus est mei* אלהים. Ratio redditur ex parte ipsius Iahacob, quòd etiam ipse non est indigens, sed potens hoc signum venerationis offerre. Vnde & in Hebræo subiungitur: *Et quoniam est mihi omne*. loco cuius nos habemus:

Tribuens omnia.] Nihil sibi deesse ob hanc oblationem profitetur Iahacob ex miseratione summi distributoris.

Vix fratre compellente suscipiens.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vim fecit in eo, & accepit.* Institit instantia quasi violenta ad hoc, vt Hesaü susciperet munus: & sic compulsus accepit.

Vers. 12. Et ait: Gradiamur simul: eróque socius itineris tui. *Vers.* 13. Dixitque Iahacob: Nosti, domine mi, quòd paruulos habeam teneros, & oues, ac boues fœtas mecum.] Iuxta Hebræum habetur: *Super me.* hoc est, super curam meam.

Quas si plùs in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges. *Vers.* 14. Præcedat dominus meus ante seruum suum: & ego sequar paulatim vestigia eius, sicut videro paruulos meos posse.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ego ducam ad suaue meum: ad pedem gregis, qui ante me, & ad pedem filiorum.* Claudicabat enim: & propterea moderandum censuit iter ad commodum proprium, & non solùm ad commodum gregis, & filiorum. Nec dictio interpretata, *suaue*, significat suaue; sed circunlocutio est.

Donec veniam ad dominum meum [c] Sehir.] Ex antecedentibus & subsequentibus apparet, quòd officiosè Iahacob dixit verba hęc, (monstrando fiduciam in Hesaü, fratre suo;) & non animo eundi in Sehir.

[c] *Sehir*, tota illa montana est regionis Gebalæ, qua Palæstina à meridie clauditur, teste Hieronymo.

Vers. 15. Respondit Hesaü: Oro te, vt de populo, qui mecum est, saltem socij remaneant viæ tuæ. Non est, inquit, necesse: hoc vno indigeo, vt inueniam gratiam in conspectu domini mei. *Vers.* 16. Reuersus est itaque illo die Hesaü itinere, quo venerat in Sehir.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad viam suam ad Sehir.* Non narratur reuersio ad Sehir eodem die completa: sed reuersio ad viam suam in territorio Sehir. Et hic sensus quadrat verbis Iahacob, distantiam à Sehir sonantium, dum dixit: *Vsquequò venero ad dominum meum in Sehir.* Ex via itaque cõmuni ad Sehir, & alias regiones, reuersus est illo die Hesaü ad viam propriã ad Sehir.

Vers. 17. Et Iahacob venit in Sochor [d].] Legendum esset, *in Succhot.* Nomen est proprium loci.

[d] Hæc *Sochor*, locus erat propinquus torrenti Iaboc, in tribu Gad situs. Alterius etiam Sochot meminit Scriptura, qui est locus primæ mansionis post egressum Ægypti, multùm à superiori distans: duóque alia loca ponit Hieronymus in sorte Iudæ, eiusdem nominis.

Ibi ædificata domo, & fixis tentoriis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ædificauit sibi domum, & gregi suo fecit tuguria.* Fabricatio domus, morandi ibidem intentionem demonstrat. Crediderim ego, ruinas ibi fuisse domorum antiquarum, & Iahacob restaurasse domum aliquam.

Propter hoc vocauit nomen loci illius, Succhot, id est, tabernacula.] Interpres addidit has vltimas tres dictiones: *Succhot* enim tuguria, seu similia tabernacula sonat.

Vers. 18. Transiuit in Salem, vrbem Sichimorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et venit Iahacob Salem, ciuitate Sechem.* Ambiguitas vndique consurgit: tum ex æquiuocatione dictionis, *Salem*: quoniam est quandoque nomen propriũ vrbis, quandoque nomen appellatiuum significans completũ, seu integrum: tum ex defectu præpositionis; quia nulla inuenitur præpositio antecedens dictionem, *Salem*, aut dictionem, *ciuitatem.* Subiũcta tamen mãsio ante ciuitatem

ciuitatem cum egressu Dinæ,& gestis in ciuitate Sechem,testatur,quòd Salem hoc in loco est nomen appellatiuum:ita quòd litera est: *Et venit Iahacob integer ciuitatem Sechem.* Narratur enim,quòd cùm quieuisset in Succhot aliquāto tempore,(&,si Hebræis creditur,anno,& dimidio,) venit inde incolumis quoad coxam, & vniuersaliter integer quoad vxores, filios,& facultates ad ciuitatem Sechem.

Quæ est in terra Chenahan.] Prima mansio Iahacob narrata à Mose in terra Chanahan post reditum, est mansio apud ciuitatem Sechem:ea,vt creditur, ratione,quòd Succhoth non sit in terra Chanahan, sed vltra Iordanem,versùs montem Gilhad.

Postquàm reuersus est de Mesopotamia Syriæ.]Iuxta Hebræum habetur: *Veniendo de Padan Aram.* Et dixit hoc ad significandum,quòd Iahacob peruenit ad terminum viæ suæ,(videlicet,terram Chanahan, promissam ei à Deo,)integer in se,& suis omnibus.

Et habitauit iuxta oppidum.] Rectiùs dixisset, *ante ciuitatem.* Non habitauit in ipsa ciuitate:tum, quia capax non erat tantæ multitudinis , vt par est credere ex subsequuto euentu: tum,quia nolebat subiici Principi ciuitatis.

Vers. 19. Emitque partem agri, in qua fixerat tabernacula, à filiis Hamor patris Sechem.] A fratribus ergo Sechem emit partē campi,in qua fixit tētoria. Ecce Iahacob incepit emere partem agri in terra Chanahan ad habitandum,quod nec Abraham,nec Ishac fecerat: sicut & primus inter eos ædificauit domum.

Centum agnis.] Iuxta Hebræum habetur : *Centum nummis*[c]. Nomen est monetæ dictio Hebraïca.

[c] Nummus solidum circiter valebat antiquitùs.

Vers. 20. Et erexit ibi altare.] Hinc apparet,quòd intendebat diutiùs ibidem morari.

Inuocauitque super illud.] Iuxta Hebræum habetur : *Et vocauit ipsi.* Altare enim ad sacrificium offerendum erectum , narratur nominatum.

Fortissimum Deum Israël.] Iuxta Hebræum habetur: *El Elohe Israelis.* Nomen altaris est : &,vt priùs dictum est,nominatur Deus à fortitudine *El*, hoc est, antonomasticè fortis. Et similiter à iudicio Elohe;hoc est,antonomasticè Iudex. Israël autem compositum est significans , *dominabitur Deus.* Verùm hoc in loco genitiui casus est. Nominauitque altare diuino nomine,mutilo sermone:nam non significatur, quòd altare est Deus; sed, quòd altare illud est ad sacrificandum fortissimo Iudici dominanti in Iahacob, & semine eius. Crediderim ego, fuisse consuetudinem,vt nomine Dei,cui altare dicabatur, insigniretur altare:& propterea Moses tali modo loquendi vtitur , tam hîc, quàm inferiùs cap.35. de altari Bethel. Meminit *El*, propter fortitudinem ; & *Elohe*, propter iustitiam aduersùs Laban,& Hesaü, &c. Et incipit vti audito ab Angelo nomine, cupiens effectu impleri cœpta.

CAPVT XXXIV.

VERS. I. EGressa est autem Dina.] Intellige egressam ex tentorio , non solam,sed vt decebat comitatam.

Filia Leæ.]Desunt tres dictiones: *Quam genuit Iahacob.* Vterque parens nominatur.

Vt videret mulieres regionis illius. *Vers.* 2. Quam cùm vidisset Sechem,filius Hamor Hiuei[a], Principis terræ illius,adamauit eam,& rapuit,& dormiuit cum illa, vi opprimens virginem. *Vers.* 3. Et conglutinata est anima eius cum ea : tristémque blanditiis deliniuit.] Sicut hanc clausulam , ita multas alias Interpres mutauit: sed in idem venitur:nam iuxta Hebræum habetur: *Et locutus est ad cor puellæ.* hoc est, ea,quæ ad consolandum cor puellæ erant.

[a] Heuei sunt,qui Samariam , & Ermon montem incolebant.

Vers. 4. Et pergens ad Hamor , patrem suum,Accipe,inquit,mihi puellam hanc coniugem. *Vers.* 5. Quod cùm audisset Iahacob , absentibus filiis , & in pastu pecorum occupatis, siluit,donec redirent. *Vers.* 6. Egresso autem Hamor, patre Sechem,vt loqueretur ad Iahacob, *Vers.* 7. ecce filij eius veniebant de agro: auditóque,quod acciderat, irati sunt valdè.] Deest vna clausula:legendum est: *Et contristati sunt viri, & irati sunt valdè.* Naturalis causa iræ,tristitia præponitur.

Eò quòd fœdam rem operatus est in Israël, violando filiam Iahacob, & rem illicitam perpetrauit.] Exaggerat iniuriam Moses , interpretando iniuriam factam contra Deum, pro quanto erat facta contra hominem denominatum à dominio Dei : perinde ac si dictum fuisset : Quoniam iniuriam fecit in dominium Dei , violando filiam Iahacob. Vbi aduerte , quòd , quamuis adhuc non esset nomen Israël impositum Iahacob ; quia tamen inchoata erat huiusmodi nuncupatio ex verbis Angeli , ideò Moses inter expressam nominationem , & insinuationem angelicam , vsus est hoc nomine , medium ab extremo perfectiore nuncupando. Et nihil refert, an nomine Israël intelligas familiam , vel personam Iahacob.

Vers. 8. Locutus est itaque Hamor ad eos : Sechem , filij mei , anima adhæsit filiæ vestræ : date, quæso , eam illi vxorem, *Vers.* 9. & iungamus vicissim connubia: filias vestras tradite nobis:& filias nostras accipite, *Vers.* 10. & habitate nobiscum. Terra in potestate vestra est: exercete,negotiamini,& possidete eam.] Iuxta Hebræum habetur : *Habitate,& negotiamini,& possessiones facite in ea.* Omnes actiones circa terram offerunt.

Vers. 11. Sed & Sechem ad patrem, & ad fratres eius ait.]Dina monstratur per pronomen, *eius.*

Inueniam gratiam coram vobis : & quæcunque statueritis, dabo. *Vers.* 12. Augete dotem, munera postulate : & libens tribuam,quod petieritis:tantùm date mihi puellam hanc vxorem. *Vers.* 13. Responderunt filij Iahacob , Sechem,& patri eius in dolo, sæuientes ob stuprum sororis.] Iuxta Hebræum habetur : *Et locuti sunt , quòd violauit Dinam,sororem suam.* Rationem doli manifestat Moses ; sermone tamen mutilo:subauditur enim pronomen, *illi :* & est sensus:Et locuti sunt in dolo, vtpote loquendo illi, qui violauit sororem eorum. Excusatio est dolosi sermonis,non à toto,sed à tanto.

Vers. 14.

Vers. 14. Et dixerunt ad eos: Non possumus facere quod petitis; dare sororem nostram homini incircunciso: quod illicitum, & nefarium est apud nos.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia vituperium istud nobis.* Hinc habetur, quòd decreta à Deo Abrahæ circuncisione masculorum, decretum simul est, vt fœminæ seminis Abrahæ non nuberent, nisi circuncisis.

Vers. 15. Sed in hoc valebimus fœderari: si esse volueritis nostri similes, & circuncidatur [b] in vobis omne masculini sexus; *Vers.* 16. tūc tunc dabimus, & accipiemus mutuò filias nostras, ac vestras: & habitabimus vobiscū, erimúsque vnus populus.] Hinc clarè patet verus dolus: nam promittunt Sechemitis, postquàm circuncisi fuerint, mutua connubia, & vnitatem populi; nihil horum intendentes seruare.

b Cùm circuncisio viri doni symbolum esset, nempe, quòd Messias ex gente illa nasciturus foret, illique populo peculiariter mittendus, meritò nomen eius honorificum valdè apud Israel fuit: præputij verò appellatio probrosa, sicut & hoc loco videre licet, & ad Ephes. 2. & 1. Reg. 17.

Vers. 17. Si autem circuncidi nolueritis, tollemus filiam nostram, & recedemus. *Vers.* 18. Placuit oblatio eorum Hamor, & Sechem filio eius. *Vers.* 19. Nec distulit adolescens, quin statim, quod petebatur expleret.] Iuxta Hebræum habetur: *Puer.* Quod ideò dixerim, vt intelligatur mos loquendi Mosi, appellando puerum eum, quem lōgè à pueritia distare, & facta, & dicta testātur.

Amabat enim puellam valdè: & ipse erat inclytus in omni domo patris sui. *Vers.* 20. Ingressique portam vrbis, locuti sunt populo: *Vers.* 21. Viri isti pacifici sunt, & volunt habitare nobiscum: negotientur in terra, & exerceant eam, quæ spatiosa, & lata cultoribus indiget: filias eorum accipiemus vxores, & nostras illis dabimus. *Vers.* 22. Vnum est, quo differtur tantum bonum: si circuncidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes; *Vers.* 23. & substantia eorum, & pecora, & cuncta, quæ possident, nostra erunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Si non nobis ipsa?* Suadentium verba sunt, vtilitatem manifestantium huius vnionis: significatur enim apertè, quòd ex hac vnione sequetur hoc vtile, quòd omnes facultates Israëlitarum erunt ciuium huius ciuitatis: vtitur enim Hebræus sermo coniunctione, *si*, interrogatiuè: & est sensus: An non nobis ipsa? quasi dicat: Perspicuum est, quòd nobis acquiruntur omnia. Et verum manifestè dixerunt.

Tantùm in hoc acquiescamus: & habitantes simul, vnum efficiemus populum. *Vers.* 24. Assensique sunt omnes, circuncisis cunctis maribus.] Summauit Interpres extensas orationes in Hebræo, significantes, quòd omnes habitantes intra mœnia ciuitatis, & assenserunt, & circuncisi sunt.

Vers. 25. Et ecce die tertio, quando grauissimus vulnerum dolor est.] Iuxta Hebræum habetur: *Quando ipsi dolore erant affecti.* Insinuatur tamen per hoc, quòd Interpres dixit; maiorem, videlicet, esse dolorem diei tertij.

Arreptis duo filij Iahacob, (Simhon, & Leui) fratres Dinæ gladiis.] Confer, prudens lector, tempus natiuitatis Dinæ, & similiter tempus natiuitatis, tam Simhon, quàm Leui, cum tempore, quo Iahacob egressus est de Mesopotamia: & inuenies, Dinam quidem ætatis vix quatuor annorum ad summum; Simhon autem, & Leui ætatis ad summum duodecim annorum: nam, vt Iahacob in mōte Gilhad dixit socero, viginti annis fuit in Mesopotamia: quorum primis septem annis nullum genuit filium. Sed esto, quòd octauo genuerit Reuben, nono Simhon, & decimo Leui, clarè patet, quòd neuter duodecim erat annorum tēpore egressus de Mesopotamia. Dina autem, cùm post sex filios à matre genita fuerit, & multùm temporis intercesserit inter quartum, & quintum filium, vsque adeò, vt Lea crederet, se non ampliùs genituram; rationabile est, vt genita fuerit decimo, aut potiùs vndecimo anno à connubio matris: ac per hoc in egressu ex Mesopotamia non erat quadriennis. Multis igitur annis post reditum ex Mesopotamia peractis, hoc accidit: & ad minus apparet, quòd anni fluxerunt decem, vt & Dina esset nubilis [c]; & Simhon, & Leui ad bellum dispositi essent.

c Plus enim decem annis mansit in Sichem.

Ingressi sunt vrbem confidenter.] Nō intelligo, quòd soli fuerint ingressi, sed cum sufficiente numero armatorum: vt simul multas domos introirent, & vno ferè momento vniuersos occiderēt: alioquin multi aduersùs duos potuissent insurgere, vociferantibus mulieribus primorum occisorum.

Interfectisque omnibus masculis, *Vers.* 26. Hamor, & Sechem pariter necauerunt.] Desunt tres dictiones, *ad os gladij*. Solitus est loquendi modus, quemadmodum dicere consueuimus: Occisi sunt acie ensis.

Tollentes Dinam de domo Sechem [d] sororem suam. *Vers.* 27. Quibus egressis, irruerunt super occisos cæteri filij Iahacob.] Superfluit, *cæteri*. Significatur enim in textu Hebræo, quòd Simhon, & Leui reduxerunt Dinam ad matrem suam: & quòd indefinitè filij Iahacob venerunt in ciuitatem ad depopulandum illam. Rationi siquidem consentaneum est, quòd cognita clade omnium masculorum, omnes illi, qui remanserant in tentoriis Iahacob, simul cum Simhon, & Leui, iuerint ad prædam ciuitatis.

d Hæc vrbs, *Sichem*, olim Alexandri tempore Samariæ metropolis extitit, mōtique Gazarino adiacet, in quo Patriarchas Deum adorasse, mulier Samaritana testata est Ioannis 4. Hæc quidem à Ioanne Sichar dicitur, distátque à Iordane tribus milliaribus.

Et depopulati sunt vrbem in vltionē stupri.] Iuxta Hebræum habetur: *Et deprædati sunt vrbem, quæ violauerunt sororem eorum.* Ex numero plurali, *violauerunt*, manifestat Moses, quòd quanuis solus Sechem stuprauerit Dinā; non tamen solus fuit culpabilis, sed multitudo adiuuit eum: imò quòd ciuitas ipsa crimen hoc commisit, dicendo: *Prædati sunt vrbem, quæ violauerunt sororem eorum.* dictio enim Hebraïca cōmunis est ad, *quæ*, & *qui*, ad singulare, & plurale relatiuum nomen. Et dixit hoc, ad manifestandum, prædam fuisse iustam. Vbi aduerte, quòd tam clades, quàm præda hæc potest iudicari dupliciter: vel secundùm rem, vel secūdùm modum. Et quidem, si libretur secundùm modum dolosum, manifesta est iniustitia modi: qui, vt dictum est, excusatur à tanto, sed non à toto. Si verò libretur secundùm rei veritatem, iusta fuit, tam clades, quàm præda: eò quòd ciuitas erat in culpa tanti sceleris. Nec in veritate filij Iahacob pacem cum eis fecerunt; sed fictè ad hoc, vt possent vindictā exercere: propter quod modus, vt dictum est, fuit iniquus valdè: nam fides etiam hosti seruanda est.

Vers. 28. Oues, & armenta, & asinos eorum, cunctáque vastantes, quæ in domibus,

bus,& in agris erant.] Iuxta Hebræum habetur: *Et quæ in ciuitate, & quæ in agro acceperunt.* Deficiunt hîc quatuor dictiones: *Et omnia pretiosa eorum.* quanuis dictio Hebraïca non significet pretiosa, sed id, quod circunloquimur per pretiosa.

Vers. 29. Et omnes paruulos,& vxores eorum duxerunt captiuas. *Vers.* 30. Quibus perpetratis audacter.] Istæ tres dictiones superfluæ sunt: & loco earum habetur in Hebræo: *Et depradati sunt, & omne, quod in domo.* Priùs dixerat, quòd prædati sunt omnia, quæ in ciuitate, & quæ in agro, describendo in genere prædam: modò describendo prædam in specie, dicit, quòd prædati sunt etiam omnem supellectilem cuiuscunque domus.

Et dixit Iahacob ad Simhon, & Leui: Turbastis me.] Hinc apparet, quòd Iahacob non fuit conscius doli, sed credidit filios in veritate locutos fuisse cum Sechemitis.

Et odiosum me fecistis.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad faciendum fœtere me Chananæis, & Perisæis, habitatoribus terra huius.* Apta metaphora vtitur.

Nos pauci sumus: illi congregati percutient me.] Non timebat ab vna aliqua ciuitate; sed à congregatione, populo multarum ciuitatum.

Et delebor ego, & domus mea. *Vers.* 31. Responderunt: Nunquid, vt scorto abuti debuêre sorore nostra?]

CAPVT XXXV.

VERS. 1. INterea locutus est Deus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit* אלהים *ad Iahacob.* Quinta est hæc apparitio Dei Iahacob. Et ratione temporis, ac materiæ intelligenda est in vigilia; ita quòd Iahacob contulerit se ad supplicandum Deo, commendans se, & suos Deo: timor enim sollicitabat ipsum, vt cõfugeret ad diuinum præsidium: sicque orantẽ Deus allocutus est interno sermone, eo modo, quo posteà locutus est Prophetis. Nominatur autem אלהים, eò quòd ad actum iustitiæ monebat Iahacob, hoc est, ad reddendum Deo vota propria, quæ emiserat fugiens Hesaü.

Surge, & ascende Bethel, & habita ibi: facque altare Deo, qui apparuit tibi, quãdo fugiebas Hesau fratrem tuum.] Dictio interpretata, *Deo*, est nomen, *El*; hoc est, Deo, quatenus forti. Et meritò, forti: vtpote, qui fortitudinem suam ostendit pro te aduersùs Laban, Hesaü, & Sechemitas, & eandem ostensurus est terrendo omnes circuncirca ciuitates in hoc tuo itinere.

Vers. 2. Iahacob verò, conuocata omni domo sua ait.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit Iahacob domui suæ, & omnibus, qui cum ipso.* Non solùm filiis, ac vxoribus; sed omnibus, qui cum eo erant, etiam captiuis, præcepit.

Abiicite Deos.] Iuxta Hebræum habetur: *Segregate Elohe alienos, qui in medio vestri sunt.* Nomen אלהים (quod idem est, quod Elohe) commune est Deo vero, & Diis secundùm opinionem. Præcepit autem hoc Iahacob, sciens, quòd multa erant simulacra Deorum inter eos, præcipuè ex hac noua præda.

Et mundamini à peccato idololatriæ, & mutate vestimenta vestra.[a]] Cæremoniale est hoc: quanuis ratio cæremoniæ non sit scripta.

[a] Colligunt hinc aliqui, baptismatum vsum in prisca olim gentium religione fuisse, lustrationéque quadam baptismatis, peccatorum ablutionem quæsiuisse, eaq; ratione Salem secundam iuxta Iordanem à Melchisedech constructam esse; pro illis ablutionibus, videlicet.

Vers. 3. Surgite, & ascẽdamus in Bethel: vt faciamus ibi altare Domino, qui exaudiuit me in die tribulationis meç, & fuit mecum in via, qua profectus sum.] Dictio interpretata, *Domino*, est nomen, *El*; cõgruens fortitudini diuinæ, in qua confidendum monebat, commemorando beneficiũ prçteritũ.

Vers. 4. Dederunt ergo ei omnes Deos alienos, quos habebant.] Idem, *Elohe*, nomen repetitur; & multitudo simulacrorum inuẽta, ac data Iahacob manifestatur; ita vt nullum relictum fuerit simulacrum apud eos.

Et inaures, quæ erant in auribus eorum.] Intelligo per, *inaures*, omnia ornamenta simulacrorum, vt plenè mundarentur ab iis, quæ idolorum erant.

At ille infodit ea subter terebinthum.] Iuxta Hebræum habetur: *Subter quercum.* Sed parui refert, quæ arbor fuerit.

Quæ est post vrbem Sechem.] Iuxta Hebræum habetur: *Quæ cum Sechem.* Et est nomen ciuitatis illius. Rationabile est, vt accelerantes recessum, caruerint commoditate consumendi simulacra igne: & propterea absconderit sub terra, in qua erat quercus: & nihilominùs, vt nec materia ærea, argentea, vel aurea simulacrorum, & ornamentorum eorum relinqueretur apud eos, qui cum Iahacob ibant, dimisit abscondita.

Vers. 5. Cúmque profecti essent, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates: & non sunt ausi persequi recedentes.] Loco Dei habetur in Hebræo nomen אלהים, communis Iudicis inhibentis ciuitatibus, ne persequerentur Iahacob.

Vers. 6. Venit ergo Iahacob Luzam, quæ est in terra Chenahã, (ipsa est Bethel,) ipse & omnis populus, qui cum eo.

Vers. 7. Ædificauitque ibi altare: & appellauit nomen loci, Domus Dei.] Iuxta Hebræum habetur: *El Bethel.* hoc est, *El domus Dei.* Olim eundẽ locũ appellauerat, *Bethel:* modò autem appellat Deus, *Domus Dei:* vt non solùm locus nobilitatus sit nomine *Domus Dei*; sed & ipse Deus, qui ibi apparuit, cognominaretur à loco: vt illi, qui cũ eo erãt, haberẽt cognomen Dei, quẽ colerent, vt, scilicet, vocarent eum, *Deum Bethel.* Et appellatur Deus, *El*, propter fortitudinem, qua astitit Iahacob tuẽdo eũ.

Ibi enim apparuit ei Deus.] Iuxta Hebræum habetur: *Quoniam ibi detecti fuerunt ei* אלהים, *cùm fugeret fratrem suum.* Non Deum, sed Angelos significat hoc in loco אלהים: vt verbum pluralis numeri testatur: commemoratur enim apparitio Angelorum ascendentium, & descendentium in scala. Et hæc ratio redditur nominis: nam & tunc apparuit etiam Deus supra scalam.

Vers. 8. Eodem tempore mortua est.] Iuxta Hebræum non habetur, *eodem tempore:* sed duntaxat: *Et mortua est Debora nutrix Ribecæ.* Ex eo tamen, quòd Moses mortem hanc interponit, narrando gesta in Bethel, insinuatur, mortem hanc accidisse, dum morarentur in Bethel. Si quæris, qualiter Debora erat cum Iahacob, cùm nunquam legatur, ipsam recessisse

recessisse à Ribeca? Respondetur, quòd mortua Ribeca, cùm audisset Debora, Iahacob, dilectum filium Ribecæ, rediisse ex Mesopotamia cum vxoribus, & habitare in terra Chanahan, (multis enim annis ibidem habitauerat,) venit ad eum, cupiens vitam ducere potiùs cum mulieribus Mesopotamiæ, vxoribus Iahacob, quàm cum Chananæis vxoribus Hesaü: tempus enim mortis Ribecæ, quanuis non sit scriptum; ex hac tamen scripta absentia Deboræ à domo Ishac insinuatur: non enim fas est credere, quòd recesserit à Ribeca viua.

Et sepulta ad radices Bethel subter quercum. Vocatúmque est nomen loci, Quercus fletus. *Vers.9.* Apparuit autem iterum Deus Iahacob.] Iuxta Hebræum non habetur, *iterum*; sed, *adhuc*. Et nomen אלהים congruit materiæ: nam facturum se dicta Abrahæ, & Ishac promittit.

Postquàm reuersus est de Mesopotamia Syriæ.] Iuxta Hebræum habetur: *De Padan Aram.* quod suprà expositum est.

Et venit in Bethel: benedixitque ei.] Non intelligo aliam benedictionem, quàm eam, quæ subiungitur: manifestauit siquidem Moses, quòd subiuncta dicta à Deo habent vim benedictionis diuinæ: ita quòd Deus dixit hæc ad benedicendum Iahacob. Et memento, quòd Dei benedicere, est tantæ vis, vt sit etiam benefacere.

Vers. 10. Dicens.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit ei* אלהים, iustus distributor bonorum, & malorum.

Non vocaberis vltrà Iahacob] Deest vna clausula: nam iuxta Hebræum habetur: *Nomen tuum Iahacob.* subaudi, est. Non vocabitur nomen tuum adhuc Iahacob; subaudi, duntaxat. Non enim prohibet Deus, vocari ipsum Iahacob; sed diuini nominis insignia adiicere.

Sed Israël erit nomen tuum.] Iuxta Hebræum habetur: *Quòd si Israel erit nomen tuum.* Eisdem verbis vtitur Deus, quibus vsus est Angelus luctator; sed alia ratione: quia ille ad inchoandum spem tanti nominis, iste ad paulatim eleuandum mentem Iahacob ad tantum donum. Fuit enim hæc apparitio sexta in vigilia facta Iahacob, oranti post sacrificium, & gratias agenti Deo, quòd ciuitates circuncirca non persecutæ sunt ipsum. Nulla siquidem somni mentio fit: & rationi quadrat, vt sicut spes tanti nominis incepit vigilando, ita ipsa nominis collatio fuerit vigilando.

Et appellauit eum Israël.] Eleuata mente ipsius Iahacob ad tantum donum, confertur ei nomen nouum, quod, vt dictum est, sonat, *Dominabitur Deus:* vt intelligere possent omnes, & ipse Iahacob, ex ipso nomine officium diuinum in Iahacob, & populo eius; videlicet, non humanum, sed diuinum dominium. Et sic verè impletum legimus: nam, quando Deus dominatus est in cordibus eorum, habuerunt etiam humanum dominium à Deo: quando autem abiecerunt à seipsis dominium Dei, perdiderunt etiam dominium humanum.

*Vers.*11. Dixitque ei.] Deficit אלהים, iustus distributor.

Ego Deus omnipotens.] Iuxta Hebr. habetur: *Ego El victor.* A fortitudine, & victoria, qua omnia superat suo posse, seipsum Deus nominat: quemadmodum se nominauerat Abrahæ in principio cap. 17.

Cresce.] Iuxta Hebræum habetur: *Fructifica, & multiplicare.* Ecce pars benedictionis, vt non solùm producat fructus ventris; sed multiplicetur. Quod explicando, subiungit, quòd gentes, & cœtus gentium, & Reges nascentur ex eo: vt ex his, & terra promissa Abrahæ, & Ishac, intelligeret, quòd ipsum Iahacob cum semine eius elegerit Deus ad hoc, vt adimpleat promissa Abrahæ, & Ishac.

Gens, & multitudo gentiū ex te erit, & Reges de lumbis tuis egredientur. *Vers.*12. Terrámque, quam dedi Abrahā, & Ishac, dabo tibi, (hoc est, propter te electum,) & semini tuo post te. Propter merita siquidem horum trium electorum à Deo data est Israhelitis terra Chanahan.

*Vers.*13. Et recessit ab eo.] Iuxta Hebræū habetur: *Et ascendit desuper ipsum* אלהים, *in loco, quo locutus est cum ipso.* Hinc apparet, quòd orāti Iahacob apparuit Deus in specie sensibili: talé enim speciem præ se fert motus ascensus de certo loco, in quo allocutus est Iahacob.

*Vers.*14. Ille verò erexit titulum lapideum in loco, quo locutus fuerat ei Deus.] Iuxta Hebr. habetur: *Et statuit Iahacob titulū in loco, quo locutus est cū ipso, titulū lapidis.* In memoriā tantæ rei, lapideum titulū, in loco, vbi locutus est Deus cum eo, statuit Iahacob.

Libans super illum libamen, & effundens oleum [b].] Iuxta Hebr. habetur: *Et colauit super ipsum colamen, & colauit super ipsum oleum.* Quemadmodum vnum, atque eundem titulum descripsit Moses dicendo: *Et statuit Iahacob titulum, titulum lapidis.* ita modò vnā, atque eandem colationem, dicendo: *Et colauit colamen.* atque apponendo, *& colauit oleū.* Quia tamē cōiunctio copulatiua in hoc sermone habetur, quę nō habetur in pręcedente; & verbū, *colauit*, prima vice cōmune est colationi ceræ, ferri, argēti, olei, & reliquis horum; secunda autē vice propriū dicitur oleo; ideò duplex colatio potiùs intelligenda est: altera rei, quæ non nominatur: altera olei. Et hæc quidem ad quādam lapidis consecrationem spectare videtur. De prima autem aiunt Hebræi, appropriari ipsam colationi vini in sacris. Et hæc appropriatio quadrat interpretantibus libationem: testantur enim hinc, quòd de materia potabili est sermo: ita quòd sensus est, quòd colauit vinum, & colauit oleum super ipsum.

[b] Vnctionibus olim Patriarchas res Domino initiasse, atque cōsecrasse, hic vides: qui ritus, tanquam à Deo acceptus, legis tempore mansit.

*Vers.*15. Vocánsque nomen loci illius, Bethel.] Iuxta Hebr. habetur: *Et vocauit Iahacob nomen loci, in quo locutus est cū eo ibi* אלהים, *Bethel.* Paulò superiùs locū altaris appellauit Iahacob, *El Bethel*, propter antiquā scalæ angelicæ visionem: modò locum tituli appellat, *Bethel.* Quocirca *Bethel* fuit nomē à Iahacob impositum duabus partibus illius loci: loci, videlicet, altaris, & loci tituli; diuersis tamen rationibus: nam loco altaris ratione scalæ visæ; loco verò tituli ratione diuinæ allocutionis.

Vers. 16. Egressus autem inde verno tempore ad terram, quæ ducit Ephratam [c].] Iuxta Hebræum habetur: *Et mouerunt se de Bethel: & fuit adhuc, sicut prandium terræ ad veniēdū in Ephrath.* Nihil hic dicitur de tempore: sed de distantia locali à Bethlehem tanto

[c] Ephrata, quæ & Bethlehem, ciuitas fortis Iudæ fuit, distans ab Ierusalē sex milliaribus in Austrum, teste Hieronymo; licèt Iosephus lib. 7. Antiquitatum, aliam distantiam as-

signet Hæc sita erat in colloculto ad sinistram viæ, quæ ducit Hebron. In spatio milliarij sepultura Rachel sita erat, quo factum est, vt & oppidum, & eius agrũ Ieremias Rachel vocauerit. Est & alia Bethlehẽ in Galilæa, sortis Zebulõ, in cuius differentiam hæc Bethlehem inde nominatur.

tanto spatio terræ, quam tum peragi solet, donec prandetur. A tempore prandij quantitatem interualli mensurauit.

In qua quum parturiret Rachel, *Vers.* 17. ob difficultatem partus periclitari cœpit. Dixítque ei obstetrix: Noli timere: quia & hunc habebis filium. *Vers.* 18. Egrediente autem anima præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij sui, Benoni; id est, filius doloris mei. Pater verò appellauit eum Binjamin; id est, filius dexteræ.] Vtriusque nominis expositiones Interpres addidit.

Vers. 19. Mortua est ergo Rachel: & sepulta in via, quæ ducit in Ephrat: hæc est Bethlehem. *Vers.* 20. Erexítque Iahacob titulum super sepulcrum eius. Hic est titulus monumenti Rachel vsque in præsentem diem. *Vers.* 21. Egressus inde Israël fixit tabernaculum suum trans turrem gregis. *Vers.* 22. Cúmque habitaret in illa regione, abiit Reuben: & dormiuit cum Bilha, concubina patris sui: quod Israëlem minimè latuit. Erant autem filij Iahacob duodecim. *Vers.* 23. Filij Leæ, primogenitus Reuben, & Simhon, & Leui, & Iehuda, & Isachar, & Zebulom. *Vers.* 24. Filij Rachel, Ioseph, & Binjamin. *Vers.* 25. Filij Bilhæ ancillæ Rachelis, Dan, & Naphthali. *Vers.* 26. Filij Zilpæ ancillæ Leæ, Gad, & Aser. Hi filij Iahacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ.] Iuxta Hebræum habetur: *In Padan Aram.* Quia omnes excepto Binjamin nati fuerant in Padan Arã, & exceptionem manifestauerat; ideò sciens Moses sermonem suum intelligi subintellecta hac exceptione, dixit enumeratis omnibus filiis, qui nati sunt in Padan Aram.

Vers. 27. Et venit Iahacob ad Ishac patrem suum [d].] Non dicit, quòd de Ephrata venerit ad Ishac; sed absolutè, *& venit*; incertum relinquendo ordinem, ac tempus: ita quòd hinc non habetur, quòd Rachel est priùs mortua, quàm Iahacob venerit ad Ishac patrem suum.

[d] Non habetur etiã, an priùs venerit in Bethel, quàm contigerit illa Sichimitarũ destructio: quare annotabis, caput istud miscellanea, & quæ variis temporibus multùm inter sese distantibus contigerunt, comprehendere.

In Mamre, ciuitatem Arbah. Hæc est Chebron, in qua peregrinatus est Abraham, & Ishac.] Hæc est ciuitas, in qua mortua est Sara: & propterea vide superiùs in cap 23.

Vers. 28. Et completi sunt dies Ishac centum, & octoginta annorum: *Vers.* 29. consumptúsque ætate mortuus est, & appositus populo suo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et congregatus est ad populos suos.* Ne eadem repetantur vide scripta superiùs in cap. 25. exponendo hæc eadem verba in obitu Abrahæ.

Senex, & plenus.] Pro, *satur dierum.* Ad similitudinem saturi, describitur Ishac, dies omnes, quos appetiit eius natura indiuidualis, habuisse.

Et sepelierunt eum Hesaü, & Iahacob filij eius.] Pax inter fratres perseuerans manifestatur.

CAPVT XXXVI.

Hæ sũt generationes Hesau: ipse est Edom.] Circa nomina propria, tam mulierum, quàm virorum in hoc capitulo, aduerte, prudens lector, quòd tanta est varietas, vt diuinare quodammodo oporteat: istæ enim vxores Hesaü aliis nominibus appellantur superiùs in cap. 26. & aliis hîc: & similiter parentes earum aliter ibi nominantur. Et quoniam personam aliquam constat multis nominibus nominari, & multis modis contigisse apud priscos patres filiationem, etiam ante legem Mosi; ideò nullius lectoris mens turbetur: sed accommodet sensum, vt melius videtur, intelligendo, vel de filio naturali, vel de filio legali, vel adoptiuo: nam & ante legem fuerunt filij legales, vt clarè patet in historia Thamar inferiùs in cap. 38.

Vers. 1.

Vers. 2. Hesaü accepit vxores de filiabus Chenahan, Hadam filiam Elon Hithæi, & Aholibamam filiam Hanæ filij Sæbeon Hiuæi.] Iuxta Hebræum fœminini est generis dictio interpretata, *filij*: & legendũ esset, non Sebeon; sed Sibhon. Sed correctioni nominum propriorum in hoc capitulo non intendo insistere.

Vers. 3. Et Basemath filiam Ismahel sororem Nebaioth. *Vers.* 4. Peperit autem Hada Eliphaz: & Basemath genuit Rehuel: *Vers.* 5. & Aholibama peperit Iehus, & Iahlam, & Corach. Hi filij Hesaü, qui nati sunt ei in terra Chenahan.] Quinque filios supputat Hesaü: vnum ex prima, vnum ex tertia, & tres ex secunda vxore.

Vers. 6. Tulit autẽ Hesaü vxores suas, & filios, & filias, & omnem animam domus suæ, substantiam, & pecora, & cũcta, quæ acquisierat in terra Chenahan: & abiit in alteram regionem: recessítque à fratre suo Iahacob. *Vers.* 7. Diuites enim erant valdè, & simul habitare non poterant: nec sustinebat eos terra peregrinationis eorũ præ multitudine gregum.] Complementum facti non initium narratur post mortem Ishac. Nam multis annis, viuente Ishac, Hesaü habitauerat in Sehir (vt testatur occursus eius ad Iahacob;) sed completo officio sepulturæ paternæ, tanquàm primogenitus accepit facultates Ishac, & transtulit eas in Sehir.

Vers. 8. Habitauítque Hesaü in monte Sehir: ipse est Edom.] Non refertur mons, sed persona: vt clarè patet in Hebræo, vbi dicitur: *Hesaü ipse Edom.* Ratio nominis superiùs dicta est.

Vers. 9. Hæ sunt generationes Hesaü, patris Edom, in monte Sehir.] Edom non est nomen personæ, sicut priùs: sed est nomen gentis Idumeæ [a], quę ab eodem nominata est. Sicut enim ab Israël appellati sunt Israëlitæ, ita ab Edom, cógnomine Hesaü, appellati sunt Idumæi: qui dicuntur Edom, sicut etiam Israëlitæ dicuntur Israël.

[a] Idumæa, olim populus ingens, magnã Ismahelitarũ regionis partem occupauit: totáq; sors Iudæ ad mare mortuum vsque (si Iosepho credimus) olim sub Idumæa fuit: quæ si annotaueris, nonnihil iuuabunt, vt intelligas, quæ locis diuersis Scripturæ leguntur de Iudæorum victoria erga Idumæos.

Vers. 10. Et hæc nomina filiorum eius: Eliphaz filius Hadæ, vxoris Hesaü: Rehuel filius Basemath vxoris Hesaü. *Vers.* 11. Fuerúntq; filij Eliphaz, Themã, Omar,

Sepho,

Sepho, Gahtham, & Cenaz. *Vers.* 12. Et Thimnath erat concubina Eliphaz filij Hesaü: quæ peperit ei Hamelec. Hi sunt filij Hadæ vxoris Hesaü. *Vers.* 13. Filij autẽ Rehuel sunt isti: Nachath, Zerach, Samma, & Miza. Isti fuerunt filij Basemath vxoris Hesaü. *Vers.* 14. Isti quoque fuerunt filij Aholibamæ (filiæ Hanæ filij Sibhon) vxoris Hesaü, quos genuit ei: Iehus, Iahlam & Corach. *Vers.* 15. Hi duces filiorũ Hesaü.] Recensitis filiis absolutè, recenset catalogũ ducum, qui descenderunt ab Hesaü.

Filij Eliphaz primogeniti Hesaü, dux Themã, dux Omar, dux Sæpho, dux Cenaz, *Vers.* 16. dux Corach dux Gahtham, dux Hamalech. Hi duces Eliphaz in terra Edom: hi filij Hadæ. *Vers.* 17. Hi quoque filij Rehuel filij Hesaü, dux Nachath, dux Zerach, dux Samma, dux Miza. Hi duces Rehuel in terra Edom: hi filij Basemath vxoris Hesaü. *Vers.* 18. Hi autem filij Aholibamę vxoris Hesaü: dux Iehus, dux Iehlam, dux Corach. Hi duces Aholibamę filiæ Hanæ, vxoris Hesaü. *Vers.* 19. Hi filij Hesaü, & hi duces eorum, ipse est Edom: *Vers.* 20. isti filij Schir Chori habitatoris terræ.] Legendum est: *Habitatores terræ.* Quis fuerit iste Schir pater gentium, quæ habitauerunt in monte Schir ante Hesaü, non inuenio: nisi quòd Deuteronomij 2. scribitur Choreos habitasse in mõte Schir, ipsísque deletis Hesaü habitasse ibi. Proponit autem, tam filios, quàm duces: & filios quidem septem, prosequendo generationes eorum, vt clarè patet in litera.

Lotan, & Sobal, & Sibhon, & Hana, *Vers.* 21 & Dison, & Eser, & Disan. Hi duces Chori [b] filij Schir in terra Edom. *Vers.* 22. Fuerunt autem filij Lotan, Chori, & Heman, & soror Lotan Thimnan. *Vers.* 23. Et hi filij Sobal Baluan, & Manachath, & Hebal, Sepo, & Onan. *Vers.* 24. Et hi filij Sibhon, Aia, & Hana. Iste est Hana, qui inuenit aquas calidas in solitudine.] Iuxta Hebræum habetur: *Qui inuenit mulos, quum pasceret asinos Sibhon patris sui.* Aiunt enim, quòd pascendo asinos, miscuit equos asinis, & geniti sunt muli. Et quadrat expositio officio pascendi asinos.

[b] Vt ostenderet Moses Idumeæ ducatum amplum nimis, nimísque celebrem olim extitisse, Chorræorum genealogiã hoc loco adduxit.

Vers. 25. Habuítque Hana filium Dison, & filiam Aholibamam. *Vers.* 26. Et hi filij Dison: Chemidan, & Esban, & Ithran, & Cheran. *Vers.* 27. Hi quoque filij Eser: Bilhan, & Zahauan, & Hacan. *Vers.* 28. isti filij Disan: Hus, & Arã. *Vers.* 29. Hi duces Chori: dux Lotan, dux Sobal, dux Sibhon, dux Hana, *Vers.* 30. dux Dison, dux Eser, dux Disan. Hi duces Chori, qui imperauerunt in terra Schir.] Supputatis filiis supputat duces, quemadmodum supputauerat in generatione Hesaü.

Vers. 31. Et isti sunt Reges, qui regnauerunt in terra Edom, antequàm haberent Regem filij Israël.] Significanter dicit, *in terra Edom*; ad significandum, quòd Reges isti fuerunt, postquàm mons Schir denominatus est Edom: hoc est, postquàm subiecta fuit dominio Hesaü. Erant enim priùs duces, tum Chori, tum Hesaü: sed tandem, præualentibus filiis Hesaü, exclusis Choreis eleuata est Idumæa in regnum: & propterea tali ordine Moses supputauit filios, & duces Hesaü, & filios, ac duces Schir, & posteà Reges in terra Edom. Quòd autem dicit: *Antequàm haberent Regem filij Israel.* spectat ad hoc, quòd filij Hesaü emerserunt priùs in Reges, quàm filij Israël: & hoc tantùm habetur ex litera. Non prophetauit Moses futuros Reges Edom, (cùm manifestè octaui, ac vltimi Regis vxorem ex nomine describat cum nomine matris, atque auiæ:) sed Reges, qui regnauerunt, antequàm Moses scriberet hæc, recenset.

Vers. 32. Et regnauit in Edom Belah filius Behor: & nomen ciuitatis eius Dinhaba. *Vers.* 33. Mortuus est autem Belah: & regnauit pro eo Iobab [c] filius Zerachdæ Bosra. *Vers.* 34. Cùmq; mortuus esset Iobab, regnauit pro eo Chusam de terra Themaneorũ. *Vers.* 35. Hoc quoq; mortuo, regnauit pro eo Cohadad filius Bedad: qui percussit Midian in regione Moab: & nomen ciuitatis eius Hauith. *Vers.* 36. Cùmque mortuus esset Badad, regnauit pro eo Samla de Maresca. *Vers.* 37. Hoc quoque mortuo, regnauit pro eo Saül de fluuio Rechoboth. *Vers.* 38. Cùmque & hic obiisset, regnauit pro eo Bahalchanan filius Hachbor *Vers.* 39. Isto quoque mortuo, regnauit pro eo Hadar: & nomen ciuitatis eius, Pahu: & nomen vxoris eius Mehetabel, filia Matred filiæ Mezahab. *Vers.* 40. Hæc ergo nomina ducum Hesaü.] Non habetur in Hebræo, *ergo:* sed coniunctio copulatiua: *Et hæc nomina ducum Hesaü.*

[c] Hunc Iobab Iob fuisse, putat hoc loco Augustinus, & Ambrosius in epist. ad Romanos. Idem etiã sentiunt Chrysostomus in quodam sermone, & Gregorius in præfatione super librum Iob: nonnulli verò eum Damascenum fuisse tradunt.

In cognationibus, & locis, & vocabulis suis: dux Thimnath, dux Halua, dux Ietheth, *Vers.* 41. dux Aholibama, dux Ela, dux Pinon, *Vers.* 42. dux Cenaz, dux Theman, dux Mibsar, *Vers.* 43. dux Magdiel, dux Hiran. Hi duces Edom habitantes in terra imperij sui: ipse est Hesaü pater Idumæorum.] Superiùs in hoc eodem cap. recensuit Moses quatuordecim duces Hesaü: modò recenset vndecim duces Hesaü. Illi siquidem duces fuerunt ante Reges: isti autem fuerunt post Reges: & omnes fuerunt, antequàm Moses scriberet hæc: Historiam enim narrat. Et regnum Idumææ scissum in multos duces fuisse tempore Mosi, patet ex prælio inter Hamalecitas, & populum Israël tempore Mosi. Constat enim Hamalec, nepotem fuisse Hesaü in hoc eodem cap.

Vers. 1. *cap.* 37. Habitauit autem Iahacob in terra Chenahan, in qua peregrinatus est pater eius.] Redit Moses ad intentam historiam Israël.

Et hæ sunt generationes eius.] Pronomen, *hæ*, demonstrat longè inferiùs recensendas generationes: ita quòd duo proponit tractanda: tum gesta, habitante Iahacob in terra Chenahan: tum generationes descendentes ab eo.

CAPVT XXXVII.

IOseph cùm sexdecim esset annorũ.] Iuxta Hebræum habetur: *Ioseph filius septẽ* — VERS. 2.

& decem annorum fuit, pascens gregem cum fratribus suis adhuc puer. Ex hac ætate Ioseph tẽpore, quo descendit venditus in Ægyptũ, manifestatur, quòd narrata de morte, & sepultura Ishac, fuerunt à Mose antè scripta, vt finem faceret historiæ Ishac; & non, quòd fuerint ante venditionẽ Ioseph. Nam mors Ishac anno cẽtesimovigesimo vitæ Iahacob fuit: nã genuerat Iahacob sexagesimo vitæ propriæ anno, & vixit annis centum & octoginta. Prædicto autem anno centesimovigesimo vitæ Iahacob præfectus est Ioseph ætatis propriæ anno trigesimo terræ Ægypti, vt patet ex Scriptura, testante, quòd nono, vel decimo anno pòst, stetit Iahacob centum & triginta annorum coram Pharone. Cùm igitur à decimoseptimo anno Ioseph vsque ad trigesimum eiusdem, intersint anni tredecim; perspicuum est, quòd venditio Ioseph præcessit mortem Ishac annis tredecim. Non est igitur idem ordo narrationis, & ordo rerum gestarum. Primum itaque accidens, habitante Iahacob in terra Chanahan, describitur descensus Ioseph in Ægyptum, inchoando ab occasionibus fraterni odij.

Et erat cum filiis Bilhæ, & Zilpæ, vxorum patris sui: accusauitque fratres suos apud patrem crimine pessimo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et retulit Ioseph famam eorum malam ad patrem eorum.* Non crimen, sed famã criminis denunciauit Ioseph patri. Et, quoniã Scriptura non dicit, cuius criminis essent infames; sed insinuat, quòd infamia hæc innotuit Ioseph ex eo; quòd comes erat illorum; ideò ignota remanet species criminis: genus autem scitur, quòd erat peccatũ infame: & scitur, quòd non omnes fratres, sed filij tantùm concubinarum delati sunt: propterea enim Moses versatum Ioseph inter illos narrat. *Vers.* 3. Israël autem diligebat Ioseph supra omnes filios suos.] Ecce alia occasio odij: & prima quidem erat propria quibusdam fratribus: ista autem communis erat omnibus fratribus.

Eò quòd in senectute genuisset eũ [a].] In idem redit Hebraïcum: *Quia filium senectutum ipse illi.* Et in promptu causa est, quare in senectute genitus magis diligitur: quia diutiùs est seruaturus esse paternũ. Geniti enim in iuuentute, non apprehenduntur, vt longè post vitam patris victuri: sed in senectute genitus apprehẽditur, vt victurus longo tempore post mortẽ patris: ac per hoc, vt diu seruaturus esse paternum. Sed obiicitur, quòd hac ratione debuisset magis diligere Binjamin. Solutio est, quòd Binjamin tunc temporis nõ erat adultus, sed infans fortè trium annorũ, si natus erat, ac per hoc nõ erat capax adhuc tantæ dilectionis; sed velut imperfectum quid habebatur: Ioseph autẽ iam adultus, & patri obsequẽtissimus habebat ætatẽ communem cum aliis adultis fratribus: & præter hoc erat genitus in senectute paterna, nonagesimo, scilicet, anno patris.

[a] Cum Scriptura primogeniti amorem omni alij amori præferat, dicátq; 2. Reg. 13. Dauid peculiariter Amnõ dilexisse, quia primogenitus erat ei: & Zachar. cap. 12. dolorem mortis primogeniti omni dolori præponat; mirũ videtur, quòd hic Ioseph dicatur magis dilectus, quia in senectute genitus. Quare perinde intelligendum est, ac si diceret: quia puellus erat: solent nanque puelli intensiùs reliquis fratribus diligi, licèt non impensiùs: illud enim prospexit natura, vt infantia omnibus placeret, sicque cõseruaretur.

Fecitque ei tunicã polymitam.] Græca dictio est, significatúrque multorum liciorum tunicã: hoc est, contexta ex variis liciis: talibus enim etiam hodie vtuntur orientales vestibus: apparent enim pulchræ.

Vers. 4 Videntes autem fratres eius, quòd à patre plus cũctis filiis amaretur, oderant eum: nec poterant ei quicquã pacificè loqui. *Vers.* 5. Accidit quoque, vt visum somnium referret fratribus suis: quæ causa maioris odij seminariũ fuit. *Vers.* 6. Dixitque ad eos: Audite somniũ istud, quod vidi. *Vers.* 7. Putabã ligare nos manipulos in agro: & quasi (pro, *ecce*,) consurgere manipulum meum, & stare, vestrósq; manipulos circunstantes adorare manipulum meum. *Vers.* 8. Responderunt fratres eius: Nunquid Rex noster eris, aut subiiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum, atque sermonũ, inuidiæ, & odij fomitem ministrauit. *Vers.* 9. Aliud quoq; vidit somniũ, quod narrans fratribus ait: Vidi per somnium quasi Solem, & Lunam, & stellas vndecim adorare me.] Tertia occasio odij narratur ex somniis narratis à Ioseph. Et sententia est clara, in sensu non distans ab Hebræo.

Vers. 10. Quod cùm patri suo, & fratribus retulisset, increpauit eum pater: & dixit. Quid sibi vult somnium hoc, quod vidisti? Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?] Perplexa surgit quæstio, an Rachel, mater Ioseph, viueret tunc: ex istis enim verbis Iahacob apparet, quòd viuebat, dicendo: *Num ego, & mater tua.* Ex eo quoque, quòd Ioseph filius senectutis Iahacob descriptus est, & dilectus supra omnes fratres suos, insinuatur, quòd Binjamin adhuc natus non erat. Quod etiam videtur ex eo, quòd Ioseph inferiùs cap. 43. quum vidit Binjamin, dixit: *Deus misereatur tui, fili mi.* appellando enim eum filium, monstrat, quòd secundùm ætatem adolescens erat Binjamin, & filius relatiuè ad Ioseph quadragenarium, qui iã annis vigintitribus fuerat in Ægypto. Si autem spectatum fuerit ad somnium, perplexitas occurrit: nam Sol, & Luna, & stellæ vndecim (hoc est, pater, & mater, & vndecim fratres) nodum efficiunt insolubilem: eò quòd in natiuitate Binjamin mortua est mater Ioseph. Quo fit, vt si stellæ vndecim; ergo non Luna: & si Luna; ergo non stellæ vndecim. Solutio non habetur clara quoad vitam Rachelis tunc: verba tamen Literæ sonant magis, quòd Rachel viuebat: quamuis Moses ad terminandum historiam genitorum à Iahacob, prænarrauerit natiuitatem Binjamin cum morte Rachelis. Ad nodum autem somnij soluendum perpendere oportet, quòd, siue viua, siue mortua fuerit tunc Rachel, nihil refert ad verificationem somnij: quoniam constat, nunquam Rachelem veneratam esse Ioseph, eò quòd non descendit in Ægyptum. Quoad visionem verò somnij, possumus suspicari, quòd Rachel esset tunc grauida: & sic vidit, patrem, & matrem, & fratres vndecim adorare se. Si autem Binjamin natus tunc erat, ac per hoc Rachel mortua, per Lunam non Rachel determinatè, sed vxor patris in genere intelligenda videtur.

Vers. 11. Inuidebant igitur ei fratres eius: pater verò rẽ tacitus cõsiderabat. *Vers.* 12. Cúmque fratres illius in pascẽdis gregibus patris morarentur in Sechẽ, *Vers.* 13. dixit ad eũ Israël: Fratres tui pascũt oues in Sechẽ: veni, mittã te ad eos. Quo respondente, *Vers.* 14 Præsto sũ, ait: Vade, & vide, si cuncta prospera sunt erga fratres tuos, & pecora: & renuncia mihi, quid agatur. Missúsque de valle

Chebron

Chebron venit in Sechem.] Hinc apparet, quòd Iahacob habitabat tunc in Chebron; imò in planitie Chebron: nam ex ipsa planitie misit Ioseph in Sechem. Et apparet hinc, quòd tredecim annis ad minus, ante mortem Ishac, Iahacob venit ad eum: nam hæc gesta sunt apud Chebron, vbi habitabat Ishac,&,vt declaratum est, Ishac vixit vsque ad trigesimum annum Ioseph.

Vers. 15. Inuenitque eum vir errantem in agro: & interrogauit, quid quæreret. *Vers.* 16. At ille respondit: Fratres meos quæro: indica mihi, vbi pascant greges? *Vers.* 17. Dixitque ei vir: Recesserunt de loco isto: audiui autem eos dicentes: Eamus in Dothan. Perrexit ergo Ioseph post fratres suos: & inuenit eos in Dothan. *Vers.* 18. Qui cùm vidissent eum procul, antequàm accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere: *Vers.* 19. & mutuò loquebantur: Ecce somniator venit: *Vers.*20. venite,occidamus eum, & mittamus eum in cisternam veterem.]Iuxta Hebræum habetur: *In vnum puteorum.* Multi enim putei ibidem insinuantur.

Dicemúsque: Fera pessima deuorauit eum.Et tunc apparebit,quid illi prosint somnia sua. *Vers.* 21. Audiuit autem Reuben: & nitebatur liberare eum de manibus eorum.] Iuxta Hebræum Moses narrat primo conclusionem dicendo: *Et liberauit eum de manu ipsorum.* Deinde narrat medium,quo liberauit eum, subiungens: *Et dixit: Non percutiemus animam.* Retraxit siquidem fratres ab actu percutiendi, ab actu iugulandi,seu feriendi animam; hoc est,vitam:hoc enim medio eum liberauit. Deinde subiungit in specie huiusmodi medium, quibus verbis fuerit explicatum, subiungens:

Vers. 22. Et dixit ad eos Reuben: Non effundetis sanguinem: proiicite eum in puteum istum, qui in deserto: & manum non mittetis in eum.] Hic est contextus Hebraïcus.

Hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri suo. *Vers.* 23. Confestim igitur vt peruenit ad fratres suos, nudauerunt eum tunica talari,& polymita.] Iuxta Hebræum habetur: *Tunica sua, tunica polymita*[b]. Non habetur in Textu duplex tunica: sed appositiuè adiungitur tunica polymita: quæ non scribitur longa vsque ad talos, nec ex qua materia fuerit, scribitur; sed duntaxat, quòd variorum liciorum. Nec quadrat vestis talaris vagationi campestri.

[b] Aquila vertit, *talari.*

Vers. 24. Miserúntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ceperunt ipsum, & proiecerunt eum in puteum: & puteus vacuus; non in ipso aqua.* Et sic adimpletum est consilium Reuben. Tacétque Moses preces Iosephc,supplicantis fratribus, vt misererentur eius: testantur enim fratres inferiùs in cap. 42. intercessisse huiusmodi preces.

[c] Tacet & preces Reuben infrà exposituras: vnde manifestissimè constat, eum in suo consilio nō peccasse.

Vers. 25. Et sedentes vt comederent panem, viderunt viatores Ismaëlitas venire de Galaad.] Iuxta Hebræum habetur: *Et sederunt ad comedendum panem: & eleuauerunt oculos suos, & viderunt: & ecce comitatus Ismaëlitarum veniens de Gilhad.* Vbi nota, quòd non soli Ismahelitæ narrantur; sed comitatus Ismahelitarum. Erant enim diuersarum nationum mercatores simul incedentes: sed vniuersa societas dominabatur ab Ismahelitis: frequenter enim similia accidunt.

Et cameli eorum portantes aromata, & resinam[d],& stacten in Ægyptum.]Ne contendas de his nominibus.

[d] Resinam istam nōnulli genus balsami: Iudæi verò theriacā esse dicunt. stacten verò arboris myrrhæ guttam physicis notissimam; licèt alij pro myrrhæ flore accipiant.

Vers. 26. Dixit autem Iehuda fratribus suis: Quid nobis prodest,si occiderimus fratrem nostrum, & celauerimus sanguinem ipsius? *Vers.* 27. Melius est, vt vendatur Ismahelitis, & manus nostræ non polluantur: frater enim,& caro nostra est. Acquieuerunt fratres sermonibus eius: *Vers.* 28. & prætereuntibus Midianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna vendiderunt Ismahelitis viginti argenteis, qui duxerunt eum in Ægyptum.]Iunge,prudens lector, Midianitas cum Ismahelitis; sciens, quòd Ismahel, & Midian fuerunt fratres filij Abrahæ, alter ex Hagar, alter ex Cetura: & videbis, Mosen tanquàm synonymis vti in hac negotiatione Midianitis,& Ismahelitis. Narrat enim mercatores Midianitas, & Ioseph venditum Ismahelitis: quia reuerà etiam Midianitæ denominabantur Ismahelitæ à nomine comitatus.

Vers. 29. Reuersúsque Reuben ad cisternam, non inuenit puerum: *Vers.* 30. & scissis vestibus pergens ad fratres suos, ait. Puer non comparet: & ego, quò ibo?] Iuxta Hebræum habetur: *Et ego, quo ego vadens?* Dolentis sunt imperfectæ, ac repetitæ orationes.

Vers. 31. Tulerunt autem tunicam eius: & in sanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt, *Vers.* 32. mittentes, qui ferret ad patrem, & dicentes: Hanc inuenimus: vide, vtrùm tunica filij tui sit,an non.] De veste polymita clarè est sermo in Hebræo: sed Interpres mutilauit. Quin etiam dictio interpretata, *mittentes*, anceps est ad laniationem: & oportet, vel significari, vel subintelligi, quòd lacerauerunt vestem illam, ac si fuisset à fera lacerata: vt omni ex parte fingerent,Ioseph fuisse occisum à bestia.

Vers. 33. Quam cùm agnouisset pater, ait: Tunica filij mei est: fera pessima.] Tam hìc, quàm superiùs habetur: *Fera mala.* Carent enim superlatiuo Hebræi.

Comedit eum: bestia deuorauit Ioseph.] Iuxta Hebræum habetur: *Rapiendo fuit raptus Ioseph.* Intellige tamen accommodari vocabulum, *raptus*, ad rapinam animalium à feris.

*Vers.*34. Sciditque Iahacob vestimenta sua: & indutus est cilicio.] Iuxta Hebræum habetur: *Et posuit saccum in lumbis suis.* Signum erat luctuosi status.

Et luxit filium suum multo tempore. *Vers.* 35. Congregatis autem cunctis liberis eius, vt lenirent dolorem patris.] Iuxta Hebræum habetur: *Et surrexerunt omnes filij eius, & omnes filiæ eius ad consolandum eum.* Magnitudo luctus inuitabat, tam mares, quàm fœminas.

Et noluit consolationem recipere: & ait:

ait : Descendam ad filium meum lugens in Infernum [c].] Dictio interpretata, *Infernum*, fossam, seu sepulcrum sonare dicitur : & quadrat sensui germano : manifestatur enim, quid fuerit renuere consolationem; videlicet, velle perseuerare in luctu vsque ad tempus sepulturæ propriæ : hoc enim significatur dicendo: Descendam tristis in sepulcrum, ad filium meum, iam defunctum, eundo.

[c] Sic Numer. 16. cùm terra absorbuisset viuos Datan, Abirõ, & coniuratos suos, dicitur, viuos descendisse in Infernũ, hoc est, in sepulcrum sub terram ad mortuos.

Et illo perseuerante in fletu.] Iuxta Hebræum habetur : *Et plorauit ipsum pater eius.* Narratur executio dictorum : sicut dixerat: *Ita fecit pater eius.* ad differentiam aliorum, qui à luctu cessauerunt.

Vers. 36. Et Midianitæ vendiderunt Ioseph in Ægypto.] Hinc clarè apparet, quòd in societate Ismahelitarum negotiatores Midianitæ emerunt à fratribus Ioseph, & posteà vendiderunt in Ægypto.

Potiphari Eunucho Parhonis.] Eunuchi nomen, æquiuocum esse, patet ex eo, quòd iste habebat vxorem, quæ posteà adamauit Ioseph. Vnde autem huiusmodi æquiuocatio acciderit, nescio : perinde tamen dictum est, *Eunuchus Parhonis*, ac si dictum fuisset, minister Parhonis.

Magistro militum.] Iuxta Hebræum habetur : *Principi occisorum.* Sed in dubium vertitur, an sit sermo de occisoribus hominum, ministris iustitiæ, qui carnifices vocantur; an de occisoribus animalium ad esum, qui lanij vocantur. Consonat autem magis ministerio Parhonis, vt iste intelligatur Princeps exequentium iustitiam in criminalibus; quàm quòd intelligatur Princeps laniorum : primum enim officium regia exigit curia : alterum autem in nulla apparet curia.

CAPVT XXXVIII.

VERS. I.

EOdem tempore descendens Iehuda à fratribus suis, diuertit ad virum Hadulamiten [a], nomine Chira. *Vers.* 2. Viditque ibi filiam hominis Chananæi, vocabulo Suah.] Nomen est viri patris puellæ.

[a] Hadulam vicus erat in sorte Iudæ, in cõfinibus Dan situs, decémque milliatibus ab Eueropoli ciuitate distans, ortum versùs.

Et vxore accepta ingressus est ad eam. *Vers.* 3. Quæ concepit, & peperit filium: vocauitque nomen eius Her. *Vers.* 4. Rursum concepto fœtu, natum filium nominauit Onan. *Vers.* 5. Tertium quoque peperit, quem appellauit Selam. Quo nato, parere vltrà cessauit.] Aduerte, prudens lector, quòd iuxta Hebrçum habetur : *Et fuit in Chezib in parere ipsam eum.* Dissentiúntque Hebræi : aliis, *Chezib*, nomen proprium loci arbitrantibus, aliis interpretantibus, *deficere*, legendo : *Et fuit in deficere in parere ipsam eum.* quem defectum antiquus Interpres interpretatus est, *cessauit parere.* Quid horum verius sit, lector decernat : sciat tamen, quòd Hebraïca dictio non, *deficere*; sed *mentiri* sonat : quod à proposito alienum videtur.

Vers. 6. Dedit autem Iehuda vxorem primogenito suo Her, nomine Thamar. *Vers.* 7. Fuitque Her primogenitus Iehudæ, nequam in conspectu Domini.] Iuxta Hebræum habetur : *Malus in oculis* יהוה. Quæ fuerit istius malitia, Scriptura non dicit : factum tamen Thamar attestatur, Hebræis dicentibus, malitiam fuisse, studium ad impediendam imprægnationem vxoris, propter nimium amoris ardorem erga illam. Vnde id significantes appellant : *malus in oculis* יהוה; hoc est, fontis essendi : seminando enim, ita vt generatio non sequeretur, malè merebatur de fonte essendi.

Et ideò ab eo occisus est.] Iuxta Hebræum habetur : *Et fecit mori eum* יהוה. Vt fons essendi manifestetur quoque principium occidendi; vt non natura, sed libero arbitrio cognoscatur, & dans esse, & tollens esse.

Vers. 8. Dixit ergo Iehuda ad Onan filium: Ingredere ad vxorem fratris tui [b], & sociare illi : vt suscites semen fratri tuo.] Nisi fuisset mos, vt defuncto fratre sine liberis, leuir acciperet fratriam in vxorem, non dixisset Iudas hæc verba : sed arbitrati sunt antiqui, quòd modica læsio honoris mortui fratris, quæ interuenit in hoc, quòd vxor eius effecta vna caro cum ipso, cognoscitur à fratre, vincitur à maiori bono, imò à beneficio in ipsum : magnum siquidem beneficium censuerunt conferri mortuo sine liberis, si frater mortui vices mortui ageret, cognoscendo relictam ad suscitandum semen mortuo : & hinc patet, non incepisse tempore Mosi legem hanc, quæ à Mose scripta est Deuter. 25.

[b] Hac lege familiarũ perpetuitati, & legitimæ hæreditarũ successioni cõsulebatur, quæ primogenitũ ex fratria susceptum, velut demortuo fratri adoptatum, defuncti nomen, & hæreditatem possidere faciebat.

Vers. 9. Ille sciens non nasci sibi filios.] Hoc est, quòd si nascerentur filij, non vocarentur filij sui; sed, filij fratris sui mortui. Veruntamen scito, quòd, iuxta Hebræum, non habentur hæc verba; sed habetur: *Et sciuit Onan, quòd non sibi erit semen.* Sententia tamen eadem est : & simile quid accidit in subiunctis.

Et fuit, si introibat ad vxorem fratris sui, semen fundebat in terram : ne liberi fratris nomine nascerentur : *Vers.* 10. & idcircò percussit eum Dominus, eò quòd rem detestabilem faceret.] Iuxta Hebræum habetur : *Et fuit malum in oculis* יהוה *quod fecit : & occidit etiam ipsum.* Diuinum affert iudicium mali operis simul cum vindicta. Et iam dicta est ratio, quare iudicio fontis essendi damnatur tale opus, & punitur actor.

Vers. 11. Quamobrem dixit Iehuda Thamar, nuri suæ: Esto vidua in domo patris tui, donec crescat Sela meus.] Perpende, prudens lector, arctitudinem moris illius temporis : vt tanta fuerit vis moris suscitandi semen fratri mortuo, quòd puella vidua relicta cogeretur expectare, donec leuir suus cresceret, & ad ætatem nuptialem perueniret.

Timebat enim, ne & ipse moreretur, sicut fratres eius. Quæ abiit : & habitauit in domo patris sui. *Vers.* 12. Euolutis autem multis diebus, mortua est Sue.] Iuxta Hebræum habetur : *Mortua est filia Suah, vxor Iehudæ.* Nomen vxoris nescitur: sed filia patris Suah dicitur.

Qui post luctum, consolatione accepta, ascendebat ad tonsores ouium suarum, ipse & Hiras opilio gregis.] Iuxta Hebræum habetur : *Ipse & Chira socius eius Hadulamites in Thimnath.* Iste est illemet vir Hadulamites,

Hadulamites, ad quem in principio capituli diuertit Iudas.

Vers. 13. Nunciatúmque est Thamar, quòd socer illius ascenderet in Thimnath ad tondendas oues. *Vers.* 14. Quæ, depositis viduitatis [c] vestibus, assumpsit theristrum.] Dictio Græca est, ab æstate significans velum æstiuum, quo non vtebantur viduæ; creditúrque totius corporis velamen fuisse: nam in Hebræo habetur: *Et texit se in velamine.* Deinde, vbi subiungitur:

[c] Aduerte vestes viduitatis olim etiam in vsu fuisse.

Et mutato habitu.] In Hebræo habetur: *Et inuoluta est.* Significatur enim, quòd occultauit se, inuoluendo faciem, ne agnosceretur.

Sedit in biuio itineris, quod ducit Thamnam.[d]] Iuxta Hebræum habetur: *Et sedit in porta oculorum, quæ est super viam ad Thimnath.*

[d] Thimnat, olim ciuitas maxima in monte Ephraïm sita fuit cõtra septentrionalem plagam Iudæ. Ager ciuitatis etiã Thimnat dictus est, in quo & Saar saltus erat via ad Euteropolim, quo loco Samson leonem pressit.

Eò quòd creuisset Sela, & non accepisset eum maritum.] In dubium vertitur, an dictio, *Henaïm*, interpretata, *oculorum*, sit nomen proprium loci. Et si sic est, sententia clara est. Si autem nomen est oculorum, metaphoricus est sermo, significans, quòd sederit in loco, qui officio fungebatur portæ, respectu oculorum: quia inde erat aspectus ad diuersa loca, & erat super viam ducentem in Thimnat, quò iturus erat Iudas.

Vers. 15. Quam cùm vidisset Iehuda, suspicatus est esse meretricem: operuerat enim vultum suum, ne cognosceretur. *Vers.* 16. Ingrediénsque ad eam, ait: Dimitte me, vt coëam tecum. nesciebat enim, quòd nurus sua esset. Quæ respondit: Quid dabis mihi, vt fruaris concubitu meo? *Vers.* 17. & dixit: Mittam tibi hœdum de gregibus. Rursúmque illa dicente: Patiar, quod vis, si dederis mihi arrhabonem, donec mittas, quod polliceris. *Vers.* 18. Ait Iehuda: Quid vis tibi pro arrhabone dari? Respondit: Annulum tuum, & armillam, & baculum, quem manu tenes.] Iuxta Hebræum habetur: *Sigillum tuum, & tæniam tuam, & baculum tuum, qui in manu tua.* Et sigillum quidem erat annulus: tæniam autem credimus linteum collo gestatum, ac pendens ad extergendum sudorem.

Ad vnum igitur coïtum concepit mulier: *Vers.* 19. & surgens abiit: depositóque habitu, quem assumpserat, induta est viduitatis vestibus. *Vers.* 20. Misit autẽ Iehuda hœdũ per pastorem suum Odolamitem.] Iuxta Hebræum habetur: *In manu socij sui Hadulamitis, vt reciperet pignus, quod dederat mulieri.* Iste ille met est, qui cum eo venerat: erátque conscius, & facti, & loci.

Qui cùm non inuenisset eam, *Vers.* 21. interrogauit homines loci illius, vbi est meretrix, quæ sedebat in biuio?] Similiter hîc habetur: *In Henaïm super viam.* Quod multi interpretantur: *In oculis super viam.* Propter metaphoram dictam.

Respondentibus cunctis: Non fuit in loco isto meretrix, *Vers.* 22. reuersus est ad Iehudam: & dixit ei: Non inueni eam: sed & homines loci illius dixerunt mihi, nunquam ibi sedisse meretricem. *Vers.* 23. Ait Iehuda: Habeat sibi, certè mendacij nos arguere non poterit.] Iuxta Hebræum habetur: *Nequando erimus contempui.* Rationem reddit, quare non est vltrà quærenda restitutio pignorum, ne vilipendamur inquirendo hæc minima.

Ego misi hœdum, quem promiseram: & tu non inuenisti eam.

Vers. 24. Ecce autem post tres menses.] Iuxta Hebræum (si dicere licet) habetur: *Et fuit, sicut tertiando menses.* Quod potiùs sonat incertum tempus; simile tertiæ parti mensium à conceptione vsque ad partum.

Nunciauerunt Iehudæ, dicentes: Fornicata est Thamar, nurus tua: & videtur vterus eius intumescere. Dixitque Iehuda: Producite eam, vt comburatur[e]]. Sæua valdè sententia insinuat, Iudam fuisse Principem loci illius.

Vers. 25. Quæ cùm duceretur ad pœnam] Ecce altera sæuitia, cùm mulier grauida, cum prole simul, occideretur; imò comburеretur.

Misit ad socerum suum, dicens: De viro, cuius hæc sunt, concepi: cognosce nunc, cuius sit annulus, armilla, & baculus[e].] Eædem dictiones sunt, quæ suprà.

Vers. 26. Et agnouit Iehuda: & dixit: Iustior me est: quia non tradidi eam Selæ, filio meo.] Collata causa Thamar cum iniuria, quam ei fecerat, negando ei maritum, absoluit eam. Et hinc apparet, quòd Iudas Princeps erat, pro arbitrio damnans, & absoluens. Nec dicendo: *Iustior me est.* vtrunque iustum præsupponit: sed cùm vterque iniustè egerit, minùs iniustam iud cauit nurum, quàm seipsum: quia ipse causam dederat nurui non luxuriandi; sed quærendi semen ex ipso, non ab extraneo.

[e] Mirũ videtur, quòd Iudas, Thamar propter fornicationem morti adiudicauerit, cùm hoc capite legamus, meretricia illo tempore permissa: de incestu verò conuictam absoluerit. Dicerẽ igitur, illius temporis leges mulierem ad secundum fratrem accipiendum coëgisse, etiam sub mortis pœna, quod & Litera indicat dicens, Thamar compulsam fuisse ad seruandam viduitatem. Sed, quòd postmodũ recognita, absoluta sit, ea ratione factum credamus, qua Chrysostomus eam à peccato excusat; nempe, quòd nurus Iudæ nõ erat à filiis, nempe, Iudæ, incognita.

Attamen vltrà non cognouit eam.] Hinc apparet antiquorum iustitia circa nuptias cum affinibus: socero enim illicitum erat desponsare illam, quam leuir tenebatur in vxorem ducere.

Vers. 27. Instante autem partu, apparuerunt gemini in vtero eius: atque in ipsa effusione infantum, vnus protulit manum: in qua obstetrix ligauit coccinum, dicens: *Vers.* 28. Iste egredietur prior. *Vers.* 29. Illo verò retrahente manum, egressus est alter: dixitque mulier: Quare diuisa est propter te maceria[f]?] Iuxta Hebræum habetur: *Cur diuisisti? Super te diuisio.* Scito hîc duo. Alterum est, quòd eadem omninò vox est, quæ est nomen proprium, *Pares*; & quæ interpretata est, *diuisio*: & ab huiusmodi nomine deriuatur verbum interpretatum, *diuisisti.* Et quia imposita sunt hæc à sepibus, quibus muniuntur vineæ, tanquàm muris; ideò varia vocabula miscentur, vel maceriæ, vel sepis, vel apertionis, vel disiectionis. Alterum est, quòd, quia nomina sunt indeclinabilia, legi potest dupliciter: vel, cur diuisisti super te diuisionem? vel distinguendo in duas orationes, altera, *Cur diuisisti?* altera, *super te diuisio.* Et si vna quidem est oratio, sensus est: Cur diuisisti super te (hoc est, tuo periculo) diuisionem, scissum? Tegmen naturale appellat diuisionem. Si verò duæ orationes sunt, clarior est sensus: nam prima significatur

[f] Esse diuisam maceriam, siue rũpere rupturam, & aperire secundinã, schema est, quo Hebræi vtuntur, pro, primogenitum esse. Quasi diceret gratulando: Tu rupisti claustra: tu aperuisti portam prior.

gnificatur impetus infantis egredientis, tanquàm scindendo sepem: secunda autem significatur, quòd huiusmodi impetuosa scissio retorquebitur super ipsum infantem, si erit nociua.

Et ob hanc causam vocauit nomen eius Pares. *Vers.* 30. Posteà egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum, quem appellauit Zarach[g].]

[g] Perpende, quantùm primogenitura olim magni fieret.

CAPVT XXXIX.

VERS. 1.

Egitur Ioseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Potiphar Eunuchus [a] Pharaonis.] Iam diximus, quid significat Eunuchus hoc in loco.

[a] Eugubinus putat, eũ verũ Eunuchum fuisse, licèt vxorem habuerit: nã, vt ex Philostrato refert, Eunuchi, quamuis execti essent virilibus, non propterea amore fœminarum non capiebantur, eisque, vt poterant, abutebantur.

Princeps exercitus.] Iuxta Hebræum habetur: *Princeps occisorum.* & superiùs declarauimus.

Vir Ægyptius de manu Ismahelitarum, à quibus perductus erat illuc.] Vniuersa societas illorum negotiatorum denominabatur ab Ismahel, vt dictum est. Verè tamen Madianitæ erant venditores Ioseph: sicut vsque hodie vniuersi Christiani appellantur Franci à Syris, eò quòd exercitus Francorum Christianorum inuaserit olim Syriam, & subegerit eam.

Vers. 2. Fuítque Dominus cum Ioseph.] Nomen est tetragrammaton, fons omnium gratiarum.

Et erat vir in cunctis prosperè agens. Habitabátque in domo domini sui: *Vers.* 3 qui optimè nouerat Dominum esse cum eo.] Nomen quoque tetragrammaton est eadem ratione.

Et omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius.] Iuxta Hebræum habetur: *In omni, quod ipse faciens, Iehouah faciens prosperari in manu eius.* Videbat dominus Ioseph, Deum, fontem omnium bonorum, & esse cum Ioseph quoad dotes animi; & adesse operibus Ioseph prosperando vniuersa, quæ faciebat.

Vers. 4. Inuenítque Ioseph gratiam coram domino suo, & ministrabat ei: à quo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum, & vniuersa, quæ tradita ei erant. *Vers.* 5. Benedixítque Dominus domui Ægyptij, propter Ioseph.] Nomen est tetragrammaton, congruum benedictioni, quæ multiplicationem bonorum vehit.

Et multiplicauit, tam in ædibus, quàm in agris, cunctam eius substantiam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit benedictio Iehouah in omni, quod fuit ei in domo & in campo.* Explicatur, tam qualitas, quàm quantitas benedictionis procedentis à fonte essendi.

Vers. 6. Nec quicquam aliud nouerat, nisi panem, quo vescebatur. Erat autem Ioseph pulcher facie, & decorus aspectu.] Iuxta Hebræum habetur: *Pulcher forma, & pulcher aspectu.* Tum figuræ, tum coloris pulchritudinem habebat.

Vers. 7. Post multos itaque dies iniecit domina oculos suos in Ioseph: & ait: Dormi mecum. *Vers.* 8. Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua: *Vers.* 9. nec quicquam est, quod non in mea sit potestate] Iuxta Hebræum habetur: *Non maior in domo hac me.* Ad personas, non ad res refertur.

Et non prohibuit à me quidquam præter te, quæ vxor eius es. Quomodo ergo faciam malum hoc, & peccabo in Dominum meum [b]?] Iuxta Hebræum habetur: *Et peccabo Elohim.* Et est datiui casus, *Elohim:* postquam enim commemorauit beneficia sibi collata ab hero suo; & reuocauit ad memoriam mulieris, quòd ipsa vxor esset tanti benefactoris; & intulerat horrendo: Quomodo faciam istud grande malum, tot deformitatibus plenum? adiunxit, quòd non solùm in hominem, (in herum, in benefactorem;) sed etiam in Deum supremum Iudicem peccabit: vt omni ex parte retraheret mulierem ab huiusmodi concupiscentia.

[b] In lege naturæ peccatum cognoscebatur Dei esse offensiuum.

Vers. 10. Huiusmodi verbis per singulos dies loquebatur, & molesta erat mulier adolescenti: & ille recusabat stuprum. *Vers.* 11. Accidit autem quadam die, vt intraret Ioseph domum, & operis quippiam absque arbitris faceret: *Vers.* 12. & illa apprehensa lacinia vestimenti eius diceret: Dormi mecum. Qui relicto in manu illius pallio, fugit, & egressus est foras. *Vers.* 13. Cúmque vidisset mulier vestem in manibus suis, & se esse contemptam.] Non habetur hæc clausula in Hebræo; sed loco eius habetur: *Et quòd fugit, & egressus est foras.* Narratur, quòd cùm vidisset mulier, tum vestem in manibus suis, tum illum fugisse foras; hoc est, extra aulam illam.

Vers. 14. Vocauit homines domus suæ: & ait ad eos: En introduxit virum Hebræum, vt illuderet nobis. Ingressus est ad me, vt coïret mecum. Cúmque ego succlamassem, *Vers.* 15. & audiisset vocem meam, reliquit pallium, quod tenebam.] Iuxta Hebræum habetur, *penes me.* Non fatetur mulier in manibus pallium, ne contra seipsam indicium proferret: sed dicit, quòd penes se reliquit Ioseph vestimentum suum. Et similiter corrige textum inferiùs, vbi iterum dicitur, *quod tenebam.*

Et fugit foras. *Vers.* 16. In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito reuertenti domum, *Vers.* 17. & ait: Ingressus est ad me seruus Hebræus, quem adduxisti, vt illuderet mihi: *Vers.* 18. Cúmque vidisset me clamare, reliquit pallium, & fugit foras. *Vers.* 19. His auditis dominus, & nimiùm credulus verbis coniugis.] Non habetur hæc clausula in Hebræo; sed longùs sermo: *Et fuit, cùm audisset dominus eius, verba vxoris suæ, quæ locuta est ad eum, dicendo: Sicut verba ista fecit mihi seruus tuus.* Et est sensus: Sicut verba ista significant, ita fecit mihi seruus tuus. quasi retorquendo factum in maritum nimis confidentem in Ioseph: propterea enim dicit, *seruus tuus*; seruus à te dilectus, seruus tibi charus.

Iratus est valdè.] Iuxta Hebræum habetur: *Et*

Et iratus est furor eius. ad significandum commotionem animi tantam, vt furor vindictam exerceuerit.

Vers. 20. Et tradidit Ioseph in carcerem, vbi vincti Regis custodiebantur:& erat ibi clausus. *Vers.* 21. Fuit autem Dominus cum Ioseph.] Nomen est tetragrammaton, ad significandum, quòd fons omnium bonorum non dereliquit Ioseph in hac afflictione, (quæ, secundùm rei veritatem, erat diuinitùs ordinata ad exaltationem Ioseph;) sed, quòd durante ipsa afflictione consolatus est eum.

Et misertus est illius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et inclinauit ad eum gratiam.* Ad humiliatū Ioseph deflexit Deus diuinam gratiam.

Et dedit ei gratiam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dedit gratiam suam in conspectu Principis carceris.* Æquiuocè sumitur gratia vtrobique: nam priùs gratiæ nomine intelligitur voluntas gratuita, seu donum gratuitum: modò autem sumitur gratia passiuè, qua ille denominatur gratiosus apud aliquem, qui acceptus est illi, cui libenter conferuntur beneficia. Sic enim verificatur, quòd Deus dedit gratiam suam (id est, gratiam propriam) Ioseph in oculis Principis carceris: perinde ac si Latinè dictum fuisset: Et reddidit eum gratiosum apud Principem domus carceris.

Vers. 22. Qui tradidit in manu ipsius vniuersos vinctos, qui in custodia tenebantur:& quicquid fiebat, sub ipso erat: *Vers.* 23. nec nouerat Princeps carceris quicquam, cunctis Ioseph creditis: Dominus enim erat cum illo.] Nomen est tetragrammaton.

Et omnia opera eius dirigebat.] Iuxta Hebræum habetur: *Et quod ipse faciens,* יהוה *prosperans.* Eadem repetit de Ioseph in carcere, quæ dicta sunt de eo in domo heri sui: repetuntur ambo; tum, quòd fons omnium bonorum erat cum Ioseph in internis animi bonis; tum, quòd idem omnium bonorum fons prosperitatem largiebatur omnibus, quæ faciebat Ioseph.

CAPVT XL.

VERS. 1.

His itaque gestis, accidit, vt peccarent duo Eunuchi[a].] Transposuit Interpretes hæc duo vltima verba, quæ non hîc; sed inferiùs habentur. Superfluit igitur hîc, *duo Eunuchi.*

[a] Sunt, qui dicāt, Eunuchos propriè significasse lectorum custodes, & cubicularios, non spadones; quando Reges barbari hisce molliculis illud munus iniungere soliti fuerint: vnde & spadones Eunuchi dici cœpère.

Pincerna Regis Ægypti, & pistor domino suo.] Desunt duæ dictiones: *Regi Ægypti.* Appositiuè legendum est. Alter nominatus est pincerna Regis Ægypti: quia officium eius immediatè iungebatur Regi. Alter nominatur pistor domino suo Regi Ægypti: quia officij eius exercitatio non contingebat Regem absque medio: ipsius enim non erat porrigere panem Regi; sed operam dare, vt fieret panis pro Rege: & propterea tanquàm remotior minister describitur.

Vers. 2. Iratúsque est Pharao contra eos: nam alter pincernis præerat, alter pistoribus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et iratus est Pharao super duos Eunuchos suos; super Principem pincernarum; & super Principem pistorum.* Ecce, vnde transposuit Interpres antiquus Eunuchos: intelligo autē, non Eunuchos secundùm rem, sed secundùm nomen officij. Suspicor siquidē, domesticos ministros regios nominari Eunuchos, ea fortè ratione, quòd prioribus temporibus fuerant verè Eunuchi, & inde nomē tantùm relictum fuisse. Nec est fas credere, Principes istos pro aliorū peccatis punitos: sed quos priùs dixerat Moses pincernā, & pistorē; eosdem appellat Eunuchos; alterū Principem pincernarum; alterum principē pistorū.

Vers. 3. Et misit eos in carcerem Principis militum[b], in quo erat vinctus & Ioseph.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dedit eos in custodia domus Principis occisorum ad domum carceris; locum, quo Ioseph vinctus ibi.* Dicendo, *in custodia*, aperit carcerē custodiæ potiùs, quā afflictionis significari. Dicendo, *Principis occisorū*, (nisi multi fuerint Principes occisorū) significatur Putiphar, qui erat herus Ioseph: ita quòd sub ipsius officio constitutus erat carcer ille regius. Nec intelligo vinctum Ioseph, hoc est, vinculis ligatum ferreis, aut alterius materiæ; sed vinculis duntaxat carceris: iam enim dictum est, quòd Ioseph commissa erat cura aliorum detentorum in carcere.

[b] Nō mireris, lictorē, Principem militum nominari: nam olim optimis, & honestis viris gladij executio dabatur; legimúsque Salomonem hoc officium filio Ioiadæ, Banaiæ, viro honestissimo mandasse; & Saülem suo Doëch inter seruos Regis primo. Dauid item suis viris mandauit, vt occisorem Saülis occiderent. Traduntque etiam Historiæ, Romanos olim simile officium magnis, ac honoratis viris cōmendasse, nō minùs, ac ipsum Iudicis officium.

Vers. 4. At custos carceris tradidit eos Ioseph; qui & ministrabat eis.] Iuxta Hebræū habetur: *Et ordinauit Princeps occisorum Ioseph cum eis, & seruiuit ipsis.* Superiùs in calce præcedēris capituli dictū est, Ioseph gratiosum fuisse apud Principem carceris, nullaque fuit dubitandi occasio: verùm nunc legendo, quòd Princeps occisorum disposuit, vt Ioseph seruiret istis Principibus, surgit quæstio, an ipsemet herus Ioseph ordinauerit hoc; an ille, qui appellatus est Princeps carceris. Solutio est, quòd tam diuersitas officiorum, (ille enim Princeps carceris, iste Princeps occidentium,) quàm diuersitas gestorum, (illi enim gratiosus fuit Ioseph; hic autem detinebat eum in carcere,) manifestat, diuersos fuisse viros, hunc, & illum: & quòd iste herus Ioseph de Regis mandato custodiendos in carcere suscipiens Principes istos, recordatus industriæ Ioseph, ordinauerit, vt Ioseph seruiret istis ad hoc, vt benè tractarentur illi in carcere. Non consulebatur itaque per hoc Ioseph, sed Principibus illis.

Aliquantulùm temporis fluxerat: & illi in custodia tenebantur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuerunt diebus in custodia.* Incertus numerus dierum scribitur.

Vers. 5. Viderúntque ambo somnium nocte vna, iuxta interpretationem congruam sibi: *Vers.* 6. ad quos cùm introisset Ioseph manè, & vidisset eos tristes, *Vers.* 7. sciscitatus est.] Summauit Interpres sermonem extensum: *Et somniauerunt somnium ambo ipsi, quisque somnium suum in nocte vna, quisque iuxta interpretationem somnij sui: pincerna, & pistor, qui Regi Ægypti, qui vincti in domo carceris. Et venit ad eos Ioseph in mane, & vidit ipsos: & ecce ipsi tristes: & interrogauit Eunuchos Pharaonis, qui erant cum eo in custodia domus domini sui, dicendo.* Hæc idcircò retuli: quia in vltimis verbis clarè dicitur, quòd domus illa carceris erat domus heri Ioseph. Et hinc habetur, quòd herus Ioseph erat Princeps, non laniorum, sed ministrorum iustitiæ in criminalibus. Huiusmodi enim officio quadrat domus carceris.

Cur tristior solitò est hodie facies vestra? *Vers.* 8. Qui responderunt: Somnium [c] vidimus: & non est, qui interpretetur nobis. Dixitque ad eos Ioseph: Nunquid non Dei est interpretatio?] Diuino dono attribuit interpretationem, nominando Deum אלהים: ad insinuandum, quòd Deus iustus distributor donorum internorum largitur gratiam interpretandi non minùs iis, qui in carcere, aut aliis afflictionibus detinentur, quàm exemptis ab afflictionibus, & liberis: vt sic intelligerent, in ipso esse huiusmodi diuinum donum.

[c] Genera duo insomniorum olim antiquitas obseruauit, teste Macrobio quædā vulgaria, nihilque venturum diuināia, nisi per accidens, vt dicit Aristoteles hæc cura oppressi animi, vel corporis, aut fortunæ obueniunt, quēadmodū si metuens quis sibi vel insidias, vel personam, imaginum cognitione illa, aut effugisse, aut incurrisse videatur. Sed hæc olim augures interpretatione indigna iudicauerunt. Alia verò posuerunt, quæ verè vētura prædicerent, nempe, à Diis immissa, quorū hic meminit Scriptura, & alibi, vt insomniorum Nabuchodonosoris, Pharaonis, & illorum duorum militum, qui in castris Madian erant tempore Gedeonis, quorum somniorum interpretationem solius Dei esse dixit Daniel, & hoc loco Ioseph.

Referte mihi quid videritis. *Vers.* 9. Narrauit prior, præpositus pincernarum, somnium suum. Videbam coram me vitem, *Vers.* 10. in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores vuas maturescere; *Vers.* 11. calicémque Parhonis in manu mea: tuli ergo vuas, & expressi in calicem, quem tenebam: & tradidi poculum Parhoni. *Vers.* 12. Respondit Ioseph: Hæc est interpretatio somnij: Tres propagines, tres adhuc dies sunt, *Vers.* 13. post quos recordabitur Parho ministerij tui: & restituet te in gradum pristinum: dabísque ei calicem iuxta officium tuum, sicut facere antè consueueras. *Vers.* 14. Tantùm memento mei, quum benè tibi fuerit: facias mecum misericordiam, & suggeras Parhoni, vt educat me de isto carcere: *Vers.* 15. quia furto sublatus sum de terra Hebręorum, & hîc innocens in lacum missus sum. *Vers.* 16. Videns pistorum Magister, quòd prudenter somnium dissoluisset, ait: Et ego vidi somnium, quòd haberem tria canistra farinę.] Iuxta Hebræum habetur: *Canistra alba super caput meum.* Sed albedo à quibusdam refertur ad vimina, ex quibus contexta erant canistra: à nonnullis verò (de quorum numero fuit Interpres antiquus) refertur ad rem contentam.

Vers. 17. Et in vno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, auesque comedere ex eo. *Vers.* 18. Respondit Ioseph: Hęc est interpretatio somnij. Tria canistra, tres adhuc dies sunt, *Vers.* 19. post quos auferet Parho caput tuum: ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas. *Vers.* 20. Et fuit in die tertio, dies natalitius Parhonis [d], & fecit conuiuium omnibus pueris suis, & recordatus est inter epulas Magistri pincernarum, & pistorum Principis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et leuauit supputationem Principis pincernarū & supputationem Principis pistorum in medio seruorum suorum.* In die natali Parhonis recensita insinuatur familia Parhonis, fortè dando singulis aliquid: & inter recensendum oportuit supputari pincernas cum suo Principe, & pistores cum suo Principe: & hæ supputationes hic narrantur.

[d] Cùm Paulus nos omnes filios iræ nasci dicat, ob eámque rem Iob, & Ieremias diem natiuitatis maledixerint; Hieronymus meritò Pharaonem taxat, quòd diē natiuitatis celebrauerit, de eóque solo, & Herode illud legi asserit.

Vers. 21. Restituítque alterum in locum suum, vt porrigeret Regi poculum: *Vers.* 22. alterum suspendit in patibulo, vt coniectoris veritas probaretur.] Iuxta Hebræum habetur: Sicut interpretatus est eis Ioseph.

Vers. 23. Et tamen succedentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est Interpretis sui.]

CAPVT XLI.

Vers. 1. Post duos annos vidit Parho somnium. Putabat se stare super fluuium, *Vers.* 2. de quo ascendebant septem boues pulchræ, & crassæ nimis.] Iuxta Hebræum habetur: *Pulchræ visu, & pingues carne.* Vt oppositas conditiones clariùs intelligas, expedit istas in sua claritate legere.

Et pascebantur in locis palustribus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et pascebantur in prato.* Tertia describitur conditio primarū boū. *Vers.* 3. Aliæ quoque septem emergebant.] Deficit, *post eas de flumine.* Ne simul ascendisse cum pinguibus intelligerentur.

Fœdę, confectęque macie.] Iuxta Hebræū habetur: *Malæ visu, & tenues carne.* Contrariæ conditiones referuntur.

Et pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et steterunt iuxta vaccas, super oram fluminis.* Intelligendo tamen in vniuerso hoc somnio, nomine fluminis, riuum fluminis. Priores pascebantur in pratis; istæ autem manent in arena, quæ est in ripa fluminis. Quòd autem dicitur, *steterunt iuxta vaccas,* significat, quòd iuxta pingues vaccas steterunt. Verùm suboritur quæstio, quonam pacto verificatur, quòd pingues in prato; tenues autē in ripa essēt: & tamē iungerētur. Solutio facilis est, quòd extrema piatorū contermina erant ripæ fluminis: ac per hoc in confinio propinquæ tenues, & pingues.

Vers. 4. Deuorauerúntque eas, quarum mira species, & habitudo corporū erat.] Interpres gaudet copia circunlocutionis: in Hebræo enim eædem dictiones repetuntur.

Expergefactus Parho, *Vers.* 5. rursum obdormiuit: & vidit alterum somnium. Septem spicę pullulabant in culmo vno plenæ, atque formosę: *Vers.* 6. alię quoque totidem spicę tenues, & percussæ vredine, oriebantur.] Deficit, *post eas.* Ordo enim significatur.

Vers. 7. Deuorantes omnem priorum pulchritudinem.] Iuxta Hebræum clariùs habetur: *Et deglutiuerunt spicæ tenues, septem spicas pingues, & plenas.* Vbi clarè narratur visio.

Et experrectus est Parho, post quietem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ecce somnium.* Significatur enim, quòd cùm euigilasset Parho, occurrit sibi somnium, quod dormiens viderat.

Vers. 8. Et facto mane, pauore perterritus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit in mane, & fuit fractus spiritus eius.* A similitudine fracti describitur Parhonis animus secundùm supremum officium; contemplandi, scilicet, spiritualia, qualia existimabant huiusmodi somnia, à spiritualibus causis proficiscentia. Erat enim velut scissus in varias cogitationes, diuersasque animi perturbationes.

Et

Et vocauit omnes coniectores *.] Iuxta Hebræum habetur: *Omnes Magos Ægypti.* Si tamen Magorum nomine intelligas diuinatores mediis incantationibus.

Cunctósque sapientes eius. Et accersitis narrauit somnium: nec erat, qui interpretaretur. *Vers.* 9. Tunc demum reminiscens pincernarum Magister.] Iuxta Hebræum habetur: *Pincernarum Princeps.* Dictio solita est.

Ait: Confiteor peccatum meum.] Iuxta Hebræum habetur: *Peccata mea ego recordans hodie.* Et dicit, *peccata*, in numero plurali: quia commemorabat, tum peccatum olim commissum in Parhonem; tum peccatum ingratitudinis in Ioseph. *Vers.* 10. Iratus Rex seruis suis, me, & Magistrum pistorum retrudi iussit in carcerem Principis militum.] Eadem dictio est, quæ interpretata est, *occisorum.* Et similiter legendo, *Magistrum pistorum*, solitam scito haberi dictionem; videlicet, *Principem pistorum.* Et ne eadem repetantur, eodem modo corrige hæc nomina toties repetita.

Vers. 11. Vbi vna nocte vterque vidimus somnium, præsagium futurorum. *Vers.* 12. Erat autem ibi puer Hebræus, eiusdem ducis militum famulus.] Habes hinc, prudens lector, hominem ætatis vigintiocto annorum appellari puerum: quòd enim, *puer*, sit nomen ætatis hoc in loco, perspicuum est, eò quòd subiungitur, *seruus Principis occisorum*: vbi nos habemus, *eiusdem ducis militum famulus.*

Cui narrantes somnia, *Vers.* 13. audiuimus, quicquid posteà rei probauit euentus: ego enim redditus sum officio meo: & ille suspensus est in cruce. *Vers.* 14. Protinus ad Regis imperium, eductum de carcere Ioseph totonderunt: ac veste mutata obtulerunt ei. *Vers.* 15. Cui ille ait: Vidi somnia, nec est, qui edisserat: quæ audiui te prudentissimè coniicere. *Vers.* 16. Respondit Ioseph: Absque me Deus respondebit prospera Parhoni.] Iuxta Hebræum habetur: *Præter me* אלהים *respondebit pacem Parhonis.* Hoc est, præter mea merita respondebit Deus, iustus distributor omnium, ea, quæ sunt pacis (hoc est, bona) Parhonis. Consueuerant pacis nomine bona omnia comprehendere: vt testantur superiùs scripta. Deo itaque interpretandi gratiam tribuit, & nulla sua merita agnouit Ioseph.

Vers. 17. Narrauit ergo Parho, quod viderat. Putabam me stare super ripam fluminis: *Vers.* 18. & septem boues de amne conscendere pulchras nimis, & obesis carnibus: quæ in pastu paludis virecta carpebant.] Iuxta Hebræum habetur: *Pingues carne, & pulchras forma, & pascebantur in prato.* Corrigenda siquidem sunt hæc, sicut superiùs: verùm, quia sensus non variatur in huiusmodi repetitione somniorum, pertranseo.

Vers. 19. Et ecce has sequebantur septē aliæ boues, in tantum deformes & macilentæ, vt nunquam tales in terra Ægypti viderim. *Vers.* 20. Quæ deuoratis, & consumptis prioribus, *Vers.* 21: nullum saturitatis dedere indicium: sed simili macie & squalore torpebant. Euigilans, rursum sopore depressus, *Vers.* 22. vidi somnium. Septem spicæ pullulabant in culmo vno, plenæ, atque pulcherrimæ: *Vers.* 23. aliæ quoque septem tenues, & percussæ vredine oriebantur è stipula, *Vers.* 24. quæ priorum pulchritudinem deuorarunt. Narraui coniectoribus somnium: & nemo, est, qui edisserat. *Vers.* 25. Respondit Ioseph: Somnium Regis vnum est: quæ facturus est Deus ostendit Parhoni.] Nomen est אלהים, congruum distributioni vbertatis, & penuriæ, simúlque prouidentiæ exercendæ per Ioseph.

Vers. 26. Septem boues pulchræ, & septem spicę plenæ, septem vbertatis anni sunt, eandemque vim somnij comprehendunt. *Vers.* 27. Septem quoque boues tenues, atque macilentæ, quę ascenderunt post eas, & septem spicę tenues, & vento vrente percussę, septem anni sunt venturę famis: *Vers.* 28. qui hoc ordine complebuntur.] Non est hæc clausula in Hebræo: sed loco eius habetur: *Hoc verbum, quod locutus fui ad Parhonem: quod* אלהים *faciens, videre fecit Parhonem.* Dixerat enim, quòd Deus ostenderat Parhoni rem, quam erat ipse Deus faciens: nam tam propinqua erat efficientia, vt meritò diceretur præsens.

Vers. 29. Ecce septem anni venient fertilitatis magnæ in vniuersa terra Ægypti: *Vers.* 30. quos sequentur septem anni alij tantę sterilitatis, vt obliuioni tradatur cuncta retrò abundantia: consumptura est enim fames omnem terram: *Vers.* 31. & vbertatis magnitudinem perditura est inopię magnitudo. *Vers.* 32. Quòd autem vidisti secundò ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est: eò quòd fiat sermo Dei.] Iuxta Hebræum habetur: *Quoniam parata est res de cum* אלהים. Effectus absque impedimento futurus significatur ex præparatione rei in causis, quæ se tenent ex parte Dei. Et dixit hoc, ad differentiam paratæ rei in causis secundis: nam, cum huiusmodi præparatione stat, quòd effectus impediatur: sed quum res præparata est, vt proficiscatur ex illis, quæ cum Deo sunt, impediri non potest.

Et velociùs impleatur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et festinans* אלהים *ad faciendā ipsam.* Non solùm firmitatis; sed etiā celeritatis indicium, secundò somniasse; idem interpretatur. Ratio autem nominis אלהים, iam dicta est: quia ad ipsum spectat distributio, ac per hoc distributionum tempora, conditiones, &c.

Vers. 33. Nunc ergo prouideat Rex virum sapientem, & industrium; & præficiat eum terræ Ægypti: *Vers.* 34. qui constituat præpositos per singulas regiones, & quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis, *Vers.* 35. qui iam nunc futuri sunt congreget in horrea: & omne frumentum sub Parhonis potestate condatur: seruetúrque in vrbibus, *Vers.* 36. & paretur futuræ septem annorum fami, quæ pressura est Ægyptum, & non consumetur terra inopia. *Vers.* 37. Placuit Parhoni

* Refert Augustinus lib. de diuinatione, Dæmones olim humanum genus demētasse, futura prædicēdo, ea, nēpe, quæ Deo permittente facturi erant, aut in Prophetarum libris legerāt, vel quæ mentis acrimonia, diuturnaque experientia ex aliis ventura inferebant; nonnunquam etiam insomnia interpretātes, quæ ipsi hominū mentibus immittebant: nam *falsa in mundum mittunt insomnia Manes* (ait Maro.) Hinc hariolandi professio, & insomniorum superstitio initium traxit, quæ maximè olim in Chaldæa viguit, vt testatur Historia Danielis: post eos Ægyptij in hariolādi superstitione omnes nationes præcelluère, à suo Saturno Ægyptio edocti: nam hic Zoroastes, seu Cham. filius Noe fuit, quem primum Magum, ac veneficum extitisse, Historiæ tradunt.

consilium, & cunctis ministris eius. *Vers.* 38. Locutúsque est ad eos: Num inuenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit?] Nomen est אלהים. Diuinum in Ioseph spiritum admiratus Parho, singularem iudicauit, tum ex singulari interpretatione, tum ex adinuento statim consilio. Nominauitque Deum אלהים, eò quòd nomen hoc diuinum commune erat cultoribus Dei vnius, & cultoribus Deorum. Eadem ratione nominauit Deum אלהים subiungendo: *Quia ostendit tibi Deus omnia hæc.*

Vers. 39. Dixit ergo ad Ioseph: Quia ostendit tibi Deus omnia, quæ locutus es, nunquid sapientiorem, & similem tui inuenire potero?] Iuxta Hebræum habetur assertiuè: *Non intelligens, & sapiens, sicut tu.* Planus est sensus, ex quo Deus fecit scire te omne hoc, perspicuum est, quòd non est intelligens, & sapiens, sicut tu: & ideò tu eris super domum meam, &c. Refertur autem intelligentia ad acumen intellectus penetrando abscondita: sapientia verò ad consilium, & prudentiam prouidendi.

Vers. 40. Tu eris super domum meam: & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantùm regni solio te præcedam. *Vers.* 41. Dixitque rursus Parho ad Ioseph: Ecce constitui te super vniuersam terram Ægypti. *Vers.* 42. Et tulit Parho annulum [b] de manu sua: & dedit in manu eius; vestiuítque eum stola bissina.] Mos illius temporis, ac patriæ insinuatur, quòd linea vestis Principū erat.

[b] Dicunt nōnulli, hūc annulum regium sigillum fuisse, quo literæ regiæ signabātur, sicut 3. Reg. 21. scribitur Iezabel Regis annulo literas sigillasse.

Et collo torquem auream circumposuit: *Vers.* 43. fecitque ascendere eum super currum suum secundum, clamante præcone.] Iuxta Hebræum habetur: *Et clamauerunt ante ipsum.* Sed parui refert: quandoquidem ministri regij præcedebant clamantes.

Vt omnes coram eo genu flecterēt [c].] Iuxta Hebræum vnica habetur dictio, *Abrech.* Hanc dictionem clamabant: quam quidam interpretantur, *inclina*; alij, *genuflectam*; alij, *pater tener*; alij, *sis genuflexus.* Et hæc interpretatio dicitur magis quadrare Hebræo.

[c] Similes triumphos exhibebant olim Persæ his, quos honorare volebāt vt legimus in lib. Esther. 6. cap.

Et præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dare ipsum super omnem terram Ægypti.* Duo clamabant: alterū, *Abrech*: alterum, *& Parhonem dare Ioseph super omnem terrā Ægypti.* vt omnes nouum Ægypto præpositum à Rege nossent: oportebat enim hoc publicari.

Vers. 44. Dixit quoque Rex ad Ioseph: Ego sum Parho.] Mos loquendi, authoritatem simul, & firmitatem præstans dicendis est.

Absque tuo imperio non mouebit quisquam manum, aut pedem, in omni terra Ægypti. *Vers.* 45. Vertitque nomen eius: & vocauit eum lingua Ægyptiaca.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vocauit Parho nomen Ioseph.* Reliqua addidit Interpres, ad manifestandum, quòd subiunctum nomen non est Hebraicum, sed Ægyptiacum: magna est enim quæstio de nomine hoc.

Saluatorem mundi.] Nescio, quid credendum de nomine hoc sit: Septuaginta nanque, absque interpretatione, duas has dictiones Græcis dederunt: Iosephus interpretatur, *inuētorem absconditorū.* Hebræi nonnulli dubitant, an Ægyptiæ, an Chaldaïcæ sint voces istæ. Hieronymo attribuitur, quòd Ægyptiacas censuerit, & didicerit significare *Saluatorem mundi*: Hebræi moderni Hebraïcè has dictiones interpretantur, *absconditorum reuelator*; & adhuc sub iudice lis est.

Dedítque illi vxorem Asenath, filiam Potiperah Sacerdotis Eliopoleos.] Iuxta Hebræum habetur: *Sacerdotis On.* Iosephus tamen *Eliopoleos* dicit.

Egressus itaque est Ioseph ad terram Ægypti. *Vers.* 46. Triginta autem annorum erat, quando stetit in conspectu Regis Parhonis.] Hinc apparet, quòd tredecim annis seruus fuit Ioseph.

Et circuniuit omnes regiones Ægypti. *Vers.* 47. Venitque fertilitas septem annorum: & in manipulos redactę segetes congregatæ sunt in horrea Ægypti. *Vers.* 48. Omnis etiam frugum abundantia in singulis vrbibus condita est. *Vers.* 49. Tantáque fuit multitudo tritici, vt arenæ maris coæquaretur, & copia mensuram excederet. *Vers.* 50. Natíque sunt Ioseph filij duo, antequàm veniret fames, quos ei peperit Asenath, filia Potiperah, Sacerdotis Eliopoleos. *Vers.* 51. Vocauítque nomen primogeniti Menasse, dicens.] Superfluum duxi extensos sermones, quos antiquus Interpres summauit, afferre: vbi tamen reperitur, *Eliopoleos*, corrige vt suprà.

Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domum patris mei [d].] Vox interpretata, *Deus*, est nomen אלהים, congruam iustitiæ pro laboribus seruitutis, & afflictionis illatæ à paterna domo.

[d] Parentum, & patriæ desiderium naturæ instinctu in filios deriuatur.

Vers. 52. Nomen quoque secundi appellauit Ephraïm, dicens: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.] Eadem ratione iterum Deus nominatur אלהים: retributio siquidem diuina ad iustum spectans Iudicem agnoscitur.

Vers. 53. Igitur transactis septem annis vbertatis, qui fuerant in Ægypto, *Vers.* 54. cœperunt venire septem anni inopiæ, quos prædixerat Ioseph: & in vniuerso orbe fames inualuit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit fames in omnibus terris.* Quod ideò dixerim, ne fiat vis in verbo, *vniuersi orbis*: quoniam dicendo; *in omnibus terris*, non oportet comprehendi vniuersum orbem, sed omnes terras prouinciarum communicantium negotiando cum Ægypto.

In cuncta autem terra Ægypti fames erat.] Corruptus est Textus: legendum est: *Et in omni terra Ægypti fuit panis.* Deinde subiungendum est:

Vers. 55. Et esuriuit omnis terra Ægypti: & clamauit populus ad Parhonem pro pane.] Hæc est Litera Hebraïca, priùs narrans disparitatem inter terram Ægypti, & alias terras: quòd in Ægypto panis erat; in aliis, non: deinde narrans indigentiam communem Ægyptiis, & aliis, quòd vtrique indigebant pane emendo.

Quibus ille respondit: Ite ad Ioseph: & quicquid vobis dixerit, facite. *Vers.* 56.

Vers. 56. Crescebat autem fames quotidie in vniuersa terra: aperuítque Ioseph vniuersa horrea: & vendebat Ægyptiis: nam & illos oppresserat fames: *Vers.* 57. omnésque prouinciæ veniebant in Ægyptum, vt emerent escas, & malum inopiæ temperarent.

CAPVT XLII.

VERS. 1.

AVdiens autem Iahacob.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vidit Iahacob, quòd alimenta venderentur in Ægypto.* Insinuatur, quòd allatum ex Ægypto frumentum viderat Iahacob: & hoc quadrat subiunctis ad filios verbis.

Et dixit filiis suis: Quare aspicietis vos?] Vbi antiquus Interpres scripsit: *Quare negligitis?* Vidit itaque ipse Iahacob frumentum ex Ægypto allatum: & excitauit filios, arguendo, cur viderent, & non prouiderent.

Vers. 2. Audiui, quòd triticum venundetur in Ægypto.] Significatur modus, quo cognouit, quòd frumentum venale esset in Ægypto: videns siquidem frumentum, interrogauerat, vnde afferebatur: & audiuerat, quòd in Ægypto vendebatur.

Descendite, & emite nobis necessaria: vt possimus viuere, & non consumamur inopia. *Vers.* 3. Descendentes igitur fratres Ioseph decem, vt emerent frumenta in Ægypto, *Vers.* 4. Binjamin domi retento à Iahacob, qui dixerat fratribus eius: Ne fortè in itinere quicquam patiatur mali.] Iuxta Hebræum habetur: *Ne fortè occurrat ei mors.* Timebat enim, ne, sicut occurrerat Ioseph, vt putabat, mors; ita aliquo malo euentu incurreret mortem Binjamin in via illa.

Vers. 5. Ingressi sunt terram Ægypti cum aliis, qui pergebant ad emendum. Erat autem fames in terra Chenahan, *Vers.* 6. & Ioseph Princeps Ægypti: atque ad illius nutum frumenta populis vendebantur. Cúmque adorassent eum fratres eius, *Vers.* 7. & agnouisset eos, quasi ad alienos duriùs loquebatur, interrogans eos: Vnde venistis? Qui responderunt: De terra Chenahan, vt emamus victui necessaria. *Vers.* 8. Et tamen fratres ipse cognoscens, non est agnitus ab eis. *Vers.* 9. Recordatúsque somniorum, quæ aliquando viderat, ait ad eos: Exploratores estis, vt videatis infirmiora terræ.] Iuxta Hebræum habetur: *Detectionem terræ venistis.* Terra enim non munita muris, & huiusmodi tuentibus eam, detecta appellatur; vtpote patens, & peruia.

Vers. 10. Qui dixerunt: Non est ita, domine; sed serui tui venerunt, vt emerent cibos. *Vers.* 11. Omnes filij vnius viri sumus, pacifici venimus.] Iuxta Hebræum habetur: *Recti nos.* Contra obliquam intentionem.

Nec vllas famuli tui molimur insidias. *Vers.* 12. Quibus ille respondit: Aliter est: immunita.] Iuxta Hebræum habetur: *Detectionem.* Eadem enim dictio est.

Terræ huius considerare venistis. *Vers.* 13. Et illi, Duodecim, inquiunt, serui tui fratres sumus, filij vnius viri in terra Chenahan: minimus cum patre nostro est: alius non est superstes. *Vers.* 14. Hoc est, ait, quod locutus sum, exploratores estis: *Vers.* 15. iam nunc experimentum vestri capiam: per salutem Parhonis.] Iuxta Hebræum habetur: *Viuens Parho.* Iurandi modus est, loco cuius hodie diceretur, *per vitam Parhonis.*

Non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus.] Si quæris veritatem iuramenti huius, scito, verificatum esse in eo, quòd non omnes egressi inde sunt, antequàm veniret Binjamin. Comprehendebatur enim sub iuramento duntaxat hoc indefinitè, quòd non egrederentur inde, donec veniret Binjamin: reliqua dicta sub iuramento non comprehendebantur.

Vers. 16. Mittite è vobis vnum, & adducat eum: vos autem eritis in vinculis, donec probentur, quæ dixistis, vtrùm falsa, an vera sint. Alioquin per salutem Parhonis exploratores estis.] Iterum habetur: *Viuens Parho.* Sed occurrit quæstio, quo pacto verba hæc iuramento firmata verificentur; cùm certum fuerit, illos exploratores non esse, etiamsi frater minimus non venisset. Solutio est, quòd in Textu Hebræo non habetur, *exploratores estis*; sed, *exploratores vos*: & subauditur, habebimini ex vestro mendacio. Nam eo ipso, quòd obiectum illis fuerat, esse eos exploratores, & ad obiectionem purgandam dixerant, se habere fratrem minorem, si mentiti fuissent, reddidissent se suspectos, quòd exploratores essent: & sic verum iurauit Ioseph: quòd si non discerneretur per hoc veracitas eorum, haberentur ex proprio mendacio exploratores.

Vers. 17. Tradidit ergo eos custodiæ, tribus diebus. *Vers.* 18. Die autē tertio eductis de carcere, ait: Facite, quod dixi, & viuetis: Deū enim timeo.] Nomē est אלהים, congruum timori: debetur enim summo Iudici timor noster.

Vers. 19. Si pacifici estis.] Iuxta Hebræum habetur: *Si recti vos.* Eadem enim est dictio.

Frater vester vnus ligetur in carcere: vos autem abite, & ferte frumenta, quæ emistis in domos vestras: *Vers.* 20. & fratrem vestrum minimum ad me adducite, vt possim vestros probare sermones, & non moriamini, (penuria alimenti.) Fecerunt, vt dixerat: *Vers.* 21. & locuti sunt ad inuicem: Meritò hæc patimur: quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, cùm deprecaretur nos, & non audiuimus: idcircò venit super nos ista tribulatio. *Vers.* 22. E quibus vnus Ruben ait: Nunquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum, & non audistis me? En sanguis eius exquiritur. *Vers.* 23. Nesciebant autem, quòd intelligeret Ioseph: eò quòd per Interpretem loqueretur ad eos.

Vers. 24. Auertítque se parumper, & fleuit: & reuersus locutus est ad eos. *Vers.* 25. Tollénsque Simhon,

& ligans illis præsentibus, iussit ministris, vt implerent eorum saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis suis,& darent eis cibaria pro via. Qui fecerunt ita. *Vers.26.* At illi portātes frumenta in asinis, profecti sunt. *Vers.27.* Apertoque vnus sacco, vt daret iumēto pabulum in diuersorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi, *Vers.28.* dixit fratribus suis: Reddita est mihi pecunia: en habetur in sacco. Et obstupefacti, turbatique, mutuò dixerunt: Quidnā est hoc, quod fecit nobis Deus?] Nomē est אלהים. Vsitato nomine Dei, quatenus cura est illi de hominibus, vtuntur.

Vers.29. Veneruntque ad Iahacob, patrem suum, in terram Chenahan:& narrauerunt ei omnia, quæ accidissent sibi, dicentes: *Vers.30.* Locutus est nobis dominus terræ duræ:& putauit nos exploratores prouinciæ. *Vers.31.* Cui respondimus: Pacifici sumus.] Iuxta Hebræum habetur: *Recti nos.* Eadem siquidem repetitur dictio. Et similiter, quum subiungitur, *quòd pacifici sitis*, habetur, *quòd recti vos.* Et rursus idem subditur.

Nec vllas molimur insidias: *Vers.32.* duodecim fratres ab vno patre geniti sumus: vnus non est superstes, minimus cum patre versatur in terra Chenahan. *Vers.33.* Qui ait nobis: Sic probabo, quòd pacifici sitis. Fratrem vestrum vnum dimittite apud me:& cibaria domibus vestris necessaria sumite, & abite: *Vers.34.* fratrémque vestrum minimum adducite ad me: vt sciam, quòd non sitis exploratores;& istum, qui tenetur in vinculis, recipere possitis: ac deinceps, quæ vultis, emendi habeatis licentiam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et terram negotiabimini.* Ponitur continens pro contento, terra pro contentis in terra Ægypti.

Vers.35. His dictis, cùm frumenta effunderent, singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias. Exterritísque simul omnibus, *Vers.36.* dixit pater eorum Iahacob: Absque liberis me fecistis. Ioseph non est superstes: Simhon tenetur in vinculis: Binjamin auferetis: in me hæc mala omnia ceciderunt.] Intellige hæc dicta, quando tempus erat redeundi in Ægyptum ad emendum frumentum.

Vers.37. Cui respondit Ruben: Duos filios meos interfice [a], si non reduxero illum tibi: trade eum in manu mea:& ego eum tibi restituam. *Vers.38.* At ille: Non descendet, inquit, filius meus vobiscū. Frater eius mortuus est: ipse solus remansit. Si quid ei aduersi acciderit in terra, ad quam pergitis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et occurret ipsi mors in via, qua ibitis.* Magnitudo timoris tanquàm euenturum proferre facit, quod timetur.

[a] Sunt hæc, vt superius monuimus, per exaggerationem accipienda.

Et deducetis canos meos cum mœrore ad Inferos.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad foueam.* Immitigabilem vsque ad mortem tristitiam prædicit.

CAPVT XLIII.

Interim fames omnem terrā vehementer premebat: *Vers.2.* consumptísque cibis, quos ex Ægypto detulerat, dixit Iahacob ad filios suos. Reuertimini, & emite pauxillum escarum. *Vers.3.* Respōdit Iehuda: Denunciauit nobis vir ille sub attestatione iurandi, dicens: Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum. *Vers.4.* Si ergo vis mittere eum nobiscū, pergemus pariter:& ememus tibi necessaria. *Vers.5.* Si autem non vis, non ibimus: vir enim (vt sæpè diximus) denunciauit nobis, dicens: Non videbitis faciem meam absque fratre vestro minimo. *Vers.6.* Dixit eis Israël: In meam hoc fecistis miseriam, vt indicaretis ei & aliū habere vos fratrem. *Vers.7.* At illi responderunt: Interrogauit nos homo per ordinem progeniem nostram: si pater viueret, si haberemus fratrem? Et nos respondimus ei consequenter, iuxta id, quod fuerat sciscitatus. Nunquid scire poteramus, quòd dicturus esset: Adducite vobiscum fratrem vestrum? *Vers.8.* Iehuda quoque dixit patri suo: Mitte puerum mecum, vt proficiscamur, & possimus viuere: ne moriamur nos, & paruuli nostri. *Vers.9.* Ego suscipio puerum.] Iuxta Hebræum habetur: *Ego fideiubebo pro illo.* Multa quoque alia essent mutanda, sed pertranseo: quia materia non exigit tam exactum textum.

VERS. 1.

De manu mea require illum. Nisi reduxero, & reddidero eum tibi, ero peccati in te reus omni tempore. *Vers.10.* Si non intercessisset dilatio, iam vice altera venissemus.] Iuxta Hebræum habetur: *Iam reuersi essemus duabus vicibus.* Fortè exaggeratio est potiùs, quàm veritas.

Vers.11. Dixit igitur ad eos Israël pater eorum: Si sic necesse est, facite, quod vultis. Sumite de omnibus terræ frugibus in vasis vestris, & deferte viro munera, modicum resinæ.] Alij, *theriacam*, alij, *balsamum*, alij, *terebintinam* interpretantur.

Et mellis,& storacis.] Alij, *ceram*; alij, *aromata* intelligunt.

Et stactes.] Alij, *castaneam*; alij, *masticem*; alij, *guttam*, seu *florem myrrhæ* intelligunt.

Et terebinthi [a].] Apud omnes loco *terebinthi*, lego *pineas*:& his iunguntur amygdalæ, vt in vulgata etiam editione habetur.

[a] Terebinthus arbor est lignum nigrum cum splendore proferens, soliditatem habens in buxi speciem.

Et amygdalarum. *Vers.12.* Pecuniámq; duplicem ferte vobiscum:& illam, quā inuenistis in sacculis reportate, ne fortè errore factum sit. *Vers.13.* Sed & fratrem vestrum tollite:& ite ad virum. *Vers.14.* Deus autem omnipotens.] Iuxta Hebræum habetur: *Et El victor faciat vobis eum placabilem;& remittat vobiscum fratrem vestrū, quem tenet in vinculis, & hunc Binjamin. Ego autem quasi orbatus absque liberis ero.* Aduersus potentiam præsidentis Ægypto inuocat confidenter Deum, quatenus summè fortem, ac victorem

ctorem omnium; & animorum, & corporum vires vincentem ad flectendum animum præſidentis Ægypto erga filios ipſius Iahacob.

Verſ.15. Tulerunt ergo viri munera, & pecuniam duplicem, & Binjamin: deſcenderúntque in Ægyptũ, & ſteterunt coram Ioſeph. *Verſ.16.* Quos cùm ille vidiſſet, & Binjamin ſimul, præcepit diſpẽſatori domus ſuæ, dicens: Introduc viros domum, & occide victimas [b].]Nulla fit in Hebræo mentio, *victima*: ſed perinde ac ſi diceretur, *Occide occidenda.* Quod ideò dixerim, ne fiat vis in verbo, victimæ, & intelligatur ſacrificium.

[b] Capiuntur hic victimæ pro optimis carnibus, & ſelectioribus, quales in litationibus offerre conſueuerant.

Et inſtrue conuiuium: quoniam mecum ſunt comeſturi meridie. *Verſ.17.* Fecit ille, ſicut fuerat imperatum: & introduxit viros domum. *Verſ.18.* Ibique exterriti dixerunt mutuò: Propter pecuniam, quam retulimus priùs in ſaccis noſtris, introducti ſumus: vt deuoluat in nos calumniam, & violenter ſubiiciat ſeruituti, & nos, & aſinos noſtros. *Verſ. 19.* Quamobrem in ipſis foribus accedentes ad diſpenſatorem, *Verſ. 20.* locuti ſunt: Oramus, domine, vt audias nos. Iam antè deſcendimus, vt emeremus eſcas: *Verſ.21.* quibus emptis, cùm veniſſemus ad diuerſorium, aperuimus ſacculos noſtros, & inuenimus pecuniã in ore ſaccorum, quam nunc eodem pondere reportauimus: *Verſ.22.* ſed & aliud attulimus argentum, vt emamus, quæ neceſſaria ſunt. Non eſt in noſtra conſcientia, quis eam poſuerit in ſacculis noſtris. *Verſ.23.* At ille reſpondit: Pax vobiſcum, nolite timere: Deus veſter, & Deus patris veſtri dedit vobis theſauros in ſacculis veſtris.] Iuxta Hebræum vtrobique habetur: *Elohe.* Vt enim iam dictum eſt, diuinum Elohe nomen in frequenti vſu erat, tam fidelium, quàm idololatrarum, ſiue de Deo vero, ſiue de Diis ſecundùm opinionem eſſet ſermo.

Nam pecuniam, quam dediſtis mihi, probatam habeo. Eduxítque ad eos Simhon. *Verſ.24.* Et introductis domũ, attulit aquam: & lauerunt pedes ſuos: dedítque pabulum aſinis eorum. *Verſ.25.* Illi verò parabant munera, donec ingrederetur Ioſeph meridie: audierant enim, quòd ibi comeſturi eſſent panem. *Verſ. 26.* Igitur ingreſſus eſt Ioſeph domum ſuam: obtulerúntque ei munera, tenentes in manibus: & adorauerunt eum proni in terram. *Verſ. 27.* At ille clementer reſalutatis eis, interrogauit eos, dicens: Sanúſne eſt pater veſter ſenex?] Iuxta Hebræum habetur: *Si pax patri veſtro ſeni, de quo dixeratis mihi: Adhuc viuit?*

Verſ. 28. Qui reſponderunt: Soſpes eſt ſeruus tuus pater noſter.] Iuxta Hebræum legendum eſt: *Pax ſeruo tuo, patri noſtro: adhuc viuit.* Mos Hebræorum erat, ſub pacis nomine interrogare, & reſpondere de bonis alicuius: tanquàm pax bona omnia comprehendat, in genere tamen. Et propterea in ſpecie, & quæritur, & reſpondetur de vita.

Et incuruati adorauerunt eum. *Verſ. 29.* Attollens autem Ioſeph oculos, vidit Binjamin, fratrem ſuum vterinum: & ait: Iſte eſt frater veſter paruulus, de quo dixeratis mihi? Dixítque: Deus miſereatur tui, fili mi.] Hinc habetur, quòd ætas Binjamin, relata ad ætatem Ioſeph, erat filialis. Et hîc quoque nominatur Deus אלהים, nomine conſono miſericordiæ reſpectu Binjamin: nam non iuſtitiam ſupremi Iudicis, ſed miſericordiam (quæ ſuperexaltat iudicium) decuit imprecari.

Verſ. 30. Feſtinauitque Ioſeph, quia commota fuerant viſcera eius ad fratrem ſuum, & erumpebant lacrymæ: & introiens cubiculum fleuit. *Verſ.31.* Rurſúſque lota facie egreſſus, continuit ſe: & ait: Ponite panes. *Verſ. 32.* Quibus appoſitis, ſeorſum Ioſeph, & ſeorſum fratribus, Ægyptiis quoque qui veſcebantur ſimul, ſeorſum (illicitum eſt enim Ægyptiis comedere cum Hebræis [c]; & profanum putant huiuſmodi conuiuium.)] Abominabile, ſeu exoſum ſonant Hebræa.

[c] Tradunt Hiſtoriæ, Ægyptios olim adeò elatos puritatis, & iuſtitiæ fiducia, vt cum exteris cibum non ſumerent, quaſi, omnibus immundis, ipſi ſoli mundi eſſent. Verùm Eugubinus hanc clauſulam dicit redundare in noſtra editione.

Verſ. 33. Sederunt coram eo, primogenitus iuxta primogenituram ſuam, & minor iuxta ætatem ſuam. Et mirabantur nimis.] Admiratio hæc non quadrat ſeſſioni ordinatæ, (quia non eſt admiratione digna:) ſed quadrat diſtributioni ſubiunctæ, qua Binjamin prælatus apparuit omnibus.

Verſ.34. Sumptis partibus, quas ab eo acceperant; maiórque pars venit Binjamin: ita vt quinque partibus excederet.] Interpres etiam expoſitoris officio fungitur, ſummando. Senſus eſt, quòd vel à menſa Ioſeph, vel ex cibis oblatis coram Ioſeph, primùm diſtribuebantur alimenta aliis conuiuis: & diſponente Ioſeph effectum eſt, vt Binjamin, qui vltimus ſedebat, quinque portionibus excederet alios.

Biberúntque, & inebriati [d] ſunt cũ eo.] Hyperbole eſt, ſignificãs abundantet potũ: nõ enim fas eſt credere, tot viros hoſpites honoratos à tanto domino, tam incontinentes coram eo fuiſſe, vt inebriarentur.

[d] *Inebriari.* pro ſaturari accipitur, idiotiſmo Hebraico, vt Pſal.64. *Viſitaſti terrã, & inebriaſti eam,* hoc eſt, ſatiaſti.

CAPVT XLIV.

Vers. 1. PRæcepit autem Ioſeph diſpenſatori domus ſuæ, dicens: Imple ſaccos eorum frumento, quantùm poſſunt capere: & pone pecuniam ſingulorum in ſummitate ſacci. *Verſ. 2.* Scyphum autem meum argenteum, & pretium, quod dedit, tritici, pone in ore ſacci iunioris. Factúmque eſt ita. *Verſ.3.* Et orto mane dimiſſi ſunt cum aſinis ſuis. *Verſ.4.* Iámque ciuitatem exierant, & proceſſerant paululùm, quum Ioſeph, accerſito diſpenſatore domus ſuæ, ait: Surge, perſequeris viros: & apprehenſis dicito.] Hinc apparet, quòd comitatus armatorum multitudine iuit iſte magiſter domus Ioſeph.

Quare reddidiſtis malum pro bono? *Verſ.5.* Scyphus, quem furati eſtis, ipſe eſt, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet.] Duæ ſurgunt hinc

M 4 quæſtiones.

quæstiones. Altera circa calumniam, quo pacto excusatur Ioseph à mortali peccato, imponendo furti crimen fratri. Altera, circa fictum augurium: quo pacto excusatur Ioseph à mendacio pernicioso in seipsum, simulando, se esse diuinatorem in vase argenteo: est enim hæc species diuinandi inexcusabilis. Solutio primæ quæstionis est, quòd nulla fuit hîc calumnia formaliter; hoc est, ex intentione calumniandi: vt clarè patet ex eo, quòd in fratris dilectissimi sacco poculum argenteum iussit poni: intendebat enim Ioseph explorare, an fratres sui patuifacerent seruitutem Binjamin: calumnia autem materialiter duntaxat interuenit; quæ, quia cognoscebatur, quòd in malum nullum Binjamin redundaret, (vtpote, infra breuissimum temporis spatium; imò ferè statim, veritate patefacta in lucem prodiens;) à peccato contra bonum proximi manifestè excusatur: quanuis officiosum mendacium interuenerit.

Secundæ autem quæstionis solutio est, quòd huiusmodi diuinationes tunc temporis infames non erant, sed honorabiles: & propterea non est aduersùs famam propriam locutus Ioseph. Et quidē, quòd ipse esset diuinator [a], testabatur interpretatio somniorum. Vnde profitendo, se diuinare, verum dicebat. De modo autem diuinandi (videlicet, in poculo illo argenteo,) an secundùm veritatem excusabilis sit, nescio. Crediderim tamen, excusabilem fuisse, quemadmodum figuras astronomicas: nefas enim est intelligere, quòd aliquod inexcusabile ex suo genere peccatum mortale sibiipsi imponeret Ioseph.

[a] August. lib. 1. super Genesim dicit, Ioseph ioco dixisse, se in scypho augurari sol[illegible] [illegible] de similis genere augurandi superstitiosissimo in scypho, aut vase aqua pleno, passim Historiæ meminerunt.

Pessimam rem fecistis.] Iuxta Hebræum habetur: *Malè fecistis, quod fecistis.* Carent enim superlatiuo Hebræi.

Vers.6. Fecit ille, vt iussum erat: & apprehensis per ordinem locutus est. *Vers.7.* Qui responderunt: Quare sic loquitur dominus noster, vt serui tui tantùm flagitij commiserint? *Vers.8.* Pecuniam, quam inuenimus in summitate saccorum, reportauimus ad te de terra Chenahan: & quomodo consequens est, vt furati simus de domo domini tui aurum, vel argentum? *Vers.9.* Apud quencunque seruorum tuorum fuerit inuentum, quod quæris, moriatur: & nos serui erimus domini mei.] Innocentes offerunt facilè seipsos ad maiores pœnas, si sontes inueniantur.

Vers.10. Qui dixit: Fiat iuxta vestram sententiam: apud quem inuentum fuerit, ipse sit seruus meus: vos autem eritis innoxij.] Instructus seruus à Ioseph, sententiam offerentium in parte approbat; videlicet, quoad seruitutem furis.

Vers.11. Itaque festinanter deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli. *Vers.12.* Quos scrutatus (incipiens à maiore vsque ad minimum) inuenit scyphum in sacco Binjamin. *Vers.13.* At illi, scissis vestibus, oneratísque rursum asinis, reuersi sunt in oppidum. *Vers.14.* Primúsque Iehuda cum fratribus ingressus est ad Ioseph, (nondum enim de loco abierat,) omnésque ante eum in terram corruerunt. *Vers.15.* Quibus ille ait: Cur sic agere voluistis? an ignorastis, quòd non sit similis mei in augurandi scientia?] Iuxta Hebræum habetur: *An non nostis, quòd diuinando diuinat vir, qui sicut ego?* Non sunt verba præferentis se aliis; sed dicentis, communem esse diuinationem sibi similibus. Modestè loquitur, quòd Principibus, qualis est ipse, non deest diuinatio. Nec explicat, an per se, an per alios diuinent. Et quia diuinare nullum peccatum est, (potest enim ex dono Dei, & quandoque beneficio naturæ, sanctè fieri;) ideò nihil illiciti de se profert Ioseph.

Vers.16. Cui Iehuda: Quid respondebimus, inquit, domino meo: vel quid loquemur, aut iustè poterimus obtendere? Deus inuenit iniquitatem seruorum tuorum.] Nomen est אלהים, valdè congruum inuentioni patratæ iniquitatis: ad officium enim Iudicis spectat.

En omnes serui sumus domini mei: & nos, & apud quem inuentus est scyphus. *Vers.17.* Respondit Ioseph: Absit à me, vt sic agam. Qui furatus est scyphum, ipse sit seruus meus: vos autem abite liberi ad patrem vestrum. *Vers.18.* Accedens autem propiùs Iehuda, confidenter ait: Oro, domine mi, loquatur seruus tuus verbum in auribus tuis: & ne irascaris famulo tuo: tu es enim post Parhonem, *Vers.19.* dominus meus.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia, sicut tu, sicut Parho.* Ad captandum beneuolentiam, æquat Ioseph Parhoni; citra tamen adulationem: quia in negotiis his eadem erat actio Ioseph, & Parhonis. Hunc loquendi modum ad significandum æqualitatem, habes in Psalmo illo: *Domine, probasti me.*

Interrogasti priùs seruos tuos: Habetis patrem, aut fratrem? *Vers.20.* & nos respondimus tibi domino meo: Est nobis pater senex, & puer paruulus, qui in senectute illius natus est: cuius vterinus frater mortuus est, & ipsum solum habet mater sua.] Iuxta Hebræum habetur: *Et remansit ipse solus, ipse matri suæ.*] Quod ideò dixerim, ne fiat vis in verbo præsentis temporis, *habet.*

Pater verò tenerè diligit eum. *Vers.21.* Dixistíque seruis tuis: Adducite eum ad me, & ponam oculos meos super illum. *Vers.22.* Suggessimus tibi domino meo: Non potest puer relinquere patrem suū: si enim illum dimiserit, morietur. (Subaudi, pater eius.) *Vers.23.* Et dixisti seruis tuis: Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis ampliùs faciem meam.

Vers.24. Quum ergo ascendissemus ad famulum tuum, patrem nostrum, narrauimus ei omnia, quæ locutus est dominus meus.

Vers.25. Et dixit pater noster: Reuertimini, & emite nobis parum tritici.

Vers.26. Cui diximus: Ire non possumus: si frater noster minimus descenderit nobiscum, proficiscemur simul: alioquin illo absente, non audemus videre faciem viri.

Vers.27. Ad quæ ille respondit: Vos scitis, quòd duos filios genuerit mihi vxor mea.]

mea.] Rachelem antonomasticè appellat Iahacob vxorem suam; non solùm, quia magis dilecta fuerat; sed etiam, quia sola electa ab ipso fuerat in vxorem: Leam enim, præter intentionem, habuerat: & aliæ famulæ erant, quoad conditionem, & officium.

Vers. 28. Egressus est vnus: & dixistis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixi.*

Bestia deuorauit eum.] Verè enim ipse Iahacob primus dixerat, quòd Ioseph raptus fuerat à fera. Et quia certitudinem non habebat mortis Ioseph; ideò subiungit:

Et non vidi ipsum vsque adhuc.] Quod antiquus Interpres transtulit: *Et hucusque non comparet.*

Vers. 29. Si tuleritis & istum, & aliquid ei in via contigerit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et capietis etiam istum de cum facie mea, & occurret ipsi mors.* Vt iam dictum est, timor magnus proferre facit euentum dubium, quasi certum. Et est Hebraïca phrasis, *de cum facie mea*: hoc est, de societate mea.

Et deducetis canos meos cum mœrore ad inferos.] Iuxta Hebræum habetur: *In malo ad foueam.* Perseuerantia mali vsque ad mortem prænarratur.

Vers. 30. Igitur, si intrauero ad seruum tuum patrem nostrum, & puer defuerit, cùm anima illius ex huius anima pendeat; *Vers.* 31. videritque eum non esse nobiscum, morietur: & deducent famuli tui canos eius cum dolore ad Inferos.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad foueam.* De sepulcro enim est sermo. Veruntamen rectè dicitur, *cum dolore*: tristitia enim significatur, & non generico nomine malum, vt priùs.

Vers. 32. Ego propriè seruus tuus sim, qui in meam hunc recepi fidem, & spopondi, dicens: Nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore. *Vers.* 33. Manebo itaque seruus tuus pro puero in ministerium domini mei: & puer ascendet cum fratribus suis. *Vers.* 34. Non enim possum redire ad patrem absente puero: ne calamitatis, quæ oppressura est patrem meum, testis assistam.

CAPVT XLV.

VERS. 1. Non se poterat vltrà cohibere Ioseph multis coràm astantibus. Vnde præcepit, vt egrederentur cuncti foras: & nullus interesset alienus agnitioni mutuæ. *Vers.* 2. Eleuauítque vocem cum fletu: quam audierunt Ægyptij, omnísque domus Parhonis.] Superfluit, *omnis.*

Vers. 3. Et dixit fratribus suis: Ego sum Ioseph: adhuc pater meus viuit? Non poterant autem respondere ei fratres, nimio timore perterriti. *Vers.* 4. Ad quos ille clementer, Accedite, inquit, ad me. Et cùm accessissent propè, Ego sum, ait, Ioseph frater vester, quem vendidistis in Ægyptum: *Vers.* 5. nolite pauere: nec vobis durum esse videatur, quòd vendidistis me his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum.] Nomen est אלהים, congruum distributioni, qua gubernando vniuersum disposuit Israëlitis, cultoribus vnius Dei (ex quibus Messias nasciturus erat) commoditates viuendi, mediante Ioseph. Et eadem ratione nominatur iterum Deus אלהים, subiungendo: *Præmisítque me Deus*, &c.

Vers. 6. Biennium enim est, quòd fames cœpit esse in terra: & adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit, nec meti. *Vers.* 7. Præmisítque me Deus, vt reseruemini super terram, & escas ad viuendum habere possitis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vt viuificem vos ad euasionem magnam.* E magno periculo tantæ famis euasuros per ipsum prænunciat.

Vers. 8. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.] Nomen quoque est אלהים propter eandem rationem.

Qui fecit me quasi patrem Parhonis, & dominum vniuersæ domus eius, & Principem in omni terra Ægypti.] Superfluit dictio, *quasi.* Et est sensus, quòd Deus distributor officiorum posuit me in patrem Parhoni quoad officiũ gubernandi: voluit enim Parho, vt Ioseph, tanquàm si esset pater eius, curam haberet domus, & regni: ita quòd relatiuè ad Parhonem, fungebatur officio paterno: relatiuè autem ad familiam Parhonis, fungebatur officio domini: relatiuè autem ad Ægyptum, fungebatur officio Principis.

Vers. 9. Festinate, & ascendite ad patrem meum: & dicetis ei: Hæc mandat.] Iuxta Hebræum habetur: *Sic dixit filius tuus Ioseph.* Non est enim filij mandata dare patri.

Deus fecit me dominum vniuersæ terræ Ægypti.] Nomen est אלהים, consonans distributioni honorum, & graduum.

Descende ad me, ne moreris: *Vers.* 10. & habitabis in terra Gessen.] Corrupta est dictio: legendum est, *Ghosen* [a]. Hoc est enim nomen proprium illius terræ: & sic semel pro semper corrige vbique inferiùs.

[a] Terra Ghosen in agro vrbis Heliopolis sita erat, ad quam fertur Christi parentes cum infante diuertisse, fugientes insidias Herodis Regis. In eo agro Mneuis bos colebatur, in cuius religione filij Israël, dum ibidem habitarent, instructi, rursus eam in cultum reuocarunt in deserto.

Erísque iuxta me, tu, & filij tui, & filij filiorum tuorum, oues tuæ, & armenta tua, & vniuersa, quæ possides: *Vers.* 11. ibíque te pascam, (adhuc enim quinque anni residui sunt famis,) ne & tu pereas, & domus tua, & omnia, quæ possides. *Vers.* 12. En oculi vestri, & oculi fratris mei Binjamin, vident, quòd os meum loquatur ad vos.] Testes ipsosmet profert ex eorum certa notitia, quòd non per Interpretem, sed per seipsum loquatur Hebraïcè, vt consueuerat loqui eisdem, antequàm venderetur: vt hinc certiores essent, quòd ipse esset Ioseph.

Vers. 13. Nunciate patri meo vniuersam gloriam meam, & cuncta, quæ vidistis in Ægypto: festinate, & adducite eum ad me. *Vers.* 14. Cúmque amplexatus cecidisset in collum Binjamin fratris sui, fleuit: illo quoque flente similiter super collum eius. *Vers.* 15. Osculatúsque est Ioseph omnes fratres suos: & plorauit super singulos.] In Hebræo non habetur, *super singulos*; sed, *super eos.*

Post quæ ausi sunt loqui ad eum. *Vers.* 16. Auditúmque est, & celebri sermone vulgatum

vulgatum in aula regis: Venerunt fratres Ioseph. & gauisus est Parho [b], atque omnis familia eius.] Superfluit, *omnis*.

17. Dixitque ad Ioseph, vt imperaret fratribus suis, dicens: Onerantes iumenta, ite in terram Chenahan: 18. & tollite inde patrem vestrum, & cognationem, & venite ad me. & ego dabo vobis omnia bona Ægypti.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dabo vobis bonum terræ Ægypti.*

Et comedetis medullam terræ.] pro, *pinguedinem terræ*. Multa alia essent mutanda, si materia exigeret.

19. Præcipe etiam, vt tollant plaustra de terra Ægypti ad subuectionem paruulorum suorum, & coniugum: ac dicito: Tollite patrem vestrum, & properate quàm ocyùs venientes, 20. nec dimittatis quicquam de supellectili vestra: quia omnes opes Ægypti vestræ erunt.] Hoc non vsquequaque clarè concordat cum Hebræo: vbi habetur: *Quia bonum omnis terræ Ægypti vobis ipsum.* De rebus est sermo. Et sensus est, quòd propter te consanguinei tui chari erunt omnibus, & communicabunt cum Ægyptiis in bonis omnibus. Putabat enim Patho, quòd consanguinei Ioseph non essent seorsum victuri, sed miscendi cum Ægyptiis in omnibus, & per omnia: & propterea dixit intuitu Ioseph, omnia Ægypti bona fore illis communia.

Vers. 21. Fecerunt filij Israël, vt eis mãdatum fuerat. Quibus dedit Ioseph plaustra secundùm Parhonis imperium, & cibaria in itinere. 22. Singulis quoque proferri iussit binas stolas: Binjamin verò dedit trecentos argẽteos [c], cum quinque stolis optimis: 23. tantundem pecuniæ, & vestium mittens patri suo: addens ei asinos decem, qui subueherent ex omnibus diuitiis Ægypti: & totidem asinas, triticum in itinere, panésque portantes. 24. Dimisit ergo fratres suos: & proficiscentibus ait: Ne irascamini in via. 25. Qui ascendentes ex Ægypto, venerunt in terram Chenahan ad patrem suum Iahacob: 26. & nunciauerunt ei, dicentes: Ioseph filius tuus viuit, & ipse dominatur in omni terra Ægypti. Quo audito, Iahacob quasi de graui somno euigilans, tamen non credebat eis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vacillauit*, vel, *& debilitatum est cor eius: quia* (vel, quòd *non credidit eis*. Duplex potest esse sensus. Alter, vt dispositio cordis fuerit ratio non credendi: & secundùm hunc sensum legendum est, non, *quia*; sed, *quòd:* significatur enim, quòd tanta fuit animi vacillatio, seu potiùs destitutio ex stupore rerum auditarum, quòd non credidit eis. Alter, quòd incredulitas fuit ratio dispositionis animi: & iuxta hunc sensum legendum est, *quia:* significatur enim, quòd incredulitas fuit ratio vacillandi, seu potiùs debilioris animi. Vtriusque autem remedium subiungitur, & quòd *credidit*, & quòd *reuixit spiritus eius*. Et ex hoc vltimo apparet, quòd dictio ab aliquibus interpretata, *vacillauit*, interpretanda potiùs est, *debilitatum est:* nam è regione illius scribitur: *Et reuixit spiritus eius.*

Vers. 27. Illi contrà referebant omnem ordinem rei. Cúmque vidisset plaustra, & munera, quæ miserat, reuixit spiritus eius: 28. & ait: Sufficit mihi.] Iuxta Hebræum habetur: *Multum.* Aduerbium est significans, plusquàm sufficit: nec additur pronomen aliquod; sed significatur plusquàm id, quod sufficeret euenisse.

Adhuc Ioseph filius meus viuit: vadam, & videbo illum, antequàm moriar.

[b] Vt placet Iosepho, Pharao lingua Ægyptiaca Regem significabat, nec priuatum, sed commune Regibus nomẽ erat, cùm singulis aliquin sua nomina essent, quod Maneton Sacerdos Ægyptius, & Chronographus antiquissimus affirmat, sicque hûc Pharaonem Amasim vocatum fuisse tradit Orosius.

[c] Argenteus, monetæ nomen, cuius valoris hoc tempore sit, nescitur tempore Christi septem valebat solidos: nam similis valoris ostenditur vnus Parisiis in Æde D. Ioannis Lateranensis, ex illis triginta, vt fertur, quos Iudas in templum abiecit, habẽs effigiem hominis aduersam, & integram: à tergo verò flosculum, nullo iudice. Cæterum, quòd hic præcipit fratribus Ioseph, ne irascerentur in via, eò factum intelligo, ne se iam manifesta venditionis Ioseph, culpam alius in alium retorqueret.

CAPVT XLVI.

Vers. 1.

PRofectúsque Israël cum omnibus, quæ habebat, venit ad puteum iuramenti.] Hic est locus, qui vocatur, *Beer Sebah*, in quo Abraham, & Abimelech inierunt fœdus Genesis 21. in quo Ishac, & Abimelech inierunt fœdus Genesis 26. habitauit enim ibidem, tam Abraham, quàm Ishac: & vterque inuocauit ibi nomen Dei. Et Ishac ædificauit ibidem altare Domino: propter quod mentio fit Ishac: adhuc enim altare ædificatum ab Ishac, fortè tunc erat: & super illud sacrificauit Iahacob.

Et mactatis ibi victimis Deo patris sui Ishac.] Nomen est *Elohe:* significans Deum, quatenus eum colebat, & reuerebatur Ishac vt Iudicem.

2. Audiuit eum per visionem noctè. Apparitionem in somnis intelligo. Et est hæc septima diuina visio Iahacob.

Vocantem se, & dicentem sibi: Iahacob, Iahacob.] Hebræorum est duplicare nomen ad exprimendam magnitudinem affectus.

Qui respondit: Ecce adsum.] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce ego.* Promptitudinis est.

3. Ait illi Deus: Ego sum fortissimus Deus patris tui.] Iuxta Hebræum habetur: *Ego El Elohe patris tui.* Duo diuina nomina (alterum absolutè, alterum relatiuè ad patrem Iahacob) scribuntur. Et illud quidem summè fortem; istud autem summum Iudicem, quatenus cultum ab Ishac, significat. Et fortitudine quidem opus erat ad assistendum Iahacob peregrinanti: esse autem ipsum, Deum cultum ab Ishac (hoc est, Deum verum,) manifestari oportuit; tum, ne illusio dæmoniaca putaretur; tum, ne contraria promissis Ishac timerentur. Vnde & subiungitur:

Noli timere, & descende in Ægyptũ.] Amicum fuit valdè Interpreti verbum, *noli:* sæpè enim ex propria officina illud addit. Iuxta Hebræum habetur: *Non timebis à descensu in Ægyptum.* Ecce necessaria fortitudo contra timorem: timebat enim Iahacob euenturum malum à descensu in Ægyptum; malum, videlicet, seruitutis, oppressionis, dispersionis, seu diminutionis; contra quæ mala promittit Deus:

Quia in gentem magnam faciam te ibi.] Prima timoris materia insinuatur minus augmentum gentis suæ in Ægypto: eò quòd in terra Chanahan pollicita fuerat magnitudo gentis eius. Impleta sunt autem diuina hæc verba, quandoquidem in Ægypto, & numero, & potentia diuina magnificata est gens Iahacob.

4. Et ego inde adducam te reuertentem.]

tem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ego faciam ascendere te etiam ascendendo.* Secunda timoris materia insinuatur desertio diuina, ne Deus desereret, quoad specialem gratiam, gentem suam in huiusmodi peregrinatione. Promittit Deus, se specialem comitem: ita quòd cum Iahacob descendente descender, & cum ascendente redeundo ascender. Verificatum autem est hoc in exitu Israël de Ægypto, tempore Mosi.

Et Ioseph ponet manum suam super oculos tuos.] Tertia timoris materia insinuatur propria persona ipsius Iahacob: timebat enim mori in via: & propterea promittitur ei, quòd Ioseph teget oculos eius, iuxta morem antiquorum.

Vers. 5. Surrexit ergo Iahacob à puteo iuramenti: tuleruntque eum filij cum paruulis, & vxoribus suis in plaustris, quæ miserat Parho ad portandum senem, 6. & omnia, quæ possederat in terra Chenahan. Venitque in Ægyptum cum omni semine suo: 7. filij eius, & nepotes; filiæ, & cuncta simul progenies. *Vers.* 8. Hæc sunt autem nomina filiorum Israël, qui ingressi sunt in Ægyptum: Iahacob, & liberi eius. Primogenitus Iahacob, Reuben. 9. Filii Reuben, Chanoch, & Phallu, & Chesron, & Charmi. 10. Filij Simhon Iemuel, & Iamin, & Ohad, & Iachin, & Sochar, & Saül filius Chenahanith. 11. Filii Leui, Gherson, Cebath, & Merari. 12. Filij Iehudæ, Her, & Onan, & Sela, & Peres, & Zarach. Mortui sunt autem Her, & Onan in terra Chenahan. Et fuerunt filii Peres, Chesron, & Chamul. 13. Filii Isaschar, Tholath & Phuua, & Iob, & Simron. 14. Filii Zebulun, Sered, & Elon, & Iachleel. 15. Hi filii Leæ, quos genuit in Mesopotamia Syriæ.] Iuxta Hebræum habetur: *In Padan Aram, & Dinam filiam suam.* Relatiuum, *quos*, non refert omnes numeratos; sed sex filios Leæ.

Omnes animæ filiorum eius, & filiarum eius triginta & tres.] Occurrit hîc quæstio, quo pacto verificatur Litera hæc. Et est ratio dubij: quia Litera clarè sonat vtriusque sexus genitos ex Lea esse trigintatres: supputando autem nominatos in Litera, perspicuum est, quòd sunt trigintaquatuor comprehendendo duos defunctos filios Iehudæ nominatos in Litera: vel sunt trigintaduo, exclusis defunctis. Nec potest dici, quòd non supputatur Dina, ac per hoc cum defunctis sunt trigintatres filij Leæ: tum, quia expressè dicitur, *filiorum, & filiarum:* tum, quia inferiùs clarè supputatur fœmina inter filios Aser, summando animas sexdecim: vt patet supputando. Solutio est, quòd verba ista non sunt intelligenda, vt sonant sola; sed, vt pendent ex antecedentibus: habent autem pro antecedentibus: *Et hæc sunt nomina filiorum Israël, qui ingressi sunt in Ægyptum, Iahacob, & filij eius.* Nam, quatenus hæc verba pendent ex illo antecedente: *Qui ingressi sunt in Ægyptum.* excludunt duos illos defunctos: & quatenus pendent ex illo antecedente: *Iahacob, & filij eius.* comprehendunt Iahacob. Et sic optimè summatum est, *trigintatres:* adiunctus enim Iahacob trigintaduobus filiis viris ex Lea, efficit summam trigintatrium. Nec oportuit repetere, *Iahacob:* sed ex eo, quòd semel in principio, proponendo: *Hæc sunt nomina filiorum.* explicauerat in hac supputatione comprehendi Iahacob, subiungendo: *Iahacob, & filij eius.* subintelligi voluit in hac summa primogenitorum filiorum, ac filiarum comprehendi Iahacob.

Vers. 16. Filii Gad, Siphion, & Chagi, Suni, & Esbon, Heri, & Arodi, & Areli. *Vers.* 17. Filii Aser, Imna, & Isna, & Isui, & Beriha, & Serach, soror eorum. Filij Berihę, Cheber, & Malchiel. *Vers.* 18. Hi filij Zilpę, quam dedit Laban Leæ filiæ suæ: & hos genuit ipsi Iahacob sexdecim animas. *Vers.* 19. Filij Rachel vxoris Iahacob, Ioseph, & Beniamin. *Vers.* 20. Natique sunt Ioseph filij in terra Ægypti (quos genuit ei Asenath filia Potiperah Sacerdotis Eliopoleos, Menasse, & Ephraïm, *Vers.* 21. Filij Binjamin [a], Belah, & Becher, & Asbel, Ghera, & Nahaman, Echi, & Ros, Mupim, & Chupim, & Arede. *Vers.* 22. Hi filij Rachel, quos genuit Iahacob, omnes animæ quatuordecim. *Vers.* 23. Filij Dan, Chusim. *Vers.* 24. Filij Naphthali, Iachseel & Guni, & Ieser, & Sillem. *Vers.* 25. Hi filij Bilhę, quam dedit Laban Racheli filiæ suæ. Et hos genuit Iahacob, omnes animæ septem. *Vers.* 26. Cunctæque animæ, quæ ingressæ sunt cum Iahacob in Ægyptum egressæ de femore eius.] Cùm audis, animas egressas de femore, reuoca ad memoriam, quòd, Hebraïca consuetudine, nomine *animæ* intelligitur *vita:* quæ consistit in hoc, quòd corpus animatur à spiritu viuificante ipsum. Et in idem redit dicere, *anima*, quatenus anima, & *vita:* quoniam quandiu animatio est, vita hominis est: & quandiu vita hominis est, animatio est; anima formaliter est anima: cùm enim desinit animare, non est anima, sed spiritus. Egressæ itaque animæ, quatenus animæ, de femore Iahacob, verissimè ac philosophicè dicuntur: quoniam vita hominis, & homo compositus ex anima, & corpore, producitur à patre suo, vndecunque veniat res illa, quæ est anima.

[a] Hinc constat, quòd quando Benjamin appatuit coram Ioseph in Ægypto, prouectæ erat ætatis, cùm iam tot filios haberet.

Præter vxores filiorum eius, sexagintasex.] Sub hac summa non comprehendi Iahacob, Textus ipse manifestat: dicendo: *Quæ ingressæ sunt cum Iahacob, & egressæ sunt de femore illius.* Ex hoc enim, quòd dicit, egressas de femore Iahacob, & venientes cum ipso, excluditur ipse, excluduntur duo defuncti; & excluduntur demum Ioseph, & duo filij eius: & sic verificatur summa venientium cum Iahacob filiorum, & filiarum sexagintasex.

Vers. 27. Filij autem Ioseph, qui nati sunt ei in terra Ægypti, animæ duæ. Omnes animæ domus Iahacob quæ ingressæ sunt in Ægyptum fuerunt septuaginta.] Iuxta Hebræum habetur: *Omnes animæ domus Iahacob adductæ in Ægyptum, septuaginta.* Non meminit in hac summa filiorum, nec meminit venientium cum Iahacob; sed domus Iahacob ductæ in Ægyptum: ad comprehendendum, tum ipsum Iahacob, qui erat paterfamilias; tum Ioseph, qui ductus fuerat priùs in Ægyptum; & consequenter filios eius.

eius, qui erant pars domus Iahacob ductæ in Ægyptum diuerso tempore, & diuersis modis.

Vers. 28. Misit autem Iehudam ante se ad Ioseph, vt nunciaret ei, & ille occurreret in Ghosen. *Vers.* 29. Quò cùm peruenisset, iuncto Ioseph curru suo ascendit obuiam patri in Ghosen. Vidénsque eum irruit super collum eius: & inter amplexus fleuit. *Vers.* 30. Dixitque pater ad Ioseph: Iam lætus moriar:quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia adhuc tu viuens.* Nullus de futura successione est sermo, sed quia vidit eum viuum.

Vers. 31. At ille locutus est ad fratres, & ad omnem domum patris sui: Ascendam,& nunciabo Parhoni:dicámque ei: Fratres mei, & domus patris mei, qui erant in terra Chenahan, venerunt ad me: *Vers.* 32. & sunt viri pastores ouiũ, curámque habent alendorum gregum: pecora sua,& armenta,& omnia,quæ habere potuerunt,adduxerunt secum. *Vers.* 33. Cúmque vocauerit vos, & dixerit: Quod est opus vestrum? *Vers.* 34. Respondebitis: Viri pastores sumus,serui tui ab infantia nostra vsque in præsens, & nos,& patres nostri. Hæc autem dicetis, vt habitare possitis in terra Ghosen:quia detestantur Ægyptij [b] omnes pastores ouium.] Duo simul procurat bona. Alterum, vt habitent in terra feraci herbarum ad victum animalium. Alterum, vt seorsum ab Ægyptiis habitantes, vitent signa despectionum: ex eo enim, quòd apud Ægyptios abominabiles erant pastores ouium, si mixti fuissent cum Ægyptiis, multa subsecuta fuissent abominationis signa, quæ seorsum habitando euitabantur.

[b] Vt tradit Strabo Ægyptij omnium primi plebem trifariam diuiserunt, alios quidem Sacerdotes, alios milites, reliquósque agricolas vocarunt. Cúmque apud eos viliores pastores essent, & omnium infimi, contemnebantur.

CAPVT XLVII.

VERS. 1. INgressus ergo Ioseph, nunciauit Parhoni, dicens: Pater meus,& fratres; oues eorum,& armenta, & cuncta, quæ possident; venerunt de terra Chenahan: & ecce consistunt in terra Ghosen. *Vers.* 2. Extremos quoque fratrum suorum quinque viros.] Iuxta Hebræum habetur: *Et de extremo fratrum suorum accepit quinque viros.* Sensus est ambiguus: crediderim tamen ego, maiores ex singulis vxoribus patris quatuor cum Iehuda assumptos fuisse, & appellatos de extremo; hoc est, de extremitatibus primis cuiusque vxoris.

Et statuit eos coram Rege. *Vers.* 3. Quos ille interrogauit: Quid habetis operis? Responderunt: Pastores ouium sumus serui tui, & nos, & patres nostri. *Vers.* 4. Ad peregrinandum in terram tuam venimus: quoniam non est herba gregibus seruorum tuorum, ingrauescente fame in terra Chenahan:petimúsque,vt esse nos iubeas seruos tuos in terra Ghosen. *Vers.* 5. Dixit itaque Rex ad Ioseph:Pater tuus,& fratres tui venerunt ad te: *Vers.* 6. terra Ægypti in conspectu tuo est: in optimo loco fac habitare eos,& trade eis terram Ghosen. Quòd si nosti in eis esse viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum. *Vers.* 7. Post hæc introduxit Ioseph patrem suum ad Regem: & statuit ipsum coram eo. Qui benedicens [a] illi.] Clariùs apud Hebræum: *Et benedixit Iahacob Parhonem.* benedictione laudis,& imprecationis.

[a] *Benedicere*, hoc loco, perinde est, ac gratias agere, phrasi Hebraica.

Vers. 8. Et dixit Parho ad Iahacob: Quot sunt dies annorum vitę tuæ? *Vers.* 9. Respondit Iahacob Parhoni: Dies peregrinationis vitæ meæ.] Non desunt censentes,tam hîc,quàm inferiùs, interpretandum esse,*habitationis*; vel potiùs,*habitationum mearum*: vitam enim addidit Interpres. Vtraque autem significatio verificatur ex parte rei:nam & multas habitationes, & multas peregrinationes subierat: idémque euenerat patribus eius Abrahæ,& Ishac.

Centum triginta annorum sunt.] Hinc apparet, quòd Ioseph, qui ferè quadragenarius tunc erat,natus est non ante nonagesimum annum patris; & septuaginta annorum erat Iahacob, quando iuit in Mesopotamiam: nam viginti annis ibidem moratus est: & nato Ioseph rediit in terram Chanahan.

Parui,& mali.] hoc est,tum mali,tum pauci. Et malum quidem pœnæ non aliter explicat quàm peregrinatione: paucitatem verò manifestat; quia non attingunt ad annos patrum suorum. Quòd si diligentiùs fuerit perspectum, ad paucitatem,& malitiam spectat: nam sensus est, quòd citiùs senuit, quàm patres sui: hoc enim non solùm paucitatem,sed dispositionem minùs bonam annorum (vtpote degenerem) arguit.

Et non peruenerunt vsque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt. *Vers.* 10. Et benedicto [b] Rege egressus est foras. *Vers.* 11. Ioseph verò patri, & fratribus suis dedit possessionem in Ægypto,in optimo terræ, in terra Rahmeses.vt præceperat Parho.] Partem intelligo meliorem terræ Ghosen.

[b] Ex hoc loco etiam, *benedixit*, idem est, quòd vale dixit.

Vers. 12. Et alebat eos,omnémque domum patris sui, præbens cibaria singulis.] Iuxta Hebræum habetur: *Pane ori paruuli.* Et est sensus, quòd pauit domum patris sui, *pane*, tanquàm dando *ori paruulorum*; hoc est, sine pretio,sine eorum labore,quemadmodum alimus paruulos.

Vers. 13. In tota enim terra panis deerat: & oppresserat fames terram, maximè Ægypti, & Chenahan: *Vers.* 14. è quibus omnem pecuniam collegit pro venditione frumenti: & intulit eam in ærarium Regis. *Vers.* 15. Cúmque defecisset emptoribus pretium, venit cuncta Ægyptus ad Ioseph, dicens: Da nobis panem: quare morimur coram te, deficiente pecunia? *Vers.* 16. Quibus ille respondit:Adducite pecora vestra:& dabo vobis panem pro eis, si pretium non habetis. *Vers.* 17. Quę cùm adduxissent, dedit eis panem pro equis,& ouibus, & bobus, & asinis: sustentauítque eos illo anno pro commutatione pecorum. *Vers.* 18. Venerunt quoque anno secundo.]

Non

Non à principio sterilitatis secundus supputatur annus, (cùm anno secundo sterilitatis Ioseph venderet alienigenis, vt superiùs patet;) sed annus secundus à defectu pecuniæ supputatur: à pecuniæ siquidem defectu primus annus fuit, quo commutatione pecorum Ioseph aluit Ægyptum: secundus autem est iste, quo nec pecora Ægyptij habebant.

Et dixerunt ei: Non celamus dominum nostrum, quòd deficiente pecunia, & pecora simul defecerunt [c]. Nec clam te est, quòd præter corpora, & terram, nihil habemus. *Vers.* 19. Cur ergo morimur, te vidente? & nos, & terra nostra tui erimus: eme nos in seruitutem regiam, & præbe semina, ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem. *Vers.* 20. Emit igitur Ioseph omnem terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis: subiecitque eam Parhoni, *Vers.* 21. & cunctos populos eius à nouissimis terminis Ægypti vsque ad extremos fines eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et populum transire fecit eum ad ciuitates de vna extremitate termini Ægypti vsque ad extremitatem eius.* Sonat Litera, quòd Ioseph in signum, tum seruitutis Ægyptiorum, tum proprietatis terræ acquisitæ Parhoni, migrare fecit populos de territorio vnius ciuitatis, ad territorium alterius: vt sic agnosceretur Parho proprius dominus singulorum agrorum, mutando colonos, & ipsi Ægyptij profiterentur tali facto se esse seruos Parhonis, & non solùm subditos illi.

[c] Putarem, Ioseph populo in extremis constituto eò frumentum vendidisse, ne gratis donato profusè abuterentur, & absque parsimonia.

Vers. 22. Præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis: quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur: & ideò non sunt compulsi vendere possessiones suas] Hinc apparet integritas Parhonis, quòd nec in tanta penuria subtraxit solita alimenta Sacerdotibus, qui diuino cultui erant addicti, & speculatiuis scientiis intenti erant: vt in proœmio Metaphysicæ Aristoteles refert.

Vers. 23. Dixit ergo Ioseph ad populos: En, vt cernitis, & vos, & terram vestram Parho possidet: accipite semina, & serite agros, *Vers.* 24. vt fruges habere possitis: quintam partem Regi dabitis: quatuor reliquas permitto vobis in sementem, & in cibos familiis, & liberis vestris. *Vers.* 25. Qui responderunt: Salus nostra in manu tua est.] Iuxta Hebræum habetur: *Viuificasti nos.* Agnitio est beneficij, tum recepti, tum oblati. Non paruum enim est beneficium, offerre colendum agrum pro quinta duntaxat parte.

Respiciat nos tantùm dominus noster: & læti seruiemus Regi. *Vers.* 26. Ex eo tempore, vsque in præsentem diem, in vniuersa terra Ægypti Regibus quinta pars soluitur: & factum est quasi in legem, præter terram sacerdotalem, quæ libera ab hac conditione fuit. *Vers.* 27. Habitauit ergo Israël in Ægypto, in terra Ghosen: & possedit eam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et possessiones fecerunt in ea.* Colendo enim incultos agros, proprios reddiderunt.

Auctúsque est & multiplicatus valdè: *Vers.* 28. & vixit in ea decem, & septem annis. Factique sunt omnes dies vitæ eius, centum quadragintaseptem annorum. *Vers.* 29. Cúmque appropinquare cerneret mortis diem, vocauit filium suum Ioseph: & dixit ad eum: Si inueni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo.] Ad instar Abraham, iuramentum exigit super femur, in quo est pars generatiua; more, vt suspicor, antiquorum, principium seruandæ speciei humanæ magnipendentium, tanquàm iurando per conseruationem generis humani; quod est maximum bonum hominum in hoc mundo.

Et facies mihi misericordiam, & veritatem.] Iuxta Hebræum habetur: *Gratiam, & veritatem.* Gratiam quidem promittendo, veritatem autem exequendo.

Vt non sepelias me in Ægypto: *Vers.* 30. sed dormiam cum patribus meis: & auferas me de hac terra [d], condásque in sepulcro eorum.] Naturalis affectus ad societatem suorum, fultus affectu ad proprium solum, diuina largitate concessum in perpetuum, mouit Iahácob ad hoc, vt sepeliretur in sepulcro Abraham, & Ishac.

[d] Ne etiam populus amore terræ Ægypti afficeretur ob sui Patriarchæ sepulcrum.

Cui respondit Ioseph: Ego faciã quod iussisti. *Vers.* 31. Et ille, Iura ergo, inquit, mihi. Quo iurante, adorauit Israël Dominum, conuersus ad lectuli caput.] Senex in lectulo iacens, super caput lectuli se incuruauit; vel iuxta lectulum sedens, surrexit, & non incuruauit se super terram, (quoniam difficile hoc erat seni:) sed incuruauit se super caput lectuli gratias agens Deo.

CAPVT XLVIII.

VERS. I. His itaque transactis, nunciatum est Ioseph, quòd ęgrotaret pater eius. Qui assumptis duobus filiis (Menasse, & Ephraïm) ad eum perrexit: *Vers.* 2. dictúmque est seni: Ecce filius tuus Ioseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo: *Vers.* 3. & ingresso ad se ait: Deus omnipotens.] Iuxta Hebræum habetur: *El victor, apparuit mihi in Luz, quæ est in terra Chenahan.* Duo nomina Dei aptè iunguntur: quadrat enim, vt fortis vincat: ac per hoc vt summè fortis sit victor omnium, vincat omnes potentias, naturásque rerum omnium. Et congruunt proposito hæc nomina: quoniam fortitudine, & victoria opus erat ad implendum hæc promissa.

Benedixitque mihi, & ait. *Vers.* 4. Ego te augebo, & multiplicabo, & faciam in turbas populorum: dabóque tibi terram hanc, & semini tuo post te in possessionem sempiternam. *Vers.* 5. Duo igitur filij tui, qui nati sunt tibi in terra Ægypti, antequàm huc venirem ad te, mei erunt, Ephraïm, & Menasse; sicut Reuben, & Simhon reputabuntur mihi. *Vers.* 6. Reliquos autem, quos genueris post eos.] Iuxta Hebræum habetur: *Genuisti.* Præteritum enim tempus significat.

Tui erunt:& nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis.] Ordinauit Iahacob, vt Ephraïm, & Menasse, in diuisione terræ Chanahan haberentur, sicut alij filij ipsius Iahacob; vt, scilicet, succederent, tanquàm filij Iahacob, & essent capita Tribuum, & ipsorum nominibus comprehenderentur, non solùm ipsorum filij, sed etiam ipsorum fratres post eos nati. Modus verò, quo fratres, & Ephraïm, & Menasse distribuendi erāt, (videlicet, qui sub nomine Ephraïm, & qui sub nomine Menasse comprehendendi erant,) relinquitur posteris diffiniendus.

Vers. 7. Mihi enim, quando veniebam de Mesopotamia, (pro, *de Padam,*) mortua est Rachel in terra Chenahan in ipso itinere. Erátque vernum tempus, & ingrediebar Ephratam.] In cap. 35. habita sunt eadem verba: vbi dictum est, non fieri mentionem verni temporis, sed spatij terræ: nam iuxta Hebræum habetur: *In adhuc sicut prandium terræ veniendo ad Ephrath.* Locus mortis Rachel describitur distans à Bethlehem, quantùm durante prandio itineris fieri consueuit.

Et sepeliui eam iuxta viam Ephrath: quæ alio nomine appellatur Bethlehem.] Consentaneum rationi est, vt Iahacob, exacto à Ioseph iuramento, quòd sepeliret eum in sepulcro patrum suorum, cogitauerit, vel audiuerit rationem Ioseph contra eum, quòd matrem ipsius Ioseph non sepelierit Iahacob in sepulcro maiorum Abrahæ, & Ishac, Saræ, & Ribecæ: tanquàm Iahacob minor cura fuerit Rachelis, & tam sollicitus sit de sepulcro suo: huic, inquam, obiectioni respondere intendit; tum excusando se, quòd erat in itinere; tum commemorando, quòd ædificauit Racheli titulum perpetuum in eadem patria, in loco patulo euntibus in Bethlehem, & valdè prope ipsam ciuitatem.

Vers. 8. Videns autem Israël filios Ioseph, dixit: Qui sunt isti? *Vers.* 9. Respondit Ioseph: Filij mei sunt, quos dedit mihi Deus in hoc loco.] Nomen est אלהים, distributori bonorum congruum.

Adduc, inquit, eos ad me, vt benedicam illis. *Vers.* 10. Oculi enim Israël caligauerant præ nimia senectute: & clarè videre non poterat. Applicatósque ad se osculatus, & circumplexus, *Vers.* 11. dixit ad filium: Non sum fraudatus aspectu tuo: insuper ostendit mihi Deus semen tuum.] Iuxta Hebræum habetur: *Videre faciem tuam non censui: & ecce videre me fecit* אלהים *etiam semen tuum.* Sententia plana est.

Vers. 12. Cúmque tulisset eos Ioseph de gremio patris, adorauit pronus in terram.] Senectus, & ægritudo Iahacob prohibent intelligi hoc de Iahacob: quo fit, vt intelligamus Ioseph hunc honorem exhibuisse patri, vt incuruauerit se facie ad terram vsque, magnipendendo beneficium benedictionis filiorum: patri enim volenti benedicere pueros, hunc honorem exhibuit.

Vers. 13. Et cepit Ioseph vtrunque (Ephraïm in dextera sua, ad sinistram Israël: Menasse verò in sinistra sua, ad dexteram Israël,) applicuítque ambos ad eum. *Vers.* 14. Qui extendens manum dexteram posuit super caput Ephraïm iunioris fratris; sinistram autem super caput Menasse primogeniti, commutans manus.] Iuxta Hebræum habetur verbum ab intellectu ductum, quo caremus, ac si diceremus: intellectualiter agens manus suas: ad significandum, quòd ex interna intelligentia profecta est huiusmodi dispositio manuum.

Vers. 15. Benedixitque Iahacob filiis Ioseph.] Iuxta Hebræum habetur: *Et benedixit Ioseph.* Intellige, benedictionem Ephraïm, & Menasse, appellari benedictionem Ioseph: quia loco Ioseph subrogabantur, vt Ioseph constitueret duas Tribus. Ioseph ergo benedicebatur in illis.

Et ait: Deus, in cuius conspectu ambulauerunt patres mei, Abraham, & Ishac.] Dictio interpretata, *Deus,* est nomen אלהים, congruum tum circunspectori omnium; tum vt timeatur à fidelibus: summi enim Iudicis est, & circunspicere, & timeri: vtrunque autem horum continetur in ambulatione patrum coram Deo.

Deus, qui pascit me ab adolescentia mea.] Iuxta Hebræum habetur: אלהים *pascens me, ex quo ego vsque in præsentem diem.* Plùs significatur, quā adolescētia: significatur enim totum tempus, ex quo fuit ipse Iahacob vsque in præsentem diem. Et hoc beneficium agnoscit ab אלהים gubernatore omnium.

Vers. 16. Angelus, qui eruit me de cunctis malis.] Iuxta Hebræum habetur præsentis temporis: *Eruens me de omni malo.* Ad significandum enim perseuerantiam angelicæ custodiæ, vtitur tempore præsenti.

Benedicat pueris istis: & inuocetur super eos nomen meum [a]: nomina quoque patrum meorum Abraham, & Ishac: & crescant in multitudinem super terram.] Sciebat Iahacob promissiones diuinas terminatas in tertio patre, (hoc est, in ipso Iahacob, post Abraham, & Ishac,) & istorum trium nomina, tanquàm patrum communium vniuersi Israëlis, & tanquàm, quibus promissio facta est diuina de terra promissionis, & de Messia, in magnum fauorem, ac patrocinium inuocanda esse à populo Israël. Vnde Moses placaturus iram Dei, orauit: *Recordare Abraham, Ishac, & Iahacob.* Et propterea inter bona, quæ imprecatur benedicendo filiis Ioseph, supputat inuocationem Abrahæ, Ishac, & Iahacob super eos.

[a] Est ea phrasis Hebræis peculiaris, vt dicant, *vocari nomen alicuius super aliquem,* pro vocari aliquem alicuius nomine, vt constat Isaiæ 4. & Dan. 9.

Vers. 17. Videns autem Ioseph, quòd posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraïm, grauiter accepit: & apprehensam patris manum leuare conatus est de capite Ephraïm, & transferre super caput Menasse: *Vers.* 18. dixítque ad patrem: Non ita conuenit, pater: quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput eius. *Vers.* 19. Qui renuens, ait: Scio, fili mi, scio: & iste quidem erit in populos, & multiplicabitur: sed frater eius iunior, maior illo erit, & semen illius crescet in gentes.] Probauit rei euētus hoc: nā de Tribu Ephraïm fuit Iehosuah primus dux populi post Mosen: fuerūt & primi Reges Israël post Salomonē: maximáque multiplicatio Ephraïm clarè patet in libro Iehosuah.

Vers. 20.

Vers. 10. Benedixitque eis in ipso tempore; dicens: In te benedicetur Israël.] Antecedentia,& sequentia pluralis numeri insinuant,quòd pronomen, *te*, demonstrat Ioseph, qui in filiis benedicebatur. Nec legendum est, *benedicetur*,sed, *benedicet*:est enim sensus,quòd populus Israël imprecando bona alicui, imprecabuntur ad instar beatitudinum Ioseph. Nec legendum est: Atque dicetur.]sed legendum est, *dicendo*: exercet enim verba imprecatoria, subiungens:

Faciat tibi Deus,sicut Ephraïm & Menasse.] Ecce imprecatio bonorum, ad instar Ioseph, in filiis suis Ephraïm, & Menasse, subrogatis loco ipsius.

Constituitque Ephraïm ante Menasse.] Scripsit hoc Moses, manifestando, quòd non casu, sed ex dispositione Patriarchæ Iahacob prælatus est Ephraïm Menasse.

Vers. 21. Et ait ad Ioseph filium suum: En ego morior: & erit Deus vobiscum, reducétque vos ad terram patrum vestrorum. *Vers.* 22. Do tibi partem vnam supra fratres tuos [b], quam tuli de manu Emori in gladio, & arcu meo.] Hebraïca dictio interpretata, *partem*, & est nomen proprium loci Sechem,& est nomen appellatiuum significans, *partem*. Quòd autem in præsenti Litera sit nomen appellatiuum, testatur adiectiuum, *vnam*. Æquiuocatio itaque nominis, occasio fuit, vt Textus iste exponeretur de Sechem.

[b] Perpende hinc, licere parentibus, maiorem hæreditatis portionem vni filiorum, quàm alteri relinquere.

Duo itaque ex textu isto relinquuntur ambigua: alterum, quis sit ager iste: alterum, quando, quáve ratione Iahacob acquisiuerit agrũ illum iure belli de manu Emori. Et prima quidẽ quæstio est aliqualiter nota ex Euangelio Ioannis cap. 4. vbi dicitur, quòd prædium datum Ioseph à Iahacob erat in Samaria, prope ciuitatem Sichar. Secundæ autem quæstionis nullam penitùs notitiam habeo: quia nullibi legi, Iahacob pugnasse cum Amorræis: sed & hæc Litera insinuat, multas res gestas à Patriarchis tacitas fuisse à Mose. Significantiùs autem dixi cum Amorræis, ad excludendum insultum aduersùs Sechemitas, factum, non à Iahacob; sed à filiis eius: quandoquidem Sechemitæ non Amorræi; sed Hiuæi erant: vt superiùs in 34. cap. patet.

CAPVT XLIX.

VERS. 1.

Vocauit autem Iahacob filios suos: & ait eis: Congregamini, vt annunciem, quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis.] Non significatur mensura omnium, quæ prænunciauit Iahacob; sed mensura præcipuorum. Non est sensus: Vt annunciem, quæ ventura sunt duntaxat in fine dierum, sed est sensus: Vt etiam, quæ ventura sunt in fine dierum, annunciem. Et hæc erant præcipua: quia erant conditiones Messiæ venturi in fine dierum simpliciter, & absolutè in secundo aduentu; relatiuè autem ad leges etiam in primo aduentu: nam vltima lex est lex Christi: & cùm Christus gloriosè adueniet, finis erit mundi istius.

Vers. 2. Congregamini, & audite, filij Iacob: audite Israël, patrem vestrum. *Vers.* 3. Reuben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei [a].] Iuxta Hebræum habetur: *Et principium roboris mei*. Conditiones Reuben primogeniti supputat. Quarum prima est esse patri tanquàm fortitudinem: primogeniti siquidem est sumere arma, & pugnare pro patre: & propterea appellatur fortitudo patris. Relatiuè autem ad fratres, idem primogenitus est principium roboris paterni: quia ipse est dux aliorum, & à duce pendet robur totius exercitus.

[a] Tradit Aben-Esra, primogenitum principium doloris vocari, eò quòd ille incipiat dolorem, & curam adferre patri.

Prior in donis, maior imperio.] Paraphrasis est hæc, non interpretatio. Obscuritas Hebraïca impulit Interpretem ad hoc. Potiùs itaque, iuxta Hebræum, legendum est: *Excellentia alta, & excellentia fortis*. Cùm supputasset duas conditiones sui primogeniti penes fortitudinem, supputat duas alias penes excellentiam; dicendo, quòd superioritas eius non est superioritas ima, sed celsa, vtpote præstans tantæ multitudini, tot Principibus populi Israël: & quemadmodum nõ est humilis, sed celsa huiusmodi excellentia, (quæ meliori vocabulo appellaretur superbia, nisi vsus Christianus intelligeret nomine superbiæ vitium:) ita non est debilis, sed est fortis, vtpote fulta præsidio tanti populi.

Vers. 4. Effusus, sicut aqua [b].] Iuxta Hebræũ habetur: *Festinatio sicut aqua*. Quinta conditio primogeniti ad actionem spectat, quòd impetus eius est, sicut impetus aquarum festinantium. Consentanea est siquidem huiusmodi actio tot prærogatiuis antedictis: nam ex tali, tantáque fortitudine, atque superbia, impetus debet emanare, cui nullus possit resistere, ad similitudinem impetus aquarum festinantium. In primogenito enim descripsit Iahacob robur populi sui, quod suapte natura futurum erat sub Reuben, primogenito duce.

[b] Aliqui hanc orationem, cum sequenti coniungunt, vt sensus sit: Effusus, sicut aqua, non crescas.

Non crescas: quia ascendisti cubile patris tui.] Iuxta Hebræum habetur dictio significans: *Non plus habebis*. Aduersatiua est oratio, tollens à Reuben id pluris, quod habebat, quàm alij. Et est sensus, quòd, quanuis tibi primogenito meo deberentur iure primogeniti hæc quinque, quibus præstares reliquis fratribus tuis; non tamen habebis illa, non tamen præstabis fratribus tuis. Et ratio redditur ex incestu patrato, cognoscendo vxorem paternam. Res gesta scripta est superiùs cap. 35.

Et maculasti stratum eius.] Iuxta Hebræum duæ sunt orationes: *Tunc polluisti: lectum meum ascendit*. Prima oratio continuatur cum præcedentibus, alloquendo ipsum Reuben ad manifestandum eidem crimen proprium, quo polluit patrem, contra prima præcepta iuris naturæ agens: primum enim præceptum naturalis iuris erga alterum hominem, est, honorare parentes. Altera verò oratio dirigitur ad filios omnes congregatos. Perinde ac si dixisset: Non miremini, quòd priuo Reuben primogenitum: quia peccatum eius contra me meretur hoc: nam stratum meum ascendit.

Vers. 5. Simhon, & Leui fratres.] Simul istorum duorum causa agitur propter eorum vnanimitatem ad malum: propter quod & appellantur fratres, non tam carne, quàm consilio, & animo.

Vasa iniquitatis bellantia.] Iuxta Hebræum habetur: *Vasa iniquitatis, arma eorum*.

Quanuis legi possit, *habitationes eorum*. Hebræo more, *vasis* nomine intelligitur omne instrumentum. Et est planus sensus, quòd arma eorum sunt eis instrumenta ad faciendum iniuriam.

Vers. 6. In consilium eorum ne veniat anima mea; & in cœtu illorum non sit gloria mea.] Iuxta Hebræum pulchriùs habetur: *In secretum eorum non veni, anima mea: in cœtum eorum non i, solus honor meus.* Duo crimina leguntur patrata à Simhone, & Leui. Alterum aduersùs Sechemitas: & ratione huius dicitur: *In secretum eorum non veni, anima mea.* Apostrophando ad propriam vitam Iahacob, declarat crimen filiorum; videlicet, quòd in occultum dolum machinantium aduersùs Sechemitas incidit vita Sechemitarum: vt clarè superiùs patet cap. 34. Alterum aduersùs Ioseph. Et quanuis non sit apertè scriptum, quòd Simhon, & Leui fuerint capita aduersùs Ioseph; coniectura tamen eius rei habetur ex eo, quòd fratribus Ioseph in Ægypto angustiatis à Ioseph, tanquàm exploratoribus, & existimantibus, ac dicentibus, quòd propter iniuriam illatam Ioseph hoc paterentur, reliquerunt Simhonem, tanquàm obsidem in vinculis. Hinc enim coniicitur, quòd Simhon fuerat caput iniuriæ aduersùs Ioseph. Et quia huiusmodi iniuria ex inuidia honoris, & gloriæ Ioseph processerat, & ipsi capita cœtus fuerant: (nam Reuben primogenitus contradixit; & Simhon, & Leui maiores cæteris erant:) ideò Iahacob apostrophando ad honorem proprium, manifestat huiusmodi crimen eorum, dicens: In cœtum eorum, ô honor meus, non i solus; quemadmodum solus iuit honor Ioseph in cœtum eorum. Et appellatur, *cœtus eorum:* quia ipsi dixerant: *Ecce somniator venit: venite, occidamus eum.*

Quia in furore suo occiderunt virum.] Ad primum crimen hoc spectat. Et Hebræo more multitudinem virorum appellàt *virum:* occiderunt enim omnes viros Sechem.

Et in voluntate sua suffoderunt murum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et in voluntate sua euulserunt bouem.* Ad alterum crimen hoc respicit. Et sub bouis metaphora Ioseph significat, tanquàm inter animalia magna vtilissimum omnium: ipsum enim è domo, & terra sua euulserant, vendendo Ismahelitis euntibus in Ægyptum.

Vers. 7. Maledictus furor eorum, quia pertinax.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia fortis.* Primi criminis malitiam detestatur: quia fortis fuit ad exequendum tantum malum.

Et indignatio eorum, quia dura.] Siue iram, siue indignationem legas, in idem redit: duritia enim Simhonis, & Leui increpatur, quòd Reuben suadenti: *Nolite peccare in puerum*, non acquieuit indignatus animus eorum aduersùs innocentem fratrem.

Diuidam eos in Iahacob, & dispergam [e] eos in Israël.] Pœna hæc quoad Tribum Leui adimpleta manifestè est: quoad Tribum verò Simhonis non tam perspicua est: quoniam nusquam legitur sparsa inter alias Tribus; sed tantummodo, quòd sortem non habuit in distributione terræ promissionis; sed in sortem Iehudæ recepta est. Aiunt tamen Hebræi, verificari hanc prophetiam Iahacob, eò quòd omnes ferè pædagogi, & similiter omnes Scriptores in singulis Tribubus, erant de Tribu Simhonis.

[e] Hęc crediderim per tropum dicta: *Dispergam*, hoc est, debilitabo, & diminuam eorum vires, & potentiam, priuãdo primogenitura. Sic in Psalmo dicitur: *Dispersisti inimicos tuos*, id est, potentiam eorum fragilem reddidisti.

Vers. 8. Iehuda.] Deficit pronomen: legendum est: *Iehuda tu.* Deinde subiungendum est:

Laudabunt te fratres tui.] Alludit Iahacob ad nomen Iehudæ: sonat enim confessionem laudis. Ac si apertiùs dixisset: Meritò tu diceris Iehuda, meritò à laude nomen habes: quia laudabunt te fratres tui. Et hoc pluries fuit adimpletum: nam & in exitu Israël de Ægypto fuit Iehuda sanctificatio eius: & post mortem Iehosuah, Iehuda ascendit ante fratres suos.

Manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filij patris tui.[d]] Vtrunque horum impletum esse liquet tempore Dauidis, qui fuit de Tribu Iehudæ: ipse enim domuit hostes Israël, & adoratus est ab vniuersis Tribubus Israël, vtpote Rex omnium.

[d] Hoc est, primogenitus eris: nam primogenitus maior erat in imperio. Reliqua verò, quæ hic subnectuntur, de semine Iudæ, vt Propheta dixit, putà, quòd *manus eius in ceruices inimicorum.* Nam ad similitudinẽ catuli leonis audacter aggrederetur, & acquireret: vt leæna verò accubaret, possessa ab inimicis defendendo.

Vers. 9. Catulus leonis Iehuda.] Iuxta Hebræum nullum signum genitiui casus habetur: & legendum censent: *Catulus, leo Iehuda.* Vt duo describantur status Dauidis: alter catuli, alter leonis. Nec intelligas, per catulum, vt Latinè sonat; sed iuxta Hebræum determinatè pullum leonis. Iehuda enim in Dauide priùs fuit velut pullus leonis; videlicet, ante bellum motum ab Ammonitis. Posteà fuit velut leo: vt patet legenti gesta scripta in libris Regum.

Ad prædam, fili mi, ascendisti.] Iuxta Hebræum habetur: *A præda, fili mi, ascendisti.* Dictio interpretata, *præda*, plusquàm prædam significat: nam significat prædationem more supino. Dixerat de Iehuda, quòd catulus, & quòd leo: manifestat consequenter modum, quo ex pullo emersit leo. Et ad Literam impletum hoc legimus in 2. libro Regum, post iniuriam ab Ammonitis illatam Legatis Dauidis: exinde enim debellauit Dauid tot nationes auxiliantes Ammonitis, subegit Syriam, & tot regna, vt ex leunculo factus fuerit leo: & sic ex huiusmodi bello, quod in Litera vocatur, *præda*; Iehuda ascendit in Dauid, & excelsus Rex factus est.

Requiescens accubuisti, vt leo; & quasi leæna.] Iuxta Hebræum habetur: *Genuflexit, accubuit, sicut leo, & sicut catulus.* Vtrunque similiter statum (videlicet, leunculi, & leonis) describit. Nam planus sensus Literæ est, quòd in vtroque statu, quantùm fuit ex parte sua, fuit pacificus: ne intelligeres, quòd ex bellica pręda per fas & nefas ascenderit: pacificus enim significatur, quantùm est ex parte eius; tum flexione genuum (quæ est imperfecta quies quadrupedũ;) tum accubitu, quæ quies perfecta est eorundẽ. Adimpletúmque vtrunque legimus: nam & Dauid, tanquàm leunculus quiescebat, nec aliquid moliebatur mali, Legatos mittens consolatorios ad Regem Ammonitarum: & postquàm tot regna vicit, quieuit vt leo. Et assimilatur quies vtriusque status quieti leoninæ: quia quiescebat securus, & fortis. Et dicuntur hæc ad commendãdum regnum Iehudæ, quod non augebatur cupiditate propagandi imperij; sed quantum in eo erat, quiescebat.

Quis

Quis suscitabit ipsum:] Iuxta Hebræum habetur: *Quis faciet surgere ipsum?* Proculdubio à quiete incuruationis,& accubitus? quasi dicat: Nullus sapiens,ex quo quiescit securus, & fortis vt leo, seu vt pullus leonis. Experientia testata est, quòd Rex Ammonitarum, qui fecit surgere Dauidem quiescentem leunculum,pœnas dedit propriẹ desolationis.

*Vers.*10. Non auferetur sceptrum de Iehuda,& dux de femore eius [e].] Iuxta Hebræum hæc secunda clausula habetur: *Et præceptor de medio pedum eius.* seu ad verbum: *De inter pedes eius.* Quod autem subiungitur:

[e] Thalmudistæ hanc propheciã interpretantes,hoc sceptrum principatum quendã Zanedrim vocatum intelligunt,eúmq; in deserto institutum tẽpore Mosis dicunt, collegiũ. sceptri promissi vocantes:tamẽ, quia tempore Iudicũ videtur cõciliũ illud iam nõ stetisse, libẽtius sceptrum istud de regno Iudæ interpretari malim. De sceptri verò ablatione nil habeo, quod proferã fateor enim, me hæc nondum planè intellexisse. Si tamen aliquid de ea re videre velis, consule Philonem in fragmentis.

Donec veniat,qui mittendus est.] Iuxta Hebræum habetur: *Vsquequò veniet Silo.* Quod demum subditur:

Et ipse erit expectatio gentium.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ei congregatio (vel, auscultatio) populorum.* Litera ista tam obscura est, vt nisi contextus insinuaret,nescirem,quid mihi dicendum esset. Nam dictio, *Silo*, nullam habet significationem, propriè sumpta, quæ quadret materiæ. Vbi ante omnia scito, quòd dictio ista diuersa est à dictione Hebraïca scripta in Euangelio Ioannis cap. 9. *Vade, & laua in natatoria Siloe,quod interpretatur Missus.* nã aliter scribitur dictio hæc, & aliter illa: & hîc quidem Silo;ibi autem Siloah legitur. Non est itaque inde argumentandum,quòd Silo interpretatur Missus,seu Mittendus. Extra propositum quoque est, quòd Silo sumatur pro proprio nomine loci, in quo erat tabernaculum Domini factum à Mose, vt contextus manifestat. Nullam autem aiunt Hebræi habere aliam significationem nomen hoc, nisi secundas: ita quòd *Silo*,nomen est membranæ illius, qua inuoluitur proles nascens,quæ Latinè dicitur secundæ. Ex qua significatione, per denominationem Silo significat filium, quatenus membrana opertus ex muliere nascitur.

Et quanuis sit sordida denominatio; aliena tamen non est à mysterio: tum, quòd Messias non nisi nascendo veniet:ita,quòd modus,quo Messias veniet in mundum hunc, describitur; videlicet,quòd veniet nascendo ex muliere,& non veniet missus à Deo in ætate prouecta absque patre, & matre, vt venit in mundum Adam. Tum, quòd Messias nasciturus ex muliere sola prophetatur: perinde ac si dictum fuisset:Donec veniat partus habens id,quod est mulieris, ad differentiam seminis virilis. Quod enim ad literam aduentus Messiæ hic describatur, non solùm Thargum, sed subiuncta testantur: *Et ipsi congregatio populorum.* testatur & contextus præcedentium, & sequentium.

Discurre, & discute expositiones omnes, tam Hebræorum,quàm aliorum;& nullam inuenies quadrare præmissis verbis: *Non auferetur virga de Iehuda.* nisi hanc: *Non auferetur penitus principatus ex Tribu Iehudæ, vsquequò veniat Messias.* Ablatus siquidem est antè; sed non penitùs: impeditus est ad tempus principatus Iehudæ;sẹd non totaliter desiit. Remansit siquidem semper certitudo nasciturі Messię de Tribu Iehudæ. Hoc itaque singularissimum prophetatur de principatu Iehudæ, ad differentiam reliquarum Tribuum, quòd in reliquis Tribubus defectus principatus potest esse defectus penitùs,ita quòd in æternum non redibit principatum:in Tribu verò Iehudæ, quicunque, & quomodocunque accidant defectus principatus, siue regij, siue ducalis, &c. nunquam auferetur penitùs principatus Iehudæ,quovsque veniat Messias de Tribu Iehudę.

Nec sis ita rudis, vt intelligas,postquàm venerit Messias, defecturum penitùs principatum Iehudæ:quoniam tunc firmabitur in æternum. Sed sat fuit Prophetæ tollere id, quod poterat esse ambiguum. Non vertitur in dubium, regnum Messiæ fore regnum æternum: sed dubitari poterat, an principatus Iehudæ continuandus erat vsque ad Messiam. Et ad hoc tollendum dubiũ prædicit Iahacob,quòd, quanuis non continuetur principatus Iehudæ; non tamen penitùs auferetur: sed certissima expectatione expectandum est vsquequò ex muliere Tribus Iehudæ nascetur filius,&c. Simile quid habes in Psalmo: *Sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos, scabellum pedibus tuis.* Libra reliquas expositiones: & inuenies falsa mixta,aut voluntaria. Huic autem nullum occurrit offendiculum: & propterea præpono illam.

De quali autem virga Propheta loquatur, manifestant subiuncta verba: *Et præceptor de inter pedes eius.* ad differentiam potestatum ministrantium. Ad explicandam potestatem principalem, describitur, *inter pedes eius præceptor*,hoc est, Doctores, quorum consiliis princeps,& statuta condit,& gubernare solet. Nec abnuo,quòd ideò ad literam describitur, *inter pedes Principis præceptor:* quia consueuerint huiusmodi sapientes sedere iuxta pedes Regum: descripta enim potestate describitur dignitas Messiæ. Et ad Literam verificatum est: quia Messias nihil scripsit per seipsum;sed Scriptores omnes Doctores legis ipsius, *inter pedes eius*;id est,subditi ipsi fuerunt: Apostoli, videlicet, & Euangelistæ. Quòd demum aggregatio, vel auscultatio omnium populorum Messiæ sit propria, plena est sacra Scriptura.

Nec te lateat, quòd *Silo* potest diuidi in duas dictiones, *si*, &, *lo*:& esset sensus; *Vsquequò venet munus ei.* Aiunt tamen,nescio quam improprietatem intercedere in hac diuisione, & significatione muneris. Quæ improprietas,si abesset,esset de Messia sermo valdè congruus: nam Messias, tum ex parte Dei,tum ex parte nostri,habet rationem doni. Et potest dici: *Vsquequò veniet munus datum ei Iehudæ. Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* & potest dici: Vsquequò veniet ei (Iehudæ) munus offerendum. nam Messias est oblatio noua,& præcipua inter omnia, quæ offerri possunt Deo.

*Vers.*11. Ligans ad vineam pullum suũ, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam [f].] Iuxta Hebr. habetur: *Ligans ad vitem pullũ suũ, & ad bonũ vitis filium asinæ suæ.* Officia Messiæ manifestat, explanando, quod dixerat: *Et ipsi congregatio populorũ.* De populo nãque ethnico dicit: *Ligans ad vitem pullũ suũ.* Indomito pullo indeterminatæ speciei quadrupedum assimilatur populus,qui vocatur gentilis,eò quòd à diuinæ legis iugo alienus fuerat; & hũc Messias ad se traxit, alligando ipsum,non ferro, nõ quercui;sed viti; hoc est, sibiipsi, dicenti: *Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est.* vt nõ violenta, sed libera vincula intelligeremus. Populum verò Iudæorum assimilauit Propheta filio

[f] Tropis regni Iudæ felicitas,& bonorum vbertas in his verbis prophetatur: hoc enim, per *ligare ad vitẽ asinam, lauaréque in sanguine vuæ stolam,* intelligunt multi.

filio asinæ: quia illa portio Iudæorum, quæ adhæsit Messiæ, filius asinæ, onus legis portantis, non ipsa asina fuit. Et aptè alligatus describitur meliori parti vitis: quoniam primi Ecclesię Christianæ patres Iudæi, iuncti sunt Christo potioribus donis.

Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.] Iuxta Hebræum habetur in præterito, *lauit*. Manifestata siquidem extensione Messiæ per vincula libera fidei, spei, ac dilectionis ad Gentiles & Iudæos; manifestat modum, quo Messias his liberis vinculis ligabit vtrosque: mysterium enim passionis, ac mortis eius describitur: quo consummato (& ideò in præterito scripto) deuinxit sibi Messias liberis vinculis Iudæos, & Gẽtiles. Sub specie autem ablutionis propriarum vestium in vino rubro, prophetatur mysterium mortis Messiæ, ad significandum sanguineam mortem ex amore: vinum enim causam amoris esse, testatur lætificatio cordis. Ita quòd huiusmodi mors non tam fuit mors, quàm fuit ablutio vniuersi corporis, imò humanitatis assumptæ, quasi vestimenti ab omnibus passibilitatibus & mortalitate: quanuis enim Messias potuisset aliter reddere se immortalem, & impassibilem; maluit tamen merito crucis id acquirere.

Vers. 12. Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores [g].] Iuxta Hebræum habetur: *Rubor oculorum à vino, & candor dentium à lacte.* Testatur Ioannes in Apoc. oculos Iesu esse spiritus eius missos in vniuersam terram. Similes itaque Messiæ, sanguine abluto, describuntur spiritus Apostolorum, & aliorum missorum ab eo, dum rubere describuntur ex vino, proculdubio eodem, in quo Messias lauit vestiméta sua: passio enim Christi, ratio est patiendi spiritualibus Christianis.

[g] Licèt non dubitẽ, hæc verba mysteria multa designare; Litera tamen videtur Iudæ formam, & speciem commendare.

Candor verò dentium (ad comedendum, & loquendum seruientium) candor est notitiæ, qua spiritales viri aluntur, quámve docendo alios saluant. Et hic candor à lacte procedit: quia, quemadmodum lac datur infantibus absque eorum labore ex materni officij amore; ita notitia fidei ex diuinæ reuelationis lacte solis infantibus absque eorum studio, ac merito communicatur, dicente Domino Iesu ad patrem: *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus; & reuelasti ea paruulis.* Feruor itaque spiritus ad patiendum, & candor veritatis Christianæ fidei describuntur in membris Christi: ad quæ duo quæcunque sunt Christianæ Religionis reducuntur.

Vers. 13. Zebulum in littore maris habitabit, & in statione nauium: pertingens vsque ad Sidonem.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum, neque littus, neque statio; sed vtrobique portus habetur. Sors prophetatur Zebulum futura in mari mediterraneo, cum multis portubus iuxta Sidonem.

Vers. 14. Issachar asinus fortis.] Iuxta Hebræum habetur, *osseus*; quod est plus, quàm fortis.

Accubās inter [h] terminos. *Vers.* 15. Vidit requiem, quòd esset bona; & terram, quòd optima: & supposuit humerum suum ad portandum: factusque est tributis seruiens.] De hoc, sola ea dicuntur, quę quadrant asino osseo; videlicet, quòd non vagus extra confinia; sed iudicauit quietem intra confinia esse expedientem, & terram benignam cultoribus: & propterea submisit ossa sua laboribus agriculturæ: & inde secutum est, quòd sit magis grauatus tributis. Morale apparet hoc esse Principibus, vt cultores feracis regionis plùs fructuum terræ percipientes plùs grauent. Assimilatur autem asino osseo: asino quidem propter ruditatem ingenij contenti laboriosæ seruitutis statu: osseo autem propter magnitudinem roboris corporei ad sustinendum.

[h] Hoc est, inter fines maris Syriaci, & Galilææ.

Vers. 16. Dan iudicabit populum suum, sicut vna Tribuum Israël.] Hoc ad Literam impletum legitur in Simsone de Tribu Dan, qui iudicauit Israël annis viginti: vt patet in libro Iudicum.

Vers. 17. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò [i].] Iuxta Hebræum habetur: *Erit Dan serpens super viam, cerastes super semitam mordens calcaneos equi: & iecit equitẽ eius retrò.* Dictiones interpretatæ *via*, & *semita*, apud Hebræos differunt: quia prima significat vias infra ciuitatem; secunda verò vias extra ciuitatem: significatur enim serpens in viis intus, & cerastes in viis extra. Ambigua valdè est hæc sententia: quoniam hactenus gesta in Tribu Dan, non verificant hæc: nam Simsonis gesta aliena sunt à serpentinis morsibus, & insidiis; robusta enim non serpentina fuerunt. Gerenda autem, incerta nobis sunt. Si tamen verum esset, quòd Antichristus ex Tribu Dan venturus est, quadraret, vt de ipso hæc dicerentur. Nam, & veneno, & insidiis similis erit serpenti super viam, communem hominum cursum, & serpenti cornuto (seu, vt aliis placet, basilisco) mordenti calcaneos equi; hoc est, à remotis insidianti tanta efficacia, vt morsu lædendo remota quæque, vincat multitudinem maximam hominum. Et huiusmodi sensui quadrat, quod subditur:

[i] In his verbis intelligo, prędixisse Iacob maximã illam afflictionem, quam Samsonis tempore filij Israël sustinuerunt: nunquam enim diuturniorem, aut acerbiorem habuerunt ad captiuitatem Babylonicam vsque. Prædicit igitur Iacob, se salutem illius afflictionis expectare: n[?] futurus erat *Dan*, hoc est, *Samson*, *sicut coluber in via, & cerastes*, &c. Cæterùm, si huius serpentis cerastis naturam scrutari cupis, vide Plin. lib. 8. cap 23.

Vers. 18. Salutare tuum expectabo, Domine.] Iuxta Hebræum habetur: *In saluatione tua speraui* יהוה. Inter tot actiones Antichristi firmat Propheta spem suam in vero Messia, qui est salus humani generis à summo essendi principio procedẽns.

Vers. 19. Gad accinctus præliabitur ante eum: & ipse accingetur retrorsum [k].] Iuxta Hebræum habetur: *Gad congregationem congregabit ipse: & ipse congregabit calcem.* Dictio Hebraïca ter repetita significat congregationem ad pugnandum, vel ad latrocinandum. Et describitur, non solùm primò congregatio ad bellum, sed etiam congregator reliquiarum, quę per finem, seu calcem significantur. Nec occurrit magis congrua verificatio huius prophetiæ, quàm in Iephtha, qui fuit congregator latronum, & militum aduersùs Ammonitas; & demum Gilhaditas, tanquàm calcem, congregauit ad Ephraïm insurgentem contra eum: & fuit filius Gilhad, qui fuit ex Tribu Gad: vt patet 1. Paralip. 5.

[k] Gad Tribus commẽdatur in eo, quod magna fortitudine præibit filios Israël, terram promissam ingredientes, eos custodiens ab interiori parte; à tergo verò mutuò ab ipsis custodita.

Vers. 20. Aser, pinguis panis eius: & prębebit delicias Regibus.] Sentẽtia clara est, intelligendo per panem, vniuersum alimentum: laudatur enim & à bonitate, & à deliciis sors terræ eius.

Vers. 21.

Vers. 21. Naphthali, ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis.] Iuxta Hebr. habetur: *Cerua missa, dans dicta pulchritudinis.* Non occurrit magis certa, ac magis quadrans metaphoræ huic res gesta, quàm historia Barac de Tribu Naphthali scripta Iudic. 5. assimilatur enim missæ ceruæ Naphthali in Barac: eò quòd quum mitteretur dux prælij, noluit sine Debora proficisci, timidus vt cerua. Dicta autem pulchritudinis, ad canticum, quod Debora cecinit, spectant.

Vers. 22. Filius crescens Ioseph, filius crescens.] Ad nomen Ioseph alludit.

Et decorus aspectu.] Iuxta Hebr. habetur: *Super fontem*; vel, *super oculum.* Et iudicio meo iungenda est hæc particula, non cum præcedentibus; sed cum sequentibus: ita quòd priùs commendauerit Ioseph de augmento, conduplicando: *Filius crescens*, (eò quòd, & creuerit sibi, & creuerit domui vniuersæ Iahacob:) & posteà laudet ipsius pulchritudinem, describendo concursum mulierum ad aspiciẽdum Ioseph: concursum autem super murum ad aspiciendum transeuntem; vel super fontem, ad aspiciendum comedentem æstiuo tempore in aliquo loco amœno, vt mos est Principum: ita quòd litera sit:

Super fontem filiæ incesserunt super murum.] Et si legatur, *super oculum*, sententia in idem redit, significando loca, vnde prospicere possent Ioseph.

Vers. 23. Sed exasperauerunt eum, & iurgati sunt, inuideruntque illi habentes iacula.] Iuxta Hebræum habetur: *Et amaricauerunt eum, & sagittauerunt, & oderunt eum sagittarij.* Res gesta in Ægypto aduersùs Ioseph ab hero, & hera ipsius Ioseph, summariè tangitur. Vterque herus sub metaphora principalium sagittariorum describitur: quia reuerà ipsi fuerunt principia afflictionum Ioseph in carcere, & ipsi amaram reddiderunt vitã eius. oderunt eum, volendo ei malum carceris: & sagittauerunt eum sagittis infamiæ, & cruciatus.

Vers. 24. Sedit in forti arcus eius: & dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuũ illius per manus potentis Iahacob.] Iuxta Hebræum habetur: *Et sedit in fortitudine arcus eius: & aurata sunt brachia manuum eius de manibus potentis Iahacob.* E regione sagittariorum locat fortitudinem Ioseph sub specie arcus: significando, quòd illi quidem sagittarij sagittis appetierunt eum; sed ipse fortiter restitit arcu suo: ita quòd immotus est animus eius tendẽs ad bonũ: huiusmodi enim arcu pugnauit cũ domina sua: & inde secutũ est, quòd brachia illius auro ornata sunt: nam ex constantia virtutis suæ meruit exaltari à Pharone: tunc enim ornatus est auro. Et quia huiusmodi exaltatio profecta est ex opere diuinæ potentiæ; ideò dicitur decorata fuisse brachia illius de manibus (hoc est, ab operibus) potentis Dei Iahacob: ex eo enim, quòd ad saluandũ domũ Iahacob exaltatus Ioseph est à Deo, ideò dicitur de manu potentis Iahacob: ac si apertiùs dixisset, quòd à potentia saluatrice Iahacob exaltatus est Ioseph.

Inde pastor egressus est lapis Israël.] Duo officia Ioseph declarantur subsecuta: alterum, quo pauit domum Israël, imò vniuersam Ægyptum: alterum, quo fuit firmitas, ac velut lapis, firmamentum sustentans domum Israël. Nec est in Hebræo, *egressus est*: sed sine verbo aliquo habetur: *Inde pascens lapis Israël.* hoc est, ex illa diuina operatione cõstitutus est Ioseph lapis Israël pascendo: sic enim sustentauit domum Israël.

Vers. 25. Deus patris tui erit adiutor tuus.] Iuxta Hebræum habetur: *Ab El patris tui: & auxiliabitur tibi.* Dixerat, *inde pascens lapis Israël*: prosequitur manifestando illam particulam, *inde*, dupliciter: primùm exponendo, *inde*, hoc est, ab El patris tui. Diuinum nomen est El, significans Deum, quatenus fortẽ: vt ab eadem diuina fortitudine, quæ seruauit patrẽ, intelligatur prodiisse Ioseph, *lapis Israel.* Prophetat autem, quòd illemet Deus fortis adiuuabit Ioseph: vt manifestetur beneficus, non solùm domui Israël; sed etiam ipsi Ioseph.

Et omnipotens benedicet tibi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et à victore: & benedicet te.* Secundò exponit, *inde*, hoc est, & à victore. Est hoc quoque nomen Dei, ex quo omnipotens dicitur, eò quòd vincit naturas, ac vires omnium. Et verè à victore prodiit *pascẽs lapis Israel*: quandoquidem vicit, & facta à fratribus, & facta ab heris aduersùs Ioseph. Similitérque prophetatur, quòd Deus victor omnium benedicet Ioseph.

Benedictionibus cæli desuper.] Appellatione cælorum, Hebræo more, comprehenditur etiam aër. Verùm adiungendo, *desuper*, explicatur vniuersitas superiorum corporum, incipiendo ab aëre, vsque ad supremum cælum. Ita quòd *benedictiones cælorum desuper*, comprehendunt beneficia ex vniuersis corporibus superioribus prouenientia.

Benedictionibus abyssi iacentis deorsum.] Quum abyssus immensæ aquæ nomen sit, appellatione *abyssi iacentis deorsum*, vel intellexit, iuxta vulgarem loquendi modum, aquas alterius hemisphærij antipodis nobis: vel infra terram existimatam abyssum, vnde prodeunt flumina. Et hoc potest sanè intelligi, intelligendo abyssum non formaliter; sed virtualiter; hoc est, indefessam virtutem naturaliter generatiuam aquarum intra viscera terræ. Vtro modo intelligas, nihil refert: quoniam intendit comprehendere beneficia prouenientia ex omnibus corporibus inferioribus. Et quia aquas locat sub terra, prima expositio magis quadrat.

Benedictionibus vberum, & vuluæ.] Lustratis tanquàm per lineam rectã supremis, & infimis corporibus vniuersis, ad collateralia benedictiones vertit: & beneficia virtutis generatiuæ in vulua, & virtutis nutritiuæ in vberibus comprehendit.

Vers. 26. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrũ eius, donec veniret desiderium collium æternorum.] Iuxta Hebr. habetur: *Benedictiones patris tui fortes fuerunt supra benedictiones genitorũ meorum, vsque ad desiderium collium æternorũ.* Manifestat ipsemet Iahacob beneficiũ maius suarum, quas confert Ioseph, benedictionũ, relatiuè ad benedictiones collatas sibi à patribus suis. Vbi aduerte, quòd conferendo benedictiones benedictionibus, inuenitur, quòd citra spectantia ad Messiã benedictiones collatæ

à Iahacob Ioseph, fortiores sunt benedictionibus collatis Iahacob à patribus suis:vt pater intuẽdo,& discutiendo eas. Et hoc est,quod manifestat Iahacob ipsi Ioseph,dicendo,quòd *benedictiones patris tui*(hoc est,collatæ à patre tuo tibi)*fortes fuerunt supra benedictiones genitorum meorum*, collatas mihi *vsque ad desiderium*(exclusiuè intelligitur,*vsque*; hoc est,circa desiderium *) collium æternorum*, hoc est, citra partum Messiæ desiderati ab æternis collibus,ab æternis celsitudinibus hominũ : solis enim excelsis animis,ad æternitatem inhiantibus,notus tunc erat explicitè, & desideratus aduentus Messiæ.

Fiãt in capite Ioseph,& in ceruice Nazaræi [l] inter fratres suos.] Iuxta Hebr. habetur: *Erũt capiti Ioseph, & vertici coronationis fratrũ eius.* Regia dignitas futura in Tribu Ioseph prophetatur:veruntamen ex ipso loquẽdi modo insinuatur, quòd filij Ioseph erunt pars coronæ fratrum eius,non integra corona:quia filij Ioseph nunquã fuerunt Reges super vniuersum Israël ; sed de corona regni partem acceperunt, diuisa corona in duo regna, vt patet in libro Regum.

l Hoc est,fiant sancti & iusti.

*Vers.*27. Binjamin , lupus rapax,manè comedet prædã, & vespere diuidet spolia.] Non occurrit cõsonantior verificatio,quã in Saüle,primo Rege de Tribu Binjamin:peccatũ enim eius, quo reprobatus est à regno, prophetatur : nam iussus vt non parceret rebus Hamalec,versus est ad prædã,vt dicitur 1 Reg. 15. Et licèt pretiosa quæq; spolia diuiserit;perspicaciùs tamen intelligimus prophetari, quòd Binjamin in Saüle Rege futurus erat matutinus ad prædam ; (hoc est,ad superandum inimicos populi Israël ;) sed tardus ad diuidendũ spolia suis:quia acquirere sciuit;sed conseruare regnũ suis nesciuit : vt rei probauit euentus. Persequendo enim Dauidem , extulit illum in opinione hominum;& occasionem illi dedit congregãdi viros:& sic paulatim crescendi in Regem:superbiẽdo meruit deiici à regno à Deo.

*Vers.*28. Omnes hi in Tribubus Israël duodecim.] Iuxta Hebr.habetur : *Omnes istæ Tribus Israel duodecim.* Subiunxit hoc Moses ad significandum benedictiones has,dicta hæc à Iahacob,referri ad ipsas Tribus duodecim.

Hæc locutus est eis pater eorũ:benedixítq; singulis benedictionibus propriis.] Iuxta Hebr. clariùs habetur : *Et benedixit eos: vnumquẽque,sicut benedictio eius benedixit eos* [m]. Ne intelligeres,Iahacob aliter benedixisse filiis, quã scriptũ est explicauit Moses,quòd quilibet filius est benedictus , sicut exigebat singulorũ benedictio:vt hinc intelligeremus,quòd etiam illa,quæ mala sunt,(putà *Simhon, & Leui,vasa iniquitatis*,& alia similia mala culpę,vel pœnę) sũt dicta benedicẽdo: nã,& arguere,& punire, & pręmonere,aliena nõ sunt à paternis benedictionibus. *V.*29.Et præcepit eis,dicẽs: Ego congregor ad populũ meũ : sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici, quę est in agro Hephron Hithei,*Vers.*30. contra Mamre,in terra Chenahan:quam emit Abrahã cum agro ab Hephron in possessionẽ sepulcri. *Vers.*31. Illic sepelierunt Abrahã & Saram vxorem eius : ibi sepultus est Ishac cum Ribeca vxore sua:ibi & Lea condita iacet. *Vers.*32.Finitísque mãdatis , quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulũ,& obiit:appositúsq; est ad populũ suum.] Iuxta Hebr. habetur : *Et fuit aggregatus ad populos suos.* Clarum est, quòd de Iahacob secundũ animam dicit Moses: *Et aggregatus est ad populos suos.* nam de mortuo, & non sepulto,manifestè loquitur, immortalitatem animæ per hæc manifestans : quod superiùs in cap.25. expositum est,tractando mortem Abrahæ.

m Multa in his benedictionibus, vtrimque exhortatione Iahacob ad filios, omissa esse, Textus ipse manifestat.

CAPVT L.

VERS. 1.

QVod cernens Ioseph,ruit super faciẽ patris,flens, & deosculans eũ. *Vers.*2. Præcepítq; seruis suis Medicis,vt aromatibus [a] condirent patrem. *Vers.*3.Quibus iussa explentibus,trãsierunt quadraginta dies : iste enim mos erat cadauerũ conditorum. Fleuítq; eũ Ægyptus septuaginta diebus. *Vers.*4. Et expleto planctus tẽpore , locutus est Ioseph ad familiã Parhonis : Si inueni gratiã in conspectu vestro,loquimini in auribus Parhonis, *V.*5. quòd pater meus adiurauit me, dicẽs:En morior:in sepulcro meo, quod fodi mihi in terra Chenahan,sepelies me. Ascẽdam igitur , & sepeliam patrem meũ, ac reuertar.*Vers.*6.Dixítq; ei Parho:Ascẽde, & sepeli patrem tuum,sicut adiuratus es. *Vers.* 7. Quo ascendente, ierunt cum eo omnes ministri Parhonis, senes domus eius , cunctíq; maiores natu terræ Ægypti,*V.*8. & cuncta domus Ioseph, & fratres eius , & domus patris eius : præter paruulos,& greges, atque armenta, quæ reliquerunt in terra Ghosen.*Vers.* 9. Habuítque in comitatu currus & equites: & facta est turba non modica. *Vers.* 10. Venerúntque ad aream Atad , quæ sita est trans Iarden.Vbi celebrãtes exequias plãctu magno,atque vehementi, impleuerunt septem dies. *Vers.*11. Quod cùm vidissent habitatores terræ Chenahan, dixerunt:Planctus magnus est iste Ægyptiis. Et idcircò appellauit nomen loci illius,Planctus Ægypti.*Vers.*12. Fecerunt ergo filij Iahacob , sicut præceperat eis: *Vers.*13.& portantes eum in terram Chenahan , sepelierunt eum in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulcri ab Hephron Hitheo contra faciem Mamre. *Vers.*14. Reuersúsque est Ioseph in Ægyptum cum fratribus suis, & omni comitatu, sepulto patre. *Vers.* 15. Quo mortuo,timentes fratres Ioseph , & mutuò colloquentes : Ne fortè memor sit iniuriæ, quam passus est, & reddat nobis malum omne,quod fecimus: *Vers.* 16. mandauerunt ei, dicentes : Pater tuus præcepit nobis [b], antequàm moreretur, *Vers.* 17. vt hęc tibi verbis illius diceremus : Obsecro , vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati , atque malitię, quã exercuerunt in te : nos quoque oramus, vt seruo Dei patri tuo dimittas iniquitatem hanc.] Iuxta Hebræum habetur : *Et*

a Consuetum olim fuit, & populo Dei, & gentibus, cadauera aromatibus condire:vt sic putrefactioni mederentur in fidem,& testimonium resurrectionis.

b Dicunt nonnulli, fratres Ioseph verba hæc cõmentos fuisse: nam Iahacob nunquam tale quid de ipso Ioseph reformidauerat.

Et nunc parce, obsecro, rebellioni seruorum Elohe patris tui. Exaggerant crimen, tanquàm rebellionem à diuina ordinatione de principatu Ioseph inuiso. Accumulant loca ex parte seruitutis eorum Deo: non cuicunque; sed Deo patris Ioseph, vt intuitu Dei, & patris parcat sectatoribus patris.

Quibus auditis, fleuit Ioseph. *Vers.* 18. Veneruntque ad eum fratres eius: & proni in terram adorauerunt, atque dixerunt: Serui tui sumus. *Vers.* 19. Quibus ille respondit: Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati?] Iuxta Hebræum habetur: *Quòd si loco* אלהים *ego?* Sensus intentus est: quia ego partes Dei ago. Rationem enim reddit, quare non timeant: quia è regione disponentibus vobis, & Deo, (vobis quidem disponentibus aduersùm me malum; Deo verò disponente pro me bonum ad communem salutem;) ego partes Dei sequor: & ad id, quod Deus fecit attendo; non ad id, quod fecistis vos. Ne autem arrogans videretur, noluit asserere: Quia loco Dei ego. seu, quia vice Dei ego. Sed moderatus est sermonem suum dicendo: *Quod si loco Dei ego?* quasi ingerendo: Quid diceretis, si ego vices Dei ago? modestè per hoc significans, se partes Dei agere. Et vtrobique est nomen אלהים: vt & ipse Ioseph imitator diuinæ distributionis, & Deus distribuendo vertisse in bonum, quod fratres machinati sunt malum, significetur. Similiter in hoc capitulo his subiungitur nomen אלהים, repetendo futuram diuinam visitationem populi Israël, ad significandum, quòd Deus iustus adimplebit, quod promisit Patriarchis tribus.

Vers. 20. Vos cogitastis de me malum: & Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, & saluos faceret multos populos. *Vers.* 21. Nolite metuere: ego pascam vos, & paruulos vestros. Consolatúsque est eos, & blandè, ac leniter est locutus: *Vers.* 22. & habitauit in Ægypto cum omni domo patris sui. Vixitque centum, & decem annos: & vidit Ioseph filios Ephraim vsque ad tertiam generationem. Filij quoque Machir filij Menasse nati sunt in genibus Ioseph. *Vers.* 23. Quibus transactis locutus est fratribus suis: Post mortem meam Deus visitabit vos [c]: & ascendere faciet de terra ista ad terram, quam iurauit Abraham, Ishac, & Iahacob. *Vers.* 24. Cúmque adiurasset eos, atque dixisset: Deus visitabit vos: asportate ossa mea vobiscū de loco isto: *Vers.* 25. mortuus est, expletis centum, & decem vitæ suæ annis: & conditus aromatibus, repositus est in loculo.] Propinquiùs ad Hebræum acceditur dicēdo: *In theca in Ægypto.* Quanuis nō exprimatur materia, an marmorea (vt creditur) fuerit.

[c] Vt firmā Dei promissionem haberet populus, non iussit Ioseph, corpus suum in terram Chanaan statim reportari, innuens, nō multò pòst eos inde exituros.

COMMENTARII IN EXODVM.

CAPVT PRIMVM.

VERS. 1. HÆc sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Ægyptum cum Iahacob: singuli cum domibus suis introierunt. *Vers.* 2. Reuben, Simhon, Leui & Iehuda: *Vers.* 3. Isaschar, Zebulun, & Binjamin: *Vers.* 4. Dan, & Naphthali: Gad, & Aser. *Vers.* 5. Erant igitur omnes animæ eorum, qui egressi sunt de femore Iahacob, animæ septuaginta.] Intellige, vt exposuimus superiùs in cap. 46. hunc numerum: quoniam repetitio est intelligenda secundùm priùs dicta.

Ioseph autem erat in Ægypto. *Vers.* 6. Quo mortuo, & omnibus fratribus eius, omnique cognatione eius, *Vers.* 7. filij Israel creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt: ac roborati nimis impleuerunt terram. Hyperbole est, magnam eorum multiplicationem significans: tanquàm vsque adeò creuerint, vt repleta sit terra Ægypti illis Hebræis.

Vers. 8. Surrexit intereà Rex nouus super Ægyptum, qui non nouerat Ioseph.] Si Iosepho creditur, ideò nouus dicitur: quia ex alia familia ortus erat Rex iste. Ex eo tamen, quòd ignorasse dicitur Ioseph, videtur, quòd non Ægyptius fuerit Rex iste: nam Ioseph notus fuerat familiis omnibus Ægyptiorum. Fræ se ferunt autem verba Isaiæ 52. quòd fuerit Assyrius: nam dicit: *In Ægyptum descendit populus meus, & Assur [a] calumniatus est eum.* Hic enim Rex nouus est, qui oppressit absque vlla culpa populum Israël.

Vers. 9. Et ait ad populum suum: Ecce populus filiorum Israel multus, & fortior nobis est: *Vers.* 10. venite, sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur: & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, debellatísque nobis, egrediamur è terra. *Vers.* 11. Præposuit itaque eis magistros operum, vt affligerent eos oneribus: ædificauerúntque Parhoni vrbes tabernaculorum.] Iuxta

[a] Putat Annius, hunc Assur, à quo Ægypti Reges descenderunt, filium fuisse Sem alterum vero, qui fundauit Niniuen, filiū Belli, & nepotem Nemrot.

Iuxta Hebræum habetur: *Vrbes munitionum.* hoc est, ad seruanda ea, quæ pro munimine patriæ recondenda sunt.

Pithom, & Rahamses. *Vers.* 12. Quantóque opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur, & crescebant. *Vers.* 13. Oderantque filios Israël Ægyptij, & affligebant illudentes eis, & inuidentes.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecerunt seruire Ægyptij filios Israel in fractione.* Et est sensus, quòd fecerunt eos seruire vsque ad confractionem virium: ita quòd duo præmittit: & quòd exosos haberent, tanquàm abominabiles, filios Israël, (quod antiquus Interpres appellauit, *odium.*) & quòd supra vires grauabant eos.

Vers. 14. Atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur.] Appellatione terræ intellige agrum, siue campum: quoniam sic sonat Textus Hebraïcus: manifestat enim, quòd non solùm in iis, quæ ad ædificium spectabant; sed etiam in iis, quæ ad campum spectabant, cogebantur seruire.

Vers. 15. Dixit autem Rex Ægypti obstetricibus Hebræorũ (quarum vna vocabatur Siphora, altera Puba) *Vers.* 16. præcipiens eis: Quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit; si masculus fuerit, interficite illum; si fœmina, reseruate.] Non est perspicuum, an duæ istæ obstetrices vice omnium obstetricum vocatæ fuerint, (tanquàm præcipuæ, ac à quibus aliæ pendebant,) an solæ istæ fuerint nominatæ ad extinguendum filios Hebræorum nobilium, & artificum, qui non affligebantur in propriis personis ad huiusmodi vilia seruitia: hoc enim secundum magis quadrat communi consuetudini: non enim solita est inter obstetrices præsidentia, vt aliæ quibusdam sint subditæ: sed quadrat, vt quemadmodum viliores Hebræorum afflixit Rex operibus vilibus; ita aduersùs nobiles, & vrbanos Hebræos excogitauerit extinctionem per istas obstetrices.

Vers. 17. Timuerunt autem obstetrices Deum: & non fecerunt iuxta præceptum Regis Ægypti. Sed conseruabant mares.] Dictio interpretata, *Deum*, est nomen אלהים, congruum timori: summus enim Iudex timendus est.

Vers. 18. Quibus accersitis ad se, ait Rex ad eas: Quidnam est hoc, quod facere voluistis, vt pueros seruaretis? *Vers.* 19. Quæ responderunt: Non sunt Hebrææ, sicut Ægyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia viuaces ipsæ: & priusquam veniamus ad eas, pariunt.* Nihil dicitur de scientia; sed de robore, quo sunt adeò viuidæ, vt priùs pariant, quàm obstetrix adueniat.

Vers. 20. Benè ergo fecit Deus obstetricibus.] Nomen est אלהים, consonans iustæ retributioni.

Et creuit populus, confortatúsque est nimis.] Quemadmodum de vulgo Hebræo afflicto operibus dixerat, quòd inter afflictiones multiplicabatur; ita de vrbanis Hebræis dicit, quòd inter istos conatus regios creuit populus valdè.

Vers. 21. Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos [b].] Nomen quoque est אלהים; quadrans timori: & meritum apud summum Iudicem manifestatur, non mendacium officiosum, quod peccatum fuit veniale; sed timor Dei Iudicis vniuersalis. Præmium autem, quantùm Litera sonat, temporale describitur: nam ædificatio domus, aut materiale ædificium, aut fœcunditatem successiuam, qua construitur progenies, significare consueuit, propriè loquendo. Si tamen transferatur ad significandum constructionem opulentiæ, vel ad constructionem domorum spiritualium pro vita futura, nullus est error.

[b] Per *domum*, non solùm mansionis locũ intelligit Scriptura; sed & statum simul, & familiam, & dignitatem, patres, matrésque familias domum inhabitãtes, idiotismo Hebræo.

Vers. 22. Præcepit [c] ergo Pharao omni populo suo, dicens: Quicquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proiicite: quicquid fœminei, reseruate.] Perplexa occurrit quæstio circa sensum huius præcepti, an referatur ad infantulos Hebræorum duntaxat, an ad infantulos etiam Ægyptiorum. Et est ratio perplexitatis: quia Textus nihil de Hebræis in specie dicit, sed manifestè sonat præceptum datum omni populo Pharaonis: nec præcipitur omni populo Pharaonis, vt infantulos Hebræorum; sed vniuersaliter: *Quicquid masculini sexus natum fuerit proiicite.* Horrendum autem, & intolerabile esse præceptum huiusmodi apud vniuersum populum, nullus dubitat. Accedit ad hoc, quòd Pharaonis filia (vt in sequenti refertur capitulo) viso Mose infantulo plorante in arcula, dixit: *De infantibus Hebræorum est hic.* Hæc enim verba significant, quòd lex data de infantibus exponendis, comprehendebat solos infantulos Hebræorum: alioquin nesciuisset, an de infantibus Hebræorum esset infans ille.

[c] Refert Iosephus, edictum hoc à Rege ideo datum fuisse: quia per Prophetam intellexerat illo tempore virum nasciturum, per quem Israëlitæ exaltandi essent: Ægyptij verò deprimendi nimis.

Solutio ex coniecturis est, quòd præceptum Pharaonis promulgatum quidem est vniuersaliter, (vt Textus sonat:) sed non ita crudele, vt vulgata editio sonat: quia in Hebræo non fit mentio *fluminis*, sed *riui*. Non præcipitur, quòd infans submergatur, aut quòd proiiciatur in vastã amplitudinẽ fluminis; sed, quòd exponatur in riuo: constat autem riuos fluminis longè minùs periculi habere. Et ex eo, quòd licitum erat infantulum tutum à submersione exponere, (vt testatur arcula, creta & pice clausa;) & quia Miriam soror Mosi spectatrix est constituta ad videndum, quid fieret infantulo Mosi exposito, conijcere licet, quòd huiusmodi præceptum aliquo colore fucatum erat: ita quòd non præcipiebatur proiectio infantuli in riuum ad hoc, vt infantulus moreretur; sed ad hoc, vt vel nutriretur ad aliquod commune bonum, (putà, ad vitam militarem;) vel, vt ex eis deligerentur idonei ad militiam, vel ad hoc, vt omnes in vnum coïrent sublata differentia paternarum instructionum, vel aliquo alio colore.

Crediderim ego, quòd quanuis præceptum coloratum fuerit commune; exactores tamen adhibiti ad obseruationem præcepti, fuerint instructi, vt non sæuirent, nisi in Hebræos. In riuum itaque exponendi mandantur, qui nascuntur infantes omnes, deputatis in riuo susceptoribus expositorum: & propterea soror Mosis eminùs spectabat ad videndum, quid fieret exposito Mosi inter cannas in ripa riui. Accedit ad

ad hunc sensum, quòd alioquin inexcusabiles à peccato mortali fuissent Hebræi, obediendo huic præcepto: nam clarum est, quòd si mihi præcipiatur: Occide hunc innocentem, alioquin occidam te. ego illum occidendo innocentem, peccatem mortaliter, teneterque potiùs pati mortem propriam, & illius, & aliorum innocentium, quàm innocentem occidere. Ita, si proiectio in riuum infantis fuisset ad mortem, perinde fuisset, ac si occidissem ipsos infantulos: paria sunt enim occidere infantulum, & proiicere in riuum moriturum. Nec obstat vniuersalitati notitia filiæ Parhonis, quòd ex infantibus Hebræorum esset ille: nam ex eo, quòd circuncisus erat infantulus Hebræo more, cognouit infantulum esse ex Hebræis.

CAPVT II.

VERS. 1. Egressus est post hæc vir de domo Leui.] Iuxta Hebræū non habetur, *post hæc*: sed absolutè legitur: *Et iuit vir de domo Leui.* Quando autem iuerit, Textus non dicit: sed ex eo, quòd ista eadem mulier, antequàm conciperet Mosen, genuerat Aharum, & Miriam, narrat Moses factum longè antè.

Et accepit vxorem stirpis suæ[a].] Iuxta Hebræum habetur: *Et accepit filiam Leui.* Nisi in cap. 6. apertè diceretur, quòd accepit amitam suam, posset admitti sensus Interpretis antiqui, (vt appellaretur filia Leui, eò quòd esset de stirpe Leui:) sed ex eo, quòd dicitur amita, insinuatur, quòd verè erat soror Cehath, patris istius viri, & filia immediatè Leui Patriarchæ. Non tamen intelligas, hanc fuisse genitam à Leui ante ingressum, vel in ingressu Ægypti; sed longè pòst. Nam Leui quinquagenarius ad summum erat in ingressu Ægypti: & vixit annis centum triginta septem, vt inferiùs patet: ac per hoc longè pòst potuit generare hanc filiam, & genuit in Ægypto, vt inferiùs scribitur.

[a] Seruabatur etiā ante legē cæremonia contrahēdi connubia cū propinquis, ne Tribus, & hæreditates permiscerentur: qui ritus, & apud gentes seruatus est: nam Genesis 29. Iacob Rachelem consanguineam in vxorem petenti respondit Laban: *Melius est eam dem tibi, quàm alteri viro.*

Vers. 2. Quæ concepit, & peperit filium: & videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus. *Vers.* 3. Cúmque iam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine, ac pice.] Parui refert, quòd in Hebræo loco dictionis, *bitumine*, habetur, *creta*: quemadmodum, non *fiscella*, sed *arca* scribitur.

Posuítque intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis.] Certum est, quòd non fluminis, sed riui fit mentio. Non est autem perspicuum, an iuncetum, an papyrio, an carectum, an cannetum fuerit in ora riui: creditur tamen locus ille, iuncorum, aut papyrorum fuisse. Et propterea tutius legeretur, *in iunceto*, seu *in papyrione ora riui*. Ibi enim diutiùs arcula detinenda erat.

Vers. 4. Stante procul sorore eius, & considerante [b] euentum rei.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad sciendum quid fiet ei.* Quod ideò notandum duxi, vt hinc consideretur, quòd soror Mosis non expectabat quencunque euentum; sed euentum ex alieno facto: ad insinuandum, quòd lustratores riui constituti erant ad suscipiendos expositos: huc enim tendit spectatio sororis: huc quoque tendit expositio infantuli in iunceto.

[b] Cū Paulus Heb. 10. dicat, Mosē per fidē à parentibus occultatum; sic & in fide, fluuio expositum credamus; ideoque soror in fide etiam infantem à longè obseruabat.

Vers. 5. Ecce autem descendit filia Parhonis, vt lauaretur in flumine: & puellæ eius gradiebantur in crepidine fluminis.] Hîc quoque non habetur, *flumen*, sed *riuus*.

Quæ cùm vidisset fiscellam in papyrione, misit vnam è famulabus suis: & allatam *Vers.* 6. aperiens, cernénsque in ea paruulum vagientem, miserta eius ait: De infantibus Hebræorum est hic.] Locum, quem priùs appellauit, *carectum*, appellat modò Interpres, *papyrionem*; incertus fortè, an caricibus, an papyris abundaret locus ille. Referentibus autem puellis gradientibus in ripa, quòd infra papyros, seu iuncos esset arcula, direxit oculos filia Parhonis in iuncetum, seu papyrionem; & vidit ibidem esse arculam; & misit pro ea; & aperta vidit infantulum plorantem, ac circuncisum[c]: & inde cognouit infantem Hebræorum esse.

[c] Hoc tempore non vtebantur circuncisione Ægyptij; licèt posteà, vt tradunt Historiæ, Hebræos æmulantes circuncisionis ritum susceperint.

Vers. 7. Cui soror pueri: Vis, inquit, vt vadam, & vocem tibi Hebræam mulierem, quę nutrire possit infantulum. *Vers.* 8. Respondit: Vade. Perrexit puella: & vocauit matrem eius. *Vers.* 9. Ad quam locuta est filia Parhonis: Accipe puerum istum, & nutri mihi: & ego dabo mercedem tuam. Suscepit mulier, & nutriuit puerum: adultúmque tradidit filiæ Parhonis. *Vers.* 10. Quem illa adoptauit in locum filij.] Hinc Moses eruditus fuit in omni sapientia Ægyptiorum, vt Stephanus dixit Act. 7. consentaneum enim est rationi, vt filia Parhonis prouiderit, vt adoptiuus filius erudiretur: cùm esset ei tam charus, vt putaretur eius filius, vt ad Heb. 11. dicitur.

Et vocauit nomen eius, Moyses: & dixit: quia ex aquis tuli eum.] Apud Hebræos non Moyses, sed Moses appellatur, quasi tractus. Verum nomen Ægyptium tractum ex aquis significat.

Vers. 11. In diebus illis, postquàm creuerat Moses, egressus ad fratres suos.] Moses nobilis, imò illustris erat in ciuitate regia habitans. Et propterea *egressus* dicitur *ad fratres suos*; hoc est, ad Hebræos laborantes, & afflictos tanquàm ad fratres suos. Et, si Iosepho creditur, ante hunc egressum fuerat Moses Imperator exercitus Ægypti aduersùs Æthiopes: erat enim tunc Moses quadragenarius.

Vidit afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus suis.] Non dicit, percussurum, vel quòd percusserat; sed actualiter percutientem. Nec dicit, quo genere percussionis; an, videlicet, percussione mortifera, vel castigationis, seu paruæ læsionis.

Vers. 12. Cumque circumspexisset huc, atque illuc; & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo.] Antiqua occurrit quæstio de excusatione facti huius: apparet enim ex Textu, quòd inexcusabile sit: nam ex eo, quòd non defensionis necessitate, sed vltionis gratia occidit Ægyptium,

Ægyptium, (vt testatur circunspectio, an aliquis esset testis,) officium Iudicis vsurpauit Moses. Et propterea, nisi diuina authoritate excusetur; (contra quam militat huiusmodi circunspectio: nam signum est humanæ cautelæ, non diuinæ inspirationis:) nullam video excusationem certam. Quod ideò dico: quia, si certum esset, quòd Ægyptius ille fuisset præpositus ad affligendum filios Israël, potuisset Moses causam populi Israël agens occidere præpositum illum, tanquàm publicum hostẽ: vt hoc facto inchoaretur liberatio Israëlis. Et hac ratione videtur vsus Stephanus Act. 7. dicendo, quòd Moses putauit filios Israël intelligere per hoc factum liberandos seipsos à seruitute Ægyptiaca per ipsum Mosen, tanquàm agentem causam communem, Deo principaliter efficiente. Quòd verò Ægyptius ille fuerit præpositus, innuere videntur verba Textus dicendo: *Et vidit in oneribus eorum, & vidit virum Ægyptium percutientem*, &c. Ex eo enim, quòd visio onerum præmittitur, signum est, quòd exactor onerum erat percutiens Ægyptius.

Vers. 13. Et egressus die altero, conspexit duos Hebræos rixantes: dixítque ei, qui faciebat iniuriam: Quare percutis proximum tuum? *Vers.* 14. Qui respondit: Quis te constituit Principem, & Iudicem super nos? Num occidere me vis, sicut heri occidisti Ægyptium? Timuit Moses: & ait: Quomodo palam factum est verbum istud? *Vers.* 15. Audiuítque Parho sermonem hunc: & quærebat occidere Mosen. Qui fugiens de conspectu eius [d], moratus est in terra Midian: & sedit iuxta puteum. *Vers.* 16. Erant autem Sacerdoti Midian septem filiæ, quæ venerant ad hauriendam aquam: & impletis canalibus adaquare cupiebant oues patris sui. *Vers.* 17. Superuenêre autem pastores: & eiecerunt eas. Surrexítque Moses: & defensis puellis adaquauit oues earum. *Vers.* 18. Quæ cùm reuertissent ad Rehuel patrem suum, dixit ad eas: Cur citiùs solito venistis? *Vers.* 19. Responderunt: Vir Ægyptius liberauit nos de manu pastorum: insuper & hausit aquam nobiscum, potúmque dedit ouibus. *Vers.* 20. At ille, Vbi est, inquit? Quare dimisistis hominem? Vocate eum, vt comedat panem. *Vers.* 21. Iurauit ergo Moses, quòd habitaret cum eo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et voluit Moses habitare cum viro.* Nulla est mentio iuramenti; sed liberæ voluntatis.

[d] Contrarium huic Textui videtur, quod Paulus Hebr. 11. scribit, Mosem Ægyptũ reliquisse, nil timẽs Regis seuitiã. Verum Apostolus hoc loco dicta non negat; sed simul verum esse innuit, alteri quadam vi ab Ægypto abstractũ, quã pœnæ metu.

Accepitque Siphoram filiam eius. *Vers.* 22. Quę peperit ei filium, quem vocauit Gersom, dicens: Aduena fui in terra aliena [e]. Alterum verò peperit, quem vocauit Elihezer, dicens: Deus enim patris mei adiutor meus, & eripuit me de manu Parhonis.] Tota ista particula de hoc secundo filio, superflua est: non enim habetur in Textu Hebraïco aliquid de hoc secundo filio, aut de nomine, aut de ratione nominis eius; sed post illa verba: *Aduena fui in terra aliena.* immediatè subiungitur:

[e] In perennem beneficiorum Dei memoriam filiis olim parẽtes nomina indidisse legimus: vt, quando liberos viderent, vel vocarent, beneficiorũ eius recordarentur.

Vers. 23. Post multum verò temporis mortuus est Rex Ægypti. Et ingemuerunt filij Israël propter opera, & vociferati sunt.] Vbi aduerte diuinæ prouidentiæ suauem dispositionem in hoc, quòd quando vult exaudire, excitat precatores, excitat homines grauatos temporalibus malis, vt recurrant ad ipsum.

Ascendítque clamor eorum ad Deum ab operibus.] Priùs descripsit, quòd suspirarunt, ac clamarunt filij Israël oppressi ab oneribus: modò describit, quòd clamor tantæ fuit vis, vt ascenderet ad Deum אלהים ex seruitiis. Decet nanque, vt afflictio tam crudelis seruitutis, vires præbuerit clamori ad perueniendum ad aures summi Iudicis.

Vers. 24. Et audiuit gemitum eorum.] Deficit אלהים: significatur enim consequenter, quòd clamor laborum perueniens ad summum Iudicem, ad similitudinem excitantis prouocauit summum Iudicem ad auscultandum clamorem personarum; hoc est, quid ipsi volunt.

Ac recordatus est fœderis, quod pepigerat cum Abraham, Ishac, & Iahacob.] Consequenter humano more loquendo, audito desiderio Hebræorum, recordatus est; hoc est, ad similitudinem recordati contulit Israëlitarum clamorem cum fœdere inito cum Patriarchis de liberatione eorum.

Vers. 25. Et respexit Deus filios Israël.] Consequenter אלהים iustus in omnibus verbis suis, memor promissionis suæ respexit miserationis oculis filios Israël, Ishac, & Abrahæ: propter merita patrum respexit filios.

Et liberauit eos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et cognouit* אלהים. Nihil dicitur de liberatione, nec aliquod est pronomẽ. Proptereà ad causam refertur notitia: ita quòd post misericordes oculos erga afflictos, humano more describitur, quòd summus Iudex cognouit merita causæ, ex qua cognitione processit (vt infrà scribitur) deliberatio descensus ad liberandum Israël afflictum iniustè.

CAPVT III.

Moses autem pascebat oues Ithro soceri sui, Sacerdotis [a] Midian. Cúmque minasset gregem ad interiora deserti.] Iuxta Hebræum habetur: *Retrò desertum.* Et quoniam antè, & retrò opponuntur, relatiuè ad Midian descriptum videtur, retrò.

VERS. 1.

[a] Sacerdotis nomine frequenter Scriptura & Præfectũ & Principem intelligit, vt hoc loco, & 2. Reg 8. videre licet Dauid, filios vocans Sacerdotes.

Venit ad montem Dei in Choreb.] Mons Sinaï appellatur mons אלהים, eò quòd ibidem Deus legislator apparuit: summi enim Iudicis est legem dare: & à nomine posteà imposito prænominauit illum Moses. Et quoniam non in quancunque partem montis Sinaï; sed in illam, quæ appellatur Choreb, venit Moses; ideò ad significandum in specie partem montis Sinaï, (quæ pars habet formam cuiusdam parui montis,) apposuit ad Choreb.

Vers. 2. Apparuítque ei Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit visus Angelus* יהוה *ipsi.* Sic iacet in Hebraïco textu: ita quòd non

non ipse fons essendi, sed Angelus eius visus describitur.

In flamma ignis de medio rubi.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *De intus rubum.* In qua specie visus fuerit Angelus describitur; videlicet, in specie flammæ ignis, ex interioribus ruborum nascentis, tanquàm ex lignis, ex quibus nutriri solet flamma ignis.

Et videbat, quòd rubus [b] arderet, & non combureretur.] Mirabile verè fuit, quòd multitudo ruborum, & (vt arbitror) viventibus foliis ardebat flamma ignea; & tamen nihil perdebat suæ viriditatis. Literalis autem ratio, quare in tali specie apparitionem hanc elegerit Deus, est, vt talem se exhiberet Deus in huiusmodi apparitione, qualis futurus erat in populo Israël, liberando ipsum de Ægypto. Nam descensus iste (vt ipse Deus testatur) fuit ad liberandum Israël de Ægypto. Perspicuum est autem, quòd Deus liberando Israël de Ægypto, fuit in ipso populo tanquàm ignea flamma, lucens multitudine prodigiorum, & ardens in eorum cordibus ad exeundum de Ægypto; ita vt nullus remaneret: sic tamen in eis ardebat, vt nihil eorum consumeret; vsque adeò vt cum infantibus, mulieribus, pecoribus, & vniuersis facultatibus, & demum sanitate corporis (ita quòd nullus in tanta multitudine erat æger) adduxerit eos.

[b] Visio hæc rubi, revelatio quædam fuit, Mosi in eo signo facta, velut de lucta Iacob superiùs annotauimus.

Vers. 3. Dixit ergo Moses: Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.] Viso effectu, (hoc est, rubos ardentes non lædi ab igne,) deliberauit Moses ire ad videndum causam, quare rubi non consumerentur.

Vers. 4. Vidit autem Deus, quòd pergeret ad videndum.] Nomen est tetragrammaton. Ad manifestandum siquidem, quòd ipse fons essendi mittit Angelum suum in specie flammæ; quòd ipse essendi fons præsens quoque esset, & non absens à suo nuncio, narrat Moses, quòd ipse fons essendi vidit Mosen venientem ad rubos ardentes.

Vocauit eum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vocauit eum* אלהים *de intimis rubi.* Non absque mysterio fit mutatio hæc nominum diuinorum. Videre Mosen appropinquantem, attribuitur יהוה: vocare autem Mosen, attribuitur אלהים. Et primi quidem ratio dicta est: huius verò ratio est non solùm, vt idem Deus significetur fons essendi, & Iudex vniuersorum; sed etiam, quia, quæ dicenda à Deo subiunguntur, congruunt Deo sub ratione אלהים; hoc est, supremi Iudicis, gubernatoris omnium. Et vox diuina ex internis ruborum sonabat, vt ipse Deus in suo nuncio existens loqui describatur.

Et ait: Moses, Moses.] Excitantis est conduplicatio.

Qui respondit: Adsum.] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce ego.* Promptitudinis est.

Vers. 5. Et dixit: Non appropinques huc [c]. Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.] Prima actio congruens אלהים relatiuè ad Mosen, est inhibitio appropinquandi: adiuncto mandato reuerendi etiam locum; quia sanctus est, & non calcandus opertis, sed nudis pedibus in signum reuerentiæ: ad Iudicem enim, curam omnium habentem, spectat, mandare ea, quæ sunt reuerentiæ. Sanctus autem locus ille dicitur, eò quòd diuina electione dicatus est mons ipse ad apparitiones diuinas.

[c] Simile legis præceptum [?] Iosuë 5. Credideri[m] ego, simili cæremonia loca sancta, [?]que dicata olim [p]atriarchas venera[ta]s fuisse, & non nisi [d]calceamentis solutis [in]trasse.

Vers. 6. Et ait: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Ishac, & Deus Iahacob.] Postquàm docuit Mosen ea, quæ erant reuerentiæ, tum causæ apparētis miraculi, tum loci; manifestat eidem, quis ipse loquens est, dicēdo: *Ego*, non, qui videtur; sed, qui loquor: (qui enim videbatur, erat Angelus in specie flāmæ: qui autē loquebatur, erat Deus:) *Ego*, inquā, qui loquor, *Deus patris tui.* Hebræo more primùm summariè, deinde per partes idē dicit. Dicendo, *Deus patris tui*, non alios patres intelligit, quàm Abrahā, Ishac, & Iahacob: sed primùm omnes tres sub communi ratione patris Mosi sigillatim nominat, vt se esse illum Deum manifestet, qui tot promisit Abrahæ, Ishac, & Iahacob: cui hæreditario iure tenetur Moses cultum exhibere, imitando patres suos.

Manifestare dignatus est Dominus Iesus in Euangelio, in his verbis contineri mysterium resurrectionis, quatenus continetur in eis immortalitas animarū Abrahæ, Ishac, & Iahacob; quia non est Deus mortuorum, sed viuorum; hoc est, quia Deus non dicitur Deus alicuius, nisi viui. Nam dicendo, *Deus Abrahæ*, significatur Deus, qui veneratur ab Abraham: cōstat autem, Deum non venerari à mortuis, sed à viuis. Et benè nota hunc sensum: quoniam frequenter Scriptura sacra vtitur hoc modo loquendi, appropriando Deum alicui. Et scito, quòd dictio interpretata, *Deus*, est *Elohe*; quæ dictio idem significat, quòd אלהים; sed differt in regimine: quoniam אלהים significat summum Iudicem secundùm se; Elohe verò significat summum Iudicem relatiuè ad obliquum appositum; putà, patris sui, seu Abrahæ, & similium. *Ego*, inquit, *sum Deus* sub ratione summi Iudicis, *Abrahæ*, &c. hoc est, qui vt summus Iudex veneror à patribus tuis; ab Abraham, ab Ishac, à Iahacob.

Abscondit Moses faciē suam: quia non audebat respicere ad Deum.] Non solùm fecit iussa, desistendo à cœpta appropinquatione, & excalceando se; sed tegmine nescio quo abscōdit faciem suam. Et ratio subditur: quia timebat respicere אלהים. Audita præsentia אלהים, timuit oculos suos versùs flammam illam, in qua loquebatur אלהים, dirigere. Et propterea ad cautelam, ne respiceret, faciem suam texit. Et meritò: nam summo Iudici debetur timor reuerentialis ab omnibus.

Si quæris, quorsū apparuit Angelus, si Deus ipse loquitur, ac cognoscitur loquēs. Respōdetur, quòd Angelus non est missus ad hoc, vt loqueretur, (in cuius signū non est missus in specie hominis, aut cuiuscūque habētis instrumēta loquēdi; sed in forma flāmæ ignis, quæ suapte natura muta est:) sed missus est ad duo officia. Alterū est, nunciandi factō tēpus diuini mysterij: & hoc effecit apparitione in flāma ardēte, & non consumēte rubos: hoc enim miraculo excitauit Mosen ad quærendā causam: ac per hoc ad audiendum diuini consilij mysteriū. Alterū est, formandi voces sermonis diuini ad Mosen: ille enim sermo fuit Angeli, vt formantis voces loco omnium concurrentium in nobis ad formandum sermonem; & fuit Dei, vt loquentis.

Verſ. 7. Cui ait Dominus : Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum, qui præſunt operibus : *Verſ.* 8. & ſciens dolorem eius, deſcendi, vt liberem eum de manibus Ægyptiorum : & educam de terra illa in terram bonam, & ſpatioſam; in terram, quæ fluit lacte, & melle; ad loca Chenanæi, & Hithæi, & Emoræi, & Perizæi, & Hiuæi, & Iebuſæi.] Quatuor dicit: vidiſſe afflictionem, audiſſe clamorem, ſciuiſſe dolorem, & deſcendiſſe ad liberandum. Rationem ſui deſcenſus ad loquendum in illa flamma, ad apparendum Moſi per flammam in rubo reddit Deus ex parte cognitionis, & ex parte intentionis; tum liberandi à termino à quo; tum ducendi ad terminum ad quem, terram lacte & melle manantem. Et eſt ſermo metaphoricus, ad ſignificandum benignitatem terræ ad fructus, & delicias.

Verſ. 9. Clamor ergo filiorum Iſraël venit ad me: vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur] Reddita ratione ſui deſcenſus in ſpecie ſenſibili viſu, & auditu; reddit rationem mittendi Moſen ad exequendum intentionem iam dictam. Proptereà enim eaſdem repetit cauſas.

Verſ. 10. Sed veni, mittam te.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nunc vade, & mittam te.*

Ad Parhonem, vt educas populum meum, filios Iſraël de Ægypto.] Non mandat Deus, vt Moſes appropinquet ad ipſum; ſed manifeſtat ei, quòd mittet ipſum, & quòd miſſus eat, &c.

Verſ. 11. Dixitque Moſes ad Deum.] Nomen eſt אלהים, conſonum (vt dictum eſt) prædictis actionibus; vtpote, executionibus pollicitorum, & diſtributioni nationum per terras, de qua agebatur.

Quis ego ſum, vt vadam ad Parhonem, & educam filios Iſraël de Ægypto?] Prima excuſatio Moſis ex agnitione propria ſe tenet. Longè enim imparem ſe agnoſcit ad vtrunque officium; videlicet, eundi ad Parhonem, & educendi filios Iſraël de Ægypto.

Verſ. 12. Qui dixit ei: Ego ero tecum[d].] Omnia ſupplet dicendo: *Ego ero tecum.*

[d] Senſus huius Literæ is videtur eſſe, nō dubites, quòd ero tecum: nam pro ſigno, & certitudine tibi dico, quòd ad hunc locum reuerteris iam de Pharaone triumphans, adorabitiſque hoc loco Dominum.

Et hoc habebis ſignum, quòd miſerim te.] Iuxta Hebræum habetur: *Et hoc tibi ſignum, quod ego miſi te.* Aduerte, prudens lector, quòd, quia occultus eſt literalis ſenſus huius particulæ, oportet exactè intueri Hebraïcum textum. Eſt itaque germanus ſenſus, quòd pronomen, *hoc*, demonſtrat ſubiunctum opus, tam populi, quàm Dei. Et eſt ſermo de ſigno, quo cognoſcetur, quòd Moſes eſt miſſus à Deo. Ac ſi apertiùs fuiſſet dictum: Et hoc, quod ſubiungam, erit ſignum tibi; erit velut character tuus; erit ſignum, quo cognoſceris ab habentibus mundos oculos, quòd ego miſi te; quòd non malis artibus aggreſſus fueris opus eductionis filiorum Iſraël de Ægypto. Sciebat enim Deus, non defuturos, qui dicerent, Moſen magicis artibus miracula feciſſe[e], quibus eduxit filios Iſraël de Ægypto. Et proptereà præuenit dando ſignum, quo ab habentibus oculos non ægros cognoſceretur Moſes miſſus à Deo.

[e] Et nonnulli Epicureorum dixerūt Moſen fuiſſe impoſtorē.

Quum eduxeris populum meum ex Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum.] Iuxta Hebræum habetur: *Educente te populum ex Ægypto, ſeruietis* אלהים *ſuper montem iſtum.* Particula, *ſuper montem iſtum*, nō refertur ad, *ſeruietis*; ſed ad אלהים: nunquam enim populus ſuper montem illum ſeruiuit, (cùm nunquam illuc aſcenderit;) ſed אלהים legem dans apparuit ſuper montem illum; & apparenti Deo ſuper illum montem, exiens populus de Ægypto ſeruiuit commorando iuxta montem. Ipſa itaque ſeruitus Deo apparenti ſuper montem Sinaï, legiſlatori exhibita, tam à Moſe, quàm ab aliis, ſignum eſt, quòd Moſes non malis artibus, ſed à Deo miſſus eduxit populum de Ægypto. Malæ etenim artes non ducunt ducem populi ſimul cum populo ad ſeruitutem veri, ac ſupremi Iudicis, cui peccata omnia diſplicent, cuius ſeruituti peccata omnia aduerſantur. Et proptereà ſignificanter dixit, *ſeruietis:* comprehendendo cum populo ipſum Moſen. Ita quòd ſignum hoc vires habet vtrinque; & ex parte communis ſeruitutis Deo; & ex parte futuræ apparitionis diuinæ ſuper montem illum dando legem, &c.

Verſ. 13. Ait Moſes ad Deum.] Nomen eſt אלהים ratione iam dicta.

Ecce ego vadam ad filios Iſraël: & dicam eis: Deus patrum veſtrorum miſit me ad vos: ſi dixerint mihi, quod eſt nomen eius, quid dicam eis?] Dictio interpretata, *Deus*, eſt nomen *Elohe*, ſignificans Deum ſub ratione Iudicis veneratum à patribus illorum: erat enim Elohe, nomen commune cuicunque verè, vel ſecundùm opinionem Deo alicuius viri, ſeu familiæ, ciuitatis, aut nationis. Et proptereà ex hoc nomine nihil proprij cognoſcitur; ſed tantùm appropriatio, ſeu relatio ad colentes illum. Et ideò Moſes inquirit nomen proprium ipſius veri Dei: & interrogationis neceſſitatem monſtrat ex parte petentis populi. Nec audet petere proprium nomen; ſed quærit, quid ipſe reſponſurus ſit petentibus ab eo proprium nomen Dei: communia enim nomina iam nota erant.

Verſ. 14. Dixit Deus ad Moſen.] Nomen eſt אלהים, conſonans reuelationi proprij nominis, qua notitiam ſui diſtribuit, communicando tantum bonum electo populo.

Ego ſum, qui ſum[f].] Iuxta Hebræum habetur: *Ero, qui ero.* Antequàm dicat nomen proprium, manifeſtat rem ſignificatam per illud nomen proprium. Manifeſtat autem dupliciter. Primò complexè: deinde incomplexè. Quod vt intelligas, ſcito, hanc eſſe eſſentialem diſparitatem inter naturam Dei, & naturas reliquarum rerum, quantuncunque excellentium; quòd perſeuerantia eſſendi ſoli Deo conuenit ſuapte natura, (hoc eſt, ſeipſo ſolo abſque omni dependentia:) aliæ autem res omnes, quantuncunque immortales, & incorruptibiles, habent perſeuerantiam eſſendi, mendicando illam à Deo, à quo dependent, à quo vniuerſis communicatum eſt eſſe: omnia enim in nihilum deciderent, niſi ea manus omnipotentis cōſeruaret. Quia itaque nulla res alia à Deo ex propriis viribus habet perſeuerantiam eſſendi, ſignificatā futuro indicatiuo verbi

[f] Hoc nomine poſtmodum Ægyptij Deū verum appellauere, eam nominationem ex hoc loco, & tempore mutuati.

verbi ſubiunctiui, *ero:* quia, inquam, nulla res alia à Deo poteſt omninò aſſerere,*ero*(eò quòd in poteſtate Dei ſtat oppoſitum, & ſolus Deus poteſt omninò aſſerere,*ero*;)ideò proprietatem diuinæ naturæ manifeſtat Deus Moſi dicendo: *Ero, qui ero.* hoc eſt,ego ſum ille perſeuerans in eſſe. cui ſuapte natura conuenit perſeuerare in eſſe.

Vbi & ſcito, prudens lector,quòd, quanuis potuiſſet Deus proprietatem naturæ ſuæ aliter manifeſtare,(putà,dicendo, *Ego ſum,qui ſum.*) maluit tamen manifeſtare dicendo: *Ero,qui ero.* quia hic manifeſtandi modus facilior,ac manifeſtior eſt quoad nos,& quoad filios Iſraël,pro quibus petebat Moſes: ille autem modus ſubtilior eſt,exigens notitiam æternitatis neſcientis præteritum,præſens,aut futurum; & notitiam, quòd in eſſe comprehenditur omnis perfectio, &c. quæ non facilè percipiuntur communiter.

Et ait:Sic dices ad filios Iſraël: Qui eſt[g], miſit me ad vos.] Iuxta Hebræum habetur: *Sic dices filiis Iſrael: Ero,miſit me ad vos.* Manifeſtationē complexam reſoluit in incomplexā. Dixerat complexè:*Ero,qui ero.* dicit incomplexè,*ero.* Naturæ enim eius eſt propria perſeuerantia eſſendi: aliis enim conuenit ad beneplacitum Dei. Et vide quoad nos manifeſtiorem modum electum, dicendo: *Sic dices filiis Iſraël.* Et ne minor ſuboriretur intelligentia diuinæ naturæ, adiungitur, *miſit me ad vos.* Dicendo, *miſit,* ſignificat, quòd ita eſt *ero,* quòd etiam fuit: quòd non ita eſt *ero,* tanquàm incipiat eſſe,ſed quòd eſt *ero,* tanquàm propriam habens perſeuerantiam eſſendi. Per neutram autem manifeſtationem manifeſta eſt res perfectè ſignificata per ſubiunctum nomen: ſed manifeſtatum eſt ſufficienter ad diſcernendum naturam Dei à naturis reliquarum rerum. Et hoc valdè magnum donum fuit, & eſt.

g Hoc eſt, qui dát omnibus eſſe.

Verſ. 15. Dixitque iterum Deus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit adhuc* (ſeu, *amplius*) אלהים *ad Moſen* Non deſcribitur noua locutio,ſed continuatio ſermonis adiungentis ad eandem materiam.

Sic dices ad filios Iſraël: Dominus Deus patrum veſtrorum.] Iuxta Hebræum habetur: יהוה *Elohe patrum veſtrorum, Elohe Abrahā,& Elohe Iſhac,& Elohe Iahacob, miſit me ad vos:hoc nomē eſt mihi in æternū,& hoc memoriale meū in generationē generationis.* Cōplet reſponſionem ad quæſitum de ſuo proprio nomine. Priùs reſponderat quoad rem ſignificatam: nunc reſpondet quoad ipſum nomen;& manifeſtat, nomen tetragrammaton eſſe ſibi proprium. Et quoniam nomen hoc ab eſſendo ſumptum eſt; manifeſtatur ex hoc contextu id, quod dictum eſt complexè: *Ero, qui ero.*& incomplexè, *ero*; expoſitionem eſſe nominis tetragrammaton: minùs perfectam tamen, vt declaratum eſt. Iſtud enim nomen[h] demonſtratur per pronomen,*hoc*,dicendo: *Hoc nomen meum in æternum, & memoriale meum.* Et quia hoc nomen,ex proprietate ſuæ naturæ, qua ſupereminet cæteris, ſibi vendicat; ideò *nomen meum*, non commune mihi, & aliis; ſed mihi proprium, dicit. Et hoc idem recordationem ſui, vt præeminet cæteris, in quocunque ſucceſſu generationum conſtituit. Nam per hoc diſcernitur Deus à populis omnibus, quòd res omnes pendent à Deo; ipſe verò ſolus à nullo pendet; ſed ſeipſo ſolo perſeuerat in eſſe. Et ne nouus Deus fingi videretur, adiungitur, quòd ipſe eſt,quē vt ſummum Iudicē coluerūt patres eorum,coluit Abraham,coluit Iſhac,coluit Iahacob. Tria itaque de ſeipſo manifeſtat: & nomen proprium ex proprietate naturæ; & nomen officij ad iudicandum omnes, & venerationem ab antiquo ſibi exhibitam à patribus eorum: vt omni ex parte ſatisfiat filiis Iſraël quærentibus nomē Dei mittentis Moſen.

h Cæterum Hebræi,ne à quoquam,quàm à Sacerdote, in Sanctuario populum benedicente, nomen illud teneretur & quanuis de eius inſtitutione, ſcriptura, & lectione pene innumeræ ſint opiniones, ſicut de eius etymologia, & ſignificatione; Authoris tamen ſententia optima eſt, vt ſignificet Authorem eſſendi.

Verſ. 16. Vade, congrega ſeniores Iſraël.] Finita interlocutoria reſponſione, redit Deus ad iniungendam legationem, manifeſtando modum, quo Moſes hac legatione fungi debet; videlicet, vt priùs congreget ſenes Iſraël. Et intelligo per ſenes[i], eos, qui habebantur in populo primates, ad decernendum ea,quæ contingebant; quorum conſilio, & authoritate res populi gubernabantur, ſiue eſſent Iudices electi,ſiue non.

i Perpende,qui vocarentur,*ſeniores Iſrael.*

Et dices ad eos: Dominus Deus patrum veſtrorum apparuit mihi, Deus Abraham, & Deus Iſhac, & Deus Iahacob.] Iuxta Hebræum habetur: *Iehouah Elohe patrum veſtrorum viſus eſt mihi, Elohe Abraham, Iſhac,& Iahacob, dicens.* Eadem Dei nomina repetuntur, eiſdem rationibus manifeſtanda ſenibus,quibus manifeſtanda dicta ſunt populo.

Viſitans viſitaui vos; & vidi omnia, quæ acciderunt vobis in Ægypto: *Verſ.* 17. & dixi, vt educam vos de afflictione Ægypti in terram Chenanæi,& Hithæi, & Emoræi,& Perizæi, & Hiuæi, & Iebuſæi,ad terram fluentem lacte, & melle: *Verſ.* 18. & audient vocem tuam.] Prædicit Moſi Deus fructum fidei in ſenibus Iſraël, vt confidentiùs vadat.

Ingredierìſque, tu, & ſeniores Iſraël ad Regem Ægypti.] Vt honorabilis ſit legatio, mandat, vt comitatus ſenibus Iſraël eat ad Regem.

Et dices ad eum: Dominus Deus Hebræorum vocauit nos.] Iuxta Hebræum habetur: *Iehouah Elohe Hebræorum occurrit ſuper nos.* Inſtruit Deus Legatum ſuum, quid propoſiturus ſit Regi. Authoritatem legantis ex proprio nomine, & ex cultu Hebræorum proponendam docet: vt ex proprio nomine præeminens omnibus cognoſcatur; ex cultu verò Hebræorum perpendatur, quod eius intereſt, curare, vt ſibi ſacrificetur ab Hebræis. Quòd autem dicitur, *occurrit ſuper nos,* apparitionem diuinam è ſupernis Moſi factam ad vocandum populum ſignificat.

Ibimus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nunc ibimus nunc.* ſeu, *obſecro.*

Viam trium dierum[k] in ſolitudinē.] Anceps eſt Hebraica dictio ad *nunc*,& *obſecro*: & vrbanitati magis quadrat aduerbium,*obſecro*, quàm repetitio,*nunc*,improba reputata à Regibus. Aduerte,prudēs lector,quòd Deus mādat Moſi, vt proponat Pharaoni non integrū negocium intentum; ſed minimam eius partem;ſed principium eius; videlicet, ire in deſertum itinere trium dierum ad ſacrificandum Deo.

k Oreb mons, via trium dierum diſtabat ab Ægypti terminis ſed quòd poſteà filij Iſrael tertio menſe illuc peruenerunt,ideò factum eſt, quòd nec recta via, per multáſque manſiones Dei nutu caſtra mouebant

Vt immolemus Domino Deo noſtro.] Iuxta Hebræum habetur: *Iehouah Elohe noſtro.* Ratio nominandi Deum ſic, eadem eſt, qua Deum legantem ſic nominauerant.

Vers. 19. Sed ego scio, quòd non dimittet vos Rex Ægypti, vt eatis.] Non solùm instruit Deus Legatum suum de principio legationis; sed etiam de vniuerso progressu, tum ex parte Pharaonis non dimissuri, tum ex parte ipsius Dei mirabilia facturi.

Nisi per manum [l] validam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non in manu forti.* Prædicit ei modum, quo Pharao detinebit populum, dicendo, quòd detinebit quidem; & non detinebit hoc modò, videlicet, in manu forti; hoc est in brachio militari, apponendo exercitum, ne populus exeat. Et exclusit Deus hunc modum detentionis, ad tollendum timorem belli inter populum Israël, & exercitum Pharaonis in ipso actu egrediendi. Sciebat enim Deus, quòd filij Israël inexercitati erant ad bellicas actiones: & quòd, si egrediendo oportuisset eos pugnare cum exercitu Pharaonis, non assensissent, vt egrederentur.

[l] Hoc loco, *manus* pro vindicta, & graui plaga accipitur, idiotismo Hebræo, vt sæpè alibi.

V. 20. Extendā enim manū [m] meam: & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sim in medio eorum.] Sūmatiè pertransitur: nam subiuncta inferiùs innuunt, quòd Deus vniuersa mirabilia decem plagarum Ægypti prædixit Mosi.

[m] *Manus Dei extenta*, Ira Dei est ad percutiendum parata. Sic Isaiæ 31. *Dominus extendet manum suam, & simul omnes impij deficient.*

Post hoc dimittet vos.] Non solùm ingressum, & progressum; sed etiam finem prædicit pacificum, dicendo: *Dimittet vos.*

Vers. 21. Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis.] Egressus prædicitur, non solùm pace; sed diuitiis donatus.

Et cùm egrediemini, non exibitis vacui: *Vers.* 22. sed postulabit mulier à vicina sua, & ab hospita sua, vasa argentea, & aurea, ac vestes: ponetisque eas super filios, & filias vestras, & spoliabitis Ægyptum.] Non oportet sollicitum esse de furti crimine in eo, quod diuina iussione fit; cùm ipse sit Dominus rerum, & personarum quanuis etiam humana ratione liceat publicos hostes spoliare.

CAPVT IV.

VERS. 1. Respondens Moses ait: Non credent mihi, neque audient vocē meam: sed dicent: Non apparuit tibi Deus.] Occurrit quæstio, quonam pacto licitè responderit Moses: *Non credent mihi.* cùm Deus prædixerit ei: *Audient vocem tuam.* Si enim Moses credidit Deo, non erat locus respondendi: *Non credent mihi.* si verò non credidit Deo, peccauit. Solutio est, quòd verbum Dei: *Audient vocem tuam.* de senibus Israël est: verbum autem Mosis: *Non credent mihi.* incredulitatem populi obiicit. Ac si apertiùs dixisset: Quanuis senes credant mihi; populus tamen non credet, quòd tu mihi apparuisti, ac me miseris, &c. *Dicendo: Non apparuit tibi Iehouah.* directè negantes, Deum nominatum à Mose, visum fuisse à Mose.

Vers. 2. Dixit ergo ad eum.] Deficit, *Iehouah.* Frequenter vtitur nomine tetragrammaton in hac materia legationis, & liberationis; tum, vt nouiter manifestatum nomen magnificetur: tum, vt ab ipso omnia pendere discamus.

Quid est, quod tenes in manu tua? Respondit: Virga. *Vers.* 3. Dixitque Dominus: Proiice illam in terram. Proiecit: & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moses. *Vers.* 4. Dixitque Dominus.] Nomen est tetragrammaton, præter rationes dictas ad significandum, quòd ad ipsum essendi fontem pertinet mutare naturas rerum.

Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit: versusque est in virgam. *Vers.* 5. Vt credant, inquit, quòd apparuerit tibi Dominus Deus patrum eorum, Deus Abraham, & Deus Ishac, & Deus Iahacob.] Eadem sunt hîc nomina, quæ superiùs dicta sunt; videlicet, *Iehouah Elohe patrum eorum, Elohe Abraham, Elohe Ishac, Elohe Iahacob.* Quorum ratio reddita est.

Vers. 6. Dixitque rursum ei Dominus.] Nomen est tetragrammaton rationibus iam dictis.

Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cùm misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis. *Vers.* 7. Retrahe, ait, manum in sinum tuum. Retraxit, & protulit iterum: & erat similis reliquæ carni. *Vers.* 8. Si non crediderint, inquit, tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis. *Vers.* 9. Quòd si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam; sume aquam fluminis, & effunde eam super aridam: & quicquid hauseris de fluuio, vertetur in sanguinem.] Deficiunt duæ dictiones: legendum est: *Vertetur in sanguinem in sicco.* Significatur enim, quòd effusa in terram siccam vertetur in sanguinem.

Vers. 10. Ait Moses: Obsecro, Domine, non sum eloquens.] Iuxta Hebræum præmittitur: *Et dixit Moses ad Iehouah.* Frequentatur enim nuper manifestatum nomen. Deinde sequitur: *Obsecro, Adonai, non vir verborum ego, etiam ab heri, etiam à nudiustertius, etiam ex quo loqui tuum ad seruum tuum: quoniam grauis ore, & grauis lingua ego. Adonai*, numeri est pluralis significans, *Domini mei*: & cùm manifestè habeat suum singulare, & debuisset dici, *Adoni*, (hoc est, *Domine mi*,) dicendo, *Domini mei*, insinuat, consuetudinem fuisse apud Hebræos, quæ nunc est in vulgati Italico, vt Magnates alloquamur in numero plurali. Dicendo: *Non vir verborum ego.* significat, quòd est homo paucorum verborum: cuius contrarium exigitur ad Legatum persuasiuum: mittebatur enim ad persuadendum populo. Hæc autem paucitas sermonis non noua, sed antiqua erat Mosi. Et propterea dixit: *Etiam ab heri, etiam à nudiustertius* [a]. Ac si apertiùs dixisset: Paucitas verborum naturali consuetudine mecum est. Quod autem subdit: *Etiam ex quo sermo tuus ad seruum tuum.* sufficienter verificatur intelligendo, quòd ex quo locutus es ad seruum tuum, non cessauit ista paucitas verborum; sed perseuerat mecum: ad significandum, quòd locutio Dei non abstulit à Mose huiusmodi impedimentum. Ratio autem talis consuetudinis redditur, tum ex parte oris, tum ex parte linguæ. In qua

[a] Cùm tradat Iosephus, Mosen fuisse eloquentissimum, in omnique Ægyptiorū sapientia nutritum; nonnulli hoc sic intelligunt, quòd, postquā Moses Deo colloqui cœpit, linguæ tardioris effectus sit, prout solet esse, eorum summa gratia habere[illegible]

qua ratione relucet prudentia Mosis: quòd cùm videret, habere se impedimenta ad pulchrè loquendum, sermonis parcum seipsum reddidit consuetudine parum loquendi. Et cum grauitas linguæ, & oris, tarditatem pariat, non oportet balbutientem intelligere Mosen; sed organa sermonis habuisse tarda: vt defectus potiùs opponatur facundiæ, quàm locutioni: hic enim defectus sufficiebat ad excusationem Mosis, ne mitteretur.

Vers. 11. Dixit Dominus ad eum.] Nomen est tetragrammaton, ratione iam dicta.

Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus est mutum, & surdum, videntem & cæcum? nónne ego?] Iuxta Hebræum futuri temporis est secundum verbum, quanuis primum sit præteritum. Et se posuisse os homini, & se positurum, tam surdum, quàm mutum; tam apertum, quàm cæcũ, manifestat Deus sub nomine יהוה. Quod deficit in vulgata editione: nam in Hebræo legitur; *Nónne ego* יהוה? Testatur enim ipse Deus, quòd ipse fons essendi est ita fons essendi, quòd est etiam causa non essendi. Priuationes enim significatæ per surdum, & mutum, sunt species non essendi. Et per hoc respondet Mosi, monstrando, quòd in potestate sua est, & facere, & tollere, & supplere omnia impedimenta, quantuncunque naturalia.

Vers. 12. Perge igitur.] Parui refert, quòd in Hebræo habetur: *Et nunc vade.* non obstante hoc impedimento.

Et ego ero in ore tuo, docebóque te, quid loquaris.] Vtrunque defectum suppleturum se pollicetur Deus. Et defectum quidem naturalium organorum dicendo: *Et ego ero cum ore tuo.* defectum verò verborum ex consuetudine parum loquendi, dicendo: *Et docebo te, quid loquaris.*

Vers. 13. At ille, Obsecro, inquit, Domine, mitte, quem missurus es.] Iuxta Hebr. habetur: *Obsecro, Adonai, mitte, obsecro, in manu mittes.* Scito, quòd aduerbium, *obsecro*, secundo loco potest sonare, *nunc:* & quòd verbum, *mittes*, genitiuum implicat casum. Ac si diceretur, in manu eius, quem mittes. Germanus autem sensus est, quòd cùm Moses quatuor obiectiones, seu excusationes attulisset, ne mitteretur Legatus ad huiusmodi liberationem populi, (primam ex imparitate sua, secundam ex ignoto nomine Dei, tertiam ex incredulitate populi, & quartam ex negata facundia,) cùm videret, quòd huiusmodi excusationes non acceptarentur à Deo, conuertit se demum ad humiliter supplicandum, vt non mitteretur ipse, sed alius; non hic, vel ille; sed, quem Deus elegerit mittendum. Ita quòd supplicatio hæc principaliter tendit ad hoc, vt ipse Moses non mittatur: sed, ne videatur impedimentum petere tanti boni, (liberationis, videlicet, populi,) format supplicationem, petendo, vt mittat aliũ sibi beneplacentem.

Vers. 14. Iratus Dominus in Mosen, ait.] Iuxta Hebræum habetur: *Et iratus est furor Iehouah in Mosen, & dixit.* Ira Dei testatur, Mosen petiisse, vt non mitteretur. Si culpa vacasset petitio Mosis, nequaquam iratus fuisset Deus: sed eo ipso, quòd iratus describitur, manifestatur culpa Mosis: nam ira Dei, iustitia est punitiua. Et verè culpa fuit, post omnes excusationes suppletas adhuc instare, vt non mitteretur: cognita siquidem sufficienter diuina voluntate, non est fas etiam humiliter supplicando petere oppositũ. Verùm, quòd leuis culpa fuerit, testatur Litera, dicendo, non, quòd iratus est Deus; sed quòd *iratus est furor Dei:* vt more humano significaretur ira per modũ passionis repentinæ. Ac si de homine loquendo diceremus, quòd accẽsa est cholera eius; tanquàm nõ ipse ex proposito sit iratus, sed cholera eius. Pari siquidem similitudine describitur furor Dei iratus, tanquàm non ipse Deus; sed repentinus furor iratus fuerit. Culpa siquidem Mosis Deum more humano exigit scribi, tanquàm repentè excandescentem. Et nominatur ipse fons essendi, in quo nulla est passio, aut propassio: vt intelligamus, quòd ipse summus essendi fons curam habet horum minimorum.

Aharon, frater tuus Leuites, scio, quòd eloquẽs sit.] Non plenè redditur Textus Hebraïcus: nã iuxta Hebr. habetur: *An non Aharon, frater tuus Leuites, scivi, quod loquendo loquetur ipse?* Quemadmodum culpam Mosis testatur ira Dei; ita rationem culpæ manifestat hæc Dei sententia. Nam ex hac sententia habetur; tum, quòd Moses nimis ponderauit defectum suæ facundiæ; tum, quòd minùs circũspectus fuit, non considerando facundiam fratris sui, & quòd in promptu erat vti fratre suo facundo ad persuadendum populo: huc enim tendit sententia ista dicendo: *An non sciui.* Ac si apertiùs dixisset: Cur non considerasti, quòd ego sciui facundiam fratris tui, & ipsum darem tibi, vt organum tuum ad persuadendum populo?

Ecce ipse egredietur.] Iuxta Hebr. habetur: *Et etiã ecce ipse egrediens in occursum tuũ.* Notitiæ propriæ de Aharon facundia, adiungit promptitudinem Aharon ad idem: vt vndique culpa Mosis appareat.

Vidénsque te, lætabitur corde. *Vers.* 15. Loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius: & ego ero in ore tuo, & in ore illius, & ostendam vobis, quid agere debeatis. *Vers.* 16. Ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuũ: tu autem eris ei in iis, quæ ad Deum pertinent.] Iuxta Hebr. habetur: Et tu eris ei in אלהים. Et est sensus, quòd ipse Aharon fungetur officio oris tui, relatiuè ad populum, tu autem fungeris officio oris Dei, relatiuè ad Aharon: Moses enim reuelabat diuina, & dirigebat Aharõ, (quod est esse ei אלהים:) Aharon verò communicabat ea populo persuadendo. *Vers.* 17. Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.] Poterat Deus conferre Mosi, vt sine virga faceret miracula: sed maluit, quòd mediante virga miracula faceret, ad hoc vt sensibiliter cognoscerent homines, quòd ipse Moses faceret miracula, videndo quod eleuata, seu applicata virga per manum Mosis, sequebátur statim miracula. Naturale siquidem est homini per sensus duci in notitiam intelligibilium.

Vers. 18. Abiit Moses, & reuersus est ad Iether socerum suum: dixitque ei: Vadã, obsecro, & reuertar ad fratres meos in Ægyptum, vt videam, si adhuc viuant. Cui ait Ithro: Vade in pace.

*Verſ.*19. Dixit ergo Dominus ad Moſen in Midian [b].] Nomen eſt tetragrammaton nouiter manifeſtatum.

[b] Hæc *Madian*, gentis Hamalec olim regia fuit, in valle ſita, ſupra torrentem, ad ſinum Elanĉticum: ab ea vſque ad Ægytum Saul expugnauit gentem Hamalec.

Vade, & reuertere in Ægyptum: mortui ſunt enim omnes, qui quærebant animam tuam] Modus, quo hæc dicta ſunt, ex eo, quòd non eſt limitatus, intelligendus eſt internus: ſolito, ſcilicet, modo, alloquendi Prophetas interna reuelatione. Facta eſt autẽ hæc reuelatio, non ſolùm ad proſequendũ cœpta; ſed principaliter ad excutiendum timorem ab animo Moſis, vt ſecurus reuerteretur in Ægyptum.

Verſ. 20. Tulit ergo Moſes vxorem ſuam, & filios ſuos: & impoſuit eos ſuper aſinum.] Ne intelligas vnum dumtaxat: ſed Hebræo more multitudo aſinorum appellatur aſinus.

Reuerſúſque eſt in Ægyptum, portans virgam Dei in manu ſua.] Nomen eſt אלהים. Et aptè dicitur האלהים: quia virga erat ad facienda mirabilia iudicia Dei aduerſus Ægyptum.

*Verſ.*21. Dixítque ei Dominus reuertenti in Ægyptum: Vide, vt omnia oſtẽta, quæ poſui in manu tua, facias coram Parhone.] Mutauit Interpres, & vniuit diuerſas ſententias. Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit* יהוה *ad Moſen: In ire tuo ad reuertendum in Ægyptum, vide omnia prodigia, quæ poſui in manu tua, & facies ea coram Parhone.* Vbi clarè patet, quòd in Litera non dicitur, tempus iſtius allocutionis diuinæ fuiſſe, quando reuertebatur Moſes: ſed Litera ſonat potiùs, quòd priùs fuerit iſta allocutio, eò quòd monet, vt in ipſo itinere conſideret Moſes omnia mirabilia poſita in poteſtate ipſius Moſis. Et ex hoc Textu habetur, quòd Deus iam reuelauerat Moſi omnia mirabilia, quæ facturus erat in Ægypto. Nominatur autem Deus tetragrammaton, ratione iam dicta.

Ego indurabo cor eius.] Relinquendo ipſum ſibiipſi. Sic enim Deus indurat animum non poſitiuè, ſed negatiuè.

Et non dimittet populum *Verſ.*22. Dicéſque ad eum: Hæc dicit Dominus.] Nomen eſt tetragrammaton. Iubet Deus ſub nomine ſibi proprio, proponendum ſe legantem Moſen: vt diſcernat Patho, quòd non Deus, ſicut alij Dij; ſed Deus, qui dat eſſe omnibus, miſit ipſum.

Filius meus primogenitus Iſraël.] Deeſt pronomen, *meus*: legendum enim eſt: *Filius meus, primogenitus meus Iſrael.* Filius quidem adoptione; primogenitus autem inter populos: nullum enim populum adoptauit Deus ante adoptionem populi Iſraël. Dicit tamen genitum, eò quòd non priùs fuit populus, & deinde adoptatus in filium; ſed adoptio populi facta eſt, adhuc populo exiſtente in patrum lumbis, Abrahæ, Iſhac, & Iahacob. Et proptereà populus genitus eſt iam adoptatus in filium: & recto ordine dicitur, *filius meus, primogenitus meus Iſraël.*

*Verſ.*23. Dixi tibi: Dimitte filium meũ, vt ſeruiat mihi, & noluiſti dimittere eũ: ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.] Hinc clarè apparet, quòd terminum legationis reuelat, ac docet: poſtremus enim ſermo Moſis ad Parhonem fuit de morte primogenitorum. Et reuelauit hæc, ad manifeſtandum, quòd induratio Parhonis ad dimittendum populum, perſeuerabit vſque ad cladem primogenitorum.

*Verſ.*24. Cumque eſſet in itinere in diuerſorio, occurrit ei Dominus: & volebat occidere eum.] Nomen eſt tetragrammaton: ad conteſtandum, quòd, quanuis ſummus ſit; ad ima tamen in ſenſibili ſpecie hominis armati, tanquàm quærentis occidere Moſen, deſcendere non aſpernatur.

*Verſ.*25. Cepit illicò Siphora acutiſſimã petram: & circuncidit præputiũ filij ſui.] Hinc habetur, quòd apparitio iſta ſenſibilis fuit communis etiam vxori Moſis, & quòd interceſſit ſermo ſenſibilis de incircunciſo filio: ita quòd dicendo: *Et quæſiuit interficere eum.* breuiſſimè ſignificatur, quòd in ſpecie illa hominis apparens armatus, & motu, & actione, & verbis præ ſe ferebat, ſe quærere Moſen, vt occideret eum: quia filius eius erat incircunciſus. Et proptereà vxor cauens marito, circuncidit filium.

Tetigítque pedes eius [c].] Siphora, vt ſeruaret Moſen, non ſolùm circuncidit filium, ſed etiam iecit ſe ad pedes Domini inuadentis Moſen, vt etiam ſic placaret eum. Intelligimus enim hîc, quòd apparens Dominus etiam poſt circunciſum puerum, non deſiſtebat à comminatione Moſis: & proptereà Siphora tetigit pedes Domini perſequentis Moſen.

[c] Nonnulli intelligunt, quod Sephora, cum filium petra circuncideret, infantis etiam pelles vulnerauerit.

Et dixit: Sponſus ſanguinum tu mihi es.] Ad complendum facta, & dicta à Siphora, ſubiungit præoccupando Moſes hæc verba Siphoræ ad maritum: vt ipſemet Moſes teſtatur.

*Verſ.*26. Et dimiſit eũ [d].] Hîc eſt faciẽdus punctus. Et quoniam, *dimiſit*, ſeu, *receſſit*, maſculini eſt generis apud Hebræos, manifeſtè paret, quòd non ad Siphoram, ſed ad Dominum refertur. Et eſt planus ſenſus, quòd Dominus perſequens Moſen, poſtquàm Siphora tetigit pedes Domini, ceſſauit à perſecutione Moſis, receſſit ab eo, (ſcilicet, Moſe,) tanquàm placatus.

[d] Nonnulli hæc de Sephora exponunt, quòd maritum, ſcilicet, dimiſerit: nam inferiùs cap. 18. conſtat, eam ad patrem reuerſam fuiſſe, relicto Moſe.

Poſtquàm dixerat.] Iuxta Hebr. habetur: *Tunc dixit: Sponſus ſanguinum tu mihi es, ob circuncisionem.* Ecce ipſe Moſes teſtatur, quòd vbi Dominus ceſſauit à perſecutione Moſis, Siphora verſa ad maritum dixit illa verba: *Sponſus ſanguinum tu mihi.* Et exponit Moſes, quare dixerit: *Sponſus ſanguinum.* videlicet, propter circunciſionem, quæ cum effuſione ſanguinis fit.

Vnum ſupereſt dubium, quare vnus tantùm filius narratur circunciſus: cùm clarè teſtetur Litera, quòd Moſes ducebat ſecum vxorem, & filios. Solutio eſt, quòd Siphora circuncidit omnes filios: ſed Scriptura, quemadmodum dixit, *ſuper aſinum*, ſignificando omnes aſinos, ſuper quos equitabant; ita dicit, *filij ſui*, ſignificãdo omnes filios ſuos. Ita quòd Dominus inſtabat perſequendo Moſen, donec Siphora circuncidit omnes filios: & adhuc expectauit, vt illa iaceret ſe ad pedes eius, rogando, vt deſiſteret. Si enim alter filius circunciſus antè fuiſſet, non dixiſſet nunc Siphora propter circunciſionem Moſi: *Sponſus ſanguinum tu mihi.*

mihi. Hæc enim verba nunc dicta insinuant, quòd tunc incepit effundi sanguis filiorum eius in circuncisione.

Vers. 27. Dixitque Dominus ad Aharon [c].] Nomen est tetragrammaton rationibus iam dictis. Dixit autem interna inspiratione.

[c] Huius reuelationis fit mentio 1.Reg. 2. cap

Vade in occursum Mosi in desertum. Qui perrexit ei obuiam in montē Dei, & osculatus est eum.] Nomen est אלהים. Et est sermo de monte Sinai, qui dicitur *mons* אלהים, eò quòd ibi apparuit Deus legislator: Moses enim nominat montem nomine solito in populo Israël post acceptam legem. Scripsit enim hæc post datam legem.

Vers. 28. Narrauitque Moses Aharon omnia verba Domini, pro quibus miserat eum, & signa, quæ mandauerat.] Nomen est tetragrammaton, ad manifestandum, quòd ille, qui verè est fons essendi omnibus, locutus est sibi. Narrauit autem & omnia verba Dei, & omnia mirabilia, quæ mandauerat Deus.

Vers. 29. Veneruntque simul: & congregauerunt cunctos seniores filiorum Israel. *Vers.* 30. Locutúsque est Aharon omnia verba, quæ dixerat Dominus ad Mosen.] Nomen est tetragrammaton ratione iam dicta. Ecce Aharon est os Mosi, alloquendo senes Israël, & manifestando, quæ dicta fuerant à Deo Mosi.

Et fecit signa coram populo.] Vide progressum. Primum congregat vterque senes Israël, & Aharon loquitur coram senibus: deinde Moses fecit signa, non coram senibus dūtaxat, sed coram populo. Ad Mosen siquidem immediatè antè nominatum refertur verbum, *fecit.* Et est sermo de tribus signis, quorum mentio facta est in principio huius capituli.

Vers. 31. Et credidit populus.] Ecce plusquàm promissum fuerit. Nam non solùm senes populi, sed etiam populus credidit Mosen missum esse à Deo ad liberandum populum.

Audierúntque, quòd visitasset Dominus filios Israel, & quòd respexisset afflictionem eorum: & proni adorauerunt.] Dictio interpretata, *Dominus*, est nomen tetragrammaton, venerandum à filiis Israël. Rationem reddit Moses honoris exhibiti Deo à populo. Audiendo enim, quòd Deus visitasset eos, mittendo Prophetam Mosen; & quòd prouidisset de redemptore eorum, incuruauerunt se, & adorauerunt Deum, gratias agentes Deo.

CAPVT V.

VERS. 1.

Post hæc ingressi sunt Moses, & Aharon.] Nulla fit mentio seniorum: quum tamen Dominus ordinauerit cap. 3. *Ingredieris tu, & seniores Israel ad Regem Ægypti.* Solutio est: vel, quòd senes comitati sunt; nec aliter exprimuntur, quàm istis duobus præcipuis: vel, quòd illud mandatum intelligitur mutatum, quando datus est Aharon coadiutor Mosi: nam mandatum illud factum fuerat priùs, & quasi loco seniorum subrogatus est Aharon quoad legationem: subiuncta tamē verba Parhonis: *Ite ad onera vestra.* innuunt, senes Israël affuisse, & ad eos dictum esse: *Ite ad onera vestra.*

Et dixerunt Parhoni: Hæc dicit Dominus Deus Israël.] Iuxta Hebræum habetur: *Sic dixit* יהוה *Elohe Israel.* Nomen proprium veri Dei proponunt Parhoni, tum ob authoritatem, tum ob veritatem. Adiungunt autem, *Elohe Israel*; ad significandum, quòd quia colitur ab Israël vt Deus Iudex, eius interest cura populi Israël: propter quod appellat ipsum, *populum meum.*

Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto.] Patui refert, quòd in Hebræo habetur, non sacrificare, sed festiuare.

Vers. 2. At ille respondit: Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israël? Nescio Dominum, & Israël non dimittam.] Iuxta Hebræum habetur: *Quis* יהוה *quem audiam in voce eius ad dimittendum Israel? Non noui* יהוה, *& etiam Israël non dimittam.* Inter contemptum, & interrogationem medius est sermo: primum enim sub forma quæstionis dicit, non, quis Iehouah; sed, *quis Iehouah, quem audiam ad dimittendum Israel.* Non enim quærit scire, quis est Iehouah absolutè; sed quis est relatiuè ad ipsum Parhonem ad hoc, vt pareat ei ad dimittendum Israël. Contemptum verò admiscet dicendo: *Non noui Iehouah, & Israel non dimittam.* Si animo inquirendi notitiam veritatis, formasset quæstionem, non intulisset ex sua inscitia detentionem populi Israël: sed, cùm verè nesciret Iehouah, tam absolutè, quàm relatiuè ad ipsum, (hoc enim raris hominibus concessum est,) nec crederet, summum Deum curare, quòd ipse Parho dimittat Israël, contempsit mandatum diuinum, allegando inscitiam propriam. Ex hoc colloquio clarè apparet, quòd nomen tetragrammaton proferri potest, & prolatum est à Mose, & Aharon coram Parhone, & repetitum ab ipso Parhone.

Vers. 3. Et dixerunt: Deus Hebræorum vocauit super nos, vt eamus.] Iuxta Hebræum habetur: *Elohe Hebræorum fuit obuius super nos.*

Ibimus, obsecro, viam trium dierum in solitudinem.] Respondent quæsito, manifestando modum, quo Iehouah se habere curam dimissionis eorum manifestauit: & vbi dixerant, *Elohe Israel*, nunc dicunt, *Elohe Hebræorum*; altiùs repetendo, quis relatiuè ad homines est Iehouah; videlicet, quòd non nouus est Elohe Israël; sed ab antiquo fuit Elohe Hebræorum filiorum Heber, cuius tempore diuisæ sunt linguæ. Cultum itaque ab antiquo exhibitum Iehouah ab Hebræis, priusquàm Israël gigneretur, commemorant, vt notum, ac veneratum antiquissimis Patribus Iehouah manifestent; & quòd ipse Iehouah non quæsitus fuit obuius ipsis Israëlitis, occurrendo de supernis: vt hinc discat Parho, diuinam curam populi Israël compertam esse in tali occursu. Et est sermo de apparitione in flamma ruborum.

rum. Et exponendo mitigant petitionem: petierant enim dimitti populum: mitigando declarant peti, vt dimittatur populus ad eundum in desertum, itinere trium dierum ad sacrificandum Deo: sic enim præceperat Deus proponi petitionem apud Parhonem, vt omninò inexcusabilis esset: qui enim negat hoc, multò magis negaret absolutè dimissionem populi Israël. Nec mendacium, sed silentium interuenit integræ veritatis, vt prædiximus: ituri enim erant itinere trium dierum, & longiore itinere; sed hoc tacuerunt; sacrificaturi Deo ituri erant, & hoc dixerunt.

Et sacrificemus Domino Deo nostro.] Iuxta Hebræum habetur: *Iehouah Elohe nostro.* Vtrunque Dei nomen repetunt, profitendo, Iehouah olim ab Hebræis cultum, coli etiam ab ipsis.

Ne fortè accidat nobis pestis, aut gladius.] Iuxta Hebr. habetur: *Ne quando occurret nobis in peste, aut in gladio.* Ad ipsum Deum refertur occursus eum peste, aut bello; non casui, sed diuinæ prouidentiæ, plaga pestis, aut belli attribuitur.

Vers. 4. Ait ad eos Rex Ægypti: Quare Moses, & Aharon sollicitatis populum ab operibus suis?] Dictio interpretata, *sollicitatis*, sonat, *facitis vacare*: & hoc consonat adiunctis operibus. Arguit Parho Mosen, & Aharon, quòd occasionem dent populo cessandi ab operibus in seruitium Regis: & nominat Mosen, & Aharon, tanquàm personas sibi notas, & capita huius petitionis: imò tanquàm confictores diuinæ apparitionis ad leuandum populum: huc enim tendit reprehensio, quòd faciant vacare populum ab operibus suis.

Ite ad onera vestra.] Priùs allocutus est Mosen, & Aharon capita: deinde alloquitur comites eorum, dicendo: *Ite ad onera vestra.*

Vers. 5. Dixitque Parho.] Quamuis non exprimatur, quibus dixerit; subiuncta tamen manifestant, quòd dixerit illis, quibus incumbebat cura operis Hebræorum.

Multus est populus terræ.] Hinc apparet, quòd edictum de exponendis infantibus, abrogatum fuerat: alioquin non rediret Parho ad primum remedium opprimendi populum oneribus, nec tam multiplicatum testatetur.

Videtis, quòd turba succreuerit.] Non habentur hæc in Hebræo.

Quantò magis, si dederitis eis requiē ab operibus? Iuxta Hebræum habetur: *Et facietis vacare ipsos ab oneribus suis?* Interrogatiuè legendū est, per modū horrentis negligētiam Præfectorum, cōcedentē otium Israëlitis.

Vers. 6. Præcepit ergo in die illo.] Priùs rationem proposuit ex multiplicatione Israelitarum: deinde præceptum adiunxit.

Præfectis operum, & exactoribus populi, dicens:] Interpres non solùm præpostero ordine scribit *exactores*, & *præfectos*; sed etiam addidit, *operum*. In Hebræo enim priùs nominantur exactores in populo: & deinde præfecti eius: vtrique autem erant Ægyptij. Non sunt isti præfecti, illi, qui inferiùs referuntur flagellati, seu percussi: isti enim præfecti erant à Parhone, & præerant exactoribus: illi autem Hebræi erant, & instituti ab exactoribus.

Vers. 7. Nequaquam vltrà dabitis paleam populo ad conficiendum lateres, sicut priùs: sed ipsi vadant, & colligant sibi ipsis paleam: *Vers.* 8. & mensuram laterum, quos priùs faciebant, imponetis super eos, nec minuetis quicquam.] Dictio interpretata, *conficiendum*, si Latinus sermo admitteret, interpretanda esset, *laterandum*: perinde enim in Hebræo habetur, ac si diceremus, *ad laterandum lateres.* Quod ideò dixerim, vt percipiatur necessitas, seu vtilitas paleæ, seu fœni ad lateres: hinc enim insinuatur, quòd ad ipsam compositionem laterū conferebant.

Vacant enim.] Iuxta Hebr. habetur: *Pigri ipsi.* Pigritiæ attribuitur religio.

Idcircò vociferantur, dicentes: Eamus, sacrificemus Deo nostro.] Iuxta Hebr. habetur: *Elohe nostro.* Commune, vt dictum est, erat Elohe nomen.

Vers. 9. Opprimantur operibus, & expleant ea, vt non acquiescant verbis mendacibus.] Hinc clarè apparet, quòd Parho existimabat, Mosen, & Aharon finxisse diuinam apparitionem.

Vers. 10. Igitur egressi sunt exactores populi, & præfecti eius: & dixerunt ad populum: Sic dicit Parho: Non do vobis paleam: *Vers.* 11. ite, & colligite, à quo inuenietis: nec minuetur quicquā de opere vestro. *Vers.* 12. Dispersúsque est populus per omnem terram Ægypti, ad colligendam paleam. *Vers.* 13. Præfecti quoque operum instabant.] Iuxta Hebr. habetur: *Et exactores vrgentes, dicentes.* Præfecti enim maiores erant.

Complete opus vestrum quotidie, vt priùs facere solebatis, quando dabantur vobis paleæ. *Vers.* 14. Flagellatíque sunt, qui præerant operibus filiorum Israël, ab exactoribus Parhonis.] Desunt multæ dictiones: nam in Hebræo habetur: *Et percussi sunt præfecti filiorum Israël, quos posuerunt super ipsos exactores Parhonis, dicentes.* Hinc enim clarè apparet discretio præfectorum, quam suprà diximus.

Quare non impletis mensuram laterum, sicut priùs, nec heri, nec hodie? *Vers.* 15. Venerúntque præpositi filiorum Israël: & vociferati sunt ad Parhonem, dicentes: Cur ita agis contra seruos tuos? *Vers.* 16. Palea non datur nobis, & lateres similiter imperantur. En famuli tui flagellis cædimur: & iniustè agitur contra populum tuum.] Verè huc tendunt verba præfectorum: veruntamen modestiùs hoc insinuarunt, dicendo: *Et ecce serui tui percussi, & peccatum populi tui.* Proponunt pœnam illatam, proponunt & culpam nullam: eò quòd impossibile exigatur, vt hinc iniustitia manifesta appareat.

Vers. 17. Qui ait: Vacatis otio.] Iuxta Hebr. habetur: *Pigri vos, pigri.* Pigritiam imponit exaggerando, & attribuendo illi religionē eorū.

Idcircò dicitis: Eamus, & sacrificemus Domino.] Nomen est tetragrāmaton: quod repetitum est à Parhone, vt ostenderet, quòd percepit dicta à Mose, & Aharon.

V. 18. Ite ergo, & operamini: palea non dabitur vobis, & reddetis consuetum numerum laterum.

Vers. 19.

Verſ. 19. Videbántque ſe præpoſiti filiorum Iſraël in malo: eò quòd diceretur eis: Non minuetur quicquam de lateribus per ſingulos dies. *Verſ.* 20. Occurrerúntque Moſi, & Aaron, qui ſtabant ad occurſum eorum; cùm egrederentur à Parhone.] Ipſi præpoſiti referuntur manifeſtè.

Verſ. 21. Et dixerunt ad eos: Videat Dominus,& iudicet.] Iuxta Hebræum habetur: *Videbit Iehouah ſuper vos, & iudicabit: qui fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Parhone,& ſeruis eius; & præbuiſtis ei gladium, vt occideret nos.* Summum Deum appellant vltorem, vtentes ſolitis loquendi modis metaphoricis, tum ſimilitudine fœtoris, tum ſimilitudine enſis: nihil enim horum ſecundùm proprietatem; ſed ſecundùm metaphoram valdè conſuetam hîc dicitur ab afflictis,& à Parhone deſperatis.

Verſ. 22. Reuerſúſque eſt Moſes ad Dominum.] Nomen eſt tetragrammaton: ad ipſum enim fontem eſſendi, (à quo, & omnes eſſendi, & omnes non eſſendi modi proueniunt,) reuertitur, mente orando, & ſupplicando, vtpote, à quo miſſus fuerat.

Et dixit: Domine, cur afflixiſti populum iſtum? Quare miſiſti me?] Iuxta Hebræum habetur אדני: quod nomen (vt dictum eſt) ſignificat, *Domini mei:* intelligitur tamen, *Domine mi.* Non prædixerat Deus Moſi afflictionem populi augendam abſolutè, nec ex legatione ſua & propterea Moſes orando, vtrunque admiratur: & quare noua hæc afflictio populi à Deo, & quare legauerit ipſum cum tam malo euentu. Nec dicit: Quare Patho afflixit populum: ſed, *Quare tu feciſti malum pœna hoc populo huic?* Et ſimiliter, *Quare miſiſti me?*

Verſ. 23. Ex quo enim ingreſſus ſũ ad Parhonẽ, vt loquerer ex nomine tuo, afflixit populum tuum: & non liberaſti eos.] Modum declarat, quo Deus malum fecit populo, infligente illud Parhone: & conſiſtit modus in hoc, quòd non liberauit populum ab huiuſmodi afflictione; & quòd non ſuccurrit, ne affligeretur.

CAPVT VI.

VERS. 1. Dixitque Dominus ad Moſen.] Nomen eſt tetragrammaton, congruens mutationibus rerum coram Parhone exhibendis.

Nunc videbis, quæ facturus ſim Parhoni.] Afflictis reſpondet, non tardari ſuccurſum: quoniam nunc abſque dilatione videbis mirabilia mea.

Per manum enim fortem dimittet eos: & in manu robuſta eiiciet illos de terra ſua.] Non Parhonis, ſed Dei robuſta manus ſignificatur, qua occidit primogenitos: ex qua clade Parho non ſolùm dimiſit; ſed eiecit compellendo Iſraëlitas, vt exirent ex Ægypto. Mutationem itaque talem ac tantam pollicetur Parhonis, vt conſoletur afflictos.

Verſ. 2. Locutúſque eſt Dominus ad Moſen, dicens.] Nomen eſt אלהים, conſonum ſubiunctis de obſeruatione fœderis initi cum Abraham, Iſhac, & Iacob.

Ego Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Ego* יהוה. Aptiſſimè ſe eſſe Iehouah teſtatur, dicturus quòd hoc nomen non indicauit priſcis patribus.

Verſ. 3. Qui apparui Abraham, Iſhac, & Iacob, in Deo omnipotente.] Iuxta Hebræum habetur: *In El Sadai.* hoc eſt, in forti victore. Sunt enim ambo diuina nomina; alterum à fortitudine, alterum à victoria ſumptum. Et eſt ſenſus, quòd manifeſtauit ſe Deus patribus, quatenus ſignificatur, tam nomine El, quàm nomine Sadai; hoc eſt, quòd manifeſtauit eis ſe fortem,& victorem: manifeſtauit autem aduerſùs omnes nocere eis volentes: vt hiſtoria Geneſis teſtatur.

Et nomen meum Adonai non indicaui eis [a].] Iuxta Hebræum habetur: *Et nomen meum Iehouah non fuit notum ipſis.* Sed occurrit ſtatim quæſtio duplex. Altera, circa veritatem horum verborum: tum, quia Abrahæ fuit notum nomen Iehouah, quod dicitur tetragrammaton: nam Geneſis 15. alloquitur Deus Abraham, dicendo: *Ego Iehouah qui eduxi te,* &c.&c. quod maius eſt, ante diluuium hoc nomen fuit notum patribus, tempore Enos filij Seth: nam in calce 4. cap. Geneſis dicitur: *Tunc cœptum eſt vocare in nomine Iehouah.* Altera, quorſum hæc in hoc loco dicuntur: quia non videntur ad propoſitum.

> [a] Licèt ſint huius loci expoſitiones innumeræ,& inter eas nonnullæ Iudaïcæ nimis,& ſuperſtitioſæ; volo tamen hæc ſimpliciter intelligere, vt ſenſus ſit Licèt Abraham cæteriſque Patriarchis me in ſignis, ac magnalibus reuelauerim; nunquã tamen ea familiaritate cũ illis ſum vſus, vt nomen meum illis prædicerem; quod magnum eſt neceſſitudinis ſignum: hincque videbis, quàm clementer, & peculiariter vos diligam.

Solutio primæ quæſtionis eſt, quòd hîc non eſt ſermo de notitia nominis, quantùm ad ipſam vocem, & quid nominis, & confuſam notitiam, quod eſt proprium nomen Dei, (quoad hæc enim, notum fuiſſe patribus nomen Iehouah, non aduerſatur præſenti Textui:) ſed eſt hîc ſermo de notitia diſtincta rationis nominis Iehouah: talem enim notitiam patres non habuerunt: ſed illam docuit Deus Moſen, & per Moſen filios Iſraël, quando è rubo dixit: *Ero, qui ero.* vt declaratum eſt in cap. 3. Et conſiſtit ſententia in hoc, quòd patribus manifeſtauit attributa ſua, (fortitudinem, potentiam, ſapientiam, bonitatem, & huiuſmodi:) & non manifeſtauit eſſentiam ſuam: patribus manifeſtauit communia ſibi,& creaturis; & non manifeſtauit, quod ſibi ſoli proprium eſt: nam, tam El, quàm Sadaï, attributa ſunt communia Deo, & aliis: nomen autem meum Iehouah, mihi Deo proprium eſt; & propterea meum.

Solutio autem ſecundæ eſt, quòd Deus manifeſtat per hæc verba, quòd pluris quodammodo facit Moſen, & filios Iſraël modernos, quàm patres antiquos, dum eis communicat notitiam ſui, quam patribus negauit. Et fuit valdè opportuna hæc comparatio, vt afflicti Iſraëlitæ, ex perceptione tanti doni ſperarent firmiter futuram liberationem.

Verſ. 4. Pepigique fœdus cum eis, vt darem illis terram Chenahan, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt aduenæ. *Verſ.* 5. Ego audiui gemitum filiorum Iſraël, quo Ægyptij oppreſſerunt eos: & recordatus ſum pacti mei.] Ne Abraham, Iſhac, & Iacob ex negata eis notitia antedicta minùs reputarentur, ſubiungit Deus, quòd pepigit fœdus cum eis: & ad ſimilitudinem recordati deſcendit nunc, viſa afflictione populi: vt intelligant, quòd ratione

pattum

patrum priscorum miseretur modernorum filiorum.

Vers. 6. Ideò dic filiis Israël: Ego Dominus, qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum.] Nomen est tetragrammaton. Et est vox affirmantis, imò ad similitudinem iurantis: nam in Hebræo absolutè profertur: nec adiungitur relatiuum, *qui*, sed coniunctio, *&*. Ita quòd absolutè dicitur: *Ego Iehouah.* ac si dixisset, loquor in authoritate, & veracitate, quæ conuenit mihi, qui sum Iehouah. Propter quod aptè subiungit: *Et educam vos de sub oneribus Ægyptiorum.* quod Interpres, tam hîc, quàm inferiùs non ineptè vertit, *ergastulum.*

Et eruam de seruitute, ac redimam in brachio excelso, & iudiciis magnis: *Vers. 7.* & assumam vos mihi in populum, & ero vobis in Deum.] Iuxta Hebræum habetur nomen אלהים. Et est sensus germanus: *Et accipiam vos mihi in populum: efficiam vos populum meum;* (hoc est, dignos vos reddam, vt nomine & cura peculiari sitis meus populus:) *vobis autem ego ero* אלהים; hoc est, vos coletis me vt Iudicem, vt gubernatorem vestrum. Collige, prudens lector, quot, quanta, & qualia promittit Deus, tanquàm sub iuramento, ad consolationem afflictorum.

Et scietis, *(experimento,)* quòd ego sum Dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Quòd ego Iehouah, Elohe vester, educens vos de sub oneribus Ægyptiorum.* De tempore eductionis loquitur, quo occisis primogenitis, & submerso Parhone in mari rubro, cognouerunt ipsum Deum summum, cultum ab eis, eductorem eorum esse.

Vers. 8. Et induxerim vos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et venire faciam vos in terram.* Vnde patet, quòd non refertur ista particula ad verbum, *scietis:* sed, cùm dixisset: *Et scietis, quòd ego educo vos.* adiungit: *Et faciam vos venire in terram promissam.* Et hoc intellige, quantùm est ex parte mea; hoc est, secundùm præsentem iustitiam: nam, secùs euenit propter impedimentum incredulitatis eorum: duo enim tantùm viri ex istis venerunt in terram illam, vt inferiùs narratur.

Super quam leuaui manum meam[b], vt darem eam Abraham, Ishac, & Iahacob.] More Principum iurantium eleuatione manus, loquitur Deus, commemorans, se iuramento adhibito promisisse Abrahæ, Ishac, & Iahacob terram Chenahan: & quanuis iuramentum hoc non inueniatur scriptum alibi, (quòd, videlicet, fuerit exhibitum singulis, Abrahæ, Ishac, & Iahacob;) authoritas tamen huius commemorationis sufficit. Licèt exactiùs perspectus Textus non sonet iuramentum exhibitum singulis; sed iuramentum adhibitum ad dandum terram illis tribus, Abrahæ, Ishac, & Iahacob, ad cuius verificationem sufficit, semel iuratum esse, quòd daret terram illis. Ad quod sufficit iuramentum scriptum Genesis 22. in quo etsi non explicitè; implicitè tamen significatur etiam Iahacob: vt posteà Deus ipse explicauit, apparendo Iahacob: nam de Ishac præsente iuramento nulla est ambiguitas; cùm in ipso promissum iam esset nomen seminis Abrahæ.

[b] Leuare manum, idem est, ac iurare, idiotismo Hebræo.

Dabóque illam vobis possidendam ego Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Ego Iehouah.* Iurauit dare patribus: affirmat se daturum istis. Et tamen non patribus, nec istis dedit in seipsis; sed in filiis: vt sensus intentus à Deo per facta manifestetur. Verùm aduerte, quòd in Hebræo habetur: *Dabo vobis hæreditatem,* vbi vulgata editio habet, *possidendam.* modus siquidem manifestatur, videlicet, tanquàm hæredibus meis: quod ad magnam dignitatem filiorum Israël spectat. Et repetit, seipsum sub proprio nomine adimpleturum, vt sub proprio nomine, quo omnibus Diis præstat, veneretur ab Israëlitis, quos nouerat pronos ad idololatriam.

Vers. 9. Narrauit ergo Moses omnia filiis Israel, qui non acquieuerunt ei propter angustiam spiritus, & opus durissimum. *Vers. 10.* Locutúsque est Dominus ad Mosen, dicens.] Nomen est tetragrammaton, consonans efficaciæ effectus, quem prædicit.

Vers. 11. Vade, loquere ad Parhonem Regem Ægypti, vt dimittat (pro, *& dimittet*) filios Israël de terra sua.] Ecce effectus prædictus, non obstante Pathonis nouo grauamine.

Vers. 12. Respondit Moses coram Domino.] Nomen est tetragrammaton: vt intelligatur, quòd ipse essendi fons per seipsum audit vota nostra.

Ecce filij Israël non me audiunt: quomodo audiet me Parho? præsertim cùm sim incircuncisus labiis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ego clausus labiis.* Non tertium defectum, seu impedimentum intelligo (videlicet, oris, linguæ, & labiorum:) sed illud idem impedimentum oris repeti, & explicari in labiis: ita quòd, & ex linguæ, & ex labiorum mala dispositione clausus sic reddebatur Moses ad loquendum, vt oporteret ipsum esse tardæ locutionis. Et dixit hoc, accumulando argumenta aduersùs sui legationem ad Parhonem.

Vers. 13. Locutúsque est Dominus ad Mosen, & Aaron.] Nomen est tetragrammaton: ad significandum, quòd ille met mittit vtrunque, qui miserat Mosen.

Et dedit mandatum[c].] Iuxta Hebræum habetur: *Et præcepit eis.*

[c] Epilogus est præteritorum.

Ad filios Israël, & ad Parhonem Regem Ægypti, vt educerent filios Israël de terra Ægypti.] Tanquàm legatio simplex minoris haberetur, adiungitur iussio cogens Mosen, & Aharon, ad legationem exequendam; tum ad filios Israël, qui ob afflictionem renuebant audire; tum ad Parhonem peiora molientem.

Vers. 14. Isti sunt Principes domorum per familias suas.] Aduerte hîc, quòd Moses intendens recensere capita familiarum Leui secundùm familias suas, vsque ad Mosen, & Aharon (ad manifestandum ex origine omnibus posteris, de quo Mose, & de quo Aharon est sermo hîc) in sequentibus incipit à capitibus familiarum, tam Reuben, quàm Simhon, nec posteà prosequitur capita familiarum Iehudæ, & aliorum filiorum Iahacob: & mirum videtur, cùm potuisset solius Leui Tribû per capita recensere, vsque ad Aharon, & Mosen; cur meminerit duarum Tribuum Reuben, & Simhon, & non aliarum? Solutio est, quòd Moses non solius

ſolius Tribus Leui capita recenſuit, ne putaretur, quòd illos ſolos magnipenderet, tanquàm ſoli eſſent Principes. Meminit autem potiùs Reuben, & Simhon, quàm aliorum: quia ambo erant priùs nati, quàm Leui: vt commemorando capita priorum Tribuum, manifeſtet, quòd non reputat capita filiorum Leui præeminere aliis capitibus aliarum Tribuum.

Filij Reuben primogeniti Iſraël, Chanoch, & Phallu, Cheſron, & Charmi. *Verſ.* 15. Hæ cognationes Reuben. Filij Simhon, Iemuel, & Iamin, & Ohad, & Iachin, & Sochar, & Saul filius Chenahanith. Hæ cognationes Simhon. *Verſ.* 16. Et hæc nomina filiorum Leui per generationes eorum, Gerſon, & Cehath, & Merari. Anni autem vitæ Leui, fuerunt centum trigintaſeptem. *Verſ.* 17. Filij Gerſon, Libni, & Simhi, per cognationes ſuas. *Verſ.* 18. Filij Cehath, Hamram, & Ishar, & Chebron, & Huziel. Annique vitæ Cehath, centum trigintatres. *Verſ.* 19. Filij Merari, Machli, & Muſi. Hæ cognationes Leui per generationes ſuas. *Verſ.* 20. Et accepit Hamram vxorem Iochebed [d], patruelē ſuam.] Iuxta Hebræum habetur: *Amitam ſuam.* Ita quòd mater Moſis, & Aharon, erat ſoror carnalis Cehath, patris mariti proprij. Et hinc patet, quòd coniugium cum amita non eſt contra ius naturæ: ex eo, quòd erat licitum in populo Dei, nulla neceſſitate cogente, ante legem Moſis, quæ prohibuit tale coniugium.

[d] Quòd Iochebed ſoror germana eſſet Chat, patris Amram, conſtat Num 26. Male igitur ſenſit Burgenſis, qui eandem auiam Amram fuiſſe putauit.

Quæ peperit ei Aharon, & Moſen, & Mariam.] Superfluit, & Mariam.

Fuerúntque anni vitę Hamram, centum trigintaſeptem. *Verſ.* 21. Filij quoque Ishar, Corach, & Nepheg, & Zichri. *Verſ.* 22. Filii quoque Huziel, Miſaël, & Elſaphan, & Sithri. *Verſ.* 23. Accepit autem Aharon vxorem Eliſebah, filiam Hamminadab, ſororem Nachſon.] De Tribu itaque Iehudæ accepit vxorem Aharon nondum lata lege, vt de ſua quiſque Tribu vxorem acciperet.

Quæ peperit ei Nadab, & Abihu, Elhazar, & Ithamar. *Verſ.* 24. Filij quoque Chorach, Aſſir, & Elcana, & Abiaſaph. Hæ ſunt cognationes Coritharum. *Verſ.* 25. At verò Elhazar, filius Aharon, accepit vxorem de filiabus Putiel: quæ peperit ei Pinchas. Hi ſunt principes familiarum Leuiticarum per cognationes ſuas. *Verſ.* 26. Iſte eſt Aharon, & Moſes.] Huc tendit vniuerſa recenſita genealogia.

Quibus præcepit Dominus, vt educerent filios Iſraël de terra Ægypti per turmas ſuas.] Nomen eſt tetragrammaton, ratione iam dicta: proſequitur enim deſcriptionem perſonarum, Aharon, & Moſis. Et defert illi Moſes, prænominando ipſum: quia erat maior natu. Poſtquàm enim deſcripti ſunt ab origine, deſcribuntur à legatione diuina, ad educendum filios Iſraël de Ægypto.

Verſ. 27. Hi ſunt, qui loquuntur ad Parhonem, Regem Ægypti, vt educant filios Iſraël de Ægypto, ipſe Moſes, & Aharon.] Deſcribuntur tertio à magnanimitate alloquendi Parhonem, ad educendum filios Iſraël de Ægypto.

Verſ. 28. In die, qua locutus eſt Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit in die locutionis* יהוה *ad Moſen, in terra Ægypti.* Hic deberet incipere capitulum ſeptimum: nam deſcriptis perſonis Moſis, & Aharon; redit Moſes ad ordinem hiſtoriæ, ab allocutione diuina, in terra Ægypti exhibita, quam cœperat narrare. Ad continuandam ſiquidem hiſtoriam repetit illam allocutionem, narrando, quid fuit in illo allocutionis tempore, poſt afflictionem populi grauatam. Et nominatur יהוה ratione dicta: vt ipſe, ſcilicet, fons eſſendi per ſeipſum curare hæc noſtra intelligatur.

Verſ. 29. Et locutus eſt Dominus ad Moſen, dicens.] Nomen eſt tetragrammaton, ratione iam dicta. Narratur verò ipſa allocutio Dei ad Moſen in Ægypto ſuperiùs inchoata.

Ego Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Ego* יהוה.

Loquere ad Parhonem Regem Ægypti, omnia, quæ ego loquor tibi.] Tanquàm ſuperiùs incompletè retulerit ſermonem Dei ad Moſen, repetendo refert ex integro, inchoans: *Ego Iehouah.* Authoritatis ſunt verba: proponit enim Deus authoritatem ſuam Moſi, vt reuereatur illam, & abſque dilatione exequatur, quod præcipit.

Verſ. 30. Et ait Moſes coram Domino.] Nomen eſt tetragrammaton. Et eſt repetitio ſuperiùs datæ reſponſionis Deo à Moſe.

En incircuncìſus labiis ſum.] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce ego clauſus labiis: quomodo audiet me Parho?* Quod ſuperiùs iam expoſitum eſt: eſt enim repetitio impedimenti recitata, non dicta, coram Deo: nam Moſes bis narrat ad continuandam hiſtoriam, quod ſemel à Moſe reſponſum eſt Deo.

CAPVT VII.

VERS. I.

Dixítque Dominus ad Moſen.] Nomen eſt tetragrammaton, vt idem reſpondeat Moſi, ad quem ipſe confugerat.

Ecce conſtitui te Deum Parhonis.[a]] Iuxta Hebræum habetur: *Vide, dedi te* אלהים *Parhoni.* Excuſauerat ſe Moſes ab officio legationis proſequendæ; tum, quòd Parho non eſſet eum auditurus; tùm, quòd ipſe eſſet clauſus labiis. Reſpondet Deus quoad primum; Vide, attende, & perpende in quali, quantóque gradu conſtitui te. Nam dedi te, vt officio Dei fungaris erga Parhonem: magnanimus eſto, quia loco mei conſtitui te relatiuè ad Parhonem: non ibis tanquam inferior, ſed tanquam ſuperior eo: vtpote agens Deum Iudicem Parhonis.

[a] Idiotiſmus eſt Hebraicus, perinde ſignificás, ac, Omnem tibi trado poteſtatem ſuper Pharaonem, ne illum timeas. Cùm enim nil aliud Deus ſit, quàm ſumma poteſtas, qui vitæ, aut necis ſuper aliquem acceperit à Deo poteſtatem, hactenus iam Diuinitatis particeps effectus eſt, Diique vocantur in Scripturis huiuſmodi. Vnde Iudices, & Magiſtratus Dij etiā nominantur.

Et Aharon, frater tuus, erit Propheta tuus[b].] Quemadmodum ego per Prophetas loquor Parhoni, & populis; ita tu per Prophetam Aharon loqueris ad Parhonem: ita quòd tu officio Dei; Aharon verò officio Prophetæ fungetur. Vide, lector, quantùm eleuet Deus impedimentum loquelæ in Moſe: reſpondendo enim ad impedimentum labiorum, dat ei Aharon, non in Interpretem, quemadmodum dederat eundem relatiuè ad Iſraëlitas; ſed eleuat

[b] *Propheta tuus*, perinde eſt, ac, Interpres tuus. Sic *Propheta Dei* idem eſt, ac diuinus Interpres.

eleuat eum in Prophetam medium inter Mosen,& Parhonem.

Vers. 2. Tu loqueris omnia,quæ mando tibi: ille loquetur ad Parhonem, vt dimittat (pro, *& dimittet*) filios Israël de terra sua.] Prædicit fructum legationis: quia tamen non statim producetur hic fructus; sed mediantibus multis signis mirabilibus, & iudiciis;ideò subiungit indurationem Parhonis futuram,& hæc multiplicanda.

Vers. 3. Et ego indurabo cor Parhonis;& multiplicabo signa,& ostenta mea in terra Ægypti: *Vers.* 4. & non audiet vos:immittámque manum meam super Ægyptum: & educam exercitus meos, populum meum,filios Israël de terra Ægypti, per iudicia maxima.] Appellat signa ea,quæ etiam Magi Parhonis fecerunt:miracula verò,quæ non potuerunt Magi efficere:iudicia autem,eadem miracula, quatenus fuerunt punitiones Ægyptiorum.

Vers. 5. Et scient Ægyptij, quòd ego sum Dominus, cùm extendam manum meam super Ægyptum,& educam filios Israël de medio eorum.] Nomen est tetragrammaton:& directè respondetur, tum ad id, quod dixerat Moses: *Parho afflixit populum tuum, ex quo locutus sum, & non liberasti eos.* tum ad id, quod dixerat Parho:*Nescio Iehouah, & Israel non dimittam.* Scient, inquit,tunc Ægyptij,quòd ego Iehouah,in extensione manus meæ super Ægyptum. Hoc enim spectat ad tempus vltimæ plagæ.

Vers. 6. Fecit itaque Moses, & Aharon: sicut præceperat Dominus,ita egerunt] Nomen est tetragrammaton,ad significandum summum imperium simpliciter, & absolutè.

Vers. 7. Erat autem Moses octoginta annorum, & Aharon octogintatrium, quando locuti sunt ad Parhonem. *Vers.* 8. Dixitque Dominus ad Mosen, & Aharon.] Nomen est tetragrammaton,ratione iam dicta.

Vers. 9. Cùm dixerit vobis Parho: ostendite signa.] Vult Deus,vt non incipiant facere miracula,nisi rogati.

Dices ad Aharon:Tolle virgam tuam, & projice eam coram Parhone: ac vertatur in colubrum.] Virga Dei, eadémque virga Mosis, nunc primum appellatur virga Aharon:eò quòd in Prophetam eleuatus fuerit: & virga illa,virga Prophetę ad faciendum signa erat à Deo instituta.

Vers. 10. Ingressi itaque Moses, & Aharon ad Parhonem, fecerunt, sicut præceperat Dominus. Tulitque Aharon virgam coram Parhone, & seruis eius: quæ versa est in colubrum. *Vers.* 11. Vocauit autem Parho sapientes, & maleficos: & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptias, & arcana quædam, similiter.] Sententia seruatur:in Hebræo tamen dictio interpretata, *arcana*, sonat,*sermonem secretum.* Huiusmodi enim locutione solent vti illi, quos vocamus Magos: nam tales incantatores in Hebræo significantur: qui fortè nominati sunt Iannes,& Iambres [c], 2.ad Timoth. 3. Dico autem,fortè: quia nescio,an inter sapientes, an inter Magos supputandi sint: vtrosque enim Textus iste dicit vocatos à Parhone. Nec habetur,*similiter*;sed,*sic*. Quod ideò dixerim, ne quis fabricet super aduerbium,*similiter.*

[c] Paulus horum Magorum nomina expressit:quamuis Scriptura hic nomina subticuerit. Putarim ego, ex Iudæorũ Annalibus Paulum ea nomina sumpsisse. Vnde annotabis, alias historias horum temporum Hebræos habuisse, & obseruasse præter Mosis Pentateuchum.

Vers. 12. Proiecerúntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones.] Non est vertendum in dubium, virgas Magorum versas in serpentes fuisse, cùm Textus eisdem verbis vtatur, narrando transmutationem virgæ Aharon, & transmutationem virgarum Magorum:verè enim mutatæ sunt virgæ in serpentes, quemadmodum verè mutata est aqua in sanguinem, & verè productæ sunt ranæ. Quod etiam ex eo patet,quòd Magi impotentes narrantur in Textu ad faciendum quartum signum: hæc enim impotentia testatur, quòd non ad apparentias, sed ad res ipsas faciendas dabant operam Magi. Nec est impossibile,opera Dæmonum, applicantium actiua passiuis, verti citò virgas in serpentes:nam videmus aërem verti in aquam statim, cùm aqua frigida ponitur in phiala vitrea æstiuo tempore, cùm apparet tanquàm sudor extra phialam. Intercessit etiam multum temporis spatium à vocatione Magorum, vsque ad proiectionem virgarum, coram Parhone; in quo tempore operabantur Dæmones,disponendo virgas per naturalia agentia;& sic mutando, vt posteà proiectæ verterentur in serpentes. Et hoc tantò possibilius est, quantò naturalia agentia plùs possunt, quatenus sunt instrumenta substantiarum spiritualium, quàm possint virtutibus propriis:vt de motu cæli Philosophi tradunt.

Sed deuorauit virga Aharon virgas eorum.]In serpentes mutatas esse virgas, tam Aharon,quàm Magorum,hæc verba Literæ testantur: nam,cùm essent in forma serpentium, nominantur virgæ,ad significandum,quòd verè virga serpens deuorauit virgas serpentes: hic enim est planus Literæ sensus.

Vers. 13. Induratúmque est cor Parhonis.] Humana indurationis ratio in promptu est:quia signum factum non excedebat vires secundarum causarum.

Et non audiuit eos, sicut præceperat Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut locutus est Iehouah.* Et potest referri,vel ad significandum indurationem Parhonis non affuisse ex improuiso; sed prædictam à Deo: vel ad significandum,quòd roboratum est cor Parhonis, ad non exequendum dimissionem populi, quam dixerat Deus.

Vers. 14. Dixerat autem Dominus ad Mosen.]Nomen est tetragrammaton: & vtitur Moses in hac miraculorum, & plagarum materia,hoc nomine frequenter, propter rationes iam dictas: videlicet, quia nomen nouiter manifestatum;quia primum essendi principium curam habet horum infimorum per singula sigillatim; quia ipse fons essendi est author etiam pœnarum, & mutationum omnium ad libitum. Quæ ideò dixerim, ne oporteat in hac materia plagarum Ægypti ampliùs repetere.

Induratum est cor Parhonis ad non dimittendum populum: *Vers.* 15. vade ad eum mane. Ecce egredietur ad aquas: & stabis in occursum eius super ripam fluminis: & virgam, quæ conuersa est in draconem, tolles in manu tua: *Vers.* 16. dicésque ad eum: Dominus Deus Hebræorum.]

bræorum.] Iuxta Hebræum habetur: יהוה *Elohe Hebræorum, misit me ad te, dicens.* Iam reddita est ratio in cap. 5. huiusmodi nominationis diuinæ.

Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto: & vsque in præsens audire noluisti. *Vers.* 17. Hæc igitur dicit Dominus: In hoc scies, quòd sim Dominus.] Vtrobique est tetragrammaton. Quia dixerat Parho: *Nescio Iehouah,* ideò dicitur ei: *In hoc scies,* (hoc est, scire poteris,) *quòd ego Iehouah.*

Ecce percutiam virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis, & vertetur in sanguinem.] Mirabilis loquẽdi modus. Nam, nec Mosi, nec Deo quadrant hæc verba simul: nam nec Moses percussit virga aquas, nec virga erat in manu Dei, sed Mosis. Contextus tamen sonat, quòd sunt verba Dei: ita quòd manum Mosis appellat Deus manum propriam: quia iam constituerat Mosen Deum Parhonis.

Vers. 18. Pisces quoque, qui sunt in fluuio, morientur: & computrescent aquæ: & affligentur Ægyptij bibentes aquam fluminis.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad bibendum aquas de riuo.* In tota ista plaga (quæ est prima inter decem plagas Ægypti) nunquam nominatur *flumen* solitariè; sed *riuus*, qui pars fluminis est. Et ad literam significatur, quòd fatigabuntur Ægyptij, cùm non poterunt bibere aquam riui, ex quo soliti sunt haurire aquam.

Vers. 19. Dixit quoque Dominus ad Mosen.] Nomen est tetragrammaton ratione dicta.

Dic ad Aharon: Tolle virgam tuam: & extende manum tuam super aquas Ægypti, & super fluuios eorum, & riuos, ac stagna, & omnem congregationem [a] aquarum eorum: vt vertantur in sanguinem, & sit cruor in omni terra Ægypti, tam in ligneis vasis, quàm in saxeis.] Hic est verè nomen *fluminis*, adiunctum riuis, paludibus, & vniuersaliter omni congregationi, per quam, tam putei, quàm cisternæ intelligi possunt.

[a] Cùm omnem aquarum congregationẽ (quam mare Iudæi appellant) in sanguinem versam hic legamus; crediderim ego, mare rubrum Ægypto adiacens, etiam in sanguinem versum fuisse, hincque fortè mare rubrum dictum est, licèt Geographi varias huius nominis rationes assignent.

Vers. 20. Fecerunt itaque Moses, & Aharon, sicut præceperat Dominus.] Nomen est tetragrammaton. Verùm memento moris Mosis: nam priùs scribit summariè integrum factum, dicendo: *Et fecerunt Moses & Aharon, sicut præceperat Deus.* deinde scribit idem distinguendo factum per partes, & dicendo:

Et eleuans virgam, percussit aquam fluminis coram Parhone, & seruis eius.] Et, vt dictum est, *aqua riui* est in Hebræo: non enim percussit tunc omnes aquas iussas percuti; sed duntaxat aquam riui coram Parhone.

Quæ versa est in sanguinem: *Vers.* 21. & pisces, qui erant in flumine, mortui sunt, computruitque fluuius: & non poterant Ægyptij bibere aquam fluuij: & fuit sanguis in tota terra Ægypti.] Non est intelligendum, fuisse hunc effectum tunc præsente Parhone apud riuum, sed posteà: Moses enim more suo scribit priùs ex integro effectus, quamuis posteà subsecutos: & propterea ad scribendum completè executionem Aharon, dicit multos effectus, qui posteà subsecuti sunt; videlicet, mortem piscium, (non enim statim mortui sunt pisces,) & fœtorem, & expansam conuersionem aquæ in sanguinem in vniuersa terra Ægypti. Quod ideò annotandum duximus, vt hinc habeatur, quòd in promptu supererat aqua, quam Magi Parhonis verterunt in sanguinem: solus enim riuus ille versus erat tunc in sanguinem.

Vers. 22. Feceruntque sic malefici Ægyptiorum incantationibus suis. Et induratum est cor Parhonis: nec audiuit eos, sicut locutus est Dominus. *Vers.* 23. Auertitque se: & ingressus est domum suam, nec apposuit cor suum etiam ad hoc. *Vers.* 24. Foderunt autem omnes Ægyptij per circumitum fluminis aquã, vt biberent [b]: non enim poterant bibere de aqua fluminis.] Quemadmodum inter aquarum receptacula, parua vasa artificialia, vasa testacea, & si qua erant ærea, exempta fuerunt, (quoniam sola lignea, & lapidea conuersa sunt in sanguinem:) ita aquæ puteales exemptæ fuerunt illæ, quæ erant putei in potentia: nam expressè hìc dicitur, quòd Ægyptij foderunt circa riuum ad habendum aquas pro potu: quia de aquis riui non poterant bibere. Et quoniam Ægyptiorum tantùm meminit; innuit, quòd Israelitæ non sunt ex hac plaga afflicti: modus autem, quo ab hac plaga euaserunt, non est scriptus.

[b] In hac aqua puteorum exercuerunt signum malefici.

Vers. 25. Impletique sunt septem dies.] Quamuis non explicetur; ex præmissa tamen fossione insinuatur, quòd septem isti dies spectant ad sanguinem aquarum: si enim statim cessasset sanguis, non oportuisset circumcirca fodere pro aqua.

Postquàm percussit Dominus fluuiũ.] Nomen est tetragrammaton.

CAPUT VIII.

Vers. 1. Dixitque Dominus ad Mosen.] Nomen est tetragrammaton: & mandatur secunda plaga, præmissa monitione Parhonis.

Ingredere ad Parhonem: & dices ad eum: Hæc dicit Dominus.] Nomen est tetragrammaton.

Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et seruient mihi.* Sed parui refert.

Vers. 2. Si autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis: *Vers.* 3. & ebulliet fluuius ranas, quæ ascendent, & ingredientur domum tuam, & cubiculum lectuli tui, & super stratum tuum, & in domos seruorum tuorum, & in populum tuum.] Ad domos populi referendum est, & in populum tuum. Nam primùm tractat domos Parhonis, & seruorum, hoc est, curialium, & populi: deinde tractat de personis, dicendo: *Et ad te, & ad populum tuum, & ad omnes seruos tuos.*

Et in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum.] Iuxta Hebræum habetur:

habetur: *Et in pastas tuas* Significatur enim, quòd non solùm in habitacula hominum; sed etiam in ipsa vasa, tam in quibus fiunt, quàm in quibus coquuntur, alimenta, ingredientur ranæ.

Vers. 4. Et ad te, & ad populum tuum, & ad omnes seruos tuos intrabunt ranæ. *Vers.* 5. Dixitque Dominus ad Mosen.] Nomen est tetragrammaton.

Dic ad Aharon: Extende manum tuam.] Iuxta Hebræum habetur: *Inclina manum tuam in virga tua super fluuios, & super riuos, ac stagna: & educ ranas super terram Ægypti.* Non sine virga, plaga hæc facta est per Aharon.

Vers. 6. Extendit Aharon manum super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ, operuerúntque terram Ægypti. *Vers.* 7. Fecerunt autem & malefici per incantationes suas sic, eduxerúntque ranas super terram Ægypti. *Vers.* 8. Vocauit autem Parho Mosen, & Aharon, & dixit eis: Orate Dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum.] Dictio interpretata, *Dominum*, est nomen tetragrammaton. Repleta terra ranis, tam productis per Aharon, quàm per Magos; impotentibus Magis extinguere ranas, rogat Parho Mosen, & Aharon, vt placent Deum, & auferant ranas, promittendo dimittere populum.

Vt sacrificet Domino.] Nomen quoque est tetragrammaton.

Vers. 9. Dixitque Moses Parhoni. Constitue mihi, quando deprecer pro te.] Iuxta Hebræum habetur: *Gloriare super me, ad quando orabo pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ à te, & à domo tua, & à seruis tuis, & à populo tuo; & tantùm in flumine remaneant.* Authoritatem limitandi tempus exequendi petita, tribuit Moses Parhoni: & hāc appellat gloriationem super ipsum; quia gloriari poterat Parho, quòd ipse definiret tempus impetrandi per Mosen à Deo miraculum hoc.

Vers. 10. Qui respondit: Cras.] Noluit in septimum diem differri, quemadmodum sanguinem; sed orandi spatium minimum concessit: eodem siquidem die, quo ranæ repleuerunt Ægyptum, hora vespertina, credimus, sermonem hunc fuisse, ex eo, quòd Moses magni facit promissionem hanc, subiungendo:

At ille: Iuxta verbum tuum, inquit, faciam, vt scias, quòd non est sicut Dominus Deus noster.] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut* יהוה *Elohe noster.* Hinc enim apparet, quòd magnum promittebat opus, quod nec Magi poterant efficere, nec natura.

Vers. 11. Et recedent ranæ à te, & à domo tua, & à pueris tuis, & à populo tuo: & tantùm in flumine remanebunt.] De riuo est sermo, & de remansione ranarum viuarum: vt etiam ex hoc, quòd Deus, quas vult occidet, & quas vult seruabit, diuinum ostendatur opus.

Vers. 12. Egressique sunt Moses, & Aharon, à Parhone: & clamauit Moses ad Dominum pro sponsione ranarum, quam condixerat Parhoni.] Tetragrammaton est Feruórque orationis internæ significatur clamore: non enim externa voce, sed interna supplicatione magna animi eleuatione in Deum clamasse dicitur.

Vers. 13. Fecitque Dominus iuxta verbum Mosis: & mortuæ sunt ranæ de domibus, de villis, & de agris.] Tetragrammaton quoque est dictio interpretata, *Dominus.* Et nulla virgæ, nulla manus Mosis, vel Aharon operatio intercessit: sed Deus ipse solus operator miraculi significatur.

Vers. 14. Congregauerúntque eas in immensos aggeres.] Iuxta Hebræum habetur: *Et congregauerunt eas aceruos, aceruos.* quod Latinè diceremus, *aceruatim*: in multitudinem siquidem aceruorum redegerunt Ægyptij mortuas ranas.

Et computruit terra.] Quia non combusserunt aceruos ranarum, fœtuit terra putrescentibus ranis.

Vers. 15. Videns autem Parho, quòd data esset requies, ingrauauit cor suum: & non audiuit eos, sicut locutus erat Dominus.] Nomen est tetragrammaton.

Vers. 16. Dixítque Dominus ad Mosen.] Et hîc quoque est tetragrammaton.

Loquere ad Aharon: Extende virgam tuam.] Iuxta Hebræū habetur: *Inclina virgam tuam, & percute puluerem terræ.* Tertia est hæc plaga, non ex aquis, vt duæ priores; sed ex terra consurgens. Et hæc quoque, mediante virga, per Aharon facta est.

Et sint chinniphes in tota terra Ægypti.] Dictionem Hebraïcam Interpres reliquit intactam: & alij intelligunt quasdam subtiles muscas aculeo, quasi terebro, lædentes; alij autem pediculos [a]. Et quoniam Hebræorum est hic secundus sensus, & dictio Hebraïca est nota etiam mulierculis Hebræis quoad illius primitiuum *chinna*, amplectendus est. Pediculorū itaque exuberantia tanta, vt defensioni locum non relinqueret, intelligitur in hac tertia plaga, tam hominibus, quàm bestiis.

[a] De hac re vide Augustinum tom. 10. serm. 87. & Philonē.

Vers. 17. Fecerúntque ita: & extendit Aharon manum, virgam tenens: percussitque puluerem terræ: & facti sunt chinniphes in hominibus, & iumentis. Omnis puluis terræ versus est in chinniphes per totam terram Ægypti. *Vers.* 18. Fecerúntque sic malefici incantationibus suis, vt educerent chinniphes: & non potuerunt. Erántque chinniphes, tam in hominibus, quàm in iumentis.] Mirum est, quòd Dæmones non potuerint tam imperfecta animalia (quæ ex putri materia manifestè generantur) producere. Potuit tamen hoc contingere ex eo, quòd incantationes illæ non essent appropriatæ ad talem effectum, quanuis Dæmones potuissent illum effectum efficere: & potuit contingere ex eo, quòd impedita fuerit diuinitùs potentia Dæmonum: & hoc potiùs sonant subiuncta.

Vers. 19. Et dixerunt malefici ad Parhonem: Digitus Dei est hic[b].] Nomen est אלהים. Non attribuunt Iehouah fonti essendi, qui super omnia est; sed אלהים, (quod commune nomen est etiam spiritualibus substātiis,) impedimentum artis suæ Magi: fecerant enim signa tria, (videlicet, serpentis, sanguinis, & ranarum;)

[b] Digitus Dei, pro Dei potentia, & virtute, accipitur in Scripturis: sicut & manus, & brachium Dei, elegāter est Synecdochia, qua Hebræi Dei virtutem hac locutione amplificant: quasi dicant: Tam potens est Deus, vt solo digito omnium potentiam huius mundi potentium facilè superet.

natum;) & deficientes in hoc, (quarto quidem inter signa;tertio autem inter plagas;)attribuūt Diis superioribus manum impedientem, significatam à digito : ad insinuandum quòd tanquàm dearticulata cura, atque opera superiorum Deorum impeditur ipsorum ars ab efficacia solita. Vtrùm autem ex corde, an fictè hoc dixerint ad excusandos se,incertum est.

Induratúmque est cor Parhonis:& non audiuit eos,sicut locutus erat Dominus.] Nomen est tetragrammaton: & idem nomen est,cùm subiungitur:

Vers. 20. Dixit quoque Dominus ad Mosen.]Quarta hîc incipit plaga.

Consurge diluculò,& sta coram Parhone, (egredietur enim ad aquas,) & dices ad eum:Hæc dicit Dominus:Dimitte populum meum,vt sacrificet mihi.] Nomen est tetragrammaton. Et quanuis parui referat;scito tamen, Interpretem sæpè mutare aduerbium,*sic*,in pronomen,*hæc*; & similiter seruiturem in sacrificium.

Vers. 21. Quòd si non dimiseris eum, ecce ego immittam in te, & in seruos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas, omne genus muscarum: & implebuntur domus Ægyptiorum muscis diuersi generis, & vniuersa terra, in qua fuerint.]Vbicunque in hac quarta plaga legis, *omne genus muscarum*, seu *muscas diuersi generis*, seu *musca grauissima*,& breuiter *muscas*, ex officina Interpretum scito legi: nam in Hebræo Textu nullum animal nominatur;sed duntaxat *mixtura*. Aiunt Septuaginta, Interpretes introduxisse genus muscarum, & vitio Scriptorum introductas cynomyias,hoc est,muscas caninas. Quorum autem animalium mixtura fuerit,non est certum.Hebræi Doctores putant,fuisse mixturam animalium syluestrium gressibilium:nos autem in expositione Psalmorum secuti sumus Græcos,& Latinos. Nunc autèm perscrutando ex proposito Textum proprium ex iis, quæ in Litera dicuntur,neutram sequimur sententiam. Duo nanque de hac mixtura in Litera annotauimus. Alterum,quòd domus Parhonis & Ægyptiorum implebuntur hac mixtura: & hinc apparet, quòd non fuit mixtura animalium magnorum: vnus enim leo sufficit ad euertendam domum vnam. Alterum,quòd terra habitata ab Ægyptiis fuit comesta ab ista mixtura: & hinc apparet,quòd non fuerunt muscæ, quæ principaliter molestæ sunt personis hominum: nulla enim hominum læsio in personis,sed tantummodo in domibus,seu terra, quam habitabant Ægyptij,significatur.

Dixi autem,*comesta*: quoniam, vbi editio vulgata habet: *Corruptáque est terra.* iuxta Hebræum habetur dictio significans in genere *destructionem,ruinam*,& huiusmodi. Quam ideò ad speciem comestionis traximus; quia Dauid in Psalmo 78. sic exposuit,dicendo: *Mittet in eos mixturam:& comedit eos.* Ex quibus omnibus probabiliùs apparet, quòd fuerit mixtura animalium, agrestium quidem, sed paruorum: vt propterea dictum sit in Textu Hebraïcò:*Et etiam terram, quam ipsi super eam.* vbi vulgata editio habet: *Et vniuersa terra,in qua fuerint.* Ex agrestibus igitur locis in terram habitatam ab Ægyptiis mixtura animalium paruorum (de quibus aptè dicitur, quòd *mixtura eorum implebit domos,*) comedendo destruentium ea, quæ erant in domibus, & ciuitate,venit. Nec propterea excluduntur ab hac mixtura agrestia volatilia; sed agrestia venenosa, quæ personis hominum nocent.

Vers. 22. Faciámque mirabilem in die illa terram Ghosen [c], in qua populus meus est, vt non sint ibi muscæ: vt scias, quòd ego Dominus in medio terræ. *Vers.* 23. ponámque diuisionem inter populū meum, & inter populum tuum: & cras erit signum istud.]Dictio interpretata, *Dominus*,est nomen tetragrammaton:& aptissimè,vt cognoscatur, quòd ego primum essendi principium,ego summus Deus, sic sum supra omnia, vt etiam sim in medio terræ, in qua habitatis, faciendo talem distinctionem inter terram habitatam ab Israëlitis, & reliquam.

[c] Tradunt nonnulli, has plagas omnes in Memphi ciuitate accidisse, eò quòd illo tempore Memphis arx esset Regum Ægypti, in eáque Pharao resideret, distabatque hæc vrbs à terra Ghosen ferè sex milliaribus, interiecto Nilo. Cæterùm annotabis,plagas superiores filios Israël etiam attigisse,quando non scribuntur exempti vsque ad hunc locum.

Vers. 24. Fecitque Dominus ita.] Nomen est tetragrammaton. Nec per Mosen, nec per Aharon(per quē factæ sunt tres primæ plagæ)nec mediante virga, aut signo aliquo sensibili,fecit Deus hoc miraculum,vt Textus sonat: ad tollendum occasionem suspicandi, quòd in virga esset virtus faciendi mirabilia per magicas artes,& non ipse Deus faceret miracula hæc.

Et venit musca grauissima [d] in domos Parhonis,& seruorum eius,& in omnem terram Ægypti:corruptáque est terra ab huiusmodi muscis. *Vers.* 25. Vocauitque Parho Mosen,& Aharon:& ait eis:Ite,sacrificate Deo vestro in terra hac.]Nomen est Elohe: & pronomen est numeri pluralis, perinde ac si dictum fuerit, Diis vestris: monstrant siquidem Parhonis verba, ipsum non facere differentiam inter vnitatem, & pluralitatem Deorum: & tentat concedere partem petitionis; videlicet, commune sacrificium totius populi Israël; infra tamen territorium Ægypti: ita quòd locum negat petitum.

[d] Musca hæc canina erat, vt sentit Augustinus tomo 10.serm. 87.

Vers. 26. Et ait Moses: Non potest ita fieri.] Iuxta Hebræum habetur: *Non rectum ad faciendum sic.* Non citat impotentiam, sed non rectitudinem. Et rationem non rectitudinis subiungit:

Quoniam abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro.] Solita Dei nomina sunt: *Iehouah Elohe nostro.* & assertiuè legenda est hæc particula: reddit enim rationem non rectitudinis: quia ea,quæ abominantur Ægyptij, relatiuè ad occisionem, (hoc est, quæ abominantur Ægyptij occidi,) sunt ea, quæ sacrificabimus Domino Deo nostro.

Quòd si mactauerimus ea, quę colunt Ægyptij coram eis, lapidibus nos obruent.]Iuxta Hebræum habetur: *Ecce sacrificabimus abominationem Ægyptiorum in oculis eorum,& non lapidabunt nos?* Interrogatiuè legenda est hæc particula,in qua concluditur ratio non rectitudinis: quia immineret nobis ex loco periculum lapidationis. Creditur autem, quòd ideò abominabile erat Ægyptiis occidi oues; quia colebant [e] ouem,seu arietem. Abstinebant etiam, Romanorum tempore, Ægyptij ab esu animalium omnium lanatorum, iuxta illud: *Lanatis animalibus abstinet omnis mensa.*

[e] Ægyptus adeò idololatrium fuit fertilissima, vt innumera penè animalia,& monstra coluerit, teste Hieronymo,indéque omnes penè Ægypti vrbes diuersorū animalium nominibus vocatæ sunt.

Vers. 27. Viam trium dierum pergemus in

in solitudinem: & sacrificabimus Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis.] Nomina solita sunt, יהוה *Elohe nostro.* Verùm futuri est temporis: *Sicut dicet nobis.* Ad animalia immolanda refertur, *dicet:* quoniam, vt inferiùs subiunget, nesciebant, quid in specie immolaturi essent: credendo tamen, quòd ea, quæ abominantur Ægyptij occidi, immolanda essent, dixerunt supradicta, tanquàm facilè euentura.

Vers. 28. Dixítque Parho: Ego dimittam vos, vt sacrificetis Domino Deo vestro in deserto: veruntamen ne longiùs abeatis, rogate pro me.] Rectiùs loquitur, quàm paulò antè, dum nominat יהוה *Elohe vestro.* Et loco quidem deserti assentit verbo potiùs, quàm animo, vt facta testantur.

Vers. 29. Et ait Moses: Egressus à te, orabo Dominum: & recedet musca à Parhone, & à seruis eius, & à populo eius cras.] Nomen est tetragrammaton: vt non cesset testificari, quòd ipse summus Deus est, qui facit, & tollit hæc ad libitum.

Solummodo noli vltrà fallere, vt non dimittas populum sacrificare Domino.] Tetragrammaton semper repetit, propter rationem dictam. Et idem est nomen, quum subditur:

Vers. 30. Egressúsque Moses à Parhone, orauit Dominum.] Et similiter idem nomen repetitur dicendo:

Vers. 31. Qui fecit iuxta verbum illius.] Nam iuxta Hebræum habetur: *Et fecit Iehouah iuxta verbum Mosis: & abstulit muscas à Parhone, à seruis eius, & à populo eius: non superfuit nec vna quidem.* Non per viam occisionis, sed per viam ablationis cessauit mixtura, sic, vt nec vnũ quidẽ animal illius mixturæ remãserit ibidem: & hoc ad contestationem miraculi.

Vers. 32. Et ingrauatum est cor Parhonis, ita vt nec hac quidem vice dimitteret populum.

CAPVT IX.

VERS. 1. Dixit autem Dominus ad Mosẽ.] Nomen est tetragrammaton: & quinta describitur plaga; videlicet, mors animantium terrestrium, quadrupedum gregalium, ad humanos vsus.

Ingredere ad Parhonem: & loquere ad eum. Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum.] Solita nomina sunt: *Iehouah Elohe Hebræorum.* quorum superiùs ratio reddita est.

Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi. *Vers.* 2. Quòd si adhuc renuis, & retines eos: *Vers.* 3. ecce manus mea erit super agros tuos, & super equos.] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce manus Iehouah ens in pecore tuo, quod in campo; in equis, in asinus, in camelis, in bobus; & in ouibus pestis grauis valdè.* Primùm enim more suo Moses vniuersum comprehendit animal in genere, deinde per partes distinguit. Vbi aduerte, quòd in sola animalia campestria sæuitura pestis dicitur.

Vers. 4. Et faciet Dominus mirabile inter possessiones Israël, & possessiones Ægyptiorum: vt nihil omninò pereat ex iis, quæ pertinent ad filios Israël.] Hic quoque est nomen tetragrammaton, & similiter cùm dicitur:

Vers. 5. Constituitque Dominus tempus, dicens.] Et similiter cùm subditur:

Cras faciet Dominus verbum istud in terra.] Repetitur enim tetragrammaton, etiam subiungendo:

Vers. 6. Et fecit Dominus verbum hoc altera die.] Vbi aduerte, quòd nec Moses, nec Aharon, nec instrumentum aliquod, in hac quinta plaga interuenit, eadem ratione, qua nec in quarta.

Mortuáque sunt omnia animantia Ægyptiorum.] Duplex potest esse sensus. Alter, vt li *omnia*, determinet animantia: & sic significaretur, quòd omnes equi, asini, oues, &c. in campo mortui fuissent: quod aduersari videtur subiunctis in septima, & decima plaga: nam in septima plaga commemorantur animantia in agro: & in decima commemorantur primogenita animalium occidenda. Nec sufficienter responderetur, quòd post istam quintam plagam aliunde in Ægyptum adducta fuerint similia animalia: temporis enim breuitas obstare videtur: nam infra annum vnum omnes decem plagas illatas fuisse, testatur supputatio annorum vitæ Mosis: octogenarius siquidem erat Moses, cum allocutus est Parhonem, incipiens signa facere, vt patet Exodi 7. Centum autem & viginti annorum erat, quando mortuus est, vt patet Deuteronomij vlt. Et perspicuum est, quadraginta annis fuisse ipsum cum populo Israël ex Ægypto egresso. Non quadrat igitur sensus iste Literæ. Alter sensus est, vt li, *omnia*, determinet Ægyptiorum: perinde ac si dictum fuisset: *Et mortua sunt animantia*, faciendo ibi punctum; & subiungendo, *omnia Ægyptiorum:* ita quòd determinatur, quòd animantia, quæ mortua sunt, omnia erant Ægyptiorum. In cuius sensus testimonium subiungitur:

De animantibus verò filiorum Israël nihil omninò periit.] Et hic sensus, tanquàm cõsonus, & huic Literæ, & subiunctis omnibus, amplectendus est: quoniam non significatur omnia Ægyptiorum animantia in agro periisse: sed graui valdè peste multa mortua sola, hoc est, illæsis animantibus Israëlitarum.

Vers. 7. Et misit Parho ad videndum: & ecce nihil erat mortuum de iis, quæ possidebat Israël. Ingrauatúmque est cor Parhonis: & non dimisit populum. *Vers.* 8. Et dixit Dominus ad Mosen, & Aharon.] Nomen est tetragrammaton. Et hinc sexta incipit plaga vlcerum cum inflatione, communis hominibus, & iumentis.

Tollite plenas manus cineris de camino.] Iuxta Hebræum habetur: *Tollite vobis plenos pugillos vestros sufflationis fornacis.* Nulla camini fit mentio: nec exprimitur cinis, aut fuligo; sed materia illa significatur, quam vis flammæ fornacis eleuat, quasi sufflans: quæ materia cadit extra fornacem, cùm non ampliùs attingitur ab impetu eleuantis flammæ. Et videtur materia non tam grauis, vt cinis; nec tam leuis, vt ascendens fumus; sed media. Et idem intellige, quotiens inferiùs in hac plaga repetitur cinis camini.

Et spargat illum Moses in cælum corã Parhone.]

Parhone.] Ambo incipiunt hoc miraculum, (dum vterque iubetur implere pugillum illius materiæ:) solus autem Moses spargendo perficit actionem. Et hoc est primum signum, in quo Moses per seipsum immediatè cooperatus est.

Vers. 9. Sitque puluis super omnem terram Ægypti; & sint in hominibus,& iumentis vlcera, & vesicæ turgentes in tota terra Ægypti.] Duo effectus secuturi prædicuntur: alter pulueris non in aliqua parte, sed in tota terra Ægypti: alter vlcerum inflatorũ,tam in hominibus,quàm in iumentis.

Vers. 10. Tulerúntque cinerem de camino, & steterunt coram Parhone:& sparsit illum Moses in cælum: factáque sunt vlcera vesicarum turgentium in hominibus,& iumentis: *Vers.* 11. nec poterant malefici stare coram Mose propter vlcera,quæ in illis erant.] Hinc apparet perseuerantia Magorum aduersùs Mosen:& quòd non credebant,ipsum summum Deum,qui est fons essendi,facere hæc mirabilia; sed aliquos Dæmones.

Et in omni terra Ægypti.] Non dicit, in omnibus hominibus Ægypti:erat siquidem lues hæc sparsa per vniuersam Ægyptum: veruntamen non in singulis hominibus, nec in singulis iumentis; sed in multis.

Vers. 12. Indurauitque Dominus cor Parhonis.] Nomen est tetragrammaton. In quinque præcedentibus plagis non est nominatus Dominus indurans: sed in hac sexta dicitur יהוה *indurans*, ad significandum, quòd subtractione gratiæ diuinæ fiebat hæc induratio. Quum scito in Hebræo non vocari *indurationem*; sed *roborationem cordis*:& hoc intellige vbique, tam in præcedentibus, quàm in sequentibus, de induratione cordis Parhonis: ad similitudinem siquidem roboris est resistere Deo loquenti per Prophetas suos, per signa, per plagas, &c.

Et non audiuit eos, sicut locutus est Dominus ad Mosen.] Nomen est tetragrammaton:& similiter quum subiungitur:

Vers. 13. Dixitque Dominus ad Mosen.] Et hinc incipit septima plaga grandinis, & ignis.

Manè consurge, & sta coram Parhone:& dices ad eum:Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum.] Solita sunt nomina: יהוה *Elohe Hebræorum*. Quorum iam ratio reddita est.

Dimitte populum meum,vt sacrificet mihi: *Vers.* 14. quia in hac vice mittam.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia hac vice ego mittens*. Vt ex præsentis temporis participio intelligamus, significari per hanc vicem vniuersam hanc aggressionem liberandi Israël de Ægypto:ita quòd comprehendit,& præteritas,& futuras plagas, tanquàm sub vna continuata missione: hoc enim significat,*ego mittens* [a].

[a] Hoc est, nisi populum dimiseris, non cessabo alterum post alterum supplicium immittere,donec tu, & tota Ægyptus pereatis.

Omnes plagas meas.] Non dicit,omnes plagas; sed apponit,*meas*:quia non omnes plagas absolutè,sed omnes suas (hoc est, à se decretas) mittit.

Super cor tuum,& super seruos tuos, & super populum tuum.] Patui refert, quòd in Hebræo non habetur, *super*; sed,*ad*. Non dicit,*ad personam tuam*; sed,*ad cor tuum*: quoniam nunquam læsit personam Parhonis, nisi quando demum submersit eum in mari. Et tunc etiam mortem illam misit priùs ad cor eius:vidit enim Parho omnes decem plagas,& vidit se,& suos submergi in mari:& singula affecerunt cor eius tristitia.

Vt scias, quòd non sit similis mei in omni terra.] De scientia experimentali est sermo, vt experimento cognoscas, quòd non solũ homo; sed nec Deus aliquis alius veneratus in quacunque parte mundi, est sicut ego.

Vers. 15. Nunc enim extendens manũ, percutiã te,& populũ tuũ peste:peribísq; de terra.] Iuxta Hebr.habetur: *Quia nunc misi manũ meã,& percussi te, & populum tuũ in mortalitate:& fuisti deletus è terra.* Priùs narrauit se mittentẽ plagas decem,vt experientia discat Parho, &c. modò narrat vltimũ suppliciũ submersionis in mari ipsius Parhonis, & populi eius. Prædicit autẽ illud,non vt futurum;sed vt præteritũ,vt factũ, propter certitudinẽ euẽtus, ad significandũ factum iam esse in decreto diuinæ iustitiæ. Et appellauimus submersionem illam,mortalitatem:quia carere videmur vocabulo proprio respondente dictioni Hebraicæ significanti (vt aiunt) cladem emissam à Deo: & istamet dictio scribitur superiùs in quinta plaga, qua mortua sunt campestria animalia.

Vers. 16. Idcircò autẽ posui te,vt ostẽdã in te fortitudinẽ meã [b].] Iuxta Hebr. habetur: *Et certè propter hoc feci stare te,propter facere videre te robur meũ.* Nihil dicitur de peccato Parhonis; sed persona eius demonstratur per pronomen,*te*. Non dicit:Feci stare peccatũ tuũ, aut indurationẽ tuã. sed, *Feci stare te*:vt nullus sit quæstioni locus de ordine huius effectus ad finẽ vtunq; subiunctũ:primus nanq; finis est, vt Parho experiẽdo videat diuinæ potentiæ robur:alter est,vt enarretur nomẽ Dei in vniuerso terrarum orbe. Et vtrunque adimpletum videmus.

[b] Connectuntur hæc cum præcedentibus, vt sensus is sit: Possem quidem hoc ipso momento extẽdere manum meam, & tam fœuam pestem in te,ac tuos immittere,vt statim omnes de terra perituri:sed ideò excitaui te, hoc est,conseruaui hactenus incolumem, vt ostendam in te fortitudinem meam; vt, scilicet, signa multiplicem, per quæ nomen meum in omni terra admirabile fiat. Si legeris Paulum ad Rom 9.videbis hunc textum sic intellexisse.

Vers. 17. Adhuc retines populũ meũ.] Iuxta Hebr.habetur: *Adhuc tu calcas in populo meo,& non vis eum dimittere*.Ad similitudinem siquidem calcantis opprimendo detinebat populum Israël.

Vers. 18. En pluam cras hac ipsa hora grandinem multã nimis.] Iuxta Hebr. habetur: *Ecce ego pluere faciens in tẽpore crastino grandinem grauẽ valdè.* Et explicatur grauitas, tum ex singularitate, quòd nunquam fuerit in Ægypto similis; tum ex effectu mortis hominum,& iumentorum in agro.

Qualis non fuit in Ægypto à die,quo fundata est, vsque in præsens tempus. *Vers.* 19. Nunc ergo mitte, & congrega iumenta tua, & omnia, quæ habes in agro:homines enim,& iumenta,& omnia,quæ inuenta fuerint foris,& non reducta in domum, cecideritque super ea grando,morientur. *Vers.* 20. Qui timuit verbum Domini de seruis Parhonis, fecit confugere seruos suos, & iumenta in domos.] Nomen est tetragrammaton. Et similiter,quum subiungitur:

Vers. 21. Qui autem neglexit sermonẽ Domini,dimisit seruos suos,& iumenta in agris.] Et similiter quum subditur:

Vers. 22. Et dixit Dominus ad Mosen: Extẽde manũ tuã in cælum.] Iuxta Hebr. habetur:

habetur: *Super cælos*. Nec situs, sed virtus significatur, *super cælos*; hoc est, aërem, in quo generantur grandines. Quanuis etiam possit intelligi extensio manus super aërem secundùm situm: vt non fuerit extensio directa sursum, sed directa lateraliter: sic enim esset super aërem situaliter.

Vt fiat grando in tota terra Ægypti, super homines, & super iumenta, & super omnem herbam agri in terra Ægypti. *Vers.* 23. Extendítque Moses virgam in cælum.] Et hîc quoque habetur, *super cælos*: & habetur pronomen, *suam*. Ita quòd Moses extendit manum cum propria virga: vt appareat, hoc miraculum factum à Deo, non mediante Aharon; sed Mose, & virga eadem: vt ministerialis authoritas Mosis, etiam in superiore aëris regione, appareat sensibiliter.

Et Dominus dedit tonitrua.] Iuxta Hebræum habetur: *Et* יהוה *dedit voces, & grandinem*. Proculdubiò per voces intelliguntur tonitrua: in Hebræo tamen in tota ista plaga non legitur, *tonitrua*: sed, *voces*.

Ac discurrentia fulgura super terram.] Iuxta Hebræum habetur: *Et iuit ignis ad terram*. Omnia more suo Moses summariè prænarrat, grandinem, tonitrua, & ignem vsque ad terram euntem: deinde per partes exequitur. Nec est sermo de igne coruscante in tonitruo: quoniam ille micando ad nos venit: hic autem ignis ipse veniebat ad terram: & erat proculdubiò exhalatio accensa proiecta ex aëre ad terram, vt subiuncta testantur.

Pluítque Dominus grandinem super terram Ægypti.] Nomen est tetragrammaton: & exequitur Moses per partes, incipiendo à grandine: apponendo super terram Ægypti, in qua non est tanta frigiditas, vt possit in aëre generari pluuia: multóque minùs potest generari grando.

Vers. 24. Et grando, & ignis mixta pariter ferebantur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit grando, & ignis apprehensus inter grandinem*. Duplex miraculum: & quòd talis grando fuerit in Ægypto, & quòd simul cum grandine fuerit ignis. Et hinc apparet, quòd violento motu descendebat ignis cum grandine ad terram. Ad significandum enim violentiam motus ignis deorsum, dicitur, quòd ignis fuit apprehensus, seu captus inter grandines: quanuis nec sic plenè exprimatur participium Hebraïcum à tollendo deductum. Deinde immediatè in Hebræo subditur:

Grauis valdè, cui non fuit similis in tota terra Ægypti, ex quo fuit in gentem.] Quod vulgata editio explicat: *Tantaque fuit magnitudinis, quanta antè nunquam apparuit in vniuersa terra Ægypti, ex quo gens illa condita est*. Narratur enim adimpletum, quod prædixerat Deus.

Vers. 25. Et percussit grãdo in tota terra Ægypti cuncta, quæ fuerunt in agris, ab homine vsque ad iumentum. Cunctam herbam agri percussit grando: & omne lignum regionis confregit.

Vers. 26 Tantùm in terra Ghosen, vbi erant filij Israël, grando non cecidit.

Vers. 27. Misitque Parho: & vocauit Mosen, & Aharon, dicens ad eos: Peccaui etiam nunc: Dominus iustus.] Iuxta Hebræum habetur: *Iehouah iustus: & ego, & populus meus impij*. Confitetur saltem fictè, quòd ipse fons essendi iustè punit eum.

Vers. 28. Orate Dominum, vt desinant tonitrua Dei, & grando.] Iuxta Hebræum habetur: *Placate Iehouah, & sufficiet de esse voces* אלהים, *& grandinem*. Duplex est sensus: vel significando effectum placationis diuinæ; videlicet, vt sufficiant hæc tonitrua, & grando; & non protrahantur ampliùs: vel significando effectum futurum in ipso Parhone; videlicet, quòd placato Deo sufficiet notitia de esse voces אלהים; hoc est, quòd sint voces, & grando אלהים, hoc est, iusti Iudicis, quem iam dixerat Iehouah. Nolo ampliorem notitiam de istis effectis, quòd sint iusti Iudicis, Dei summi.

Et dimittam vos: & nequaquam hîc vltra manebitis. *Vers.* 29. Ait Moses: Quum egressus fuero de vrbe, extendam palmas meas ad Dominum [c].] Nomen est tetragrammaton: & considera vsum extendendi manus versùs cælum orando.

[c] Vide cæremonias in oratione. Sic etiam legimus, Salomonem orasse 3. Reg. 8. palmis ad cælum expansis.

Et cessabunt tonitrua, & grando non erit vltrà: vt sciatis, quòd Domini est terra.] Iuxta Hebræum datiui casus est, *Iehouah*; ad significandum, quòd Deo incumbit cura terræ. Summi enim Dei prouidentia circa hæc terrena significatur.

Vers. 30. Noui autem, quòd tu, & serui tui necdũ timeatis Dominum Deum.] Iuxta Hebræum habetur: *Adhuc non timebitis à faciebus Iehouah* אלהים. Prædicit eis, quòd cessante grandine, adhuc non timebunt præsentiam summi Dei Iudicis; hoc est, iudicis plagarum harum exercentis.

Vers. 31. Linum ergo, & hordeum læsum est: eò quòd hordeum esset virens.] Iuxta Hebr. habetur, *primitiuum*. Redditur enim ratio læsi hordei, eò quòd priùs maturescit, & iam in statu erat non herbæ, sed fortè plusquàm calami. Nam de lino subiungitur, quòd etiam læsum est: quia erat in statu calami: grando enim frangendo calamos impediebat vegetationem.

Et linum iam folliculos germinaret.

Vers. 32. Triticum autem, & far.] Nonnulli legunt, *& spelta*. Sed parui refert.

Non sunt læsa: quia serotina erant. *Vers.* 33. Egressúsque Moses à Parhone ciuitatem, extendit manus suas ad Dominum.] Nomen est tetragrammaton.

Et cessauerunt tonitrua, & grando: nec vltrà stillauit pluuia super terram. *Vers.* 34. Videns autem Parho, quòd cessasset pluuia, & grando & tonitrua; auxit peccatum: *Vers.* 35. & ingrauauit cor suum ipse, & serui eius.] Hactenus de corde Parhonis fuit sermo; modò adiungitur cor curialium: vt manifestetur culpa communis.

Et induratum est cor Parhonis: nec dimisit filios Israël, sicut locutus erat Dominus per manum Mosis.] Nomen est tetragrammaton.

CAPVT

CAPVT X.

VERS. 1. ET dixit Dominus ad Mosen.] Nomen est tetragrammaton:& hinc octaua incipit plaga locustarum, cui magnum præmittitur monitorium.

Ingredere ad Parhonem. Ego enim indurauí cor eius, & seruorum illius, vt faciam signa mea hæc in eo.] Iuxta Hebræum habetur: *In prope ipsum.* Omnia enim hæc signa facta sunt prope Parhonem. Et quoniam induratio cordium non est actio Dei positiua; sed est negatio gratiæ diuinæ, nihil prohibet, huiusmodi negationem ordinari ad efficientiam miraculorum: cùm neutrum sit malum; & vtrunque sit à Deo.

Verf. 2. Et narres in auribus filij tui, & nepotum tuorum, quoties contriuerim Ægyptios.] Iuxta Hebræum habetur: *Quòd illusi in Ægypto, & signa mea, quæ feci in eis.* Ad similitudinem illudentis manifestat Deus, se facere hæc signa; hoc est, tanquàm iocoso contemptu Parhonis feci hæc in Ægypto. Et verè signa omnia, vsque ad mortem primogenitorum exclusiuè, relata ad diuinam omnipotentiam, similitudinem habent illusionis: quasi non seriò, sed ioco afflixerit Deus Parhonem, & Ægyptios: leuia enim omnia effecit, modò lædendo, & quasi statim tollendo læsionem. Ita quòd, & ex parte leuitatis plagarum, & ex parte cessationis, similitudo iocosæ afflictionis potiùs, quàm rei gestæ seriò à summo Deo potente maximas plagas infligere apparet: & propterea illusio vocatur Ægypti. Et manifestauit Deus, hanc illusionis rationem narrandam in successu generationum Israël, vt dicerent posteri, quòd non ex impotentia immisit Deus has plagas paruas, & tot vicibus abstulit; sed ex sapientia volentis primò ignominiam illusionis exercere in Ægypto, & demum punire. More Principum, qui nobilem aliquem aliquanto tempore illusoria afflictione afficiunt, & demum occidunt.

Et sciatis, quòd ego Dominus Deus.] Iuxta Hebræum habetur: *Quòd ego* יהוה. Hic est finis, vt populus Israël etiam in posteris suis cognoscat, quòd ego, qui facio hæc signa, sum ipse fons essendi.

Verf. 3. Introierunt ergo Moses, & Aharon ad Parhonem: & dixerunt ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum.] Solita sunt nomina: *Iehouah Elohe Hebræorum.* iam superiùs exposita.

Vsquequò non vis subiici mihi.] Parui refert, quòd in Hebræo habetur: *Vsquequò renuisti ad humiliandũ te à faciebus meis.* Humiliauitse Parho coram hominibus, & non corã Deo, qui intuetur cor: & propterea Deus dicit, quòd renuit ad humiliare seipsum à facie ipsius Dei. Et insinuatur per hoc, quòd humiliatio Parhonis coram Mose, non solùm fuerat ficta; sed etiam quòd non processerat ex timore præsentiæ diuinæ, (quam significat facies Dei,) sed aliunde; purà ex timore afflictionum, quas putabat magicis artibus fieri à Mose.

Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi. *Verf.* 4. Si autem renuis dimittere eum, ecce ego inducam cras locustam in fines tuos, *Verf.* 5. quæ operiet superficiem terræ: nec quicquam terræ apparebit; & comedetur, quod residuum fuit grandini.] Non detrahit veritati Literæ, vt intelligatur humano more, seu hyperbolicè dictum, quòd nihil terræ apparebit. Sat est veritati tam ingens multitudo, vt totam ferè terram cooperiret.

Corrodet enim omnia ligna, quæ germinant in agris: *Verf.* 6. & implebit domos tuas, & seruorum tuorum, & omnium Ægyptiorum, quantùm non viderunt patres tui, & aui tui, ex quo orti sunt super terram vsque in præsentem diem. Auertitque se, & egressus est à Parhone. *Verf.* 7. Dixerunt autem serui Parhonis ad eum: Vsquequò patiemur hoc scandalum?] Afflictiones appellant, *scandalum*: eò quòd frequenter velut impingentes Ægyptij cadebant, modò in potu, modò in iumentis, modò in vlceribus, &c.

Dimitte homines, vt sacrificent Domino Deo suo.] Nomina solita sunt: *Iehouah Elohe suo.* totiens declarata.

Nónne vides, quòd perierit Ægyptus? *Verf.* 8. Reuocaruntque Mosen, & Aharon ad Parhonem, qui dixit eis: Ite, sacrificate Domino Deo vestro.] Eadem sunt nomina: *Iehouah Elohe vestro.*

Quinam sunt, qui ituri sunt?

Verf. 9. Ait Moses: Cum pueris nostris, & senioribus pergemus; cum filiis, & filiabus; cum ouibus, & armentis: est enim solennitas [a] Domini Dei nostri.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia festum Iehouah nobis.* Ratio, quare omnes ire debent, redditur ex hoc, quòd imminebat eis festum summi Dei: ad huiusmodi enim festum oportet omnes conuenire, eò quòd Iehouah dat esse omnibus.

[a] Habebant Ægyptij similes solennitates, ad quas omnes conueniebant: nunquam enim fuit religio, quæ suas ferias, & cæremonias non haberet. Sic filij Israël Ægyptios imitati, structo vitulo festum celebrarunt choreis, & ludis, vt legimus Exod. 32.

Verf. 10. Et respondit Parho: Sic Dominus sit vobiscum, quomodo ego dimittam vos, & paruulos vestros.] Dictio interpretata, *quomodo*, sonat, *sicut.* Et *Dominus* est *Iehouah.* Et est sermo imprecatorius mali; videlicet, quòd Deus non sit cum eis: loquitur enim Parho imprecando, solito imprecandi modo, apud vulgares etiam hodie. Et tendit sensus ad hoc, vt quemadmodum ego non dimittam vos; ita nec Deus sit vobiscum. Dicit enim affirmatiuas, intendendo negatiuas: quoniam sic est mos loquendi in tali imprecationis modo.

Cui dubium est, quòd pessimè cogitetis?] Iuxta Hebræum habetur: *Videte, quòd malum contra facies vestras.* Rationem reddit Parho imprecationis, nitendo conuincere Mosen, & Aharon, quòd machinantur ad malum: nam in hoc ipso, quòd volunt omnes, etiam paruulos, secum ducere, videre clarè possunt, quòd non ad sacrificandum; sed ad totaliter recedendum tendunt. Et hoc appellat malum, ad quod directè tendunt facies eorum.

Verf. 11. Non fiet ita: sed ite tantùm viri, & sacrificate Domino.] Nomen est tetragrammaton.

Hoc enim & ipsi petistis.] Occasionem accepit huius petitionis Parho ex eo, quòd

quòd à principio petierant licentiam eundi in desertum itinere trium dierum, ad sacrificandum Domino: quia enim paruuli idonei non erant ad sacrificandum; ideò dicit: *Hoc enim & ipsi petistis.* interpretando petitionem eorum pro idoneis ad sacrificandum.

Statimque eiecti sunt de conspectu Parhonis.

Vers. 12. Dixit autem Dominus ad Mosen.] Nomen est tetragrammaton.

Extende manum tuam super terram Ægypti ad locustam, vt ascendat super eam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ascendet super terram Ægypti.* Ex inferiori ergo regione significatur ventura locusta.

Et deuorabit omnem herbam, quæ residua fuit grandini.] Deficiunt aliquæ dictiones: *Omnem herbam terræ; omne, quod fecit remanere grando.* Prædicitur, quòd non solùm vniuersa herba; sed etiam, quicquid illæsum fuit à grandine, consumendum est à locusta.

*Vers.*13. Et extendit Moses virgam super terram Ægypti.] Et hanc quoque plagam per Mosen, mediante solita virga, effecit Deus.

Et Dominus induxit ventum vrentem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Iehouah duxit ventum orientalem in terram tota die illa, & nocte.* Non significatur, quòd à meridie, sed ab Oriente ascenderunt locustæ.

Et mane facto, ventus vrens (pro, *orientalis,*) leuauit locustas. *Vers.* 14. Quæ ascenderunt super totam terram Ægypti: & sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles] (pro, *graues valdè.*) Non ad pondus, sed ad efficaciam refertur grauitas maxima.

Quales ante illud tempus non fuerunt, nec posteà futuræ sunt.] Intellige in terra Ægypti.

Vers. 15. Operueruntque vniuersam superficiem terræ vastantes omnia.] Iuxta Hebræum habetur: *Et obscurata est terra.* Tanta describitur multitudo, quòd partes aëris propinqui terræ obscuratæ sunt, tanquàm nube locustarum operiente eas.

Deuorarunt igitur omnem herbam terræ, & omnem fructum ligni, quem reliquerat grando: nihilque omninò relictum est virens in lignis, & in herbis agri, in tota terra Ægypti. *Vers.* 16. Quamobrem festinus Parho vocauit Mosen, & Aharon: & dixit eis: Peccaui Domino Deo vestro.] Solita sunt nomina: *Iehouah Elohe vestro, & vobis.* Verum dicit; sed non ex corde.

Vers. 17. Sed nunc dimitte (deficit, *obsecro*) peccatum meum solùm hac vice.] Verè scriptum est: *Est, qui nequiter se humiliat: & interiora eius plena sunt dolo.*

Et rogate Dominum Deum vestrum.] Solita nomina sunt: יהוה *Elohe vestrum.* Dixerat, se peccasse, & Deo, & vobis. Et propterea postquàm placauit illos, petendo veniam, rogat, vt placent Deum.

Vt auferat à me mortem istam.] Verè erat mors vegetabilium.

Vers. 18. Egressúsque est Moses de conspectu Parhonis: & orauit Dominum.] Nomen est tetragrammaton. Et idem nomen subiungitur dicendo:

*Vers.*19. Et vertit Iehouah ventum à mari fortem valdè.] Vbi vulgata editio habet: *Qui flare fecit ventum ab Occidente vehementissimum.* Aiunt enim, mare esse occidentale Ægypto. Et propterea Interpres pro claritate sensus, loco maris scripsit occidens, quod è regione est maris rubri.

Et arreptam locustam proiecit in mare rubrum: non remansit nec vna quidem in cunctis finibus Ægypti: *Vers.* 20. & indurauit Dominus cor Parhonis, nec dimisit filios Israël.] Dictio interpretata, *Dominus*, est nomen tetragrammaton, negantis gratiam ad mutandum cor Parhonis.

*Vers.*21. Dixitque Dominus ad Mosen.] Nomen est tetragrammaton. Et hinc incipit nona plaga tenebrarum, quæ etiam facta est per Mosen. Et si rectè supputatum fuerit, quatuor prima signa facta sunt per Aharon: duo sequentia, à Deo sine opere, tam Aharon, quàm Mosis: quatuor autem sequentia facta sunt per Mosen.

Extende manum tuam ad cælum.] Iuxta Hebræum, tam hîc, quàm inferiùs habetur: *Super cælos.* Significatur enim extensio manus super aërem, non versùs cælum, sed lateraliter.

Et erunt tenebræ super terram Ægypti, tam densæ, vt palpari queant.] Iuxta Hebræum habetur: *Et obscurabitur obscuritas.* Ex subiuncta caligine apparet sensus; videlicet, quòd ipsa obscuritas, quæ est priuatio luminis cælestis, obscurior reddetur admixta caligine. Constituta est enim plaga hæc, non solùm suspensione cælestis lucis ab actu illuminandi Ægyptum; sed etiam ex adiuncta in aëre caligine.

*Vers.*22. Extenditque Moses manum ad cælum: & factæ sunt tenebræ horribiles.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit obscuritas caliginosa in tota terra Ægypti.* Vnde patet, quòd non fuit obscuritas pura, non fuerunt tenebræ puræ.

Tribus diebus.] Cum præcedenti particula iungendæ sunt istæ duæ dictiones: vt manifestè patet in Hebraïco Textu, repetente tres dies in sequenti particula.

*Vers.*23. Nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco, in quo erat, tribus diebus.] Iuxta Hebr. habetur: *Et nō surrexit quisquā de subter se, tribus diebus.* Non intelligo tāto rigore hanc literam, vt triduo nullus alterū viderit, nullus comederit, nullus biberit; nisi fortè iuxta se habuerit cibum, vel potū: sed intelligo formaliter; videlicet, quòd beneficio lucis cælestis nullus viderit alterum, nullus exierit domum. Cum quibus stat, quòd beneficio lucernarum, domi se continentes, comedebant, & bibebant, & coquebant, &c.

Vbicunque autē habitabant filij Israël, lux erat.] Magnum miraculū, vt tam lux cælestis, quàm puritas à caligine, inueniretur in domibus filiorum Israël. Quarum multitudo non parua inter domos Ægyptiorum inserta erat; ita vt Israëliticæ domus, & Ægyptiorum domus alternatim iungerentur: vt subiuncta signa

signa domorum in plaga primogenitorum testantur. Et quòd de domibus sit sermo, apparet manifestè in Textu Hebraïco, sic habente: *Et omnibus filiis Israel fuit lux in sedibus eorum.* vel, *in habitaculis eorum.* Quod ideò annotauimus, ne intelligeretur, quòd in vicis publicis, in quibus habitabant Iudæi, fuerit lux.

Vers. 24. Vocauitque Parho Mosen, & Aharon: & dixit eis: Ite, sacrificate Domino.] Nomen est tetragrammaton. Si quæris, quomodo vocatus est à Parhone Moses, cùm nullus surrexerit de loco, in quo erat: in promptu est responsio, quòd absque præiudicio veritatis in genere, quòd nullus egressus est domum, verificatur exceptio missi nuncij ad vocandum Mosen cum luce ignea. Durantibus enim tenebris fuisse vocationem istam, intelligitur ex eo, quòd qualibet transacta plaga semper Parho induratus est, etiam post sepulturam primogenitorum. Ipsa ergo licentiæ ad sacrificandum concessio testatur, quòd perseuerabant tenebræ.

Oues tantùm vestræ, & armenta remaneant: paruuli vestri eant vobiscum. *Vers.* 25. Ait Moses: Hostias quoque, & holocausta dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro.] Solita sunt nomina: *Iehouah Elohe nostro.*

Vers. 26. Et etiam greges nostri pergent nobiscum: non remanebit vngula ex eis, quę necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri.] Hìc quoque sunt solita Dei nomina: *Iehouah Elohe nostri.*

Præsertim cùm ignoremus, quid debeat immolari: (deficit, *Iehouah:*) donec ad ipsum locum peruenerimus. *Vers.* 27. Indurauit autem Dominus cor Parhonis; & noluit dimittere eos.] Nomen est tetragrammaton.

Vers. 28. Dixitque Parho ad Mosen: Recede à me; & caue, ne vltrà videas faciem meam. Quocunque enim die apparueris mihi, morieris. *Vers.* 29. Respondit Moses: Sicut locutus es, non addam vltrà videre faciem tuam.

CAPVT XI.

Vers. 1. ET dixit Dominus ad Mosen.] Nomen est tetragrammaton. Alloquitur Deus Mosen, antequàm recedat à conspectu Parhonis. Purè ergo interna fuit hæc allocutio, absque abstractione Mosis à sensibus.

Adhuc vna plaga tangam Parhonem, & Ægyptum.] Ecce quid reuelauit tūc Deus Mosi; videlicet, quòd vna tantùm supererat plaga, post quam Parho emitteret populum Israël.

Et post hæc dimittet vos, & exire cōpellet. Iuxta Hebræum habetur: *Post hoc mittet vos hinc, sicut mittere eius in vniuersum, expellendo expellet vos hinc.* Reuelat Deus Mosi, quòd post vnam plagam, non solùm vos mittet Parho; sed etiam mittet vos cum vniuersis, quæ vestra sunt: & hoc faciet per modum expellentis: dixerat enim Patho, quòd remanerent pecora: & propterea reuelatur Mosi, quòd eiectio erit comprehendens omnia; quemadmodum, si Parho sponte mitteret eos cum omnibus suis.

Vers. 2. Dices ergo omni plebi.] Iuxta Hebræum habetur: *Loquere nunc in auribus populi.* Ecce aliud reuelatum tunc Mosi; videlicet, quòd nunc est tempus exequendi, quod olim ei reuelauerat, vt scriptum est in 3. cap. Et dicit, *in auribus populi*; ad insinuandum modum, quo populus instruendus de hoc esset; videlicet, de aure in aurem.

Vt postulet.] Proculdubiò non dono, sed mutuo.

Vir ab amico suo, & mulier à vicina sua.] Iuxta Hebræum habetur eadem dictio; fœminini tamen generis, quæ interpretata est, *ab amico suo*; dicendo: *Vt postulet vir ab amico suo.* Quocirca vtrobique est sermo de amicitia, seu societate: *Ab amico suo, ab amica sua, à socio suo, à socia sua.* Et hæc dixerim, ne fiat vis in verbo, *vicina.*

Vasa argentea, & aurea, & vestem.] Nulla fit mentio vestium in Textu Hebraïco.

Vers. 3. Dabit autem Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dedit Iehouah gratiam populo suo coram Ægyptiis.* Reuelatur gratia iam data: quia iam diffinita erat. Et propter certitudinem euentus, quod futurum est, significatur vt factum.

Fuitque Moses.] Iuxta Hebræum habetur: *Etiam vir Moses magnus valdè in terra Ægypti coràm seruis Parhonis, & omni populo.* Quæ continuatio Literæ manifestat, quòd præcedens particula non refertur præcisè ad futuram gratiam populi, petendo vasa aurea, & argentea; sed absolutè narrat gratiam iam datam populo Israël coram Ægyptiis: hoc enim insinuatur contexendo: *Etiam Moses fuit vir magnus valdè.* Vt intelligamus, populum quidem Israël gratiosum Ægyptiis, & Mosen venerandum fuisse coram Ægyptiis, & curialibus Parhonis. Et scriptum est hoc, ad reddendam rationem, ex causis humanis, tantæ magnanimitatis Mosis, tum in tot priùs gestis, tum in subiunctis verbis coram Parhone, & curialibus.

Vers. 4. Et dixit Moses: Hæc dicit Dominus.] Nomen est tetragrammaton.

Media nocte.] Non dicit, media nocte hac, vel immediatè sequente: quoniam multi dies intercesserunt vsque ad mediam noctem quintædecimæ lunæ.

Egrediar in mediam Ægypti: *Vers.* 5. & morietur omnis primogenitus in terra Ægypti.] Nescitur, quando fuerit facta reuelatio totius huius plagæ. Superiùs enim in cap. 4. legitur reuelata Mosi vna pars istius plagæ; videlicet, occisio primogeniti Parhonis: & fortè tunc ex integro plaga hæc reuelata est, quæ modò manifestatur quoad multas particulares conditiones.

A primogenito Parhonis, qui sedet in solio eius.] Iuxta Hebræum ambiguum est, an ad primogenitum, an ad Parhonem referatur: quia anceps est pronomen, *eius*, vel, *suo.* Et legendo, *solio suo*, absque omni quæstione verificatur de Parhone. Et confirmatur hic sensus: quia è regione subditur: *Ancillæ, quæ est ad molam.* ita quòd non officium primogeniti, sed matris describitur. Vt intelligamus, quòd

quòd Pathonis patris, ad maiorem emphasim, sessio super solium suum est explicata: & fortè tunc actualiter Parho sedebat super solium. At si refertur ad primogenitum, legendo, *eius*, intellige in spe futuræ successionis.

Vsque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam: & omnia primogenita iumentorum: *Vers.* 6. eritque clamor magnus in vniuersa terra Ægypti: qualis nec anteà fuit, nec posteà futurus est. *Vers.* 7. Apud omnes autem filios Israël non mutiet canis ab homine vsque ad pecus.] Iuxta Hebræum habetur: *Non mouebit canis linguam suam.* Tanta quies, tanta securitas ab exterminatore primogenitorum significatur, tam in hominibus, quàm in animalibus Hebræorum, quòd non solùm non mouebitur canis custos ad latrandum; sed nec linguam suam mouebit idem canis, quam potest quiescens mouere.

Vt sciatis, quanto miraculo diuidet Dominus Ægyptios, & Israël.] Nomen est tetragrammaton.

Vers. 8. Descendéntque omnes serui tui isti ad me.] Hinc apparet, quòd coram Parhone, & curialibus eius Moses magnanimiter hæc dixit.

Et adorabunt me, dicentes.] Signum venerationis, curuando seipsos Mosi significatur.

Egredere tu, & omnis populus, qui subiectus est tibi.] Iuxta Hebræum habetur: *Qui in pedibus tuis.* hoc est, qui pendet à pedibus tuis, à mora, & egressu tuo.

Post hæc egrediemur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et post sic egrediar.* Prædicit eis, & tempus, & modum futuri egressus.

V. 9. Et exiuit à Parhone iratus nimis.] Iuxta Hebræū habetur: *In ira furoris.* Cōminationi Parhonis, ne vltrà redeat ad eum sub pœna capitis, respondet hæc ira in egressu, prophetata priùs morte primogenitorum.

Dixit autem Dominus ad Mosen.] Nomen est tetragrammaton. Summat Moses rationem gestorum omnium coram Parhone: quoniam non ampliùs redierunt ad Parhonem. Summat autem ad inobedientiam Parhonis, & multitudinem miraculorum. Et inobedientia Parhonis, vt medium ad finem, (multitudinem, videlicet, miraculorum,) significatur: nam in Hebræo habetur: *Non audiet vos Parho propter multiplicare mirabilia mea in terra Ægypti.* Et est sermo de medio, sine quo non. Inobedientia siquidem Parhonis non fuit medium, per quod Deus multiplicauit miracula: sed fuit medium, sine quo non multiplicasset miracula; vt patet in narratione miraculorum superiùs scripta. Et quoniam ad hæc duo capita (inobedientiam, & multitudinem miraculorum) summauit; ideò vtriusque manifestat authores. Et miracula quidem subiungit facta per Mosen, & Aharon coram Parhone; inobedientiam autem, quia indurauit Dominus cor Parhonis ad non dimittendum populum: quod iam expositum est.

Vers. 10. Moses autem, & Aharon fecerunt omnia prodigia ista [a] coram Parhone: & indurauit Dominus cor Parhonis, & dimisit filios Israël de terra sua.

[a] Epilogus est duodecim plagarum, de quibus vide Augustinum tom. 10. serm. 85.

CAPVT XII.

DIxit quoque Dominus ad Mosen, & Aharon in terra Ægypti.] Nomen est tetragrammaton. Post egressum à Parhone reuelatio ista describitur: quia tunc facta creditur. *Vers.* 1.

Mensis iste[a].] De mense lunari est sermo: & demonstratur lunatio illa, cuius ad Solem in Ariete oppositio est prima. Et adiungitur, *prima*, pro cautela, si euenirent duæ oppositiones Lunæ ad Solem in Ariete: altera ad Solem in principio Arietis; altera ad Solem in fine Arietis. Alioquin, regulariter, seu communiter loquendo, oppositio Lunæ ad Solem in Ariete constituit Pascha Iudæorum; constituit primum mensem esse mensuram illius lunationis inchoatæ ab initio augmenti illius. Hic est mensis primus (quocunque vocetur nomine) perseuerans semper primus iuxta hanc certissimam, & infallibilem regulam. Quam si Ecclesiastici sequerentur, nunquam erraret Pascha, quemadmodum errat, & frequenter deuiat: Christianum enim Pascha celebrandum est Dominica prima post Pascha Iudæorum: quia verè Christus resurrexit Dominica prima post Pascha Iudæorum. Et causa errandi est: quia ingressus Solis in Arietem, (qui appellatur *æquinoctium vernale*.) in Calendario ecclesiastico manet fixus in vigesimaprima die Martij, & in cælo non figitur; sed iam est inter decimam, & vndecimam diem Martij; & tempore Iulij Cæsaris erat vigesimaquinta die Martij: & tempore natiuitatis Christi erat inter vigesimamquartam, & vigesimamquintam diem Martij. Centesimo nanque quoque anno experientia testatur, vnum diem, vel circiter præoccupari, ex eo, quòd à vigesimoquinto die Martij migrauit ad decimum. Sed hodie videmus etiam Iudæos errantes in tempore sui Paschatis.

[a] Cùm Dominus hoc loco Martium primū mensem iusserit haberi à filiis Israël, videtur primum apud Ægyptios non fuisse. Nam, cùm diuersæ olim nationes à diuersis mensibus annū auspicarentur; aliqui à Septembri; nōnulli à Ianuario, vt tempore Noë, & Numæ Pompilij; alij à Martio, vt Romani; fortè Ægyptij Ianuariū caput anni habebant, prisca tempora imitantes.

Vers. 2. Vobis principium mensium, primus erit vobis in mensibus anni.] Aptissimè, quando filij Israël erigebantur in populum liberum, (qui nunquam fuerant populus: quoniam, antequàm descenderent in Ægyptum, nec populum, nec ciuitatem constituerant: postquàm autem fuerunt in Ægypto, in principio peregrini inter Ægyptios, posteà vt serui fuerunt: modò autem in populum liberum erigebantur:) aptissimè, inquam, ordinem anni proprium dat eis Deus, vt annus eorum incipiat à primo vere; ita quòd primus anni mensis sit lunatio, cuius oppositio est ad Solem in Ariete. Et si consideraueris, sapiens lector, quòd annus naturaliter incipit à principio motus Solis; & quòd principium motus Solis est ab Ariete; (quia, si Sol, inquiunt Philosophantes, inciperet moueri, inciperet ab Ariete;) consequenter perpendes, quòd optimè primus anni mensis decretus est mensis lunationis, quam primo replet Sol in Ariete: & videbis, verissimè Deum disposuisse populo suo, & anni, & mensium principium naturalissimum: & meritò; quia ipse disponit omnia suauiter.

Vers. 3. Loquimini ad vniuersum cœtum Israël: & dicite eis: Decima die

dic mensis huius[b].] Quot dies præterierint istius lunationis, tunc, quando dicta sunt hæc verba; tum Dei ad Mosen, & Aharon; tum Mosis, & Aharon ad populum, nescitur. Hoc tantùm ex Textu colligitur, quòd in principio lunationis illius hæc fuerunt: dicendo enim: *Mensis iste.* monstratur inchoatum esse mensem, vtpote præsentem. Mandando verò, vt moneant filios Israël ad habendum agnos decima die lunationis illius, insinuatur, quòd principium mensis erat.

[b] Mensis hic nostro Martio respondebat, Nisan à Iudæis dictus. Martius verò postmodùm à Romulo in aui Martis honorem. sicut Quintilis, & Sextilis in gratiam Iulij & Augusti Cæsaris, Iulius, & Augustus dicti sunt, & Aprilis, Neroneus, à Nerone iussus est vocari, vt refert Macrobius.

Tollat vnusquisque agnum per familias, & domos suas.] Scito, quòd in Hebraïco nomen est commune agno, & hœdo.

Vers. 4. Si autem minor est numerus, vt sufficere possit ad edendum agnum, assumet vicinum suum, propinquum domui suæ in numero animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni.] Intellige tamen vicinum, non gentilem, sed Israëlitam.

Vers. 5. Erit autem agnus absque macula.] Iuxta Hebræum habetur, *perfectus.* Hoc est, omni ex parte integer, incolumis, atque non statim natus.

Masculus, anniculus. Iuxta quem ritum tolletis & hœdum.] Iuxta Hebræum habetur: *Ex agnis, & ex capris accipietis.*

Vers. 6. Et seruabitis eum vsque ad quartumdecimum diem mensis huius.] Hinc clarè patet, quòd dictio superiùs interpretata, *agnus*; communis est tam agno, quàm hœdo, ex eo, quòd iubetur accipi ex agnis, & capris; hoc est, vel ex ouibus, vel ex capris. Nam ex vtrisque simul impossibile erat illum sumi, nisi medius sumeretur ex ouibus, & medius ex capris: quod manifestè repugnat præcepto, quòd acceptus seruetur viuus vsque ad quartumdecimum diem.

Immolabitque eum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et iugulabunt eum.* Non est sermo de immolatione; sed de modo occidendi agnum, vel hœdum; videlicet, quòd gladio in iugulo percutiendus esset.

Vniuersa multitudo congregationis Israël.] Intellige iuxta priùs dicta: hoc est, per singulas domos singulos.

Ad vesperam[c].] Iuxta Hebræum habetur: *Inter vesperas.* Hora occidendi statuitur inter vesperas; hoc est, inter occasum Solis, & vesperam; hoc est, declinationem Solis ad occasum; hoc est, per duas horas, vel circiter, ante Solis occasum. Vt habeatur tempus commodum ad excoriandum, & ad coquendum; ita vt statim post Solis occasum possint comedere illum.

[c] Vespera etsi pro nocte aliquando capiatur, vt Matthæi 28 *Vespere Sabbathi*, &c. proprius tamen pro prima noctis parte accipitur, occiduo iā Sole. Quare quod in Textu Hebraïco habetur *Inter duas vesperas*, intelligunt nōnulli sub crepusculo, inter, scilicet, duos occasus Solis; corporis solaris, videlicet, & lucis Solis.

Vers. 7. Et sument de sanguine eius, ac ponent super vtrunque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum.] Non intelligo liniri debere sanguine postes, & superum limen aulæ, in qua comedebatur agnus; sed postes, & superum limen externæ portæ domus, in qua comedebatur agnus: alioquin non fuisset signum visibile exterminatori transeunti per vicos ad occidendum primogenitos in domibus non signatis sanguine Agni: quod tamen fuisse, inferiùs subiungitur.

Vers. 8. Et edent carnes nocte illa, assas igni, & azymos panes.] Vide differentiam. Iugulatio fiebat inter vesperas; manducatio autem nocte: quia manducatio in initio quintidecimi diei præcipitur: incipit enim dies naturalis apud Hebræos ab initio noctis; ita quòd manducatio agni paschalis erat cœna quidem quartidecimi diei vsualis: & propterea dicitur vespera quartidecimi diei. Secundùm verò festiuitatem erat sacrificium quintidecimi diei: quia iam inceperat quintusdecimus dies: & propterea Moses dicit: *Et comedent carnem in nocte ista.*

Cum lactucis agrestibus.] Iuxta Hebræum habetur: *Super amaris comedent ipsum.* Herbas amari saporis, aut fortè succum earum adhiberi mandat.

Vers. 9. Non comedetis ex eo crudum quid.] Aiunt, dictionem hanc esse Arabicam, & significare semicoctum: ita quòd prohibetur, non crudum, (ferinum siquidem est vesci cruda carne;) sed semicoctum: quod multi auidiores comedunt.

Nec coctum in aqua; sed tantùm assum igni. Caput cum pedibus eius, & intestinis vorabitis.] Superfluit, *vorabitis.* Et iuxta Hebræum habetur: *Caput eius super genua eius, & super ventrem eius.* Ad assationem immediatè antedictam refertur hæc particula: & significatur, quòd agnus non est assandus concisus in plures partes; sed integer; sic, quòd caput sit iunctum ventri; & in hoc significatur integritas corporis iuncta capiti, & sic super genua: & in hoc significatur integritas membrorum quatuor, quibus graditur, iuncta corpori, & capiti. De visceribus autem scito, quòd dictio interpretata, *ventrem*, non significat ventrem duntaxat; sed ventrem habentem intestina: & propterea dicendo, *super ventrem eius*; cointelliguntur intestina non extracta ex ventre: intelligimus enim hinc, quòd euulso felle, & visceribus continentibus fæces eiectis, reliqua in ipso agno relicta, & cocta sint.

Vers. 10. Nec remanebit quicquam ex eo vsque mane: si quid autem residuum fuerit ex eo vsque mane, igne comburetis.

Vers. 11. Sic autem comedetis illum. Renes vestros accingetis: & calceamenta habebitis in pedibus vestris, & baculos vestros in manibus vestris: & comedetis eum festinanter.] Si literalis ratio cæremoniarum quæritur, in promptu est memoria tanti beneficij. Agnus in primis, seu hœdus, illa nocte immolandus præcipitur, eò quòd nullum aliud animal tam facilè immolari à singulis domibus poterat cum communi lætitia. Azyma autem ad memoriam reuocatura erant, quòd cogentibus Ægyptiis non fuit tempus fermentationi: & similiter amara amaritudinem Ægyptiacæ seruitutis præ se ferunt. Assatio autem, celeris exitus est testis: & similiter modus comedendi[d] more paratorum ad iter.

[d] Prisca cœnandi ratio liberorum hominum erat accumbere, vt seruorum sedere, Thalmudistis attestantibus: hi verò stabant propter mysterium. Quare, comesto agno paschali, in more fuit cœnantibus, vt accumberent omnes, in signum libertatis adeptæ.

Est enim Phase (id est, transitus) Domini] Iuxta Hebræum habetur: *Pesach ipse* יהוה. Quod Hebraïcè dicitur, *Pesach*, corruptum à Græcis dicitur *Pascha*, & dicitur *Phase*: & significat transitum: quia ad literam transiuit Deus per Ægyptum, occidendo primogenitos Ægyptiorū, ad educendos Israëlitas de

de Ægypto: in memoriam enim tanti beneficij institutum est hoc sacrificium ad literam. Et ideò, tam ipse agnus, quàm festiuitas, nomen transitus accepit, & vocatur *Pesach*, quod dicimus *Pascha*. Transitus autem Iudæorum de seruitute in libertatem, effectus est intentus per transitum Dei, à quo nominatur *Pascha*: in cuius veritatis testimonium statim Deus ipse subiungit:

Vers. 12. Et transibo per terram Ægypti nocte ista: percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti, ab homine vsque ad pecus.] Non mouetur Deus localiter; sed, quemadmodum dicitur metaphoricè irasci; quia ad similitudinem irati punit, seu comminatur; ita dicitur transire de loco ad locum, quia ad similitudinem transeuntis facit effectum, occidit hîc, & illic.

Er in cunctis Diis Ægypti faciam iudicia ego Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et in omnibus Elohe Ægypti faciam iudicia ego* יהוה. Qualia fuerint hæc iudicia, non est scriptum. Rationi tamen consentaneum est, quòd ceciderint, vel deleta, seu comminuta fuerint nocte illa omnia simulacra Deorum in Ægypto. Et aptissimè seipsum nominat *I*[illegible] (supremum Deorum, à quo omnia habent esse, à quo omnia pendent in propriis esse) in actione exterminatrice primogenitorum, & Deorum Ægypti: vt ipsius prouidentia, ac iustitia intelligatur.

Vers. 13. Erit autem sanguis vobis in signum in domibus, in quibus eritis: & videbo sanguinem.] Ecce sanguis visibilis à transeunte: ac per hoc, vt diximus, linitus in exteriori porta domus.

Et transibo vos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et transiliam super vos*. In quo manifestat, inter domos Ægyptiorum medias esse domos Hebræorum, quas quasi transiliendo non percutiebat occisor primogenitorum.

Nec erit vobis plaga disperdens, quando percutiam terram Ægypti.

Vers. 14. Habebitis autem hanc diem in monimentum [e]: & celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.] Nomen est tetragrammaton.

[e] Iam incipit Dominus rēpublicā Israēlis publicis legibus, & ordinationibus constituere.

Vers. 15. Septem diebus azyma comedetis. In die primo non erit fermentatum in domibus vestris: quoniam omnis, qui comederit fermentatum, peribit anima illa de Israël, à primo die vsque ad diem septimum.] Anima pro vita corporali sumitur: pœna siquidem mortis decernitur. Et aduerte, quòd more suo Moses summariè proponit prius hæc præcepta quatuor; videlicet, de festiuitate, de azymis, de non fermento in domibus, & de pœna comedentis fermentatum: deinde tractat singula.

Vers. 16. Dies prima erit sancta, atque solennis: & dies septima eadem festiuitate venerabilis. Nihil operis facietis in eis, exceptis iis, quæ ad vescendum pertinent: & obseruabitis azyma.] Tractat primum præceptum, extendens festiuitatem ad diem septimum, ita quòd in neutro die liceat aliquid operis seruilis facere, exceptis pertinentibus ad præparationem cibi.

Vers. 17. In eadem enim ipsa die eduxi exercitum vestrum (pro, *eduxi exercitus vestros*) de terra Ægypti, & custodietis diem istum in generationibus vestris ritu perpetuo.] Relatiuè ad tempus festiuitatis dicit, *eduxi*. Festiuitas enim non tunc, sed post ductum populum de Ægypto celebranda erat anniuersaria in perpetuum: illa enim prima vice non fuit celebrata festiuitas: vt patet, eò quòd ipsa quintadecima die iter egerunt. Et totius festiuitatis ratio redditur beneficium primi diei; hoc est, quintidecimi diei, in quo Deus eduxit eos de seruitute Ægypti.

Vers. 18. Primo mense, quartodecimo die [f] mensis ad vesperam, comedetis azyma vsque ad diem vigesimumprimum eiusdem mensis ad vesperam.] Tractat secundum præceptum, explicando, quando incipiunt septem dies, & quota hora finiuntur.

[f] A sexta hora vespertina dies Hebræis incipitur, vt legis Leuit. 23. nempe, ea ratione, quia nocte inceperit eorum liberatio.

Vers. 19. Septem diebus fermentatum non inuenietur in domibus vestris.] Corruptus est Textus, tam hîc, quàm superiùs. Loco dictionis, *fermentatum*, legendum est, *fermentum*. Prohibetur enim vtrobique etiam haberi fermentum in domibus propriis, illis septem diebus, ne ex consuetudine inaduertenter miscerent fermentum pani. Et hoc erat tertium præceptum.

Omnis enim, qui comederit fermentatum, peribit anima eius de cœtu Israël, tam de aduenis, quàm de indigenis terræ.] Iuxta Hebræum clariùs habetur: *In peregrino, & in habitatore terræ*. Tractat quartum præceptum, extendendo, quantùm ad personas ad peregrinos: ita quòd ligantur non solùm habitantes in ciuitate; sed etiam vt peregrini morantes in ea; Israëlitæ tamen.

Vers. 20. Omne fermentatum non comedetis.] Quemadmodū præceptum quartū extensum est quoad personas; ita consequenter extenditur quoad res fermentatas; declarando, quòd non solùm panis fermentatus; sed etiam quæcunque fermentata (vt lagana, & similia) prohibentur.

In cunctis habitaculis vestris edetis azyma.] Ad secundum reditur præceptum; videlicet, de azymis. Et restringitur præceptum ad morantes in locis, vbi habitant Israëlitæ. Et hoc ad excipiendum constitutos in itinere extra loca, vbi habitant Iudæi: tales enim impediti erant ab esu azymorum: ad hoc enim adiunctum videtur fuisse, quòd *in cunctis habitaculis vestris comedetis azyma*. Ac si apertiùs dixisset: Si contingat, vos esse extra habitacula Israëlitarum, non ligabimini.

Vers. 21. Vocauit autem Moses omnes seniores Israël: & dixit ad eos: Ite tollentes animal.] Iuxta Hebræum habetur: *Trahite, & accipite vobis pecudem per familias vestras*. Hinc apparet, quòd principaliter ex pecudibus eligendum erat animal paschale: & deficiente commoditate agni, sumendus erat hœdus: quia enim iam hæc expresserat scribendo verba Dei; ideò scribendo verba propria executoria summatiè scribit. Et quia viuus ex pecore tollendus erat agnus, ideò adiungit, *trahite*.

Et immolate Phase.] Iuxta Hebræum habetur: *Et iugulate Pesach*. Quod, vt dictum est,

est, dicimus *Pascha*. Agnus ipse denominatus est *Pesach*, hoc est, *transitus*.

Vers. 22. Fasciculúmque hyssopi accipite.] Modus priùs tacitus modò explicatur, quo sanguine agni linienda erat porta in postibus hinc, & inde, & in limine supero.

Et intingite in sanguine, qui est in limine[g].] Iuxta Hebræum habetur: *Qui est in malluuio*. Cùm enim iugularetur agnus, supponebatur malluuium ad seruandum sanguinem.

[g] Hæc cæremonia nō fuit postmodum obseruata à Iudæis: sed hac vice duntaxat.

Et aspergite.] Iuxta Hebræum habetur: *Et tangetis ex eo superliminare, & vtrunque postem.* Non per modum aspergendi, sed per modum liniendi præcipitur vsus hyssopi: ita quòd fasciculum hyssopi infusum sanguine seruato in malluuio adhibere debebant ad liniendum vtrunque postem, & superliminare: alioquin inuisibilis fuisset sanguis aspersus, præcipuè siccatus media nocte, quando exterminator erat transiturus.

Nullus vestrûm egrediatur ostium domus suæ vsque mane. *Vers.* 23. Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios.] Nomen est tetragrammaton.

Cúmque viderit sanguinem in superliminari, & in vtroque poste, transcendet ostium.] Iuxta Hebræum habetur: *Transiliet Iehouah super ostium.* Quod iam priùs expositum est.

Et non sinet percussorem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non dabit vastatorem ingredi domos vestras, & lædere* Ex Chaldaïca officina aiunt prodiisse, *sinet*, siue *permittet*: tanquàm vastator fuerit malæ intentionis ad occidendum etiam primogenitos Israël, si Deus permisisset. Sed Hebraïca Litera habet: *Non dabit*. Et propterea cessat hinc argumentum, quòd vastator fuerit Angelus malus: nihil enim aliud hinc habetur, nisi quòd Deus non per seipsum, sed Angelum (hoc est, multitudinem Angelorum) occidit primogenitos Ægyptiorum, præsidendo illi multitudini, & ordinando, quòd domos signatas sanguine agni non ingrediantur. Ordinando autem tanquàm si præsens dux diceret: Hanc domum intrate, & hanc non, &c.

Vers. 24. Et custodietis verbum istud in præceptum tibi, & filiis tuis in æternum. *Vers.* 25. Cúmque introieritis terram, quā Dominus Deus daturus est vobis, vt pollicitus est.] Iuxta Hebræum habetur duntaxat nomen tetragrammaton. Nec irrationabiliter ex hac additione sumitur, quòd præceptum paschalis immolationis non obligat populum in via, vsque ad terram promissionis: multa enim tacita sunt à Mose scribendo verba Dei, quæ suppleta sunt scribendo verba propria, ne repetitio fastidio esset lectoribus.

Obseruabitis cæremonias istas.] Non fiat vis in verbo: quia in Hebræo non cæremoniæ, sed seruitutis nomen est: & similiter, cùm subiungitur, *quæ est ista religio*. Sed sententia benè reddita est ab Interprete.

Vers. 26. Et cùm dixerint vobis filij vestri: quæ est ista religio? *Vers.* 27. dicetis eis: Victima transitus Domini est.] Nomen est tetragrammaton.

Quando transiuit.] Iuxta Hebræum habetur: *Qui transiliit super domos filiorum Israël in Ægypto*. Quod iam expositum est.

Percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans. Incuruatúsque populus adorauit. *Vers.* 28. Et ingressi sunt, & fecerunt filij Israël, sicut præceperat Dominus Mosi, & Aharon.] Nomen est tetragrammaton.

Vers. 29. Factum est autem in noctis medio.] Intellige quintidecimi diei.

Percussit Dominus omnem primogenitum in terra Ægypti. Nomen est tetragrammaton. Vbi considera; tum, quòd percussio attribuitur Domino; tum, quòd attribuitur ipsi sub nomine Iehouah: vt intelligamus, quòd ipse fons essendi, non permittendo causas secundas facere mala; sed ex intentione propria occidit iniquos, siue hoc faciat per causas secundas, siue non. Et attribuitur Deo huiusmodi primogenitorum occisio, ad significandum, quòd non fuit naturalis, sed miraculosa. Propter hoc enim describitur ipse Deus transiens per Ægyptum, & transiliens domos signatas sanguine, tanquàm præsidens Angelo vastatori.

A primogenito Parhonis, qui in solio eius sedebat.] Eadem verba sunt, quæ exposita fuerunt in cap. 11. Interpres enim mutauit, vt voluit. Nam in Hebræo non habetur, qui sedet; nec, qui sedebat: sed vtrobique habetur, *sedens*.

Vsque ad primogenitum captiui, qui erat in carcere: & omne primogenitum iumentorum. *Vers.* 30. Surrexitque Parho nocte, ipse & omnes serui eius, cunctáque Ægyptus: & ortus est clamor magnus in Ægypto. Neque enim erat domus, in qua non iaceret mortuus.] Si miraris, in qualibet domo inuentum primogenitum; responderi posset, appellatione primogeniti apud homines intelligi non solùm eum, qui primùm natus est; sed etiam eum, qui primo nato mortuo succedit in iuribus primogeniti.

Vers. 31. Vocatísque Parho Mose, & Aharon nocte, ait.] Non obstante inhibitione scripta in calce cap. 10. vocauit ad se Parho Mosen, & Aharō nocte illa, nō expectato mane.

Surgite, egredimini à populo meo, & vos, & filij Israël: itéque, seruite Deo, sicut dicitis.] Nomen est tetragrammaton.

Vers. 32. Oues vestras, & armenta capite, vt petistis: & abeuntes benedicite mihi[h].] Iuxta Hebræum habetur: *Et benedicetis etiam mihi*. Hoc est, non solùm sacrificabitis pro benedictione vestri; sed etiam pro benedictione mei.

[h] Mihi benedicite, perinde est, ac pro me orate.

Vers. 33. Vrgebántque Ægyptij populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur.] Hinc, & ex subiunctis in hoc eodem cap. apparet, quòd non obstante mandato Mosis, vt nullus egrederetur domum vsque mane, vrgentibus Ægyptiis cœperunt eadem nocte versùs diem egredi.

Vers. 34. Tulit igitur populus conspersam farinam, antequàm fermentaretur: & ligans in palliis posuit super humeros suos.] Discerne, prudēs lector, inter azyma præcepta, & azyma necessitatis: nā azyma in cœna agni paschalis fuerūt ex præcepto diuino: azyma autē subsecuta in recessu, fuerūt necessitatis.

Sed in anniuersaria memoria azyma septem dierum sunt ex præcepto diuino in memoriam egressus de Ægypto in azymis.

Vers. 35. Feceruntque filij Israël, sicut præceperat Dominus Mosi.] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut verbum Mosis.* Nec intelligas hoc tunc factum in illo impetu: sed narrari factum priùs, ex eo, quòd tunc in impetu illo effectus secutus est expoliationis Ægyptiorum: Ægyptij siquidem obliti eorum, quæ commodauerant Israëlitis, impellebant eos, vt recederent: & sic recesserunt cum rebus Ægyptiorum, quas commodauerant eis.

Et petierunt ab Ægyptiis vasa aurea, & argentea, & vestes plurimas.] Interpres addidit, *plurimas.*

Vers. 36. Dedit autem Dominus gratiam populo coram Ægyptiis.] Nomen est tetragrammaton.

Vt commodarent eis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecerunt petere eos.* Tanta gratia narratur data Israëlitis in oculis Ægyptiorum, vt non solùm commodauerint, sed etiam eduxerint ad petendum, offerendo benignè sua, incitando, vt confidenter peterent.

Et spoliauerunt Ægyptios. *Vers.* 37. Profectique sunt filij Israël de Rahmeses [i] in Succoth.] Rahmeses ciuitas est illa, quam ædificauerant Israëlitæ Parhoni, vt dicitur Exod. 1. Et hinc insinuatur, quòd erat in cōfinibus Ægypti: incipit enim Moses supputare itinera à termino Ægypti in primam mansionē extra Ægyptum. Et quia, vt scribitur Num. 33. quintadecima die mensis primi venerunt de Rahmeses in Succoth, insinuatur, quòd multitudo populi Israël erat prope Rahmeses [k], & quòd in illa ciuitate habitabat tunc Parho: ad hoc enim spectare videtur nominatio Rahmeses pro termino, à quo recesserunt filij Israël. Certum est enim, quòd à ciuitate, in qua erat Parho, recesserunt. Quòd autem locus Succoth extra terminos Ægypti sit, subiuncta innuunt, sonantia, quòd illo die egressus est Israël de terra Ægypti.

[i] Ramases aliqui Heliopolim, alij Arsinoëm, nonnulli Thebas fuisse arbitrati sunt: puto tamen, nomen regionis esse.

[k] Cùm non sit verisimile, tā copiosæ multitudini vnam vrbem suffecisse, cumque omnes de Ramase exiisse hic memoret Scriptura, manifestò cōstat, nō vnam vrbē tantùm, sed integram prouinciam hoc nomine significari, quæ circa Heliopolim sita erat, in qua vitulus pro Deo colebatur, cuius simulacrū iuxta sepulcrum Ioseph Heliopolitæ collocarunt, Authore Augustino.

Sexcenta ferè millia peditum virorum absque paruulis, & mulieribus.] Interpres addidit, *& mulieribus.* Subintelligebatur tamen: quoniam masculorum tantùm fit mentio.

Vers. 38. Sed & vulgus promiscuum innumerabile.] Iuxta Hebræum habetur: *Et etiam mixtio multa ascendit cum eis.* Mixtura hominum proculdubiò non Israëlitarum significatur, famulorum, famularum, ac pauperum, qui consueuerant viuere seruiendo Israëlitis.

Et oues, & armenta, & animantia diuersi generis multa nimis.] Iuxta Hebræum habetur: *Pecus graue valdè.* Nec ad pōdus, sed ad excellentiā, pretium, ac multitudinem refertur grauitas maxima omnium simul animaliū.

Vers. 39. Coxeruntque farinam, quam conspersam de Ægypto tulerant: & fecerunt subcineritios panes azymos: neque enim poterant fermentare, cogentibus exire Ægyptiis, & nullam moram facere sinentibus: nec pulmenti quicquam sibi præparauerant.] Hinc clarè apparet, quòd nō voluntatis, sed necessitatis fuerunt azyma tunc.

Vers. 40. Habitatio autem filiorum Israël, qua manserunt in Ægypto [l] fuit quadringētorum triginta annorū.] Iuxta Hebræum habetur: *Et habitatio filiorum Israël, qui habitauerunt in Ægypto, triginta annis, & quadraginta annis.* Absque verbo quocunque Hebraïca Litera est: ita quòd nec verbum substantiuum, nec aliquod aliud verbum hîc inuenitur. Nec refert legere relatiuum in numero plurali, *qui*; vel in numero singulari, *qua*; & similiter: quia indeclinabilia sunt nomina & nullus est in hac Litera articulus, liberum est, in quocunque casu legere, tam habitationē, quàm tēpus. Et hæc ideò annotauerim, vt nemo fundet sensum literæ super verba Interpretum sonantia manifestè falsum: sonant enim, quòd habitatio filiorū Israël in Ægypto mensurata est tempore quadringentorum triginta annorum: quod ex sacra Scriptura facilè conuincitur esse falsum, supputando annos Mosis, patrisque eius Hamram, & aui eius Cehath, quem ingressum fuisse in Ægyptum cum Iahacob, perspicuum est Genesis 46. cap. nam Cehath vixit annis cētum trigintatribus; vt scribitur Exod. 6. Hamram verò vixit annis centum triginta septem, vt ibidem scribitur: Moses autem octoginta annorum erat in egressu ex Ægypto, vt patet Exod. 7. & Deuter. vlt. ex his enim omnibus non cōsurgunt nisi trecenti quinquaginta anni: & tamen non omnes supputādi sunt: quoniam adimendi sunt omnes anni, quos vixerat Cehath ante ingressū Ægypti; & quos vixit, postquàm genuit Hamram: & similiter adimendi sunt omnes anni, quos vixit Hamram, postquàm genuit Mosen; ne iidem anni bis supputentur. Et istæ ademptiones, ex prædicto trecentorum quinquaginta annorum numero subtrahunt annos centum quadraginta. Nam secundùm veritatem ducenti & decem anni duntaxat fluxerunt ab ingressu Iahacob in Ægyptum, vsque ad exitum filiorum Israël de Ægypto; vt etiam Hebræi testantur, & nos Genesis 15. ex scriptura deduximus, quanuis Iosephus dicat, fluxisse annos ducentos, & quinque. Sed in hac supputatione sibiipsi non constat, vt facilè patere potest conferenti supputationes eius in calce cap. 10. libri 2. Antiquit.

Nō est igitur Literæ huius sensus, quòd habitatio filiorum Israël in Ægypto fuit quadringentis triginta annis: sed sensus est, quòd peruenit ad quadringentesimum trigesimum annū peregrinationis Abrahæ de Vr Chaldæorum: ab illo siquidem tempore, vsque ad exitū de Ægypto, supputatur tempus quadringentorum, & triginta annorum: nam ducenti, & decem in Ægypto, centum triginta vitæ Iahacob ante ingressum Ægypti, sexaginta Ishac ante natiuitatem Iahacob, & vigintiquinque Abrahæ ante natiuitatem Ishac, ab egressu de Charan sunt: quibus si addantur anni quinque, quibus moratus est Abraham in Charan, egressus de Vr, vt iret in terram Chenahan (iuxta scripta Genesis 11.) supputantur anni quadringēti triginta. Nec voluntariè ab egressu ab Vr Chaldæorum supputantur anni isti: quoniam testatur Stephanus Act. 7. quòd ibidem apparuit Deus Abrahæ, & quòd inde exiit, vt iret in terram Chenahan: & etiam Genesis 11. vt allegatum est, habetur. Ex tunc igitur peregrinationem Abrahæ, iubente Deo, incepisse testatur Scriptura. Et quia quinque duntaxat anni desunt ad complendum numerum quadringentorum triginta annorum, quorum hîc

[l] Per Synecdochē hęc allocutū esse Mosen, nemo ambigere potest: nam Ægyptum modò nominās, reliquas etiam peregrinationes eorū, aliasque regiones intellexit. Sic & Hieronymus cap. 3. ad Galatas, Augustinus in quæstionibus super Exodum, & Eusebius in Chronicis, hāc annorum supputationē à prima Abrahæ promissione intelligunt.

hic mentio fit; ideò non voluntariè, sed rationabiliter quinque annos supputauimus moræ Abrahæ in Charan ab egressu ex Vr Chaldæorum.

Litera itaque, si habitationis, aut temporis nomen in casu datiuo legatur, construi potest: vel, & habitationi anni quadringenti triginta, subaudi, fuerunt; ita quòd anni quadringenti triginta terminati sunt ad habitationé filiorum Israël in Ægypto: vel, & habitatio annis quadringentis triginta, subaudi, fuit, ita quòd habitatio filiorum Israël in Ægypto terminata est ad annos quadringentos triginta; legendo (vt dictum est) in casu datiuo, annis quadringentis triginta.

Et hæc dixerim, sequendo communem lecturam: potest enim faciliùs legi: *Trigesimo anno, & quadringentesimo anno.* Nam & dictio significans *annum*, est propriè singularis numeri apud Hebræos; quanuis sæpè vsurpetur pro numero plurali: & dictio significans numerum *triginta*, & similiter *quadringenta*, anceps est apud Hebræos ad *triginta*, vel *trigesimum*; ad *quadringentos*, vel *quadringentesimum*: vt comprobatur ex principio Ieremiæ, & Ezechielis: similes enim dictiones numerales ibidem habentur, significantes tertiumdecimum, vndecimum, trigesimum. Lege itaque: *Et habitatio filiorum Israel, qua habitauerunt in Ægypto, tricesimo anno, & quadringentesimo anno*, subaudiendo, *fuit*: sic enim oportet sollicitum esse de mutatione casus: quia verissimum absque quæstione est, quòd habitatio illa fuit illo anno, imò toto illo anno durauit: vt testantur subiuncta.

Vers. 41. Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit de fine triginta annorum, & quadringentorum annorum, & fuit in proprietate diei istius exierunt omnes exercitus Iehouah è terra Ægypti.* Dixerat, quòd habitatio filiorum Israël in Ægypto peruenerat ad quadringentesimum trigesimum annum peregrinationis Abrahæ. Subiungit modò, quòd non solùm peruenit ad dictum annum, sed etiam terminauit illum; ita quòd statim finito anno exierunt: hoc enim significat præpositio, *de*: non enim dicit, in fine; sed, *de fine*. Et refertur hæc particula ad sequenté: inchoat enim tempus egressus ex Ægypto. Inchoat autem oratione imperfecta suspensa, dicendo: *Et fuit de fine triginta, & quadringentorum annorum*. non explicando, quid fuit, subiuncturus iterum, & fuit; explicando quid fuit; videlicet, exitus de Ægypto. Et primùm quidé narrat, quòd fuit statim post completum quadringentesimum trigesimum annum: deinde narrat, quòd fuit in proprietate istius diei; hoc est, in illo die immediatè sequente dictum tépus: qui fuit iste dies tunc quintusdecimus mensis primi. Et dicendo, *omnes exercitus*, significat & discretionem ordinatam in diuersas partes populi Israël, (putà, per Tribus suas,) & exercitus istos non esse Mosis, sed Dei: vt non casu, sed diuina prouidentia effectum intelligamus, vt dies paschalis liberans Israël de seruitute Ægypti fuerit dies immediatè sequens quadringentesimum trigesimum annum peregrinationis Abrahæ iussu diuino.

Vers. 42. Nox ista est obseruabilis Domino, quando eduxit eos de terra Ægypti.] Iuxta Hebræum habetur: *Nox custodiarum ipsa Iehouah ad faciendum educere ipsos è terra Ægypti.* Descripto tempore exitus ex Ægypto relatiuè ad peregrinationem Abrahæ primi patris proprij Israëlitarum, cui primò facta est promissio terræ Chenahan, ad quá possidendam egrediebantur; describitur modò idé tempus relatiuè ad vigilantiam diuiná. Et vtitur Moses metaphora custodientiú secundùm nocturnas vigilias: describit siquidem Deú in nocte huius diei quintidecimi, ad similitudiné vigilátis, custodiédo in nocturnis vigiliis, quòd vigilauerit ad faciendú eos exire de Ægypto. Et descripsit hoc, ad manifestandá diuinam prouidentiá; tanquàm magnæ curæ ei fuerit liberatio Israëlis hac nocte: est enim articulus casus datiui Iehouah. Et vigiliæ nocturnatum excubiarum significantur nomine custodiarum.

Hanc obseruare debent omnes filij Israël.] Iuxta Hebræú habetur: *Ipsa nox ista Iehouah custodia omnibus filiis Israël in generationibus suis.* Ex diuina vigilantia erga filios Israël in nocte ista, infert Moses vigilantiam filiorum Israël debitam Deo supremo in hac eadem nocte anniuersaria in perpetuum. Hæc enim vigilantia significatur dicendo, quòd *ipsa nox ista ipsi Iehouah custodia* (hoc est, erit in custodiis) *omnibus filiis Israël in generationibus suis.* Est enim nominatiuus pluralis, *custodiæ*: & significantur studia ad gratias agendum summo Deo.

Vers. 43. Dixitque Dominus ad Mosen, & Aharon.] Nomen est tetragrammaton, quod sæpissimè repetitur ad manifestandum, quòd ipse fons essendi curam habet omnium, & singulorum, circa eductionem populi; & quòd est author omnium præceptorum pertinentium ad Pascha.

Hæc est religio Pesach.] Iuxta Hebræum habetur, non, *religio*; sed, *statutum*.

Omnis alienigena non comedet ex eo.] Quilibet non Israëlita appellatur alienigena, seu filius alieni more Hebræo; qui, scilicet, originem habet ex alieno genere.

Vers. 44. Omnis autem seruus emptitius circuncidetur: & sic comedet ex eo.] Disparitas inter seruum, & mercenarium, (quoad hoc, quòd seruus mandatur circuncidi; mercenarius autem proprio relinquitur arbitrio, an circuncidendus sit,) quæstionem ingerit, an seruus inuitus fuerit circuncidendus. Et est ratio dubij: quia, si serui requiritur volútas, pari ratione dicendum erat de mercenario, quòd circuncidetur, & comedet Pascha. Solutio est, quòd de circuncisione possumus dupliciter loqui. Vel, vt erat præcisè distinctiuum signum domus Abrahæ, & succedentiú ex mandato Dei: & sic proculdubiò seruus Israëlitæ, & poterat inuitus circuncidi, (quemadmodú poterat cauterio notari stigmate domini sui in aliis partibus corporis;) & debebat inuitus circuncidi ex lege diuina promulgata Abrahæ Genesis 17. ita quòd eo ipso, quòd erat emptus ab Israëlita, erat subditus legi circuncisionis, vt patet ibidem. Si verò loquamur de circuncisione, vt nos interpretamur illam professionem fidei, & huiusmodi; sic non poterat inuitus circuncidi: quia credere, voluntarium esse debet: nec seruitus humana subiicit hominem homini quoad

quoad fidem diuinorum mysteriorum. Crediderim tamen, diuinam erga seruos legem nunquam intellectam, nec vnquam seruatam de seruo inuito penitùs; sed sufficiebat, seruum non totaliter renuere, sed permittere se circuncidi: mercenarius autem debebat petere spontaneus circuncisionem. Et hæc disparitas sufficit huic literæ.

Vers. 45. Aduena, & mercenarius.] Iuxta Hebræum habetur: *Habitans, & mercenarius non comedet ex eo.* Ne verteretur in dubium, quod de cohabitantibus (putà, famulis, & ministris) statuitur, quòd ex hoc, quòd sunt mercenarij, seu cohabitantes in domo, non possunt comedere Pascha.

Vers. 46. In vna domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras.] Sicut integer assandus præcipitur; ita totus in vna domo comedendus: ita, quòd nihil eius possit extra domum mitti. Et hoc in memoriam gestorum prima nocte; videlicet, quòd nullus exiuit domum suam.

Nec os illius confringetis.] In memoriá celeritatis mandatur, vt non occupent tempus frangendo ossa, vt comedant medullam.

Vers. 47. Omnis cœtus filiorum Israël faciet illud.] Hinc apparet, & quòd nullus erat exemptus, qui esset in congregatione; & quòd nullus ligabatur, qui erat extra congregationem in aliis terris: sed omnes, & soli commorantes in congregatione filiorum Israël obligabantur ad conuiuium agni paschalis.

Vers. 48. Quòd si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Et quando peregrinabitur cum vobis peregrinus, & faciet Pesach Iehouah.* De gentili habitante in terris Iudæorum est sermo.

Circuncidetur priùs omne masculinum eius: & tunc ritè celebrabit, eritque sicut indigena terræ.] Hinc apparet, quòd non de singularibus personis proselytis; sed de patrefamiliàs, qui in domo sua vult facere Pascha, est sermo: nam à tali exigitur, quòd circuncidat priùs omnem masculum suum; quemadmodum hoc exigitur à patrefamiliàs Israëlita: à singularibus autem personis, quæ non in propriis domibus, sed iuncti aliis volebant facere Pascha, non exigitur, nisi quòd personæ eorum essent circuncisæ: & propterea subditur:

Si quis autem circuncisus non fuerit, non vescetur ex eo. *Vers.* 49. Eadem lex erit indigenæ, & colono, qui peregrinatur apud vos.] Ne repetenda sint dicta, statuitur, quòd vna sit lex communis circa Pascha Israëlitæ, & peregrino habitanti in terris eorum circunciso.

Vers. 50. Fecerunt omnes filij Israël, sicut præceperat Dominus Mosi & Aharon.] Nomen est tetragrammaton.

Vers. 51. Et eadem die eduxit Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit in proprietate diei istius, eduxit Iehouah filios Israel de terra Ægypti.* Rem gestam narrat; videlicet, quòd in illo die quintodecimo non Moses, sed ipse fons essendi eduxit de facto filios Israël de terra Ægypti. Vt intelligamus, quòd illo die omnes exierunt de terra Ægypti: quod fuit mirabile.

Per turmas suas.] Iuxta Hebræum habetur: *Supra exercitus eorum.* Describitur Deus educens supra exercitus eorum, tanquàm manens, & studens ad educendum eos. Et hoc posteà declarabit, narrando diuinam nubem supra eos educentem illos.

CAPVT XIII.

LOcutus est autem Dominus ad Mosen, dicens.] Nomen est tetragrammaton. *Vers. 1.*

Vers. 2. Sanctifica [a] mihi.] Post datum præceptum celebritatis paschalis perennis, datur præceptum de primogenitis. Præcipitur autem sanctificatio, non aliqua interueniente benedictione, aut cæremonia; sed sola recognitione, & exhibitione: consistebat enim huiusmodi sanctificatio in hoc, quòd homo recognosceret primogenitū esse Dei, & daret Deo.

[a] Sanctificare hoc loco est in Dei cultum separare, ac seligere, & soli Deo acceptum referri.

Omne primogenitum, quod aperit vuluam.] Iuxta Hebræum habetur: *Omne primogenitum, apertionem omnis vulua in filiis Israel, tam de hominibus, quàm de iumentis.* Masculi enim duntaxat sanctificandi præcipiūtur. Et duę conditiones requirebantur: altera, quòd esset masculus: altera, quòd esset prima proles. Ita quòd, si prima proles fuisset fœmina; masculus, qui posteà fuisset genitus, non erat sanctificandus: quia, licèt fuisset primogenitus; non tamen erat apertio vuluæ; sed iam inuenerat apertam per priorem prolem: & proptereà in Litera vtrunque exprimitur.

Sed occurrit quæstio, an exigeretur, quòd esset masculus, prima proles vtriusque parētis; an matris tantùm, an patris tātùm. Et est ratio dubitandi: quia tunc erat licita pluralitas vxorum: & cōtingere poterat, quòd prima vxor genuisset primam fœminā, & altera posteà masculū: hic enim masculus est primogenitus apertio vuluæ; quanuis non sit prima proles patris. Et similiter, si prima vxor fuisset vidua, quæ alteri viro priùs genuisset, & genuisset primò masculum huic viro; hic fuisset primogenitus; & tamen nō fuisset apertio vuluæ. Hic ergo primogenitus patris tantùm, ille autem primogenitus matris tātùm. Solutio est, quòd exigitur ad sanctificationē, quòd sit primogenitus vtriusque. Quòd enim relatiuè ad matrem oporteat esse primam prolem, testatur Litera dicens *apertionem vuluæ*: quòd verò non sufficiat esse primogenitum matris, testatur Scriptura, solum Ruben appellando primogenitum Iahacob, cùm tamen iuxta matres Ioseph esset primogenitus: & breuiter vnius viri fuissent innumeri primogeniti. In Litera ergo primogenitus refertur ad patrem, apertio vuluæ ad matrem. Et hæc apparent vera, sistendo in specie humana.

Verùm, si integrè Litera perspiciatur, (statuēs absque disparitate primogenitū apertionē vuluæ omnis in filiis Israël in homine, & in bestia,) apparebit, quòd exigitur, & sufficit, quòd sit masculus prima proles matris, quicquid sit ex parte patris: hoc enim manifestè in armētis naturaliū brutorum clarè apparet. Quot ergo vir genuisset masculos, primas vxorum proles; tot primogenitos erat Deo daturus; quia sic sonat lex diuina: quanuis enim vnus eorum tantùm fuisset

fuisset primogenitus quoad hæreditatis iura; quilibet tamen ipsorum erat primogenitus quoad sanctificationem. Et hunc esse sensum literalem, testatur Lucas cap. 2. referendo hanc legem sub his verbis: *Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.* Oportuit autem, Mosen mentionem facere primogeniti: quia loco primogenitorum occisorum in Ægypto appropriantur Deo. Et non superfluè dicitur: quia nec aperire vuluam sufficit, (potest enim fœmina aperire vuluam:) nec esse primogenitum sufficit; potest enim primogenitus esse, & non aperuisse vuluam; vt sæpè contingit primogenitum post sororem genitum esse.

Mea enim sunt omnia.] De primogenitis est sermo. Ratio enim redditur sanctificationis eorum: quia Dei sunt: iustum est enim, vt quæ sunt Dei, reddantur Deo.

Vers. 3. Et ait Moses ad populum: Mementote diei huius, in qua egressi estis de Ægypto, de domo seruitutis: quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto.] Nomen est tetragrammaton.

Et non comedetis fermentatum.] In præcedenti capitulo promulgauerat Moses populo præceptum de agno paschali singulis annis immolando: modò promulgat legem de non fermentato, & azymis per septem dies singulis annis.

Vers. 4. Hodie egredimini mense nouarum frugum.] Iuxta Hebræum habetur: *Mense primitiuo.* Ita quòd non significatur mensis ex eo, quòd primus inter menses anni statutus sit; sed ex eo, quòd est initium primi veris: ac per hoc mensis primitiarum terræ: in regionibus siquidem illis primitiæ fructuum terræ sunt in principio veris, vsque adeò vt tempore paschali primitiæ frugum offerrentur Deo.

Vers. 5. Quúmque introduxerit te Dominus.] Nomen est tetragrammaton.

In terram Chenanæi, & Hithæi, & Emoræi & Hiuæi & Iebusæi, (quam iurauit patribus tuis, vt daret tibi,) terram fluentem lacte, & melle celebrabis hunc morem sacrorum mense isto.] Definitur tempus seruandæ legis huius, fore tempus habitæ terræ promissionis: hinc enim clarè habetur, quòd ex ipsa promulgatione legis, dilata est obligatio ad exequendum, vsque ad ingressum terræ promissionis.

Vers. 6. Septem diebus vesceris azymis: & in die septimo erit solennitas Domini.] Nomen est tetragrammaton.

Vers. 7. Azyma comedetis septem diebus: & non apparebit tibi aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis] Desunt multæ dictiones: legendum est: *Et non videbitur tibi fermentum in omni termino tuo.* In præcedenti capitulo ratio huius reddita est.

Vers. 8. Narrabísque filio tuo in die illo, dicens.] Doctrina domestica præcipitur in solennitate paschali.

Hoc est, quod fecit Dominus mihi, quando egressus sum de Ægypto.] Nomen est tetragrammaton. Docemur hinc, vt beneficia exhibita patribus nostris, habeamus, vt beneficia nobis collata.

Vers. 9. Et erit quasi signum in manu tua, & quasi monimentum ante oculos tuos, & vt lex Domini semper sit in ore tuo.] Iuxta Hebr. habetur: *Et erit tibi in signũ super manum tuam, & in recordationẽ inter oculos tuos, vt sit lex Iehouah in ore tuo.* Prima lex data à Deo per Mosen populo, fuit de celebritate paschali: & tanti pendenda censetur, vt assimiletur signo in manu, & pendulo inter oculos, ad hunc effectum, vt ista lex summi Dei sit in ore semper. Et dixit hæc Moses, ne crederent, quòd sufficeret semel in anno (tempore, scilicet, Paschatis) docere, & annunciare tantũ beneficium liberationis ex Ægypto: sed, quòd esset frequentissima recordatione recolẽdum, tanquàm signum in manu, tanquã res pendula inter oculos, & sermone crebro celebrandum.

In manu enim forti eduxit te Dominus de Ægypto.] Nomen est tetragrãmatõ.

Vers. 10. Custodies huiuscemodi cultũ statuto tempore de diebus in dies.] Iuxta Hebr. habetur: *De anno in annum.* Semel enim in anno præcipitur celebratio paschalis.

Vers. 11. Quúmque introduxerit te Dominus in terram Chenanæi, (sicut iuraui tibi, & patribus tuis,) & dederit eã tibi.] Dictio interpretata, *Dominus*, est nomen tetragrammaton. Secunda lex fuit primogenitorũ: & hæc quoque promulgatur non obligatura vsque ad ingressum terræ promissionis. Quam igitur legem à Deo acceperat Moses de sanctificatione primogenitorum, promulgat modò populo.

Vers. 12. Separabis omne, quod aperit vuluam, Domino: & quod primitiuum est in pecoribus tuis, quicquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino.] Sententia seruatur; nulla tamen consecratione cointellecta: Interpres enim addidit consecrationem. Et vtrobique est nomen יהוה.

Vers. 13. Primogenitum asini mutabis oue.] Iuxta Hebræum habetur: *Agno.* Asinus enim erat animal non immolabile: & propterea redimendus præcipitur.

Quòd si non redemeris, interficies.] Poterat contingere, vt primogenitus asinæ esset inutilis, ac per hoc dominus eius nollet redimere eum: & in huiusmodi euentu præcipitur primogenitus ille interficiendus; quia Dei est, & non redemptus: derogaret enim decori rei diuinæ, si res Dei in profanos verteretur vsus, vel neglecta, seu derelicta haberetur.

Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis, pretio redimes.] Quia homo immolari non potest, redimendus præcipitur pretio explicando inferiùs, vbi lex ista pleniùs tractatur.

Vers. 14. Quúmque interrogauerit te filius tuus cras, dicens: Quid est hoc? Respondebis ei: In manu forti eduxit Dominus nos de terra Ægypti, de domo seruitutis.] Nomen est tetragrammaton. Et idem repetitur nomen, subiungendo: *Occidit Dominus.* & iterum: *Immolo Domino.* & similiter: *Eduxit nos Dominus.*

Vers. 15. Nam, cũ induratus esset Pharao, & nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito hominis vsque ad primogenitum iumentorum: idcircò

immolo Domino omne, quod aperit vuluam masculini sexus: & omnia primogenita filiorum meorum redimo. *Verſ.* 16. Erit igitur quasi signum in manu tua, & quasi appensum quid inter oculos tuos: eò quòd in manu forti eduxit nos Dominus de Ægypto.] Repetitur præceptum recolendi hanc legem primogenitorum, simile præcepto recolendi legem paschalem: iubet enim Moses paris fore diligentiæ memoriam vtriusque legis: valdè enim priuilegiatæ insinuantur per hoc istæ duæ leges.

Verſ. 17. Igitur quum emisisset Parho populum, non eos duxit Deus per viam terræ Pelisthim [b], quæ vicina est.] Nomen est אלהים. Aptè describitur Deus, quatenus distributor suauis, pensans fragilitatem populi Israël: proptereà siquidem nominatur אלהים, vt intelligamus, quòd in hoc ducatu non habuit rationem suæ potentiæ; sed suauis ordinis, considerata conditione filiorum Israël, qui nō erant exercitati ad bellum.

[b] *Terra Philisthim*, speciali appellatione ea tantùm promissæ terræ portio vocatur, quę mari magno australior post Phœniciam adiacet, quinq; tantùm habens Satrapias, Azotū, Gazam, Ascalon, Geth, & Accaron.

Reputans, ne fortè pœniteret populum, si vidisset aduersùm se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum: *Verſ.* 18. sed circunduxit eos per viam deserti maris rubri.] Dictio interpretata, *ne fortè*, aptiùs fuisset interpretata, *ne quando*. Hic enim loquendi modus non dedecet Deum: & hoc directè sonat Hebraïca dictio.

Et armati.] Iuxta Hebræum habetur: *Quini*.

Ascenderunt filij Israël de terra Ægypti.] Ordo describitur ascendentium, quòd nō turmatim, more fugientium; sed ordinatè, more exercitus ascenderunt quini, & quini. Quod intelligo de idoneis ad bellandum; hoc est, à vigesimo vsque ad quinquagesimum annum. Et quoniam non omnibus placet hæc interpretatio, & dictio Hebraïca, quinarium sonans numerum, inuenitur in libris Regum, significans locum quinque costarum in corpore hominis; ideò etiam in hac litera à loco quinque costarum in corpore humano describi intelligitur, quòd filij Israël armati ascenderunt. Et quia sub septem integris costis, ex quolibet latere, vnusquisque habet quinque costas mancas, (quas mendosas, seu nothas appellant,) stomachum hinc & inde terminantes; & super huiusmodi quinque costarum locum in latere sinistro consueuimus gestare enses & pugiones; ideò à loco quinque costarum denominati sunt ficto vocabulo quintati; hoc est, armati; hoc est, accincti armis in loco quinque costarum.

Verſ. 19. Tulit quoque Moses ossa Ioseph secum: eò quòd adiurasset filios Israël dicens: Visitabit vos Deus: efferte ossa mea hinc vobiscum.] Nomen est אלהים, ad significandum Deum, quatenus faciet, quod dixerat: est enim pars iustitiæ facere dicta.

Verſ. 20. Profectique de Succhoth [c], castrametati sunt in Etham in extremis finibus solitudinis. *Verſ.* 21. Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam.] Nomen est tetragrammaton. Vide differentiam. Ducatus populi, quatenus disponitur secundùm conditionem populi, attribuitur אלהים: quatenus autem disponitur secundùm diuitias diuinæ gratiæ, attribuitur יהוה fonti omnis gratiæ.

[c] *Succhoth*, locus est castrametationis primæ itinere vnius diei à Ramase distās, præsertim quantum sufficiebat populo tanto, rectà Palæstinam versus. *Etham* verò desertum illud magnum est, & arenosum ad mare rubrum, præcipuè quod Hieropolitæ sinum attingit. In extremis finibus huius solitudinis tertia castra fixerunt filij Israel, & post egressum maris in eadem Etham solitudine ambularūt, vbi erat Marah, & Helim. Hieronymus Etham, & Sur, idem desertum facit, quod facilè colliges, si quæ Exod. 15. & n 33. de his dicuntur, contuleris. Est item *Etham*, aliud saxi munitissimi nomen, vt scribit Iosephus, in quo Samson abscondebatur, longè ab isto distans.

Per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis: vt dux esset itineris vtroque tempore.] Non habebat formam tentorij, sed formam columnæ, tam in nocte, quàm in die: quia non ad operiendum, sed ad monstrandum viam erat: & quoniam eadem est ratio motus, & quietis; ideò columna mota monstrabat viam; quiescens autem monstrabat quietem: vt ex verbis statim subiunctis manifestatur.

Verſ. 22. Nunquam defuit columna.] Iuxta Hebræum habetur: *Non faciet cessare columnam nubis per diem, neque columnam ignis per noctem coram populo.* Et verè congruit principio itineris, vt describatur columnæ perseuerantia verbo futuri temporis: & quia non qualibet nocte ambulabant, sicut nec qualibet die; ideò subiuncta est perseuerantia columnæ quolibet die, & qualibet nocte.

CAPVT XIV.

VERS. 1.

Locutus est autem Dominus ad Mosen, dicens.] Nomen est tetragrāmaton, quadrans mirabili operi, propter quod disponebatur iter ad mare rubrum.

Verſ. 2. Loquere filiis Israël: & reuersi.] Non erat directa reuersio, sed species quædam reuersionis, ad locum Ægypto propinquiorem eundo: & proptereà appellatur reuersio.

Castrametentur è regione Pihachiroth, quę est inter Magdalum, & inter mare, è regione Bahalsephon: in conspectu eius castra ponetis super mare.] Quia dispositionem situs nominatorum locorum nescimus, non possumus declarare, qualiter disposita erant hæc quatuor loca, relatiuè ad populum: nisi quòd populus castrametatus est inter Migdol, (quod corruptè vocatur, *Magdalum*,) & mare rubrum: & fortè alia duo loca è regione quoque se mutuò respiciebant; ita quòd mare rubrum ex vna parte, & Migdol ex opposito, quasi per longitudinem, & quasi per latitudinem, Bahalsephon hinc, & Pihachiroth inde erant: populus autem inter hæc iuxta mare.

Verſ. 3 Dicturúsque est Parho super filiis Israël: Coarctati sūt in terra.] Dictio Hebraïca *intricatos* potiùs sonat. Conclusit eos desertum, non quoad spatium loci; sed quoad commoditatem itineris.

Verſ. 4. Et indurabo cor eius, ac persequetur vos: & glorificabor in Parhone, & in omni exercitu eius: sciéntque Ægyptij, quia ego sum Dominus.] Iuxta Hebræum habetur, *quòd ego* יהוה: hoc est, quòd ego, qui vocaui vos, qui duco vos, sum supremus Deus.

Fecerúntque ita. *Verſ.* 5. Et nunciatum est Regi Ægyptiorū, quòd fugisset populus.] Sciebat Parho, quòd recessisset populus; sed nesciebat, quòd fugisset: sciebat, quòd recessisset, iturus viam trium dierum in desertum ad sacrificādum Deo, sed nesciebat, quòd iam manifestarent se fugientes: ex hoc enim, quòd declinauerant ab itinere versùs desertū, &

& iterant ad mare rubrum; præ se ferebant, quòd non in desertum ad sacrificandum Deo tenderent, sed fugerent ab Ægypto.

Conuersúmq; est cor Parhonis, & seruorũ eius ad populũ: & dixerunt: Quid voluimus facere, vt dimitteremus Israël, ne seruiret nobis?

Verſ.6. Iunxit ergo currũ suum, & populũ suum assumpsit secum: *Verſ.7.* tulitque trecẽtos currus electos, & quicquid in Ægypto currũ fuit, & duces totius exercitus] Iuxta Hebr. habetur: *Et terni super omnem eum,* videlicet, currum. Describũtur singuli currus Ægypti sic ampli, vt terni super quemlibet pugnarent: ita quòd quilibet currus habebat saltem nouem viros pugnatores; tres in parte anteriori; & tres à dextris; & tres à sinistris: sic enim verificatur, quòd terni super quemlibet eorum erant. Quibusdã autem non placet interpretatio hæc: & affirmando, quòd Hebraïca dictio à numero ternario deducitur, dicunt significari, non ternos, sed potiùs tertios, hoc est, tertij ordinis capita, seu duces: quia pluries in sacra Scriptura hoc nomen inuenitur significans Duces, seu Barones, & huiusmodi, denominatos ab ordine tertio.

Verſ. 8. Indurauitque Dominus cor Parhonis, Regis Ægypti: & persecutus est filios Israël.] Dictio interpretata, *Dominus,* est nomen tetragrammaton.

At filij Israël egressi erant in manu excelsa] Diuinum appellatur opus, *manus excelsa,* verè apparens in columna, &c.

Verſ.9. Cúmque sequerentur Ægyptij vestigia præcedentium, repererunt eos in castris super mare [a]. Omnísque equitatus, & currus Parhonis, & vniuersus exercitus erant in Piachiroth cõtra Baalsephõ. *Verſ.10.* Cúmq; appropinquasset Parho, leuantes filij Israël oculos, viderunt Ægyptios post se: & timuerunt valdè, clamauerúntque ad Dominum.] Nomen est tetragrammaton. Et quantùm subiuncta innuunt, fuit clamor vocis potiùs, quàm cordis: querula enim verba aduersùs Mosen, testantur minorem, aut nullam eorum fiduciam in diuino præsidio.

[a] Teste Iosepho, inter duo promontoria, In quorum medio vallis est Piachirot, filij Israel conclusi erant: à fronte mare habebant, à tergo Ægyptiorum castra; ita vt certam mortẽ in oculis viderent.

Verſ.11. Et dixerunt ad Mosen: Forsitan non erant sepulcra in Ægypto: ideò tulisti nos, vt moreremur in solitudine. Quid hoc facere voluisti, vt educeres nos ex Ægypto? *Verſ. 12.* Nónne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Ægypto, dicentes: Recede à nobis, vt seruiamus Ægyptiis? multò enim melius est seruire eis, quàm mori in solitudine. *Verſ.13.* Et ait Moses ad populum: Nolite timere: state, & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie.] Iuxta Hebræũ habetur: *Saluationem* יהוה, *quam faciet vobis hodie.* Non in genere, sed in specie promittit eis salutem.

Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquã vltrà videbitis vsque in sempiternum. *Verſ. 14.* Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.] Nomen est tetragrammaton: vt nulla actio subterfugiat fontem essendi.

Verſ.15. Dixítque Dominus ad Mosen.] Nomen est tetragrammaton, respondentis Mosi supplicanti.

Quid clamas ad me?] Iuxta Hebræum habetur: *Quid clamabis ad me?* De clamore cordis est sermo, supplicationem qualificantis. Et dicendo: *Quid clamabis ad me.* non diutiùs orandum censet; sed finem supplicationi imponendum, & prouidendum, vt populus proficiscatur, diuidente te mare.

Loquere filiis Israël, vt proficiscãtur: *Verſ. 16.* tu autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud, vt gradiãtur filij Israël in medio mari per siccum. *Verſ.17.* Ego autem indurabo cor Ægyptiorũ, vt persequantur vos: & glorificabor in Parhone, & in omni exercitu eius, & in curribus, & equitibus illius. *Verſ.18.* Et sciẽt Ægyptij: (qui in Ægypto manserunt:) quia ego sum Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Quòd ego* יהוה, *cùm glorificatus fuero in Parhone, & in curribus, atque in equitibus eius.* Expone, vt paulò superiùs.

Verſ. 19. Tollénsque se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israël, abiit post eos.] Nomen est אלהים. Adhuc non narrauerat Moses Angelum præcedentem populum Israël; sed columnam duntaxat. Et dicitur nũcius אלהים, eò quòd ad suauis distributionis officium exequendum, ducendo Israëlem missus fuerat: ad hoc enim exequendum mouit se, & iuit ex parte anteriore in partem posteriorẽ ad protegendum Israëlem ab Ægyptiis.

Et cum eo pariter colũna nubis priora dimittens, post tergũ, *Verſ.20.* stetit inter castra Ægyptiorũ, & castra Israël.] Iuxta Hebr. idem verbum repetitur: ita quòd quemadmodũ dictũ est: *Et mouit se Angelus.* ita dicitur: *Et mouit se colũna.* significatur enim per hoc, quòd colũna non tanquàm pulsa à vento; sed tanquã animal mouens seipsũ, profecta est ad locum inter exercitum Israël, & exercitum Parhonis. Et ex eo, quòd appellatur columna nubis, insinuatur, quòd adhuc erat dies, quando hoc gestum est: nam columna nubis die, & nocte ignis solita erat apparere.

Et erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit nubes, & obscuritas, & illuminauit noctem.* Ecce effectus Angeli, & columnæ: relatiuè siquidẽ ad Ægyptios fuit nubes caliginis, & fuit obscuritas, illuminatione cælesti suspensa quoad effectum lucendi, non absolutè, sed exercitui Parhonis: effectus autem columnæ, relatiuè ad populum Israël, duntaxat fuit illuminare noctem illam, vt iter agerent, videndo clarè viam, & se inuicem.

Ita vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere non valerent.] Iuxta Hebr. habetur: *Et non appropinquauit iste isti tota nocte.* Ecce effectus ex tenebris & caligine, impediẽtibus Ægyptios, subsecutus: quòd quãuis vterque exercitus tam vicini erant, vt essent demonstrabiles, tanquàm compræsentes, iste, & iste; tota tamen nocte non appropinquauit iste Ægyptius isti Israël, proficiscente vtroque exercitu tota illa nocte.

Verſ.21. Extendit autem Moses manum super mare: & abstulit illud Dominus.] Iuxta Hebræũ habetur: *Et duxit Iehouah mare.* Non consumptio aquarũ, sed ductio earundẽ significatur:

significatur: vt intelligamus, quòd, quéadmodum stante Iordanis flumine, tempore Iosuæ, tumuerunt aquæ in parte superiori; ita in hoc transitu, aquæ maris ad dexteram, & ad sinistrā ductæ sunt, tumescentes in latitudine hinc, & inde. Et attribuitur miraculum hoc Iehouah: vt summi Dei operatio etiam in mari contra naturam aquarum manifestetur.

Flante vento vehemente, & vrente.] Iuxta Hebræum habetur: *In vento orientali forti*. Et refertur ad clausulam sequentem:

Tota nocte, & posuit mare in siccum.] Ita, quòd ordo Literæ est: *Et posuit*, subaudi, Iehouah, *mare ad siccum in vento orientali forti, tota nocte*. Causa secunda ad exsiccandum terram, quæ fuerat sub mari, adhibita narratur, non ad diuidendum mare: nam separatio aquarum in tanta latitudine, vt vniuersam multitudinem filiorum Israël proficiscentem turmatim caperet, subitò facta est; exsiccatio autem fundi per ventum successiuè facta est.

Diuisáq; est aqua: *Vers.* 22. & ingressi sunt filij Israël per medium maris sicci: erat enim aqua quasi murus ad dexterā eorum, & læuam.] Ne intelligeretur, quòd aquæ fuerint separatæ sic, quòd hinc, & inde fuerint, quemadmodum est mare iuxta littus, manifestauit, quòd non sic fuerunt aquæ hinc, & inde; sed eleuatæ hinc, & inde, & in soliditatis formam redactæ, tanquàm muri hinc, & inde.

Vers. 23. Et persecuti sunt Ægyptij: & iuerunt post eos omnis equitatus Pharaonis, currus eius, & equites eius ad medium maris *Vers.* 24. Iámq; aduenerat vigilia matutina.] In qua maxima pars populi Israël egressa locum maris, erat in terra.

Et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum.] Nomen est tetragrammaton. Tanquàm dissimulauerit vsque ad illā horā Deus supremus, describitur, quòd respexit illa hora ad castra Ægyptiorum: quia vsque ad illam horam permisit Ægyptios persequi Israëlitas, & tunc incepit aduersus eos operari.

Per columnam ignis, & nubis.] Parui refert, quòd in Hebræo habetur, non, *per*, sed, *in colūna*: ipse enim summus Deus describitur *in columna ignis, & nubis*, animaduertens in Ægyptios. Ergo & Angelus, & ipse Deus in colūna erat cum populo Israël: vt intelligamus, Deum non sic per Angelos operari, quemadmodum Principes humani; sed ita Angelis vti, vt ipse præsens sit omnibus, & operetur tāquàm præsens, & nō tanquā absens ipse, & per ministros, seu nuncios præsens. Et aduerte, prudēs lector, quòd ex hac Litera soluitur quæstio, an duæ fuerint columnæ; altera nubis, altera ignis. Hîc enim clarè narratur, quòd vna, & cadē colūna fuit colūna ignis, & nubis: quia vtrunq; officiū actualiter tūc exercebat; ignis quidē ad illuminandum Israëlitas, nubis autē ad impediēdum, ne lux illa videretur ab Ægyptiis. Secundùm autem solitum cursum, exercebat die quidem officium nubis, nocte autem officium ignis.

Interfecit exercitū eorum.] Iuxta Hebr. habetur: *Et effecit attonitum exercitum Ægyptiorum*. Ecce prima animaduersio exterrendo, & perturbando animos Ægyptiorum; quemadmodū terremur, & attoniti reddimur ex repentè magnis periculis imminentibus.

Vers. 25. Et subuertit rotas curruum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et remouit rotam curruum eorum*. Secunda actio diuina fuit amotio rotarum ex propriis axibus: vel fortè, cuiuslibet currus vnica dūtaxat rota amota est ab axe; vt non solùm animo, sed etiam corpore turbarentur declinando. Nulla causa media in Litera narratur cōcurrens ad ambas actiones istas; sed duntaxat, quòd Deus in columna ignis, & nubis respexit, & effecit duo hæc: nonnihil enim occasionis datur, vel sumitur suspicandi actionem aliquam ex columna emanasse sensibilem, (putà, fulminationem, qua attoniti fuerunt Ægyptij, & rotæ curruum amotæ,) ex eo, quòd non Deus absolutè, sed Deus in columna ignis, & nubis describitur effector vtriusque repentini effectus.

Ferebantúrque in profundum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et egit eos in grauitate*. Remotis rotis ab axibus curruum, consequens fuit, vt loco motus progressiui mouerentur deorsum secundùm grauitatem & curruum, & personarum. Hæc prima animaduersio diuina fuit, antequàm Moses extenderet virgam ad reducendum mare.

Dixerunt ergo Ægyptij: Fugiamus Israëlem.] Ecce effectus primæ plagæ. Et dicendo, *fugiamus*, manifestant se velle redire in Ægyptū via, qua venerant: adhuc enim mare erat apertum, & ipsi erāt progredientes versùs Israëlem, quando hac plaga triplex incurrerunt malum: nā animo sunt attoniti, & corpore sunt moti deorsum, & rotas curruum amiserunt.

Dominus enim pugnat pro eis contra nos.] Nomen est tetragrammaton. Et verificatur etiam in eis, quod dixerat Deus: *Et scient Ægyptij, quòd ego Iehouah*. nunc enim confitentur, quòd non magica arte, sed ipse Iehouah est, qui pugnat pro Israëlitis contra Ægyptios. Et ex hac confessione insinuatur, quòd ex illa columna nubis, quæ erat in acie inter Israël, & Ægyptios, sensibilis actio emanabat contra Ægyptios persequentes Israëlē: alioquin non dixissent: *Fugiamus Israelem quia Iehouah pugnat pro eis contra nos*. sed putassent casu accidisse sibi huiusmodi impedimenta.

Vers. 26. Et ait Dominus ad Mosen.] Nomen est tetragrāmaton, ratione suprà dicta.

Extende manum tuam super mare: & reuertantur aquæ super Ægyptios super currus, & equites eorum.] Fugientibus Ægyptiis, præcepit Deus, vt mediante virga Mosis reuertantur aquæ in locum suum ad operiendum Ægyptios.

Vers. 27. Cúmque extendisset Moses manum suam super mare, reuersum est primo diluculo.] Pro, *in reuolutione mane*. Ita quòd à vigilia matutina, vsque ad aduentum mane, tempus fuit prioris plagæ, & consilij Ægyptiorum ad reuertendum, & initij reuersionis: oportuit enim nobiles, qui erant in curribus, habere tempus prouidendi sibi de equis, super quos equitando reuerterentur, & inferioris ordinis milites, vel pedestres, vel super equos, qui traxerant currus redire.

Ad priorem locum.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad fortitudinem suam*. Impedita siquidem fuerat diuinitùs vis naturalis aquarum maris, dum in forma muri tenerentur: & proptereà reuersum est mare ad fortitudinem suā,

quando

quando relictum est naturali fluxui naturæ propriæ.

Fugientibúsque Ægyptiis occurrerunt aquæ.] Clariùs in Hebræo habetur hæc eadem sententia, sonans, quòd Ægyptij fugiebant obuiam mari redeunti ad fortitudinem suam: ex qua sententia habetur, quòd aquæ inceperunt redire hinc, & inde, non simul, sed successiuè, inchoando ab illa maris parte, per quam ingressi erant: sic enim planus Literæ sensus verificatur, & quòd fugiebant, & quòd versùs rediens mare ibant. Et hoc etiam quadrat egressui Israëlitarum ex altera parte, vt totaliter compleretur quietè, ipsorum egressus ex mari, & interim aquæ inciperent occurrere Ægyptiis, ne euaderet aliquis eorum.

Et inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et excussit* יהוה *Ægyptios intra mare.* Quod ideò dixerim: quia nulla fit mentio fluctuum in Litera.

Vers. 28. Reuersæque sunt aquæ: & operuerunt currus, & equites totius exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec vnus quidem superfuit ex eis. *Vers.* 29. Filij autem Israël perrexerunt per medium sicci maris: & aquæ erant eis quasi pro muro à dexteris, & sinistris eorum.] Repetitur hæc sententia de filiis Israël non superfluè: sed ad significandum perseuerantiam itineris vsque ad intentum finem: (ire enim per siccum inter aquas vsque ad reuolutionem mane, commune fuit Israëlitis, & Ægyptiis: peruenire autem ad littus, proprium fuit Israëlitis:) & ad hoc insinuandum, quòd dum Ægyptij inciperent operiri aquis, Israëlitæ adhuc exibant, & aquæ erant eis tanquàm muri hinc, & inde. Ad hanc disparitatem narrandum adiungit Moses suffocationi Ægyptiorum in mari, quòd filij Israël iuerunt in sicco, & habuerunt aquas pro muris.

Vers. 30. Liberauitque Dominus in die illa Israël de manu Ægyptiorum.] Nomen est tetragrammaton.

Vers. 31. Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris.] Magna tractatur quæstio à nonnullis, de situ huius littoris, occasione tum cadauerum eiectorum à mari, tum nominis deserti: argumentantur enim nonnulli, eandem fuisse ripam maris, ad quam appulerunt filij Israël; & ripam, ex qua ingressi sunt mare: tum, quia mare eiecit mortuos ad littus propinquius submersioni; perspicuum est autem, Ægyptios velociter fugientes à vigilia matutina vsque ad mane, propinquiores fuisse littori, ex quo ingressi erant: tum, quia nomen deserti idem testificatur, nam ex Etham ingressi sunt in mare rubrum; & egressi de mari rubro per desertum Etham iuerunt, vt legitur Numer. 33. Sed si perspicaciùs considerata fuerit Litera, facilè apparet, contrarium esse verum; videlicet, quòd filij Israël in alteram ripam iuerunt: nam ex hoc, quòd Ægyptij fugientes Israëlem, iuerunt obuiam aquis; manifestatur [b], quòd Ægyptij redibant ad ripam, vnde ingressi erant; & filij Israël proprium prosequebantur iter ad alteram ripam: si enim ad eandem ripam præcessissent, non narrarentur Ægyptij fugientes Israëlem, sed sequentes.

[b] Hæc est Geographorum omnium vnanimis opinio.

Nec obstat, submersionem Ægyptiorum propinquiorem fuisse littori, vnde ingressi erant: tum, quia diuino operi attribuendum est, quòd viderunt Ægyptios mortuos in littore, in quo morabantur filij Israël. Quod miraculum oportet fateri, in quocunque littore visa fuerint huiusmodi cadauera sequenti die: quia naturaliter homo suffocatus in aquis non natat vsque ad tot dies: sed oportuit in testimonium diuinæ vindictæ, & ad perfectam securitatem Israëlitarum, vt Israëlitæ viderent Ægyptios mortuos eiectos ad littus, in quo morabantur. Tum, quia suffragatur ad huius miraculi opus causa secunda; videlicet, mare ex littore, vnde ingressi erant, fluens versùs fugientes Ægyptios: talis enim impetus pellebat Ægyptios, quos suffocabat versùs alterum littus.

Nec identitas deserti officit: quoniam expresse in Litera 13. capituli scriptum est, quòd de Etham reuertendo, venerunt ad illam ripam maris rubri, ex qua ingressi sunt mare. Et rursus ibidem dicitur, quòd Etham erat locus in extremo deserti. Ex quibus duobus colligitur, quòd desertum cognominatum ab Etham, extendebatur vsque ad alteram ripam, ad quam per medium maris venerunt filij Israël. Quod confirmatur ex eo, quòd tam vastum erat desertum Etham, vt tribus dietis ambulauerint per illud filij Israël vsque in Marah: vt scribitur in eodem capitulo Numer.

Et manum magnam, quam exercuerat Dominus contra Ægyptios.] Nomen est tetragrammaton.

Timuitque populus Dominum.] Nomen est tetragrammaton. Verè effectus diuinus in cordibus populi, vt ex visa punitione Ægyptiorum timerent summum Deum omnipotentem ad puniendum inobedientes ei.

Et crediderunt Domino, & Mosi seruo eius.] Iuxta Hebræum habetur in ablatiuo: *Crediderunt in Domino, & in Mose.* Et est sensus, quòd tunc crediderunt, certa & indubitata fide, opera vniuersa tot mirabilium, quæ in Ægypto, & vsque ad illam horam visa fuerunt, facta esse in יהוה summo Deo, & in Mose, quatenus erat seruus Dei, & non in scientia, aut arte aliqua secreta.

CAPVT XV.

VERS. 1.

TVnc cecinit.] Iuxta Hebræum habetur: *Cantabit* Et relatiuè ad, *crediderunt*, dicitur, *cantabit*. Futurus enim erat cantus, quando crediderunt.

Moses, & filij Israël carmen hoc Domino.] Nomen est tetragrammaton, quem timebant, & in quo credebant, se liberatos fuisse.

Et dixerunt: Cantemus Domino[a].] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Cantabo* יהוה. Fortè Moses solus incepit canere: & propterea dixit: *Cantabo.* vel, ad significandum vnitatem populi, dixit in singulari numero, *Cantabo* יהוה, qui dat omnibus esse, qui omnibus præsidet.

[a] Hæc carmina in chorum cantata crediderim, vt chorus choro responderet: sicut etiam in aliis locis Scripturæ legimus, vt 1.Reg.18. mósque ille peculiaris fuit Prophetis [illegible] in choreis [illegible] laudes dicebant.

Gloriosè enim magnificatus est.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia superbiendo superbiuit.*

uit. Celſitudo diuini operis in hac liberatione Iſraëlitarum, ſubmergendo Ægyptios, laudatur: verè enim in iis operibus eminenter operando ſuperauit. Nec horreas ſuperbiæ vocabulum in diuinis actionibus: quoniam Deo maximè congruit, & in ſacra Scriptura pluries inuenitur in bonum.

Equum,& aſcenſorem deiecit in mare. *Verſ.* 2. Fortitudo mea, & laus mea Dominus.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Fortitudo mea,& cantus Iah.* Et eſt nominatiui caſus, *Iah.* Nouum Dei nomen Moſes ſcribit: hactenus enim nunquam hoc nomine vſus eſt. Aiunt tamen,non eſſe nomen aliud à יהוה: ſed eſſe idem nomen per ſyncopen,conſtans ex prima,& vltima litera יהוה:& proptereà ſignificare Deum ex parte ſui eſſe.Et hoc eſt nomen,quod ponitur in fine, *Halleluiah.* Eſt itaque ſenſus literæ, quòd ipſe fons eſſendi fuit, & eſt fortitudo pugnans pro me: laudant enim, quòd experientia didicerant, Deum,ſcilicet, fuiſſe fortitudinem pugnantem pro eis: & profitentur, non ſe fortes,ſed ſuam fortitudinem eſſe Deum: relatiuè autem ad cantum, agnoſcitur Deus ratio cantus,& materia cantanda.

Et factus eſt mihi in ſalutem.] Parui refert,ſed ſæpiſſimè Interpres vtitur: *Et factum,* ſeu,*factus eſt*,pro.*& fuit*; vt in Hebræo habetur,& clarior redditur ſenſus.

Iſte Deus meus.]Iuxta Hebræum habetur: *Iſte El meus.*Nomen Dei ſumptum à fortitudine eſt: & pronomen,*iſte,* demonſtrat *Iehouah,* ſeu *Iah*,qui fuit ei in ſaluationem: & affirmantis, ac agnoſcentis ipſum in Deum fortem ipſi populo,ſunt verba.

Et glorificabo eum.] Iuxta Hebræum habetur:*Et habitabo eum.* Subintelligi poſſe dicunt præpoſitionem, & legi: *Et habitabo cum eo.*Senſus tamen vnus eſt:quia idem eſt nos habitare cum Deo,& Deum: non enim aliter habitamus ipſum,quàm exiſtentes cum ipſo mente,votis,affectibus,atque operibus.Et aptè,quia Deus eſt fortis meus,ſubditur, quòd non habitabo cum alio,ſed cum ipſo; imò ipſum, (hoc eſt,habitaculum eius,)vt ſecurus habitem.

Deus patris mei.] Iuxta Hebræum habetur:*Elohe patris mei.*

Et exaltabo eum.] Nomen eſt Dei ſumptum à iudicio. Fatentur ſe non colere nouum Deum; ſed eundem, Deum, quem coluerunt patres eorum, vt ſummum vniuerſorum Iudicem.

Verſ. 3. Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen [b] eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Iehouah vir prælij, Iehouah nomen eius.* Metaphoricè ſummus Deus appellatur vir belli, eò, quòd officium præliatoris pro filiis Iſraël exercuit aduerſùs Ægyptios.Propriè autem dicitur, quòd Iehouah eſt nomen eius: quia eſt nomen ei propriiſſimum: vtpote, qui ſolus eſt,à quo omnia,quæ ſunt, habent eſſe,& eſſe mendicant.

[b] *Nomine Domini*,eius maieſtatem & potẽtiam Scriptura intelligit; idque familiariſſimum eſt Bibliis, vt Marci vlt. *In nomine meo Dæmonia eiicient*, hoc eſt, virtute,& poteſtate mea

Verſ. 4. Currus Pharaonis,& exercitum eius proiecit in mare: electi Principes eius ſubmerſi ſunt in mari rubro [c].] A Græcis mare illud appellatum aiunt rubrum, eò quòd arena illius rubra eſt, & rubere facit mare: Hebraïcè enim non rubrum mare, ſed mare cannę nominatur,à calamis,ſeu iuncis,ſeu papyris ibi naſcentibus in magna copia.Et hoc ſufficiat pro vniuerſa ſcriptura veteris Teſtamenti circa hoc nomen.

[c] Mare rubrum, totũ illud mare eſt, quo Arabia felix lateribus [illegible] includitur, ſinibus duobus, Perſico, ſcilicet, ab oriente, Arabico ab occaſu, & à meridie: forſitan rubrum nominatum,eò quòd in ſanguinem verſum ſit cum reliquis Ægypti aquis plagarum tempore. Vocatur etiã mare Erythræũ, Quinto Curtio teſte, ab Erythræo Rege, cuius ſepulcrum in loco ab incolis oſtenditur.

Verſ. 5. Abyſſi operuerunt eos,deſcenderunt in profundum quaſi lapis. Dextera tua,Domine,magnificata eſt in fortitudine.] Iuxta Hebræum habetur: *Dextera tua* יהוה *fuit roborata in robore.* More humano Deum ſummum, tanquàm virum præliatorem laudando, alloquitur ſub ſimilitudine dexteræ robuſtæ ad debellandum.

Verſ. 6. Dextera tua, Domine,percuſſit.] Iuxta Hebræum habetur: *Franget inimicum.*Et repetitur tetragrammaton. Et futurum, *franget*,non reſpicit tempus Cantici;ſed relatiuè ad præteritum, *fuit roborata,* dicitur: nam priùs intelligitur roborata dextera; & poſteà eadem dextera frangens inimicum. Futura itaque erat fractio inimici, quum fuit roborata dextera:& proptereà verbo futuri temporis ſignificatur. Et hic loquendi modus ſacræ Scripturæ in Hebraïco familiaris eſt.

Verſ. 7. Et in multitudine gloriæ tuæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Superbia tua.* coincidit enim cum principio Cantici Eſt autem multitudo ſuperbiæ diuinæ ſecundùm multitudinem eminentium actionum intelligenda, quã ra apparuit in hoc tranſitu.

Depoſuiſti aduerſarios noſtros.] Iuxta Hebræum habetur: *Diruiſti inſurgentes in te.* Verè diruit, quando, antequàm clauderetur mare,rotas abſtulit, attonitos reddidit,& deorſum deiecit Ægyptios adhuc perſequentes populum Dei: in Deum enim inſurrexerunt potiùs, quàm in populum Iſraël, quando poſt tot miracula, póſtque mortem primogenitorum perſequi auſi ſunt vocatum à Deo populum.

Miſiſti iram tuam.] Iuxta Hebræum habetur: *Mittes iram tuam.* Relatiuè ad præteritum,*diruiſti*, profertur futurum,*mittes.*

Quæ deuorauit eos, ſicut ſtipulam.] Iuxta Hebræum habetur: *Deuorabit.* Igneam iram ſignificari, ſimilitudo vorandæ paleæ innuit: quæ fortè fuit, quum reſpexit in vigilia matutina in columna nubis, & ignis,ita quòd tunc multi Ægyptiorum conſumpti fuerint igne. Sed,quia non niſi hinc poſſumus hoc opinari potiùs,quàm affirmare, poteſt intelligi Litera hæc: *Mittes iram tuam:comedet eos,vt paleam.* Hoc eſt, vt ignis comedit paleam; ita ira tua per aquas comedet eos.

*Verſ.*8. Et in ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ.] Minùs quadrat beneficium congregationis aquarum hinc, & inde attribuere diuino furori, vt Litera ſonat: quandoquidem ex diuina benignitate id effectum eſt: & proptereà magis quadrat altera lectio.

Et in ſpiritu narium tuarum coacervatæ fuerunt aquæ.] Ventus vehemens in diuiſione aquarum commemoratur, tanquàm cauſa ſecunda ad aceruos aquarum faciendos velut aceruos manipulorum, tempore meſſis. Ad talem coaceruationem alludit Hebraïca dictio: vt intelligamus, ventum illum cooperatum fuiſſe ad pellendas aquas diuiſas in quaſi aceruos ſuper mare hinc, & inde. Meminit autem narium, alludendo ad ſpirationem, quæ per nares fit, tanquàm ventus ille fuerit emiſſus per nares Dei: ad ſignificandum,quòd vim diuinam

diuinam habuit ventus ille, quemadmodum flatus humanus humanum, & leoninus leoninum quid defert.

Stetit vnda fluens.] Plùs habetur iuxta Hebraïeum: *Fuerunt stantes, sicut aceruus colantes*; seu, *fluentes*. Miraculum explanatur, quòd aquæ, quæ suapte natura sunt colantes, seu fluẽtes, fuerunt stantes, solidæ, sicut stat aceruus rerum non fluidarum.

Congregatæ sunt abyssi in medio mari.] Iuxta Hebræum habetur: *Coagulatæ sunt abyssi in corde maris*. Hinc apparet manifestè, quòd ventus ille non solùm fuit ad exsiccandum terram; sed etiam ad coagulandum aquam hinc, & inde. Per modum itaque congelationis aquæ steterunt; tanquàm muri, & aceruí aquarum effecti sunt hinc, & inde, super mare. Et ad exaggerationem miraculi dicitur, *in corde maris*: quia coagulatio maris in superficie, & infra paruum terræ ambitum contenti, naturaliter fieri potest: sed *in corde*, hoc est, in profundo, ac medio *maris* fieri, (vt tunc accidit,) miraculum est.

Vers. 9. Dixit inimicus: Persequar, & comprehendam: diuidam spolia, implebitur anima mea: euaginabo gladium meum: interficiet eos manus mea.] Iuxta Hebræum habetur: *Faciet pauperes fieri manus mea*. Non ad occidendum Hebræos persequebantur; sed ad redigendum eos in seruitutem, vt in præcedenti capitulo scriptum est: & propterea euaginatio gladij, non ad interficiendum, sed ad spoliandum Hebræos rebus scribitur.

Vers. 10. Flauit spiritus tuus.] Iuxta Hebræum habetur: *Flasti in spiritu tuo*. Ventum interuenisse, reducendo mare ad locum suum, narratur: & quadrat, vt, quemadmodum ventus congelans hinc, & inde aquas in diuisione affuit; ita ventus liquefaciens in reductione affuerit.

Et operuit eos mare: submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. *Vers.* 11. Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui?] Iuxta Hebræum habetur: *Quis sicut tu in elim* יהוה*? quis sicut tu*? Est autem, *elim* plurale nominis *El*: & quadrat, vt hoc in loco sit nomen Deorum fortium Et congruè legitur: *Quis sicut tu in Diis Iehouah*. quasi dicat, nullus, quacunque ratione Dij appellentur.

Magnificus in sanctitate.] Iuxta Hebræum habetur: *Robustus in sanctitate*. Rationem reddit ex apparentibus, quòd nullus Deus est sicut Iehouah: tam enim homines, quàm Dij, exercendo robur suum, aliquam inquinationem incurrunt. Et homines quidem lassitudinem in corpore, & commotionem in animo saltem incurrunt. Spirituales autem substantiæ suapte natura animi commotionem, & in viribus laborem propter inclinationem corporis, quod mouent ad oppositum, patiuntur. Solus autem Deus (cui omne corpus obedit ad nutum) exercet robur suum, vtendo corporibus sensibilibus ad quodcunque vult, absque aliqua contractione immunditiæ qualiscunque: & propterea singulariter laudatur robustus in sanctitate: est enim sanctitas libera, atque perfecta munditia.

Terribilis atque laudabilis.] Iuxta Hebræum habetur: *Formidatus laudum*. Accumulat rationes, quare nullus Deus est sicut Iehouah: est enim formidatus laudum; tum, quia laudes eius sunt formidini, non solùm hominibus, sed etiam Angelis, eò quòd excedunt vires omnium laudantium. Tum, quia à laudantibus est timendus; hæc est enim differentia inter Deum, & homines, ac Angelos sine gratia, quòd Deo non placet laudari sine timore eius: (vnde & conqueritur: *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me*.) aliis autem sufficit, quòd laudentur, siue laudantes timeant eos, siue non: nihil enim aliud exigunt à laudatore, quàm laudari. Tum, quia per sola laudabilia opera timendus est: alij siquidem timentur, quia possunt nocere, siue laudabiliter, siue vituperabiliter: Deo autem proprium est per sola laudabilia opera timeri.

Faciens mirabilia.] Tertium Deo proprium adiungitur, quòd solus est factor mirabilium. Et est sermo de mirabilibus simpliciter, & absolutè, hoc est, apud omnes, tam homines, quàm Angelos: ad differentiam multorum, quæ fiunt à Dæmonibus, quæ sunt mirabilia apud homines; non autem apud Angelos videntes, quòd naturalibus viribus Dæmones illa faciunt.

Vers. 12. Extendisti manum tuam.] Ad similitudinem extensionis manus describitur operatio Dei submersiua Ægyptiorum: vt intelligamus miraculum, quòd tam facilè Deus fecit hoc, perinde ac si duntaxat extendisset manum.

Et deuorauit eos terra.] Iuxta Hebræum metaphora tangitur deglutientis: describitur enim tanquàm terræ guttur aqua: & dicitur: *Et deglutiuit eos terra*. significando id, quod primum submersi homines incurrunt; videlicet, iacere in fundo maris: non enim naturaliter natant, vsquequò crepuerit fel.

Vers. 13. Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti: & portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum.] Iuxta Hebræum eadem dictio repetitur, quæ interpretata est, *dux fuisti*: & propriè significat ducere, seu agere, quemadmodum agimus animalia, deducendo illa. Quod ideò dixerim, ne intelligatur significari, *perduxisti*; sed inchoatam ductionem ad locum sanctitatis, seu sanctuarij Dei: laudatur enim ad literam primùm, quòd Deus duxit populum, quem redemit ex Ægypto, non pecunia, sed miraculis: deinde, quòd ducatus iste fuit ad terram promissionis, vt ad terminum, quò tenditur: terra enim promissionis appellatur habitaculum sanctum Dei, eò quòd ibidem habitauerit Deus in primis Patriarchis Abraham, Isaac, & Iahacob; & habitaturum se promiserit in semine eorum.

Vers. 14. Ascenderunt populi, & irati sunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Audierunt populi, trement*. More suo summariè præmittit in genere, quæ sunt explicanda per partes. Et præteritum, *audierunt*, non refertur ad tempus Cantici, (quoniam tunc nondum audierant hunc transitum;) sed refertur ad futurum, *trement*: prophetatur enim, quòd postquàm audierint, trement.

Dolores obtinuerunt] Iuxta Hebræum habetur: *Tremor apprehendit habitatores Pelaseth*.

seth: Quod in genere proposuerat, per species exequitur inchoans à Philisthæis: Philisthæi enim propinqui erant Ægypto.

Vers. 15. Tunc conturbati sunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Tunc fuerunt attoniti Principes Edom.* Et aduerbium, *tunc*, tempus auditi & cogniti transitus per mare rubrum demonstrat.

Robustos Moab obtinuit tremor: obriguerunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Fuerunt liquefacti omnes habitatores Chenahan.* Ad similitudinem liquescentium describuntur animi Chenanæorum, quorum terra promissa erat Israëlitis, Deo operante, & prædicente imminere eis deletionem eorum.

Vers. 16. Irruat super eos formido, & pauor.] Hinc apparet prophetata fuisse antedicta, quemadmodum & hæc: quæ omnia futuri temporis sunt Indicatiui modi.

In magnitudine brachij tui.] Iuxta Hebræum habetur: *Fortitudinis tuæ.* Prophetatur enim futurus in populis timor, tam longè, quàm propè existentibus Hebræis.

Fiant immobiles.] Iuxta Hebræum habetur: *Silebunt, quasi lapis.* Non solùm intùs timor; sed in exteriori actione tantum otium, vt nec loquantur aduersùs eos, prædicitur.

Donec pertranseat populus tuus, Domine, donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.] Dictio interpretata, *Domine*, est nomen tetragrammaton. Si quæris, quare hæc non sunt adimpleta? in promptu est causa; peccatum, scilicet, populi Israël toties in Deum commissum post hoc Canticum: impediunt enim intercedentia peccata executionem prophetiæ, quæ fit secundùm præsentem iustitiam: qualis est hæc.

Vers. 17. Introduces eos, & plantabis.] Ad similitudinem plantarum tuarum facies nos radices firmare: vt quanuis inde non simus oriundi, simus tamen naturales velut plantæ.

In monte hæreditatis tuæ.] Terram promissionis à montibus denominat, eò quòd illustrior pars montana est. Et appellatur *mons hæreditatis Dei:* quia est terra electa à Deo pro habitatione populi Israël, asciti in hæredem Dei: vtpote adoptati in primogenitum, vt scribitur superiùs in quarto capitulo. Et hinc apparet ratio plantandi iure Israëlem ibi.

Firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine.] Nomen est tetragrammaton.

Sanctuarium tuum, Domine.] Legendum est: *Domine mi.* eò quòd in Hebræo habetur, *Adonai*, sonans, *Domini mei.*

Quod firmauerunt manus tuæ.] A tribus nominat terram promissionis: primùm, monte hæreditatis tuæ: deinde, firmo, seu parato habitaculo tuo: & demum sanctuarium tuum: & semper relatiuè ad Deum. Electa siquidem est terra illa pro populo hærede Dei, & in habitaculum stabile ipsius Dei: non secundùm seipsum, (qui in seipso solo habitat;) sed secundùm similitudinem effectus, pro quanto curam habet, fouet, ac protegit locum illum, perinde vt Princeps proprium habitaculum. Elegit & ibidem sanctuarium suum (hoc est, locum cultus sui) firmum, ac si manibus diuinis firmatum, seu paratum esset.

Vers. 18. Dominus regnabit in æternum, & vltrà.] Iuxta Hebræum habetur: *Iehouah regnabit in sæculum, & vsque.* Aiunt, variam esse significationem dictionis interpretatæ, *sæculum:* & propterea ad veram perpetuitatem exprimendam adiungitur, *& vsque:* infinitatem enim durationis insinuat. Et significatur ad literam, quòd regnum Dei inchoatum in populo Israël educto de Ægypto, durabit in æternum: & verificatur intelligendo per populum, non Israël secundùm carnem; sed Israël secundùm iustitiam, vt Paulus docet.

Vers. 19. Ingressus est enim equus Parhonis cum curribus, & equitibus eius mare.] Iuxta Hebræum habetur: *Quoniam ingressus est equus Parhonis in curru eius, & in equitibus eius in mare.* Et explicatur ad literam multitudo equorum trahentium currus exercitus Parhonis cum multitudine equitum.

Et reduxit super eos Dominus aquas maris. Filij autem Israël ambulauerunt per siccum in medio maris.] Explicatur in fine Cantici beneficium transitus per mare sicco vestigio, vt nec etiam maduerint calcei.

Vers. 20. Sumpsit ergo Maria Prophetissa [b].] Iuxta Hebræum, non, *Maria*, sed, *Miriam* appellata est: verùm vsus (à septuaginta Interpretibus originem habens) obtinuit, vt quæ Hebraïcè nominatur *Miriam*, à Græcis, & Latinis vocetur *Maria.* Et commendatur ex prophetiæ dono Maria, non ex diuitiis, aut nobilitate.

[b] Quòd fuerit Prophetissa cōstat Num. 12. nam dixit Maria: *Et nobis, sicut Mosi, locutus est Dominus.*

Soror Aharon tympanum in manu sua.] Quia priùs fuit soror Aharon, quàm Mosis, ideò dicitur soror Aharon, & tacetur Moses.

Egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, & choris.] Non est nomen instrumenti hoc in loco, *chorus*; sed choreas ducentium.

Vers. 21. Quibus præcinebat dicens.] Iuxta Hebræum habetur: *Et respondit eis Miriam: Cantate Domino.* Innuitur enim, quòd tot choris mulierum, tanquàm ex vna parte canentibus aliquid in diuinam laudem, Maria sola tanquàm ex altera parte canebat initium suprascripti Cantici: nec aliud mutatur, nisi quòd vbi prima dictio Cantici habet, *cantabo*; Maria dixit, *cantate.* Reliqua corrige ad verbum vt suprà.

Gloriosè enim magnificatus est: equū & ascensorem deiecit in mare. *Vers.* 22. Tulit autem Moses.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecit mouere Moses Israel de mari rubro, tanquàm dux populi.* Sed non dicitur, quoto die ab egressu maris, nec quoto die ab egressu Ægypti.

Et egressi sunt in desertum Sur.] Vt enim patet Num. 33. hoc idem est desertum Etham. Nec scimus, quare tot nominibus appelletur: fortè nomen deserti erat Etham [d], & pars aliqua denominata est à Sur: & hæc pars hîc significatur.

[d] Hinc mare rubrum, *Etham fluuij* appellatur Psalmo 74.

Ambulauerúntque tribus diebus per solitudinem: & non inueniebant aquas: *Vers.* 23. & venerunt in Marah: nec poterant bibere aquas de Marah, eò quòd essent amaræ. Vnde & congruum loco nomen imposuit, vocans illud, Marah.] Qui olim loco illi imposuerat nomen, Marah,

commendatur,

commendatur. Quod autem subditur, *id est, amaritudinem*; Interpres addidit:non enim habetur in Hebræo textu.

Vers. 24. Et murmurauit populus contra Mosen,dicens: Quid bibemus? *Vers.* 25. At ille clamauit ad Dominum.] Nomen est tetragrammaton:ad fontem enim gratiarum cordis clamore petit.

Qui ostendit ei lignum.]Iuxta Hebræum habetur: *Et docuit ipsum Iehouah lignum.*

Quod cùm misisset in aquas,in dulcedinem versæ sunt.]Dicendo,*docuit*,insinuat, quòd lignum illud naturalem habebat virtutem reddendi dulcem, aquam amaram: multitudinem enim lignorum proiectam in aquas intelligo,Hebræo more,significatā per lignum.

Ibi constituit ei præcepta atque iudicia.]Iuxta Hebræum habetur: *Ibi posuit ei statutum,& iudicium.*

Et ibi tentauit[a] ipsum,& dixit.]Duplex potest esse sensus:Alter, vt Deus dederit ibi populo aliquod præceptum cæremoniale (putà, obseruationem septimi diei,hoc est, Sabbathi,) & aliquod præceptum iudiciale. Et præceptum quidem Sabbathi ibidem datum rationabiliter dicitur:quia in sequenti capitulo commemoratur præceptum Sabbathi,& instruitur populus, vt sexta die præparent, & coquant edenda in Sabbatho. De præceptis verò iudicialibus nihil subiungitur,testificans aliquod iudiciale præceptum datum ibidē. Alter sensus est,quòd Deus vim sui præcepti,atque iudicij apposuit præceptis paternis,solitísque iudiciis in populo Israël: vt præsupponamus multa præcepta paterna ab Abrahā,Ishac,& Iahacob,tum moralia,tum cæremonialia fuisse in Israëlitis;multásque inter se habuisse regulas iudiciorū,secundùm quas permittebat Parho à propriis Iudicibus Israëlitas iudicari: rationi siquidem consentaneum est,vt hoc permiserit Parho, quod hodie permittunt Principes in regionibus,vbi aliqua natio copiosæ est multitudinis. Et hic sensus quadrat contextui:nam nullum exprimitur præceptum cuiuscunque generis in specie;sed vis tantummodo diuina in præceptis omnibus reuerenda continetur cum præmio.

[a] Crediderim in hoc tentatos fuisse,quòd aquarum amaritudine fidem eorum Dominus explorauerit: vnde statim populus murmurauit.

Quocirca hæc tria: *Et posuit præceptum,& iudicium,& ibi tentauit ipsum.* verba sunt Mosis exponentis vim subiunctorum diuinorum verborum:præponit enim,quòd subiungenda Dei verba dicta fuerunt ibidem à Deo populo Israël, ad ponendum vim præcepti,ac iudicij diuini in auditis à patribus præceptis, atque iudiciis;& ad experimento videndum, an populus magni, vel parui penderet diuinam in præceptis, ac iudiciis authoritatem. Et hoc vltimum intellige metaphoricè: nam Deus non nisi metaphoricè tentat: quia tentare nescientis est: quemadmodum enim Deus irascitur,ita & tentat pro quanto ad similitudinem tentantis operatur.

Quo autem dicendi genere,seu modo Deus allocutus est populum hac prima vice,non est scriptum. Crediderim ego, Deum per Mosen dixisse hæc verba populo, & allocutionem populi per seipsum reseruasse monti Sinaï. Moueor autem ad hoc credendum: quia,si hæc fuisset allocutio Dei per seipsum,fuisset prima, & non sine apparatu, & facta & scripta fuisset. Redacto itaque populo in libertatem,& securitatē libertatis,submersis Ægyptiis,incepit Deus per Mosen liberum iam populum monere; inchoando ab authoritate diuina in præceptis solitis, & alliciendo ad reuerentiam authoritatis diuinæ,apposito præmio.

Vers. 26. Si audieris vocem Domini Dei tui,& quod rectum est coram eo feceris, & obedieris mandatis eius, custodierísque omnia præcepta illius, cunctum languorem, quem posui in Ægypto.] Languoris, seu ægritudinis nomen testatur,quòd non de plagis Ægypti est sermo:nam in illis decem plagis nulla interuenit ægritudo, nisi in sexta ægritudo inflatorum vlcerum. De communiter itaque accidentibus ægritudinibus est sermo, à quibus quia omninò liberi tunc erant omnes Israëlitæ,dicit: *Quas posui in Ægypto.* significando, quòd in Ægypto quidem dedi illas vobis; sed non hîc. Vnde & Dauid posteà dixit de istis: *Et non erat in Tribubus eorum infirmus.*

Non inducam super te.] Ecce præmium alliciens ad seruanda mandata Dei, libertas ab ægritudinibus corporis.

Ego enim Dominus Saluator tuus.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia ego* יהוה *Medicus tuus.* Rationem reddit,& quare nunc omnes sunt liberi ab ægritudinibus habitis in Ægypto; & quare in futurum carebunt illis: ipse enim Iehouah, summus Deus,Medici officium fecit sanando: & si tanti Medici præcepta seruabunt, proculdubiò non incurrent ægritudinem aliquam.

Vers. 27. Venerunt autem in Elim,vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ:& castrametati sunt ibi iuxta aquas. Secunda est hæc mansio Israël post recessum ex mari rubro.

CAPVT XVI.

VERS. I.

PRofectíque sunt de Elim,& venit omnis multitudo filiorum Israël in desertum Sin[a]; quod est inter Elim,& Sinaï] Non immediatè venerunt ab Elim in Sin: sed media fuit castrametatio super mare rubrum, vt patet Numer.33. quæ hîc tacetur.

[a] Sin,est omnis ille eremus à mari Erythræo ad Sinaï mōtē, quanuis vnius mansionis locus frequentiùs in libris citetur. Nec adeò est rarum in Scripturis, vt locus vnus, regionis nomen, aut contrà regio loci appellationem accipiat. Est & aliud Sin, in quo Maria, Mosis soror, mortua est:sed de eo suo loco dicetur.

Quintadecima die mensis secundi postquàm egressi sunt de terra Ægypti.] Non est in Hebræo,*postquàm*,sed,*egressus*:& significatur mensis secundus egressui (hoc est, mensi egressus)de terra Ægypti:ac per hoc trigesima dies à die exitus de Ægypto.

Vers. 2. Et murmurauit omnis multitudo filiorum Israël contra Mosen, & Aharon, in solitudine.] Consumpta siquidem erant in illis triginta diebus alimenta ex Ægypto habita.

Vers. 3. Dixerúntque ad eos filij Israël: Vtinam mortui essemus per manū Domini in terra Ægypti.]Nomē est tetragrammaton.More humano naturalē mortē vocant, *mori in manu Dei*, hoc est,in operatione diuinæ dispositionis. Et nominant Deum, יהוה, profitendo,quòd à fonte essendi emanat etiā mors.

Quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate:

titate: quoniam induxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem illam fame.

Vers. 4. Dixit autem Dominus ad Mosen.] Nomen est tetragrammaton, congruum nouo riuo generandi manna.

Ecce ego pluam vobis panem de cælo [b]. Egrediatur populus, & colligat, quod sufficiat per singulos dies: vt tentem eum, vtrùm ambulet in lege mea, an non. *Vers.* 5. Die autem sexta parent, quod inferant: & sit duplum ad id, quod colligent per singulos dies] Verè suauis Deus humano more ad similitudinem tentantis, in leuioribus mandatis exercet populum, vt assuescat obedire vniuersis diuinis præceptis: ideò enim mandatur, vt dietim colligant manna, & sexto die colligant duplicatum; vt inobedientes, quum se deprehendi in crimine viderint, ex putrefactione mannæ seruati in diem alterum, & non putrefactione eiusdem seruati in diem Sabbathi, erubescant, & obedire discant.

[b] Psalmo 77. dicitur manna, panis cælorum & nubium, seu, vt alij legunt, Angelorum, eò quòd è cælo, id est, ex nubibus, opera Angelorum depluebat.

Vers. 6. Dixerúntque Moses, & Aharon ad omnes filios Israël: Vespere scietis, quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti: *Vers.* 7. & mane videbitis gloriam Domini.] Querula voce eductionem de Ægypto interserant in Mosen, & Aharon: & propterea directè ad hoc respondent, quòd hora vespertina cognoscent experimento, quòd יהוה eduxerit eos de terra Ægypti, & mane sequenti videbunt facto gloriã, seu honorẽ יהוה.

Audiui enim murmur vestrum contra Dominum.] Legendum est in tertia persona, *audiuit*. Et respondetur ad querelas eorum aduersùs ipsos, Mosen, & Aharon, ob defectum alimentorum, manifestando, quòd Deus audiuit querelas eorum contra יהוה, contra summũ Deum ducem vestrum, & non contra nos.

Nos verò quid sumus, quòd murmurastis contra nos?] Cõuincunt populũ, quòd non aduersùs eos questi sunt, ex hoc, quòd ipsi Moses, & Aharon nihil erant relatiuè ad manifesta opera interuenientia ad eductionem populi de Ægypto. Ac si apertiùs dixissent: Nos, quid sumus ad tot miracula in Ægypto facta? ad transitum per mare rubrum sicco vestigio cum submersione Pharaonis, & exercitus eius? ad columnam nubis, & ignis ducem itineris?

Vers. 8. Et dixit Moses: Dabit Dominus vobis vespere carnes edere, & mane panes in saturitate.] Postquàm responderunt querelæ, respondet Moses quæsito, promittens, quòd יהוה, qui est fons essendi, hora vespertina dabit alimentum carnis, & mane alimentum panis.

Eò quòd audierit (deest, יהוה) murmurationes vestras, quibus murmurastis contra eum. Nos enim quid sumus? Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.] Nomen est tetragrammaton. Miracula enim ipsi essendi fonti attribuuntur: quia par est, vt à fonte essendi emanet, non solùm naturæ opus, ac ordo; sed etiam quicquid supernaturaliter quandoque fit.

Vers. 9. Dixítque Moses ad Aharon: Dic vniuersæ congregationi filiorum Israël: Accedite coram Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Appropinquate faciebus* יהוה: *quoniam audiuit murmurationes vestras.* Quod ideò annotauerim, vt hinc percipiatur, quòd ante conditum tabernaculum, ante conditam arcam, erat locus aliquis deputatus Deo, non ab homine, sed ab ipso Deo: locus, videlicet, sub columna in aëre existente. Vnde ordinante Mose mandat Aharon congregationi populi, (hoc est, cœtui illorum, qui nomine totius populi loquebantur;) vt appropinquent ad facies יהוה, mandatur, vt appropinquent ad locum, supra quem erat columna nubis: in qua superiùs scriptum est esse יהוה cap. 14. Et quòd iste appelletur locus יהוה, ex eo confirmatur, quòd, postquàm factum est tabernaculum, sub columna fuit: vt inferiùs scribitur capitulo vltimo.

Vers. 10. Cúmque loqueretur Aharon ad omnem cœtum filiorum Israël.] Hinc clarè apparet, quòd non totus populus, sed cœtus aliquorum, nomine totius populi significatur. Impossibile enim est, vt Aharon alloqueretur sexcenta millia virorum. Nec in Hebræo habetur: *Cúmque loqueretur*. sed, *Et fuit sicut loqui*. Inchoatur enim hic actus gestus; narrando, quòd, quemadmodum dixit Aharon, verterunt se ad respiciendum versùs solitudinem: quod enim in vulgata editione subiungitur:

Respexerunt ad solitudinem.] iuxta Hebræum habetur: *Et verterunt se ad desertum*. ita quòd Aharon, postquàm appropinquauerat iuxta locum columnæ nubis, dixit eis, vt verterent se versùs desertum. Fortè vultus habebant versùs mare rubrum.

Et ecce gloria Domini apparuit in nube.] Parui refert, quòd potiùs honor, quã gloria significatur: claritas siquidem aliqua densa in similitudinem nubis videtur apparuisse: nõ enim dicit, in columna nubis; sed, *in nube*: vt intelligamus, non apparuisse aliquid in continua columna; sed nouam nubem ex parte deserti apparuisse, Diuinitatem præ se ferentem.

Vers. 11. Locutus est autem Dominus ad Mosen.] Nomen est tetragrammaton. Bis locutus scribitur Deus Mosi. Semel absque signo sensibili, statim quòd conquesti sunt filij Israël: & ex illa purè interna allocutione prodierunt cuncta hactenus scripta. Iterum autem post hæc allocutus est Deus Mosen in signo visibili gloriosæ nubis, eadem repetens: vt filij Israël crederent, quòd Moses diuinitùs inspiratus promittebat vespere carnes, & mane panes. Oportuit autem talem repetitionem fieri, ne incredulitas filiorum Israël impedimentum præstaret promisso miraculo.

Dicens: *Vers.* 12. Audiui murmurationes filiorũ Israël. Loquere ad eos.] Quamuis non sit scripta; proculdubiò tamen subsecuta est executio huius præcepti: quoniam obedientissimus erat Moses.

Vespere.] Iuxta Hebræum habetur: *Inter vesperas*. hoc est, inter occasum Solis, & Solem tendentem ad occasum.

Comedetis carnes, & mane saturabimini panibus: scietísque, quòd ego sum Dominus Deus vester.] Solita sunt nomina: יהוה *Elohe vester*. quæ sunt superiùs exposita. Et declaratur finis miraculorum: vt, videlicet, experimentis cognoscant, quòd ipse dux eorum, est summus Deus, qui colitur ab eis.

Vers. 13.

Vers. 14. Factum est ergo vespere: & ascendens coturnix operuit castra.] Ascēsus testatur, quòd ex inferiore regione venit tanta multitudo coturnicum, vt tegeret tantam multitudinem castrorum.

Mane quoque ros iacuit per circumitum castrorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et in mane fuit lectisternium roris in circumitu castrorum: & ascendit lectisternium roris.* Quæ ideò dixerim, vt integra Litera Hebraïca à nostratibus videatur. Narratur enim, quòd in similitudinem lecti stratus est ros circuncirca, & quòd huiusmodi roris lectisternium ascendit; hoc est, eleuatum est, resolutum in ascendentes vapores: ascendit enim velut fumus.

Cúmque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ecce super facies deserti minutum rotundum, minutum, sicut pruina super terram.* Narratur ordo; videlicet, quòd vbi ascendit, velut fumus, operimentum roris, apparuit, in superficie desertæ terræ, multitudo rerum minutarum secundùm quantitatem, & rotundarum secundùm formam; & rursus minutarum in similitudinem pruinæ super terram; hoc est, minutarum non omninò disgregatarum, sed cohærentium in similitudinem pruinæ super terram: ita quòd erant corpuscula illarum rerum non contigua, quemadmodum grana milij, seu coriandri; sed continua, tanquàm pruina: sicut videmus ad sensum huiusmodi continuitatem in hodierno manna. Quanuis ad subtilitatem huiusmodi corpusculorum referri possit similitudo: eò quòd Hebraïca dictio interpretata, *minutum*, à subtilitate sumpta est: vnde & multi interpretantur, *tenue*: vt postquàm dictum fuit, tenue rotundum, explicetur tenuitas dicendo: *Tenue, sicut pruina super terram.* quæ est valdè tenuis.

Elige, prudens lector, quod rationabilius videtur: aut potiùs vtrunque amplectere: quoniā vtraque conditio quadrat: nam & humiditas glutinum, & paruissima profunditas tenuitatem in similitudinem pruinæ præstare potuit. Nec prætereas, quòd descripto ascēsu lectisternij roris, subiuncta est demonstratio minuti rotundi dicendo, *ecce*; insinuās, non solùm ordinem, sed causam: vt intelligamus eum rore simul descendisse materiam mannæ: & primò apparuisse super terram velut lectisternium roris; deinde euaporantibus partibus subtilioribus remansisse partes terrestres cum grosso humido; quæ in formam rotundam sese colligentes, tanquàm à continente frigido proximo terræ tuendo seipsas adunatione vndique æquali, antequàm à calido dissoluerentur, constituerunt multitudinem minutorum granorum: ita quòd euaporatio partium subtiliorum fuit concausa, quòd essent, & apparerent hæc grana minuta constantia ex partibus terrestribus mixtis humido grosso: quæ priùs non nisi materialiter erant in illo quasi lectisternio roris; & propterea non apparebant: adunatio siquidem talium partium suapte natura est exsiccatiua, commiscendo benè terrestre cum humido, vt possint constituere granum solidum: & euaporatio subtilioris humidi confert ad bonam mixtionem subsistentium partium grossiorum.

Vers. 15. Quod cùm vidissent filij Israël, dixerunt adinuicem: Man hu? quod significat: Quid est hoc? ignorabant enim, quid esset.] Iuxta Hebræum habetur: *Man hu? quia non sciuerunt, quid ipsum.* Certum est, quòd, *hu*, pronomen est: sed non est certum, quid significet, *man*: alij enim munus interpretantur; sed nullos video in hoc Textu sectatores. Alij præparationem contendunt significari; dicentes *man* per syncopen dictum à *mazon*; & quòd filij Israël nescientes, quid in specie esset, dixerunt in genere præparationem, tanquàm rem præparatam à Deo. Alij ab interrogatiuo, *ma*, (hoc est, *quid*,) formatum putant: & intelligunt filios Israël interrogatiuè inter se dixisse: *Quid ipsum?* Et huic sensui multùm fauent verba subiuncta: *Quia nescierunt, quid ipsum.* ignorantia enim optima est ratio interrogandi. Et, propriè loquendo, non est ratio nominandi præparationem: quoniam nominatio præparationis ex notitia prouenit, quòd erat præparatio. Et propterea hic sensus, tanquàm literæ quadrans, (quem etiam Iosephus lib. 3. Antiquit cap. 1. sequitur) complectendus est; & putandum, quòd litera, *n*, adiuncta fuerit, tanquàm syllabica adiectio.

Quibus Moses ait Iste est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum.] Nomen est tetragrammaton. Quæstioni ignorantium, quid esset illud, respōdet Moses, quòd est panis datus à Deo; hoc est, quòd est materia, ex qua conficiendus est panis: quemadmodum diceretur de tritico, quòd est panis; quia est materia, ex qua fit panis. Vt enim explicatur Numer. 11. ex istis granis conficiebatur panis, tam assus, quàm elixus, quemadmodum fit panis ex tritico, vtroque modo coctus.

Vers. 16. Hic est sermo, quem præcepit Dominus: Colligat vnusquisque ex eo, quantùm sufficit ad vescendum, homer per singula capita: iuxta numerum animarum vestrarum, quæ habitant in tabernaculo vestro tolletis.] Incipit Moses dare præcepta habita à יהוה circa manna. Et primum præceptum fuit, vt colligerent singula homer per singula capita sui tentorij. Nihilque dicitur de sufficientia: sed Interpres, vt intellexit, transtulit, quod Hebraïcè dicitur: *Colligite ex eo vir ad os comedere sui homer ad caput.* in his enim verbis nulla sufficientiæ fit mentio; sed, quòd iuxta numerum comedentium colligantur homer. Et in testimonium diuinæ authoritatis euenit, vt quanuis dispar fuerit collectio; par tamen fuerit inuentio: nam, cùm collecta grana mensurarentur, quilibet inuenit tot homer mannæ, quot erant capita in suo tabernaculo.

V. 17. Feceruntque ita filij Israël: & collegerunt, alius plùs, alius minùs: *Vers.* 18. & mensi sunt ad mensuram homer[c]: & non habuit ampliùs, qui plùs collegerat; nec minùs reperit, qui minùs parauerat: sed singuli iuxta id, quod edere poterant, congregauerunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Quisque ad os comestionis suæ collegerunt.* hoc est iuxta singula ora comedentium collegerunt. Et nihil dicitur de sufficientia: sed sciebat Deus, quòd supputando quamlibet familiam simul, sufficiebat summa tot homer, quot erant capita: pensato eo, qui erat minoris

[c] De Gomer, seu homer, mensura, vide Budæum de asse, & partibus, fol. 141.

minoris alimenti, cum eo, qui maiori vtebatur alimento.

Vers. 19. Dixítque Moses ad eos: Nullus relinquat ex eo in mane.] Secundum præceptum fuit de tempore, vt non vltra diem seruaretur. Et in testimonium diuinæ authoritatis euenit, vt seruatum scateret vermibus, & fœteret.

Vers. 20. Qui non audierunt eum: sed dimiserunt quidam ex eis vsque mane, & scatere cœpit vermibus, & cōputruit.] Iuxta Hebræum habetur, *fœtuit*.

Et iratus est.] Intellige, ita reprehensiua.

Contra eos Moses. *Vers.* 21. Colligebant autem mane singuli, quantùm sufficere poterat ad vescendum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et collegerunt in mane in mane quisque, sicut os esus eius.* Et est sensus, quòd collegerunt singulo mane singula homer, sicut decretum erat cuilibet ori comedenti. Quod dicitur, tam hîc, quàm superiùs, ad excipiendum infantes sugentes vbera.

Quúmque incaluisset Sol, liquefiebat.] Mirum valdè est, quòd non sustineret calorem Solis excellentem; & sustineret, tum calorem ignis, tum molam, & pilum, vt Numer. 11. explicatur. Nonnulla tamen humana ratio suffragatur: vt, quemadmodum ouum, quandiu est in loco suæ generationis, tenellum habet corticem, qui statim genito ouo exsiccatur, & fit durus; ita proportionaliter grana illa in loco, in quo formata erant, obnoxia erant liquefactioni; segregata autem durescebant adeò, vt non essent ampliùs liquescentis naturæ: ita quòd, quemadmodum sustinebant posteà ignem, sustinuissent etiam Solem, si fuissent iterum expositæ Soli.

Vers. 22. In die autem sexto collegerunt cibos duplices; id est, duo homer per singulos homines.] Superfluit, *id est*: & intellige, collegerunt, non ex intentione, sed euētu: hoc est, quòd quum collecta grana mensurarent, quilibet inuenit duo homer per singula capita: cùm soliti fuissent inuenire singula homer per singula capita. Et hoc fuit alterum miraculum circa tempus statutum à Deo; videlicet, quòd die sexto esset dupla annona.

Venerunt autem omnes Principes multitudinis: & narrauerunt Mosi.] Visa nouitas mouit Principes, vt consulerent Mosen, quid facto opus esset.

Vers. 23. Qui ait eis: Hoc est, quod locutus est Dominus.] Manifestat eis Moses, quòd ista duplicatio manauit ab ipso Iehouah, propter obseruantiam debitam diei septimo.

Requies Sabbathi sanctificata est Domino cras.] Iuxta Hebræum habetur: *Requies requies sanctitatis Iehouah cras.* Penuria vocabulorum coëgit ad bis scribendum, *requies*: dictio enim secunda apud Hebræos significat requiem: prima autem significat plusquàm requiem. Et est constructio appositiua: & Iehouah est casus datiui. Et est sensus, ac ordo Literæ, quòd cras est summa requies; vtpote, *requies sanctitatis*, fonti essendi dicata. Et dicitur, *requies sanctitatis*, hoc est, perfectę, & liberę munditiæ ab operibus: pingit siquidem sanctitatem debitam diei septimo à maxima quiete, à munditia, ab operibus, à dicatione Deo, qui dedit omnibus esse.

Quodcunque operandum est, facite; & quæ coquenda sunt, coquite.] Iuxta Hebræum habetur: *Quod coquetis, coquite; & quod lixabitis, lixate.* Nihil de operibus præcipitur; sed de duplicato manna decernitur, vt quod assandum est, illo sexto die assetur; & quod lixandum est, illo sexto die lixetur.

Quicquid autem reliquum fuerit, reponite vsque in mane.] Secundum Literæ planum contextum mandatur, quòd, quicquid non erit coquendum, reseruetur in diem crastinum. Et hic sensus proculdubiò est intentus ad Literam: quia ad manifestandum diuinæ authoritatis testimonium, reseruabatur manna in diē Sabbathi: ad manifestādum, inquam, quòd seruatum in crastinum quolibet alio die putresceret, & fœteret; Sabbatho autem in sua perfectione perseueraret: hoc enim testimoniū nō fuisset exhibitum integrè, nisi manna in propria forma (non molitum, nō pilo tusum, non quouis modo coctum) fuisset seruatum in diem Sabbathi.

Vers. 24. Fecerúntque ita, vt præceperat Moses: & non computruit, (pro, *fœtuit*) neque vermis inuentus est in eo. *Vers.* 25. Dixítque Moses: Comedite illud hodie.] Mane Sabbathi comperta integritate seruati mannæ, dixit hæc verba Moses. Et dicendo, *comedite ipsum*, omnia simul significauit officia opportuna ad præparandum illud, vt comederetur. Adhuc enim non erat indicta tam arcta obseruatio Sabbathi: sed seruabatur tunc Sabbathum, quemadmodum alij dies festi postmodum præcepti sunt in lege; cum licita, videlicet, præparatione alimentorum.

Quia Sabbathum est Domino, non inuenietur hodie in agro.] Nomen est tetragrammaton. Rationem reddit, quare illo die non inueniretur manna in terra, ex hoc, quòd ille dies est requies summo Deo; hoc est, dies dicata summo Deo, in memoriam perfectæ creationis mundi, ipso vt quiescendo commemorent quietem Dei à creando mundum.

Vers. 26. Sex diebus colligite: in die autem septimo Sabbathum est Domino: ideò non inuenietur.] Tertium præceptum circa manna promulgatur. Et ratio præcepti subiungitur: quia septima dies est requies dicata fonti essendi: & propterea quiescere debent à collectione mannæ: in cuius præcepti testimonium prædicit, quòd die septimo non inuenietur manna in campo.

Vers. 27. Venit septima dies: & egressi de populo, vt colligerent, non inuenerunt.] Manifestum diuini miraculi testimoniū erat, nulla die Sabbathi inueniri manna in campo, & reliquis omnibus diebus inueniri.

Vers. 28. Dixit autem Dominus ad Mosen.] Nomen est tetragrammaton, ad significandum, quòd ipsi summo Deo cura est, quòd obseruentur dies festi ei dicati.

Vsquequò non vultis custodire mandata mea, & legem meam?] Ratio, quare displicet Deo violatio Sabbathi, redditur inobedientia diuinæ legis: vt intelligamus, non secundùm se, sed ratione diuinæ legis requiem Sabbathi seruandam.

Vers. 29. Videte, quòd Dominus.] Nomen est tetragrammaton.

Dederit vobis Sabbathum: & propter hoc tribuerit vobis die sexto cibos duplices.]

duplices.] Ipse summus Deus Mosen alloquitur de seipso Deo in tertia persona. Et ratio nō colligendi die septimo, redditur ex alio præcepto; videlicet, Sabbathi instituti ab ipso fonte essendi. Et quidem, quòd Deus dederit Sabbathum filiis Israël, Deus ipse hîc commemorat: quando autem dederit, incertum est. Rationi consentaneum est, vt per partes illud eis dederit; non tamen cum tam arcto vinculo cessandi ab omni opere. Et dicit, *dedit vobis*; vt in populi beneficium institutum agnoscatur. Et apponitur testimonium diuinæ institutionis Sabbathi, ex hoc, quòd sexta die tribuit panem duplicatum.

Maneat vnusquisque apud semetipsum: & nullus egrediatur de loco suo die septimo.] Intellige hoc præceptum sobriè; hoc est, non de egressu è domo, (non enim tabernaculum pro carcere erat illis die Sabbathi;) sed egressu ad opus, quasi collecturus esset manna.

Vers. 30. Et sabbathizauit.] Hoc est, & requieuit obediendo diuino mandato.

Populus in die septimo: *Vers.* 31. appellauitque domus Israël nomen eius, Man.] Interrogationis nota versa est in nomen, adiuncta vna litera, tanquàm syllabica adiectione.

Quod erat quasi semen coriandri.] Tum quantitate, tum figura.

Album.] Ecce color.

Gustúsque eius quasi simile cum melle.] Iuxta Hebræum habetur: *Fritila in melle.* Ecce sapor constat ex tribus; ex sapore panis, ex sapore olei, (vtriusque enim complectitur fritila,) & ex sapore mellis: ex quibus resultabat valdè suauis gustatio, quemadmodum suauis est gustus fritilæ, adhibito melle, vt experientia testatur.

Vers. 32. Dixit autem Moses: Iste est sermo, quem præcepit Dominus: Imple homer ex eo, & custodiatur in generationes vestras: vt nouerint panem, quo alui vos in solitudine, quando educti estis de terra Ægypti.] Intellige hoc præceptum Iehouah non tunc promulgatum in deserto Sin; sed postquàm perfectum est tabernaculum cum Arca Domini. More siquidem suo Moses complere intendit præcepta data circa manna. Et propterea narrat hîc præceptum seruandi manna in perpetuas generationes.

Vers. 33. Dixítque Moses ad Aharon: Sume vas vnum: & mitte ibi Man, quantùm potest capere homer: & repone coram Domino ad seruandum in generationes vestras.] Nomen est tetragrammaton. Et idem nomen subditur, referendo præceptum Domini ad Mosen.

Vers. 34. Sicut præceperat Dominus Mosi, posuit illud Aharon in tabernaculo reseruandum.] Iuxta Hebræum habetur: *Faciebus testificationis ad custodiam.* Quod priùs dixerat, *coram Iehouah ad custodiam*, modò exponit executioni mandatum, locando phialam auream plenam manna ante Arcam testimonij.

Vers. 35. Filij autem Israël manducauerunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem.] Hinc apparet, quod diximus; videlicet, Mosen assumpsisse prouinciam scribendi in hoc capitulo, quæ erāt scribenda de manna: scribit enim hîc vsque ad quadragesimum annum continuè, subsecuta circa manna.

Hoc cibo aliti sunt, vsquequò tangerent fines terræ Chenahan.] Non potuit plùs rei gestæ scribere: quia ipse mortuus est, antequàm populus transiret Iordanem. Sed Iehouah cap. 5. scribitur, quòd etiam post trāsitū Iordanis vescebantur manna, vsque ad tēpus nouarū frugum; ita quòd vsque ad Pascha aliti sunt manna post transitum Iordanis.

Vers. 36. Gomer autem decima pars est Ephi] Legendum esset, *homer*; & *epha*: & sunt nomina mensurarum incertæ nobis quantitatis. Sunt autem mensuræ non pondere, sed capacitate; non liquidorū, sed solidorum; quemadmodum modius, & similes mensuræ.

CAPVT XVII.

IGitur profecta omnis multitudo filiorum Israël de deserto Sin per mansiones suas.] Parui refert, quòd in Hebræo motiones significantur. Et narratur per hoc, quòd de deserto Sin non immediatè venerunt in Rephidim; sed pluribus intermediis motionibus, seu mansionibus: vt enim patet Numer. 33. duæ mediæ mansiones fuerunt inter desertum Sin, & Rephidim. VERS. 1.

Iuxta sermonem Domini.] Nomen est tetragrammaton. Et cùm multifariam, multísq; modis loquatur Deus, modus loquēdi in proposito erat ipse motus colūnæ: per quietē siquidem columnæ dicebat Deus populo, vt quiescerent: per motum autē, & iter colūnę, dicebat, vt mouerentur, & sequerentur colūnam.

Castrametati sunt in Rephidim [a]: vbi non erat aqua ad bibendum populo. *Vers.* 2. Qui iurgatus contra Mosen, ait: Da nobis aquam ad bibendum. Quibus iratus Moses ait: Cur iurgamini contra me: & cur tentatis Dominum?] Nomen est tetragrammaton. Duo mala commisit hîc populus: alterum iurgij aduersùs Mosen: alterum tentationis aduersùs Deum, dicendo, (vt inferiùs explicatur:) *Estne Deus in nobis, an non?* Et propterea Moses hæc audiens, arguit eos: *Cur tentatis summum Deum?* Verè enim tentabant, vertendo in dubium propter penuriam aquæ, vtrùm Deus esset gubernator eorum, & exigendo notitiam huius dubij, tanquàm debitam experimento prouisionis aquę: debebant enim visis tot miraculis, humiliter, & confidenter recurrere ad Deum supplicibus precibus, vt daret eis aquam.

[a] Raphadin, vndecima mansio, iuxta montē Dei Oreb erat, ad occasum.

Vers. 3. Sitiuit ergo ibi populus pro aquis: & murmurauit contra Mosen, dicens: Cur fecisti nos exire de Ægypto, vt occideres nos, & liberos nostros, ac iumenta siti? *Vers.* 4. Clamauit autem Moses ad Dominum, dicens.] Nomen est tetragrammaton. Non simpliciter supplicauit; sed adhibito cordis clamore: vt ex toto animo orasse intelligatur.

Quid faciam populo huic? Adhuc paululùm, & lapidabit me. *Vers.* 5. Et ait

Dominus ad Mosen.] Fons essendi etiam hîc nominatur ad largiendam aquam.

Antecede populum.] Iuxta Hebræum habetur: *Transi coram populo hoc.*

Et sume tecum de senioribus Israël, & virgam, qua percussisti fluuium, tolle in manu tua, & vade.] Dixerat Moses: *Adhuc paululũ, & lapidabunt me.* respondet Deus: Ne timeas: transi per medium populi. hoc enim sonat Hebraïca dictio: *Transi faciebus populi.* hoc est, inter facies hinc, & inde, populi: *adiunctis tecum senioribus, & assumpta virga diuina.*

Vers.6. En ego stabo coram te ibi.] Demonstrantis est locum; & promittentis propriã præsentiam secundùm operationem fœcundã ad producendum ibi aquam, ad similitudinem viri stantis ibi, parati ad percussionem à Mose efficiendam emittere clausas aquas.

Supra petram Oreb.] Iuxta Hebræum habetur: *Supra petram in Choreb.*

Percutiésque petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus.] Quia nescimus Choreb, nisi montem Oreb communiter appellatum; ideò rupes hæc in Choreb intelligenda est, & non Rephidim: erat enim vicinus mons Choreb loco Rephidim; vt patet ex eo, quòd immediatè ex Rephidim iuerunt in solitudinem Sinaï. Et quidem, quòd rupes hæc distaret, Litera testatur, narrando, quòd Deus misit Mosen dicendo: *Vade tu cum senioribus per mediũm populi transeundo.* Et quia Moses percussit saxum illud, non coram populo, sed coram senioribus; credibile est, quòd rupes ista fuerit vicinior loco Rephidim, quàm mons Choreb: sed, quia erat in territorio denominato à monte Choreb, ideò nuncupatur petra in Choreb: non enim solus mons nominatur Choreb; sed etiam solitudo annexa denominatur à Choreb. Et sic iudicio meo intelligenda est Litera hæc: ita quòd aqua ex illa rupe fluxit versùs Rephidim ad commoditatem Israëlis: Dei enim perfecta sunt opera.

Fecitque Moses ita coram senioribus Israël.] Non coram populo; nam populus non est motus de loco castrorum: sed Moses cum senioribus duntaxat iuit ad locum sibi monstratum à Deo.

Vers.7. Et vocauit nomen loci illius, tentatio.] Deficit, *& iurgium.* Et vtriusque nominis ratio subiungitur præpostero ordine.

Propter iurgium filiorum Israël, & quia tentauerunt [b] Dominum.] Nomen est tetragrammaton, dicentes: *Estne Dominus in nobis, an non?* Parui refert, quòd in Hebræo habetur: *In prope nos.* quoniam sensus in idem redit: loquuntur enim ad similitudinem humani Principis, an Iehouah sit prope eos gubernando, & prouidendo. Aduerte hîc, quòd ista *aqua* [c] *tentationis & iurgij*, non est illa aqua, quæ vocatur *aqua contradictionis*, in qua Moses, & Aharon peccauerunt; vt patet ex temporum differentia: nam hæc fuit in mansione vndecima apud Rephidim; illa commemoratur in mansione trigesimatertia in deserto Sin apud Cades: hæc fuit, antequàm populus iret ad Sinaï; illa post perfectum tabernaculum. Lege cap. 20. Numer. & confer cum isto, habita ratione supputationis scriptæ Numer. 33. cap. & inuenies sic esse, vt dicimus.

[b] Tentare Deum, hoc loco nonnulli accipiunt pro exasperare, & irritare.

[c] Sunt qui dicant, sæpius Mosen aquas ex petra populo dedisse, cùm necessitas exigeret: quod confirmant ex dicto Pauli 1 Corinth.10. *Bibebãt consequente eos petra.*

Vers. 8. Venit autem Hamalec, & pugnabat cõtra Israël in Rephidim.] Nõ est vertendum in dubium, Hamalecitam populum originem habuisse ab Hamalec, nepote Hesaü, vt scribitur Genes.36.

Vers.9. Dixítque Moses ad Iehosuah.] Hic est, qui posteà introduxit populum in terram promissionis: & erat de Tribu Ephraïm.

Elige viros, & egressus pugna contra Hamalec. Cras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea. *Vers.* 10. Fecit Iehosuah, vt locutus erat Moses; & pugnauit contra Hamalec. Moses autem, & Aharon, & Chur ascẽderunt super verticem collis.] Creditur, quòd iste Chur fuit maritus Miriam, sororis Aharon, & Mosis, attestante hoc Iosepho.

Vers.11. Quúmque leuaret Moses manus [d], vincebat Israël: quum autem demittebat, superabat Hamalec. *Vers.12.* Manus autem Mosis erant graues. Sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eũ, in quo sedit.] Grauitas manuum narratur: sed totius corporis grauitas insinuatur ex supposito lapide pro subsellio.

Aharon autem, & Chur sustentabant manus eius ex vtraque parte.] Iuxta Hebræum habetur: *In manibus eius, hinc vnus, & hinc vnus.* Et quamuis manus illorum potiùs, quàm Mosis significari appareat; de manibus tamen Mosis intellige. Et quia virgam Dei Moses in manu tenebat, non irrationabiliter creditur, quòd manus eleuatas habebat sic, quòd inter vtranque volam virgam teneret, extensis manibus versùs cælum.

[d] Sicut eleuatio clypei Iosuë contra ciuitatem Hai mysterium fuit; nam Dominus disposuerat, mediantibus signis illis sensibilibus, victoriam dare populo suo, vt ipse Deus author victoriæ manifestaretur: sic de hac eleuatione manuum Mosis intelligamus, vt quemadmodum Iosuë lancea, versus Hai, signum erat diuinum diuinæ pugnæ contra ciuitatem; sic & Mosis manus ad cælum extensæ pugnam Dei contra Amalechitas significabant.

Et factum est, vt manus ipsius non lassarentur vsque ad occasum Solis. *Vers.* 13. Fugauitque Iehosuah Hamalec, & populum eius, in ore gladij. *Vers.14.* Dixit autem Dominus ad Mosen.] Nomen est tetragrammaton: & etiam cura scribendi libros fonti essendi attribuitur.

Scribe hoc ob monimentum in libro: & trade in auribus Iehosuah.] Rem gestam scribi iubet ad perpetuam rei memoriam, vt discant posteri, diuinam opem sic affuturam illis; intercedente, videlicet, assidua supplicatione, & cooperãte, quantùm in se est, populo. Futurã autẽ vindictã exercendam in Hamalecitas iubet poni in auribus Iehosuah Ducis exercitus: vt intelligatur, quòd in cuiusq; succedentis Ducis auribus sonare debet hæc exercenda vindicta, quum facultas aderit: ob cuius mandati obedientiam Samuël, quum Saülem Regem vidit potentem, insinuauit illi hoc diuinum mandatum, vt scribitur 1. Regum 15.

Delebo enim (legendum est, *quòd delebo*) memoriam Hamalec sub cælo.] Explicatur enim sententia ponenda in auribus Iehosuah; scilicet, quòd delendo delebo memoriam Hamalec.

Vers.15. Ædificauitque Moses altare.] Hoc est primum altare ædificatum à Mose. Et quia altare suapte natura est ad sacrificandum, insinuatur, quòd ibidem obtulit sacrificium Deo pro gratiarum actione, superatis Hamalecitis.

Et vocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea.] Nomen est tetragrammatõ. Nec incommunicabile nomen Iehouah lapidibus

dibus

dibus communicauit Moses; sed cognominauit altare à Iehouah exaltatore suo: quod religionis opus est. Non enim altaria ipsa fatemur esse Deum; sed Deo dicata, ratione diuersorum beneficiorum: & propterea ab ipso Deo, quatenus talis beneficij est actor, nominatur; hoc est, denominatur, cognominatur, &c.

Dicens, *Vers.* 16. quia manus solius Domini & bellum Dei erit.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia manus super thronum Iah; bellum Iehouah in Hamalec, à generatione in generationem.* Et est genitiui casus, *Iah*; *Iehouah* autem datiui. Et est sensus: quia manus diuina iurans super sedem ipsius Dei; ideò bellum Deo aduersùs Hamalec erit à generatione in generationem [c]; hoc est, nulla obliuione postergandum. Narratur enim causa omninò futuri belli contra Hamalecitas: diuinum iuramentum ad similitudinem Regis extendentis manum ad iurandum super solium regni sui; hoc est, non super solium corporeum, sed super quietem sui regni: quietè enim regnare charissimum est cuilibet Regi. Et significatur immobilitas diuinæ voluntatis circa hoc periuramentum, non quòd Deus propriè iuret. Differentia autem inter *Iah*, & *Iehouah*, dicta est.

[c] Id adimpletum fuit post annos circiter quadringentos.

CAPVT XVIII.

VERS. 1.

CVúmque audisset Ietro.] Legendum esset, *Ithro*. Et est illemet, qui in cap. 2. appellatus est, *Rehuel*.

Sacerdos [a] Midian, cognatus Mosis.] Iuxta Hebræum habetur, *socer Mosis*. Et similiter corrige in toto hoc capitulo, quotiens repetitur, *cognatus*.

[a] Apud antiquos mos erat, vt qui Magistratibus, & reip. præerat, fungeretur sacerdotio.

Omnia, quæ fecerat Dominus Mosi, & Israël populo suo, (quòd eduxit Dominus Israël de Ægypto.) *Vers.* 2. tulit Siphoram, vxorem Mosis, quam remiserat.] Iuxta Hebræum habetur, *post missiones eius*. Quando Moses remiserit vxorem, & filios in domum patris, non est scriptum: & propterea nunc primò Scriptura meminit huius missionis.

Vers. 3. Et duos filios eius; quorũ vnus vocabatur Gersom; dicente patre: Aduena fui in terra aliena. *Vers.* 4. Alter verò Elihezer.] Similiter non est scriptum, quando, aut vbi natus est secundus filius Mosis: nam superiùs in cap. 2. primi tantùm fit mentio. Quę autem in vulgata editione habentur ibi de secundo filio, adiectitia sunt, & hinc illuc translata.

Deus enim, ait, patris mei, adiutor meus; & eruit me de gladio Parhonis.] Nomen est *Elohe*. Deum Abraham, & Ishac, & Iahacob appellauit Moses *Elohe patris mei*; hoc est, Deum veneratum à patribus suis, vt Iudicem vniuersalem.

Vers. 5. Venit ergo Ithro, cognatus Mosis, & filij eius, & vxor eius ad Mosen in desertum, vbi erat castrametatus iuxta montem [b] Dei.] Iuxta Hebræum habetur ibi, *mons Elohim*. Hinc habetur, quòd non in Rephidim existente Mose venit socer eius; sed, postquàm castrametatus est iuxta montẽ Sinaï. Expressè enim describitur locus castrorũ iuxta montẽ Dei, quem perspicuum est esse montẽ Sinaï. Et, quia Moses prænarrabat rẽ pòst gestam; ideò descripsit locum, ne erraretur; sed ex eo loco intelligeretur, quod prænarrabat. Et hoc clarè patet ex 1. cap. Deuter. in quo Moses refert se instituisse subiunctos hîc Iudices, postquàm in monte Sinaï lex data est. Et appellat montem Elohim, eò quòd ibi Deus legislator manifestatus est.

[b] *Montem Dei*, hoc est, magnum montẽ intelligit, idiotismo Hebræo. Sic *exercitus Dei*, *Paradisus Dei*, *viros Dei*, & *cedros Dei*, Scriptura nominat, significare volens magna, eximia, & insignia esse, quæ sic vocauerit.

Vers. 6. Et mandauit Mosi, dicens: Ego cognatus tuus Ithro venio ad te; & vxor tua, & duo filij tui cum ea.] Quanuis Hebraicè loco, *mandauit*, habeatur, *& dixit*; sensũ tamen optimè Interpres reddidit: quia non per seipsũ, sed per nũcium dixit, cùm vicinus esset castris: vt patet ex hoc, quòd Moses, auditis his verbis, iuit obuiã illi ad honorandum socerum.

Vers. 7. Qui egressus in occursum cognati sui, adorauit.] Honorationem incuruando se intellige.

Et osculatus est eum: salutauerúntque se mutuò verbis pacificis. Qúmque intrassent tentorium, *Vers.* 8. narrauit Moses cognato suo cuncta, quæ fecerat Deus Parhoni, & Ægyptiis, propter Israël.] Nomen est tetragrãmaton: & idem nomen repetitur subiungendo: *Liberauit eos Dominus*. & rursus: *Quæ fecerat Dominus*. cuncta enim attribuuntur fonti essendi: quia eius est esse fontem gratiarum.

Vniuersum laborem, qui accidisset eis in itinere: & liberauit eos Dominus. *Vers.* 9. Lætatúsque est Ithro super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Israëli, quòd eruisset eũ de manu Ægyptiorũ: *Vers.* 10. & ait: Benedictus Dominus.] Nomen est tetragrammaton.

Qui liberauit vos de manu Ægyptiorum, & de manu Parhonis.] Profitetur, & laudat Sacerdos externus, *Iehouah*; hoc est, sũmum Deum contulisse beneficia hæc populo Israël.

Qui eruit populum suum de manu Ægypti.] Non est repetitio: sed deficiens est vulgata editio. Legendum est: *De sub manu Ægypti*. Priùs enim commemorauerat beneficium ereptionis à persecutione Ægyptiorũ, & Parhonis: modò autem commemorat beneficium liberationis à seruitute Ægypti.

Vers. 11. Nunc cognoui, quia magnus Dominus super omnes Deos.] Iuxta Heb. habetur: *Quòd magnus Iehouah præ omnibus Elohim*. Non solùm benefactorem hominibus, sed etiam excellentem, ac superiorem omnibus vocatis Diis profitetur iam notum Iehouah.

Eò quòd superbè egerit contra illos.] Iuxta Hebr. habetur: *Quia in re, quã impiè egerunt super ipsos*. Dictio interpretata, *impiè egerunt*, peius significat; videlicet, studiosè impietatẽ exercere. Et est sensus: Quia in illa re, qua studiosè vsi sunt Ægyptij ad impiè necandos Hebræos, Deus puniuit ipsos. Per aquam enim voluerunt perdere Hebræos; & aquam Deus vertit super ipsos.

Vers. 12. Obtulit ergo.] Iuxta Hebr. habetur: *Et cœpit Ithro cognatus Mosis holocausta, & hostias Deo*. Ex eo tamen, quòd non dicitur, quòd animalia dederit in holocausta, & sacrificia; sed quòd cœpit holocausta, & sacrificia ipsi Elohim, supremo, & vniuersali Iudici, qui tot

iudicia exercuit in Pathonem, & Ægyptios; significatur, quòd ipse socer Mosis, Sacerdotis officio vsus fuerit: sic enim, propriè loquendo, ipsa holocausta, & sacrificia cœpisse verificatur, quatenus holocausta, & sacrificia immolanda. Et quadrat, vt Sacerdoti detulerint: & quòd res gesta fuerit ante vnctionem Aharon in Sacerdotem, ante constitutionẽ tabernaculi, & Arcæ Domini: non enim posteà admisissent, vel permisissent externum Sacerdotem immolare Domino coram tabernaculo Domini.

Venerúntque Aharon, & omnes seniores Israël, vt comederent panem cũ eo.] Non interfuit Aharon, vt sacrificaret; sed vt conuiua.

Coram Domino [c].] Nomen est Elohim, congruum rationi sacri conuiuij in gratiarum actione pro diuinis iudiciis in Ægyptios pro Israële.

[c] *Coram Domino*, perinde est, ac prope locum sacrificij. Comederunt igitur, & læti sunt: nam pars victimarum olim in sacrificio comburebatur: reliqua epulabantur sacrificantes, ex gentium consuetudine.

Vers. 13. Altera autem die sedit Moses, vt iudicaret populũ: qui assistebat Mosi de mane vsque ad vesperã. *Vers.* 14. Cùm vidisset autem cognatus Mosis omnia, quæ agebat in populo, ait: Quid est hoc, quod facis in plebe? Cur solus sedes, & omnis populus præstolatur de mane vsque ad vesperam? *Vers.* 15. Cui respondit Moses: Venit ad me populus, quærens sententiam Dei.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad quærendum* אלהים. Sed sensum optimè exposuit Interpres: quoniam non aliter quærebãt Deum, veniendo ad Mosen, quàm quærendo sententiam Dei, quatenus Iudex est.

Vers. 16. Quum accidit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me, vt iudicem inter eos; & ostendam eis præcepta Dei, & leges eius.] Nomen est, *Elohim*: quoniam de præceptis Dei, quatenus ius dicit, est sermo. Et parui refert, quòd iuxta Hebraïcum habetur futurum Indicatiui: *Et iudicabo, & faciam scire præcepta Elohim.*

Vers. 17. At ille: Non bonam, inquit, rem facis.] Quia erat minùs vtilis populo, & valdè laboriosa Mosi.

Vers. 18. Stulto labore consumeris, & tu, & populus iste.] Iuxta Hebr. habetur: *Cadendo cades etiam tu, etiam populus iste, qui tecum est.* hoc est, nimia lassitudine succumbes, tam tu, quàm populus.

Vltrà vires tuas est negotiũ: solus illud nõ poteris sustinere: *Vers.* 19. sed audi verba mea atque consilia: & erit Dominus tecum.] Nomen est אלהים. Vt consilium suũ authoret, dicit, quòd complectendo illud, non recedet à via summi Iudicis; sed ipse summus Iudex Deus erit cum eo: vtpote, cui placent cõsilia suauis ordinis secundùm rectam rationẽ.

Esto tu populo in iis, quæ ad Deum pertinent.] Iuxta Hebræum habetur: *Sis tu populo frons Elohim.* Et est genitiui casus, *Elohim*; hoc est, Esto tu populo vice Dei, summi Iudicis. Fungi enim officio frontis Elohim, nihil aliud est, quàm fungi officio Dei summi Iudicis; quàm personalem præsentiam in iudiciis exhibere, quando frons (hoc est, apparentia) summi Iudicis exigitur.

Vt referas, quę dicuntur ad eum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et adduces tu verba ad Elohim.* Vtrunque officium (videlicet, quæ sunt personæ Dei ad populum, & quæ sunt populi ad Deum) consulit exercendum Mosi, vt vtrinque sit medius inter Deum, & populum. Intellige hoc secundum per modum consultationis: vt, scilicet, dubitante populo de aliquo, ipse Moses supplex consulat, quid decernit Deus summus Iudex.

Vers. 20. Ostendásque populo cæremonias, & ritum colendi, viámque, per quã ingredi debeant, & opus, quod facere debeant.] Expositio est primi: quòd, videlicet, vice Dei tria exerceat in populo. Primum est, promulgare eis statuta, & leges. Secundum est, manifestare eis viam secundùm statuta, & leges, qua progredi debent, tam credendo, sperando, & amando; quàm reuerendo, adorando, colendo, &c. quæ religionis sunt communia populo. Tertium est, manifestare eis opera, quę debent facere: ac per hoc opera, quæ debent non facere. Quibus posteà addit quartum; videlicet, iudicium maiorum causarum duntaxat, institutis diuersorum graduum Iudicibus super minores causas.

Vers. 21. Prouide autem de omni plebe viros sapientes.] Viros, inquit, non mulieres: quoniam regimen mulieris pessimum est, adeò vt, secundùm naturæ cursum communem loquendo, nulla in muliere affirmetur virtus 7. Ethicorum. Dictio autem interpretata, *sapientes*, valdè varios sortita est Interpretes: nam alij potentes, alij fortes, alij virtutis, alij nobiles interpretantur: nihil autem propiùs ad propositum accedit, quàm *sapientes*. Non tamẽ sapientes significat: sed propriè significat viros valentes, seu valoris, quos vulgari Italico dicimus, *valenti huomini*. Et etiam apud Hebræos hæc nuncupatio communis, tam valentibus ingenio, seu arte aliqua, quàm valentibus viribus, & armis est. Vnde & Parho dixit Ioseph, quòd si fratres eius essent viri valoris, constitueret super pecora ipsius Parhonis. Et in vlt. cap. Iudicum, eadem appellatione nominantur duodecim millia virorum ad Iabes-gilhad missorum. In hoc itaque loco viros valentes ingenio intelliguntur: ac si in specie dictum fuisset, viros ingenij. Et verè prima pars Principis, aut Iudicis, à naturali ingenio est: viri siquidem ingenij naturaliter sunt aliorum rectores: & sine hac parte reliquæ nihil valent.

Timentes Deum.] Nomen est אלהים. Prima animi virtus requisita ad Principem cuiuscunque ordinis, est timor Dei Iudicis: oportet enim ius dicentem aliis, rationẽ habere superioris Iudicis intuẽtis cor, & singulas conditiones iudicãtis, atq; iudicij: vt sic iudicet alios, tãquã certus, quòd redditurus est rationẽ Deo de suis iudiciis, & ratione iudicãdi; & quòd puniendus est, si peccat; & quòd timeat puniri à Deo. Si enim solus timor humanus in animo regnat Iudicis, innumerabiles iniurias faciet.

In quibus sit veritas.] Clariùs habetur in Hebræo: *Viros veritatis.* Quẽadmodum dicitur *vir sanguinum*, qui effusor est multi sanguinis: ita dicitur *vir veritatis*, qui sectator est veritatis: hoc est, & quòd sit verax, tũ dicendo, tũ faciẽdo, quod dixit; & quòd veritas rerũ gestarũ, testiũ, & huiusmodi inueniant locũ suũ apud eũ: hæc enim duo exiguntur ad virum veritatis.

Et qui oderint auaritiam.] Quanuis sufficiat homini, non esse auarum; non sufficit tamen Principi, aut Iudici: sed oportet, tã alienũ esse

esse ab auaritia, vt oderit ipsam. Minùs dico: quia participium habetur in Hebræo, (putà, odiens auaritiam,) significans affectos continuo odio auaritiæ; & non, quia ad horam oderit auaritiam. Nihil autem refert, quòd dictio Hebraïca non significat propriè auaritiam; sed facultates; hoc est, bona, quæ possidemus, aurum, argentum, & reliqua huiusmodi: quandoquidem non de odio facultatum absolutè, sed de odio earum illicitè habendarum est sermo intentus, significatus cum maximo horrore ab odio etiam ipsarum facultatum auri, argenti, reliquarúmque rerum, ex quibus facultates humanæ integrantur.

Et constitue ex eis.] Libra, prudens lector, has quatuor conditiones virorum, qui assumendi sunt ad principatum, iudicium, seu regimen aliorum: & perspicies, beatam esse rempublicam illam, in qua tales eligunrur.

Tribunos, & Centuriones, & quinquagenarios, & decanos.] Iuxta Hebræum habetur: *Principes millium, Principes centum, Principes quinquaginta, & Principes decem.*

Vers. 22. Qui iudicent populum omni tempore. Quicquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo iudicent: leuiúsque tibi sit partito in alios onere. *Vers.* 23. Si hoc feceris, implebis imperium Domini, & præcepta eius poteris sustinere.] Iuxta Hebræum habetur: *Et præcipiet tibi Elohim, & poteris sustinere.* hoc est, & habebis tempus suscipiendi præcepta à summo Iudice, & poteris corporeum laborem sustinere. Toto siquidem die, & occupabatur, & laborabat iudicando populum, quando solus vniuersis causis attendebat: & propterea minùs ei vacabat, minúsque idoneus reddebatur perceptioni diuinarum reuelationum.

Et omnis hic populus reuertetur cum pace ad loca sua.] Non solùm tibi, sed populo hoc proderit: nam non expectabit à mane vsque ad vesperam iudicium tuum; sed tranquillo ordine quisque à suo Iudice reuertetur in locum suum.

Vers. 24. Quibus auditis, Moses fecit omnia, quæ ille suggesserat. *Vers.* 25. Et electis viris strenuis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et elegit Moses viros ingenij de cuncto Israël.* Eadem dictio repetitur, quæ tot fortita est Interpretes. Et in hac naturali conditione repetita, intelliguntur repetitæ omnes: quia præmittitur, quòd Moses fecit totum, quod dixit socer eius. Ista quoque conditio sola poterat esse hominibus omninò certa, vtpote naturalis: reliquæ verò conditiones, an sint veræ, vel fictæ, non est hominibus certum: & proptereà fortè non sunt repetitæ. Quæsitas tamen, & electas fuisse secundùm humana testimonia, non est dubitandum. Quòd autem dicitur: *Et elegit Moses.* intellige concurrente ad hoc consensu populi, cui detulit Moses, antequàm institueret istos Iudices, vt patet Deuter. 1.

Et constituit eos Principes populi; Tribunos, Centuriones, quinquagenarios, & decanos: *Vers.* 26. qui iudicabant plebem omni tempore. Quicquid autem grauius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes.

Vers. 27. Dimisitque Moses cognatum suum: qui reuersus abiit in terram suam.

CAPVT XIX.

MEnse tertio egressionis Israël de terra Ægypti, in die hac.] Hoc est, prima die mensis tertij, quæ erat quadragesimaquinta dies à die egressus ex Ægypto, supputatis extremis: nam quindecim dies primi mensis, & vigintinouem secundi, & primus tertij constituunt quadragintaquinque dies: menses enim lunares supputantur.

Vers. 1.

Venerunt in solitudinem [a] Sinaï: *Vers.* 2. nam profecti de Rephidim, & peruenientes vsque in desertum Sinaï, castrametati sunt in eodem loco: ibíque Israël fixit tentoria è regione montis. *Vers.* 3. Moses autem ascendit in montem ad Deum.] Non est in Textu Hebræo, *in montem*; sed, quòd *ascendit ad Elohim*; hoc est, ascendit ad locum, in quo vocatus fuerat à Deo apparente in rubo, quando pascebat oues soceri sui: illucusque enim fas erat ei ire, & non vltrà, prohibente olim Deo in rubo. Et proptereà non dicitur ascendisse in montem; sed ascendisse ad Elohim, (à quo inde missus fuerat in Ægyptum,) tanquàm relaturus executionem factam eum effectu subsecuto: reuerà tamen ad illum accessit supplicaturus Deo legislatori pro directione populi.

[a] *Sina* mons, orientale iugum montium Choreb, distat ab Arabiæ sinu 600. circiter milliaribus Italicis. Quod iter emensi sunt filij Israel, sepimis castris, erátque profectio in die circiter nouem milliarium, qualis erat tolerabilis tam profundæ multitudini, tótque impedimẽtis, quæ subinde in sarcinas conijcere, rursúsque explicare oportebat, tot corporibus inualidis sexu & ætate, tot prægnãtibus, & mamma nutrientibus: prætereà ob greges, & iumenta, quæ necesse erat ducere per campos, per profundas arenas, per accliues, & decliues colles.

Vocauitque eum Dominus de monte.] Nomen est tetragrammaton. Quanuis nulla species sensibilis scribatur apparens in monte; ipsa tamen vocatio de celsitudine montis scribitur profecta: vt spes Mosis ascendentis, tanquàm ad inueniendum Deum in monte, non vana monstretur. Et ex eo, quòd è loco corporeo vocatio describitur, insinuatur, quòd sensibilis vox, tanquàm de altiori parte montis proficiscens ad aures Mosis, formata fuerit. Et Moses quidem ascendit ad Elohim; sed maiori gratia donatus est: quia Iehouah vocauit eum, quantò sublimius est nomen Iehouah, quàm Elohim: cùm hoc sit proprium; illud commune: hoc ad essentiam; illud ad opus, seu operis rationem referatur.

Et ait.] Non solùm vocat, sed alloquitur, iniungendo illi dicenda populo, nomine ipsius Iehouah.

Hæc dices domui Iahacob, & annunciabis filiis Israël.] Appellat Deus populum, & domum Iahacob, quatenus secundùm carnem erant, quasi vna familia Iahacob; & filios Israël, quia secundùm religionem sectabantur fidem Israël à Deo cognominati. Et vsus est his nominibus Deus: quia adhuc non erant erecti in rempublicam; sed postea in eodem loco sunt eleuati à Deo in vnam rempublicam cum legibus, & Pontifice, &c.

Vers. 4. Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis.] Priùs mala illata Ægyptiis, deinde bona collata Israëlitis commemoranda mandat.

Quomodo portauerim vos super alas aquilarum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et portaui*

portaui vos super alas aquilarum. Metaphorica est locutio. Et significatur, quòd quemadmodum pulli aquilarum portantur super alas aquilarum eleuati, protecti ab inferioribus maternis alis euntes; ita Deus eduxit eos de Ægypto, eleuatos, non situ locali, sed conditione; eleuatos quidem in filios Dei, sic quòd Ægyptij mortui, ipsi verò viui; sic quòd Ægyptij compellebant illos exire; sic quòd Ægyptij submersi; ipsi verò incolumes per mare iuerunt. Protectos verò ab inferioribus, cùm eos ab Ægyptiis persequentibus sic protexit, vt locaret se medium inter Ægyptios, & ipsos; & de superna nube pugnaret pro eis. Quòd demum non tam euntes, quàm vecti à Deo iter egerint, monstrat exitus omnium vno, eodemque die; & similiter transitus per mare rubrum vna, eadémque nocte, monstrat, quòd non erat inter eos æger aliquis; monstrat via sicca in medio mari; monstrat & columna dux itineris.

Et assumpserim mihi.] Longè maius est hoc beneficium finis vectionis.

Vers. 5. Si ergo audieritis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nunc si audiendo audietis vocem meam, & custodietis pactum meum.* Commemoratis beneficiis collatis, subiungitur obedientia, quam requirit quoad duo: alterum in genere; videlicet, obedire diuinæ voci: alterum in specie; videlicet, seruare pactum inter Deum, & ipsos. Et est sermo tam de futura voce diuinæ legis, quàm de futuro fœdere; videlicet, quòd ipsi colerent יהוה in Deum suum, & quòd ipse יהוה haberet eos in populum suum: & huiusmodi obedientiam proponit conditionaliter relatiuè ad subiuncta præmia. Et dicendo, *& nunc*, differentia significatur inter *nunc*, & *olim*, quando in Marah promiserat seruantibus mandata sua exemptionem ab ægritudinibus corporalibus: longè enim maiora nunc promittit.

Eritis mihi in peculium de cunctis populis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et eritis mihi amabilitas è cunctis populis.* Tria proponit præmia, quorum primum est, tantus erga illos Dei amor, vt non solùm populus præ aliis populis dilectus; sed etiam tanquàm res ex cunctis populis eligibilis, & amabilis foret. Quod quantæ sit excellentiæ, & quàm singulare sit beneficium, perspicuum est.

Mea est enim omnis terra.] Ad manifestandum singularitatem beneficij subiungit, quòd vniuersus orbis terrarum est suus: vt hinc intelligant Israëlitæ, quòd, quanuis omnes populi sint ipsius Dei; solus tamen populus Israël donabitur tali, tantóque amore diuino: & hinc perpendant magnitudinem huius primi promissi præmij.

Vers. 6. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale [b].] Iuxta Hebræum habetur: *Et vos eritis mihi regnum Sacerdotum.* Secundum præmium proponitur. Et si diceretur: *Et vos eritis regnum Sacerdotum.* significaretur, quòd ipsi futuri essent regnum sub Regibus Sacerdotibus: quod nec significari, nec verificatum fuisse patet. Et quidem, quòd Israël non fuerit regnum Sacerdotum, historiæ testantur. Nam nec Aharon, summus Sacerdos, nec successores eius regnauerunt: sed primùm imperauit Moses; deinde Iehosuah; posteà Iudices; & quandoque nullus; & demum Reges, qui non erant Sacerdotes. Quòd verò non significetur, adiectum pronomen mihi testatur: non enim dicitur: Et vos eritis regnum Sacerdotum. sed dicitur: *Et vos eritis mihi regnum Sacerdotum.* In quibus verbis promittuntur duo. Alterum, quòd vos Israëlitæ eritis mihi regnum; hoc est, erigemini in regnum, supremam & optimam politiam; ac per hoc ego ero vester Rex: correlatiua enim sunt Rex, & regnum. Vnde in 1. libro Regum, hoc commemoratur, dum petente populo Regem à Samuële, Deus dicit: *Non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* 1. Reg. 8. Et hoc magnæ dignitatis erat, vt & ipsi regnum constituerent, & Regem haberent Deum. Alterum est, qualitas regni significata, apponendo, *Sacerdotum*: promittitur enim opulentia honorabilis ex speciali cura ipsius Dei, perinde ac si vniuersum regnum integraretur ex Sacerdotibus: mos enim erat, vt Sacerdotibus ex ærario publico prouideretur honorabiliter, vt ipsi Israëlitæ viderant seruari in Ægypto: & propterea Deus ab iis, quæ nota erant Israëlitis, manifestat futuram eorum conditionem similem conditioni Sacerdotum: vt perpendant, quale erit diuinum regimen erga eos; quo, videlicet, non posset desiderari melius.

[b] Hoc loco, *sacerdotale*, pro, nobili, vsurpatur vt sensus sit: Eritis in regnum celebre & insigne. Nam vox, *Sacerdos*, aliquando solâ dignitatem, non officium significat in Scripturis. nonnulli verò, *in regnum sacerdotale*, hoc est, sanctum, & electum ex omnibus, exponũt. vt quemadmodum ex omnibus Sacerdotes eliguntur; ita filij Israel à Deo selecti sint.

Et gens sancta.] Tertium præmium proponitur, & significatur, quòd erit gens munda à peccatis; quod est maximum donum gratiæ diuinæ. Et verè hæc tria habuisset populus Israël, si obediens fuisset diuinis mandatis.

Hæc sunt verba, quæ loqueris ad filios Israël.] Ex beneficiis, ex obedientia, & ex præmiis integrantur diuina verba, dicenda filiis Israël per Mosen diuino nomine.

Vers. 7. Venit autem Moses: & conuocatis maioribus natu populi.] Non omnes, sed senes per seipsum alloquitur Moses, vt ordinatè per senes eadem proponantur populo.

Exposuit omnes sermones, quos mandauerat Dominus.] Nomen est tetragrammaton.

Vers. 8. Respondítque vniuersus populus simul.] Ab hoc effectu insinuatur, quòd senes vniuerso populo notificauerunt dicta à Deo.

Cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus.] Nomen est tetragrammaton. Ecce promptitudo populi ad obediendum summo Deo: ecce fides populi credentis, quòd Deus alloqueretur Mosen.

Cumque retulisset Moses verba populi ad Dominum.] Intellige cum grano salis hæc verba: quia non significatur relatio dictorum à populo; sed reuersio Mosis ad referendum ipsi יהוה verba populi: præoccupatus enim ab ipso Deo, antequàm relationem faceret Moses, audiuit Deum loquentem sibi. Et propterea in Litera subiungitur:

Vers. 9. Ait ei Dominus.] Et est nomen tetragrammaton. Nec subiuncta verba diuina sunt verba respondentis relationi; sed præuenientis promittendo Mosi maiora, seu clariora testimonia.

Iam nunc veniam ad te in caligine nubis.] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce ego veniens ad te in densitate nubis.*

Vt

Vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum.] Suauis Dominus, ad confirmandum fidem credentis populi promittit in signo visibili ab vniuerso populo se allocutum Mosen: tum, vt populus oculata fide perpendat colloquiũ inter Deum, & Mosen: tum, vt populus credat Mosi, non ad horam, sed semper. Et quia litera sonat: *Ecce ego veniens ad te.* & non dicit: *Ecce ego veniam.* intelligendum absque omni hæsitatione est, quòd tunc, & dixit, & venit Deus ad Mosen in nube densa coram vniuerso populo.

Nunciauit ergo Moses verba populi ad Dominum.] Ecce relatio verborum populi per Mosen, sit ipsi יהוה in nube densa apparenti ei. Relationem autem intellige consistere in hoc, quòd Moses supplex proposuit coram Deo fidem populi, & promptitudinem eiusdem ad obediendum Deo: vt Deus, qui inchoauit hæc bona in populo suo, perficiat illa.

Vers. 10. Qui dixit ei.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit Iehouah ad Mosen.* Modò respondet fons gratiarum relationi.

Vade ad populum, & sanctifica illos hodie, & cras.] Quia quinquagesimo die datam credimus legem, hæc verba dicta fuerunt quadragesimooctauo die: tertius siquidem dies quadragesimooctauo est quinquagesimus. Sed hunc numerum supputandum esse, excluso extremo termino, à quo, (hoc est, die egressus ex Ægypto, hoc est, quintadecima die mensis primi,) insinuat præcepta supputatio dierum quinquaginta pro anniuersario festo Pentecostes, excluso primo die azymorum Leuit. cap. 23. Rationis siquidem ordo exigit, vt festum Pentecostes anniuersarium institutum fuerit relatiuè ad Pascha, quoto à Paschate die fuit lex data: vt colligatur, quòd lex data fuit ore proprio à Deo, vniuerso populo, die quinquagesimo à die egressus ex Ægypto exclusiuè. Et quia, tam hodie, quàm cras deputatur sanctificationi, insinuatur, quòd verba hæc dicta fuerint mane. Sanctificatio autem mundationem in genere significat, & ab immunditiis corporis, & ab immunditiis animi. Vnde & in specie subiungitur:

Lauéntque vestimenta sua.] Quod intellige de vestibus, quæ solent ablui. Tacentur autem ablutiones aliæ, vt ex hac minima intelligantur maiores.

Vers. 11. Et sint parati in diem tertium.] Finis mundationis manifestatur.

In die enim tertio descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinaï.] Nomen est tetragrammaton. Ratio præparationis redditur aduentus summi Dei, significatus per descensum: quia ad similitudinem descendentis de cælo in montem appariturus erat.

Vers. 12. Constituésque terminos populo per circumitum.] Pro reuerentia diuinæ præsentiæ constituuntur termini, ne quisquam accedat ad locum, in quo præsens est Deus: quemadmodum vallantur loca Regum, in quibus resident publicè.

Et dices: Cauete, ne ascendatis in montem, nec tangatis fines eius: omnis, qui tetigerit montem, morte morietur. *Vers.* 13. Manus non tanget eum: sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis. Siuè iumentum fuerit, siue homo, non viuet. Cùm clangere cœperit buccina, tunc ascendant in montem.] Iuxta Hebræum habetur: *In protrahere cornu, ipsi ascendent in montem.* Significatur, quòd post recessum Dei à monte, cornea tuba sonus non breuis, sed prolixiùs tractus agendus erat à tubicinibus eorum, iubente Mose; & quòd ex tunc licitum foret Israëlitis ascendere in montem. Hæc est responsio diuina ad relationem Mosis, verè prosequens benè cœpta fidei, & obedientiæ populi: ad perficiendum enim hæc in populo Deus dedit hæc mandata.

Vers. 14. Descenditque Moses de monte ad populum: & sanctificauit eum.] Quid effecerit sanctificando populum, non est scriptum. Suspicor autem, nihil aliud fecisse, quàm monuisse ad munditiam, tum animi, tum corporis, ad hoc vt essent parati ad occurrendum Deo in die tertio: & huiusmodi monitionem diffuso sermone appellari sanctificationem.

Cúmque lauissent vestimenta sua.] Iuxta Hebræum habetur: *Et lauerunt vestimenta sua.* Obedientia populi narratur.

Vers. 15. Et ait ad eos: Estote parati in diem tertium: & ne appropinquetis vxoribus vestris.] Cerne, quòd ab initio veteris Testamenti præparatio mentis ad diuina percipienda mysteria, per aliquantulam abstinentiam ab vsu coniugij placuit Deo. Hinc Paulus Apostolus posteà docuit coniugatos, vt orationi vacarent, de consensu, modico tempore, abstinere: decernitur enim hoc in loco tempus præparationis, tempus duorum dierum.

Vers. 16. Iámque aduenerat dies tertius, & mane inclaruerat: & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangórque buccinæ vehementiùs perstrepebat[c].] Interpres sensum optimè reddidit: quanuis Litera Hebraïca nihil aliud habeat nisi: *Et fuerunt voces, & fulgura, & nubes grauis super montem, & vox cornu fortis valdè.* Tonitrua enim Hebræi *voces* appellant, vt patet superiùs in nono capitulo, in plaga Ægypti septima. Sonitum quoque tubæ corneæ, quæ *buccina* appellatur in Litera, *vocem cornu* appellant. Quatuor itaque apparuerunt super montem Sinaï in mane quinquagesimi diei ab egressu ex Ægypto: quorum duo ad sensum auditus, (tonitrua, videlicet, & sonus similis sono tubæ corneæ,) duo verò ad sensum visus, (coruscationes, scilicet, & densa nubes,) spectabant. Nec in monte, sed supra cacumen montis hæc in aëre erant: vt patet ex eo, quòd populus videbat montem fumantem: si enim nubes densa in ipso monte fuisset operiens illum, non fuisset visus fumus montis.

[c] Quòd legem Dominus dedit præmissis, & sequentibus aliquandiu magnis portentis, factum puto ad commẽdãdam suã potentiam, & bonitatem; ideoque voluit ea posteris conscribi & enarrari, sicque initio Euangelij, & tẽpore aliquanto post ortum eius, plurimis signis, & prodigiis, iisque præcipue, quibus laborantibus subueniebatur, Euangelij maiestatẽ, ac pretium orbi cõmendauit, declarauitque aduenisse tẽpus, quo sanari, & restitui hominum genus debuit, visitari, oculi cæcorum, & aures surdorum aperiri.

Et timuit populus, qui erat in castris.] Iuxta Hebræum habetur: *Et tremuit vniuersus populus, qui in castris.* Paratus populus, & expectans descensum Dei super montem, audiendo, & videndo talia supra montem fieri, non abs re tremuit: res enim istæ, quæ audiebantur; & videbantur; signa erant solita terrere homines, & præ se ferebant Deum iratum.

Vers. 17.

Verſ. 17. Cúmque eduxiſſet eos Moſes in occurſum Dei de loco caſtrorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et eduxit Moſes populum in occurſum Elohim è caſtris.* Tremens populus non audebat exire: & propterea Moſes eductor eorum de loco caſtrorum versùs montem ſcribitur: & educi dicitur ad occurrendùm Deo legiſlatori.

Steterunt ad radices montis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ſteterunt in ſubiecto montis*; hoc eſt, in planitie prope montem, ad quam immediatè deſcendebatur ex monte.

Verſ. 18. Totus autem mons Sinaï fumabat.] Iuxta Hebræum habetur: *Et mons Sinai fumauit totus ipſe.* Hinc habetur, quòd populus in nullam montis partem, quamuis infimam, aſcenderit: totus enim mons, & non ſuperior tantùm pars, deſcribitur fumans.

Eò quòd deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne.] Iuxta Hebræum aliter ordinatur Litera: *Propterea quòd deſcendit ſuper ipſum* יהוה *in igne.* Ita quòd non ſignificatur ignis ſuper montem; ſed ſignificatur *ſuper montem* יהוה *in igne*, nihil dicendo de loco ignis. Et ad explicandum locum ignis, ſubiungitur:

Et aſcendit fumus eius, ſicut fumus fornacis.] Iunge hæc ſimul, (quòd totus mons fumabat, & quòd fumus ille erat, tanquàm fumus fornacis,) cum iis, quæ ſcribuntur 4. & 5. cap. Deuter. (ſcilicet, quòd *mons ardebat vſque ad cor cœli*;) & perſpicies, quòd ſimul erat fumus, & flamma montis ad ſimilitudinem fornacis, partim inflammati, & partim non inflammati: ita quòd omnes partes montis fumabant; ſed pars fumi accendebatur, & pars non. Et propterea tam fumans, quàm ardens apparebat mons. Et nominatur יהוה, vt ipſe ſummus Deus, qui dat omnibus eſſe, agnoſcatur tam proximus nobis cura, atque prouidentia, & efficientia etiam horum ſenſibilium, perinde ac ſine vllis miniſtris operaretur.

Eratque mons omnis terribilis[d].] Iuxta Hebræum habetur: *Et tremuit totus mons valdè.* Motus localis ad ſimilitudinem motus tremotis non parui, deſcribitur montis totius. Et hic eſt ille terræmotus, cuius meminit Dauid in Pſal. 68. *Terra mota eſt*, &c. Verùm, quia vulgata editio hanc veritatem non tradit, ideò neſcientes tunc veritatem Hebraïcam huius Literæ, exponendo illum Pſalmum, quaſi diuinauimus: nunc enim videmus, quòd ad Literam loquitur de tremore montis Sinaï hìc ſcripto.

[d] Huius etiam terræmotus meminit Paulus ad Hebræos 12. *Non acceſſiſtis*, inquiēs, *ad contactum montem*, &c. phraſiſque Hebræa eſt, vt quando montes diuino nutu, & tremenda Dei potētia contremiſcunt, dicantur à Deo tangi: vt illud Pſalmi 143. *Tange montes, & fumigabunt.*

Verſ. 19. Et ſonitus buccinæ paulatim creſcebat in maius, & prolixiùs tendebatur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit vox cornu eūdo, & inualeſcendo valdè.* Augmentum ſonitus quaſi tubæ corneæ, ſucceſſiuum deſcribitur: ita quòd continuò augebatur ſonus, & vehementer inualeſcebat.

Moſes loquebatur, & Dominus reſpondebat ei.] Iuxta Hebræum habetur: *Moſes loquetur, & Elohim reſpondebit ei in voce.* In hoc colloquio inſinuatur, quòd Moſes, poſtquàm eduxit populum in occurſum Dei, aſcendit in montem Sinaï: & inter tot deſcripta tonitrua, fulgura, nubémque dēſam in aëre ſupra montē, ipſúmque montē omni ex parte fumātē, cum tā vehementi ſonitu buccinæ, in tremēte monte Moſes loquebatur cū Deo legiſlatore, & Deus reſpondebat ei in voce; hoc eſt, ſenſibili voce. Et ſcriptum eſt hoc ad narrandum, quòd Moſes non in raptu, non abſtractus à ſenſibus, non territus inter tot terribilia loquebatur cum Deo; ita vt ſenſibili voce reſpondentē Deum audiret. Et ſcribuntur verbis futuri temporis, ad ſignificandum perſeuerantiam colloquij abſque impedimento ex tot ſonis, & terribilibus. Et nominatur, *Elohim*, vt intelligamus, quòd Moſes interrogabat petens inſtrui de iis, quæ ſunt legis: quamuis non ſit in ſpecie ſcriptum, quid dixerint in hoc colloquio.

Verſ. 20. Deſcenditque Dominus ſuper montem Sinai.] Nomen eſt tetragrammaton. Dixerat, quòd deſcendit Dominus ſuper montem; ſed non definierat montis locum certum: & propterea narrat modò certum montis ſitum.

In ipſo montis vertice.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad caput montis.* Non enim in montē deſcendit; ſed ſupra montem directè, ad caput montis: vt intelligamus, quòd Deus non in capite montis, ſed in nube exiſtente in aëre ſupra caput montis apparebat. Et hunc eſſe literalem ſenſum, teſtantur verba Dei, in ſequenti capitulo dicentis: *Vos vidiſtis, quòd de cœlo locutus ſum vobis. De cœlo*, inquit, non de monte: vt intelligamus, quòd locus, in quo apparebat Deus loquens, aër erat, non montis vertex; ſed nubes in aëre ſupra montis verticem ſic eleuata, vt etiam ipſius montis vertex fumans videretur ab omnibus: nam totus mons fumabat.

Et vocauit Moſen in cacumen eius.] Non eſt certum, an iſta vocatio præceſſerit antеſcriptum colloquium, an ſubſecuta fuerit. Crediderim ego, quòd præceſſit: quia hæc omnia, licèt à Moſe ſparſim narrentur; ſimul tamen facta intelligo: ita quòd ordo rerum geſtarū fuit, quòd mane in aëre, ſupra verticē montis Sinaï, deſcēdit Deus in quatuor ſenſibilibus ſignis, (videlicet, graui nube, tonitruis, coruſcationibus, & ſonitu quaſi tubæ corneæ ſenſim inualeſcente:) & mons ipſe valdè tremuit, & velut fornax totus fumauit: Moſes autem trementem populū in caſtris eduxit in occurſum Dei vſque ad pedem montis excluſiuè: deinde aſcendit ipſe in montē: & cùm in quadam mōtis parte ſubſtitiſſet, (aut ſubſiſtere vellet,) non audens vltrà aſcendere ob reuerentiam diuinæ præſentiæ, vocatus à Deo aſcendit in cacumen montis; & ibi anteſcriptum colloquium cum Deo habuit: quo finito Deus dixit Moſi, quæ ſubiunguntur in Litera:

Quò cùm aſcendiſſet, dixit ad eum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et aſcendit Moſes: & dixit Iehouah ad Moſen.* Vt intelligamus, quòd poſtquàm reſpondit Moſi, ipſe ex ſeipſo dixit Moſi ſubiuncta.

Verſ. 21. Deſcende, & conteſtare populo, ne fortè velit tranſcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo.] Alloquuturus Deus non per Moſen, ſed per ſeipſum promulgaturus legem, audiente vniuerſo populo, præmittit Moſen ad proteſtandum populo, ne audiendo Deum ex nube ſupra cacumen montis loquentē eis, curioſitate agātur videndi Deum loquentem,

loquentem, & diruant terminos, ascendendo montem: quia, si hoc faciant, morietur non parua pars eorum. Et scribitur hîc nomen tetragrammaton, ad magis comprimendam curiositatem videndi; vtpote inuisibilem,& præsidentem toti vniuerso.

Vers. 22. Sacerdotes quoque,qui accedunt ad Dominum,sanctificentur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et etiam Sacerdotes, qui appropinquantes ad* יהוה *sanctificabunt se.*

Ne percutiat eos Dominus.] Similis protestatio iubetur ad Sacerdotes, qui illo in tempore erant primogeniti: ne Sacerdotes putarent,se exemptos à contestatione, quæ fiebat populo: monentúrque, vt seipsos sanctificent; hoc est,mundos custodiât à transgressione terminorum. Et facta est mentio Sacerdotum in specie, eò quòd ipsi(vtpote,sacrificantes Deo) sunt propinqui Deo; & hinc occasionem fiduciæ ascendendi in montem assumere poterant.

Vers. 23. Dixitque Moses ad Dominum.] Nomen est tetragrammaton:quod nomen etiam est in Textu Hebraïco, in calce præcedentis sententiæ.

Non poterit vulgus ascendere in mõtem Sinai.]Moses cupiens morari cum Deo, respondet,quòd non oportet sollicitum esse de tali euentu: quia iam populus huiusmodi prohibitionem audiuit sub pœna mortis.Et dicendo,*non poterit*, non significat impotentiam virium,sed impotentiam libertatis impunis.

Tu enim contestatus es nobis, dicens: Pone terminos circa montem, & sanctifica illum.] hoc est, & dica illum præsentiæ meæ, reddendo illum mundum ab accessu quorumcunque.

Vers 24. Cui ait Dominus.] Nomen est tetragrammaton.

Vade, descende.] Imperfecta responsio Mosis,ac mutila,minúsque satisfaciens, meruit non admitti. Nam primum monitorium populo in genere datum fuerat:hoc autem,& populo in genere,& Sacerdotibus in specie. Vnde & ipse Moses respondendo, populi duntaxat meminit. Rursus in illo pœna mortis infligenda erat ab hominibus lapidantibus,seu sagittantibus: in hoc verò pœna mortis à Deo infligenda,& multitudini, & Sacerdotibus prædicitur: & propterea firmatur præceptum, vt descendat. Et hæc quidem descensus ratio narratur in Litera:altera autem tacetur,videlicet, vt Moses sit simul cum populo, sit vnus de populo, audiendo legem promulgari ex ore Dei: vt & ipse subditus legi diuinæ ex hoc comprobetur, & manifestetur omnibus.

Ascendésque tu, & Aharon tecum.] Nõ esse hæc verba præcepti,sed libertatis,subiuncta testantur:subiũgitur enim,quòd nec populo,nec Sacerdotibus licitum erit ascẽdere ad יהוה.Vt per hæc intelligamus, Mosen simpliciter, & absolutè exemptũ ab hac inhibitione: Aharon verò non simpliciter, & absolutè; sed comitem Mosis exemptum esse ab eadem.

Sacerdotes autem,& populus ne transeant terminos, nec ascendant ad Dominum: ne fortè interficiat illos [a].]Sensum benè reddidit Interpres,quamuis non seruet allusionem vocabulorum iuxta Hebræum: ibi enim trãscendere terminos significatur per verbum diruendi:& consequenter punitio significatur per effringendi verbum,quemadmodum effringuntur sepes.

[a] Deus,tum signis,tũ hac monitione,metũ sui, & reuerentiam quandam crasso populo incutere voluit.

Vers. 25. Descendítque Moses ad populum: & omnia narrauit eis.] Exposuit Interpres,quod in Hebræo dicitur.

Et dixit eis.] Proculdubiò contestando,vt Deus mandauerat.

CAPVT XX.

LOcutúsque est Dominus cunctos sermones hos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et locutus est* אלהים *omnia verba ista,dicendo.* Non scribitur in Litera modus, quo locutus est, nec quibus locutus est;sed quæ locutus est,videlicet,ista subiuncta; non quædam,sed *omnia*. Et dicendo,*omnia*,manifestat, quòd omnia decẽ præcepta,quæ vnico cõtextu immediatè subiunguntur,promulgauit Deus per seipsum. Et nominatur Deus loquens, *Elohim*,quod est nomen officij,videlicet,Iudicis:quia Legislatoris officium exercebat. Verùm in hoc eodẽ capitulo scribitur,quibus locutus est,& vbi manebat loquens,quum diuina voce dicitur: *Vos vidistis, quod de cælis locutus sum vobiscũ* Et inde habetur etiam modus loquendi videlicet,humana voce præcepta ab vniuersis filiis Israël: alioquin non ad sensũ certiores redditi fuissent, quòd Deus locutus fuerit cum eis:quæ tamen certificatio ad sensũ significatur, dicendo: *Vos vidistis,quòd locutus sum vobiscum è cælis.* Ex illa ergo Litera iuncta præcedentibus habetur quòd ex illa nube,quæ in aëre,supra cacumen montis erat,formabatur vox similis voci humanæ, perueniens ad aures singulorum. Nec oportet hîc fingere inæstimabilem vocis magnitudinem:quoniam vno, & eodem diuino miraculo, quo formabatur vox illa humana, dearticulata, &c. fiebat etiam, vt proportionata esset,tam propinquis, quàm distantibus auditoribus; & quòd ab omnibus intelligerentur verba vocis illius:quod Deuteronomij quarto,& quinto capite explanatur.

Vers. 1.

*Vers.*2 Ego sum Dominus Deus tuus.] Iuxta Hebræum habetur: *Ego Iehouah Elohe tuus.* Initiũ diuinæ legis est,tum authoritas Legislatoris,tum confirmatio cultus religiosi iam inchoati in populo Israël. Quemadmodũ enim Princeps notus quidem beneficiis, & obseruãtia;ignotus autẽ facie,quando præsens daturus est leges,à propria authoritate incipit,dicendo: Ego ille Princeps,quem colitis, qui olim contuli vobis talia,ita Deus daturus leges, incipit à manifestatione suiipsius. Tum quoad excellentiam naturæ,dicendo: *Ego* יהוה.Est enim,vt dictum est, nomẽ essentiæ diuinæ omninò incõmunicabile. Tum quoad officium,dicendo, *Elohe*:est enim nomen Iudicis gubernantis in iudicio, & iustitia. Tum à cultu iam sibi exhibito ab eis, vt Deo, dicendo, *tuus*. Dicebatur enim *Elohe Israëlis*,cui cultus latriæ exhibebatur ab Israël & *Elohe Ægypti*,cui cultus latriæ exhibebatur ab Ægypto:& *Elohe Syriæ*,cui cultus latriæ exhibebatur à Syria;& sic de aliis.

Qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis.] Manifestat quoque se benefactorem, commemorando beneficium nuperrimè eis collatum: beneficium,inquam, libertatis,

libertatis,quòd ex seruis Ægypti reddidit liberos, educendos eos inde: hæc enim verba proposita sunt à Deo, tum ad manifestandum authoritatem Legislatoris,tum ad confirmandum Israëlitas in cultu ipsius: magnam siquidem vim ad firmandos animos colentium Deum præstat præsentia oblata ipsius Dei colloquẽtis cum ipsis è cælis: vnde & posteà hanc vim repetit ipse Deus,dicendo : Vos vidistis, quòd è cælis locutus sum vobiscum. Et in hoc, quia præsupponitur (vtpote,inchoatus) cultus Dei, præcipitur non ipse cultus,sed perseuerantia in cultu:huc enim tendunt principaliter hæc verba.Et propterea in his verbis continetur ex intentione verborum primum præceptum affirmatiuum[a]; videlicet, perseuerantia in cultu summi Dei, qui dat esse omnibus, &c. qui gubernat omnia, qui curam habet, & exercet humanorum, & reliquorum singulariter: vt opera facta in eductione Israëlis de Ægypto testantur: ideò enim hæc commemorantur.

[a] Origenes homilia 8 in hoc caput, oppositum asserit. Idem & Burgensis hoc loco.

Et si consideraueris, quòd sine verbo proponit seipsum Deus populo dicens: *Ego Iehouah Elohe tuus*. intelliges & verbum, *ero*, in vim præcepti primi affirmatiui;& *sum*,& *fui*, ad manifestandum, seipsum esse, quem populus Israël colit,& coluit. Testatur autem,tum Ieremias cap.7. tum Moses Deuteron. 9. hoc esse præceptum affirmatiuum de habendo Dominum in Deum; dum ille asserit, Deum hoc locutum fuisse populo in die eductionis ex Ægypto,& iste tabulas decem præceptorum dicit tabulas pacti: perspicuum enim est, quòd fœdus hoc, nisi in hoc initio intelligatur, non inuenitur in reliquis nouem præceptis. Et ad huius fœderis explicationem spectat, quòd dicitur *Elohe tuus*: ex hac enim parte significatur pactum: quia altera pars fœderis, (scilicet, tu populus meus,) consequens necessariò erat: non enim potest deficere Deus: & non potest fieri,vt sit Deus noster,& nos non simus populus eius. Non est itaque dubitandum, hoc esse primum præceptum, continens etiam fœdus inter Deum,& populum. Multò autem apertiùs manifestatur hîc, tum veritas, tum vnitas Dei: nam dicendo, *Iehouah*, manifestat fontem essendi, à quo est esse omnium: perspicuum est autem, illum esse verum Deum, qui dat esse omnibus. Et dicendo, *ego*, manifestat, se esse vnum: non enim dicit: Nos Iehouah. Nec dicit absolutè, *Iehouah*, vt dubitare possis, an vnus, aut plures sint יהוה: sed dicit: *Ego Iehouah*. vt nullum relinquat dubitandi locum de vnitate fontis essendi.

Et altiùs scrutatus hæc prima Dei verba, perpendes, quòd in his verbis determinatur præceptum de fide, spe, dilectione, timore, ac cultu vnius veri Dei, qui dat esse omnibus, qui reuelatus est Israëlitis. Nam manifestando se vnum יהוה Elohe Israëlitarũ, nihil aliud intendit, nisi quòd cùm sit talis, cõfidatur in tali, ametur talis, timeatur & colatur talis: & propterea absque omni verbo Deus hæc dicit, vt comprehendat vniuersum pelagus actionum nostrarum sibi debitarum ex eo, quòd est vnus verus Deus. Hoc est igitur primum præceptum legis, vt Saluator in Euangelio affirmat Matthæi 22. Præcepti siquidem modus non abest, dicendo in principio, tum legis, tum fœderis, (vt clarè dicitur Deuter. 5.) *Ego Iehouah Elohe tuus*. nam hoc ad nihil aliud dicitur, nisi ad hoc, vt acceptetur loquens יהוה Elohe Israël. Quemadmodum enim nuncius procurator, seu Legatus Principis comparens dicendo: Ego talis Legatus,&c. ad hoc hæc dicit, vt acceptetur, & habeatur Nuncius procurator, vel Legatus: ita Deus ipse legem laturus, fœdúsque initurus cum Israële, dicit: *Ego Iehouah Elohe tuus*. ad hoc, vt habeatur, & tractetur vt יהוה Elohe eorum; quod est amari, timeri, & coli vt verus Deus. Perspicuum est igitur, quòd non ad solam authoritatem monstrandam; sed quòd principaliter ad primum præceptum affirmatiuum de cultu Dei promulgandum inchoauit Deus legem suam à verbis istis.

Si quæris, quo pacto summus Deus asserit, se loqui illis, cùm locutio ista fieret per Angelum. In prõptu est responsio: quia ipse Deus loquebatur in Angelo ad populũ; non vt Rex loquitur per Legatum, aut per interpretẽ; sed vt præsens intùs in Angelo,& formãs verba huius sermonis magis, quàm Angelus. Et hoc est plùs quàm Angelum agere personã Dei in hoc sermone: quia hoc secundũ possumus etiã nos: nã Legatus potest loqui in persona Principis sui: sed primum inter homines est impossibile.

V. 3. Non habebis Deos alienos coram me.] Iuxta Hebręũ habetur: *Nõ erit tibi* אלהים *alij super facies meas*. Si ad ipsum rerum ordinẽ, secundùm ipsum rerum ordinem, spectatur, nõ est aliud præceptum; sed est pars altera dati iam præcepti primi: religio siquidem debitum Deo cultum reddens, pars est iustitiæ, quæ integratur ex duabus partibus; altera affirmatiua, videlicet, facere bonum debitum; altera negatiua, videlicet, declinare à malo. Et propterea ex prima parte religionis, (videlicet, perseuerare in debito cultu summi Dei,) infertur non colere alium Deum. Dixi, *infertur*: quia testatur Deus hanc illationem inferiùs, dicendo: *Vos vidistis, quòd de cælis locutus sum vobiscum. Non facietis mecum Deos argenti*, &c. Quanuis etiam suapte natura hæc negatio ex præcedente affirmatione oriatur: ex eo enim, quòd summus Deus, nec parem habet, nec prope parem, (quoniã à qualibet creatura in infinitum secundùm naturam eleuatur,) consequens est, vt cultus ei debitus nulli alteri tribuatur, vt nullus ei par, aut quasi par habeatur.

Sed, si ad nos homines, si ad nostræ consuetudinem religionis spectetur, aliud est præceptum. Et differt hoc à primo penes differentiam inter Deum,& Deum solum. Primo præcepto mandatur, quòd ipse Deus colatur: secundo mandatur, quòd solus, quòd non cum alio, quòd non alius. Quanta autem sit apud homines inter hæc duo differentia, testatur responsio Senatus Romani ad Tiberium, volentem Christum transferre inter Deos, obstando, quia Christus vult adorari solus. Samaritani quoque colebant verum Deum, sed non solum. Quia itaque speciali eget præcepto, quòd solus adoretur; ideò rationabiliter hoc, secundum intelligitur præceptum Decalogi.

Et quadrat distinctio hæc verbis sacræ Scripturæ: nam ex Deuteronomio, cap. 4. habetur, quòd hæc Dei præcepta sunt decem: & perspicuum est, quòd media septem, (videlicet, de periurio, de Sabbatho, de honore parẽtum, de homicidio, de adulterio, de furto, de falso testimonio,)

testimonio,) diuidi non possunt: oportet ergo, vel primum, vel vltimum diuidere, vt sint decem: sed vltimum de concupiscentia esse vnũ ex testimonio Scripturæ monstrabitur: igitur primum in duo sectum oportet intelligere. Nulla autem est rationabilior sectio, quàm ista; vt patet, tum ex ratione assignata distinctionis inter primum, & hoc; tum ex eo, quòd non colere alium Deum, & non colere idola, se habent, sicut genus, & species; seu sicut forma ad materiam: nam colere Deum in idolo, est colere alium Deum in materia sensibili: ac per hoc non spectant istæ duæ negationes ad diuersa præcepta; sed ad vnum, & idem, ordine quodam. Et cerne ordinem: quia priùs negatio generica cuiuscunque alterius Dei, deinde negatio specifica Deorum in statua, & similitudine præcipitur.

Significanter autem dicitur: *Non erit tibi.* & non dicitur: Non erit, absolutè: vt intelligamus, quòd secundùm se, in rerum ordine, non est Deus alius; sed tibi, vel illi est alius Deus: hoc est, quòd secundùm veritatem nullus est Deus, nisi יהוה (qui dat esse omnibus;) sed secundùm existimationem hominum, secundùm humanos cultus, multi sunt Dij. Et dicit אלהים, tangendo rationem, quare homines colunt aliquem alium, vt Deum: quia, videlicet, timent illum tanquàm Iudicem, tanquàm curam eorum habentem venerantur.

Adiungendo autem: *Super facies meas.* rationem præceptæ negationis reddit: non enim inuidus est Deus, vt ex inuidia ægrè ferat, alios venerari, vt Deos: sed iniuriam propriam depellit. Et huiusmodi iniuria significatur dicendo: *Super facies meas. Facies,* non propriè, sed metaphoricè Deo attribuitur: quemadmodum enim facies hominis est, qua homo agnoscitur; ita facies Dei est id, quo agnoscitur Deus à nobis. Et quoniam multis attributis, multisque radiis prouidentiæ suæ agnoscitur Deus à nobis; ideò, *facies meas,* in plurali numero dicit. Et quia quilibet alius Deus, vel secundùm aliquod diuinum attributum, sapientiæ, potentiæ, bonitatis, fortitudinis, &c. vel secundùm aliquem radium diuinæ prouidentiæ constituitur, creditur, & veneratur; ideò quicunque alius Deus colatur, colitur tanquàm tegens faciem Dei, tanquàm velamen super faciem Dei secundùm effectum, pro quãto tegit hominibus id, quo agnoscitur Deus: tegitur enim cura sũmi Dei circa hoc, vel illud; tegitur gubernatio eius circa nostros actus, &c. dum hæc attribuuntur aliis, tanquàm Diis: huiusmodi enim tegmen diuinæ notitiæ, iniuriam esse veri Dei perspicuum est: & propterea rationem præcepti manifestando dixit: *Super faciem meam.*

Nec mireris, si incongrua grammatica dicitur, *erit*, in numero singulari; אלהים *alij*, in numero plurali. Non dixit, *erunt*, ne errares intelligendo excludi multos Deos alios, & non vnum Deum alium; dicendo enim, *non erit*, præcipitur, quòd nullus aliorum erit tibi in Deum. Et ex hoc, quòd אלהים cum verbo singularis numeri construitur, significatur, quòd plurale pro singulari ponitur[b]: perinde ac si dictum fuisset: Non erit tibi Deus alius.

[b] Hoc idem Genesis cap. 1. Author annotauit.

Vers. 4. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem.] Parui refert, siue sculptile, siue dolatum legas: quod potiùs Hebraïca Litera sonat. Inter dolatum autem, & similitudinem, in proposito hanc differentiam intellige, quòd similitudo habet in rerum ordine id, cui est similis: vt est similitudo hominis, aut equi, aut piscis, & huiusmodi: dolato autem nihil respondet in rerum natura simile: vt dolato constanti ex homine, & cane, & similibus, nulla res respondet in rerum ordine. Et similiter, si quouis figmento formetur idolum Dei, nulla res respondet similis illi idolo: quia Deus ipse nulli idolo est similis. Nec inhibetur Israëlitis facere idola, & similitudines absolutè; sed cum pronomine, *tibi.* Non enim dicitur: Non facies idolum, & similitudinem. quod fuisset inhibere artem pingendi, & artem dolandi, sculpendi, ac fundendi imagines, & similitudines: perspicuum enim est, in tabernaculo Dei fuisse idola Cherubinorum, & similitudines malogranatorum, & liliorum: sed dicitur: *Non facies tibi.* hoc est, non facies, vt tuum Deum idolum, neque omnem similitudinem.

Quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum; nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra.] hoc est, piscium existentium in aquis, quarum situs est inferior terra habitabili. Et hunc esse literalem sensum, patet Deuteronom. 4. vbi hæc repetuntur cum hac expositione: explanando siquidem omnem similitudinem, discurrit per ea, quæ sunt in cælis, quæ sunt in terra, & quæ sunt in aquis, appositis sitibus singulorum.

Vers. 5. Non adorabis[c] ea, neque coles.] Iuxta Hebræum habetur: *Non curuaberis eis, & non seruies eis.* In hac specifica negatione ex secũdo illata præcepto, tres actiones exteriores prohibentur. Prima est, efficere Deum aliquem in idolo, seu similitudine. Secunda est, non exhibere Diis in imagine, seu idolo signũ alicuius honoris, curuando caput, flectẽdo genu, & huiusmodi. Tertia est, non offerre illis, quocũque oblationis genere: omnis enim oblatio sub seruitutis nomine comprehenditur. Interna autẽ actio comprehenditur in ipso secũdo præcepto, dicendo: *Non erit tibi Deus alius.* Et sic secũdum præceptum diuini cultus integratur ex quatuor negationibus: & contra quãcunque negationem fiat, peccatum incurritur. Et propterea non excusantur Philosophi, qui Deos gentium nihil esse arbitrantes, rationem habentes populi colebant illos exterioribus signis: sicut nec excusatur Marcellinus, qui timore actus, exteriori actu obtulit illis thura. Vult enim Deus, nec intùs, nec extrà coli alium Deũm: quia fit ei iniuria, vel in corde, vel in exterioribus signis: & propterea omnia prohibendo expressit.

[c] *Adorare*, in sacris Literis non propriè cultum significat; sed reuerentiam, quam corpore exhibemus: quod obseruãtiæ genus solemus etiã hominibus exhibere. Sic Genesis 23. dicitur Abrahã adorasse populum terræ. & Matthæi 8. leprosum adorasse Christum, hoc est, ad genua procidisse, vt Marcus expressit: Nonnunquam adorationis vocabulum pro cultu, & honore, integráque religione vsurpatur id, quod circunstantiæ facillimè declarabũt, vt hoc loco, & alibi sæpè.

Ego sũ Dominus Deus fortis zelotes.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia ego* יהוה *Elohetuus, El zelotes.* Primã rationem huius præcepti reddidit ex iniuria propria: alterã modò reddit ex vindicta, & præmio. Repetitis autẽ nominibus eisdẽ, ad magis imprimendũ populo debitũ colendi ipsum solum, adiũgit aliud nomen suũ penes attributum fortitudinis dicendo *El*, qualificando ipsum zelotypia: non quòd in Deo sit aliquis inuidiæ modus, (quoniã omnis tristitia, & quæcunque animi passio lõgè est ab eo;) sed metaphoricè dicitur *zelotes* secũdùm similitudinẽ effectus, pro quanto, tanquàm zelotes, nõ vult

vult colentes ipsum esse communes sibi,& alij Deo: quemadmodum maritus non vult vxorem suam communem esse alteri;& propterea occidit illam. Et ideò subiungitur vindicta.

Visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem, iis, qui oderunt me.] Ecce fortitudo zelotypi, tum ad puniendũ osores suos,tum ad benefaciendum amatoribus suis. Sed cerne differentiam:quoniã vindicta non extenditur vltra quattos filios;beneficia autem extenduntur in millia ad significandum,quòd ad conferẽdum bona Deus est propensissimus; ad inferendum autẽ mala est parcus.Et ratio est:quia bona cõfert sua sponte; mala autem infert exigentibus demeritis nostris. Et dicit, *vsque ad quartam generationem*[d]; ne patres,aut filij impunes hîc, existiment se omninò impunes fore hîc: quoniam punientur in tertia,vel quarta generatione saltem. Exempla habentur multa in Scriptura huiusmodi punitionum. Et quamuis Deus in lege Mosis mandauerit, non occidi filios pro peccatis patrum; ipse tamen,qui Creator, Conseruator, & Dominus est vitæ cuiuscunque, nulli facit iniuriam puniendo temporaliter filios pro patribus: vt vel ex hac punitione tolerationem diuinam non paruipendant patres,& in solius Dei cultu perseuerent.

[d] Vt etiã Sancti omnes,à primo vsque ad vltimum, vnũ corpus sunt,caput Christum habentes:quare Scriptura, donari bona dicit illis, quorũ posteris post multa sæcula ea primum exhibentur. sic & mali vniuersi, vnum corpus existunt ꝑ caput habẽtes Satanam, dicitutque inter ipsos retribui illis vltio, quæ à posteris eorũ primum sumitur. Quemadmodũ Matt. 23 super Pharisæos, qui tempore Christi erant, venit omnis sanguis iustus effusus à constitutione mũdi; quem tamen non effuderant. Quod verò requisitus ab eis, & vltus in eis fuerit, eò puto fuisse,quia in ipsis demum ea crudelitas, qua effusus erat, plenè maturuerat, & consummata fuerat,dignáque erat, quæ insceleata illa, & memorabili vltione vindicaretur: nam illi patrum pietatem penitus impleuerant.

Vers. 6. Et faciens misericordiam in millesimos iis,qui diligunt me,& custodiunt præcepta mea.]Significantissimè non meminit tantùm seruantium opere præcepta eius; sed meminit præcipuè amatorum suorũ, & osorum suorum: vt intelligamus, præcepta quidem omnia hæc decem dari de actibus iustitiæ ad reddendum Deo, & hominibus debitum præcipuam autem rationem seruandi, & non seruandi præcepta, exigi amorem Dei, & odium Dei: pœnam siquidem comminatur osoribus ex intentione,vel interpretatiuè: præmium autem promittit amatoribus, & obedientibus opere: ne sint quales describuntur apud Isaiam: *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me.*

Et ex verbis Dei, in hac Litera,in hoc contextu primorum præceptorum,habes, Theologe,quòd præceptum charitatis, quod est primum,& maximum mandatum in lege, non est prætermissum,non est tacitum à Deo tradendo decem præcepta: sed est explicatum, vt prima ratio seruandi omnia præcepta: & propterea non est connumeratum decem præceptis, tanquàm vnum seorsum præceptum; sed, vt dictum est,promulgatum est dupliciter:explicitè quidem, vt ratio meriti in omnibus præceptis; hoc enim manifestè significat promissum præmium amatoribus suis, adiungendo effectum amoris,*custodire præcepta diuina*:implicitè verò in primo præcepto affirmatiuo, vt declaratum est.

Vers. 7. Non assumes nomen Dei tui in vanum.]Iuxta Hebræum habetur: *Non iurabis nomen* יהוה *Elohe tui falsitati.* Ex Chaldaïca officina aiũt scribi hîc, *in vanum.* Hebraïcè enim habetur falsitas,in casu datiuo. Tertiũ præceptum promulgatur:& est negatiuum.Iurat autem falsò, tam quicunque iurando asserit falsum cognitum, quàm falsum dubium: qui autem exactè,discussa sua memoria,fallitur iurando falsum,nõ formaliter iurat falsò, nec est periurus formaliter. Dubius verò, si assertiuè iurat, periurus est:quia ex parte materiæ dubiæ redit actus in naturam falsi iuramenti: perspicuum enim est, quòd qui asserit, quod est dubium,mendax est,& falsum dicit:vtpote dicens certum,quod est dubium. Similiter iurat falsò quicunque iuramento promissorio promittit, quod non intendit efficere. Periurium itaque prohibetur formaliter per hæc verba: *Non iurabis falsitati.* hoc est,ex intentione falsi.

Inseritur autem nomen יהוה *Elohe tui*, ad reddendum rationem præcepti ex iniuria, quæ fit summo Deo,quem tu ipse colis,& profiteris Iudicem:magna siquidem irrogatur irreuerentia illi, afferendo eum in testem falsi, qui est summus Deus, quem colis,& profiteris iustum Iudicem. Et meminit nominis, quia intentio iurantis falsò non est, vt Deus testimonium perhibeat dicto iurantis; sed diuini nominis attestatione authorare, quod dicit: & propterea directè fit iniuria diuino nomini.

Nec enim habebit insontem Dominus.]Nomẽ est tetragrammaton. Et pœna apponitur summi Dei iudicio infligenda falsò iuranti: vt vtrinque(videlicet,ex irreuerẽtia diuini nominis,& ex diuina punitione) vitetur periurium. Et quoniam futurum hoc iudicium diuinum raro impletum videmus in hac vita,cõsequens est, vt verificatio istius literæ diuinum iudicium post hanc vitã comprehendat. Quod annotare debent illi,qui negant in libris Mosis contineri aliquid futuræ post mortem vitæ.

Eum,qui assumpserit nomen Domini sui frustrà.]Iuxta Hebræum habetur: *Eum, qui iurabit nomen eius falsitati.* Est enim huiusmodi iuramentum peccatum mortale ex proprio genere; vtpote contra reuerentiam debitam diuino nomini.

Vers 8. Memento, vt diem Sabbathi sanctifices: sex diebus operaberis.] Iuxta Hebræum habetur:*Recordando diem requiei ad sanctificandum ipsum.*

Sex diebus seruies, & facies omnia opera tua[e].] Quartum præceptum promulgatur de septima quaque die dicãda Deo, quiescendo ab omni seruili opere. Vbi quoad ordinem Literæ aduertere potes,quòd non sunt tot orationes in Hebræo; sed est vnica oratio inchoans à gerundio:& significans,quòd reuocãdo ad memoriam diem deputatum quieti sanctificandum (hoc est, mundificandum) esse, proculdubiò ab operibus seruilibus sex diebus exercebis opera; hoc est,sic operaberis sex diebus, vt non reserues aliquid operandum in diẽ septimum:ad hoc enim seruit recordatio. Et si sex dierum mentio hæc perspicaciùs fuerit librata,apparebit ratio exceptionum:ex eo enim, quòd nullum opus reseruandum in diem septimum decernitur, excipiuntur opera, tum ex euentibus in die septimo opportuna, putà ex prælio, vt apud Machabæos; tum ex casu bouis in puteum, vt in Euangelio, & similibus; tum ex penuria alimenti illius diei, vt contigit discipulis Christi fricantibus spicas; tum ex onere diei, siue quotidiano, (vt soluere animal,& ducere ad aquam,) siue illis diebus, vt seruire grauiter ægris coquendo, &c. hæc enim & similia non possunt præueniendo fieri sexto die, vel antè; nec possunt differri in diem octauum; & excepta intelliguntur,

[e] Vide de hoc præcepto Leuitici 19.

tur, dicendo: *Sex diebus seruies recordando*, &c. Alioquin frustrà fieret mentio seruitiorum sex dierum: non enim præcipitur, vt sex diebus homo operetur; sed quòd septimo quiescat.

Promulgatur autem hoc modo istud præceptum, vt intelligamus, rationem præcepti esse recordationem: vt intelligamus, non placere Deo quietem ab operibus septima quaque die, nisi ratione memoriæ, nisi ratione interni cultus [f]. Exterior siquidem munditia ab operibus, nisi ex interno proueniat cultu, vana est. Vnde & scriptum posteà ab Ieremia est: *Deriserunt Sabbatha eius.* Deridenda siquidem est sola externa requies; vtpote iactura septimæ partis temporis.

[f] In Sabbathis lex Dei legebatur, atque erudiebatur ad timorem Domini populus, Christiq; futuri admonebatur, animi pietatem atque gratitudinem testantes; idque erat, dies illos sanctos habere Domino.

Et dicitur in Hebræo: *Seruies, & facies opus tuum.* In die septimo non solùm opera seruilia; sed etiam alia opera significantur prohibita: non enim fas erat emere, vendere, contrahere, scribere, iter agere, & id genus reliqua facere die septima; quamuis hæc non sint opera seruilia: arctior enim erat obseruatio diei septimi, quàm reliquorum dierum festorum posteà statutorum. Et dicendo, *tuum*, excipit opus diuinum, hoc est, opus diuini cultus, quamuis seruile; vt excoriare agnos, & animalia in sacrificium: huiusmodi enim opus licitum erat reseruare in diem septimum, iuxta deuotionem offerentium. Et ratione operum, non hominis, sed Dei, dicitur, quòd *Sacerdotes in templo Sabbathum violant, & sine crimine sunt.* Et eadem ratione circuncisio fiebat in die Sabbathi.

Vers. 10. Septimo autem die Sabbathum Domini Dei tui est.] Iuxta Hebræum clariùs habetur: *Et dies septimus requies* יהוה *Elohe tuo.* Ad significandum, quòd totus dies septimus est dicatus quiescendo summo Deo, ac Iudici, qui colitur à te.

Non facies omne opus in eo.] Manifestat, penes quid attenditur requies, de qua est sermo. Et intellige nullum opus proprium, vt prædictum est.

Tu, & filius tuus, & filia tua; seruus tuus, & ancilla tua; iumentum tuum, & aduena, qui est inter portas tuas.] Quia populo libero præcepta dantur, præcipitur, vt etiam ab Ethnicis seruari faciant diem septimam quoad quietem ab operibus: quoniam dedecet publicum festum turpe reddi à peregrinis. Aduerte hîc, prudens lector, quòd nulla fit mentio pastorum; sed tantummodo serui, & ancillæ, qui sunt partes domus; tanquàm impossibile sit, priuare magnos ouium greges, septima quaque die, aliquo superintendente.

Vers. 11. Sex enim diebus fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt [g].] Nomen est tetragrammaton: & idem nomen repetitur dicendo: *Benedixit Dominus.*

[g] Hinc manifestè constat, non omnia simul esse producta.

Et requieuit die septimo: idcircò benedixit Dominus diei Sabbathi, & sanctificauit [h] eum.] Ratio redditur quiescendi die septimo ex quiete diuina à creando mundum, scripta die septimo; & benedictione, ac sanctificatione eiusdem diei. Quæ omnia exposita vide in principio Genesis.

[h] Sanctificauit, id est, ad cultum suum deputauit.

Aduerte hîc, quòd inter omnia hæc decem præcepta, istud duntaxat est non penitùs morale: reliqua enim sunt omni ex parte debita secundùm rectam rationem naturalem; hoc autem, partim est morale, (hoc est, secundùm rectam rationem naturalem debitum;) partim verò cæremoniale, hoc est, debitum, quia statutum, quia lege positum. Et quidem, quòd aliquod tempus dicetur Deo ad vacandum diuino cultui, ad commemorandum diuina beneficia, & præcipuè beneficium creationis, recta ratio exigit: ad commemorandum, inquam, non solùm singillatim, sed publicè, non solùm cultu interno, sed aliquo exteriori signo: homines enim sumus, ex intellectu, & sensu compositi; & singuli, & vniuersi tenemur ad hoc, humanam sequentes rationem. Quòd verò tempus dicandum diuino cultui publico, sit quæque dies septima, aut alia dies; quòd sit dies integer, aut pars diei; quòd tot opera inhibeantur illo die; cæremoniale est: posset enim recta ratione aliter statui. Et hinc fit, vt licitè non habeatur dies festus, tempore reuelatæ gratiæ dies septimus; sed propter resurrectionem Christi translatus est in diem octauum, & non cum arcta quiete ab operibus. Inseruit autem Deus ore proprio aliquid iuris positiui iuri morali naturali, ad authorandum alia positiua iura, quæ per Mosen promulgaturus erat: nisi enim ipse Deus aliquod ius positiuum promulgasset, suspicatus fortè fuisset populus, quòd nihil iuris positiui proficisceretur à Deo; & non mandata Dei, sed mandata hominum existimasset omnia positiua iura promulgata à Mose.

Vers. 12. Honora patrem tuum, & matrem tuam.] Quintum præceptum promulgatur: & est affirmatiuum. Et est primum præceptum datum homini relatiuè ad alios homines. Prima enim quatuor præcepta data sunt homini relatiuè ad Deum: primum, ad ipsum Deum: secundum, ad ipsum solum: tertium, ad nomen Dei: quartum, ad beneficia Dei. Hoc itaque relatiuè ad homines à primis inter homines benefactoribus nostris, (patre, videlicet, & matre,) nomen, ac initium habet. Dico autem *initium*: quia Paulus Apostolus Timotheo scribens, hoc præceptum extendi exponit ad personas omnes, ad quas se extendit pietatis virtus: interpretatur enim promissionem hîc scriptam, factam esse pietati; & non duntaxat pietati honorandi patrem, & matrem. Ergo in primo pietatis actu, qui est, honorare patrem, & matrem, intellige vniuersam pietatem debitam patri, & matri, & reliquis sanguine iunctis, patriæ, ciuibus, patriæque beneuolis præcipi. Vnde & Dominus in Euangelio sub honore debito patri, & matri, intelligit etiam subuentiones debitas patri, & matri.

Vt sis longæuus super terram.] Aptè prolongatio vitæ corporalis retribuitur piis erga parentes, tanquàm gratis accepto à parentibus beneficio vitæ: decet siquidem, vt grati benefactoribus fruantur beneficio longo tempore. Et hanc promissionem intellige, quantùm est ex parte pietatis: aliunde siquidem impedimentum præstari potest efficaciæ huius promissionis; & hinc fit, vt aliqui in parentes pij, parum vixerint.

Quam Dominus Deus tuus dabit tibi.] Iuxta Hebr. habetur: *Quā* יהוה *Elohe tuus dans tibi.* Non promittitur tantummodo vita longæua; sed etiam in patria propria, lacte, & melle manante, dicendo: *Super terram,* quam

quam Deus tuus dans tibi. Et dicit, *dans* : quia, quantùm erat ex parte Dei, erat tunc dans, (vtpote ducens eos in terram illam,) sed peccata eorum impedierunt, & distulerunt quadraginta annis. Diuinorum autem nominum ratio iam reddita est.

Vers. 13. Non occides.] Sextum præceptum promulgatur : & est negatiuum. Et, vt aiunt Hebræi, dictio interpretata, *occides*, appropriata est occisioni hominis : ita quòd non est communis occisioni hominis, & occisioni aliorum animalium. Et si ita est, non est opus, vt apponatur, tanquàm glossa, *hominem* : perinde enim dictũ est: Non occides. ac si dictum fuisset : Non homicides. data fingendi licentia. Quocunque autem modo legas, proculdubiò homicidium duntaxat prohibetur: ita quòd nec animalia irrationalia prohibemur occidere, quę naturali iure occidere possumus, vt vescamur eis, vel ne molesta sint nobis. Nec iusta hominis occisio prohibetur; imò inferiùs subiungetur : *Maleficos non patieris viuere super terram.* homicidium enim iniustam hominis occisionem sonat. Et hoc est primum mandatum inter prohibentia nocere homini: quia maximum nocumentum est, tollere vitam.

Vers. 14. Non mœchaberis.] Clariùs legeretur: Non committes adulterium. quoniam mœchari, quanuis propriè ad adulterium spectet; dicimus tamen : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.* Septimum itaque præceptum adulterium prohibet: quo iniuria fit coniugi, & prolis certitudini, quoad partem.

Vers. 15. Non furtum facies.] Octauum præceptum res alienas, inuito domino, tollere occultè, vetat: has enim omnes cõditiones exigit furti ratio. Et multò magis rapina intelligitur prohibita, quantò deterior est rapina furto.

Vers. 16. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.] Post tria peccata operis contra proximum, (videlicet, homicidium, adulterium, & furtum,) prohibetur peccatum locutionis efficacis ad nocendum : quale est falsum testimonium, quod potest nocere, & vitæ, & honori, & rebus, &c.

Vers. 17. Non concupisces domum proximi tui : nec desiderabis vxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt.] Decimum, & vltimum præceptum prohibet peccatum cordis, ad differentiam omnium humanarum legum : nulla enim lex humana prohibet peccatum cordis; quia non potest Iudex esse cordis homo aliquis. Ad monstrandum itaque, quòd lex ista decem præceptorum verè est lex diuina, expressè prohibet peccata cordis sub vno præcepto prohibendo illicitum appetitum, tam boni delectabilis, quàm boni vtilis : delectabilis quidem, dicendo: *Non concupisces vxorem alterius.* vtilis verò dicendo : *Non concupisces domum alterius, non seruum, non ancillam*, &c. Exigit enim Deus præcipuè munditiam ac bonitatem internam. Et propterea in pœna, & præmio primorum præceptorum corda pensare se dixit, (dum osoribus suis pœnam, & amatoribus suis præmium promisit : odium enim, & amor Dei, in corde sunt;) & legem terminauit, prohibendo peccata cordis, vt ex principio, & fine legis perpenderemus, quantùm librentur à Deo ea, quæ sunt in cordibus nostris.

Et quanuis nouerim, hoc præceptum distingui posse in duo præcepta dupliciter; (vel iuxta hìc scripta : alterum, de appetitu rerum immobilium, significato per appetitum alienæ domus : alterum, appetitus rerum mobilium, significati appetitu alienæ vxoris, serui, ancillæ, &c. habet enim quandam specialem rationem alliciẽdi res immobilis, atque perpetuá, vt domus, ager, regnũ, & huiusmodi. Vel iuxta scripta Deuter. 5. vbi hæc repetuntur præpostero ordine, dicendo : *Non concupisces vxorem proximi tui: nec concupisces agrum eius, & seruum eius*, &c. ita quòd alterum inhibeat appetitum delectabilis in vxore aliena; alterum appetitum vtilis in re aliena, tam immobili, quàm mobili:) rationi tamen magis consentaneum visum est, vt ipsa mixtura varia, (videlicet, hìc, vxoris cum aliis rebus, quæ possidentur; in Deuter. autem domus cũm aliis rebus, tam mobilibus, quàm immobilibus:) vt hæc, inquam, varia mixtura vxoris, & domus, ex industria facta sit à Mose, ad insinuandum, quòd non refert, quouis modo misceas hæc appetibilia; quia vnius sunt præcepti : prohibentur enim omnia hæc appetenda, quia aliena. Vnde non prohibetur mulier, sed alterius vxor; & similiter domus, & reliqua, quia alterius sunt: vt ex vna, eadémque ratione prohibendi, vnum præceptum intelligatur.

Vers. 18. Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ.] Iuxta Hebræum habetur : *Et totus populus videns voces, & fulgura, & vocem cornu, & montem fumantem.* Non narrat hìc Moses omnia: omittit siquidem quatuor, quæ in Deuteronomio supplet. Primum est flamma ardens vsque ad cor cælorum : secundum est caligo: tertium est nubes : quartum est obscuritas : hæc enim omnia visa sunt ab vniuerso populo. Qualiter autem disposita erant, non facilè dixerim : potest enim intelligi, quòd essent nubes atræ in aëre supra montem, in quibus nubibus fiebant tonitrua, & coruscationes; & fortè inde etiam manabat vox cornea: in monte autem flamma ardens mixta fumo, & caligini; & propterea obscuritas erat, tam in nubibus, quàm in monte: fumus enim, & caligo reddebant flammam subobscuram : videbatur enim flamma magna valdè, pertransiens illam aëris partem, in qua erat nubes supra cacumen montis, ex qua procedebat vox diuina : (quia expressè pluries dicitur in Deuteronomio, quòd Deus è medio ignis locutus est : & hìc subiungitur, quòd è cælis locutus est populo:) sed flamma non conspiciebatur clara, sed subobscura. Et legendo, *videns voces*, hoc est, tonitrua; memento, quòd videre pro certa notitia ad sensum quocunque sensu sæpè ponitur. Et cum his omnibus confer commemoratas aquas ex cælis per nubes, & fluentes de monte Iudic. 5. in Cantico Deboræ : & dispone hæc omnia mirabiliter simul.

Et perterriti, ac pauore concussi steterunt procul.] Plùs dicitur, quàm sit in Textu Hebræo: *Et viderunt populus, & mouerunt se, & steterunt procul.* An hæc fuerint, loquente Deo, an finito sermone Dei, non facilè diffinitur: rationi siquidem humanæ consentaneum est, vt tonitrua,

tonitrua, fulgura, & tubæ corneæ sonus, præcesserint sermonem Dei,(propter quod meminit eorum Scriptura ante sermonem Dei,) & subsecuta fuerint sermonem Dei: (& propterea Scriptura iterum meminit eorũ, finito, scilicet, Dei sermone, expresè enim dicitur Deuter. 5. quòd dictis his decem Deus siluit:) loquente autem Deo hæc tria quieuerint. Videmus enim, quòd huiusmodi vocum, & sonorum signa antecedunt, & sequuntur sermones regios: loquente autem Rege silent omnia: reliqua verò quinque,(videlicet, flamma, fumus, caligo, nubes, & obscuritas) continua perseuerauerint. Nonum autem, (scilicet, magnus tremor montis, qui fuit ante sermonem Dei,) an fuerit repetitum, scriptũ non est. Et propterea, cùm nec rationabile sit, quòd perseuerauerit, loquente Deo, (quoniam impedisset magni tremoris sonitu sermonem Dei,) intelligendum est, quòd finitum fuerit ante sermonem Dei, nec posteà repetitum. Retrocessio autem populi, finito Dei sermone, cùm repeterentur tonitrua, coruscationes, & vehemens quasi tubæ corneæ sonus, fuit: timuit enim populus, ne iterum Deus loqueretur. Et propterea subditur:

Vers. 19. Dicentes Mosi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur [i].] Vt explanatur in Deuteronomij 5. capita Tribuum dixerunt hæc verba Mosi. Et duas rationes formidandæ mortis attulerunt: alteram, ex parte magni ignis; quæ hîc tacetur: alteram, ex parte locutionis Dei cum eis immediatè; cuius hîc fit mentio. Vbi considera, quòd homines, qui nunquam viderunt Regem, seu Imperatorem, si coram majestate regia, tanquàm allocuturi, venerint, præsente regia majestate, & alloquente in majestate, tremerent omnes: experientia enim testatur quotidiana, insolitos pauere, & tremere. Multò minùs præsentiam Dei colloquentis in majestate tot signorum terribilium, sufferre absque pauore, & tremore poterat populus. Et arbitratus primam partem sermonis diuini duntaxat finitam tunc esse, timens secundam partem rogauit, vt per Mosen reliqua diuina mandata audiret: cognoscebant enim, quòd hæc decem præcepta non sufficiebant ad regimen populi; sed alia addenda erãt. Et propterea rationabiliter cogitauerunt superesse multùm diuini sermonis, & rationabiliter timuerunt, ac postularunt: vt approbatio diuina scripta in Deuteronomio testatur. Et aptè Deus operatus est in cordibus eorum, hæc: nam & rectæ rationis ordo poscebat, vt præcepta hæc decem, quæ Deus per seipsum indidit mentibus hominum, tanquàm principia, quæ cognoscuntur statim cognitis terminis, per seipsum quoque Israëlitis sensibiliter promulgaret: & præcepta alia, quæ homo ab homine solitus est discere, per Mosen promulgaret. Et nomen אלהים hîc scribitur: quia cum majestate legislatoris Deus loquebatur. Et propterea timebant iterum audire illum.

[i] Timuerũt, eò quòd nostra natura à diuiniore immortalitatis luce diuino quodam instinctu terretur, quod sentiat se ab illa absorbendã. Quare mox consolationem adiecit Moses.

Vers. 20. Et ait Moses ad populum: Nolite timere.] Valdè amicum fuit huic Interpreti verbum, *nolo*: infinities siquidem in vulgata editione inuenitur, *noli*, seu *nolite*, ex officina Interpretis. Iuxta Hebræum habetur: *Non timebitis*, hoc est, ne timeatis.

Vt enim probaret vos, venit Deus.] Nomen est *Elohim*, ratione iã dicta. Et est sensus, quòd Deus venit præsens ad similitudinem tentantis vos, qualiter vos exhiberetis in præsentia eius: an, scilicet, cum debita reuerentia, & animi promptitudine ad obediendum, an secùs: humano enim more de Deo loquitur: non enim Deus propriè, sed metaphoricè tentat, (sicut & irascitur,) secundùm similitudinem effectus, pro quanto facit effectum tentantis: facit, scilicet, apparere reuerentiam populi, & animi promptitudinem ad obediendum Deo legislatori.

Et vt terror illius esset in vobis.] Iuxta Hebræum habetur: *Super facies vestras, & non peccaretis.* Altera redditur ratio præsentiæ Dei. Et directè est ratio majestatis terribilis in signis apparentibus, vt super eorum facies ad sensum appareret, vnde timerent Deum, ne peccarent, ita quòd timor tutor esset eorum, ne peccarent. Per timorem enim Dei declinat quilibet à peccato, vt scribitur Prou. 15.

Vers. 21. Stetitque populus de longè: Moses autem ascendit ad caliginem, in qua erat Deus.] Nomen est *Elohim*, nec propriè habetur, *accessit*; sed, *appropinquauit*. Non est reuersus populus in tabernacula sua; sed substitit, remotior tamen à monte, expectando responsionem diuinam per Mosen, eorum Legatum ad Elohim, qui ascendens in montem, vsque ad montis cacumen accessit ad locum, scilicet, in quo priùs fuerat cum Deo: Deus enim non in monte, sed in nube in aëre supra montem erat. Et propterea dicitur in litera, quòd Moses appropinquauit ad caliginem, (hoc est, ad nubem caliginosam, quæ, scilicet, caligine continuabatur cum cacumine montis,) in qua erat אלהים Deus legislator. Et tacet hîc Moses, quæ suppleuit in Deuteronomio, quòd Deus remisit Mosen ad populum, approbando petitionem populi, & concedendo, vt reuerterentur in tabernacula sua; ipse verò Moses maneret cum Deo, auditurus alia præcepta.

Vers. 22. Dixitque præterea Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit* יהוה *ad Mosen.* Hæc post reditum populi ad tabernacula sua, regresso Mose ad Deum, dicta fuerunt. Et nominatur יהוה, ad significandum, quòd ab ipso fonte essendi data fuerint etiam hæc præcepta iudicialia cæremonialia, & moralia.

Hæc dices filiis Israël: Vos vidistis, quòd de cælo locutus sim vobis.] Iuxta Hebræum explicatur plùs, dicendo: *Locutus sum vobiscum*; vt quamuis majestas fuerit in loquente; familiaritas tamen fuit in locutione. Et hinc, vt prælibatum est, habetur, quòd non in monte, sed in aëre supra montem apparebat Deus loquens: Hebraïca enim consuetudine appellatione cælorum comprehenditur etiam aër. Commemorandam autem hanc visionem præcipit, vt hinc perpendant, quòd ipse, quem colunt, est verus Deus, Dominus cælorum, & terræ; & quòd non Mosis sunt artes, seu figmenta; sed diuina opera, quæ ipsi ad sensum viderunt: non enim fingi potest, quòd fuisset opus Mosis, quod vos vidistis, & audistis; loquentem, scilicet, me de cælis vobiscum: ita vt omnes intelligeretis sermonem meum decem præceptorum.

Vers. 23. Non facietis (deficit, *mecum*)

Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis.] Sciens Deus pronitatem populi ad idololatriam ex visis, repetit secundum præceptum. Et dicendo, *mecum*, testatur, quòd ipsa prima fronte allocutionis, præceptum, & fœdus, quòd ipse esset Deus eorum, habitum fuerit. Et *Elohe* nomen scribitur, dicendo: *Elohe argenti, & Elohe auri*.

Vers. 24. Altare [k] de terra facietis mihi.] Ad differentiam altarium, quæ construebantur idolis, præcipitur altare terreum, hoc est, latericium.

k Altaria magna, miræque constructionis, & fabricæ, gẽtes olim suis idolis erigebant, vt legis 4. Reg. 16. de altari Regis Syriæ, quod erat in Damasco, ad cuius stupendam molem, ac similitudinẽ Rex Achaz simile in Hierusalem iussit construi. Meminerunt itidem historiæ de aris Cæsaris, Herculis, & aliorum miro artificio, ac structura, innumerisque cæremoniis, compositis simul, & consecratis.

Et offeretis super ipsum holocausta, & pacifica vestra; oues vestras, & boues.] Occurrit quæstio ex Ieremiæ cap. 7. quoniam ibi Deus dicit: *Non sum locutus cum patribus vestris, nec præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, super verbis holocausti, & victimæ*. Qua itaque ratione stant hæc duo simul: hîc enim manifestè diuinus est sermo de holocaustis, & victimis. Solutio est, quòd Ieremias verum dicit de sermone, & præcepto Domini, ore proprio ad populum: & propterea dicit, *cum patribus vestris*. Decem enim duntaxat præcepta dedit Deus, colloquendo cum populo per seipsum immediatè, nihil dicendo de holocaustis, & victimis: hæc enim, quæ de altari, & sacrificiis præcipiuntur, mandauit Deus posteà populo per Mosen.

Differentia inter pacifica, & holocausta, inferiùs patebit in loco proprio.

In omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei.] Iuxta Hebræum habetur: *In omni loco, quo faciam memorare nomen meum*. Electionem loci sibi reseruat. Et est sermo de loco tabernaculi, seu templi, in terra promissionis. Nam præcepta hæc data post decem præcepta, non obligabant, nisi in terra promissionis. Expressè enim dicitur Deuteronomij 5. de omnibus his præceptis hoc.

Veniam ad te, & benedicam tibi.] Exauditio promittitur sacrificantibus obediendo.

Vers. 25. Quòd si altare lapideũ feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus [l]. Si enim leuaueris cultrum tuũ super ipsum, polluetur.] Ad differentiam idololatrarum facientium altaria ex marmore polito, & vario opere sculpto, profanum censet quodcunque altare ex lapidibus sectis: vult enim altare suum, vel latericium, vel ex lapidibus, quales apponuntur in communibus fabricis.

l Sic Iosuẽ altare de lapidibus impolitis struxit Iosue 8.

Vers. 26 Non ascẽdes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua.] Multitudo graduum tanta prohibetur, quæ pudenda viri absque feminalibus conspicienda redderet existentibus in planitie: & non prohibentur gradus pauci alieni à periculo huiusmodi; vt ratio subiuncta testatur.

CAPVT XXI.

VERS. 1.

HÆc sunt iudicia [a].] Hoc est, præcepta iudicialia ad gubernandum populum iustè.

a Quantùm cuique genti, & populo cõmodo esse possit, ex his legibus rationem reipub. instituendæ, ac moderandæ mutuare, facilè diiudicari potest: neque enim est aliquis Solon, Plato, aut Aristoteles; nulli deniq; Iurisconsulti, aut Cæsares, qui leges meliores Deo dare potuerint. Quare ad eas, precor, aduerte.

Quæ propones eis. *Vers.* 2. Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi: in septimo egredietur liber gratis. *Vers.* 3. Cum quali veste intrauerit, cum tali exeat.] Iuxta Hebræum habetur: *Si in corpore suo veniet, in corpore suo exibit: si habens vxorẽ, & vxor eius egredietur simul*. Nulla fit mentio vestium: sed proposita substantia legis, apponuntur circunstantiæ diuersæ iuxta diuersas conditiones Hebræi empti in seruum. Et libratur conditio, an solus intrauerit, an cum vxore: decernendo, quòd si seruitutem intrauit solus, exibit solus: si verò cum coniuge, exibit cum coniuge.

Vers. 4. Si autem dominus eius dederit ei vxorem, & pepererit ei filios, vel filias; mulier, & filij eius erunt domini sui: ipse verò exibit cum vestitu suo.] Legendum est: *In corpore suo*. Alteram conditionem considerat: quòd si emptor illius dederit illi vxorem, quæ infra illos sex annos genuerit filios, aut filias; quia mulier illa est domini, remanebit cum filiis apud dominum: & Hebræus seruus exibit anno septimo in corpore suo; hoc est, solus. Considera hîc, prudens lector, absque libello repudij alterum separandi coniuges modum in lege Mosis.

Vers. 5. Quòd si dixerit seruus: Diligo dominum meum, vxorem, ac liberos: non egrediar liber. *Vers.* 6. offeret eum dominus eius Diis.] Iuxta Hebræum habetur, אלהים; hoc est, Iudicibus gubernatoribus ciuitatis.

Et applicabitur ad ostium, & postes.] Iuxta Hebræum habetur: *Vel ad postem*.

Perforabitque aurem eius subula.] Interpres actionem domini, (videlicet, facere appropinquare seruum ad ostium, seu postem,) impersonaliter significauit. Et est sermo de ostio, seu poste domus propriæ. Et exigebatur huiusmodi appropinquatio ad postem, vel ostium; vt simul perforaretur auricula, & postis, seu ostium: sic enim fiebat perforatio, tanquàm detentio serui ad domum illam. Et sic describitur in Hebræo Deuteronomij 15. Et propterea dicitur disiunctiuè, *vel postem*; quia lignea erant, postis, & ostium: ac per hoc penetrabile vtrunque erat subula [b]. Fiebátque huiusmodi perforatio publicè, & authoritate publica; (à domino tamen illius serui petentis manere in seruitute:) ad hoc vt rari inuenirentur Hebræi appetitores huiusmodi seruituris: vt si non horrerent seruitutem, horrerent saltem talem ignominiam publicam.

b Id spectauit Dominus in hac lege, vt seruitus inter fideles admissa, tolerabilis esset, iusta, & clemẽs, septimo anno finienda.

Et erit ei seruus in sæculum.] Hoc est, vsque ad Iubileum.

Vers. 7. Si quis vendiderit filiam suam in famulam, non egredietur sicut ancillæ.] Corrupta est litera: legendum est: *Sicut serui exire consueuerunt*. Non eadem lex decernitur de Hebræa vendita in ancillam, quæ decreta est de Hebræo vendito in seruum: aliam siquidem legem de muliere promulgat. Nisi enim de Hebræa loqueretur, non diceret: *Non exibit sicut serui*. de quibus præmisit legem.

Vers. 8. Si displicuerit oculis domini sui, cui tradita fuerit, dimittet eam.]

Iuxta Hebræum habetur: *Si mala in oculis Domini sui,qui non desponsauit ipsam, redimere faciet eam.*

Populo autem alieno vendendi non habebit licentiam, si spreuerit eam. *Vers.* 9. Si autem filio suo desponderit eam, iuxta morem filiarum faciet illi. *Vers.* 10. Quòd si aliam sibi acceperit, prouidebit puellæ nuptias,& vestimenta,& pretium pudicitiæ non negabit.] Iuxta Hebræum habetur: *Alimentum eius, operimentum eius, & tempus eius non minuet.*

Vers. 11. Si autem tria ista non fecerit, egredietur gratis absque pecunia.] Lex puellarum Hebræarum venditarum in ancillas,considerat multas diuersitates, quæ communiter eueniebant tunc, quando licitum erat habere plures vxores; & ancillas speciosas domini accipiebant in concubinas,hoc est,in vxores,quantùm ad thorum; non autem quantùm ad gubernationem domus. Et propterea non vxores,sed concubinæ [c] appellantur. Et omnes hos euentus intellige ante septimum annum à seruitute. Nam non deterioris conditionis censentur ancillæ Hebrææ, quàm serui Hebræi in Litera, vt patet. Considerat itaque lex,vt Hebræa ancilla, si ante septimum à seruitute annum displicuerit domino suo,vel est incognita à domino, seu filio eius; & tunc licitè vendet eam: non tamen potestatem habebit vendendi eam populo ignoto, hoc est,vendendi eam homini Hebræo alterius populi: vetat enim lex transferri puellam de ciuitate in ciuitatem. Et meritò; tum, quia contra intentionem parentum,qui in illa ciuitate filiam locauerunt; tum quia naturaliter exosus est ignotus conuersatione populus puellis. Vel est cognita à domino, vel filio eius;& tunc si displicentia trahit ad eiiciendum illam, tenebitur tractare illam vt filiam;hoc est, dotare illam dote,qua dotata fuisset à patre suo. Et meritò: quia abstulit ab ea virginitatem: est enim dos quasi pretium pudicitiæ.

[c] Secundæ vxores quare appellabantur concubinæ in veteri lege.

Si verò displicentia non inducit ad eiiciendam eam, sed ad accipiendam alteram concubinam; tunc tenebitur ad tria;videlicet, ad alimenta,ad vestitum, & ad tempore competente reddendum debitum coniugale. Et si hæc tria non fecerit, poterit ancilla illa exire à seruitute libera absque pretio aliquo:. ex eo enim,quòd non eiicitur, sed ipsa recedit, quamuis ex causa rationabili, (putà, quia minuitur ei debitum coniugale,)non dotatur,sed vendicat sibi libertatem. In casu verò eiectionis, vendicabat,(vt dictum est.) & libertatem,& dotem. Hæc est lex puellarum Hebræarum, quæ vendebantur in ancillas. Vbi,prudens lector,considera,quòd in huiusmodi vilis conditionis personis,(seruis, scilicet,& ancillis,vtpote non dominis fuimet,) lex vetus diuortia sine solennitate instituit,seu permisit,iuxta vsum illius temporis: sunt enim separationes istæ quædam species libelli repudij absque solennitate libelli:nam & seruus nolens perseuerare cum coniuge serua domini sui, tanquàm repudians illam est: & similiter ancilla cognita,cui minùs benè prouidetur,tanquàm repudiata habetur.

Vers. 12. Qui percusserit hominem volens occidere.] Iuxta Hebræum habetur: *Percutiens hominem,& morietur,morte moriatur.* Post leges seruorum, leges homicidij promulgantur. Quarum prima simpliciter,& absolutè pœnam homicidij decernit mortem. Et quia verba formaliter intelligenda sunt, sensus legis est, quòd percutiens ex intentione percutiendi hominem. Nullàque differentia fit inter Hebræum,& non Hebræum. Et similiter nullum adiectiuum apponitur excusans, (putà, hominem persecutorem, aut aliquid eiusmodi:) sed dicitur absolutè, *hominem*:vt ex re percussa iniquitas percutientis manifestetur: iniquum est enim,vt homo percutiat hominem,absolutè loquendo.Dicendo autem,*& morietur*,pensat lex effectum secutæ mortis ex percussione, non curando an ille percusserit animo occidendi, vel duntaxat animo percutiendi. Et meritò, quia percussiones non mensurantur.

Vers. 13. Qui autem non est insidiatus.] Iuxta Hebræum non sic continuatur: sed habetur: *Et qui non est insidiatus.* Limitatio est antedictæ legis ex parte percutientis. Excipitur enim, qui non est insidiatus; hoc est,qui priùs non expectauit commoditatem ad percutiendum, vtpote nihil habens aduersùs hominem illum. Et ad hoc magis explicandum subiungitur:

Sed Deus illum tradidit in manus eius.] Iuxta Hebræum habetur. *Et* אלהים *parauit manui eius.* Homicidium repentinum iusto Dei iudicio Scriptura attribuit. Vt quanuis percutiens non parauerit occisionem illius; Deus tamen iusto iudicio parauit illum occidendum inopinatè ab hoc. Et scribitur hoc, vt discamus, non casui, aut fortunæ occursus istos attribuere; sed prouidentiæ supremi,& occulti nobis Iudicis.

Constituam tibi locum, quò fugere [d] debeat.] De ciuitatibus refugij est sermo,ad quarum aliquam confugiens huiusmodi homicida liberabatur à pœna mortis. Sed de his erit latior sermo in loco proprio.

[d] Pro ciuitatibus, quæ fuerunt in politia Mosaica, ad asylum insontium deputatæ, sunt in politia Christiana Ecclesiæ, de qua re extant leges in codice lib. 1. ab hac lege mutuatæ.

Vers. 14. Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias.] Iuxta Hebræum habetur: *Et quando studuerit vir super socium suum ad occidendum eum in ingenio.* Multæ sunt in hac lege conditiones,quæ non fuerunt in lege de homicidio absolutè: ibi enim decernitur de occiso homine,hîc verò de occiso socio: ibi nihil dicitur de intentione occidendi;hîc verò non solùm intentio occidendi,sed mentis vtraque pars,(hoc est,intellectus, & voluntas,) machinans ad occisionem describitur: intellectus quidem,dicendo, *in ingenio*; voluntas autem dicendo, *studuerit*. Nec scribuntur hæc intus in animo, sed prodeuntia extra in actiones,dicendo *ad occidendum*: quemadmodum fecit Ioab occidendo Abner,& Hamasam.

Ab altari meo auelles eum, vt moriatur.] Non solùm pœna mortis infligenda decernitur; sed omnis spes refugij adimitur; statuendo, quòd nec loco altaris deferatur. Et sic de facto fuit adimpletum in Ioab à Salomone [e].

[e] 3. Reg. 2.

Vers. 15. Qui percusserit patrem suum, aut matrem,morte moriatur.] Non dicitur:Qui percusserit,& mortuus fuerit, sed sola percussio patris, aut matris pœna mortis punitur. Et meritò propter atrocitatem iniuriæ ex parte personæ percussæ relatiuè ad percutientem.

tem. Et intellige semper leges formaliter; hoc est, ex intentione. Et est sermo de percussione, quæ non excusatur propter imperfectionem actus; putà, quia modicum pro nihilo reputatur.

Vers. 16. Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuictus noxę.] Iuxta Hebræum habetur: *Furans virum, & vendet ipsum, & erit inuentus in manu eius, morte moriatur.* Furtum viri in vtroque casu punitur morte; siue vendiderit illum, siue apud se retinuerit illum. Hos enim euentus Hebraica significat litera: alterum, dicendo: *Et vendet eum.* alterum, dicendo: *Et inuentus fuerit in manu eius.* proculdubiò furis. Et maiori ratione raptor viri puniebatur morte.

Vers. 17. Qui maledixerit patri suo, vel matri; morte moriatur.] Quemadmodum de percussione parentum; ita de eorum maledictione intellige. nisi imperfectio actus excuset; putà, si non deliberatè, aut leue verbum maledicentiæ dixerit. Et intelligo legem hanc de maledicentia per modum contumeliæ. Secus autem de maledicentia per modum detractionis: quia contumelia coràm fit, & directè contrariatur honori debito parentibus: detractor autem reueretur eum, cui detrahit, eo ipso, quòd occultè est maledicus. Sub contumelia autem continetur etiam publica detractio. Nam ex eo, quòd detractor palam detrahit nec est ei curæ, an hæc in notitiam veniant parentum; reducitur detractio in naturam contumeliæ: publicè enim detrahens, perinde se habet, ac si detraheret coràm. Punitur autem contumelia in parentes morte, quemadmodum & blasphemia Dei. Et est ratio legis: quia, nec Deo, nec parentibus possumus reddere æquale: considerauit enim lex, quòd, quemadmodum parentes in hoc conueniunt cum Deo; ita pœna contumeliæ in parentes conueniat cum pœna contumeliæ in Deum.

Vers. 18. Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno.] Iuxta Hebræum habetur: *Socium suum in lapide, vel in pugno, & ille mortuus non fuerit sed iacuerit in lecto.* Pondera huius legis conditiones singulas, vt perpendas censuram legis valdè æquam.

Vers. 19. Si surrexerit, & ambulauerit foris super baculum suum; innocens erit, qui percusserit.] Ex eo enim, quòd non gladio, non ex intentione; sed ex repentina rixa percussio facta est socij, & tantùm conualuit percussus, vt cùm priùs in lecto iacuerit, posteà cum adminiculo baculi ambularet; rationabiliter iudicatur percussor absoluendus à pœna mortis; cùm, etiamsi percussus fuisset mortuus, haberet ciuitates refugij.

Ita tamen vt operas eius, & impensas in Medicos restituat.] Quamuis à reatu mortis absoluatur; punitur tamen ad soluendum, tam lucrum cessans tempore imbecillitatis percussi, quàm damnum emergens ex pretio Medici, & medicinarum.

Vers. 20. Qui percusserit [f] seruum suum, vel ancillam suam, virga, & mortuus fuerit sub manibus eius; criminis reus erit.] Hoc est, pœna homicidij punietur.

[f] Hæc lex solùm condemnat domini atrocitatem in vindicando.

Vers. 21. Si autem vno die, vel duobus superuixerit; non subiacebit pœnæ: quia pecunia illius est.] Hoc est, quia ius habeat Dominus percutiendi virga seruum eo ipso, quòd erat seruus: ex hoc enim iure excusat lex dominum à pœna homicidij, quando percussus, non gladio, sed virga seruus vixit vno die: excessit enim, non percutiendo, sed in mensura; nec tam enormiter, vt sub percussionibus fuerit mortuus.

Vers. 22. Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortiuum quidem fecerit, sed ipsa vixerit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et exibunt infantuli eius, & non erit mors; subiacebit damno, quantùm expetierit maritus mulieris, & arbitri iudicauerint.* Pondera: *Et non erit mors.* quoniam negatur mors, tam matris, quàm prolis. Considerat enim lex ista de percussore mulieris grauidę, duos casus: alterum, si non erit mors, siue matris, siue prolis; & tunc punietur percussor pœna arbitraria: alterum, si interuenerit mors; & tunc punietur pœna homicidij. In vtroque autem casu vita, seu mors prolis, ex egressu prolis manifestatur: propterea enim dicit: *Et exibunt infantuli eius.* Et dicit pluraliter: quia contingere potest, quòd mulier habeat plures proles in ventre. Meminit quoque fœtus sub nomine *infantuli*, seu *puelli*; ad differentiam aborsus fœtus non formati in puellum, aut puellam. Si enim percussa mulier grauida fœtum informem emitteret, nulla esset mors hominis quoad prolem: quia homo in potentia, non est homo.

Vers. 23. Si autem mors fuerit secuta, reddet animam pro anima.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dabis animam pro anima.*

Vers. 24. Oculum pro oculo[g], dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, *Vers.* 25. adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore.] Ad Iudicem conuertitur sermo legis. Et nomine *animæ*, Hebræa consuetudine significatur vita corporalis, non irrationabiliter: quia vita corporalis consistit in officio illius rei, quam dicimus animam, non quocunque, sed animandi corpus. Et propterea idem est, *tollere animam*, quatenus est anima, (hoc est, quatenus animat corpus;) & tollere vitam corporalem. Et extendit lex iustum, quod appellant contrapassum, ad omnia nocumenta personalia. Et benè considera, quòd lex Mosis non statuit iustum contrapassum vniuersaliter; sed duntaxat in nocumentis personalibus personarum non qualificatarum: omnia siquidem hic numerata, nocumenta sunt personalia. Secus autem iustum statuit in nocumentis rerum: vt patet in sequenti capitulo: nam ad minus duplum reddendum statuit. Et similiter in nocumentis illatis personæ qualificatæ, longè maior pœna statuta est; vt patet in percussione patris, aut matris. Non enim repercutiendus, sed occidendus statuitur. Et simile est iudicium de percussore Principis, &c.

[g] Hanc legem exposuit Christus Matth. 5.

Vers. 26. Si percusserit quispiam oculum serui sui, aut ancillæ & luscos eos fecerit; dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit. *Vers.* 27. Dentem quoque si excusserit seruo, vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos. *Vers.* 28. Si bos cornu percusserit virum, aut mulierem, & mortui fuerint; lapidibus obruetur. & non

non comedentur carnes eius.] In detestationem, & horrorem facti statuuntur hæc circa animalia: Dominus autem bouis innocens erit.

Vers. 29. Quòd si bos cornupeta fuerit ab heri, & nudiustertius,& contestatum est domino eius, nec reclusit eum, occideritque virum, aut mulierem;& bos lapidibus obruetur, & dominus eius morietur. *Vers.* 30. Quòd si pretium fuerit ei impositum.]Tacendo,à quo,insinuat à Iudice: concedit enim lex, quòd possit Iudex decernere,vt dominus bouis cornupetæ, qui negligens fuit,redimat vitam suam pretio.

Dabit pro anima sua, quicquid fuerit postulatus.] Iuxta Hebræum habetur: *Fuerit positum super ipsum.*] Nulla mentio fit postulationis.

Vers. 31. Filium quoque, & filiam, si cornu percusserit; simili sententiæ subiacebit. *Vers.* 32. Si seruum,ancillámque inuaserit;triginta siclos argenti dabit domino: bos verò lapidibus obruetur.]Occisis personis liberis à cornupeta ex negligentia domini,pœna statuitur arbitraria:occisis autem seruis,quantitas pœnæ ab ipsa lege definitur.

Vers. 33. Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos, vel asinus in eam; *Vers.* 34. reddet dominus cisternæ pretium iumentorum: quod autem mortuum est, ipsius erit. *Vers.* 35. Si bos alienus bouem alterius vulnerauerit, & ille mortuus fuerit; vendent bouem viuum, & diuident pretium: cadauer autem mortui inter se dispertient.] Nota, quòd dicendo:*Si bos percusserit bouem.* æqualitatem animalium insinuauit:& propterea non dixit,vitulum, aut agnum percussum. Et æqualitate inter percutientem,& percussum, supposita,statuitur diuidendum, tam pretium viui, quàm mortuus bos. Nam,si inæqualitas esset,(putà,quòd mortuum animal parum valeret,) non esset æquis portionibus facienda diuisio;sed ad æquitatem reducenda.

Vers. 36. Si autem sciebat, quòd bos cornupeta esset ab heri, & nudiustertius; & non custodiuit eum dominus eius; reddet bouem pro boue,& cadauer integrum accipiet.

CAPVT XXII.

VERS. 1.

SI quis furatus fuerit bouem, aut ouem,(lege,*aut agnum,*)& occiderit, vel vendiderit.] De occisione in macello loquitur Litera Hebraïca: & intendit, siue vendiderit animal viuum,siue occiderit comedendum. Et exigit hæc lex duas conditiones,videlicet,furtum,& venditionem, seu iugulationem:alioquin non est locus pœnæ huius legis. Et appellatione bouis, & agni intellige omnia animalia, tam magna,quàm parua:lex enim similia omnia comprehendit:alioquin oporteret multiplicare leges iuxta numerum rerum. Et scito, quòd ista lex de furto est iuxta textum Hebraïcum vna,distincta in quinque partes:quarum prima tractat de fure consummato,qui furatus est,& vendidit: secunda, de fure inuento nocte in furando: tertia,de eodem inuento die: quarta,de fure carente,vnde reddat:& quinta,de fure, apud quem inuenitur res furto ablata.

Quinque boues pro vno boue restituet.] Magnitudo pœnæ cum differentia subiuncta inferiùs, quòd si bos inuentus fuerit apud furem, duplum duntaxat restituet, cogit ad inuestigandam rationem tantæ pœnæ.Et est ratio: quia vendens,aut iugulans bouem,tollit & à se facultatem restituendi idem, ad quod realiter tenetur, & à domino facultatem inueniendi animal suum: nam verisimile est, quòd vendet distrahendo, vt non facilè inueniatur à domino. Quia itaque furto accumulauit has impotentias,tam grandi pœna punitur.

Et quatuor oues pro vna oue.] Disparitatis istius (quòd pro boue quinque;pro agno verò quatuor restituuntur) ratio est:quia maius crimen non solùm æquali proportionaliter pœna, sed etiam plùs est puniendum. Punirentur enim æqualiter secundùm proportionem, si quadruplum vtrobique restitueretur: punitur autem plùs quàm proportionaliter fur bouis, quàm fur agni, restituendo quinque boues pro vno, ne quis audeat maiora crimina attentare. Hæc intellige secundùm communem lectionem:secùs autem,si Hebraïca verba pensentur: nam Hebraïcè habetur:

Et quatuor oues pro agno.] Iuxta hoc enim plùs proportionaliter punitur fur agni, quàm fur bouis:quia pluris sunt quatuor oues, quàm quinque agni. Et ratio maioris pœnæ est maior pronitas ad furandum agnum,quàm bouem. Ne passim itaque,aut facilè furtum agni, & similium committeretur, maior adiecta est pœna.

Vers. 2. Si effringens fur domum, siue suffodiens fuerit inuentus.] Iuxta Hebræum nulla fit domus mentio;sed habetur: *Si in perfossione erit inuentus fur.* Ita quòd actus perfodiendi pensatur à lege, siue perfodiat murum domus,siue alium murum.

Et accepto vulnere mortuus fuerit; percussor non erit reus sanguinis. *Vers.* 3. Quòd si orto Sole hoc fecerit,homicidium perpetrauit:& ipse morietur.] Hinc apparet, quòd præcedens lex,de nocturno fure duntaxat statuit. Vbi aduerte,quòd neque nocturnum, neque diurnum furem permittit lex impunè occidi simpliciter, & absolutè,etiam in actu furandi inuentum: sed præter intentionem,dicendo:*Si erit percussus,& morietur.* Tanquàm percussio fuerit intenta; mors autem per accidens secuta ex huiusmodi percussione in vno duntaxat casu in præcedenti lege scripto; videlicet, si nocte inuentus fuerit in actu perfodiendi. Quia nocte perforans, præ se fert seipsum inuasorem violentum: & quantùm ex opere eius est, excitat, ac prouocat dominum, seu custodem,ad occurrendum violentiæ ignotæ in nocte,quò tendat. Violentiæ autem in nocte ignotæ,armis occurritur: & propterea ipse fur perforans nocte, prouocat sui ipsius percussionem: quæ quia sine mensura fit,sibi imputet, si inde eius sequitur mors. Orto autem Sole,etiamsi perforans inuenitur, non impunè percutitur: quia videtur, quò tendit violentia furis. Quod intellige,si non habet arma inua-

siua;

ſua: quia tunc non fur haberetur perforans, ſed inuaſor ad percutiendum.

Si non habuerit, quod pro furto reddat, venundabitur.] Vide diſparitatem temporum. Priſcis temporibus fur non erat reus mortis; & tamen vendebatur, ſi non habebat, vnde reſtitueret, quod tenebatur reddere pro furto. Noſtris ſæculis fur laqueo ſuſpenditur, nec vnquam Chriſtianus liber venditur.

Verſ. 4. Si inuentum fuerit apud eum, quod furatus eſt viuens.] Altera primæ in hoc capitulo legis pars ex parte rei ablatæ promulgatur. Prima enim pars fuit: Si quis furatus fuerit bouem, & vendiderit, ſeu occiderit. altera pars eſt: Si nec vendiderit, nec occiderit, ſed apud ſe retinuerit furto ablatum animal viuum.

Siue bos, ſiue aſinus, ſiue ouis; duplum reſtituet.] Ex hoc, quòd aſinus adiungitur, habentur duo. Alterum, quod iam dictum eſt, quòd appellatione bouis, & agni intelliguntur in hac lege animalia omnia magna, & parua. Alterum, quòd ex eo, quòd aſinus, & non aſinus ſubiugalis, nec aſinus gregarius dicitur, lex iſta comprehendit etiam bouem non gregarium: & ſimiliter equum, & mulum, & reliqua animalia.

Verſ. 5. Si læſerit quiſpiam agrum, vel vineam, & dimiſerit iumentum ſuum vt depaſcatur aliena.] Iuxta Hebræum idem verbum eſt, quod Interpres variauit, modò *lædere*, modò *depaſci*. Et prima ſignificatio eligenda eſt. Nec habetur, *dimiſerit*; ſed, *mittet*. Duos complectitur caſus lex iſta: alterum in genere, ſi læſerit: alterum in ſpecie, ſi quis miſerit iumenta ſua.

Quicquid optimum habuerit in agro ſuo, vel in vinea, pro damni æſtimatione reſtituet.] Legendum eſt: *Bonitatem agri eius, vel bonitatem vineæ eius reſtituet.* Pronomen, *eius*, refert non dominum iumentorum, non lædentem; ſed læſum dominum vineæ, ſeu agri: decernitur enim, quòd teneatur ad reſtituendum tantùm, quanti æſtimatur bonitas vineæ, ſeu agri: bonitas, inquam, læſa in vitibus, in fructibus, in arboribus, & reliquis.

Verſ. 6. Si egreſſus ignis inuenerit ſpicas, & comprehenderit aceruum frugum, ſiue ſtantes ſegetes in agris; reddet damnum, qui ignem ſuccenderit.] Iuxta Hebræum habetur: *Quando egredietur ignis, & inueniet ſpinas, & comedet aceruum, vel ſegetem, vel agrum.* Duo genera damnorum tanguntur: alterum ſepis, dicendo: *Et inuenerit ſpinas*. alterum fructus, dicendo, *aceruum*, proculdubiò frugum, vel ſegetem ante meſſem, vel agrum paſcuorum. Et ſignificanter dicitur, *quando egredietur ignis*, ad differentiam incendiarij. Ille enim, qui ex intentione incenderet, eſt pœna mulctandus; ſed ille, cuius negligentia egredietur ignis ad aliorum damnum, non tenetur ad pœnam, ſed ad reſtituendum, quantùm damnificauit. Et ne vertatur in dubium, quis fuerit negligens; decernit lex, quòd ille, qui facit ſuccendi ignem, reſtituet. In Hebræo ſic legitur: *Reſtituendo reſtituet faciens ſuccendere ſuccenſionem.* Scriptum enim eſt hoc, ne in miniſtros pauperes inte[illegible] culpa, damnum paſſus priuetur reſtitutione.

Verſ. 7. Si quis commendauerit amico ſuo pecuniam, vel vas in cuſtodiam, & ab eo, qui ſuſceperat furto, ſublata fuerint.] Iuxta Hebræum habetur: *Quando dabit vir ſocio ſuo argentum, vel vaſa ad cuſtodiendum; & ſurreptum erit è domo viri: ſi inuenietur fur, ſoluet duplum.* Prima eſt hæc lex circa depoſita: & diſponit de depoſitis inanimatis in caſu, quo res depoſita fuerit furto ablata ex domo. Et quia obſcura eſt diſpoſitio huius legis, ſententia prælibanda eſt, & deinde litera exponenda. Diſponit lex, quòd ſi inuenitur fur, qui ſurripuit rem illam è domo, cogetur fur ad reſtituendum duplum: ſi verò non inuenitur fur, (hoc eſt, ſi non poteſt depoſitarius probare, quòd furto ablata ſit res depoſita è domo ſua,) & is, qui depoſuit, ſuſpectum habet dominum domus; citabitur apud Iudices: & inquiretur à Iudice, ſi dominus domus aliquo malo modo, vllo vnquam tempore extendit manum ſuam in ſocij ſui rem cuiuſcunque generis; argentum, aurum, veſtem, bouem, aſinum, agnum, &c. & domino domus affirmante, ſe nunquam aliquid horum patraſſe, ſi ex oppoſito aliquis dixerit, quòd ipſe dominus domus aliquid horum patrauit, cauſa hæc inter hos duos à Iudice diffinietur: & qui damnabitur, duplum ſoluet ſocio ſuo. Hæc eſt diſpoſitio legis. In qua conſidera, quòd cauſa cauſæ adiungitur: dum cauſæ depoſiti ſubrepti adiungitur cauſa imputationis furti, ſeu fraudis, ſeu rapinæ domino domus. Et quoad hanc ſecundam cauſam decernitur, quòd damnatus à Iudice, ſiue imputans, ſiue imputatus, reddet duplum proculdubiò illius rei, quæ imputabatur. Verbi gratia, ſi imputabatur fraus vnius bouis, ſoluebat ſuccumbens duos boues. Et hîc oportet ſubintelligere, quòd ſi dominus domus ſuccumbebat, quòd tenebatur etiam ſoluere rem depoſitam illi, qui depoſuerat.

Verſ. 8. Si non inuenietur fur dominus domus, applicabitur ad Deos.] Iuxta Hebræum non præcipitur hoc, ſed dicitur: *Et erit applicatus dominus domus ad* האלהים, hoc eſt, Iudices. Significatur enim, quòd ſi ſuſpectus fuerit dominus domus, erit citatus ad Iudices. Poſſet enim vir eſſe omni exceptione maior, cuius ſimplici verbo communiter crederetur, & non citaretur ad Iudices.

Et iurabit [a], quòd non extenderit manum in rem proximi ſui, *Verſ.* 9. ad perpetrandam fraudem; tam in boue, quàm in aſino, & oue, ac veſtimento; & quicquid damnum inferre poteſt.] Nulla fit mentio iuramenti in Textu Hebraïco: ſed dicitur: *Si non miſit manum ſuam in rem ſocij ſui ſuper omnem rem malitiæ, ſuper bouem, ſuper aſinum, ſuper agnum, ſuper veſtem, ſuper omne damnum.* Quia, qui ſemel malus, præſumitur iterum malus in eodem genere mali; ideò innocentia domini domus manifeſtanda decernitur inquiſitione, ſi vnquam quacunque arte mala extenderit manum in rem alienam: hæc enim inquiſitio ſignificatur per hæc verba: *Ad Deos.* Deeſt in vulgata editione vna integra clauſula ante iſtam particulam, *ad Deos*: prælegendum enim eſt: *Qui dicet, quòd ipſum hoc.* Deinde ſequitur: *Vſque ad Iudices veniet cauſa duorum ipſorum.* Decernitur enim, quòd dicente aliquo

[a] Ecce Dominus iubet iurare, ſuſcipítque iuramentum Sanè ergo intelligendum, quod Matthæi 5. dicitur: *Omne iuramentum à malo eſt.*

quo contra dominum domus, *quod ipsum hoc,* subaudi, est, (scilicet, quòd extendit manum suam in rem alienam,) causa horum duorum, (videlicet, istius contradictoris, & domini domus,) discutietur à Iudicibus.

Et si illi iudicauerint.] Iuxta Hebræum habetur: *Quem facient impium Iudices, soluet duplum socio suo.* Hoc est, ille, quem damnabunt Iudices, &c.

Vers. 10. Si quis commendauerit proximo suo.] Iuxta Hebræum habetur: *Quando dabit vir socio suo.*

Asinum, vel bouem, vel agnum, & omne iumentum ad custodiendum, & mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullúsque hoc viderit, *Vers.* 11. iusiurandum erit in medio, quòd non extenderit manum ad rem proximi sui: suscipiétque Dominus iuramentum, & ille reddere non cogetur. *Vers.* 12. Quòd si furto ablatum fuerit, restituet damnum domino. *Vers.* 13. Si comestum à bestia, deferat ad eum, quod occisum est: & non restituet.] Altera lex circa deposita promulgatur, tractans de depositis animalibus. Disponit autem in quinque casibus. Et primùm tres casus simul; videlicet, si depositum animal fuerit mortuum, vel fractum, vel prædatum, nemine vidente: statuit enim, quòd in his casibus stetur iuramento depositarij: ita quòd Dominus rei depositæ teneatur acquiescere iuramento. Et appellatur *prædatum*, quod ab hostibus in prædam abductum est. Et dicitur, *nemine vidente:* quia, si fuissent testes, non opus esset iuramento. Et dicitur in Hebræo, *iusiurandum* יהוה: vt Deus in supremo nomine inuocetur in testem; cui nomini maxima exhibebatur ab Hebræis reuerentia, vsque adeò, quòd erat eis nomen ineffabile. Deinde disponit quartum casum; videlicet, *si commendatum animal furto ablatum fuerit:* & statuit, quòd depositarius restituet domino animalis Non dicit, restituet duplum; sed absolutè, *restituet:* vt intelligamus, quòd sufficit restituere tantùm, quanti pretij erat animal subreptum.

Sed occurrit hîc quæstio [b], quo iure decernitur hæc restitutio: & in lege immediatè præcedente decretum est contrarium, statuendo, quòd argentum depositum furto sublatum non tenetur depositarius restituere, si nunquam aliàs manum suam misit in rem alienam. Iniustum præterea videtur, vt depositarius teneatur restituere depositum furto ablatum sine culpa sua: cùm acceperit depositum in fauorem deponentis. Solutio est, quòd inter præcedens decretum, & hoc, manifesta in Litera significatur disparitas: nam in illo res deposita fuit subrepta ex domo depositarij, quę domus electa implicitè fuit à deponente pro idonea ad custodiam rei inanimatæ depositæ: sciebat enim, quòd non nisi in domo sua depositarius custodiret res inanimatas depositas. In hoc verò animal furto sublatum cum ipso depositario existens, decernitur restituendum: quia nullus locus à deponente est electus, & negligentia depositarij præsumitur circa custodiam loci, ex quo subreptum est animal ex eo, quòd apud ipsum erat: explicatur enim in Hebræo: *Si erit subreptum de cum ipso.* proculdubiò depositario. Intellige tamen decretum hoc, si illud animal tantùm est furto sublatum. Nam, si simul cum illo animalia propria depositarij furto sublata fuissent, non teneretur restituere. Et hinc soluitur secunda obiectio: quia lex ista loquitur in casu, quo rebus propriis depositarij saluis animal commendatum subreptum est: bona enim fides abesse præsumitur, si rebus tuis saluis depositas amisisti. Demum in quinto casu, si animal comestum fuerit à bestia, dicitur iuxta Hebræum: *Faciet venire ipse testem, comestam non restituet.* Et anceps est constructio, an iungas, *comestam*, appositiuè ad *testem*, an cum sequenti particula, *non restituet.* Certum tamen est, quòd, siue per partem comesti animalis, siue humano testimonio probetur raptus à bestia, non tenetur depositarius restituere.

[b] Pulchra quæstio.

Vers. 14. Qui à proximo suo quicquam horum mutuò postulauerit, & debilitatum, aut mortuum fuerit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et quando postulabit vir de cum socio suo, & erit fractus, vel mortuus domino non præsente, reddere compelletur.*

Vers. 15. Quòd si in præsentia dominus fuerit, non restituet.] Lex ista de commodato tractat animali, vt patet ex ipso contextu: propter quod incipit à postulatione: priores enim leges de deposito, incipiunt à dare; quia ex parte deponentis incipit depositum: hæc autem incipit à petere; quia petente eo, cui commodatur, fit commodatio. Et quia dupliciter contingit commodare, vel gratis, vel cum mercede; propterea lex priùs disponit de animali commodato gratis, distinguendo inter confractionem, seu mortem animalis præsente domino, vel absente eodem. Decernit enim, quòd si dominus animalis comitatur commodatum animal, non tenebitur ad soluendum caballum casu confractum, aut mortuum ille, cui commodatus fuit: si verò fuerit absens, tenebitur ad soluendum. Et ratio disparitatis est: tum, quia præsens dominus testis est innocentiæ vtentis equo; tum, quia præsens dominus poterat, & debebat inhibere periculum casus, aut mortis, si periculum tale erat, quòd poterat ei obuiam iri. Deinde disponit lex, si sub mercede fuit animal commodatum, dicendo:

Maximè si conductum venerat pro mercede operis sui.] Iuxta Hebræum habetur: *Si mercenarius ipse venit in mercede sua.* Nō ad hominem, sed ad animal refertur, *mercenarius.* Et est sensus: Si caballus, aut mulus est mercenarius, (hoc est, mercede habitus, hoc est, conductus,) venit ipse equus, seu mulus in mercede sua; hoc est, absque distinctione præsentię, vel absentiæ domini, non tenebitur conductor ad soluēdum animal casu confractum, aut mortuum. Et ratio redditur: quia non in fauorem vtentis, sed in mercede sua venit: ita quòd decernit lex, quòd si gratis concessus est vsus equi, tenebitur vtens soluere equum casu confractū, aut mortuum: quia iñ fauorem vtentis concessus est, & ipsi soli incumbebat cura animalis, absente domino. Si autem conductus erat, non tenebitur soluere. Tanquàm pretium mercedis faciat equum ire periculo domini: gratiosa autem concessio faciat equum ire periculo vtentis, absente domino.

Verſ. 16. Si ſeduxerit quis virginem.] Iuxta Hebræum habetur: *Si allexerit vir virginem nondum deſponſatam.* Blandis verbis, ſignis, &c. Hoc enim relatiuè ad virginem non irrationabiliter vocatur *ſeducere.* Et aduerte, quòd hæc ſeductio, tanquàm furtum eſt virginitatis: & ideò inſeritur hîc:

Dormieritque cum ea; dotabit eam, & habebit eam vxorem.

Verſ. 17. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere conſueuerunt. *Verſ.* 18. Maleficos [c] non patieris viuere.] Iuxta Hebræum habetur: *Maleficam non viuificabis.* Et eſt ſermo de muliere, quam vocamus incantatricem, vulgari Italico, *fattuchiara.* Pœna mortis mulctanda decernitur. Et fortè adiecta eſt lex iſta ſtupro virginis, ad inſinuandum frequentem vſum artis maleficarum circa venerea promouenda. Ad literam tamen præceptum hoc inſeritur hîc, pro quanto lædit diuinum cultum incantatio, & eſt quaſi furtum animarum à Deo ad Dæmones: quemadmodum & indirectè coïtus cum bruto eſt furtum coïtus debiti humano generi.

[c] Non putandum eſt, maleficiorum artes fabulas eſſe. nam, niſi reuerà multa per illas mira & noxia fierent, non tam arctè de illis ſtatuiſſent diuinæ leges, vt hoc loco vides. Et quanuis maleficiorum ſpecies plures ſint; illi tamen malefici propriè dicuntur, qui immundorum ſpirituum commerciis inauſpicantur; qui defunctorum inclamãt animas, incantant pueros, ſpiritúſque paſcunt in vitro, Dæmones paredros circunferunt; quale quidem de Socrate legimus; alio nomine Goeti, ſeu Nigromantici [illegible]. cui arti mul[illegible]res, vt ſecretorum audiores, plus viris deditæ ſunt, faciliorésque ſe illis præbent mali Spiritus, vt refert Auguſtinus: hinc fa[illegible]unt ingenia prodigis, cuiuſmodi de Circe, & Medea canunt Poetæ. & de aliis multis Seneca, Plinius, & alij, tum Philoſophi, tum Hiſtorici, imò & ipſa Scriptura.

Verſ. 19. Qui coierit cum iumento, morte moriatur. *Verſ.* 20. Qui immolat Diis, occidetur: præterquàm Domino ſoli.] Nomen eſt tetragrammaton, ad clarè explicandum, quòd ſoli illi, qui dat eſſe omnibus, eſt ſacrificandum. Ita quòd diruendus cenſetur, qui ſacrificauerit cuicunque ſpirituali ſubſtantiæ, quæ nõ eſt creatrix omniũ. Et has vocat אלהים: quælibet enim gens appellabat Deum ſuum אלהים. Et hoc quoque hîc inſeritur: quia ſacrificare alteri, eſt furari honorem Deo.

Verſ. 21. Aduenam non contriſtabis, nec affliges eum.] Iuxta Hebræum habetur: *Non decipies, & non vexabis eum.*

Aduenæ enim & ipſi fuiſtis in terra Ægypti.] Quod nulli eſt faciendum, ſpecialiter inhibetur faciendum peregrinis: tum, quia faciliùs decipi, & opprimi peregrinus poteſt: tum, quia Hebræi deſpiciebant reliquas gentes: & propterea exemplum à ſeipſis olim peregrinis in Ægypto adiungit. Et ad literam inſerunt præcepta hæc peregrinos, & viduas, ac pupillos, pro quanto ſunt, tanquàm furta officiorum debitorum peregrinis, viduis, & pupillis.

Verſ. 22. Viduæ, & pupillo non nocebitis.] Iuxta Hebræum habetur: *Viduam, & pupillum non affligetis.*

Verſ. 23. Si affligetis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum: *Verſ.* 24. & indignabitur furor meus, percutiámque vos gladio; & erunt vxores veſtræ viduæ, & filij veſtri pupilli.] Similiter, cùm nullus affligendus ſit, inhibetur in ſpecie afflictio viduarum, & pupillorum: vtpote, qui facilè affligi poſſunt, carendo patre, ſeu marito. Et ne impunitatem ſibi promittant, ſeipſum Deus vindicem manifeſtat futurum, gladio occidente viros, &c.

Verſ. 25. Si pecuniam mutuò dederis populo meo pauperi tecum.] Redeundo manifeſtè ad materiam iniuſtæ acceptionis rei alienæ, inſinuat, quare media inſeruit. Libra itaque tres conditiones. Dicit, *populo meo,* Iſraëlitas ſignificando, ab eo, quòd ſunt populus Dei. Nec eſt ſenſus, ſi mutuaueris populo meo in communi; ſed alicui homini populi mei. Et appoſitiuè adiungit, *pauperi*; & ampliùs apponendo adiungit, *tecum,* hoc eſt, conciui habitanti tecum in eadem ciuitate: vt intelligamus legem hanc ſic: Si mutuaueris alicui homini populi mei, præſertim pauperi, præſertim habitanti in ciuitate, in qua habitas tu.

Non vrgebis eum, quaſi exactor; nec vſuris opprimes.] Pulcher ſenſus: ſed in Hebræo habetur: *Non eris ei, ſicut mutuator; non pones ſuper eum morſum.* Ordo præpoſterus, apud Hebræos frequens. Priùs enim inhibendum eſt maius malum, & deinde minus. Appellatione itaque *morſus*, vſura ſignificatur: vt ex ipſo nomine manifeſtaret Deus loquens, vſuram eſſe illicitam: vtpote ex ſuo genere nociuam, ſeu læſiuam, quemadmodum morſus ſuapte natura læſiuus eſt. Mordendi itaque officium exercet ſecundùm diuinum iudicium vſuratius. Et verè ſecundùm naturalis rationis ius, plùs ex mutuo velle, quàm mutuatum ſit, iniquum eſt, apponere eſt mutuò vim mordendi res illius, cui mutuatur. Huiuſmodi morſum apponere præcipuè prohibet Deus. Et deinde circa modum, tam mutuandi, quàm exigendi, prohibet, vt non ſit illi, ſicut mutuator: mutuator ſiquidem, quia pecunia ſua non lucratur, quandiu mutuò gratis tenetur, ſollicitat, ſtimulat, atque exigit: mutuando autem vult eſſe pluſquàm ſecurus de pecunia, quam mutuat. Mandat Deus, vt erga pauperes populi ſui non fiat ſic.

Verſ. 26. Si pignus à proximo tuo acceperis veſtimentũ, ante Solis occaſum redde ei.] Iuxta Hebr. habetur: *Vſque venire Solẽ redde ipſum ei.* Sic enim ad verbum habetur.

Verſ. 27. Ipſum enim eſt ſolum, quo operitur; ipſum veſtis carnis eius, in quo dormiet.] Diuerſa dicuntur de vocato *veſtimẽto*; Hebraïcè autem, *panno*: nam dicitur, quòd eſt operimentum eius vnicum; & quòd eſt pannus eius pelli eius; & quòd eſt, in quo iacebit. Extrema paupertas ſignificaretur, ſi vna, & eadem re ſola opus eſſet ad operimentum hominis, tam die, quàm nocte: & nudum oportuiſſet manere vſque ad aduentum Solis, data re illa in pignus. Et quoniam caſus abſurdus eſt; ideò nulla veſtis mentio hîc intelligenda eſt, (quanuis aliàs panni nomine apud Hebræos veſtis appelletur.) ſed de operimento tantùm nocturno, (panno, ſcilicet, quo dormientes egent,) litera loquitur, vt teſtatur ſpatium reſtituendi: præcipitur enim ad literam, quòd reſtituatur nõ ſimpliciter, ſed vſque ad venire Solem; hoc eſt, nocte vſque ad ortum Solis. Et eſt ſenſus, quòd ſi acceptum fuerit in pignus operimentum vnicum neceſſarium ad dormiendum, reſtituatur quotidie hora veſpertina vſque ad ortum Solis. Et in hoc ſubintelligitur, quòd quotidie debitor reportabit mane pignus ad creditorem. Hic eſt ad literam ſenſus planus legis huius. Vnde & Deus ſubiungit, ſe tutorem pauperis ſimul, & miſericordem: vt illinc mutuator timeat priuare pauperem neceſſario operimento; & hinc imitetur diuinam miſericordiam, concedendo vſum pignoris.

Si clamauerit ad me, exaudiam eum: quia miſericors ſum. *Verſ.* 28. Diis non detrahes.] Iuxta Hebræum habetur: *Elohim* [d] *non maledices.* ſeu, *deſpicies.* Prohibetur, vt Iudicibus

[d] *Elohim*, vt ſuprà annotauimus, numero ſingulari, & plurali verum Deum, & Angelos ſignificat; nonnunquam præclaros viros, & homines admiratione dignos; interdum Principes, & Iudices viros de rep. benè meritos. Nam, cùm antiquitas nihil aliud exiſtimaret Deum, quàm prodeſſe mortalibus; frugũ, vini, legúmque authores, & quicunque ad vitæ commoda aliquid attuliſſent, Deos vocauit.

Iudicibus debitum honorem non ſubtrahamus, officio linguæ contemnendo, tam coràm, quàm in abſentia: maledictio enim comprehendit omnes maledicentiæ ſpecies.

Et Principi populi tui non maledices.] Contumelia, detractio, imprecatióque mali inhibetur; vtpote, tollens, quantùm ex ſe eſt, bonum Principis.

Verſ. 29. Decimas[e], & primitias tuas non tardabis offerre.] Iuxta Hebrǽum habetur: *Plenitudinem tuam, & lacrymam tuam non differes.* Senſus eſt. Debitum ex frugibus tuis, & ex liquoribus tuis non differes Deo reddere. Fruges enim plenitudinem, & liquores vini, ac olei, *lacrymas*, à fluendo appellauit. Et videtur hac metaphora vti ad ſignificandum, vt quantumlibet parum quaſi ſtillantium lacrymarum vini, ſeu olei collegeris, non differatur debita pars in alterum annum. Ita quòd vtrunque tempus (vbertatis, & ſterilitatis) complectitur; illud ſub nomine *plenitudinis*; hoc ſub nomine *lacrymæ.* Et vtroque tempore non differendum debitum præcipitur: tolleretur enim res Deo debita quoad tempus. Et nulla quota pars decernitur hìc à Deo, vt Litera teſtatur.

e Decimarum nomine vocarunt veteres, quæcunque honorifica dona. Sic Geneſ. 14. legitur. Abraham Melchiſedec decimas obtuliſſe, id eſt, eximia, & honorifica dona ex ſpoliis dediſſe. Quæ decimæ in alimenta pauperum, & victum eorum, qui benè præſunt, in verbo, & doctrina laborantes, olim inſumendæ erãt: propter quos etiam alendos apud gentes omnes inſtitutæ ſunt ſolo naturæ inſtinctu.

Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. *Verſ.* 30. De bobus quoque, & ouibus ſimiliter facies.] Ne furtum committatur in primogenitis, tam virorum, quàm animalium mandatur.

Septem diebus ſit cum matre ſua: die octauo reddes illum mihi.] Decernitur tempus offerendi primogenita animalium.

Verſ. 31. Viri ſancti eritis mihi.] Ne ſubripiatur debita Deo in hominibus quæcunque munditia, præcipitur, dicendo: *Et viri ſanctitatis eritis mihi.*

Carnem, quæ à beſtiis fuerit prægustata, non comedetis.] Nec occaſione animalis rapti à beſtia vult eos pollui: ad inſinuandum, quòd non ſolùm ipſi alieni eſſe debent à furto; ſed, quòd nec etiam inquinari debent comedendo animal quaſi furto à fera occiſum.

Sed proiicietis canibus.] *Proiicietis*, intellige potiùs, quàm comederis, ſi vendere non poteritis commodè illam gentilibus: vt intelligamus, quòd ad Literam intelligendum eſt, vt ſonat, ceſſante commoditate vendendi ethnicis.

CAPVT XXIII.

VERS. 1.

a Præcipitur hic Iudicibus, vt non temerè cuique credant.

Non ſuſcipies vocem mendacij[a].] Iuxta Hebræum habetur: *Auditionem falſitatis.* Poſt leges circa furta, ad leges circa actiones iudiciales tranſit. Et quia initium iniuriæ in iudiciis eſt falſitas, eſt ſuaſio falſitatis; ideò primum præceptum datur, vt nullus admittat ſuaſionem falſitatis. Non dicit: Non credes. nec dicit: Non audies. ſed, *Non ſuſcipies*; hoc eſt, non admittes. Vt ſi quidem audias hominem nitentem perſuadere tibi, vt conſentias machinatæ falſitati aduerſùs aliquem; non tamen admittas, non conſentias.

Nec iunges manum tuam, vt pro impio dicas falſum teſtimonium.] Iuxta Hebræum habetur: *Non pones manum tuam cum impio, vt ſis teſtis torti.* Aptè hoc præceptum iungitur primo: illud enim animum, hoc locutionem prohibet: illud cauſam, hoc effectum inhibet. Lex eſt clara.

Verſ. 2. Non ſequeris turbam ad faciendum malum.] In Hebræo non habetur, *turbam*, ſed, *multos.* Poſt leges, ne quis aſſentiat vni impio, ſubiunguntur duæ quoque leges, ne quis ſequatur multitudinẽ: contra prouerbium: *Malo errare cum multis.* Decernit ſancta lex, vt ad opus malum non conueniat quis cum multitudine: vt ſi multitudo petat aliquem occidi, tu Iudex non conuenias cum ea ad faciendum homicidium, vt fecit Pilatus: & ſimiliter, ſi multitudo Iudicum malefacit, damnando aliquem, tu coniudex non ſequaris eos.

Nec in iudicio plurimorum acquieſces ſententiæ, vt à vero deuies.] Iuxta Hebrǽum habetur: *Et non teſtificaberis ſuper litem ad declinandum poſt multos, ad faciendum declinare.* Altera eſt lex prohibens ſequi multitudinem: prima enim prohibet ſequi multitudinem ad opus malum: hæc autem prohibet ſequi multitudinem ad teſtificationem obliquam: contingit enim, quòd ad complacendum multitudini, vel ad non diſplicendum multis, concurrat quis ad teſtificandum iniquè. Et ideò hoc ſpecialiter prohibetur.

Verſ. 3. Pauperis quoque non miſereberis in iudicio.] Iuxta Hebræum habetur: *Et pauperem non pulchrifacies in lite ſua.* Præcipit Deus, vt in iudicio non habeatur ratio pauperis, ſed iuſtitiæ duntaxat. Et proptereà prohibet blandis ſermonibus ornari cauſam pauperis: & multò magis aliorum. O vtinam non ſæpiſſimè pulchrificarent cauſæ diuitum: tot enim coloribus ornantur, vt quanuis turpes, imò turpiſſimæ, honeſtę appareant: & proptereà Deus hoc vitium prohibet, etiam gratia miſericordiæ erga pauperem.

Verſ. 4. Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum.] Præcepta hæc de boue errante, & de iumento ſuccumbẽte oneri, duas ingerunt quæſtiones. Altera eſt, quo pacto in lege veteri erga inimicos tanta charitas præcipiatur: cùm ſæpè ruina inimicorum in præmiũ Iſraëlitis promittatur; & Matth. 5. dicatur: *Audiſtis, quia dictum eſt: Diliges proximum tuum*[b], *& odio habebis inimicum tuum.* Altera eſt, quorſum hæc præcepta hoc in loco videlicet, inter iudicialia? nam in medio iudicialium locantur, vt patet intuenti præcedentia, & ſequentia: ſunt enim hæc impertinentia ad actus iudiciales, imò omninò aliena: quoniam errantem bouem reducere, & ſuccumbenti iumento ſuccurrere negligens, accuſari non poteſt.

b Verbo Dei iubentis diligere proximum, perinde ac teipſum, adiecerant de ſuo Phariſæi inimicum habẽdum odio, quod Scriptura nuſquam meminit: legimus quidem præceptum Iſraeli diuinitus fuiſſe Deuteronomij 7. & 20 & paſſim in lege, vt hoſtes Dei gẽtes idololatras, quæ in terra Chanaam, & circa eam habitabãt, partim occiderent, partim ſub tributi tenerent ſubiectione, partim benignè haberent, vt diuerſa erant illarum Gentium merita: nuſquã tamen vel has, vel illas iuſſi ſunt odiſſe, nedum ita in genere vſpiam præceptum legimus odio habere inimicum: quod & hoc loco manifeſtè vides.

Solutio eſt, quòd hæc mandata inſerta ſunt hìc, non vt præcepta eorum, quæ ſonant ſecundùm proprietatem verborum; ſed, vt prouerbia metaphoricè intelligenda, & ſeruanda in iudiciis. Quòd ſi intelligas, ſcito, quòd non eſt hìc ſermo de inimicis hoſtibus, ſeu hoſtiliter; ſed de iis, qui nos odio videntur habere: propter quod altera iſtarum legum non nominat inimicum, ſed oſorem: & quòd beneficia hæc (videlicet, reducere bouem errantem, & ſuccurrere iumento oppreſſo ſub onere,) ad beneficia communia notis, & ignotis; Iſraëlitis, & ethnicis; amantibus nos, & odientibus ſpe-

ctant: communiter enim cuilibet exhibebantur. Et propterea Deus beneficia hæc communia, etiam inimicis, ab omnibus probata, tanquàm prouerbia in leges metaphoricas vertit: vt ex istis persuasibilis redderetur Iudicibus, & testibus ministratio iustitiæ inimicis, siue testium, siue Iudicum. Intendit enim ad literam per has leges, quòd si in iudicio causa inimici, quasi errans ex ignorantia nescientium tueri causam, aut nescientium testes, &c. occurrerit, quòd debes tu, qui vides, reducere errantem ad rectitudinem, non obstante, quòd sit tibi inimicus. Et similiter, si causa inimici in iudicio, tanquàm oppressa onere, propter fauores, munera, potentiam, &c. visa fuerit, si solus non potes subleuare, adiuua etiam inimicum ad subleuandum causam suam.

Vers. 5. Si videbis asinum odientis te iacentem sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vetabis de auxiliari ei, auxiliando auxiliando auxiliaberis cum ipso.* Et est sensus: Et cohibebis te ab opem ferendo oppresso iumento, considerando te solum hoc non posse; iunctus simul cum ipso, quanuis osore tuo, auxiliaberis. Intendit enim per has leges, quòd in iis, quæ sunt iudicij, non est habenda ratio inimici: & multò magis aliena debet esse à iudicio ratio inimici, quàm in istis euentibus.

Vers. 6. Non declinabis in iudicium pauperis.] Iuxta Hebræum habetur: *Non inclinabis iudicium miselli tui in lite sua.* Dictio interpretata, *miselli*, propriè significat, quem vulgò dicimus, *meschino*. Et apponitur pronomen, *tui*; hoc est, à te pendentis: tanquàm misellus non sit sui met; sed Iudicis, seu testis, à quo pendet efficacia iuris eius: quoniam ipse non potest se adiuuare. Nec rationem ergo inimici, nec rationem miselli haberi præcipit in iudicialibus.

Vers. 7. Mendacium fugies.] Iuxta Hebræum habetur: *A verbo falsitatis elongabis te.* Superiùs præceperat, vt non susciperet auditam falsitatem: modò præcipit, vt nullus in iudicio dicat falsum. Minùs dico: quia præcipitur elongatio à dicendo falsum. Superiùs prohibita est falsitas instãte altero: modò prohibetur, ne quis motu proprio dicat falsum in iudicio.

Insontem, & iustum non occides: quia aduersor impium.] Iuxta Hebræum habetur: *Et mundum, & iustum non occides: quia non iustificabo impium.* Differentia inter mundum, & iustum est: quia mundus est, qui nõ commisit homicidium, adulterium, &c. iustus autem est, qui fecit quidem opus, sed iustum. Neuter occidendus præcipitur iudicialiter: extra iudiciũ enim, nec etiam iniquus, & immundus occidendus est, iuxta commune præceptum: *Non occides.* Et scito, quòd cùm Iudex non sit Deus, sed homo, in foro eius ille est iustus, & mundus, qui non est confessus, aut conuictus; quanuis secundùm rem fuerit iniustus, seu immundus: & è conuerso ille est in foro eius iniustus, seu immundus, qui est confessus, aut conuictus, etiamsi secundùm rei veritatem esset innocens. Et hæc proculdubiò sunt regulariter vera: alioquin Iudex, qui non interfuit crimini, nunquàm esset in conscientia sua securus.

Quæstio autem rarissimi euentus, an Iudex, vt est singularis homo, certissimus, non per auditum, sed per visum, quòd conuictus est innocens, possit ferre sententiam mortis, tractata est in Commentariis secundæ secundæ: vbi ex proposito materia hæc tractatur: hoc enim in loco sufficit leges exponere regulariter: quia & leges dantur secundùm id, quod regulariter agendũ est. Adiungitur autem ratio diuini timoris, dicendo: *Quia non iustificabo impium.* Vt timeant Iudices diuinum iudicium, scientes, quòd si huiusmodi impietatem commiserint, non iustificabuntur in diuino iudicio, quanuis apud homines impunes euadent.

Vers. 8. Nec accipies munera, quæ excæcant etiam prudentes.] Iuxta Hebræum habetur: *Apertos.* Hoc est, ad similitudinem videntium apertis oculis, dispositorum quoad oculos mentis. Et significatur ad literam, quòd tanta est vis munerum, vt non solùm parum, aut mediocriter videntes ea, quæ sunt iuris; sed etiam perfectè videntes, quæ iuris sunt, excæcent intùs. Mutando enim affectum, efficiunt, vt appareat, etsi non speculatiuè, saltem practicè; hoc est, apparet fouenda, vel excusanda, vel toleranda pars, à qua suscepit munera: qualis enim vnusquisque est secundùm affectum, tale (hoc est, correspondens, seu consonum illi affectui) videtur ei prosequendum.

Et subuertunt verba iustorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et torquebunt verba iustorum.* Non solùm munus excæcat internos oculos; sed etiam torquet verba, flectendo illa hinc, & inde. Quod vtinam nõ sæpè palparetur. Vbi libra, quòd secundùm vtranque partem optimè dispositi (videlicet, in parte intellectiua videntes apertis oculis, & in parte affectiua iusti,) mutantur suscipiendo munus. Nec humana, sed diuina hæc est sententia. Quid igitur eueniet ex munere in minùs videntibus, in minùs iustis? Nullus igitur tutus est suscipiens munus Iudex.

Vers. 9. Peregrino molestus non eris.] Iuxta Hebræum habetur: *Et peregrinum non vexabis.* Non est repetitio præcepti superioris: sed illud communiter, hoc specialiter datur Iudicibus, testibus, & accusatoribus.

Scitis enim aduenarum animas: quia & ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti.] Ad suscipiendum in seipsis peregrini personam, ad tractandum peregrinos in iudicialibus, quemadmodum voluissent ipsi tractari, quando erant peregrini in Ægypto, reuocat ad eorum memoriam, quòd ipsi experientia nouerunt, qualis est animus peregrini.

Vers. 10. Sex annis seminabis terram tuam, & congregabis fruges eius.] Ad cæremonialia præcepta transit. Statuitur, vt memoria creationis, non solùm secundùm dies, septima quaque die, &, vt inferiùs dicetur, secundùm menses septimo quoque anni mense; sed etiam secundùm annos septimo quoque anno memoria haberetur: propterea enim septimi anni quies statuitur à cultura agrorum, vinearum, & oliuetorum.

Vers. 11. Septimo anno autem dimittes eam, & requiescere facies.] Iuxta Hebræum plùs habetur: *Et deicies eam.* Vt tanquàm si sperneret illam, deserat.

Vt comedant pauperes populi tui.] Eadem dictio est, quæ interpretata est, *miselli.* Sed

Sed occurrit quæſtio, quid miſelli comedent, ſi ager non eſt ſatus? Solutio eſt, quòd herbæ, ſponte naſcentes in agris quieſcentibus, erant miſellorum: ita quòd vendebant eas, & ex earum pretio viuebant. Et propterea dicitur, quòd comedent.

Et quicquid reliquum fuerit, edent beſtiæ agri. Ita facies in vinea, & in oliueto tuo. *Verſ.* 12. Sex diebus operaberis: ſeptima autem die ceſſabis, vt requieſcat bos, & aſinus tuus; & refrigeretur filius ancillæ tuæ, & aduena [c].] Ne putaretur, quòd anno ſeptimo ſufficeret requies à cultu terræ; & non tenerentur illo anno ad quietem ſeptimo quoque die; repetitur præceptum ſeptimi diei in omnibus, & per omnia, ſicut aliis annis. Et propterea ſubiungit:

c Ex his verbis videtur deſumpta ſententia illa Chriſti apud Marcum, Sabbathum propter hominė factum eſt, non homo propter Sabbathum.

Verſ. 13 Omnia quæ dixi vobis, cuſtodite.] Quod in Hebræo habetur: *Et in omni, quod dixi vobis, eritis cuſtoditi.* Vniuerſa enim, à quibus cauere debent ſeptimo die, comprehendit.

Et per nomen externorum Deorum non iurabitis, neque audietur ex ore veſtro.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nomen* אלהים *aliorum non memorabitis: non erit auditum ſuper os tuum.* Super præcepta prima prohibentia cultum aliorum Deorum adduntur præcepta duo. Alterum, vt præteriti Dij non memorentur; ſed tanquàm non fuerint, alieni ſint à commemorationibus. Alterum, vt de modernis pro tempore Diis nullus loquatur honorabiliter: honorabilis enim loquendi modus ſignificatur, dicendo: *Super os tuum.* Et has leges dedit Deus ad penitùs exterminandum ab Iſraëlitis cultum aliorum Deorum. Et longè plùs prohibetur per leges has, quàm iurare per alios Deos, vt patet.

Verſ. 14. Tribus vicibus per ſingulos annos mihi feſta celebrabitis.] Inſtituit Deus, præter ſeptimum quenque diem, tria feſta ſingulis annis.

Verſ. 15. Solennitatem azymorum cuſtodies. Septem diebus comedes azyma, ſicut præcepi tibi.] Aduerte, prudens lector, quòd numerando hæc tria feſta, inchoat à feſto paſchali, nulla mentione facta Agni paſchalis, ſed duntaxat azymorum: ea (vt reor) ratione, quòd non ſingulis annis omnes tenerentur ad immolandum Agnum paſchalem; ſed omnes vbique tenerentur ad azyma ſeptem illis diebus.

Tempore menſis nouorum.] Parui refert, quòd in Hebræo habetur: *Menſis primitiui.* Significatur enim tempus primi veris, poſtquàm Sol ingreſſus eſt Arietem. Nam in oppoſitione Lunæ ad Solem in Ariete, egreſſi ſunt de Ægypto, & in regionibus illis incipiunt primitiæ etiam ſpicarum: & propterea menſis primitiuorum dicitur.

Quoniam in eo egreſſus es de Ægypto. Et non apparebis in conſpectu meo [d] vacuus.] Statuitur, vt non ſolùm perſonaliter, ſed etiam cum aliqua oblatione ſpontanea veniatur ad tria hæc feſta: vt & perſonarum & rerum fiat Deo oblatio, qui dat, & perſonas, & res omnes.

d *In conſpectu meo*; hoc eſt, in loco, vbi propitiatorium eſſet, eò quòd ibidem diceretur Dominus inhabitare. Voluit nanque Dominus vnam tantum eſſe parochiam in toto regno Iſraëlis, ne multitudine Eccleſiarum filij Iſraël inter medias gẽtes habitantes, à vera religione ad tiam deficeren. quem locum necerat ter omnes Iſraelitas in anno conuenire, vt memorabiliora, & illuſtriora Dei miracula obſeruatione feſtorum, & viſitatione loci à Deo electi, in memoria conſeruarentur, & fides aleretur.

Verſ. 16. Et ſolennitatem menſis primitiuorum operis tui.] Corrupta eſt Litera: nam iuxta Hebræum habetur: *Et feſtum meſſis primitiuorum operum tuorum, quacunque ſeueris in agro.* Secundum feſtum promulgatur, quod vocatur feſtum Pentecoſtes: hoc enim quinquageſimo die à Paſcha, tempore meſſis, vno die celebratur. Et fit mentio meſſis primitiuorum ſatorum, eò quòd primi panes tunc offerebantur Deo: ſicut in fine Paſchæ offerebantur primæ ſpicæ. Propterea enim in vtroque feſto fit mentio primitiuorum.

Solennitatem quoque in exitu anni.] Iuxta Hebræum habetur: *Et feſtum collectionis in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges tuas de agro.* Tertium feſtum promulgatur tempore reconditarum frugum, quod feſtum Tabernaculorum vocatur: quod quintadecima die menſis ſeptimi incipiebat, & per octo dies durabat: octauus enim dies erat feſtum cœtus, ſeu collectionis.

Quòd autem dicitur, *in exitu anni*; nec ſpectat ad annum inchoatum primo vere, (quoniam non in fine talis anni, ſed in menſe ſeptimo fiebat hoc feſtum;) nec ſpectat ad annum, vt multi dicunt apud Hebræos, incipientem in autumno: quia dicendum fuiſſet in principio anni, & non in exitu anni: nam menſis, qui dicitur ſeptimus, eſt ſecundùm iſtos initium anni: & feſtum hoc celebrabatur quintadecima die menſis ſeptimi. Supereſt ergo, vt exitus anni referatur ad fructificationem terræ: nam tunc eſt vltima pars anni relatiuè ad fructus terræ, in regionibus præcipuè illis: quandoquidem, & vuæ, & oliuæ citiùs mateſcunt. Vnde & in Hebræo non ſignificatur completus annus; ſed per infinitiuum dicitur, *exire anni*: & ſimiliter ſubiungitur, *in congregare tuo.* Vt intelligamus ſupereſſe adhuc aliquid anni, & aliquid congregandum: quod optimè quadrat dicto tempori.

Verſ. 17. Ter in anno.] Quanuis non explicetur in Litera hîc; explicatur tamen Deuteronomij 16. quòd in præfatis tribus feſtis intelligitur præceptum hoc.

Apparebit omne maſculinum tuum coram Domino Deo tuo [e].] Iuxta Hebræum habetur: *Ad facies Domini* יהוה; hoc eſt, vt in allegato capitulo explicatur, *ad domum*, ſeu *tabernaculum ſummi Dei.* Sed occurrit quæſtio de poſſibilitate legis huius. Abſurdum nanque eſt, vt omnes ciuitates, omnia oppida, omnes villę, vno, eodémque tempore deſtitutæ manerent abſque omni homine maſculini ſexus ter ſingulis annis. Solutio eſt, quòd lex iſta non obligabat niſi maſculos à vigeſimo, vſque ad quinquageſimum ætatis ſuæ annum, vel circa; quoniam tales duntaxat numerabantur: alij autem, tanquàm imperfecti, vel emeriti habebantur. Et propterea nihil abſurdi lex iſta præcipit. Et cum hoc intellige exceptionem legitimi impedimenti: quoniam ſale diſcretionis conditæ ſunt leges diuinæ.

e Tenebantur conuenire in Hieruſalem, vt erudirentur à Prophetis, & Sacerdotibus de fide vnius Dei, vtque legem Dei populus certiùs diſceret, & animi ex conuẽtibus illis magis coaleſcerent.

Verſ. 18. Non immolabis ſuper fermentum ſanguinem victimæ tuę.] In Hebræo habetur: *Meæ.* Et eſt ſermo de immolatione paſchali, quæ in azymis, excluſo omni fermento, & fermentato, fiebat.

Nec remanebit adeps ſolennitatis meæ vſque mane.] Quanuis carnes victimæ poſſent ſeruari in diem alterum; adeps tamen incendi debebat eodem die per modum holocauſti.

f Primitiæ exiguntur in lege, vt homines eo, cultu testentur, & confiteantur, omnia bona huius sæculi diuina esse beneficia.

Vers. 19. Primitias *f* frugum.] Iuxta Hebræum habetur: *Principium primorum fructuũ terræ tuæ.* Superiùs statuerat oblationem, tum tempore plenitudinis, tum tempore sterilitatis: modò in specie statuitur, vt primitiarum initia non solùm offerantur, sed vehantur ad domum Dei.

Deferes in domum Domini Dei tui.] Nomina sunt solita: יהוה *Elohe tui.* Quæ pluries exposita sunt.

Non coques hœdum in lacte matris suæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Non lixabis.* Quia inter cæremonialia lex hæc promulgatur, & pluries repetitur in subsequentibus, intelligendum videtur, quòd ad literam prohibetur ritus idololatrarum, lixantium hœdum in lacte matris; hoc est, quòd lac maternum erat loco aquæ; etsi non totius, tamen partis.

g Nonnulli intelligũt ex hoc loco desumptũ esse, quòd Esai. 33. scribitur, nempe: *Immittetur Angelus Domini in circuitu timentium eum.* & accepisse Danielem, Dominum gubernare regna per Angelos, Daniel 11. & 12.

Vers. 20. Ecce ego mittam Angelum *g* meum.] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce ego mittens Angelum.* Post leges perpetuas in terra promissionis, legem statuit interim (hoc est, in via ad terram promissionis) seruandam: ne interim absque lege viuat populus. Et est sermo de Angelo, non cælesti, sed terrestri; hoc est, de Mose, quem vt nuncium Deus mittebat: vt testantur subiuncta verba; videlicet, *Audi vocem eius.* & rursus: *Audies vocem eius.* Manifestant siquidem hæc, quòd de Angelo locuturo populo est sermo. Perspicuum est autem, quòd Moses fuit Dei nuncius, loquens populo. Lex itaque in via seruanda est obedire Mosi

Qui præcedat te, & custodiat in via.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad custodiendum te in via, & ad introducendum te ad locum, quem paraui.* Duo officia huius Angeli describuntur: alterum, custodire in via populum: alterum, introducere eundem in terram promissionis, quam se eis parasse Deus dicit. Nec te moueat, quòd hoc non fuit verificatum: nam testatur ipse Deus, impedimentum præstasse ipsum Mosem, peccando in aquis contradictionis: intelliguntur enim huiusmodi diuinæ promissiones, nisi impedimentum præstetur peccando.

Vers. 21. Obserua eum.] Iuxta Hebræum habetur: *Caue à facie eius, & audi vocem eius.* Duobus beneficiis Angeli iunguntur duo præcepta populo, relatiuè ad Angelum; alterum cautelæ, alterum obedientiæ.

Nec contemnendum putes.] Iuxta Hebræum habetur: *Non præuaricaberis in ipso.* Explicatur cautela à transgrediendo mandata Angeli. Et ratio subiungitur:

Quia non dimittet, quum peccaueris.] In Hebræo non habetur simplex peccare, sed grauissimum genus peccandi. Tanquàm diceretur: Quia non parcet sceleribus vestris. Et verificatum est, vt patet, in vindictis, tum Dathan, & Abiram; tum Corach, & sociorum; tum cladis populi per Leuitas.

Et est nomen meum in illo.] Iuxta Hebræum redditur ratio: *Quia nomen meum in intimis eius.* Ac si apertiùs dixisset, quòd non animo vindicandi proprias iniurias Moses; sed, quia nomen meum erit in intimis eius; ideò non parcet vindicando iniurias nominis mei.

Vers. 22. Quòd si audieris vocem eius.] Manifestato successu non cauentis, manifestat successum obedientis.

Et feceris omnia, quæ loquor.] Parui refert, quòd Hebraice habetur, *loquar.* Nisi quòd ideò futuro vtitur, vt significet sermonem Mosis, Angeli sui, sermonem suum fore.

Inimicus ero inimicis tuis.] Et hoc quoad internum odium.

Et affligam affligentes te.] Iuxta Hebræum habetur: *Et angustabo angustatores tuos.* Et hoc quoad actus exteriores. Et aduerte, prudens lector, quòd istæ promissiones diuinæ pendent ex conditione: *Si audies vocem Angeli & facies totum, quod loquar.*

Vers. 23. Præcedétque te Angelus meus.] Iuxta Hebræum ratio redditur, dicendo: *Quia.* Executio enim angustationis inimicorum promittitur ex hoc, quia præcedet te Angelus meus; hoc est, Moses.

Et introducet te ad Emoræum, & Hithæum, & Perizæum, & Chenanæũ, Hiuæum, & Iebusæum; quos ego conteram.] Iuxta Hebræum habetur: *Et faciam diruere ipsum.* hoc est, vniuersitatem ipsorum, tanquàm si esset vnus. Cerne, & admirare promissa diuina contra hostes Hebræorum: pollicetur enim, mittendo Mosen ante eos, dirutu-rum se omnes istas gentes. Et hæc sunt pollicita in via: sequuntur pollicita post dirutas à Deo gentes illas.

Vers. 24. Non adorabis Deos eorum, nec coles eos.] Dictio interpretata, *adorabis*, significat propriè signum honoris exhibere; purà, incuruari, genuflectere, & huiusmodi.

Non facies opera eorum.] Quamuis vniuersaliter de operibus gentium illarum intelligi possit; directè tamen de operibus earum pertinentibus directè, vel indirectè ad superstitiones Deorum, videtur intelligendum, quum dicitur: *Non facies sicut opera eorum.* Et ratio subditur:

Quia diruendo dirues eos, & frangendo facies frangere statuas eorum.] Meritò non imitaberis eos: quia ex huiusmodi operibus meruerunt, quòd tu diruas eos, (hoc est, templa eorum,) & frangas statuas Deorum eorum.

Vers. 25. Seruietísque Domino Deo vestro.] Nomina sunt solita: יהוה *Elohe vestro.* Subiungit Deus, quòd contritis ab eo gentibus illis, non solùm declinent à malo, (idololatriæ, videlicet;) sed etiam faciant bonum, seruitutem debitam exhibendo ei, qui dat esse omnibus, qui iam colitur ab eis, vniuersalis Iudex. Inducitur enim hæc religionis seruitus, vt vna conditionum; imò vt præcipua conditio seruanda simul, & successiuè cum antedictis in via.

Vt benedicam panibus tuis.] Iuxta Hebræum habetur copulatiuè: *Et benedicet panem tuum, & aquas tuas: & auferet infirmitatem de medio tui.* De seipso loquitur Deus in tertia persona. Ecce pollicita sub conditionibus antedictis; pollicita, inquam, in terra promissionis quatuor valdè desiderabilia. Primum est multiplicatio panis, & aquę; hoc est, vniuersorum spectantium ad alimentum. Secundum est, sanitas corporis. Tertium est, fœcunditas fœminarum: & quartum longæua vita. Quæ ideò adimpleta non sunt; quia Israëlitæ non seruarunt conditiones; sed obicem posuerunt diuinis beneficiis, præuaricando.

Vers.

Verſ. 26. Non erit infœcunda.] Iuxta Hebræum habetur: *Non erit abortiens, nec ſterilis in terra tua.* Sterilitate enim, vel aborſu impeditur multiplicatio humani generis.

Numerum dierum tuorum implebo. *Verſ.* 27. Terrorem meum mittam ante te.] Dixerat ſuperiùs Deus, ſe diruturum gentes illas: manifeſtat nunc modum, quo diruet. Et modus eſt, quòd immittam in animos populorum illorum timorem meum coram vobis.

Et occidam omnem populum, ad quem ingredieris.] Dictio Hebraica interpretata, *occidam*, anceps eſt ad, *frangam*, vel, *ſtupefaciam*, ſeu, *attonitum reddam.* Ita quòd primùm terrebit: deinde ſtupefaciet, ſeu franget animos. Et hoc ſecundum natum eſt ſequi ex primo, ſi timor eſt vehemens. Ad ſignificandum enim magnitudinem timoris, ſubiungit effectum hunc: & conſequenter alium effectum in factis dicendo:

Et dabo omnes inimicos tuos tibi occiput.] Non ſolùm timebunt, & ſtupefient; ſed obuiantes vertent tibi occiput: quæ eſt pars capitis directè contraria fronti.

Verſ. 28. Emittens crabrones priùs.] Iuxta Hebræum habetur: *Et mittam crabronem ante te.* Multitudo veſparum, ſeu ſimilis animalis, ſignificatur.

Qui fatigabunt Hiuæum, & Chenanæum & Hithæū, antequàm introeas.] Ecce quartum pollicitum in modo diruendi inimicos. Loco pugnantium promittit animalia cum aculeis pugnantia pro Iſraëlitis, & tantæ efficaciæ, vt expellant gentes illas [b]. Nec hoc adimpletum eſt impedientibus peccatis populi.

[b] In lib. Ioſué c. 24. videtur ſcribi hoc adimpletū eſſe. Meminit itidem Moſes horum crabronum Deuter. 7.

Verſ. 29. Non eiiciam eos à facie tua anno vno: ne terra in ſolitudinem redigatur, & creſcant contra te beſtię campi. *Verſ.* 30. Paulatim, paulatim expellam eos de conſpectu tuo: donec augearis, & poſſideas terram. *Verſ.* 31. Ponam autem terminos tuos à mari rubro, vſque ad mare Peliſthim, & à deſerto vſque ad fluuium [i]: tradam enim manibus veſtris habitatores terrę: & eiiciam eos de conſpectu veſtro. *Verſ.* 32. Non inibis cum eis fœdus, nec cū Diis eorum. *Verſ.* 33. Non habitabunt in terra tua, ne fortè peccare te faciant in me, ſi ſeruieris Diis eorum: quoniā erit tibi in ſcandalum.] De tempore intermedio eſt ſermo, videlicet, ne tēpore medio inter poſſeſſam partem terræ contentæ infra terminos dictos, & poſſeſſionem reliquæ partis paulatim, paulatim poſſidendæ, permittant illos idololatras habitare in terris poſſeſſis ab Iſraëlitis. Et ratio ſubditur periculi idololatriæ propriæ: quia huiuſmodi cohabitatio erit Iſraëlitis, tanquàm offendiculum ad cadendum: vel ſecundùm alios Interpretes, tanquàm laqueus venatorius ad capiendum, ſeu illaqueandum animos veſtros.

[i] Terra promiſſionis ad fluuium vſque Euphratis protendebatur.

CAPVT XXIV.

VERS. 1.

Moſi quoque dixit.] Hactenus locutus quidē Moſi eſt Deus; ſed non facienda ſpecialiter à Moſe, ſed cōmuniter ab omnibus; proponēda autē per Moſen populo: modò mandat ſpecialiter facienda ab ipſo Moſe, cum quibuſdā: & propterea dicitur: *Et Moſi dixit:*

Aſcende ad Dominum, tu, & Aharon, Nadab, & Abihu, & ſeptuaginta ſeniores ex Iſraël: & adorabitis procul.] Dictio interpretata, *Dominum*, eſt nomen tetragrāmaton. Erat tunc Moſes cum Deo; ſed non erat cū Deo ipſe, ſimul cū Aharon, & cæteris ſubiunctis. Et propterea ſenſus eſt: Poſtquàm promulgaueris leges, quas dixi, populo; aſcendes tu, & Aharon, &c. Et aduerte, prudens lector, quòd nunquam, tam in hoc mādato, quàm in executione eius, quæ poſteà ſubiungetur, mentio *mōtis* fit Non mandatur: Aſcende in montē. nec in executione dicitur, quòd aſcenderint in montem: ſed hìc dicitur: *Aſcende ad Iehouah, ſummū Dei.* Dubium tamē non eſt, quòd de aſcenſu locali eſt ſermo: vt patet ex eo, quod ſubiungitur: *Et adorabitis procul.* hinc enim patet mādari, quòd Moſes, & Aharon, & duo filij Aharon, & ſeptuaginta ſenes aſcendant quidem; ſed ſiſtant procul. Et ſi cum his collatū fuerit, quòd Deus ſuper verticem montis Sinaï apparebat, & loquebatur Moſi; intelligemus, quòd ſiſtere procul, relatiuè ad ſummitatem montis dicitur: & conſequenter aſcendere ad יהוה eſt aſcendere partem montis: neſcitur autem, quanta fuerit iſta montis pars.

Verſ. 2. Solúſque Moſes aſcendet ad Dominum.] Iuxta Hebr. non habetur, *aſcendet*; ſed, *appropinquabit*: & repetitur tetragrammaton. Superiùs in c. 19. conceſſum fuerat, vt cum Moſe poſſet Aharon aſcendere in montē: modò autem non permittitur, quòd Aharon appropinquet cum Moſe ad verticem montis.

Et illi nō appropinquabunt, nec populus aſcendet cum eo [a].] Vide diſparitatem. Populus, nec appropinquat, nec aſcendit: Aharon, & ſeptuaginta ſenes aſcendunt quidem; ſed non appropinquant: Moſes autem, & aſcēdit, & appropinquat. Et hic eſt finis ſermonis Dei ad Moſen, quando dedit ei leges promulgandas populo.

[a] Indicat Scriptura, quo ordine inter ſeſe diſtincti fuerunt Iſraelitæ, cùm Dominus ſuprà dictas leges Moſi reuelaret.

Verſ. 3. Et venit Moſes: & narrauit populo omnia verba Domini, atque iudicia.] Auditis diuinis legibus deſcendit Moſes à monte: & narrauit populo omnia, tam verba moralia, quàm iudicia pœnalia, non propria, ſed יהוה ipſius veri Dei, qui dat eſſe omnibus.

Reſpondítque cunctus populus vna voce: Omnia verba Domini, quæ locutus eſt, faciemus.] Acceptat populus vnanimiter omnes leges, affirmando; tum, quòd illas protulit יהוה; tum, quòd illas opere exequentur. Fidem itaque exhibent, & opera promittunt.

Verſ. 4. Scripſit autem Moſes vniuerſos ſermones Domini.] Et hîc quoque eſt tetragrāmatō. Et per vniuerſos ſermones intelligo, tā per eū promulgatos, quàm ore proprio à Deo promulgatos: legimus enim ſcriptas à Moſe etiā leges decem præceptorū. Et confirmatur hic ſenſus ex eo, quòd ille liber, quē túc ſcripſit Moſes, appellatur in hoc capitulo, *liber pacti*: perſpicuum ſiquidē eſt, quòd fœdus inter Deum, & populū præcipuè conſiſtit in decem præceptis: vnde & inferiùs tabellæ decē præceptorū appellātur *tabellæ pacti.* Et oportuit, Moſen ſcribere in libro pacti, in capite libri, decē præcepta: tū, vt integrū pactum ſimul celebra-

retur aſperſione ſanguinis; tum, quia adhuc ei reuelatũ non fuerat, quòd Deus vellet decem pręcepta ſcribere in tabellis lapideis: quod poſteà factũ eſt ad perpetuã memoriã, quòd in illis ſubſtantia pacti conſiſtit, & reliqua ſunt concomitantia, & adiecta ad conſtituandum illa.

Et mane conſurgens.] Non dicitur: Et poſtridie ſurrexit mane. ſed dũtaxat, quòd ædificaturus altare, & ſacrificaturus ſurrexit mane. Quod ideò dixerim: quia non eſt ſcriptũ, quantùm tẽporis interceſſerit à promulgatione legũ, vſque ad iſtud mane: certum eſt, quòd medium tempus fuit, quo ſcripſit Moſes vniuerſas ſupradictas leges, comprehendendo (vt par eſt credere) etiã leges ſuperiùs ſcriptas c. 12. & 13.

Ædificauit altare Domino.] Superfluit, *Domino*. Hoc eſt ſecundum altare ædificatum à Moſe: primũ enim ædificauerat in Rephidim, fugatis Hamalecitis.

Ad radices montis.] Iuxta Hebræum habetur: *Sub monte*. Vt clarè intelligamus, in planitie ædificatum altare, immediatè ſub mõte, ſupra cuius verticem apparebat Deus.

Et duodecim titulos per duodecim Tribus Iſraël.] Iuxta Hebræum ſignificantur duodecim lapides erecti, iuxta numerum duodecim Tribuum Iſraël: ita, quòd ædificauit vnum altare quadratum, habens quatuor lapides erectos per ſingula latera: quatuor enim lapides in quatuor angulis, & duo medij æquidiſtantes in ſingulis lateribus, conficiunt duodecim lapides erectos, tanquàm integrantes altare: materia enim omnis media erat ad implendum interceptum vacuum.

Verſ. 5. Miſitque iuuenes de filiis Iſraël.] Primogenitos filiorum Iſraël; qui ante inſtitutum ſacerdotium Aharon, ante appropriatum ſacerdotium Tribui Leuiticę, Sacerdotes habebantur, intellige: nam de ipſis ſubditur, quòd ſacrificauerunt.

Et obtulerunt holocauſta, immolaueruntque victimas pacificas Domino.] Tetragrammaton eſt. Duo ſacrificiorũ genera obtulerunt; holocauſta, videlicet, (quæ ſecundùm omnes partes incẽdebantur;) & pacificas victimas, quarum pars tantùm cremabatur Deo, reliquis verò partibus veſcebantur offerentes.

Vitulos duodecim.] Superfluit, *duodecim*. Nec ſcribitur, *vitulos*; ſed, *tauros*: vel, vt aliis placet, *iuuencos*. Et hoc ad ſolennitatem ſacrificij ſpectat. Quot autem fuerint, neſcitur. Si quæritur, quomodo verificatur hoc cum verbis Hamos cap. 5. in perſona Dei: *Nunquid hoſtias obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis?* Solutio eſt, quòd in deſerto fuerunt rara ſacrificia, quæ non aduerſantur ſententiæ Dei apud Hamos loquentis de iugi ſacrificio, & ſolitis in terra promiſſionis hoſtiis. Neutrum enim horum in deſerto ſeruatum eſt annis quadraginta.

Verſ. 6. Tulit itaque Moſes dimidiam partem ſanguinis, & miſit in crateras] Nulla fiat vis in nomine *vaſis*: in Hebræo tamen aiunt ſignificari *malluuia*. Et rationabile eſt, vt vaſa fuerint argentea in tam ſolenni actu.

Partem autem reſiduam fudit ſuper altare.] Iuxta Hebr. habetur: *Et dimidium ſanguinis aſperſit ſuper altare*. Clarè deſcribitur diuiſio ſanguinis in duas partes æquales: dimidium aſpergendum ſuper altare, & dimidium aſpergendum ſuper populum.

Verſ. 7. Cœpitq; volumẽ fœderis.] Ecce quod priùs annotauimus, appellari librũ hunc, *librum fœderis*, eò quòd eſt velut chirographũ fœderis inter Deum, & populum Iſraël: continet enim, & promiſſa Dei populo, & promiſſa populi Deo. Et ſignificantiſſimè dicitur *fœderis*, ſeu *pacti*; ad explicandum, quòd per modũ cõtractus voluit Deus promiſſiones ſuas intelligi: & ſimiliter, quòd populus per modum cõtractus obligaretur ad ſeruandũ præcepta Dei; ad quæ tamen tenebatur ex eo, quòd ſubditus erat. Et admiranda, imò ſtupenda eſt Dei benigniſſima ſuauitas in hoc, quòd, cùm homo Princeps ſolutus ſit à legibus, & non teneatur niſi ex contractu; ipſe omnium Princeps voluit promiſſiones ſuas ſubiacere contractui: vt vel ſic certiores redderet homines, quòd implerentur promiſſa, & ipſi arctiùs ſe obligatos agnoſcerẽt ad exequendum, quod promiſerũt.

Et legit, audiente populo.] Iterum promulgat leges, legendo librum; quæ priùs promulgatæ erant, antequàm ſcriberetur liber.

Qui dixerunt: Omnia, quæ locutus eſt Dominus.] Tetragrammaton eſt. Et iterum acceptant fœdus, & exhibent fidem, profitendo eſſe ſermones יהוה.

Faciemus, & erimus obedientes.] Iuxta Hebr. habetur: *Faciemus, & audiemus*. Præpoſterus ordo apparet; ſed frequens Hebraico idiomati. Poteſt tamẽ, & prout ſonat, intelligi. *Faciemus* modò in via, ſeruanda in via; *& audiemus* in terra promiſſa, exequenda ibi: iterum enim promittunt, quod priùs promiſerant.

Verſ. 8. Ille verò ſumptum ſanguinem reſperſit in populum: & ait: Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcũ ſuper cunctis ſermonibus iſtis.] Parui refert, quod iuxta Hebræũ habetur: *Ecce ſanguis pacti, quod pepigit* יהוה *vobiſcum, ſuper cuncta verba iſta*. Aſpergendo populũ dimidio ſanguinis ſeruato in malluuiis, dicit: *Ecce sãguis pacti inter ſummum Deum & vos, ſuper contenta in hoc libro, quæ pluries audiſtis*. Humano ſiquidẽ more firmitas pacto adhibetur. Quũ enim arctiſſimũ aliquod fœdus inter ſeſe confirmare volũt homines, cõmunione ſanguinis, (vel humani, vel Hoſtiæ ſacræ,) mixti vino, id faciũt [b]: vt ex cõmunione in vno, eodẽmq; ſanguine, vnus, atque idẽ omnium eorum animus comprobetur firmus, atque ſtabilis habeatur. Iuxta hunc morẽ, (qui frequentior fortè apud antiquos erat,) aſſumptus eſt ſanguis victimæ diuinæ, quaſi ſanguis Dei, qui eſt Princeps in hoc pacto, & æquis portionibus diuiſus in duas partes; & altera aſperſum eſt altare vice Dei; & altera aſperſus eſt populus: vt ex communione vnius, atque eiuſdem ſanguinis diuini, firmaretur ſolenniter pactum inter Deum, & populum. Et proptereà Moſes dicit: *Ecce ſanguis pacti* יהוה *vobiſcum*. Et niſi ſolennitas iſta in firmandis pactis nota tunc fuiſſet communiter populo, non demonſtratiuè dixiſſet Moſes populo: *Ecce ſanguis pacti* יהוה *vobiſcum*.

[b] Quæ fuerit huius cæremoniæ cauſa, epiſt. ad Hebr. cap. 9. perſpicuè explicat.

V. 9. Aſcenderũtq; Moſes, & Aharõ; Nadab, & Abihu, & ſeptuaginta de ſenioribus Iſraël.] Ecce executio mandati à Deo Moſi, vt cum Aharon, & aliis aſcenderet.

Verſ. 10. Et viderunt Deũ Iſraël.] Et ſcribitur non יהוה; ſed, *Elohe Iſraelis*. Textus clarè ſonat,

sonat, quòd viderunt Deum Israëlis. Qua autem visione viderint, non dicitur. Nec dicitur, sub qua specie Deum viderint: certum est enim, quòd non viderunt Deum in seipso: quoniam hoc est proprium Beatorum. Et ad hoc insinuandum scripsit Moses, quòd viderunt Elohe Israëlis; & non scripsit, quòd viderunt יהוה: hoc enim est nomen diuinæ essentiæ; illud autem est nomen officij: vt intelligamus, quòd viderunt Deum in specie summi Iudicis.

Sub pedibus eius, quasi opus lapidis sapphirini; & quasi cælum, quum serenum est[c].] Iuxta Hebræũ habetur: *Et sub pedibus eius, sicut opus lateris sapphir; & sicut proprietatem cælorum in munditia.* Narratur, quòd non solùm viderunt Elohe Israëlis; sed, quòd etiam viderunt pauimentum sub pedibus eius, tanquàm stratum lateribus sapphirinis, & tanquàm cælos, cùm apparent nobis mundi. Non est perspicuum, an de cælis simul cum stellis, an de cælis solis sit sermo: ex eo tamen, quòd nulla fit stellarum mentio, innuitur, quòd ad augendum colorem sapphiri adiunxerit colorem cæli apparentem, cùm nulla immunditia nobis offuscatur. Et hinc apparet, quòd visio illa fuerit, vel imaginaria, vel exteriori visu: nam ex parte Elohe visi describuntur pedes ad insinuandum, quòd sub specie Iudicis, quasi hominis, visus est; & ex parte loci, tanquàm artis opus, pauimentum lateritium, non ex luto, sed ex sapphiris visum est: istæ nanque similitudines corporearum rerum insinuant, quòd vel imaginaria, vel exterior fuerit visio.

[c] Illud: *Quasi cælum, cum serenum est.* nonnulli ad sedem gloriæ referũt: videntur enim seniores tũ Dei sedem, vt cælum gloriosam; tũ eius pauimentum, vt sapphirũ splendescens. Nec mireris, si sedis mentio non fiat in Litera: solet nanque in terim præcisius loqui Scriptura.

Vers. 11. Nec super eos, qui procul recesserant de filiis Israël, misit manum suam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ad primates filiorum Israël non misit manum suam.* Primates appellantur, Moses, Aharon, & filij, & septuaginta senes: & mittere manum metaphorico sermone sumitur: & significat, *percutere*, seu *affligere*. Et hinc insinuatur, quòd visio illa fuerit secundùm exteriorem visum: nam non existimabatur, quòd videns Deum imaginaria visione, pateretur mali aliquid; sed putabatur, quòd videns Deum exteriori sensu moreretur; vt ex pluribus Scripturæ locis apparet: & ad narrandum, quòd nullum malum euenit istis videntibus Deum exteriori sensu, dicit, quòd Deus non misit manum suam læsiuam ad primates filiorum Israël, qui viderunt ipsum. Et ad hoc magis explicandum subiungitur:

Et viderunt אלהים, & comederunt, & biberunt.] Significatur enim, quòd non solùm euaserunt læsionem in corpore; sed penitùs omnem pœnalitatem, (putà, magni timoris; seu, quòd semianimes fuerint redditi,) dicendo, quòd sic viderunt אלהים; quòd tanquàm omninò incolumes, & comederunt, & biberunt. Non quòd in illa parte montis, in qua adorauerunt, & viderunt אלהים, comederint, & biberint: sed, quòd ex tali visione non impediti sunt, quin liberè comederent, & biberent: & nihilominùs, quia rationi consentaneum est, vt hæc adoratio, & visio fuerit mane ante horam prandij; intelligi potest significatus etiam reditus in castra ad comedendum, & bibendum. Hanc apparitionem intelligo fuisse illam, cuius Moses in Deut. 33. cap. meminit, & cuius meminit Dauid in Psal. 68. Et verè quadrat, vt Deus in specie summi Iudicis vniuersorum, cum sanctorum Angelorum infinito apparatu visus fuerit: sed Moses hîc solius speciei, Iudicis, & pauimenti meminit: vt ex istis manifestatis, reliqua intelligeremus, quæ posteà in Deuteronomio explicauit clarè, dicens, quòd filiis Israël Deus apparuit cum Sanctorum millibus.

Vers. 12. Dixit autem Dominus ad Mosen.] Nomen est tetragrammaton: ex quo innuitur, quòd interno sermone allocutus post reditum fuerit Mosen.

Ascende ad me in montem, & esto ibi.] Mandat, non solùm ascendere in montem, sed morari in eo: & hoc, vt Moses disponat de agendis interim, quòd ipse erit in monte; ne improuisa populo contingat mora Mosis in monte.

Dabóque tibi tabulas lapideas, & legem, ac mandata, quæ scripsi, ad docendum eos. *Vers.* 13. Surrexerúntque Moses, & Iehosuah minister eius.] Iste est Iehosuah, qui fuerat dux in prælio contra Hamalecitas: hunc duntaxat assumpsit secum Moses ascensurus in montem. Et dicitur *minister eius:* quoniam erat domesticus seruitor eius, quemadmodum magnus Cubicularius Principis. Et dicendo, *surrexerunt*, innuit, quòd mane surrexerint à somno, ad hoc, vt ascenderent.

Ascendénsque Moses in montem Dei, *Vers.* 14. senioribus ait.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ascendit Moses ad montem Elohim, & ad senes dixit.* Vide frequentiam præposteri ordinis. Nam priùs allocutus est senes, & posteà ascendit.

Expectate hîc.] Iuxta Hebræum habetur: *Sedete nobis in isto, vsquequò reuertemur ad vos.* Duo hinc habentur: alterum, quòd cum Mose ascendit Iehosuah; alioquin non diceret: *Vsquequò reuertemur ad vos.* alterum, quòd Moses, cùm monet, vt quiescant in eo, quod acceperant; hoc est, in institutis acceptis, in statu, in quo erant. Et addidit, *nobis obsecrando*; hoc est, intuitu nostro: tanquàm spiritus loqueretur, timendo inopinatum euentum: non enim quieuerunt in illo statu, nulla ratione habita Mosis, & Iehosuah ducis eorum in bello.

Habetis Aharon, & Chur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos.] De arduis hoc est intelligendum, si instituti iam erant Iudices ad communes causas, de quibus sermo habitus est cap. 18.

Vers. 15. Cúmque ascendisset Moses.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ascendit Moses ad montem.* Bis scribitur iste ascensus: semel ad narrandum gesta in initio ascensus, hoc est, cùm ascensurus esset: & iterum ad narrandum factum subsecutum ascendendo: hoc enim factum subiungitur, dicendo:

Et operuit nubes montem, *Vers.* 16. & habitauit gloria Domini super Sinaï.] Patui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Honor* יהוה *super montem Sinaï.* Duo effecta narrantur: alterum, quòd nubes operuit montem: alterum, quòd honor יהוה erat super verticem montis. Intellige, (vt sequentia testátur,) quòd Moses cum Iehosuah ascendit in montem

tem

tem Choreb, qui est quædam pars montis Sinaï: & propterea verificatur bis dictum, quòd Moses ascendit in montem, & quòd ibi substiterunt videntes reliquum montis versùs superius, opertum nube, & gloriam Dei apparentem super verticem montis.

Et texit illum nubes sex diebus: septimo autem die vocauit eum Dominus de medio nubis.] Dixerat operuisse nubem montem: subiungit modò tempus, quo substitit Moses, videns montem opertum nube: ad hoc enim narratur, quòd nubes sex diebus operuit montem, & quòd die septimo vocauit Iehouah ex intimis nubis Mosen: vt intelligamus, quòd sex diebus substitit cum Iehosuah Moses, & die septimo diuina vox sensibiliter, tanquàm in intimis nubis formata, audita est vocans Mosen.

Vers. 17. Erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorũ Israël.] Iuxta Hebræum habetur: *Et aspectus honoris Iehouah, sicut ignis consumens in vertice montis oculis filiorum Israël.* Dicendo, *sicut ignis*, insinuat, quòd non erat verus ignis; sed erat similitudo ardentis ignis: quemadmodum linguæ igneæ, quæ apparuerunt Apostolis. In capite ergo montis erat hæc similitudo ignis, quæ videbatur à filiis Israël existentibus in castris: inferiores autem partes montis opertæ erant nube.

Vers. 18. Ingressúsque Moses in medium nebulæ, ascendit in montem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et venit Moses intra nubem, & ascendit in montem.* Hinc clarè apparet, quòd Moses substiterat extra partem montis opertam nube: & quòd non nisi vocatus ausus est ingredi nubem die septimo: & tunc ascendit sub nubem. Quod ideò dico: quia Scriptura non dicit, quòd ascenderit cacumen montis; quod tamen colligitur ex forma mandati diuini: *Ascende ad me in montem, & esto ibi.* Dicendo siquidem, *ad montem ad me*, mandatur, vsque ad ipsum ascendat: & cùm ipse esset in vertice montis, consequens est, vt Moses ascenderit ad summitatem montis: imò ad hoc insinuandum interposita est descriptio loci gloriæ Domini inter vocationem Mosis, & executionem.

Et fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.] Non est quærenda ratio numeri: quia diuini miraculi opus fuit. Nec est quærendum, quid fecerit: quia perspicuum est contemplationi vacasse: imò minùs dico; quia sequentia monstrant, ipsum raptum in spiritu, abstractum ab vsu sensuum, in contemplatione diuina absorptum.

CAPVT XXV.

VERS. 1. Locutúsque est Dominus ad Mosen, dicens.] Nomen est tetragrammaton, ad significandum, quòd infrascripta ab ipso summo Deo reuelata sunt. Nec est dubium, quòd locutio ista fuerit intellectualis.

Vers. 2. Loquere filiis Israël, vt tollant mihi primitias[a].] Iuxta Hebræum habetur, *eleuationem.* Quod offerebatur Deo, appellatur *eleuatio*: tum ab actu eleuandi, cùm offerebatur Deo eleuatis manibus: tum à dignitate; quia ex re profana eleuabatur in rem diuinam; res enim Deo oblata, in diuinum translata est ordinem.

[a] Hoc est, aliquid liberè contribuant. Dicunturque huiusmodi munera, *eleuationes*, apud Hebræos: eo quòd nonnunquam, quod oblatum erat, mouebatur coram Domino, & eleuabatur ad quatuor mundi plagas.

Ab omni homine, qui offert vltroneus, accipietis eas.] Iuxta Hebræum plùs explicatur: *Ab omni homine, qui sponte volet ipse cor eius, accipietis eleuationem meam.* Conditiones offerentis Deo describuntur ab ipso Deo duæ: altera, quòd sponte velit; altera appositiuè, quòd cor eius velit; vult enim, quòd non solùm sponte, sed ex intimo corde velit offerre, quicunque offert. Et dicendo, *accipietis*, docet ministros ecclesiasticos, vt non nisi à talibus accipiant oblationes: per hoc enim excludit non solùm extortas, & minùs spontaneas; sed etiam minùs lætas oblationes.

Vers. 3. Hæc sunt autem, quę accipere debetis; aurum, & argentum, & ęs, *Vers.* 4. & hyacinthum, & purpuram, coccúmque bis tinctum, (superfluit, *bis tinctum*,) & byssum, & pilos caprarum, *Vers.* 5. & pelles arietum rubricatas, pelléisque hyacinthinas.] Iuxta Hebræum habetur: *Et pelles techasim*, hoc est, taxorum, vt quidam interpretantur: vel animalium quorundam maculosas habentium pelles, tanquàm naturaliter pictæ pelles significantur.

Et ligna sittim.] Aiunt Hebræi nonnulli, significari ligna magnarum cedrorum. An verum sit, nescio: rationabile tamen est, vt significentur ligna magnarum arborum in illis regionibus; vtpote, ex quibus constructum est etiam tabernaculum: itaquòd singuli asseres erant decem cubitorum secundùm longitudinem; & vnius, ac dimidij cubiti secundùm latitudinem, vt in sequenti patet capitulo.

Vers. 6. Oleum ad luminaria concinnanda, aromata in vnguentum, & thymiamata boni odoris: *Vers.* 7. lapides onychinos & gemmas ad ornandum ephod, ac rationale.] Nomina sunt eorum, quibus induebatur Sacerdos: primum, amictus erat humerorum: alterum, amictus erat pectoris. Et in Hebræo illud humerale, hoc pectorale vocatur: de quibus erit sermo diffusus.

Vers. 8. Faciéntque mihi Sanctuarium[b], & habitabo in medio eorum. *Vers.* 9. Iuxta omnem similitudinem tabernaculi, quod ostendam tibi, & omnium vasorum in cultum eius, sicque facietis illud.] Iuxta Hebræum latiùs habetur: *Sicut omnia, quæ ego faciens videre te, similitudinem tabernaculi, & similitudinem omnium vasorum eius, & sic facietis.* Non solùm dixit; sed monstrauit Deus formam tabernaculi, (hoc est, templi mobilis.) & omnium vasorum eius, hoc est, omnium contentorum in eo, & pertinentium ad illud: more enim Hebræo vasis nomen communissimum est.

[b] Sanctuarium generale vocabulum est in scriptura [illegible] tabernaculum [illegible] templum [illegible] à Salomone [illegible] intelligitur. Sic dictum, quod [illegible] quod Deo [illegible] est, sanctum [illegible] vocat[illegible] gustius [illegible] & diuinæ [illegible] modo tene[illegible] Texu [illegible] tur. [illegible] eorum [illegible] est, ac Verb[illegible] inque [illegible] eo loco [illegible] reuelabo.

Vers. 10. Arcam de lignis sethim compingite.] Iuxta Hebræum habetur: *Et facient thecam de lignis sittim.* Dicendo, *thecam*, procul dubiò integram significat thecam. Quod ideò dixerim, ne quæras de operculo thecæ, sicut non quæris de fundo, nec de lateribus eiusdem, manca siquidem fieret, si quid omitteretur.

omitteretur. Vnde, tam longitudo, quàm latitudo cum altitudine describitur, vt asserum omnium mensura haberetur.

Cuius longitudo habebit cubitos duos, & semissem; latitudo cubitum, & dimidium; altitudo cubitum similiter, ac semissem. *Verf.* 11. Et deaurabis eam auro mundissimo.] Iuxta Hebræum plùs habetur: *Et vesties eam auro mundo intùs, & foris.* Ad deaurandum sat fuisset foliis auri colorare eam: sed mandatur, vt vestiatur laminis aureis intùs, & extrà: sic enim intelligunt propter verbum vestiendi, tam hîc, quàm vbique inferiùs; quod apud me non est certum: neque enim credo, vniuersos asseres vestitos laminis aureis: quanuis exponendo sequar alios.

Faciésque suprà coronam auream per circumitum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et facies super eam limbum auri in circumitu.* Non ligneum auro vestitum; sed aurum, ornamentum hoc erat, super thecam circumcirca. De figura autem eius in litera nihil dicitur; & ideò nulla habetur ratio vnius figuræ magis, quàm alterius, nisi quatenus artis opificio consonat magis vna, quàm altera.

Verf. 12. Et quatuor circulos aureos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fundes ei quatuor annulos auri.* Fusorio opere fieri debebant isti annuli aurei.

Et dabis super quatuor angulos eius.] Præpositio, *super*, significat situm superioris partis cuiuslibet anguli: mandatur enim, quòd non ponantur isti circuli in inferioribus partibus angulorum, quæ sunt iuxta fundum thecæ; sed in superioribus partibus angulorum, quæ sunt iuxta operculum thecæ.

Et duos annulos super latus eius vnum, & duos annulos super latus eius secundum.] Latera thecæ frequenti vsu consueuimus appellare partes thecæ extremas secundùm longitudinem: & ideò proculdubiò intelligendum est, quòd in angulis ex ea parte, qua terminant longitudinem thecæ, affigendi erant circuli isti: ita quòd theca vehebatur secundùm latitudinem sic, quòd anterior pars, qua aperiebatur, obuiaret occurrenti[c]. Et hoc ad dignitatem spectabat, ne, tanquàm oneraria theca, secundùm longitudinem portaretur.

[c] Opinio est Iosephi, & Hebræorum.

Verf. 13. Facies quoque vectes de lignis sittim: & operies eos auro; *Verf.* 14. inducésque per circulos, qui sunt in arcę lateribus, vt portetur in eis, *Verf.* 15. qui semper erũt in circulis, nec vnquam extrahentur ab eis. *Verf.* 16. Ponésque in arca testificationem[d], quam dabo tibi. Tabulas decem præceptorum appellat testificationem ratione officij: quia ad officium testificandi fœdus inter Deum, & populum, ponebantur in theca.

[d] Quia tabulæ Decalogi lex testificationis dicebantur, ideò, *arca testamenti*, & *fœderis* appellata est, & *memoriale præsentiæ Dei* nam continebat, quod Deus populo promiserat, & in quo à populo illi obsequendum erat.

Verf. 17. Facies & Propitiatorium de auro mundo: duos cubitos, & dimidium tenebit longitudo eius: & cubitum, ac semissem latitudo.] Tabula hæc erat, non lignea, sed aurea, æqualis, tam secundùm longitudinem, quàm secundùm latitudinem dictæ thecæ. Et quoniam nihil dicitur, quàm grossa esset; intelligentiæ humanæ relinquitur, vt sic esset grossa, ne tenuitate flecteretur, hinc & inde tantummodo sustentata.

Verf. 18. Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies.] Hebraïca dictio est Cherubim: & significat *magnos*, non quantitate molis, sed virtute, seu potentia, seu scientia, & huiusmodi. Et Angelis appropriatur: quia verè sunt magni magnitudine spirituali, tum naturæ, tum scientiæ, tum potentiæ. Et ambo isti non lignei, sed aurei erant. Non opere fusorio, sed malleo aurum ducendum erat, ad faciendum has statuas. Mirabiléque apparet opus, vt nulla essent frusta statuæ; sed ex integro fieret statua ductilis.

Ex vtraque parte Oraculi.] Iuxta Hebræum habetur: *A duabus extremitatibus Propitiatorij.* Intellige extrema Propitiatorij, hoc est, extrema longitudinis: quemadmodum de lateribus thecæ dictum est.

Verf. 19. Et facies Cherub[e] vnum ab extremitate hinc, & Cherub vnum ab extremitate hinc Propitiatorij.] Distribuit Cherubim hinc, & hinc. Priùs enim absque distributione dixerat ad duo latera: modò suum cuique extremum deputat.

[e] Cherubini imagines erant alatæ; &, vt Hebræi Interpretes tradunt, faciē habuerunt Infantuli, licèt Iosephus animalia volantia fuisse dicat, quæ talem habebant figuram, qualis à nullo homine conspecta sit. De hac re vide Ezechielem cap. 1. & 10. & 41.

Facietis Cherubim super duas extremitates eius.] Applicatio significatur Cherubinorum ad extremitates Propitiatorij illis deputatas. Et est sermo de applicatione ad sustentandum Propitiatorium. Præpositio autem, *super*, significat, quòd Propitiatorium non erat locandum super capita Cherubinorum: sed, quòd ipsi Cherubini secundùm partem eorum superiorem essent eminentiores Propitiatorio. Hunc autem esse sensum literalem, ipse contextus insinuat. Nam primùm duos; deinde à duobus lateribus posteà distribuit; & demum applicauit eosdem.

Verf. 20. Extendentes alas.] Plùs iuxta Hebræum habetur: *Et erunt Cherubim extensores alarum ad superna.* Alas expansas, non ad latera, dextrum, & sinistrum; sed versùs partes superiores, præcipit fieri.

Et operientes Oraculum.] Iuxta Hebræum habetur: *Tegentes in alis suis supra Propitiatorium.* Quia diuersimodè intelligi potest situs alarum expansarum ad superiora, determinatur, vt situs sit talis, quòd internæ superficies alarum sint versùs Propitiatorium: talis enim situs significatur dicendo: *Tegentes in alis suis supra Propitiatorium.* Officium enim tegendi conuenit alis secundùm internas superficies: & propterea ab officio tegendi describitur expansarum alarum interna superficies versùs Propitiatorium: ita quòd vmbra earum erat directè ad tegendum Propitiatorium hinc, & inde.

Respiciantque se mutuò versis vultibus in Propitiatorium.] Iuxta Hebræum habetur: *Et facies eorum, vir ad fratrem suum; ad Propitiatorium erunt facies Cherubim.* Iunge hæc duo simul, (videlicet, quòd facies Cherubinorum erant sic situatæ, quòd altera versùs alteram, & quòd ambę versùs Propitiatorium;) & manifestè pensatis antedictis perpendes, quòd Propitiatorium erat medium inter duos Cherubinos secundùm lineam rectam: ita quòd duo Cherubini, non ex obliquo, non torquendo collum; sed secundùm rectam lineam mutuò se respiciebant, & Propitiatorium medium

medium inter eos. Et caue, ne fallaris ex situ Cherubinorum descripto 3. Reg. 6. quoniam Salomon non fecit Cherubinos illos iuxta descriptionem Mosis hic mandatam, vt conuincitur; tum ex eo, quòd fecit illos ligneos, cùm hic præcipiantur aurei; tum ex eo, quòd inter duos Cherubinos fecit distantiam decem cubitorum, cùm tamen Propitiatorium duorum cubitorum, & dimidij esset, & iuxta latera medij Propitiatorij esse deberent Cherubini. Et ex hac litera dicente: *Vir ad fratrem suum.* insinuatur, quòd figuræ humanæ erant Cherubini.

Quo operienda est Arca.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dabis Propitiatorium super thecam de ad superna.* Locus Propitiatorij definitur: in qua definitione, si diceretur, super thecam; fortè intellexisses, quòd immediatè super thecam, hoc est, tangendo thecam, locaretur: sed sensum hunc manifestè exclusit, adiungendo, *ad superna.* Vt vtrunque dicendo, (videlicet, *super thecam ad superna,*) manifestaret, quòd supra thecam quidem; sed non tangendo; sed eminentiùs locaretur. Et rursus, si dixisset: *Super thecam ad superna.* intellexisses fortè, quòd eminentiùs quidem, perpendiculariter tamen, super thecam Propitiatorium locaretur: fauente huic sensui æqualitate Propitiatorij, & thecæ, secundùm longitudinem, & latitudinem. Sed hic sensus excluditur, adiungendo præpositionem, *de*, dicendo, *de ad superna.* Ordo enim motus ascensus, & descensus, inter superficiem thecæ, & locum Propitiatorij, insinuatur: vt, videlicet, ex Propitiatorio descenderetur super thecam; & è conuerso, ex theca ascenderetur ad Propitiatorium: quemadmodum ex gradu suppedaneo ascenditur ad sedem; & è conuerso ex sede descenditur ad gradum suppedaneum[f]. Huiusmodi enim locorum ordo significatur, dicendo: *Super thecam de ad superna.*

[f] Vide optimam Propitiatorij, cherubim, & Arcæ, inter sese dispositionem.

Nec nos huiusmodi ordinem confingimus: sed hunc esse sensum literæ, testimonio sacræ Scripturæ comprobamus. In Psalmo enim 99. clarè dicitur: *Adorate scabellum pedum eius.* loquendo ad literam de hac theca. Et in Psalmis 80. & 99. dicitur *Deus sedens super Cherubim.* Erat igitur theca, tanquàm scabellum suppedaneum sedenti super Propitiatorium sustentatũ à Cherubinis. Nec obstat dissensio inter Hebræos de præpositione, *ad*, nõnullis illá hîc negantibus: quia neutra pars sensus fundatur super præpositionem, *ad*: sed situs eminens Propitiatorij ex repetito *de super*, post, *super thecam*; ordo autem ex adiuncto, *de*, habetur cum authoritate Psalmorum.

Et Cherubini erant non habentes pedes super thecam: vt conuincitur ex hoc, quòd Propitiatorium oportuisset esse minùs longum, quàm ipsa theca; tantò minùs quantùm occupatum fuisset thecæ hinc, & inde à Cherubinis. Sed stabant super pauimentum, iuxta posteriores partes laterum thecæ, sustentantes Propitiatorium; ita quòd si quis sedisset in Propitiatorio, pedes habuisset super thecam: & alæ Cherubinorum hinc, & inde expansæ, ac eleuatæ ad superna erant, velut spondæ sedis diuinæ: Deus enim infigurabilis in sede sic disposita adorari voluit, ad exterminandum idololatriam, & docendum, quòd ipse infigurabilis omninò est.

Vers. 21. In qua pones testimonium, quod dabo tibi.] Non est repetitio, sed manifestatio excellentiæ Propitiatorij relatiuè ad thecam, quanuis continentem diuinum testimonium tabularum decem præceptorum.

Vers. 22. Inde precipiam, & loquar ad te, (supra Propitiatorium, scilicet;) ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonij, cuncta, quę mãdabo per te filiis Israël.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ero paratus tibi ibi: & loquar tecum de super Propitiatorium; de intra duos Cherubim, qui supra thecam testificationis; omnia, quæ præcipiam tibi ad filios Israël.* Ne vanum reputaretur Propitiatorium, declarat Deus, quòd ipse non in illo contentus, sed super illud, à supernis paratus erit ad officium audientiæ. Et specialiter dicit, *tibi*, ac si apertiùs dixisset: Non oportebit te venire in hunc montem Sinaï ad consulendum me: ego enim facto Propitiatorio ero ibi paratus ad audiendum te. Humano more loquitur Deus, more Principis statuentis locum audientiæ. Vbi etiam clarè vides, situm Propitiatorij inter duos Cherubinos. Quòd autem dicitur de Cherubinis, *qui super thecam*; intellige, non super thecam habentes pedes; sed *supra thecam*, hoc est, eminentiores theca. Imò, cùm theca esset altitudinis vnius cubiti, & dimidij duntaxat, crura Cherubinorum cum omnibus superioribus partibus erant supra thecam: probatum est enim ex ipsa longitudine Propitiatorij, quod erat inter Cherubinos, non posse intelligi, quòd Cherubini haberent pedes super thecam; & eadem ratione nec genua.

Vers. 23. Facies & mensam de lignis sittim.] Descripto opificio thecæ cum Propitiatorio, describitur opificium mensæ propositionis.

Habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitum, ac semissem.] Intellige altitudinem pedum mensæ: pedes enim mensæ non erant separati à mensa; sed erant de integritate mensæ, tanquàm partes ipsius: ita quòd vnico motu mouebatur mensa simul cum pedibus quatuor.

Vers. 24. Et inaurabis eam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vesties eam auro mundo.* Erat enim vestienda laminis aureis. Verùm aduerte, quòd theca vestita est auro intùs, & extrà: de mensa autem non dicitur, quòd vestiatur auro super, & subtus; sed duntaxat: *Vesties eam auro.* Propter quod ambiguum relinquitur, an inferior superficies mensæ esset vestienda auro. Crediderim ego omni ex parte vestitam auro, quemadmodum & pedes eius.

Faciesque illi labium aureum per circuitum.] Quod Interpres appellauit *labium*; planiùs appellatur *limbus.* Nec dicitur, quòd limbus fiat super mensam circuncirca, quemadmodum descriptus fuerat limbus thecæ: sed dicitur: *Et facies illi limbum circuncirca.* Intelligo itaque hunc aureum limbum circuncirca, non super mensam; sed applicatum mensæ: ita quòd augebat longitudinem, & latitudinem eius: de figura autem eius nihil dicitur.

Vers. 25.

Vers. 25. Et ipsi labio coronam interrasilem altam quatuor digitis, & super illam alteram coronam aureolam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et facies ei clausuram quatuor digitorum in circumitu, & facies limbum auri clausuræ eius in circuitu.* Nihil hîc dicitur de corona aliqua, nec de figura aliqua: sed materia clausuræ, & materia limbi videtur diuersa: quoniam limbus etiam iste aureus describitur: clausuræ autem materia nulla manifestatur: propter quod crediderim subintelligi, quòd clausura sit lignea, vestienda tamen auro, tanquàm pars mensæ. Mensura autem quatuor digitorum, proculdubiò intelligenda est secundùm altitudinem, & latitudinem: an autem secúdùm profunditatem vndique esset quatuor digitorum, nihil dicitur: ipsa tamen turpitudo suadet partem negatiuàm; turpis enim apparuisset mensa vnius tantùm cubiti secundùm latitudinem, clausa circuncirca muro grosso quatuor digitis. Intelligendum itaque videtur, quòd clausura hæc lata quidem inferiùs, & similiter alta erat quatuor digitis, hoc est, quantùm lata est manus: sed grossitudo eius fabrili arte diuersis ordinibus cælata. Dicendo itaque: *Et facies ei.* pronomen, *ei*, mensam demonstrat: quia mensa claudenda præcipitur circuncirca, ne aliquid possit ex mensa elabi. Et huic clausuræ alter limbus aureus circuncirca apponendus mandatur. Nec scribitur, cuius figuræ erat limbus.

Quocirca, si diligentiùs perspiciatur, mensa ista componebatur ex quatuor partibus; videlicet, ipso corpore mensæ, sua clausura circuncirca, & duobus limbis aureis: quorum alter ambiebat corpus mensæ; alter verò ambiebat clausuram. Hæc erat superior mensæ dispositio: de inferiore autem eius dispositione subiungitur.

Vers. 26. Quatuor quoque circulos aureos præparabis.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Et facies ei quatuor annulos auri,* & intelligendum videtur, quemadmodum superiùs dictum est, opere fusorio.

Et pones eos in quatuor angulis eiusdem mensæ per singulos pedes. *Vers.* 27. Subter coronam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dabis annulos super quatuor angulos, qui quatuor pedibus eius è regione clausuræ.* Si exactè hæc considerentur, apparebit, quòd mensa subtus erat sic disposita, quòd pedes quatuor non erant in postremis partibus extremitatum mensæ; sed aliquantulum mensæ hinc & inde supererat, vltra pedes: & quòd istis portionibus mensæ erant subtus in quatuor angulis affixi annuli quatuor, è regione respondétes clausuræ in superiori superficie existenti. Sic enim locatis annulis verificatur ad literam, quòd erant contra clausuram; verificatur, quòd erant in quatuor angulis; verificatur, quod erant in angulis, qui pedibus quatuor supererant; verificatur & suauis vectio mensæ. Nam vectibus intra annulos sic situatos missis, suauissimè mensa portabatur. Nec te moueat, quòd dicitur, *super angulos:* quia, licèt subter mensam essent; affixio tamen fiebat super angulos, hoc est, in suprema parte angulorum ex opposito ad clausuram.

Erunt circuli aurei, vt mittantur vectes per eos & possit mensa portari.] Iuxta Hebræum habetur: *Erunt annuli domus vectibus ad portandum mensam.* Officium annulorum describitur, quòd erunt domus, (hoc est, loca propria,) vectibus, quibus portabitur mensa.

Vers. 28. Ipsos quoque vectes facies de lignis sittim, & circundabis eos auro: & portabitur in eis mensa.

Vers. 29. Parabis & acetabula, ac phialas, & thuribula, & cyathos.] Iuxta Hebræum quatuor vasorum genera habentur: sed Interpretes dissentiunt, ita vt non possim percipere, qualia fuerint hæc vasa, nisi tertium, quod significat *medios calamos*; hoc est, vas aureum ad similitudinem dimidiæ cannæ, scissa grossitudine cannæ in duas partes æquales. Est & aliud certum in Textu Hebraïco, quòd singulis nominibus vasorum apponitur pronomen, *eius*, ad significandum, quòd omnia hæc vasa erant vasa eius, hoc est, mensæ illius: & omnia significantur in numero plurali. Ingenuè fateor, me nescire diuinare, tum formas vasorum, tum (quod magis vrget) officia vasorum opportuna huic mensæ. Crediderim tamen, quòd erant vasa ad panes mensæ, & ad thus eiusdem opportuna. Quæ tamen interpretatio propiùs accedit ad Hebræum, videtur hæc: *Et facies scutelas eius, & cochlearia eius, & calamos medios eius, & mundatoria eius.*

In quibus offerenda sunt libamina.] Iuxta Hebræum habetur: *Quibus parabitur in eis.* Ecce officia vasorum; videlicet, quòd in eis parabitur proculdubiò panis proponendus cum thure: hæc enim omnia aurea esse debebant pro reuerentia diuina. Et *mundatoria* quidem non est difficile intelligere ad officium mundandi panes infra hebdomadam. *Calamos* quoque *medios* secundùm grossitudinem cannę aiunt supponi debere panibus, ne panes calidi super mensam aureã contraherẽt aliquid indecẽs: vitabatur enim hoc intercepto aëre sub panibus, quanta erat altitudo semicalami secundùm grossitudinem. Cochleariorum autem, & scutelarum officia libenter discerem.

Ex auro mundo facies ea. *Vers.* 30. & pones super mensam [g] panes propositionis in conspectu meo semper.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dabis super mensam panes facierum faciebus meis.* Duodecim panes iuxta numerum filiorum Israël singulis Sabbathis renouati, quare appellentur panes facierum, non facilè patet. Fortè notati erant faciebus, seu characteribus duodecim filiorum Israël: ita vt iugis esset quasi assistentia filiorum Israël coram Deo. Et fortè denominatione extrinseca nuncupabantur *panes facierum*, à diuina facie: erant enim semper, tanquàm ante faciem Dei; ita vt appositiuè Litera intelligatur: Panes facierum appositiuè faciebus meis. Facies enim apud Hebræos caret numero singulari: & propterea Deus dicit, *faciebus meis*, hoc est, faciei meæ.

[g] Hæc mensa in ecclesiastica politia Israëlis parata erat, vt ponerentur illic duodecim panes, vnà cũ thure, vt essetque publicum memoriale, quo admonerentur Israëlitæ sacrificij placationis, vt habes Leuitici 24.

Vers. 31. Facies & candelabrum ductile ex auro mundo.] Transitur ad describendũ candelabrum septem lucernarũ: & non fusorio opere

opere decernitur efficiendum candelabrum; sed ex auro ducendo vi mallei.

Hastile eius, & calamos, scyphos, & sphęrulas, ac lilia ex ipso procedentia.] Iuxta Hebræum non scribitur, *lilium*, in specie; sed *flos*, in genere, in tota ista materia.

Vers. 32. Sex calami egredientur de lateribus: tres ex vno latere, & tres ex altero. *Vers.* 33. Tres scyphi quasi in nucis modum per calamos singulos.] Iuxta Hebræum habetur: *Tres calices amygdalati in calamo vno.* Vbi scito, quòd dictio Hebraïca significans poculum, optimè interpretatur, *calix*, ad exprimẽdum poculum cum pede. Ita tamẽ, quòd nomine calicis intelligamus poculũ habens pedẽ absque differẽtia figuræ. In hodiernũ enim vsque diem in fornice Titi apparet cãdelabrũ hoc sculptum, vt ductũ est sub triũpho: & apparẽt ibi calices diuersarum figurarum: & apparent amygdalati, hoc est, non habentes superficiem planam; sed in concauas, conuexásque distributam partes, tanquàm amygdalas. Et sic in tota ista materia intellige scyphos instar nucis apud vulgatam editionem.

Sphęrulęque simul, & lilia: & tres similiter scyphi instar nucis in calamo altero, sphęrulæque, & lilia.] Iuxta Hebræum habetur in numero singulari: *Sphærula, & flos.* Et propterea in quæstionem versum est, an cuilibet calici responderet vna sphærula, & vnus flos; an essent tres calices cum vna sphærula, & vno flore. Pulchritudini magis quadrat, vt cuilibet calici adiuncta sit sphærula cum flore. Isti tamen calices decem & octo, in istis sex hinc & inde calamis, non apparent in illo sculpto candelabro: & fortè quando constructum fuit secundi templi candelabrum, desiuerat huiusmodi ornatus haberi pro ornatu: & conformando se tempori construxerunt istos sex calamos cum sphærulis, & floribus, absque huiusmodi poculis. Ita quòd loco poculorum simplices calamos construxerunt: tale enim apparet candelabrum sculptum.

Sic erit opus sex calamorum, qui producendi sunt de candelabro. *Vers.* 34. In ipso autem candelabro erunt quatuor scyphi in nucis modum; spærulęque per singulos, & lilia.] Istorum quatuor calicum in hastili candelabri, duo siti inter pedem candelabri, & sphæram, vnde exeunt infimi calami laterales, apparent in sculpto candelabro: alij autem duo locandi in hastili inter supremam sphæram, vnde exeunt supremi calami laterales, & lucernam, non apparent ibidem. Ratione fortè temporum abstinuerunt ab huiusmodi calicibus; & ad deferendum authoritati exempli diuini duos calices construxerunt, vt vel sic seruaretur antiquæ structuræ memoria.

Vers. 35. Sphærulę sub duobus calamis per tria loca, qui simul sex fiunt procedentes de hastili vno.] Iuxta Hebræum habetur: *Et sphærula sub duobus calamis ex ipso; & sphærula sub duobus calamis ex ipso; & sphærula sub duobus calamis ex ipso: sic sex calamis egredientibus è candelabro.* Tres sphærulæ in hastili describuntur sic dispositæ, quòd ex qualibet earum egrederẽtur duo calami, alter hinc, alter inde. Et quælibet erat sub duobus calamis, ad significandum, quòd calami egrediebantur ascendendo, non per lineam rectam, sed per lineam circularem: ita quòd quilibet duo calami hinc & inde constituebant semicirculum: & sex isti calami cõstituebant tres semicirculos ad vnã, eadémque lineam rectã diametralem terminatos, ad quam terminabatur hastile candelabri. Secundùm enim vnam, & eandem lineam rectam, erant omnes lucernæ.

Vers. 36. Et sphærulæ igitur, & calami ex ipso erunt vniuersa ductilia ex auro purissimo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et sphærulæ eius, & calami eius ex ipso, erunt totum ipsum ductile vnum auri mundi.* Opificium candelabri sine concisione partium, ita quòd totum sit vnum continuum, mandat fieri: & non fusorio opere, sed ductili.

Vers. 37. Facies & lucernas [b] septem.] Vnam in summitate hastilis; & sex in sex summitatibus calamorum.

[b] Lucernarum vsus in tabernaculo, fuit, illustrare locum, qui erat intra velũ, Numer. 8. candelabri verò vsus lucernas sustinere.

Et pones eas super candelabrum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et accendere facies lucernas eius.* Ad hoc enim fiebat candelabrum, vt seruiret lucernis accendendis.

Vt luceant ex aduerso.] Iuxta Hebræum habetur: *Et facient lumen super plagam faciei eius.* Facies candelabri proculdubiò versa erat versùs mensam propositionis, vt infrà patet: & propterea facere lumen super plagam faciei candelabri est illuminare directè diaphanum versùs mensam propositionis. Candelabrum enim erat sic locatum, vt omnes septem lucernæ respicerent ex æquo mensam illam è regione ipsius: & hinc habetur, quòd lucernæ non erant in forma lampadis. Nam lampas æquè diffundit lumen circunquaque: de his autem lucernis mandatur, quòd faciant lumen ad certam partem. Erat igitur quælibet lucerna tanquàm habens rostrum in vna parte, in quo ardebat: & propterea mandando, quòd faciant lumen super plagam faciei, mandatur, quòd rostra lucernarum sint versùs illam plagam. Et hic est literalis sensus: qui comprobatur figura lucernarum sculptarum in prædicto candelabro: nam rostratæ sunt.

Vers. 38. Emunctoria quoque, & vbi ea, quæ emuncta sunt, extinguantur, fiant de auro puro. *Vers.* 39. Omne pondus candelabri cum vniuersis vasis suis, habebit talentum auri mundi.] Mensura secundùm pondus significari videtur: sed quantum auri pondus comprehenderet, nescimus.

Vers. 40. Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.] In hac conclusione comprehenditur mandatum reliquorum, quæ non sunt scripta: putà, de quantitate hastilis secundùm longitudinem; de forma lucernarum, & capacitate earum; de pede candelabri, qui pulcherrimus apparet ductus sub triumpho Titi, &c.

CAPVT XXVI.

Tabernaculum [a] verò ita facies.] Aduerte, prudens lector, duo. Alterum, quòd Moses transit ad opus tabernaculi, omisso altari thymiamatis, (quod medium fuit inter candelabrum, & mensam propositionis;)

VERS. I.

[a] Hoc tabernaculum ea ratione in populo Israelitico institutũ est, vt esset certus locus, in quo publica sacra peragerentur:

quo filij Israël pro téplo, non in deserto tantùm, verùm etiam in terra Chanaā tantisper vsi sunt, quousque Salomon suum illud memorabile téplum ædificaret.

propositionis;) non ex obliuione, sed ex industria: vt intelligamus ex hoc silentio, quòd multa tacet hîc, quæ ei dicta, & monstrata sunt in monte. Alterum, quòd Deus appellat tabernaculum, opificium constans ex decem subiunctis cortinis lineis. Et meritò nomen sibi tabernaculi vendicauit: quia reliqua erant opertoria tabernaculi, vel erant latera tantùm tabernaculi: structura enim tabularum, tria tantùm latera constituebat: nullum enim tectum tabulatum erat: ita quòd exactè inspiciendo Textum, & contextum, apparet, quòd tabernaculum constituitur substantialiter ex subiunctis decem cortinis. Coassatio autem tabularum per tria latera, erat ad sustinendum tabernaculum: cortinæ verò ex filis caprarum erant ad operiendum tabernaculum. Vnde & in Hebræo non habetur aduerbium, *ita*, sed, *Et tabernaculum facies*. Statimque appositiuè subiungitur:

Decem cortinas lini torti.] Vt clarè intelligeremus, corpus tabernaculi esse istas decem cortinas, & lineas, & sericas.

Et hyacinthi, ac purpuræ, coccique bis tincti.] Iam dictum est, quòd superfluit, *bis tincti*.

Variatas.] Iuxta Hebræum habetur: *Cherubim*. Deinde sequitur:

Opere plumario facies eas.] Clariùs dictum fuisset, *opere polymitario*: non enim significatur, quòd fierent cortinæ suendo, sed texendo: ita quòd fili lini retorti cum filis sericis purpureis hyacinthinis, & cocceis, constituebant materiam cortinarum. Et tale texturæ opus à multiplici varietate filorum, *polymitarium* Græcè appellatur; Hebraïcè autem ponitur hîc quædam dictio significans artificem ingenij; eò quòd ingenio oportet pollere, qui varietatem filorum texendo pictor sit: ad huiusmodi enim picturam significandam dicitur Cherubim: formas enim Cherubinorum texendo fieri præcipitur. Nec intelligas Cherubinos duntaxat textos, sed adiunctis floribus, & aliis consonis. Descripta itaque est cortinarum, tum materia in filis variis, tum forma artis polymitariæ, tum species Cherubinorum.

Vers. 2. Longitudo cortinæ vnius habebit vigintiocto cubitos: latitudo autem quatuor cubitorum erit. Vnius mēsuræ fient vniuersa tentoria.] Dicendum fuisset, *omnes cortinæ*. Et intellige de cubito humano vniuersa scripta in hoc opificio.

V. 3. Quinq; cortinę sibi iungētur mutuò: & aliæ quinque nexu simili cohærebunt.] Iuxta Hebræū plùs exprimitur: *Quinque cortinæ erunt coniungentes, mulier ad sororem suam: & quinque cortinæ coniungentes, mulier ad sororem suam*. Significantur duo. Tum, quòd segregētur quinque, & quinque: & hoc, vt cùm mouerentur, nec singulæ seorsum dissoluerentur, nec omnes simul iunctæ inuoluerentur; sed quinæ, & quinæ; hoc enim commodum erat. Tum, quòd tanquàm sorores iungantur pares collateraliter, & non consuantur simul. Modus autem, quo iungent sese, tanquàm sorores, subiungitur:

Vers. 4. Ansulas hyacinthinas in lateribus, ac summitatibus cortinarū facies, vt possint inuicē copulari. *Vers.* 5. Quinquaginta ansulas cortina habebit in vtraque parte, ita insertas, vt ansa contra ansam veniat, & altera alteri possit aptari.] Non facile est proprium inuenire vocabulum istarum ansularum, quas Hebræi *fenestrellas* interpretantur: non enim erant superadditi aliqui laqueoli cortinis; sed in ipso corpore cortinæ erant concisiones quinquaginta, texendo constructæ ex filis hyacinthinis in extremitate longitudinis, eo modo, quo vtimur in extremitate diploïdis in pectore. Cum hac tamen disparitate, quòd extremitatum diploïdis, altera est masculina, altera fœminina: extremitates autē cortinarum, quæ coniungendæ erant, ambæ fœmineæ erant: & erant tanquàm sorores, habentes singulæ quinquaginta cōcisiones fœmineas. Ita quòd quælibet concisio vnius extremitatis respōdebat compari in extremitate alterius cortinæ: ita vt concisio cōcisioni responderet, vt mulier sorori suæ. Iuxta Hebræum itaque habetur: *Et facies fenestrellas hyacinthi super orā cortinæ vnius ab extremitate in coniunctione: & sic facies in ora cortinæ extremæ in coniunctione secundæ. Quinquaginta fenestrellas facies in cortina vna, & quinquaginta fenestrellas facies in extremitate cortinæ, quæ in coniunctione secunda. è regione fenestrella, mulier sorori suæ*. Et horū quidē sensus iam expositus est: sed per hæc nō apparet integer modus coniunctionis cortinarum: deest enim vinculum, quo istæ concisiones vinctæ essent. & hoc est, quod subiungitur dicendo:

Vers. 6. Facies, & quinquaginta circulos aureos.] Dictio interpretata *circulos*, (& ab aliquibus, *vncinos*) nullam certam figurā sonat, nisi auri figuræ flexæ. Consentaneum autē est rationi, quòd esset figuræ vncini vtrinque: vt simili officio vtriusque cortinę concisiones vinciret. Quinquaginta autem huiusmodi vncinos intellige per singulas coniunctiones: ita quòd in qualibet coniunctione duarū cortinarū opus erat quinquaginta vncinis. Vnde & iuxta Hebræum subiūgitur: *Et coniunges cortinas mulierem ad sororem suam in vncinis & erit tabernaculum vnum*. Clarè enim de cortinis singulis loquitur, quas dixerat mulierē ad sororem suā. Et ex his omnibus clarè dicit construi tabernaculum vnum: vt apertè intelligamus manifestatum, quod suprà diximus, tabernaculi corpus componi ex his decem cortinis sic dispositis, quòd cuiuslibet cortinæ longitudo extensa fuit ad construendum tres partes tabernaculi; tectum, videlicet, & latus dextrum, & latus sinistrum: & hoc intellige vsque ad septimam cortinam, & dimidium octauæ: nam triginta tantùm cubitorum erat longitudo tabernaculi, quæ replebatur sic extensis septem cortinis cum medietate octauæ: quoniam cuiuslibet cortinæ latitudo erat quatuor cubitorum. Ex dimidio autem octauæ cortinæ, & duabus aliis cortinis construebatur postrema pars tabernaculi, pendendo à recto vsque ad terram. Decem enim cubitorum erat altitudo tabernaculi carentis parte anteriore. Hæc erat dispositio tabernaculi carentis parte anteriore. Nihil enim cortinarum pendebat in parte anteriore.

Et facilè ex his patet, quòd non per modū testudinis, sed per modū superficiei rectæ tectum erat tabernaculi. Et non tangebant terram cortinæ hinc, & inde; sed vno cubito ad minus distabant à terra, quoniam nō triginta, sed viginti

octo cubitorum erat longitudo cuiusque cortinæ; & ad tangendum terram hinc, & inde, opus erat triginta saltem cubitis; decem (vt aiunt) pro tecto,& decem hinc,& decem inde. Patet etiam & pulchra species tabernaculi, tũ in tecto,tũ in lateribus, ex ornatu aureo tã frequenti in tot coniunctionibus cortinarum.

Verf. 7. Facies & saga cilicina vndecim ad operiendum tectum tabernaculi.] Iuxta Hebræum habetur : *Et facies cortinas caprarum ad tendendum super tabernaculum: vndecim cortinas facies eas.* Alias cortinas fieri præcipit, quarum materiam decernit ex lana, seu pilis caprarum: officium autem operire tabernaculum; numerum verò vndecim. Nec vilescant in oculis tuis cortinæ istæ; sed recole,quòd ex lana caprarum fit,quæ vocatur symballotum,ex qua fiunt vestes nobilium. Nobiles itaque cortinæ significantur symballoti.

Verf. 8. Longitudo sagi vnius habebit triginta cubitos,& latitudo quatuor. Æqua erit mensura sagorum omnium. *Verf.* 9. E quibus sagis quinque iunges seorsum: & sex sibi mutuò copulabis; ita vt sextum sagum in fronte tecti duplices.] Disparitas inter has cortinas,& priores decernitur: tum in numero; quia illæ decem; istæ vndecim: tum in longitudine; quia illarum quælibet vigintiocto cubitorum; istarum autem quælibet triginta cubitorum fit. In latitudine autem æquales erant istæ illis.

Circa ansas verò,& coniunctiones,nulla est disparitas: nisi quòd illæ coniungebantur vncinis aureis; istæ vncinis æreis. Rursus illæ erant segregatæ in quinque, & quinque, cùm mouebantur: istæ autem in quinque, & sex, & non in duas partes æquales. Est & alia differentia: quia illæ omnes erant extensæ simpliciter: istarum autem prima ex parte ingressus in tabernaculum erat reflexa in seipsam in dimidio sui, vt maiorem haberet facultatem obstandi contrariis in extremitate anteriori tabernaculi. Et hæc reflexa cortina appellatur in litera, *sexta cortina*, in fronte tecti duplicata: quia ad hoc adiuncta erat sexta, vt prima reflecteretur in seipsam in dimidio latitudinis suæ.

Verf. 10. Facies & quinquaginta ansas in ora sagi vnius, vt coniungi queat cum altero: & quinquaginta ansas in ora sagi alterius, vt cum altero copuletur. *Verf.* 11. Facies & quinquaginta fibulas æneas, quibus iũgantur ansæ: vt vnum ex omnibus operimentum fiat. *Verf.* 12. Quod autem superfuerit in sagis,quæ parantur tentorio; id est, vnum sagum, quod amplius est, ex medietate eius operies posteriora tabernaculi.] De vndecimæ cortinæ medietate secundùm latitudinem, (hoc est, duobus cubitis latitudinis cortinæ,) est sermo. Medietas enim vndecimæ cortinæ reflexa est in parte anteriori, & medietas pendebat ad terram,ad protegendum tabernaculum in parte posteriori.

Nec sis ita rudis, vt intelligas vnius, atque eiusdem cortinæ dimidium in parte anteriori reflexum, & dimidium pendens in posteriori ad terram: sed intellige, quòd quantitas dimidij (hoc est, duo cubiti) erat ante; & quantitas dimidij (hoc est, duo alij cubiti superflui) pendebat retrò. Ad hoc enim vndecima addita est cortina, vt duo antè, & duo pòst superfluerent cubiti: erat enim latitudo quatuor cubitorum.

Verf. 13. Et cubitus ex vna parte pendebit,& alter ex altera, qui plus est in sagorum longitudine, vtrunque latus tabernaculi protegens.] Distributa vndecima cortina, distribuuntur duo cubiti; quibus istæ cortinæ erant longiores illis. Istæ enim triginta, illæ viginti & octo cubitorum erant. Et dicitur, quòd illorum duorum cubitorum alter hinc, alter inde pendebit plusquàm cortinæ tabernaculi ad protegendum tabernaculi latera hinc,& inde versùs terram.

Verf. 14. Facies & operimentum aliud tentorio de pellibus arietum rubricatis.] Hoc operimentum ex pellibus arietum rubricatis non erat æquale operimento ex lana caprina: nam illud operiebat vniuersum tabernaculum; hoc autem tegebat tectum duntaxat. Et quia malè fuisset protectum à pluuia tectum, si omnia eius operimenta fuissent plana; ideò intelligendum est, quòd hoc operimentum supra tectum eleuabatur in angulum medium superius; ita vt hinc & inde pendentes essent pelles: eo modo, quo ex tegulis testaceis operiuntur domus.

Et super hoc rursum aliud operimentum de hyacinthinis pellibus.] Sententiam exposuit clariùs Interpres: nam in Hebræo habetur: *Et operimentum pellium taxorum desuper.* Duo itaque significantur operimenta pellium: tum dicendo copulatiuè, *&* *operimentum*; tum adiungendo, *desuper.* Taxos autem intellige,vt suprà. Et verè opus erat hoc alio tegmine: quoniam pelles arietum ineptæ sunt ad sustinendam pluuiam: sunt enim impatientissimæ (vt experientia testatur) aquarum.

Verf. 15. Facies & tabulas [b] stantes tabernaculo de lignis sittim: *Verf.* 16. quæ singulę denos cubitos in longitudine habeant, & in latitudine cubitum, ac semissem.] Descripto tabernaculo, describuntur parietes sustentantes ipsum. Et materia quidem decernitur lignea: forma autem non trabium, sed tabularum, non qualitercunque sitarum, sed stantium: ita quòd quælibet erat erecta longitudinis decem cubitorum; latitudinis verò cubiti,& dimidij.

[b] Hæ tabulæ basibus suis innixæ, parietes constituerunt tabernaculi, vt firmiter constaret, & à ventis non concuteretur.

V. 17. In lateribus tabulę duas incastraturas facies, quibus tabula alteri tabulæ connectatur.] Si sic clarè sonaret Textus Hebræus, nulla esset difficultas: sed in Hebræo habetur: *Duas manus tabulæ vni graduatas, mulierem ad sororem suam.* Vbicunque in his tabulis legeris, *incastraturas*; lege, *manus.* Et quia bases erant sub manibus, ita quòd singulis manibus submissæ erant singulæ bases, (vt clarè dicitur in litera;) ideò manus istæ erant in imo tabulæ. Et quia basis vnius tabulæ non impediebat coniunctionem immediatam vnius tabulæ cum alia, consequens est, quòd bases cuiuscunque tabulæ non erãt in extremitatibus tabulæ hinc, & inde, (impediuissent enim contiguitatem tabularum;) sed erant citra extrema latitudinis cuiuslibet tabulæ: ita quòd hinc,& inde,vltra bases erat aliquid tabulæ nudũ. Et hinc percipitur,quòd manus duæ in imo tabulæ, quæ in bases duas introibant, non

non erant in extremitatibus tabulæ hinc,& inde; sed citra extrema latitudinis hinc, & inde. Imò rationabile videtur, vt si, exempli gratia, latitudo fuisset quinque palmorum; duo extremi palmi, & tertius essent nudi; secundus autem, & quartus constituerent duas manus cōprehensas à duabus basibus: nam sic optimè sustinerent absque detrimento roboris partium infimarum ex incisionibus manuum.

Nec intelligas manus istas cum discretis digitis; sed quantitatem tabulæ claudendæ intra basem secundùm quantitatem,& formam fortè manus. Incisiones,seu sectiones itaque concurrentes ad constituendam manum quamlibet,erant duæ,exempli gratia; altera,inter primum,&secundum palmum;altera,inter secundum, & tertium: sic enim manus media inter duas sectiones inueniretur. Et quia graduatæ describuntur, (hoc est, ad similitudinem graduum ligneorum in domibus;) ideò sectiones istæ non erant perpendiculariter rectæ: sed, quantò magis distabant ab imo, tantò inter sese magis distabant; ita vt manus media esset stricta in imo, & lata vtrinque in summo: sic nanque manus duæ cuiuslibet tabulæ erant graduatæ. Et quia æquales erant in omnibus incisiones,spatia,arctitudines,latitudines,& altitudines; ideò dicitur, *mulierem ad sororem suam*.

Atque in hunc modum cunctæ tabulæ parabuntur. *Vers.*18. Quarum viginti erunt in latere meridiano, quod vergit ad austrum. *Vers.*19.Quibus quadraginta bases argenteas fundes, vt binæ bases singulis tabulis per duos angulos subiiciantur.] Nulla est in Textu Hebraïco mentio fusorij operis, nec cuius figuræ erant bases istæ, quæ erant duo fundamenta cuiusque tabulæ. An autem bases istæ essent acutæ inferiùs,ad hoc, vt figerentur in terram; an essent inferiùs planæ, (vt etiam super marmoreum stratum locari potuissent, tabulámque, tanquàm pedes, sustinere;) Scriptura non dicit. Quia tamen fundamenti vices tenent,rationabile videtur, quòd fuerint planæ, rotundæ, & suauis ambitus, ad stabiliendum tabulam.

Vers. 20. In latere quoque secundo tabernaculi, quod vergit ad Aquilonem, viginti tabulæ erunt, *Vers.*21.quadraginta habentes bases argenteas: binæ bases singulis tabulis supponentur. *Vers.*22.Ad occidentalem verò plagam tabernaculi facies sex tabulas: *Vers.*23.& rursum alias duas, quæ in angulis erigantur post tergum tabernaculi.]Iuxta Hebræum habetur: *Et duas tabulas facies angulis tabernaculi in extremitatibus.* Istæ duæ tabulæ simul cum antedictis sex constituebant integram latitudinem tabernaculi: ita quòd paries occidentalis constabat ex octo tabulis: sed istæ duæ angulares seorsum describuntur propter disparitatem ab aliis sex. Quæ disparitas in vulgata editione non legitur:sed legitur:

Vers. 24. Eruntque sibi coniunctæ à deorsum vsque ad sursum,& vna omnes compago retinebit: duabus quoque tabulis, quæ in angulis ponendæ sunt, similis iunctura seruabitur ᵃ.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erunt geminatæ inferiùs: & similiter erunt æquatæ super caput suum ad annulum vnum. Sic erit duabus ipsis, duabus angulis erunt.* Hæc est Litera Hebraïca, in qua scribitur disparitas tabularum angularium ab aliis sex. Et consistit disparitas in hoc, quòd vtraque angularis tabula, non per totum, sed tam in parte inferiori, quàm in parte superiori erat vestita frustis tabulæ: sic enim consueuerunt vestiri anguli, vt hæc frusta sint quasi capita & bases angulorum. Quòd autem dicit, *ad annulum vnum*, significat situm cuiuslibet frusti, non in tabulæ summo, & imo absolutè; sed immediatè ad annulum vnum,tam in summo,quàm in imo.Et est sermo de annulis subiungendis.Et significatur ad literam,quòd frustum superius, locandum erat immediatè sub vecte summo, & frustum inferius locandum erat immediatè super vectem infimū: sic enim verificatur, quòd vtrunque erat ad annulum vnum.Et quod dicitur de vna tabula vnius anguli, idem intellige de altera alterius anguli. Duo enim duntaxat anguli erant in tabernaculo.

ᵃ Totius tabernaculi structura, eiúsque omnis supellectilis, doctissimè ab Authore nostro depingitur,ita vt nihil supersit admonendum.

Vers. 25. Et erunt simul tabulæ octo.] Summa hæc tabularum manifestat duo. Alterum,quòd dictarum duarum tabularum,altera in vno, altera in altero angulo erat: alioquin plures quàm octo fuissent in pariete occidentali. Alterum, quòd paries iste occidentalis ex octo tabulis erat duodecim cubitorum secundùm latitudinem:nā absque exceptione aliqua, præscripta est quantitas cuiusque tabulæ tabernaculi,vt,videlicet, longitudo sit decem cubitorum, & latitudo sit cubiti,& dimidij. Quocirca,si quantitas tabernaculi exactè summetur, altitudo quidem inuenitur decem cubitorum; longitudo verò pertingebat ad trigesimū cubitū: latitudo autem duodecim inuenitur cubitorū. Et talis figura decentior apparet,quàm si latitudo esset decem duntaxat cubitorum.

Bases earum argenteæ sexdecim: duabus basibus per vnam tabulam supputatis.] Hinc apparet,quod frusta adiuncta angularibus tabulis, affixa erant tabulis ipsis: non enim proprias habebant bases; sed contenta erant basibus suæ tabulæ:sexdecim enim bases duntaxat summantur pro octo tabulis;quarum duæ angulares erant geminatæ superiùs, & inferiùs.

Vers. 26. Facies & vectes de lignis sittim quinque ad continendas tabulas in vno latere tabernaculi, *Vers.*27. & quinque alios in altero, & eiusdem numeri ad occidentalem plagam.]Nulla est mentio in Hebræo continendi: sed tantummodo dicitur, quòd fiant quinque vectes tabulis vnius lateris tabernaculi; & similiter quinque tabulis alterius lateris; & similiter quinque tabulis occidentalis lateris, quod constabat ex octo tantùm tabulis. Et ex hoc, quòd, tam in lateribus longitudinis, quàm in paruo latere latitudinis tabernaculi disponuntur quinque vectes,manifestè significatur, quòd solius altitudinis ratio habetur:nam in sola altitudine conueniebat occidentale latus cum latere meridionali, & latere aquilonari. Erant igitur quinque vectes dispositi secundùm longitudinem cuiusque tabulæ;ita quòd sic erant distributi,vt duo essent extremi,(alter in sūmo,alter in imo;)tres verò essent medij æquidistantes.

Vers. 28.Qui mittentur per medias tabulas

bulas à summo vsque ad summum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vectis medius intra tabulas claudens ab extremo ad extremum.* Tria describuntur circa quemlibet vectem. Primum est, quòd quilibet vectis sit intra tabulas, ne ambigeres, an foris, vel intùs ponendi essent vectes. Quanuis etiam hoc potuisset intelligi ex eo, quòd vectes mandantur vestiendi laminis aureis: ornatus enim iste non exigebatur foris, sed intùs. Secundum est, quòd quilibet vectis iret medius ad claudendum tabulas: vt intelligeremus, quòd secundùm latitudinem tabularum meatus esset vectium: sic enim officium claudendi tabulas exercebat. Et meare sic medium, conuenit vectibus, tam in medio distributis, quàm in summo, & imo: quilibet enim meat medius, tabulas claudendo. Tertium est, quòd quilibet extendebatur ab extremo ad extremum totius lateris tabernaculi.

Vers. 29. Ipsas quoque tabulas deaurabis, & fundes in eis annulos aureos, per quos vectes tabulata contineant: quos operies laminis aureis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et tabulas vesties auro, & annulos earum facies ex auro domos vectibus: & vesties vectes auro.* Nulla fusorij operis, nulla continentiæ mentio fit: sed quòd laminis aureis vestiendæ sint tabulæ, & vectes: & quòd annuli, qui sunt tanquàm domus vectium, sint non lignei vestiti auro; sed sint aurei, & sint affixi tabulis: hanc enim affixionem significat adiunctum pronomen, dicendo, *annuli sui*, seu *annuli earum*. Perpende itaque internas superficies parietum vestitas auro: & præter hoc, in superficie cuiusque tabulæ quinque ordines annulorum aureorum, per quos trãsibant vectes quinque auro vestiti, tanquàm quinque zonæ non solùm fulcientes, sed etiam ornantes tabernaculum circumcirca. Et oportuit hos vectes apponi: quia non erant tabulæ clauis fixæ; sed ex his vectibus fiebat totum corpus vnum, ita vt nulla pars posset sine altera moueri. Nam vectes in angulis se intersecabant, quanuis scriptum explicitè non sit: non enim omnia scripta sunt explicitè. Vnde & subiungitur:

Vers. 30. Et eriges tabernaculum iuxta exemplar, quod tibi in monte monstratum est.] Duo hinc habentur: alterum, quòd tabernaculum sustentabatur super hanc structuram tabulatum, tanquàm in parietibus: alterum, quòd multa præter explicitè scripta, sunt facta, quæ implicitè insinuantur dicendo: *Iuxta exemplar tibi monstratum.*

Vers. 31. Facies & velum de hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto, & bysso retorta, plumario [d] opere, & pulchra varietate contextum.] Materia huius veli eadem describitur, quæ & tabernaculi; & similiter forma artis eadem. Nam, quum dicitur, *opere plumario*, intellige per omnia, vt suprà; hoc est, opere polymitario: & similiter, quum dicitur pulchra varietate, intellige Cherubim; hoc est, formas Cherubinorum, vt superiùs dictum est. Nescio, quare Interpres toties horruit Cherubim.

[d] Opere plumario, perinde est, ac varians colores, vt pauonis plumæ.

Vers. 32. Quod appendes ante quatuor columnas de lignis sittim.] Iuxta Hebræũ habetur: *Non ante, sed super quatuor columnas dandum velum.*

Quæ quidem deauratæ erunt.] Iuxta Hebræum, vt sæpè dictum est, habetur: *Vestitas auro.* Hoc est, laminis aureis.

Et habebunt capita aurea.] Iuxta Hebr. habetur: *Et vncini earum aurei super quatuor bases argenteas.* Nihil scribitur de capitellis columnarum: ac per hoc insinuatur, quòd capitella erant lignea, sicut colũnæ; sed mandatur, quòd catenæ, quibus columnæ adinuicem colligabantur, vt firmiter starent, sint aureæ. Et quanuis dictio interpretata, *vncini*, non propriè significet vncinos, sed nescio quid ad firmandum, seu roborandum columnas; ab extremis tamen partibus cuiusque catenæ aduncis appellantur vncini: quia non affixæ erant catenæ columnis; sed aduncis extremitatibus firmabantur in columnis, & stabiliebant columnas.

Vers. 33. Inseretur autem velum [e] per circulos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dabis velum super vncinos.* Quãuis non sit eadem dictio hic, & paulò antè; significari tamen intelligimus catenam vtrinque aduncam, & hîc, & ibi. Et isti vncini, si fuissent super capitella columnarum, frustrà adderetur situs veli subter vncinos: non enim pendere poterat, nisi sub vncinis. Ex hoc itaque, quòd sub vncinis pẽdet velum, insinuatur, quòd vncini erant siti inter columnam, & capitellum. Et quadrat talis situs vsui, quem videmus seruari in ferris ligantibus columnas. Quia tamen hîc clarè significantur vncini, & non vt paulò antè; ideò hæc litera propriè intelligitur de vncinis, & non de catenis: & decernitur, quòd velum non immediatè pendeat sub catenis antedictis; sed mediãtibus vncinis aureis: ita quòd sicut cortinæ iungũtur vncinis aureis; ita velum pendeat sub vncinis aureis à catenis aureis.

[e] Huius veli externus vsus fuit, distinguere Sanctum Sanctorum à priore aula tabernaculi.

Et aduerte, quòd nihil exprimitur de quantitate columnarum; incertúmque relinquitur, an columnæ essent altæ vsque ad tectum, an breuiores: ex eo tamen, quòd ad sustinendum velum segregans Sanctum à Sancto Sanctorũ, fiebant; rationabile est, quòd, quemadmodum segregabant secundùm latitudinem integram; ita & secundùm altitudinem. Erãt itaque quatuor hæ columnæ sic dispositæ: duæ extremæ erant ferè contiguæ parietibus, (altera aquilonari, & altera meridiano:) aliæ autem duæ mediæ erant æquidistantes; ita quòd tres aditus inter quatuor columnas patebant.

Intra quod pones arcam testimonij.] Intra partem tabernaculi clausam hoc velo, vehenda erat theca, cuius superiùs mentio facta est.

Quo & Sanctuarium, & Sanctuarium Sanctuariorum diuidentur.] Officium veli dicitur, *segregare Sanctitatem Sanctitatum à Sanctitate:* imponuntur enim nomina vtrique parti tabernaculi. Et pars intra velũ appellatur *Sanctitas Sanctitatum*, ad significandum locum excellentissimè sanctum: pars verò extra velum appellatur *Sanctitas*, ad significandum locum quidem sanctum; sed non tam sanctum, sicut alterum. Et scito, quòd in Hebræo adiungitur pronomen, *vobis*, dicendo, quòd *velum diuidet vobis*: ad insinuandum, quòd relatiuè ad humanã venerationẽ sit ista diuisio, vt alter locus sit altero apud homines venerabilior. Et verè sic fuit: nã solus Pontifex semel in anno ingrediebatur Sanctum Sanctorum, vt inferiùs dicetur.

Nihil

Nihil autem dicitur de loco columnarum, & veli, penes longitudinem tabernaculi;an diuiderent tabernaculum in partes æquales,an in partes inæquales secundùm longitudinem: & propterea ambigua diuisio hæc est,quoad longitudinem: ex eo tamen,quòd Salomon tertiã partem templi constituit Sanctum Sanctorũ, credimus, quòd diuisio ista tabernaculi fuerit secundùm partes inæquales; ita quòd tertia pars tabernaculi secundùm longitudinem erat intra velum;& duæ partes extra velum.

Vers. 34. Pones & propitiatorium super arcam testimonij in Sancto Sanctorum.] Nihil dicitur de Cherubinis, eò quòd tanquàm partes erant Propitiatorij:sustinebant enim ipsum.

Vers. 35. Mensámque extra velum, & contra mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano: mensa autem erit in latere Aquilonis.] De mensa propositionis est sermo,vt non intra velum,sed in parte tabernaculi extra velum locetur in parte Septentrionis, & è regione illius locetur candelabrum in parte meridiana. Homini itaque ingredienti tabernaculum, theca cum Propitiatorio (post velum tamen) è regione occurrebat, vtpote in occidente: mensa autem propositionis extra velum à dextris; candelabrum autem à sinistris;nam ingressus erat ab oriẽte [f]. Hæc erat dispositio eorum,quæ erant in tabernaculo. Deficit tamen altare thymiamatis, de quo inferiùs est sermo: quod erat extra velum inter mensam propositionis, & candelabrum: & erat locatum ante velum ad occidentalem plagam, directè ad thecam, & Propitiatorium; ita quòd ingredienti homini in tabernaculum occurrebat hoc altare è regione, quemadmodum & arca cum Propitiatorio.

[f] Ideò tabernaculi introitus ab oriente erat, & Sanctum Sãctorum ad occidentẽ cõstitutum, vt auersi ab exoriente Sole versus occidentem adorarent Israëlitæ, causa exterminandi cultum Solis, quem ad orientem gentes communiter adorabant.

Vers. 36. Facies & tentorium in introitu tabernaculi de hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto, & bysso retorta, opere plumario.] Quod Interpres tentorium appellat, tegmen est loco parietis orientalis: vniuersum enim latus orientale tabernaculi appellatur ostium tabernaculi: quia inde erat ingressus. Nec latus hoc operiebatur tabulis; sed cortina vna: cuius materia eadem describitur, quæ & interni veli;sed forma artis diuersa:nam cortina hæc opere acupictori s;illa verò opere polymitario construenda erat: & rursus in illa Cherubinorum fit mentio;in hac minimè: quamuis Interpres semper scripserit, *opere plumario*.

*Vers.*37. Et quinque columnas deaurabis lignorum sittim.] Ecce alia disparitas. Nam internum velum quatuor sustinent columnæ: hoc autem externum sustinent quinque columnæ, quæ erant sic dispositæ, quòd duæ extremæ iungebantur extremitatibus tabularum tabernaculi versùs plagam orientalem; & tres erant mediæ æquidistantes: ita quòd quatuor patebant ingressus inter columnas quinque: & erant vestitæ laminis aureis, quemadmodum & quatuor internæ.

Ante quas ducetur tentorium.] Non habentur in Hebræo istæ quatuor dictiones: Quare erunt capita aurea.] Iuxta Hebr. habetur; *Vncini earum aurei*. Nihil de capitellis dicitur:sed vncini ligantes inuicem columnas, aurei describuntur;non ferrei, nec lignei.

Et bases æneæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fundes eis quinque bases æneas*. Fusorio opere, & has solas bases ex ære fieri mandauit Deus: cùm non solùm internarum columnarum; sed etiam singularum tabularum bases argenteas fieri iusserit:quod eò mirabilius est, quòd corpora istarum columnarum laminis aureis vestiri mandantur.

CAPVT XXVII.

Facies & altare de lignis sittim, quod habebit quinque cubitos in longitudine,& totidem in latitudine, (quadratum erit altare,) & tres cubitos in altitudine.] De altari holocausti (quod extra tabernaculum sub diuo erat ante ostia tabernaculi) sermo est. Significanter autem dicit,*de lignis*,& non dicit,de tabulis:quia, vt subiungetur, nullæ concurrebant tabulæ ad construendum hoc altare; sed hæc ligna erant tigilla quædam vacuitatem altaris ambientia, iuxta subiunctam quantitatem longitudinis, latitudinis, & altitudinis. Et per altitudinem intellige tigillos sub quatuor angulis (quorum quilibet erat longus tres cubitos) quasi quatuor altaris pedes. VERS. 1.

Vers. 2. Cornua [a] autem per angulos ex ipso erunt.] De cornibus his duo manifestantur in Litera: alterum, quòd erant super quatuor angulos altaris: alterum, quòd non erant adiectitia,sed ex ipso altari prodibant. Vt intelligamus,tigillos,officium pedum exercentes, cornuum quoque officium exercuisse: ita quòd tigilli isti, iuxta hæc duo officia,habebant duas figuras: erant enim figuræ quadræ, seu columnaris, secundùm tres cubitos;& erant figuræ fortè cornu, secundùm partem eminentem supra altare:nam tigilli longitudinis, & latitudinis altaris iungebantur, & sustinebantur super istos quatuor sub cornibus.

[a] Cornua hoc loco dicuntur more Hebraico, radij quidam elegantes, directi recte sursum ornamẽto aliquo. Sic etiã Moses non cornutus apparuit; sed radios splendoris effundens à facie.

Et operies illud ære.] Vniuersa hæc tigilla secundùm omnes partes vestiebantur ære. Si quæris, quo pacto Deus, qui inter prima mandata Mosis præceperat fieri altare de terra, aut de lapidibus impolitis, modò mandat altare fieri ex ligno,& ære. Solutio est,quòd æquiuocatur de altari. Nam in primis mandatis, *altaris* nomine intelligitur corpus altaris, super quod fit ignis, & immolatur hostia: hic verò nomine *altaris* intelligitur id,quod ambit altare. Vt enim patet ex vniuersa hac structura,nulla mensa,nullũ corpus construendum mandatur in hoc altari:sed ea tantùm, quæ circuncirca erant, construi præcipiuntur, partim ex ligno, & ære, partim ex ære, vacuo remanente corpore altaris, nisi in fundo: vt infrà manifestabitur.

Vers. 3. Faciésque in vsus eius lebetes ad excipiẽdos cineres, & forcipes,atque fuscinulas,& ignium receptacula.] Iuxta Hebræum inter prima vasa ad remouendum cinerem, & vltima, in quibus recipiebatur ignis,ponuntur tria alia; cùm tamen in vulgata editione non nisi duo habeantur. Et apponitur semper pronomen, dicendo: *Et scopa eius, & malluuia eius, & fuscinula eius*. *Malluuia* autem intellige, ad recipiendum

sanguinem holocaustorum. Et *fuscinulis* etiam hodie vtimur, ad quasi excutiendum ignem ex lignis minùs dispositis ad ardendum. Receptacula ignis necessaria erant ad communicandum ignem altaris, tam interno thuribulo, quàm multitudini sacrificiorum, quæ extra illud altare coquebantur, aut cremabantur. Et ne omnia instrumenta opportuna numerata crederes, subiungitur vniuersaliter:

Omnia vasa eius facies ex ære.] Nihil ex ferro admittitur.

*Vers.*4. Craticulámque in modum retis æneam, per cuius quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei, *Vers.*5. quos pones subter arulam altaris: eritque craticula vsque ad altaris medium.] Litera ista, quia nec iuxta vulgatam editionem, nec vt ex Hebræo à nonnullis recitatur, veritatem integram manifestat; ideò iuxta Hebræum ad verbum affertur: *Et facies ipsi cribrum, opus retis æris: & facies super rete quatuor annulos æris, super quatuor extremitates eius: & dabis ipsum sub ambitu altaris de inferno: & erit rete vsque ad medium altaris.* Hæc est Litera Hebraica, in qua, si singula librata fuerint, clarè apparebit, quòd rete hoc ambiebat circuncirca altare, surgendo ab imis altaris, vsque ad medium eiusdem: nam dicendo, *facies ipsi cribrũ*, manifestat, quòd rete hoc pars est altaris: & locus eius describitur sub ambitu; hoc est, sub tigillis ambientibus longitudinem, & latitudinem. Et ne intelligeres, quòd immediatè sub ambitu locaretur rete, subiungitur de inferno: vt de imo intelligeremus surgere rete. Et ne ambigeretur vsquequò, extenderetur versùs partem superiorem altaris, manifestatur, quòd vsque ad medium altaris erit. Ex quibus habetur, quòd rete hoc erat viginti cubitorum; vtpote, ambiens altare quinque cubitorum quadrum: secundùm altitudinem verò erat cubiti vnius, & dimidij; nam tota altitudo altaris erat trium cubitorum.

Forma autem huius retis in Litera describitur similis cribro, & similis reti. Si enim rete duntaxat nominasset, intelligeremus, quòd inter filos æreos, ad instar retis, vniuersum vacuum pateret: & similiter, si nominasset cribrum duntaxat, intelligeremus tanquàm corium æreum cum foraminibus paruis, tanquàm cribrum, ita vt vacui parum esset. Sed nominando vtrunque, & dicendo, *cribrum opus retis*, insinuauit, quòd aliquid cribri & aliquid retis intelligeremus. Et retis quidem figuram, seu formam, dicendo, *opus retis*: cribri autem tegmen, dicendo, *facies cribrum*. Tegmen autem dico, vt non ex filis æreis, sed ex lineis latis æreis, paruis vacuitatibus interceptis rete construeretur, vt defenderet à venti impetu ignem internum; & tamen videretur, tam focus, quàm ignis per huiusmodi rete. Annuli autem quatuor super quatuor retis extremitates, quæ in angulis erant, locati erant: ex eo enim, quòd annuli conueniebant in materia cum reti, super rete facti sunt: & ex eo, quòd supremum retis ad medium altitudinis altaris ascendebat, annuli in medio altitudinis altaris erant in quatuor angulis, loco idoneo ad hoc, vt vectibus per annulos transeuntibus portaretur altare.

*Vers.*6. Facies & vectes altaris de lignis sittim duos, quos operies laminis æneis: *Vers.*7. & induces per circulos, eruntque ex vtroque latere altaris ad portandum. *Vers.*8. Non solidum, sed inane, & concauum intrinsecùs facies illud.] Iuxta Hebræum habetur: *Vacuum tabularum facies illud, sicut tibi in monte monstratum est.* Neque locus mensæ altaris plenus; neque locus laterum altaris inter rete, & tigillos supremos plenus; sed vacuus describitur, dicendo, *vacuum tabularum:* hæc enim duo loca capacia, & idonea erant, vt essent tabulata: & propreteà de his locis intelligitur, cùm dicitur: *Vacuum tabularum facies ipsum.* Erat itaque altare omninò sine tabulis ex tigillis, & reti in parte inferiori constans. De corpore autem altaris nihil dicitur: sed iuxta primò mandata terreum relinquitur intelligendum, & faciendum. Et quoniam corpus altaris ædificatum sæpè legimus; ideò intelligendum est, quòd in vacuo contento inter hæc tigilla ædificandum erat corpus altaris ex lateribus, seu lapidibus impolitis. Et quoniam ignis super corpus altaris defendendus erat à reti, consequens est, vt parua esset altitudo corporis altaris; videlicet, dimidij cubiti, vel circa. Sic enim & ignis defendebatur per rete à ventis: & ex vacuo inter rete, & tigilla suprema, ligna ponebantur in foco; & animalia offerenda in holocaustum, ponebantur super ligna: & vniuersaliter omnia officia exercenda super corpus altaris fiebant. Ideò enim vniuersa illa pars circuncirca relicta est vacua. Ex quibus potes, prudens lector, conspicere formam altaris holocaustorum iuxta Hebraïcam Literam, longè differentem à solitis conspici.

*Vers.*9. Facies & atrium tabernaculi, in cuius plaga australi contra Meridiem, erunt tentoria de bysso retorta. Centum cubitos latus vnum tenebit in longitudine: *Vers.*10. & columnas viginti, cum basibus totidem æneis.] Circa opificium atrij, quia clarè in Litera scribitur, tria aduertenda sunt, & quædam declaranda. Aduertendum primò est, quòd vniuersum spatium atrij, tam venerabiliter ambiebat tabernaculum, vt secundùm longitudinem trigintaquinque cubitorum spatium ex parte Occidentis, & trigintaquinque ex parte Orientis interciperetur: secundùm latitudinem verò ex parte Meridiei ferè viginti; & similiter ex parte Septentrionis ferè viginti cubitorum spatium interciperetur, æqualiter spatia atrij distribuendo. Aliud est, quòd ingressus atrij, qui ex parte orientali erat, tantæ erat latitudinis, vt vniuersum tabernaculum ab existentibus extra atrium videretur: nam latitudo tabernaculi ad summũ erat duodecim cubitorum: latitudo autem ingressus atrij, viginti erat cubitorum. Et quoniam quatuor habebat columnas medias æquidistantes, consequens est, quòd quinque aditus inter sex columnas paterent in ingressu atrij. Tertium est, quòd cortina operiens ingressum atrij, differebat in materia, & forma artis à reliquis cortinis atrij: nam omnes aliæ erant ex puro lino textæ; hæc autem erat ex lino, & sericis filis diuersis, ex quibus erant vela templi, & fiebat opere polymitario. Adde & his, quòd nec in atrio admissum est aliquid ferreum; sed etiam claui ærei præcipiuntur.

Declarandæ

Declarandæ autem sunt quædam particulæ literæ;& in primis vna,quæ repetitur:

Quæ capita cum cælaturis suis habebunt argentea.] Nam iuxta Hebræum habetur: *Et vncini columnarum,& cingula earum argentea.* Sed aduerte, quòd appellatione *vncinorum* intelligas catenas vtrinque aduncas,ligantes columnas inter se ad firmandum columnas. Consueuerunt enim fieri catenæ ferreæ inter columnas: sed istæ erant argenteæ. Et quia atrium oportebat esse dissolubile, ideò catenæ non erant affixione firmatæ; sed aduncis extremitatibus: & ab extremitatibus denominantur vncini. Cingula verò argentea ad ornatum cuiuslibet columnæ erant.

Vers. 11. Similiter & in latere aquilonis per longum erunt tentoria centum cubitorum,& columnæ viginti, & bases æneæ eiusdem numeri: & capita earum cum cælaturis suis argentea. *Vers.* 12. In latitudine verò atrij, quæ respicit ad occidentem, erunt tentoria per quinquaginta cubitos:& columnæ decem, & bases decem.] Quæstio est de angularibus columnis, an in singulis angulis fuerint duæ, an vna communis longitudini, & latitudini. Et ratio dubij est: quia, si ponitur vna,existentibus sexaginta columnis, oportet vel in longitudine viginti duas, vel in latitudine duodecim inueniri: vt patet supputanti. Et quia vtrunque aduersatur literæ; ideò intelligendum est, quòd quilibet quatuor angulorum atrij constabat ex duabus columnis: quarum vna longitudinis cortinæ; altera cortinæ,quæ erat secundùm latitudinem seruiebat: sic enim integer seruatur numerus columnarum,& basium earum,vt viginti inueniantur in longitudine, & decem in latitudine,cum totidem basibus.

Vers. 13. In ea quoque atrij latitudine, quæ respicit ad Orientem, quinquaginta cubiti erunt: *Vers.* 14. in quibus quindecim cubitorum tentoria lateri vni deputabuntur, columnęque tres,& bases totidem. *Vers.* 15. Et in latere altero erunt tentoria cubitos quindecim obtinentia; columnę tres, & bases totidem. *Vers.* 16. In introitu verò atrij fiet teguimentum cubitorum viginti ex hyacintho,& purpura, coccóque bis tincto,& bysso retorta opere plumario,columnásque habebit quatuor cum basibus totidem. *Vers.* 17. Omnes columnæ atrij per circumitum vestitæ erunt argenteis laminis, capitibus argenteis, & basibus æneis.] Iuxta Hebræum habetur: *Omnes columnæ atrij in circumitu cinctæ argento,& vncini earum argentei,& bases earum æneæ.* Dixerat cingula columnarum argentea: declarat nunc modum cingendi,dicendo, *in circumitu*; hoc est,circumeundo columnã à summo vsque ad imum,secundùm formam lineæ Helicæ.

Vers. 18. In longitudine occupabit atrium cubitos centum.] Aduerte, quòd longitudo atrij comprehendit non solùm spatium vacuum inter columnas; sed etiam spatium, quod occupatur ab ipsis columnis: & quia nescimus, quantùm spatij quælibet columna cum sua basi occupabat;consequens est, vt nesciamus,quantùm vacui erat inter columnas: hoc tamen certum est, quòd columnæ erant æquidistantes. Et hæc eadem intellige de latitudine atrij.

In latitudine quinquaginta, altitudo quinque cubitorum erit, fietque de bysso retorta, & habebit bases æneas. *Vers.* 19. Cuncta vasa tabernaculi in omnes vsus,& cæremonias.] Iuxta Hebræum nihil habetur de cęremoniis:sed dicitur: *Omnibus vasis tabernaculi in omni seruitio ipsius.* De reliquis (quorum,scilicet,mentio facta non est,) intellige decretum: siquidem prius fuit, quòd tam vasa mensæ propositionis, quàm candelabri essent aurea.

Tam paxillis [b] eius,quàm paxillis atrii, æs.] Siue clauos,siue paxillos intelligamus,ferrum excluditur. Et clauis quidem opus fuit in tabernaculo, tum ad figendum frusta tabularum angularium,tum ad figendum bases tabularum: paxillis autem opus fuit ad figendum extrema vectium in angulis:paxillo enim penetrante vtrunque vectem in angulo, connectebantur vectes: & amoto paxillo soluebantur vectes, quum tabernaculum dissoluendum erat.

[b] Paxilli, claui erant vel aliquid simile, quibus tentoria firmabantur contra ventum.

Vers. 20. Præcipe filiis Israël, vt afferant tibi oleum de arboribus oliuarum, purum, pilóque contusum.] Iuxta Hebræum nihil habetur de pilo; sed oliua, non molita, sed tusa describitur, vt oleum ex carne oliuæ,seu pulpa oliuæ, & non ex osse eiusdem fieret: molendo enim etiam ossa franguntur; tundendo autem,seu premendo,sola caro frangitur.

Vt ardeat lucerna semper. *Vers.* 21. in tentorio parationis extra velum, quod appensum est testimonio.] Hinc apparet, quòd indeficiens lumen erat candelabri, tam die,quàm nocte.

Et concinnabunt eam Aharon, & filij eius.] Non erat Leuitarum officium,sed Sacerdotum, qui ex stirpe erant Aharon, disponere lucernas candelabri.

Vt vsque manè luceat.] Iuxta Hebræum habetur: *A vespere vsque mane.* Nec additur, *luceat*: non enim tempus lucendi,sed tempus disponendi lucernas decernitur: vt sic, scilicet, disponantur, vt vnica dispositio sufficiat à vespere vsque mane. Et similiter subintelligatur,quòd vnica alia dispositio sufficiat à mane vsque ad vesperum: vt explicatur inferiùs cap.30. Et subditur:

Coram יהוה.] Ne vile officium Pontifici, & Sacerdotibus imponi videatur: facies enim יהוה dignitatem maximam cõfert officio componendi lucernas ad ardendum.

Perpetuus erit cultus per successiones eorum à filiis Israël.

CAPVT XXVIII.

VERS. 1.

APplica quoque ad te Aharon fratrem tuum, cum filiis eius de medio filiorum Israël, vt sacerdotio fungantur mihi: Aharon, Nadab, & Abihu, Elhazar,& Ithamar,filios Aharon.] Ordo præposterus: priùs enim faciendæ sunt vestes: & deinde appropinquabunt Aharon,

ron, & filij ad Mosen, vt vestiantur,& consecrentur.

Vers. 2. Faciésque vestes sanctas Aharon, fratri tuo, in gloriam, & decorem [a]. *Vers.* 3. Et loqueris cunctis sapientibus corde, quos repleui spiritu sapientiæ, vt faciant vestes Aharon, in quibus sanctificatus ministret mihi. *Vers.* 4. Hæc autem erunt vestimenta, quæ facient: rationale.] Iuxta Hebræum habetur: *pectorale, & superhumerale.*

[a] In gloriam, & decorem, idem est ac si diceretur, vt maiestas earum vestium, tam ipsis Sacerdotibus authoritatem, & dignitatem, quàm sacris eorum commendationem & venerationem conciliarent.

Tunicam, & lineam strictam, cidarim, & baltheum.] In istis sex enumeratis ornamentis comprehenduntur omnia ornamenta sacerdotalia, siue Aharon, siue filiorum eius: & propterea sola hæc enumerantur. Significanter autem dico, *ornamenta:* quia feminalia, quæ sub his non comprehenduntur, non erant ad ornatum. Et dixi, *comprehenduntur:* quia quædam horum distinguuntur in plura genera: *pectorale* enim distinguitur in pectorale correspondens humerali, (quod est pars superhumeralis;) & in pectorale iudicij, quod vocatur rationale. *Et baltheus* distinguitur in baltheum cingentem lineam, & in baltheum cingentem superhumerale. Et similiter *cidaris* distinguitur in cidarim lineam, & sericam, vt multis placet. Veruntamen in litera, neque hîc, neque in Leuit. tam octauo, quàm decimoseptimo capitulo inuenitur cidaris, nisi linea: multa enim de his ornamentis referuntur, quæ faciliter reiici possunt: quia Scripturæ authoritate carent. Distinguitur tamen in mitram, & pileum, seu tiaram, vt patebit.

Et facient vestimenta sancta Aharon fratri tuo, & filiis eius, vt sacerdotio fungantur mihi. *Vers.* 5. Accipiéntque aurum, & hyacinthum, & purpuram, coccúmque bis tinctum, & byssum.] Vniuersa materia ornamentorum decernitur in his quinque; non, quòd quodlibet ornamentum construeretur ex omnibus his, sed, quia nullum ornamentum erat, quod non ex istorum aliquo, vel aliquibus, vel etiam omnibus construeretur: vt patet in Textu. Verùm, circa aurum aduerte, quòd significatur, tam aurum in filis, quàm aurum in substantia ductili: concurrebant enim ad hæc ornamenta & fili aurei opere textili, & annuli aurei opere ductili, & catenulæ, &c vt patebit.

Vers. 6. Facient autem superhumerale [b] de auro, & hyacintho, ac purpura, coccóque bis tincto, & bysso retorta, opere polymitario.] Ornamentum istud erat in forma loricæ, tegentis antè & retrò corpus, ab humeris vsque ad vmbilicum, vel circa, ex parte anteriori, & æqualiter ex parte posteriori: quia baltheo cingebatur, vt patebit. Et opere polymitario textum erat ex filis aureis, laneis, vel sericis diuersi coloris, & lineis. Nec erat pars posterior consuta cum parte anteriore: sed quælibet pars habebat extremitatem suam, tam in humeris, quàm in lateribus: & propterea subiungitur:

[b] Hoc superhumerale, ephod dictum est à Iudæis.

Vers. 7. Duas oras iunctas habebit in vtroque latere summitatum, vt in vnum redeant.] Iuxta Hebræum habetur: *Due ora in humero iunctæ erunt sibi ad duas extremitates; & coniungetur.* Ecce, quòd partes, anterior, & posterior, habent proprias oras in summitatibus, quibus iungendæ sunt, tam in dextro, quàm in sinistro humero: & sic non suendo coniungetur vestis ista.

Vers. 8. Ipsáque textura, & cuncta operis varietas.] Iuxta Hebræum habetur: *Et artificium accommodationis eius, quod super ipsum, sicut opus ipsius ex ipso, erit ex auro, & hyacintho, ac purpura, coccóque bis tincto, & bysso retorta.* Dictio interpretata, *accommodationis*, non ad proprietatem nominis explicandam, sed ad propè accedendum interpretata sic est: intelligimus enim describi texturam quandam super hanc vestem circuncirca firmiorem; ad hoc vt vestis ista accommodetur corpori per annulos, palas, & catenas. Et hæc textura super extrema circuncirca non adiicienda vesti; sed ex ipsa veste fieri, & esse præcipitur, & ex eadem materia quinque filorum, & eodem polymitario opere.

Vers. 9. Sumésque duos lapides onychinos [c], & sculpes in eis nomina filiorum Israël: *Vers.* 10. sex nomina in lapide vno, & sex reliqua in altero: iuxta ordinem natiuitatis eorum. *Vers.* 11. Opere sculptoris, & cælatura gemmarum.] Iuxta Hebræum habetur: *Sigilli sculpes eos nominibus filiorum Israel.* Non figuras, sed nomina filiorum Israël sculpi iubet instar sigilli. Oportebátque, lapides istos non paruos esse, vt ordinatè quilibet capax esset sex nominum.

[c] Onix, gemma est candorem habens ad humani vnguis similitudinem.

Inclusos auro, atque circundatos.] De auro ductili intellige; quòd vterque lapis habebat velut propriam domum auream sub se, & circa se, quemadmodum habent lapides pretiosi domos in annulis.

Vers. 12. Et pones in vtroque latere superhumeralis.] Loca istorum lapidum definiuntur super humeros, in oris vestis superhumeralis; alter in dextro; alter in sinistro humero. Et sicut priùs geniti fili erant priùs sculpti: ita priùs nati erant in dextro.

Memoriale filiis Israël.] Manifestatur officium lapidum esse ad memoriam filiorum Israël. Qualis autem memoria intelligatur, subiungendo manifestat, dum dicit, quòd *Aharon portabit hæc nomina coram* יהוה *ad memoriam.* Non itaque ad memoriam gloriæ; sed ad memoriam suffragij præstandi à Pontifice apud יהוה vniuerso populo Israël, sculpta erant nomina filiorum Israël in his lapidibus gestatis super humeros Pontificis: & propterea non sunt sculpta in eis nomina Patriarcharum, Abrahæ, Ishac, & Iahacob. Si enim de memoria gloriæ esset sermo, Patriarcharum nomina fuissent sculpenda: sed, quia memoria suffragij (quo Patriarchæ superiores erant) agitur; ideò nomina filiorum Israël in memoriam suffragij pro vniuersis Tribubus sculpta sunt.

Portabítque Aharon nomina eorũ coram Domino super vtrunque humerum ob recordationem. *Vers.* 13. Facies & vncinos ex auro.] Iuxta Hebræum habetur: *Et facies palas aureas.* Ad coniungendum oras superhumeralis sic textas, laminas aureas in similitudinem palarum hinc, & inde, super vtrunque humerum apponendas præcipit. Et erant palæ istæ perforatæ, vt catenula aurea per foramina immitti posset; ita quòd non erant in similitudinem exiguorum circulorum, quibus communiter

communiter vtimur iungendo extremitates vestis, laqueolo per frequentes circulos immisso: sed erant in similitudinem palarum perforatarum, ad maiorem decorem. Et sine numero dicitur: *Facies palas aureas*. non quatuor, aut sex: vt intelligeremus, tot palas fieri, quot opus erat super vtrunque humerum vtrinque.

Vers. 14. Et duas catenulas auri purissimi sibi inuicem cohęrentes, quas inseres vncinis.] Hæc clausula iuxta Hebræum sic habetur: *Et duas catenas auri mundi, terminatas ipsius, facies opus funis; & dabis catenas funis super palas.* Catenæ istæ loco laqueorum d æ fiunt, vt altera illaqueet partes superhumeralis in altero humero, & altera in altero: & propterea forma earum est ad similitudinem funis: & immittuntur super palas, per earum foramina illaqueando: & materia catenarum, mundum aurum decernitur. Quòd autem dicitur, *terminata*, significat, quòd quælibet catena esset terminata quasi aculeo idoneo ad hoc, vt per foramina palarum facilè, & suauiter immitteretur illaqueando. Et sic completum ęst opificium vestis superhumeralis secundùm seipsam. Dico autem, *secundùm seipsam*: quia relatiuè ad pectorale iudicij desunt ei quidam annuli, & quædam palæ, de quibus inferiùs erit sermo.

Vers. 15. Rationale quoque iudicij facies opere polymito, iuxta texturam superhumeralis: ex auro, hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto, & bysso retorta facies ipsum.] Vt prædictum est, iuxta Hebræum, non, *rationale*; sed, *pectorale iudicij* vocatur hoc ornamentum: cuius tam materia, quàm forma artis similis erat materiæ, & arti superhumeralis. Et verè appellatur *pectorale*: quia pectus tantùm operiebat: ita quòd pars anterior superhumeralis in pectore tegebatur hoc ornamento.

Vers. 16. Quadrangulum erit.] Iuxta Hebræum habetur: *Quadrum erit*. hoc est, quatuor laterum æqualis quantitatis.

Et duplex.] Quia in ornamento hoc ponendi sunt duodecim lapides pretiosi; ideò non vnius telæ, (vt superhumerale erat;) sed ex duabus telis constabat: & propterea duplex dicitur.

Mensuram palmi habebit, tam in longitudine, quàm in latitudine.] Ecce quantitas laterum: ecce quantitas huius ornamenti.

Vers. 17. Ponésque in eo quatuor ordines lapidum. In primo versu erit lapis sardius, & topazius, & smaragdus: *Vers.* 18. in secundo carbunculus, sapphirus, & iaspis: *Vers.* 19. in tertio ligurius, achates, & amethystus, *Vers.* 20. in quarto chrysolithus, onychinus, & berillus.] Proculdubiò secundùm sub, & suprà disponuntur isti quatuor ordines: & non distribuuntur secundùm quatuor latera: vt conuincitur ex hoc, quòd quilibet ordo habebat tantùm tres lapides; & erant lapides duodecim: & propterea minor erat distantia vnius ordinis ab altero, quàm distantia lapidum vnius ordinis inter se: quia ab imo vsque ad summum erant quatuor lapides; inter dextrum autem, & sinistrum erant tres. De nominibus autem lapidum ne sis sollicitus: quia periisse aiunt apud Hebræos notitiam nominum propriorum lapidum, animalium, atque locorum.

Inclusi auro erunt per ordines suos [d].] Eo modo, quo lapides figuntur in annulis, claudendi auro significantur.

[d] Nec magnoperè refert, quòd non exactè hæc cognoscantur.

Vers. 21. Habebúntque nomina filiorum Israël duodecim nominibus: cælabuntur singuli lapides nominibus singulorum per duodecim Tribus.] Sententia hæc clarè refert sensum Hebraïcæ literæ: vnum tamen tacet; videlicet, quòd per modum sigilli sculpta erant nomina.

Vers. 22. Facies in rationali catenas sibi inuicem cohærentes ex auro purissimo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et facies super pectorale catenàs terminationis, opus funis ex auro mundo.* Catenæ istæ ideò *terminationis* appellantur; quia erant loco extremitatum pectoralis circuncirca: ab officio siquidem terminandi omni ex parte istud pectorale, appellantur *catenæ terminationis*. Cerne disparitatem. Vestis superhumeralis artificio texturæ est vndique terminata: pectorale autem aurea catena simili funiculo vndique terminatur.

Vers. 23. Et duos annulos aureos.] Iuxta Hebræum alia est clausula: *Et facies super pectorale duos annulos aureos, quos pones in vtraque rationalis summitate.* Completo siquidem opificio pectoralis in seipso, describitur modò relatiuè ad accommodandum ipsum gestationi in pectore Pontificis: & inchoat à duobus annulis aureis in parte superiori pectoralis locandis super duos angulos superioris partis, vt clarè subiungitur in Hebraïca Litera.

Vers. 24. Catenásque aureas iunges annulis, qui sunt in marginibus eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dabis duos funes aureos super duos annulos angulorum pectoralis.* Isti funiculi alij sunt ab omnibus antedictis. Et numerus eorum determinatur, & loca, & officium: duo enim, & alter in annulo vnius anguli, alter in annulo alterius anguli, versùs sursum locandus censetur. Officium autem vtriusque subiungitur:

Vers. 25. Et ipsarum catenarum extrema duobus copulabis vncinis, in vtroque latere superhumeralis, quod rationale respicit.] Iuxta Hebræum clariùs habetur: *Et duo extrema duorum funium dabis super duas palas: & dabis super humeros superhumeralis contra facies eorum.* Ecce palæ duæ, quæ deerant vesti superhumerali relatiuè ad pectoralę. Et describitur locus earum, videlicet, super humeros vestis; hoc est, altera super vnum humerum; & altera super alterum [e]. Et ne hæsitetur, an de humero vestis anteriore, vel posteriore sit sermo; manifestatur, quòd de humero posteriore est sermo, dicendo, *contra facies eorum*: contra facies enim extremitatum catenarum, ascendentium à pectore, occurrunt vestis humeri posteriores; vtpote, è regione ipsarum: ad istas, inquam, palas perforatas applicanda erant extrema funiculorum pectoralis: vt ab illis pendens pectorale sustentaretur.

[e] Harum vestium ornatus adeò graphicè ab Authore describitur, vt nihil supersit dicendum.

Vers. 26. Facies & duos annulos aureos, quos pones in summitatibus rationalis, & in oris, quæ è regione sunt superhumeralis: & posteriora eius aspiciunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Et facies duos annulos aureos, & dabis eos super duo extrema pectoralis:*

ralis: super oram eius, quæ ad latus superhumeralis intrinsecus. Alij duo annuli eiusdem pectoralis, non in reliquis duobus angulis sunt locati; sed in duabus extremitatibus; dextera, videlicet, & sinistra eiusdem pectoralis. Et appositiuè adiungitur, *super oram eius*, (scilicet, pectoralis,) quæ respicit latus superhumeralis: proculdubiò secundùm partem posteriorem superhumeralis. Quòd autem adiungitur, *intrinsecus*; ad pectorale refertur: locandi siquidem isti annuli mandantur in extremis, non foris, sed intus: foris enim tegerent catenulam auream, & nonnihil molesti essent infimo ordini lapidum: intùs autem positi liberam relinquunt vniuersam externam superficiem pectoralis.

Vers. 27. Necnon & alios duos annulos aureos, qui ponendi sunt in vtroque latere superhumeralis deorsum.] Ecce annuli duo, qui deerãt superhumerali relatiuè ad pectorale: præcipitur enim, quòd in lateribus posterioris partis superhumeralis duo annuli aurei locentur; alter sub dextera, & alter sub sinistra, è regione annulorum pectoralis: ita quòd laqueo hyacinthino per annulum pectoralis, & annulum superhumeralis ligetur pectorale cum superhumerali in vtroque latere, vt neutrum ab altero separari possit. Quòd autem dicitur:

Quod respicit contra faciem iuncturæ interioris, vt aptari possit cum superhumerali.] Iuxta Hebræum habetur: *E regione faciei eius contra coniunctionem eius, ad artificium superhumeralis.* Recole superhumerale circuncirca quodam speciali artificio contextum, & intelliges, annulos istos locandos in huiusmodi artificio, vtpote parte firmiore, quæ è regione est pectoralis, non absolutè, sed secundùm coniunctionem eius ad ipsum artificium.

Vers. 28. Vt stringatur rationale annulis suis cum annulis superhumeralis vitta hyacinthina, & maneat iunctura fabrefacta.] Iuxta Hebręum habetur: *Ad essendum super artificium superhumeralis, & non separabitur pectorale à superhumerali.* Situs annulorum, & ligaminis definitur, vt sit in inferiori parte superhumeralis; vt tamen non sit in penitùs infima; sed sit super artificium terminans oram inferiorem superhumeralis.

Vers. 29. Portabitque Aharon nomina filiorum Israël in rationali iudicij.] Rationem reddit sculptorum nominum filiorum Israël in pectorali, quemadmodum reddiderat rationem eorundem sculptorum super humeros.

Super pectus suum.] Iuxta Hebræum habetur: *Super cor suum, quando ingredietur Sanctuarium.* Corporeum pectorale iudicij gestabat Aharon in pectore, sed nomina filiorum Israël, quatenùs iudicanda gestanda erant super cor, hoc est, habenda erant in intimis cordis Pontificis.

Memoriale coram Domino in æternum.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad memoriam coram* יהוה *iugiter.* Quemadmodum super humeros Pontificis sculpta erant nomina filiorum Israël in memoriam suffragij apud Deum: ita in pectore Pontificis eadem sculpta erant in memoriam, iudicium coram יהוה, hoc est, secundùm rationes diuinas: vt perpenderet Pontifex, & in corde suo iugiter retineret iudicium populi Israël sibi datum secundùm Deum; non superficie tenus, sed secundùm intima veritatis diuinæ: propterea enim nomen יהוה appositum est, vt, scilicet, in iudiciis haberetur ratio summi Dei, fontis essendi; vt sic iudicia fiant: vt tamen Dei esse, & ipsum Iudicem, & eos, qui iudicantur, meminerit Iudex. Et ex iudicio ornamentum hoc nominatur pectorale iudicij: & propterea nomina Patriarcharum, nec in pectorali sunt sculpta, vtpote superiorum iudicio Pontificis legalis.

Vers. 30. Pones autem in rationali iudicii [f] doctrinam, & veritatem, quę erunt in pectore Aharon, quando ingredietur coram Domino, & gestabit iudicium filiorum Israël in pectore suo in conspectu Domini semper.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dabis ad pectorale iudicij vrim, & tummim, & erunt super cor Aharon veniente ipso coram* יהוה*: & portabit Aharon iudicium filiorum Israel super cor suum coram* יהוה *iugiter.* Quid intelligatur nominibus, *vrim*, & *tummim*, nullus (quantùm nouimus) hactenus explicauit. Diuersi diuersa dicunt; nec certi aliquid habetur. Scito, certum esse, quòd *vrim*, & *tummim*, nomina sunt pluralis numeri, & quòd alterum lucem, alterum perfectionem sonat, tanquàm *vrim* significet lumina, & *tummim* significet perfectiones: ita quòd proculdubiò mandatur, vt dentur pectorali iudicij illuminationes, & perfectiones. Et hoc non vertitur in dubium; sed nescitur materia luminum, & perfectionum nescitur modus, quo hæc ponebantur in pectorali iudicij.

[f] Hic crediderim, iudicium perinde, ac memoriam significasse. Nec hoc libere dixerim: nam reperitur in Scripturis ea vox diuersa multùm ab officio Iudicis significare nonnunquam ritum, vt Genesis 40. aliquando memorabile factum, vt Exodi 5. sicque hoc loco pro memoriali capi potest.

Si quis tamen exactiùs scripta Leuit. 8. quando Moses vestiuit Aharon istis pontificalibus indumentis, considerauerit, percipiet, quòd *vrim*, & *tummim* non erant aliquæ res firmatæ in pectorali, quemadmodum lapides, catenæ, annuli, &c. sed erant res, quæ in ipsa accommodatione pectoralis super pectus Pontificis dabantur: nam ibidem de Mose vestiente Aharon legitur: *Et posuit super eum pectorale, & dedit ad pectorale, vrim, & tummim.* Duo enim hinc certa habentur. Alterum, quòd istæ luces, & perfectiones, non erant integrantes pectorale: nam, si de integritate fuissent pectoralis, non diceretur de Mose, quòd postquàm induit Aharon pectorali, posuit in pectorali *vrim* & *tummim*: sicut nec dicitur, quòd posuit in pectorali lapides pretiosos. Alterum, quòd istæ luces, & perfectiones fiebant in pectorali, non à Deo, sed ab homine: nam dicitur de Mose vestiente Aharon, quòd dedit ad pectorale, *vrim & tummim:* quamuis idem ex hac Exodi litera habeatur, dum dicitur: *Et dabis ad pectorale.* Non dicit Deus: Et dabo ad pectorale *vrim*, & *tummim*; sed, *dabis.* Et hinc fabellæ quorundam Hebræorum arguuntur. Erant itaque luces, & perfectiones istæ in pectorali, velut res aduentitiæ, non diuino miraculo, sed opere humano. Hæc sunt ex Scripturæ litera certa.

Et si consideratum fuerit, quòd Moses vestiendo Aharon, dedit ad pectorale *vrim*, & *tummim*, elicietur, quòd ad actionem inducendi Pontificem pertinent hæc duo. Et si his iunctum fuerit, quòd pectorale indigebat in ipso actu, quo accommodabatur pectori Pontificis, duabus conditionibus; apparebit, quòd illæ duæ

duæ conditiones significatæ sunt nominibus, *vrim*, & *tummim*: pectorale siquidem constructum erat, non ex auro; sed textum ex filis lini serici, & auri: & ideò ex parte materiæ multas rugas habere poterat, multásque obliquitates. Nec quatuor eius latera paxillis aureis tendebatur, (vt vel sic euaderet rugas;) sed terminabatur vndique catenis aureis, quæ non sufficiunt ad tollendum rugas à pectorali: & propterea indigebat pectorale, vt sic accommodaretur pectori secundùm catenas, & laqueos, & extensionē, & directionem, vt & secundùm omnes sui partes manifestum pateret, & secundùm omnes sui partes rectitudinem, situm, commensurationémque ad brachia, ad barbam, & reliqua haberet. Et istæ duæ conditiones significantur ad literam nominibus, *vrim*, & *tummim* [g]. Et est sensus: *Et dabis ad pectorale*. accommodando ipsum pectori Pontificis, *vrim*, hoc est, luces, (id est, vt omnes illius partes clarè luceant, clarè pateant, nullo tegmine, nulla ruga, aliqua eius pars lateat, seu obtenebretur:) & *tummim*, hoc est, perfectiones; id est, vt totum, & quęlibet eius pars disponatur tam rectè, ac commensuratè relatiuè ad brachia, & pilos barbæ, ad catenas, & laqueos, ad baltheum, &c. vt habeant omnia requisita ad perfectam dispositionem totius, & singularum partium.

g Perpende sanam huius loci intelligentiam. De quo admiranda est inter Hebræos Doctores varietas.

Et quia istas duas conditiones pectoralis Deus ordinauit, vt non solùm corporaliter adhiberentur pectorali; sed etiam, vt istæ conditiones corporeæ essent signa ipsi Aharon duarum conditionum spiritualium, quas debebat in corde suo iugiter retinere ad vtendum eis in iudicio; ideò de istis conditionibus subiungitur: *Et erunt super cor Aharon*. oportet enim iudicando, & quantùm ad substantiam iudicij decernere iustum secūdùm diuinas leges, quod priùs dictum est, & quantùm ad exhibitionem iudicij habere luces, & perfectiones: luces quidem, vt nulla ex parte obtenebretur, quod debet iudicari: perfectiones autem, vt quando, vbi, sicut, quare, qualiter, &c. oportet, ius exhibeatur: imperfectum enim esset iudicium, nisi Iudex etiam executioni operam integrè daret. Et propterea aptè subiungitur, quòd *portabit Aharon iudicium filiorum Israel super cor suum*. Priùs dixerat quòd *portabit nomina filiorum Israel super cor suum*, vt iudicanda: modò, adhibitis conditionibus iudicij dicit: *Et portabit Aharon iudicium filiorum Israel super cor suum coram* יהוה. ratione iam dicta. Hunc esse sensum literalem ideò affirmarim: quia quadrat omnibus scriptis, tam hîc, quàm in Leuitico: & nullam ingerit ambiguitatem.

Vers. 31. Facies & tunicam superhumeralis totam hyacinthinam.] Tertium ornamentum Pontificis describitur nuncupatum tunica, siue pallium, cuius materia erat sericum hyacinthinum. Vbi aduerte, quòd si verum est, fuisse coloris aërei, falsò scribitur hyacinthus, non semel, sed millies; & è conuerso, si verè erat color hyacinthinus, falsò clamatur aëreus: nam nec hyacinthus lapis, nec hyacinthus herba coloris est aërei; sed lapis est violaceus, & suaucrubens hyacinthus. Appellatur autem tunica hæc serica, tunica superhumeralis: quia immediatè erat sub veste superhumerali.

Vers. 32. In cuius medio suprà erit capitium.] Iuxta Hebræum habetur: *Ora erit ori eius in circumitu opus textoris, sicut os loricæ erit ei, non lacerabitur*. De solo ore summitatis mandatur, vt fiat firmius textorio opere, quemadmodum os loricæ fieri solet. Et ratio redditur: ne inter vestiendum facilè frangeretur.

Vers. 33. Deorsum verò ad pedes eiusdem tunicæ per circumitum, quasi mala punica facies.] Non tot circunlocutiones habentur in Hebræo: *Et facies super fimbrias eius malogranata ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, & bysso retorta, mixtis in medio tintinnabulis*.

Vers. 34. Ita vt tintinnabulum sit aureum, & malum punicum, rursúmque tintinnabulum aliud aureum, & malum punicum.] Ecce fimbriæ in infima parte vestis, & super fimbriam circuncirca appendebantur malogranata, & tintinnabula. Verùm malogranata erant serica ex hyacintho, purpura, & cocco: quanuis in communi editione addatur *byssus*: tintinnabula autem erant aurea. Et erant appensa sic ordinatè, vt tintinnabulum sequeretur malogranatum, & è conuerso. Et quia minùs rationi quadrat, vt hæc malogranata, & tintinnabula percuterent pedes Pontificis; ideò vestis ista non erat tam longa: quanuis de termino longitudinis eius nihil sit scriptum.

Vers. 35. Et vestietur ea Aharon in officio ministerij, vt audiatur sonitus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et audietur vox eius, quando ingredietur Sanctuarium in conspectu Domini: & egredietur*. Præcipitur, quòd tintinnabula sic fiant, vt ingrediente Pontifice in tabernaculum coram יהוה sonent; vt intelligeremus, quòd ad officium sonandi appensa erant, & non ad simplicem ornatum.

Et non moriatur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non morietur*. Pœna mortis Pontifici ingredienti Sanctum Sanctorum, absque his tribus ornamentis, promulgatur: manifestando, quòd mortem euadet Pontifex ingrediens, & egrediens tabernaculum vestitus sic. Et propterea non est querendum, quid conferret sonus ad euadendum mortem: obedientiā enim est illā, quæ confert. Et quòd hic sit sensus literalis; testatur subiuncta eiusdem mortis euasio post præceptum feminalium: obedientia siquidem diuinæ legi debita, vtrobique pensanda insinuatur.

Vers. 36. Facies & laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris.] Iuxta Hebræum habetur: *Sculpturis sigilli*. Figura huius laminæ incerta est: materia sola cum forma artis describitur in litera.

Sanctum Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Sanctitas* יהוה. Et est datiui casus יהוה. Istæ duæ dictiones erant sculptæ in lamina illa aurea, significantes: tum, quòd sanctitas est propria Deo, aduersùs falsò sentientes de natura diuina: ipse enim solus mundus est ab omni potentialitate: solus enim est actus purus, vt etiam Philosophi confitentur. Tum, quòd sanctitas inuenitur in omnibus operibus Dei: contra blasphemantes aliquod Dei opus. Tum, quòd sanctitas debetur Deo in omnibus, quæ referuntur ad ipsum; tam internis mentis, & animi motibus; quàm externis oblationibus, sacrificiis, &c. & hoc aduersùs minùs religiosos.

Vbi aduerte, maius esse hoc (scilicet, *Sanctitas Deo*) quàm illud, quod Ecclesia canit: *Gloria Patri, & Filio*, &c. quantò sanctitas maior est gloria. Vnde & Angeli apud Isaiam canunt Deo: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, & in nouo Testamento Saluator docet primùm orare: *Sanctificetur nomen tuum.*

Vers. 37. Ligabisque eam vitta hyacinthina: & erit super tiaram, *Vers.* 38. imminens fronti Pontificis.] Sententia hæc clariùs in Hebræo habetur: *Et pones ipsam super vnum filum hyacinthi, & erit super mitram: ad contra faciem mitræ erit; & erit super frontem Aarō.* Situs laminæ describitur, in primis quòd non sit cincta, sed ipsa sit super filum, quod ambiendo mitram sustinet laminam; & rursus sit super filum, hoc est, vt filum sit in infima parte laminæ: his enim duobus modis lamina super filum est vnicum, non filos duos hinc, & inde; sed vnum ambiens mitram; deinde, quòd lamina non flectatur ad mitram, sed sit erecta contra faciem mitræ: & demùm quòd sit super frontem Pontificis. Si collegeris itaque has tres relationes laminæ; & pensaueris exactè, apparebit, quòd vnicum filum ex serico hyacinthino rotundum, tanquàm circulus ad mensuram capitis supra frontem, deuinctum erat internæ superficiei laminæ in infima laminæ parte: ita quòd posito isto filo, tanquàm capitis cingulo super frontem Pontificis, præhabentis mitram, manebat lamina recta tanquàm stans, & non inclinabatur ad mitram. Et ex tali dispositione insinuatur, quòd paruæ quantitatis erat hæc lamina, quæ soli fronti respondere dicitur; & vnico filo infimo sustineri è regione mitræ. Nec fiat vis in verbo, *mitræ*, quoniam incerta nobis est forma illius mitræ.

Et portabit [b] Aharon iniquitatem sanctificationum, quas sanctificabunt filii Israël ad omnes donationes sanctificationum suarum.] Ratio redditur, quare Pontifex portet hanc laminam, vt, videlicet, profitendo sanctitatem summo Deo, tollat immunditiam sacrificiorum, & oblationum filiorum Israël. Quod vt intelligas, aduerte, quòd quemadmodum Scriptura altare, & tabernaculum mundanda singulis annis censet ab iniquitatibus filiorum Israël tanquàm peccata populi redundent in tabernaculum Dei; ita sacrificia, & oblationes filiorum Israël immunda modò dicuntur, & eorum iniquitas tollenda dicitur per hanc gestatam laminam profitentem sanctitatem Deo. Sanctitas enim directè opponitur immunditiæ & consequenter cuilibet generi immunditiæ, & præcipuè immunditiæ iniquitatis. Ad tollendum ergo maculam sacrificiorum, & oblationum, professio sanctitatis in hac lamina à Pontifice portatur.

[b] Portare, hic pro auferre, & mundare capitur, vt sæpè alibi idiotismo Hebræo.

Erit autem lamina semper in fronte eius, vt placatus sit eis Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad placandum eis facies* יהוה. Ne erraretur audiendo, quòd Aharon gestando laminam tolleret iniquitatem sacrificiorum, explicatur modus tollendi iniquitatem dicendo quòd lamina hæc erit iugiter super frontem Pontificis ad placandum summum Deum eis, (hoc est, filiis Israël,) præsentando diuinæ faciei sanctitatem Deo. Placatio itaque diuina significatur tollens iniquitatem. Et hæc quarta ratio scriptorum in lamina sola redditur in litera: quia sola spectat ad ordinem gratiæ: aliæ enim tres supradictæ ad naturæ ordinem spectant.

Vers. 39. Stringésque tunicam bysso, & tiaram byssinam facies.] Iuxta Hebræum habetur: *Et stringes tunicam byssinam, & facies mitram byssinam.* Quintum ornamentum describitur tunica linea stricta, longa proculdubiò vsque ad terram: hoc enim erat primum ornamentum, & erat sub tunica hyacinthina. Sextum quoque, cuius iam meminerat, (mitra, videlicet,) describitur quoad materiam, quòd sit linea. Vbi clarè vides, nōn sericam, aut auream; sed lineam scribi mitram Pontificis.

Facies & baltheum opere plumario.] Iuxta Hebræum habetur: *Opere acupictoris.* Septimum ornamentum est cingulum, quod ex arte acupictoris apparet fuisse latum, ac pulchrum. Et hoc cingulum ponebatur super vestem superhumeralem: ita quòd cingebat non solùm hyacinthinam tunicam, sed etiam superhumeralem vestem, in loco, vbi communiter cingimur. Et hoc cingulum appellatur cingulum superhumeralis: quia immediatè cingit superhumerale.

Vers. 40. Porrò filiis Aharon.] Hinc apparet, quòd supradicta septem ornamenta erant propria Pontifici: subiuncta autem quatuor erant communia Pontifici, & Sacerdotibus.

Tunicas lineas parabis, & baltheos, ac tiaras.] Iuxta Hebræum non habetur, *lineas*: trium enim istorum ornamentorum nulla materia in litera scribitur: nec forma artis aliqua circa tunicā, cingulum, aut tiaram dicitur. Nec eadem dictio habetur hîc ad significandū tegmen capitis, quæ habetur superiùs circa tegmē capitis Aharon. Et inde apparet disparitas inter hæc duo tegmina, inter proprium Pontifici, & cōmune Pontifici, & Sacerdotibus. Et quia proprium Pontifici lineum erat, consequens est, vt commune quoque fuerit lineum. & similiter, tā cingulum, quàm tunica ex lino fuerit.

In gloriam, & decorem.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Ad honorem, & gloriam.* Et refertur hoc ad omnia antedicta, vt, videlicet, constructio omnium ornamentorum, tam ex parte materiæ, quàm formæ, sit honorabilis, & gloriosa: quia hæc ad honorem, & gloriam sacerdotij fiunt.

Vers. 41. Vestiésque his omnibus.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Et facies induere illa Aharon fratrem tuum, & filios eius cum eo.* Hinc clarè apparet, quòd hęc tria ornamenta communia erant Pontifici, & Sacerdotibus, dum communia dicuntur Aharon, & filiis eius. Quod non sic intellige, quòd Pontifex vteretur istis tribus, & super hæc tria vteretur illis aliis septem: sequerentur enim ex hoc intellectu duo absurda. Alterum, quòd Pōtifex vsus fuisset simul duabus tiaris. Et hoc quanuis à multis non reputetur absurdum; alterum tamen nullum habet defensorem, videlicet, quòd Pontifex sub tunica sua linea stricta haberet hanc sacerdotalem tunicam: quod etiam à litera octaui capituli Leuitici dissonat.

Sed intellige sic, quòd Pontifex quandoque vtebatur istis, & quandoque illis: & hoc consonat scriptis Leuit. 8. & 16. nam Leuit. 8. quum induitur Pontifex pontificalibus (primùm tunica linea;

linea; deinde cingulo lineo; posteà tunica hyacinthina; & posteà superhumerali; posteà cingulo superhumeralis; posteà pectorali;) septimò mitra, & postremò lamina memoratur. Sextodecimo autem capitulo expiaturus Pontifex tabernaculum, præter feminalia, (quæ subintelliguntur etiam in pontificalibus,) tria tantùm induit ornamenta; videlicet, tunicam lineam, cingulum lineum, & mitram lineam. Et expiationis opere peracto præcipitur, vt depositis lineis ornamentis induat se vestibus pontificalibus. Ex quibus omnibus elatè patet, hunc esse sensum literalem, nullúmque ex istis ornamentis assumi inter pontificalia, nisi cingulum lineum. Si tamen admittitur cingulum hoc lineum fuisse: alioquin cingulum super tunicam lineam Pontificis tacitum in hac litera est: quod quia absurdum reputo, ideò in cingulo communi Sacerdotibus, & Pontifici significatum intellige.

Et cunctorum consecrabis manus: sanctificabisque illos, vt sacerdotio fungantur mihi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vnges eos, & implebis manum eorum* [i], *& sanctificabis eos, & sacerdotio fungentur mihi.* Disponit Deus de consecratione Pontificis, & Sacerdotum, postquàm ordinauit ornamenta eorum.

[i] *Implere manum*, apud Hebræos idem est, quod consecrare, & initiari, quod fiebat olationе & impletione pugillorum: vnde adimpletio manuum Aharonis est dedicatio illius in Sacerdotem.

Vers. 42. Facies & feminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis suæ à renibus vsque ad femora.] Hoc, quod vltimo loco decernitur, erat primum induendum, tam à Pontifice, quàm à Sacerdotibus.

Vers. 43. Et vtentur eis Aharon, & filij eius, quando ingredientur tentorium parationis, vel quando appropinquabunt ad altare, vt ministrent in Sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur.] Ecce euasio mortis iterum scribitur, & causa explicatur, munditia à culpa: vt hinc intelligamus, pœnam mortis indictam superiùs Pontifici, & modò communiter Pontifici, & Sacerdotibus, si culpam incurrunt sacrilegi, præsumendo ministrare in diuinis officiis, absque huiusmodi statutis à Deo indumentis, ornatibus, &c.

Legitimum sempiternum [k] erit Aharon, & semini eius post eum.]

[k] *Legitimum sempiternum*, idem est, ac statutum perpetuò obseruandum.

CAPVT XXIX.

VERS. 1.

SEd & hoc facies eis, vt mihi in sacerdotio consecrentur. Tolle vitulum de armento, & arietes duos immaculatos, *Vers.* 2. panésque azymos, & crustulam absque fermento.] Iuxta Hebræum habetur: *Et placentas azymas, quæ conspersa sint* (pro, *inuolutas*, seu, *permixtas*) *oleo: lagana quoque azyma oleo lita. De simila triticea cuncta facies. Vers.* 3. Et posita in canistro offeres. Vitulum autem.] Legendum est: *Et vitulum*, (hoc est, iuuencũ,) *& duos arietes.* Cum clausula canistri, vt offerenda omnia ex vna parte intelligantur.

Vers. 4. Et Aharon, ac filios eius applicabis ad ostium tentorij testimonij.] Iuxta Hebræum habetur: *Tentorij parationis.* eò quòd erat locus omnibus paratus.

Cúmque laueris [a] patrem cum filiis suis aqua, *Vers.* 5. indues Aharon vestimentis suis; id est, linea, & tunica superhumerali, & rationali, quod constringes baltheo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et accommodabis ipsi in artificio superhumeralis.* Nulla fit mentio cinguli; sed de accommodatione pectoralis cum superhumerali in extremis superhumeralis, quæ speciali artificio fulta erant: vt in præcedenti capitulo dictum est.

[a] Hæ cæremoniæ vulgo non solum vtiles, sed propemodum necessariæ fuerunt: nã designatum, & delectum ministrum populo commendabãt, & publicam ministerium venerabile, sanctúmque faciebãt; eáque ratione electus in Regem publicis cæremoniis consecrabatur Deut. 17. & 1. Regum 2. Nã sancti ritus, & sacræ cæremoniæ ad hoc olim institutæ sunt, vt Dei notitia apud omnes promoueretur.

Vers. 6. Et pones tiaram in capite eius, & laminam sanctam super tiaram.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dabis diadema sanctitatis super mitram.* Dictio interpretata, *diadema*, ab aliis interpretatur, *corona.* Et vtraque interpretatio consonat rei significatæ. Certum est enim, quòd significatur lamina hyacinthino laqueo ambienti mitram innixa: & propterea aliquid coronæ, plurimùm autem diadematis sapit.

Vers. 7. Et oleum vnctionis fundes super caput eius, atque hoc ritu consecrabitur. *Vers.* 8. Filios quoque illius applicabis: & indues tunicis lineis.] Non est in Hebræo, *lineis.*

Cingésque baltheo *Vers.* 9. Aharon, & filios eius.] Quia non meminerat cinguli vestiendo Aharon; ideò, quasi supplendo, meminit Aharon tractans de cingulo filiorum: cingulum enim commune erat Pontifici, & Sacerdotibus.

Et impones eis mitras.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ligabis eis pileos.* Dictio interpretata, *pileos, mitras, tiaras*, tegmen capitis significat, quod, vt hæc testatur litera, ligabatur: sed, an sub mento, an in occipite, nescitur; sicut nec eius forma mihi nota est.

Eruntque Sacerdotes mihi religione perpetua. Postquàm initiaueris manus eorum, *Vers.* 10. applicabis & vitulum [b] coram tabernaculo testimonij.] Iuxta Hebræum habetur, *tentorio parationis.*

[b] Hoc sacrificiũ admonebat, vt Aharon, & filij iam vestiti indignos se faterentur, qui pro aliis intercederent, cuperentque sanguine Messiæ mũdari in vitulo significati.

Imponétque Aharon, & filij eius, manus super caput illius. *Vers.* 11. Et mactabis eum in conspectu Domini.] Nomen est tetragrammaton.

Iuxta ostium tabernaculi testimonij.] Iuxta Hebræum habetur: *Tentorij parationis.*

Vers. 12. Sumésque de sanguine vituli: & pones super cornua altaris digito tuo.] Intellige de altari holocaustorum.

Reliquum autem sanguinem fundes iuxta basim eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Fundes ad fundamentum altaris.* Aduerte, prudens lector, quòd disponendo constructionem altaris, nulla est facta mentio loci alicuius in fundamento, in quo reciperetur sanguis animalium, quæ offerebantur. Et quia absurdum est immediatè extra altare, hoc est, extra tigillos, & rete in fundamento receptum fuisse sanguinem, (nam & turpis, fœdus, fœtidúsque mansisset locus ille, in quo mortuus fuisset sanguis, & impedimento fuisset Sacerdotibus ministrantibus;) consequens est, vt fundamentũ hoc altaris intelligatur intus inter tigillos, retéque ambiẽtes altare terreũ, & ipsum altare terreũ: vt intelligamus, in fundamento altaris terrei circũcirca relictum aliquid vacui, in quo recipiebatur sanguis animaliũ, quũ legitur, quòd Sacerdos fudit sanguinẽ ad fundamentũ altaris: sic enim nihil indecens proueniebat, quoniã iugis ignis altaris tollebat

tollebat omnem indecentiam fœtoris,& putredinis,tigilli autem,& rete tollebant omnem indecentiam,relatiuè ad visum.

Vers. 13. Sumes & adipem totum,qui operit intestina, & reticulum iecoris.] Dictio interpretata, *reticulum*; ab aliis, *fibra*, interpretatur: in Hebræo tamen sonat, *superfluum*;ita quòd legendum est: *Et superfluum super hepar.* quod,vt Medici dicunt, est panniculus, cui appenditur hepar;& habet aliquid pinguedinis. Et ne sæpiùs idem repetatur, corrige similiter, vbi in huiusmodi sacrificiis inueneris *reticulum iecoris.*

Ac duos renes, & adipem, qui super eos est,& offeres incensum [c] super altare.] Quia sæpè repetitur hoc in huiusmodi, & in holocaustorum sacrificio; ideò semel pro semper scito, prudens lector, quòd in Hebræo sonat *thurificationem.* Mandat Deus,hæc(videlicet,adipem, renes, &c.) & similiter mandat, holocausta thurificari super altare; hoc est,ad similitudinem thuris incendi,hoc est,non comburi flamma consumente in momento; sed ad instar thuris paulatim resolui in fumum: ita quòd ignem temperandum præcipit sic,vt carnes holocausti, & similiter adipes,& renes,&c. non inflammentur, & statim incinerentur; sed sic consumantur,vt paulatim resoluantur in fumales euaporationes.

[c] Hoc est,ad modum incensi.

Vers. 14. Carnes verò vituli, & corium,& fimum combures foris extra castra, eo quòd pro peccato sit. *Vers.* 15. Vnum quoque arietem sumes,super cuius caput ponent Aharon, & filij eius manus: *Vers.* 16. quem quum mactaueris, tolles de sanguine eius, & fundes circa altare: *Vers.* 17. ipsum autem arietem secabis in frusta: lotáque intestina eius, ac pedes pones super concisas carnes,& super caput illius: *Vers.* 18. & offeres totum arietem incensum super altare: oblatio est Domino odor suauissimus,victimæ Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Holocaustum ipsum* יהוה *odor quietis, incensum* יהוה *ipsum.* Et vtrobique יהוה est datiui casus. A tribus commendatur hoc sacrificij genus.Primum,à totalitate,quòd totum animal immolarur summo Deo. Deinde à fumali euaporatione,in quam totum resoluebatur, dicendo:*Odor quietis.*Humano more loquitur Deus: nulla enim maior est cōmendatio odoris,quàm vt sit dignus quiete hominis in ipso: rari enim sunt odores non parientes aliquid fastidij, aut mali,si quiescat homo odorando. Nec hoc dicitur propriè, sed metaphoricè, hoc est,quòd ad similitudinem odoris digni quiete, placet hic fumus sacrificij. Tertiò,ab igne,dicendo,*incensum*,seu *ignitum ipsum*:inter elemēta enim ignis supremum,& natura,& situ, & actione,& puritate locum tenet. Et dicitur hoc ad differentiam elixorum,quæ mediante aqua,& non immediatè ab igne attinguntur.

Vers. 19. Tolles quoque arietem alterum, super cuius caput Aharon, & filii eius ponent manus: *Vers.* 20. quem cùm mactaueris, sumes de sanguine ipsius, & pones super extremum dextræ auriculæ Aharon, & filiorum eius; & super pollices manus eorum, ac pedis dextri; fundésque sanguinem [d] super altare per circumitum. *Vers.* 21. Quúmque tuleris de sanguine, qui est super altare,& de oleo vnctionis,asperges Aharon, & vestes eius, filios eius, & vestimenta eorum: *Vers.* 22. consecratísque & ipsis, & vestibus, tolles adipem de ariete, & caudam, & aruinam, quæ operit vitalia, ac reticulum iecoris, & duos renes, atque adipem, qui super eos est, armumque dextrum, eò quòd sit aries consecrationis, *Vers.* 23. tortámque panis vnam, & crustulam consparsam oleo vnam,& laganum de canistro azymorum, quod positum est in conspectu Domini.]Nomen est tetragrammaton.

[d] Hoc est, quod Paulus dicit Hebræorum 9. omnia ferè secundum legem sanguinis purificari.

Vers. 24. Ponésque omnia super manus Aharon [e], & filiorum eius: & sanctificabis eos eleuans coram Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Et eleuabis ea,eleuationem coram Iehouah.*

[e] Hinc phrasis illa Hebraica sumpta est, *adimplere manus*, pro initiari, & consecrari.

Vers. 25. Suscipiésque vniuersa de manibus eorum.]Si ordo rei gerendæ est secundùm ordinem literę,sensus est,quòd Moses istas res volis Aharon,& filiorum sustentatas, eleuauit intercedentibus eorū manibus:vnde & nonnulli interpretati sunt: *Et eleuare facies.* & peracta huiusmodi eleuatione Moses accepit de manibus eorum vniuersa,quæ fuerant eleuata.

Et incendes super altare in holocaustum odorem suauissimum in conspectu Domini.]Iuxta Hebræum habetur: *Et thurificabis altare super holocaustum, in odorem quietis Iehouah.* Modus sacrificandi hæc eleuata describitur; videlicet, per modum holocausti, vt ad instar thuris in altari crementur imposita super carnes holocausti. Et adiungitur similis suauitas odoris coram Iehouah; & similis dignitas igniti sacrificij: subiungendo: *Incensum ipsum Iehouah.* Et est datiui casus Iehouah.

Vers. 26. Sumes quoque pectusculum de ariete, quo initiatus est Aharon, sanctificabísque illud,eleuatum coram Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Et eleuabis illud,eleuationem coram Iehouah.* Et est constructio appositiua.

Et cedet in partem tuam. *Vers.* 27. Sāctificabísque pectusculum consecratum, & armum,quem de ariete separasti, *Vers.* 28. quo initiatus est Aharon, & filii eius, cedéntque in partem Aharon, & filiorū eius iure perpetuò à filiis Israël.] Sāctificationis hęc est definitio,quòd ista (videlicet,pectus, & armus) munda sint ab vsu filiorum Israël offerentium sacrificia, & cedant in portionem Sacerdotum.

Quia primitiua sunt, & initia de victimis eorum pacificis,quæ offeruntur Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia separatio ipsa: & separatio erit à filiis Israel de sacrificiis pacificorum eorum, separatio eorum Iehouah.* Et est datiui casus, *Iehouah.* Ratio redditur sanctificationis harum partium: quia sunt partes separatæ Deo. Et quia multiplex erat sacrificij genus, (vt infrà patebit;)manifestat,hanc legem intelligi in sacrificiis pacificorum,quæ offerebantur à filiis Israël.

Vers. 29. Vestem autem sanctam, qua vtitur Aharon, habebunt filii eius post eum, vt vngantur in ea, & consecrentur

tur manus eorum.] Dicendo, *post eum*, manifestat, quòd non de omnibus filiis Aharon; sed de successiuè succedentibus in pontificatu loquitur. Non vult, quòd fiant vestes nouæ, succedente nouo Pontifice; sed, quòd vestes Aharon transeant ad successorem. Non sepeliebatur ergo Pontifex cum sanctis pontificalibus vestibus.

Vers. 30. Septem diebus vtetur illa, qui Pontifex pro eo fuerit constitutus de filiis eius, & qui ingredietur tentorium parationis, vt ministret in Sanctuario.

Vers. 31. Arietem autem consecrationis tolles, & coques carnes in loco sancto.] Non dicit: Elixabis carnes arietis in altari; sed, *in loco sancto*. Crediderim ego, in altari tantummodo holocausta, & ea, quæ per modum holocausti cremabantur, sacrificari; reliqua autem in loco quidem sancto, & igne ex altari sumpto, sed non in altari sacrificari, vt hæc insinuat litera. Et verè sic fuisse, reuerentia altari debita confirmat: nam, si victimæ pacificorum in altari coctæ fuissent, cùm ab offerentibus coquerentur, licitum fuisset cuiliber offerenti ministrare in altari: quod absurdum valdè est. Taceo de frequenti impossibilitate coquendi multitudinem victimarum super altare. Et confirmatur hoc rursus ex 3. Reg. 8. in quo narratur, quòd in dedicatione templi sanctificauit Salomon medium atrij ante templum pro holocaustis: quia altare non erat capax iugis sacrificij, & holocaustorum, & adipum ex pacificis. Significanter itaque hic dicitur, *in loco sancto*; ad differentiam, tum altaris holocaustorum, tum profani loci.

Vers. 32. Quibus vescetur Aharon, & filij eius, & panibus, qui sunt in canistro, in vestibulo tentorij parationis comedent ea, *Vers.* 33. vt sit placabile sacrificiū, & sanctificentur offerentium manus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et comedent ea, quibus propitiatum fuit in eis, ad consecrandum manus eorum, ad sanctificandum eos.* Relatiuè ad diuinam gratiam condonantem peccata per huiusmodi sacrificium, manifestatur præcipuè sanctitas oblatorum, quibus vesci debent Aharon, & filij eius; & secundariò manifestatur, quia illis sacrificiis consecratæ sunt ipsorum manus, & ipsimet sanctificati sunt.

Alienigena [f] non vescetur ex eis: quia sancta sunt. *Vers.* 34. Quòd si remanserit de carnibus consecratis, siue de panibus vsque mane, combures reliquias igni, non comedentur: quia sanctificata sunt. *Vers.* 35. Omnia, quæ præcepi tibi, facies Aharon, & filiis eius: septem diebus consecrabis manus eorum.

f Alienigena hic intelligitur omnis ille, qui non erat de familia Aharon.

Vers. 36. Et vitulum pro peccato offeres per singulos dies, ad expiandum: mundabísque altare, quum immolaueris expiationis hostiam: & vnges illud in sanctificationem.] Quam *expiationem* Interpres vocat, *propitiationem* alij appellant: sed sensus in idem redit: præcipitur enim, quòd illis septem diebus, quibus consecratur Pontifex, consecretur & altare hora, qua immolatur iuuencus pro peccato.

Vers. 37. Septem diebus expiabis altare, & sanctificabis, & erit Sanctorum Sanctum [g]: omnis, qui tetigerit illud, sanctificabitur.] Epitheton intimi loci tabernaculi communicatur altari holocaustorum. Et ratio nominis redditur: quia altare sanctificat omne, quod tangit ipsum; hoc est, reddit munda, separando à profano vsu ea, quæ tangunt altare; siue sint animalia, quæ immolantur; siue res, quæ offeruntur; siue instrumenta, siue ignis, &c.

g Quæ Deo dicata erant, & Sanctorum vsui deputata, in lege sancta dicebantur quia, nimirum, profanis vsibus adaptare nefas erat, quia [illegible], & hoc altare, & tota tabernaculi supellex habebatur. Sic & Christus Matth. [illegible] verbum Dei [illegible] vocauit, eo quod ciibus electorum [illegible], & ad profanos, & spiritu vacuos nequaquam pertineat.

Vers. 38. Hoc est, quod facies in altari.] Ecce officium altaris holocaustorum.

Agnos anniculos duos per singulos dies iugiter.] Ecce iuge sacrificium.

Vers. 39. Agnum vnum facies mane, & alterum vespere.] Iuxta Hebræum habetur: *Et agnum secundum facies inter vesperas.* Initium itaque sacrificij iugis fuisse sacrificium matutinum, testatur litera, appellando agnum sacrificij vespertini, agnum secundum. Et quia non expectandus erat occasus Solis pro hora sacrificij vespertini; ideò dicitur inter vesperas, hoc est, inter occasum Solis, & Solem propinquum occasui.

Vers. 40. Et decimam partem similæ conspersæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Inuoluta oleo tuso.*

Quod habeat mensuram quartam partem Hin [h], & vinum ad libandum eiusdem mensuræ in agno vno.] Nec mensura similæ, nec mensura vini, nec modus, quo res istæ adhibentur agno, qui cremabatur, innotuit nobis. Scimus duntaxat, quòd agnus, tam matutinus, quàm vespertinus, cremabatur, adhibitis ei tribus istis rebus, simila, oleo, & vino, vt in his quatuor vniuersi fructus terræ iugiter Deo sacrificarentur.

h Dicunt nonnulli, hanc mensuram [illegible] logum continuisse. logum autem mensura est in aridis, & liquidis continens [illegible] oua. sic enim Hebræi pro suo more mensuræ genera per oua explicant. Sumebatur igitur in hoc sacrificio octodecim ouorum mensura.

Vers. 41. Alterum verò agnum offeres ad vesperam iuxta ritum matutinæ oblationis, & iuxta ea, quæ diximus, in odorem suauitatis.

Vers. 42. Sacrificium est Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *In odorem quietis, incensum* יהוה. Commendat iuge sacrificium à sex. Primum ab odore digno quiete: & in hoc continetur, quòd sacrificium cremabatur ad instar thuris, resoluendo in fumales euaporationes. Deinde ab igne, dicendo: *Incensum summo Deo.* Et tertiò à totalitate subiungendo, *holocaustum.* Et quartò, à continuitate: nam in Hebræo subditur: *Holocaustum iugiter in generationibus vestris.* Quintò, à loco: nam subditur: *Ad ostium tabernaculi testimonij*; pro, *tentorij parationis.* Et eiusdem loci dignitatem longè maiorem, quàm ex Ecclesia, manifestat ex parte Dei, subiungendo: *Coram* יהוה. Sextò, ex parte fructus in illo loco: nam subiungitur immediatè:

Qui ero paratus vobis illic ad loquendum tibi ibi.] Duo fructus promittuntur: alter ad instar Principis parati in loco certo ad dandum audientiam: alter iuxta eandem similitudinem ad instar Principis parati ad loquendum ibidem cum Mose. Et cerne differentiam: quoniam relatiuè ad Mosen promittit allocutionem proculdubiò diuinæ reuelationis; relatiuè verò ad Sacerdotes promittit, se duntaxat paratum: pronomen enim, *vobis*, demonstrare Sacerdotes, sequens testatur particula: nam sequitur: *Et ero paratus ibi filiis Israel*, proculdubiò ad exaudiendum vota eorum.

Verſ. 43. Et ſanctificabitur altare in gloria mea.] Non eſt in Hebræo, *altare*; ſed habetur: *Et ſanctificabitur in honore meo.* Ratio redditur decretæ ſanctificationis tabernaculi atrij, & reliquorum omnium, quæ ſuprà dicta ſunt: & propterea impersonaliter dicitur: *Et ſanctificabitur in honore meo.* hoc eſt, ratio futuræ ſanctificationis eſt honor meus. Deinde per partes numerantur ſanctificanda.

Verſ. 44. Et ſanctificabo tentorium parationis,& altare.] Significanter dicit, *ſanctificabo*; ad manifeſtandum, quòd non ſolùm cæremoniæ actionum humanarum concurrent ad ſanctificationem tabernaculi, altaris, Pontificis, & Sacerdotum; ſed diuina actio ſanctificans aderit. Et oportuit hoc reuelari, ne putaremus, huiuſmodi ſanctificationes in humanis tantùm conſiſtere operibus.

Et Aharon, & filios eius ſanctificabo, vt ſacerdotio fungantur mihi. Hanc ſententiam ſi Hæretici [i], negantes conſecrationes Sacerdotum, & negantes Sacramentum Ordinis, librarent, atque perpenderent; viderent, quòd in ſtatu Teſtamenti veteris ſpecialis diuina actio ſanctificans Aharon, & filios eius, ad hoc, vt ſacerdotio fungerentur, affuit: multò ergo magis tempore reuelatæ gratiæ,quando ſanctius eſt ſacerdotium, (ſicut incomparabiliter ſanctior eſt Hoſtia,)ſpecialis diuina actio concurrit ad ſanctificandum aliquos ex Chriſtianis, ad hoc, vt ſacerdotio fungantur. Non fiunt ergo Sacerdotes in Chriſti Eccleſia ſolis humanis cæremoniis; ſed diuina concurrente actione conſecrante eos ad ſacerdotium, vt hæc ſcriptura clarè teſtatur.

[i] In Hæreticos negātes Sacramentum Ordinis,& conſecrationis Sacerdotum.

Verſ. 45. Et habitabo [k] in medio filiorum Iſraël.] More humano loquitur, tanquàm tabernaculum ſit domus in medio filiorum Iſraël: interna tamen habitatio in animis eorum ſignificatur. Vnde in Hebræo habetur: *Et habitabo intra filios Iſrael.* Habitat enim Deus per fidem, & gratiam ſuam in animis noſtris.

[k] Dicebatur in Sanctuario Dominus inhabitare: quia in eo volebat peculiariter inuocari,& coli,gratiæque ſuæ reſponſa dare. Quod Chriſtus expreſſit Matth 23.

Eróque eis Deus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ero eis in* אלהים; hoc eſt, in Iudicem, & gubernatorem: hæc enim omnia promittuntur, tanquàm fructus religionis ſeruandæ his cæremoniis.

Verſ. 46. Et ſcient, quia ego Dominus Deus eorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ſcient, quòd ego* יהוה *Elohe eorum, qui eduxi eos de terra Ægypti, vt habitarem ego intra eos, ego* יהוה *Elohe eorum.* Alius fructus diuini cultus manifeſtatur; videlicet, quòd experimento cognoſcent, me eſſe illum Deum,qui eduxi eos de terra Ægypti ad hunc finem, vt habitarem intra eos; ego, inquam, fons eſſendi gubernator eorum. Et in hoc continetur, quòd beneficia mea, quæ ipſis colentibus me percipient, talia, tantáque erunt, vt experimento cognoſcant, me eſſe ſummum Deum, quem ipſi colent, qui eduxi eos de terra Ægypti, &c.

CAPVT XXX.

Vers. 1. Facies quoque altare ad adolendum thymiama.] Sententia clarè redditur: Hebræi enim vocabulis ſumptis à thure vtuntur, deſcribendo officium huius altaris à thurificatione; cùm tamen, non thus, ſed mixtura quædam aromatica, quam thymiama vocant, cremanda eſſet,ſic vt in fumales euaporationes reſolueretur, quemadmodum thus. Et hoc eſt altare, quod ſuperiùs diximus tacitum à Moſe in conſtructione tabernaculi.

De lignis ſittim.] Ecce materia huius altaris.

Verſ. 2. Habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, id eſt,quadrangulum.] Iuxta Hebræum habetur: *Quadrum erit.* Paruulum ſiquidem altare quatuor laterum æqualium erat, vnius cubiti exiſtente quolibet latere.

Et duos cubitos in altitudine, cornua ex ipſo procedent.] Supputata quantitate pedum,qui erant infixi altari,hoc dicitur. Imò, ſi quis exactè ſubiuncta conſideret altaris nomine tigilli ambientes, & ſuſtentantes intelliguntur, & propterea altitudo deſcribitur duorum cubitorum. Et ſimiliter [a],quòd cornua ex ipſo procedant;hoc eſt, quòd non ſint adiectitia, ſed ex tigillis quatuor angularibus officio pedum fungentibus ſurgant cornua quatuor eminentia ſupra menſam altaris.

[a] Sic ſenſit Eugubinus.

Verſ. 3. Veſtiéſque illud auro puriſſimo;tam craticulam eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Tectum eius,& parietes eius per circumitum,& cornua eius.* Nulla eſt mentio craticulæ; ſed tecti,& parietum eius circuncirca. Vbi, prudens lector, ſi perſpexeris conferendo hæc cum litera de conſtructione altaris holocauſtorum capitulo 27. inuenies manifeſtam diſparitatem penes hæc: nam altare illud, neque parietes, neque tectum habet: hoc autem altare habet tectum, & parietes circuncirca. Vtrunque ergo vacuum erat intùs: ſed illud abſque menſa, & parietibus; iſtud verò cum parietibus, & tecto, hoc eſt, menſa: & omnia lignea cùm eſſent,veſtita ſunt laminis aureis.

Faciéſque ei coronam auream per gyrum.] Iuxta Hebr.habetur: *Et facies ipſi limbũ aureum circuncirca.* Cuius figuræ fuerit limbus iſte, neſcitur; ſola materia cum ſitu in litera ſcribitur: rationi autem conſentaneum eſt, quòd aurificis arte pulcher fuerit.

Verſ. 4. Et duos annulos aureos facies ei ſub corona.]Iuxta Hebr.habetur: *Sub limbo eius,per ſingula latera.* Falſa,& manca eſt litera:nam in Hebr.habetur: *Super duo latera eius facies ſuper duos angulos eius: & erunt domus palis ad portandum ipſum in eis.* Non itaque per ſingula latera,ſed in duobus lateribus; non in quacunque parte laterum, ſed in angulis, in parte ſuperiori, ſub limbo tamen locandi ſunt annuli,quibus immittendi ſunt vectes ad portandum hoc altare.

Verſ. 5. Ipſos quoque vectes facies de lignis ſittim,& inaurabis. *Verſ.* 6 Ponéſq; altare contra velum, quod ante arcam Teſtimonij pendet.]Locus huius altaris deſcribitur à duobus. Primum, quòd ſit in loco

ante

ante velum existens ante thecam; hoc est, diuidēs inter Sanctum, & Sanctum Sanctorū. Erat ergo locandū altare hoc, nō in loco, qui dicitur Sanctum Sanctorū; sed in loco, qui dicitur Sanctum ad faciē veli: sic enim dicitur in Hebræo: *Et dabis ipsum faciebus veli.* Et quia facies veli extendebatur per totam latitudinē tabernaculi; ideò secundò describitur certus situs corā velo, videlicet, è regione Propitiatorij. Ex quibus clarè patet, quòd altare hoc erat corā velo directè ad Propitiatorium; ac per hoc erat in medio latitudinis tabernaculi. Ita quòd Sacerdos incēdens super illud thymiama, ibidémq; orans, faciē suam habebat directè ad Propitiatoriū, intercedente tamen velo. Et à dextris, (vt dictum est,) erat ibidem mensa propositionis; à sinistris verò candelabrum.

Et corā Propitiatorio, quo tegitur testimoniū.] Iuxta Hebr habetur: *Quod super testificationem.* Theca tabularum diuinæ legis, appellatur theca testificationis, & ipsæ tabulæ decem præceptorum appellantur testificatio: quia ad testificandum fœdus inter Deum, & populum datæ, ac reconditæ erant.

Vbi loquar ad te.] Iuxta Hebr. habetur: *Quo ero paratus tibi ibi.* Pluries repetitur, paratū Deum fore in diuersis locis, (modò in Propitiatorio, modò in altari holocaustorum, modò in altari thymiamatis:) ad significandum horum trium specialiter cultum placere Deo.

Vers. 7. Et adolebit incensum super ipsū Aharon suaue fragrans [b].] In Hebr. dūtaxat habetur, ac si diceremus: *Et thurificabit thus aromatum super ipsum Aharon.* Quia non thus, sed mixtū quoddā ex aromatibus cremandum super ipsum erat per modum thuris; ideò tali modo loquēdi vtitur. Et quoniā officium adolendi hoc mixtū erat, & quotidianū, & annuū; ideò priùs tractat quotidianū officium statuēdo, quòd bis in die Aharō, (hoc est, Sacerdos,) cremet super illud altare thymiama; mane, videlicet, & inter vesperas; hoc est, hora sacrificij matutini, & hora sacrificij vespertini. Et infertur huic statuto simile decretū componendi lucernas, ita quòd eisdem horis (mane, scilicet, & inter vesperas) Sacerdotis officiū erat cōponere lucernas candelabri: erat enim candelabrum in eodē loco. Hinc accepit author Epistolæ ad Hebræos, quòd Sacerdotes quotidie introibāt in Sancta, sacrificiorū officia consummantes.

[b] Ex hoc loco intelligitur Zachariæ Patris Ioannis functio, incensum adolentis, quando illi Angelus Domini apparuit.

Vers. 8. Mane, quando cōponet lucernas incendet illud: & quando collocabit eas ad vesperū, vret thymiama sempiternum coram Domino, in generationes vestras.] Nomen est tetragrammaton.

Vers. 9. Non offeretis super ipsum thymiama cōpositionis alterius.] Rectè redditur sententia: quia prohibetur quodcunque odoriferum alienum à prædicto: vnicum enim odoriferum incendendum præcipitur.

Nec oblationem, & victimam, nec libamina libabitis super ipsum.] Holocaustum quodcunque, seu sacrificium prohibetur aliud super idem altare.

Vers. 10. Et deprecabitur Aharon super cornua altaris semel in anno; in sanguine, qui oblatus est pro peccato, placabit super ipsum in generationes vestras.] Transit ad officium anniuersarium super idem altare spectans ad Aharon, (non simplicem Sacerdotem, sed Pontificem,) in die expiationis, qui erat dies decimus Septembris, de quo Leuit. 16. diffusè scribitur.

Sanctum Sanctorū erit Domino.] Nomen est tetragrammaton: & cōmunicatur hoc epithetum huic altari: ad significandum excellentiam sanctitatis eius super omnia, quæ erant in loco, qui dicitur Sanctum.

Vers. 11. Locutúsque est Dominus ad Mosen, dicens [c].] Nomen est tetragrammaton.

[c] Cum ea, quæ suprà de tabernaculo & eius instrumentis, de sacris, & aliis rebus commemorata sunt, ad ordinandam, & conseruandam publicam religionem in Israël, non mediocrē certè sumptum requirerent, vt iuxta verbum Domini perficerentur; docet hîc Dominus Mosen, vnde tantus sumptus accipiendus sit.

Vers. 12. Quando tuleris summā filiorū Israël iuxta numerum.] Statuitur, quid agendum est, quando numeratur populus.

Dabunt singuli pretiū pro animabus suis Domino.] Iuxta Hebr. habetur: *Et dabūt redemptionem animæ suæ* יהוה, *numerando ipsos.* Duo statuuntur: alterū, quòd quilibet redimat animā suā, (hoc est, vitam suā,) offerendo quasi illius pretiū summo Deo: alterum, quòd hæc solutio non differatur; sed fiat tunc, quando fit numeratio.

Et non erit plaga in eis, quum fuerint recensiti.] Ecce fructus redemptionis, & pœna non redemptionis. Quam pœnam experiētia comprobauit tempore Dauidis, quando numerauit populum absque huiusmodi redemptione: secuta est enim pestis, quam hîc comminatus est Deus, vt patet in fine 2. Reg.

Vers. 13. Hoc autē dabit omnis, qui trāsit ad nomen, dimidium sicli iuxta mensuram tēpli. Siclus viginti habet obolos. Media pars sicli offeretur Domino.

Vers. 14. Qui habetur in numero à viginti annis, & suprà, dabit pretium. *Vers.* 15. Diues non addet ad dimidium sicli: & pauper nihil minuet.] Ne intelligeretur, quòd quilibet teneretur ad huiusmodi redēptionem, manifestatur, quòd soli illi, qui trāsierunt ad numeratos, soluere debent: & subiūgitur, quòd isti sunt viri à viginti annis, & suprà. Quod, vt suprà, intelligo vsque ad ætatē emeritæ militiæ, putà quinquagesimum annū: quia sic diffinita est numeratio populi, quando numeratus est à Mose populus Num. 1. Et ætas quidem emeritæ militiæ ibi clarè habetur: ad quinquaginta verò annos definita ætas illa non legitur in litera, quamuis Authore Iosepho dicatur: *Quantitas autem pretij decernitur media pars sicli offerenda* יהוה.

Vers. 16. Susceptámq; pecuniam.] Ante hæc verba desunt multæ dictiones; videlicet, *ad dandū eleuationem* יהוה *ad propitiandū super animas vestras.* Et explicatur per hanc sententiā, quòd redemptio ista datur, vt sit eleuatio sūmo Deo, hoc est, vt sit oblatio eleuata coram sūmo Deo, eo modo, quo oblationes eleuabātur manibus corā Deo ante altare: debebat enim pecunia hæc à Sacerdotibus eleuari corā Deo, & hoc ad intercedendū, vt Deus sit propitius animabus populi. Vnde & subditur iuxta Hebrēū: *Et accipies argentū propitiationū* [d] *à filiis Israël.* Nonnulli tamē legunt *expiationū*, alij *veniarū.* Sensus tamē in idē redit: significatur enim pecunia illa oblata Deo pro propitiatione diuina erga eos.

[d] Sentiunt Hebræi, hanc dimidij sicli pensionem non semel tantùm, sed singulis annis in propitiationis testō à singulis Israëlitis factā esse: nam consuetum erat, sæpiùs numerare populum: vt gratia illum multiplicandi, tam mirabiliter Patriarchis promissa, fidem augeret.

Et trades ipsum in vsum tentorij parationis, vt sit monimentum eorum corā Domino, & propitietur animabus eorū.] Nomen est tetragrāmaton. Pecunia hæc cedēs in vsus tabernaculi diuini, tanquàm continua recordatio erat apud Deum, vt propitius esset

populo suo: loquitur enim Deus de seipso, more humano, ad similitudinem Principis, cuius memoria excitatur ex iis, quæ gerũtur corã eo.

Vers. 17. Locutúsque est Dominus ad Mosen dicens.] Nomen est tetragrãmaton.

Vers. 18. Facies & labium æneum cum basi sua ad lauandum.] Iuxta Hebr. habetur: *Concham aneã, & basim eius aneã ad lauandum.*

Et pones illam inter tentorium parationis, & altare.] Concha hæc in spatio inter tabernaculum, & altare holocaustorum erat.

Et pones in ea aquam.

Vers. 19. Et lauabunt in ea Aharon, & filij eius.] Iuxta Hebr. habetur: *Et lauabunt Aharon, & filij eius de ipsa manus suas, & pedes suos.* Non ergo in ipsa concha, sed ex ipsa lauabant manus, & pedes Pontifex, & Sacerdotes. Modus autem non est aliter scriptus: sed hinc insinuatur, quòd per fistulam, quæ claudi poterat, & aperiri, fluebat ex concha aqua ad abluendum manus, & pedes.

Vers. 20. Quando ingressuri sunt tentorium parationis.] Desunt multæ dictiones: nam in Hebræo subditur: *Lauabũt aquis, & non morientur.* Pœna ergo mortis incurrebatur, omittendo ablutionem manuum, & pedum, & ingrediendo tabernaculum.

Et quando accessuri sunt ad altare, vt offerant in eo thymiama Domino.] Iuxta Hebr. habetur, vel appropinquando ad altare ad seruiendum, ad faciendum thurificare incensum יהוה. Coniunctio disiunctiua testatur, quòd de altari holocaustorum est sermo: nam sub ingressu in tabernaculum continentur seruitia, quę pertinent ad altare thymiamatis, & candelabri, & mensæ propositionis. Hæc igitur, quæ disiunguntur ab ingressu in tabernaculum, ad altare, quod erat extra tabernaculum, referuntur; in quo holocausta, & quę per modum holocausti offerebantur, ad instar thuris incendebantur summo Deo. Ex quibus elicitur, quòd nudis pedibus sacrificabant Sacerdotes in altari holocaustorum, & ministrabant in tabernaculo: ad hoc enim lauabantur eorum pedes. Placuisse siquidem Deo tale venerationis genus, apparet ex eo, quòd Mosi, quum primùm apparuit in rubo, mandauit, vt denudaret pedes suos propter sanctitatem loci. Sed cerne mutationem: nam totum oppositum fit in nouo Testamento: Pontifex enim ille tecto capite, nudis verò pedibus sacrificabat, noster verò Pontifex nudo capite; calceatus autem non solùm pedes, sed tibias, sacrificat.

Vers. 21. Ne fortè moriantur.] Non est in Hebræo, *fortè*, sed repetitur: *Et lauabunt manus, & pedes suos; & non morientur.* Eadem enim pœna definitur relatiuè ad altare holocaustorum, quæ definita fuerat relatiuè ad ingressum tabernaculi.

Legitimum sempiternum [e] erit ipsi, & semini eius per successiones eorum.

[e] *Legitimum sempiternum* tunc, hoc est, cęremonia perpetua.

Vers. 22. Locutúsque est Dominus ad Mosen dicens.] Nomen est tetragrammatõ.

Vers. 23. Sume tibi aromata primæ myrrhæ & electæ.] Iuxta Hebr. habetur: Capitis myrrhæ mundæ quingentos siclos.

Et cinnamomi.] Iuxta Hebr. habetur: *Et cinnamon aromatis.*

Dimidium eius, ducentos & quinquaginta siclos, & calami ducẽtos quinquaginta; *Vers.* 24. & casiæ quingentos siclos in pondere Sanctuarij, & olei oliuæ mẽsuram hin. *Vers.* 25. Faciésque vnctionis oleum sanctum, vnguentum compositũ opere vnguẽtarij: *Vers.* 26. & vnges ex eo tentorium parationis, & arcam testimonij, *Vers.* 27. mensámque cũ vasis suis, candelabrũ, & vtensilia eius, altaria thymiamatis, *Vers.* 28. & holocausti, & vniuersam supellectilem, quę ad cultum eorum pertinet. *Vers.* 29. Sanctificabísque omnia, & erunt Sancta Sanctorum.] Si toties repetitũ hoc epitheton perpenditur, apparebit, ideò communicatum, quia illa, quibus communicatur, habent quandam vim sanctificandi alia: vt, quemadmodum altare sanctificat oblata super ipsum; ita hæc omnia sanctificent ea, quibus adhibentur, & quæ eis adhibentur: concha enim sanctificabat aquam, & sic de aliis: propterea subditur:

Omne tangens ea sanctificabitur.] Et dicitur hoc, ne aliquis præsumat vti vasis, & instrumentis istis, & contentis in eis, imò tactis ab eis ad profanos vsus.

Vers. 30. Aharon, & filios eius vnges, sanctificabísque eos, vt sacerdotio fungantur mihi. *Vers.* 31. Filiis quoque Israël dices: Hoc oleum vnctionis sanctũ erit mihi in generationes vestras. *Vers.* 32. Caro hominis non vngetur ex eo, & iuxta compositionem eius non facietis aliud: quia sanctificatum est, & sanctum erit vobis. *Vers.* 33. Homo quicunque tale composuerit, & qui ex eo dederit alieno, exterminabitur de populo suo [f].] Non solùm prohibetur eiusdem rationis vnguentum fieri; sed etiam factum dari cuicunque extraneo. Alienum autem hîc intellige, non Sacerdotem.

[f] Adiuncta est hæc pœna, ne sacra profanarentur, & ministerium ecclesiasticum vilesceret.

Vers. 34. Dixítque Dominus ad Mosen.] Nomen est tetragrammaton.

Sume tibi aromata, stacten, & onychan, galbanum boni odoris, & thus lucidissimum: æqualis ponderis erunt omnia. *Vers.* 35. Faciésque thymiama compositum opere vnguentarij, mixtum diligenter, & purum, & sanctificatione dignissimum.] Nomen, *thymiama*, appropriatũ est huic mixto odorifero, cremando per modum thuris super altare internum.

Vers. 36. Cumque in tenuissimum puluerem omnia contuderis, pones ex eo coram testimonio in tentorio parationis.] Non spectat hoc ad opus aromatarij; sed Sacerdos instruitur, quomodo vti debet thymiamate iam composito; vt, scilicet, vtatur eo priùs tuso, & subtili reddito. Instruitur enim, vt non thymiama grossum, sed comminutum, & in tenues particulas redactum Sacerdos incendat super altare. Nihilque dicitur de puluere, sed tantùm de contusione, & tenuitate, vt statim euaporatio fieret.

In loco, quo apparebo tibi.] Iuxta Hebr. habetur: *Quo ego paratus tibi illic.* Sæpè hoc repetitur ad imprimendum mentibus humanis magnitudinem tanti beneficij.

Sanctum Sanctorum erit vobis thymiama. *Vers.* 37. Talem compositionem non facietis in vsus vestros: quia sanctũ est Domino. *Vers.* 38. Homo quicunque fecerit simile, vt odore illius perfruatur; peribit de populis suis.

CAPVT

CAPVT XXXI.

Vers. 1. Locutúsque est Dominus ad Mosen dicens.] Nomen est tetragrammaton.

Vers. 2. Ecce, vocaui ex nomine.] Parui refert, quod iuxta Hebræum habetur: *Vide, vocaui in nomine.* Monet Deus Mosen, quòd ipse vocauit ad opus tabernaculi, &c. Nominauit pro principali artifice istum, ne quæstio oriretur super hoc.

Besalel, filium Vri, filij Cur, de Tribu Iehudæ.] Iosephus hunc descendisse ex Miriam, sorore Mosis, affirmat: eò quòd intelligit, Vri, patrem Besalel, fuisse filium Chur, & Miriam.

Vers. 3. Et impleui eum spiritu Dei.] Iuxta Hebræum habetur: *Spiritu Elohim*; hoc est, spiritu diuini iudicij, vt diuinus archifaber sit in huiusmodi operibus.

Sapientia, intelligentia, & scientia in omni opere, *Vers.* 4. ad excogitandum fabrè, quicquid fieri poterit ex auro, & argento, & ære, *Vers.* 5. marmore, & gemmis[a].] Iuxta Hebræum habetur: *Et in fabrefactione lapidis ad implendum.* Et est sermo de gemmis, quæ per modum impletionis alligantur.

[a] Quia pretiosi lapides auro inserti pro auri valore crescunt in genuina virtute, vt tradunt Philosophi.

Et in diuersitate lignorum. *Vers.* 6. Et ego ecce dedi ei socium Ahaliah, filium Achisamac de Tribu Dan: & in corde hominis eruditi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et in corde omnis sapientis corde.*

Dedi sapientiam.] Propter reliquos cooperarios subiunctum hoc est, ad significandum, quòd non istis duobus solis; sed omnibus aliis benè eruditis in huiusmodi artibus ipse Deus dedit scientiam: & propterea subditur.

Et facient omnia, quæ præcepi tibi: *Vers.* 7. tentorium parationis, & arcam testimonij, & propitiatorium, quod super eam est, & cuncta vasa tentorij, *Vers.* 8. mensámque & vasa eius, candelabrum purissimum cum vasis suis, & altaria thymiamatis, *Vers.* 9. & holocausti, & omnia vasa eorum, labium cum basi sua, *Vers.* 10. vestes sanctas & ministerij Aharon Sacerdoti, & filiis eius, vt fungantur officio suo in sacris, *Vers.* 11. oleum vnctionis, & thymiama aromatum in Sanctuario. Omnia, quæ præcepi tibi, facient. *Vers.* 12. Et locutus est Dominus ad Mosen dicens.] Nomen est tetragrammaton.

Vers. 13. Loquere filiis Israël: & dices ad eos: Videte, vt Sabbathum meum custodiatis.] Iuxta Hebræum habetur: *Tantùm Sabbatha mea custodietis.* Attende, prudens lector, quòd præcepta cæremonialia per Mosen populo data à Deo, vt ex supradictis patet, non obligabant vsque ad ingressum terræ promissionis. Et quia sanctificatio Sabbathi præceptum erat cæremoniale, excipit Deus hoc præceptum ab aliis cæremonialibus, decernendo, vt hoc ex tunc executioni mandetur: & propterea significantiùs dicit: *Tantùm Sabbatha mea custodietis.* ac si apertiùs dixisset: Inter cæremonialia præcepta exigo, & nunc duntaxat, custodiam Sabbathorum. Nec intelligo de Sabbathis omnium festiuitatum; sed tantùm de Sabbathis septimo quoque die: nunquam enim legitur, tempore, quo fuerunt in deserto, celebrata fuisse festa instituta, nec nisi semel immolatum fuisse Pascha: sed Sabbathum fuisse seruatum in deserto, patet Num. 14. vbi narratur, collectorem lignorum die Sabbathi fuisse pro sacrilegio lapidatum.

Quia signum est inter me, & vos, in generationibus vestris, vt sciatis, quòd ego Dominus, qui sanctifico vos.] Nota primam rationem Sabbathi: *Quia signum est ad sciendum, quod ego* יהוה *sanctifico vos.* Hoc est: Quia dedi vobis Sabbathum in signum, quo cognosceretis, me esse sanctificatorem vestri; ideò sanctificaui diem septimum, vt sanctificatio temporis duceret vos in cognitionem, quòd ego fons essendi sanctifico vos. Hæc est enim prima ratio institutionis dierum festorum, vt ex dicato Deo tempore à Deo, credamus, multò magis nosipsos dicari Deo abipso Deo: sanctificatio enim temporis est propter sanctitatem hominis, vt finem; & non è conuerso.

Vers. 14. Custodite Sabbathum meū[b]: sanctum enim est vobis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et custodietis Sabbathum: quia sanctum ipsum vobis.* Secunda ratio relatiuè ad vtilitatem hominis sumitur. Prima siquidem relatiuè ad nostrum intellectum; hæc autem relatiuè ad voluntaria opera consideratur: nam ex eo, quòd Sabbathum sanctum est; hoc est, mundum est ab hominum operibus; vtpote, in quo diuinis duntaxat vacandum est. *Sanctum* autem *vobis*, hoc est, ad vestrum bonum, mandatur custodiendum.

[b] Hæc ratio institutionis Sabbathi repetitur posteà in Ezechiele c. 2.

Qui polluerit illud, morte moriatur.] Apponitur pœna polluenti Sabbathum. Et ne sit quæstio de illis, quibus polluitur, subiungitur:

Quia omnis faciens in eo opus, excidetur anima illius de medio populi sui.] Vt intelligamus, quòd Sabbathum polluitur operibus, quamuis aliàs licitis. Et hoc intellige de operibus seruilibus.

Vers. 15. Sex diebus facietis opus: in die septimo Sabbathum est requies sancta Domino: omnis, qui fecerit opus in hac die, morietur[c].] Tertia ratio Sabbathi redditur relatiuè ad Deum: ex eo enim, quòd requies ab operibus hominum die septimo non quacunque ratione fit; sed, quia dicatur יהוה; ideò celebrandum est Sabbathum die septimo. Et repetitur pœna mortis operanti in die septimo: tum, vt arctiùs imprimatur mentibus populi seruare hoc præceptum: tum, vt intelligant, quòd vtrinque (hoc est, ex parte boni eorum, & ex parte honoris diuini) decernitur pœna mortis.

[c] Quòd tam seuerè Sabbathi solennitatem olim exegit Dominus, vt hoc loco, & passim legitur, in causa fuisse puto, quòd in illo legem populus discere deberet, & iidem alere.

Vers. 16. Custodiant filij Israël Sabbathum: & celebrent illud in generationibus suis. Pactum est sempiternum *Vers.* 17. inter me, & filios Israël.] Nihil refert, vtrùm clausula hæc seorsum legatur, vel sit pars præcedentis sententiæ legendo: *Et custodient filij Israël Sabbathum, ad faciendum Sabbathum generationibus suis pactum perpetuum.* Nam, secundùm vtranque lectionem,

quarta

quarta ratio Sabbathi significatur pactum inter Deum, & filios Israël. Secunda tamen lectio iuxta Hebraïcum, adiungit vtilitatem seruandi Sabbathum, quæ est reddere succedentibus generationibus requiem ipsam diuino pacto debitam. Et in hoc significatur eminentia huius cæremonialis præcepti respectu reliquorum cæremonialium: quia hoc duntaxat contentum est in fœdere inter Deum, & filios Israël. Et est sermo de fœdere, quod ipse Deus, tanquam ore proprio, pepigit cum populo, dando illi decem præcepta. Illud enim propriè est, & appellatur pactum inter Deum, & filios Israël: & perspicuum est, nullius cæremonialis mentionem in eo fieri, nisi Sabbathi. Est itaque sensus huius quartæ rationis, quòd seruando Sabbathum, efficient in succedentibus generationibus pactum inter Deum, & filios Israël viuidum semper.

Signumque perpetuum: sex enim diebus Dominus fecit[d] cælum, & terram; & in septimo ab omni opere cessauit.] Iuxta Hebræum habetur: *Signum ipsum in sempiternum, quod sex diebus fecit Iehouah cælos & terram; & in die septimo vacauit, & requieuit.* Quinta ratio Sabbathi redditur ex eo, quòd est signum rememoratiuum creationis mundi, descriptæ per sex dies, ita quòd septimo quieuit Deus à nouis creaturis condendis.

[d] Hic maximè probatur, non omnia simul creata.

Vers. 18. Dedit quoque Dominus Mosi completis huiuscemodi sermonibus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dedit Mosi, sicut finire eius ad loquendum cum ipso in monte Sinai.* Et ideò attulerim, ne fiat vis in verbis Interpretis: clarè enim sonat Hebraïca Litera, quòd in fine sermonis (proculdubiò præcitati) dedit has tabulas. Quòd autem dicit: *Sicut finire eius.* aduerbium, *sicut*, non est nota similitudinis; sed iuxta vsitatum vulgare est nota temporis: est enim sensus, quòd finiendo sermonem postremò dedit Mosi has tabulas.

Duas tabulas testimonij.] Parui refert, quòd Hebraïcè dicitur haberi, *testificationis.* Appellantur tabulæ decem præceptorum, *tabulæ testificationis*, ab officio testificandi: quia datæ sunt ad testificandum iugiter populo, quòd Deus ore proprio præcepit illa.

Lapides[e].] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Tabulas lapidis.* Phrasis enim Hebraïca huiusmodi repetitionibus gaudet. Nec explicatur species lapidis; quamuis Hebræi dicant, lapidem sapphirinum fuisse.

Scriptas digito Dei[f].] Iuxta Hebræum habetur nomen אלהים. Et aptè tabulæ legis scriptæ dicuntur digito summi legislatoris, tanquàm manu propria non subscripserit; sed scripserit ipse summus Iudex hæc decem præcepta. Et meminit digiti: quia digitis scribimus: more enim humano de Deo loquitur.

[e] Sicut olim gentes fœderum leges in saxo, aut ære incidebant, vt significarent, eas debere inuiolatas esse: ita nonnulli dicunt, Deum Decalogum suum in lapides sculpsisse, vt declararet, se potius cælum, & terram abolitur[um], quàm legem suam.

[f] *Digito Dei*, idem est ac ore Dei, non ab homine, sed Angelorum ministerio.

CAPVT XXXII.

VERS. 1.

VIdit autem populus, quòd moram fecit descendendi de monte Moses[a].] Nescitur, quantùm temporis significetur per hanc moram: ex subiunctis tamen colligitur, quòd non paruo tempore ante descensum Mosis tumultus iste fuerit: nam intercessit non solùm collectio auri; sed etiam tempus conflandi vitulum aureum: & certum est, huiusmodi opus multo tempore egere.

[a] Quanto tempore populus expectauit Mosen, 23 c. Leuitici dicemus.

Congregatus aduersùs Aharon.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit congregatus populus super Aharon.* Quamuis Moses ascensurus in montem subrogauerit loco sui Aharon, & Chur: quia tamen Aharon erat præcipuus; ideò ad Aharon concurrerunt. Nec dicitur, quòd totus populus; sed, quòd populus congregatus est. Popularis concursus significatur, quamuis non de consensu omnium. Nec dicitur aduersùs, sed super Aharon: ad insinuandum, quòd tanquàm superiores proculdubiò potentia concurrerunt ad Aharon.

Et dixerunt ad eum: Surge, fac nobis Deos[b], qui nos præcedant.] Ex verbo, *surge*, insinuatur, quòd matutinus fuit hic concursus: tanquàm Aharon adhuc iacentem excitauerint, dicendo: *Surge, & fac nobis* אלהים. Et hinc quoque apparet, quòd אלהים nomen erat commune vero Deo, & quibuscunque aliis, qui colebantur, vt Deus. Nec petunt fieri plures Deos dicendo, *Elohim*, in numero plurali; sed vsitato loquendi modo Deum numero plurali significant. Et hinc testimonium habes rationis redditæ in principio Genesis, quare Moses nominat verum Deum *Elohim* in numero plurali. Et dicunt: *Qui nos præcedant*, manifestando se confidere in idolo, tanquàm in duce, & gubernatore exercitus, ac populi.

[b] Licèt nonnulli hoc loco intelligant, Israëlitas solùm petiuisse publica sacra illis institui, quæ nomine Elohim aliquado in Scripturis intelliguntur; crediderim tamē eos cultum vituli, quem in Ægypto habuerant, hic voluisse reuocare, quo furore nil potest excogitari portentosius, vt prætermisso Deo viuo, qui præsentiam suam paulò antè illis tam luculenter declarauerat, idolis suis iam potius fiderent.

Mosi enim, huic viro, qui eduxit nos de terra Ægypti, ignoramus, quid acciderit ei.] Rationem reddunt petitionis suæ ignorantiam eius, quod accidit Mosi. In quibus verbis manifestant, se nihili pendere Deum, nullam Dei rationem habere; sed Mosis duntaxat: aiunt enim, quòd Moses eduxit eos de Ægypto, pro nihilo habentes tot diuina miracula in illa eductione: & quia nesciunt, quid acciderit Mosi, pro nihilo habent, quod Deus ore proprio ipsis audientibus mandauerit, non fieri idola, non adorari alium Deum. Deum itaque sensibilem fieri exigunt, posthabito Deo, qui de cælis locutus est.

Vers. 2. Dixitque ad eos Aharon: Tollite inaures aureas.] Poterat Aharon petere aurum aliud ab illo, quod erat formatum in aures; sed quærens cautè diuertere furorem populi, proposuit hoc difficile. Quod & difficilius reddidit dicendo:

Ex auribus vxorum, filiorúmque, & filiarum vestrarum: & afferte ad me.] Vt dissensio domestica in domo qualibet orirerur, reluctantibus mulieribus, & pueris.

Vers. 3. Fecitque populus.] Iuxta Hebræum habetur: *Totus populus, quod iusserat, deferens inaures ad Aharon.* Ecce augmentum mali. Priùs populus congregatus est furens, deinde totus populus dedit inaures deferendas ad Aharon. Nec in Hebræo habetur, quod iusserat: sed simplex executio scribitur.

Vers. 4. Quas cùm ille accepisset.] Iuxta Hebræum habetur: *Et accepit è manu eorum* (Aharon, scilicet) *inaures aureas.*

Formauit opere fusorio.] Iuxta Hebræū dupliciter legitur hæc litera: *Et formauit illud*

illud in stylo. vel, *Ligauit illud in crumena.* Si prima admittitur lectio, non facilè patet sensus: quia non apparet, ad quid opus fuerit stylo exercendo ad formandum aurum, quod, vt subiungitur, fundendum erat. Potest tamen dici, quòd figurauit stylo aurum; non in ipso auro, sed in forma, seu exemplo ipsius fundendi. Si verò altera admittitur lectio, significatur, quòd vniuersas inaures ligauit in vase vno, tanquàm sigillans illas publicè in crumena: ad tollendam suspicionem omnis furti, fraudis, vsurpationis, & exemptionis: vt certus esset populus, quòd omnes inaures pariter ad faciendum Deum eorum funderentur. Et quia hic actus quadrat negotio fundendi inaures collectas omnes, & literam non torquet; sed plano sensu currit; ideò hæc secunda lectio amplectenda videtur: æquiuocæ enim sunt istæ dictiones apud Hebræos: & liberum est vtranlibet eligere lectionem.

Et fecit ex eis vitulum conflatilem.] Nihil refert, quòd Hebraïcè habetur, non ex eis, sed illud, proculdubiò aurum. Non fuit itaque vitulus sculptus stylo, sed fusoria arte conflatus: & in hoc apparet, multo fuisse opus tempore ad faciendum hunc vitulum: oportuit enim priùs facere formam, & reliqua necessaria ad fundendum aurum, & formandum ipsum in figuram vituli. Et si notaueris verbum, *fecit*, perpendes, quòd ex industria Aharon fecit figuram vituli; & fabellam esse, quòd diabolico opere formatus fuerit vitulus; de ipso enim Aharon dicitur: *Et fecit vitulum fusilem.* Intellige tamen, *fecit*, per artificem.

Dixeruntque.] Communis vox de vitulo iam fuso significatur.

Hi sunt Dij tui, Israël.] Iuxta Hebræum habetur: *Isti Elohe tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Vide stultitiam. Nunc nouiter facto vitulo attribuunt præteritum beneficium eductionis de Ægypto: volunt vitulum agnosci, & coli, vt Deum benefactorem etiam præteriti beneficij.

Vers. 5. Quod cùm vidisset Aharon, ædificauit altare coram eo.] Aharon primatum nolens perdere, ædificat altare coram vitulo, non expectans rogari: sed statim vt vidit vitulum, primus ædificauit illi altare ad sacrificandum ei.

Et præconis voce clamauit dicens: Cras solennitas Domini est[c].] Iuxta Hebræum habetur: *Et clamauit Aharon, & dixit: Festum Iehouah cras.* Non meretur tanta blasphemia Aharon excusationem, quam alios secuti apposuimus, circa petitionem inaurium: sed potiùs meretur, vt pro honore futuri idoli petierit inaures aureas ex vxoribus, filiis, & filiabus. Insaniuit enim ipse longè magis, quàm alij: nam alij non nisi *Elohim*, & *Elohe* (quæ sunt nomina communia) attribuerunt idolo: ipse autem incommunicabile, & ineffabile nomen tetragrammaton attribuit idolo, nullo ad hoc instigante: &, quod peius est, voce publica. Scriptum est autem hoc, quemadmodum & peccatum Petri in nouo Testamento, (quod tamen Petri peccatum fuit longè minus,) ad commendationem diuinæ gratiæ, quæ post tantum scelus Aharon assumpsit ad pontificatum. Et vide studium Aharon ad accelerandum sacrificium. Vt vidit vitulum, ædificauit altare: & clamauit: Cras festum vitulo, tanquàm summo Deo. Non poterat festum citiùs indici. Ecce quò ducit ambitio principatus.

c Aharon in hac vituli conflatione manifestissimè peccasse constat Deuter. 9. c.

Vers. 6. Surgentésque mane.] Iuxta Hebræum significatur, quòd matutini surrexerunt: vt intelligamus, quàm prompti fuerint.

Obtulerunt holocausta, & hostias pacificas[d]: & sedit populus manducare, & bibere.] Proculdubiò pro solennitate idoli.

d Gétes olim in idolorum suorum festiuitatibus, pro more sacrificiorum publica conuiuia, & solénes ludos celebrasse hoc loco manifestè vides, passimque in Scripturis reperies in profanis verò historiis illud manifestissimum est, nullæ vnquam celebratæ festiuitates, citra saltationem.

Et surrexerunt ludere.] Iuxta Hebræum habetur: *Et surrexerunt ad illudendum.* Ecce fructus idololatriæ. Qualis Deus, talis & fructus cultus eius: leuitatibus irrisionum vacant, ex illo cultu surgentes.

Vers. 7. Locutus est autem Dominus ad Mosen.] Nomen est tetragrammaton. Postquàm dedit Deus tabulas Mosi, reuelauit ei peccatum populi. An autem reuelatio ista fuerit facta, descendente iam Mose cum tabulis; an antequàm inciperet descendere; certum non est. Supradictis tamen in calce præcedentis capituli magis quadrat, vt postquàm incepisset descendere, Deus hæc ei reuelauerit: nam ibidem dicitur, quòd Deus finiendo sermonem ad Mosen dedit ei tabulas scriptas. Innuitur enim, quòd tunc acceptis tabulis inceperit descendere, (vtpote, diuino eloquio finito,) & in via Deus dixerit ei hæc.

Vade, & descende.] Non est in Hebræo coniunctio copulatiua: sed habetur: *Vade, descende: quia diruit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti.* Ironicè dici: *Vade, descende*, subiuncta testantur. Loquitur enim Deus humano more ad Mosen lætum euntem, & descendentem cum tabulis, dicendo: Vade, descende: quia diruit populus tuus, quicquid boni erat in eis. significando: Ne eas, ne descendas, quemadmodum is, & descendis: quia totum oppositum reperies in populo: destruxit enim quicquid boni constructum erat in eis. Significanter autem dicit, *populus tuus*, (hoc est, tam dilectus à te,) ad cumulum criminis: vt etiam in ipsum Mosen peccasse significetur.

Vers. 8. Recesserunt citò de via, quam ostendisti eis.] Iuxta Hebræum habetur: *Quam præcepi eis.* Declarat in specie peccatum populi, tum à contempto se præceptore ore proprio, tum à celeritate contemptus.

Feceruntque sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt eum: atque immolantes ei hostias, dixerunt: Isti sunt Dij tui.] Iuxta Hebræum habetur: *Elohe tui, Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Sic enim communiter dixerunt.

Vers. 9. Rursúmque ait Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit* יהוה *ad Mosen.* Distinctio ista sermonis diuini innuit, quòd Moses audito tanto scelere populi ingemuit, ratione diuinæ iniuriæ, & mali in populo.

Cerno, quòd populus iste duræ ceruicis[e] sit.] Iuxta Hebræum habetur: *Vidi populum istum: & ecce populus duræ ceruicis ipse.* Potest intelligi de visione, vt sonat; hoc est, vt humano more Deus dicat, quòd diligentiùs consideraui, non audiendo, sed videndo corda, & opera populi huius, & sese offert populum

e Populus duræ ceruicis, perinde est, ac homines praui, iniqui, duri, & imperſuasibiles, quales profectò Israëlitæ semper in deserto se exhibuerunt, quos nec inaudita illa portenta, &

prodigia, quæ in salutem ipsorum facta viderant, in fide erga Deum; nec horrende adeo rebellionis suæ vltiones, quas identidem experiebatur in timore, nec tam incomparabilis Mosi mansuetudo, & infinitus pro eis, fidúsque labor, in officio erga ipsum retinere poterant. Vnde meritò hoc conuitium in lege, & Prophetis illis identidem obiectum est, & à Christo passim in Euangelio.

lum duræ ceruicis; hoc est, populum non cedentem præceptis meis, qui non emollitur tot beneficiis. Potest & intelligi de visione visitationis, vt Deus dicat, se visitasse populum istum tanta multitudine beneficiorum, cum tot manifestis miraculis; & ipse sese offert duræ ceruicis; hoc est, inflexibilem ad obediendum mihi, ad agnoscendum me benefactorem. Et assimilatur conditio populi duræ ceruici; ad insinuandum, quòd, quanuis aliquando quasi violentia beneficij coactus subiiciat caput mihi; citò tamen, tanquàm dura ceruix, redit in statum suæ duritiæ, in statum erecti contra me capitis.

Vers. 10. Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nunc dimitte me, & irascetur furor meus in eos, & destruam eos, faciámque te in gentem magnam.* Nisi Moses meritis, & precibus, tanquàm detinens diuinæ iustitiæ executionem, fuisset, non dixisset Deus: *Nunc dimitte me, & irascetur furor meus.* Peccata populi merebantur, vt Deus tunc deleret eos: merita autem, & preces Mosis merebantur, vt non tunc delerentur: & propterea Scriptura vtrunque dicit, & vim precum Mosis, dicendo: *Et nunc dimitte me.* & meritum populi, dicendo: *Et irascetur*, &c.

Vers. 11. Moses autem orabat Dominum Deum suum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et orauit Moses faciem* יהוה *Elohe sui dicens.* Conditiones orationis huius describuntur: tum dicendo, *faciem*; significatur enim magna mentis eleuatio, tanquàm vsque ad faciem Dei: tum dicendo, *Elohe sui*; magna enim describitur fiducia orantis, tanquàm confidenter supplicantis gubernatorem Deum summum. Iunguntur autem hæc duo diuina nomina יהוה & *Elohe*, ad insinuandum, quòd ad ipsum fontem essendi, ac per hoc fontem omnis gratiæ, salua iustitia eius, recurrit: non enim petit aduersùs iustitiam diuinam; sed vt non tunc fiat punitio, quam populus meretur: quod salua iustitia misericorditer fieri poterat [f].

f Exstupenda videtur profectò populi huius peruicacia, quòd idolum sibi extruere non timuerit; cum tamen gloria Domini in ignis, & nubis specie, in vertice montis sederit, vt superius dictũ est cap. 2. Nam non putandum, nubẽ illam, & Domini maiestatem in mõtis vertice hoc tempore non stetisse: nã sic fuisset visus Moses in montis iugo, cùm mons non procul esset à castris.

Cur, Domine, irascitur.] Iuxta Hebræum habetur: *Vt quid Iehouah irascetur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti in fortitudine magna, & in manu robusta.* Ex euentu malo, qui sequeretur huiusmodi executionem iustitiæ, delendo populum, supplicat dicendo: Vt quid; seu, Quare.

Vers. 12. Ne, quæso, dicant Ægyptij.] Iuxta Hebræum repetitur: *Vt quid dicent Ægyptij.* Ecce euentus malus; blasphemia, videlicet, Dei in ore Ægyptiorum, quæ verè caret bono fine.

Callidè eduxit eos.] Peiùs sonant Hebraïca:

In malo (seu malitia) *eduxit eos*, ad occidendum eos in montibus & ad delendum eos de terra.] Futura vox Ægyptiorum aduersùs Deum, si tunc deleret populum, recitatur.

Quiescat ira tua.] Iuxta Hebræum habetur: *Reuertere ab ira furoris tui: & esto placabilis super nequitia populi tui.* Quia Deus dixerat: *Dimitte me nunc.* tanquàm progrediens ad vindictam; ideò Moses supplicat, vt ad euitandam blasphemiam reuertatur ab ira furoris inchoata ex parte meritorum populi.

Vers. 13. Recordare Abraham, Ishac, & Israël seruorum tuorum: quibus iurasti per temetipsum dicens: Multiplicabo semen vestrum, sicut stellas cæli: & vniuersam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro; & possidebis eam semper.] Primùm supplicauit ex parte diuini honoris: modò supplicat ex parte diuinæ veracitatis: & è regione peccati populi proponit merita Patriarcharum, Abrahæ, Ishac, & Iahacob.

Vers. 14. Placatúsque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersùs populum suum.] Nulla in Deo mutatio significatur: sed, quòd reuelauerat se facturum non simpliciter, sed secundùm merita populi, reuelat absque omni sui mutatione, se non facturum simpliciter propter honorem suum, propter verificandas promissiones factas Patribus, propter preces Mosis, propter merita Patriarcharum.

Vers. 15. Et reuersus est Moses.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vertit se, & descendit Moses de monte.* Hinc elicitur, quòd Moses descendendo de monte, citatus à Deo, vertit se versùs montis cacumen; & in tali situ audiuit Deum, & supplicauit Deo, tanquàm Deus supra montis cacumen loqueretur, & audiret. Ad insinuandum enim, quòd Moses aspiciens versùs montis cacumen orauerat, scriptum est: *Et vertit se, & descendit de monte.*

Portans duas tabulas testimonij in manu sua, scriptas ex vtraque parte, *Vers.* 16. & factas opere Domini: scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis.] Iuxta Hebræum habetur vtrobique nomen אלהים: ita quòd & tabulæ dicuntur opus אלהים, & scriptura dicitur scriptura אלהים. Significatur enim Deus artifex tabularum, & scriptor, non calamo, sed scalpello: nam subiungitur, quòd scriptura erat sculpta. Et vtrunque opus attribuitur Deo, quatenus est Iudex: vt nihil humani operis, sed totum Dei sit; & ex integro officium Dei legislatoris, non solùm scribendo leges, sed etiam conficiendo legis tabulas significetur: scripta sunt enim hæc, ad manifestandum, quòd nihil cooperatus est Moses ad huiusmodi tabulas.

Vers. 17. Audiens autem Iehosuah tumultum populi vociferantis, dixit ad Mosen: Vlulatus pugnæ auditur in castris.] Hinc clarè apparet, quod Iehosuah non est reuersus in castra; sed expectauit Mosen quadraginta diebus, in parte illa montis, in qua substiterat. Qualiter autem interim vixerit, nescitur.

Vers. 18. Qui respondit: Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam: sed vocem cantantium ego audio.] Dixerat Iehosuah vocem bellicam; respondet Moses, non esse vocem bellicam fortiorum in bello, nec esse vocem bellicam debiliorum in bello, (ac per hoc negat omnem vocem bellicam;) sed esse vocem canentium. Et rectè audiuit: quoniam subiungitur, quòd posteà vidit vitulum, & choros ducentium choreas: quod non fit sine cantu.

Vers. 19.

Vers. 19. Cùmque appropinquasset ad castra, vidit vitulum, & choros: iratúsque valdè [g], proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis.] In pœnam populi, vtpote indigni beneficio diuinarum tabularum.

g Cùm sola ea ira, quę cum charitate pugnat, damnanda sit, immeritò hoc Mosis factum reprehendemus, cùm nullo malo affectu motus id egerit: sed, sicut pater peccanti filio irasci solet, & conuitiari. Quomodo & Christum iratum Iudæis legimus, ac sæpè grauiter quoque conuitiatum; cùm tamen nihil nisi charitas ipsa irasceretur, & conuitiaretur.

Vers. 20. Arripiénsque vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem.] Iuxta Hebræum explicatur modus contritionis: *Et moluit vsque ad tenue.* Proculdubiò puluis aureus significatur.

Quam sparsit in aquam.] Clariùs sonant Hebræa: *Et sparsit super facies aquarum: & dedit ex ea potum filiis Israël.* Significatur enim, quòd in ipsa actione, qua pocula sumebantur ad potandum, spargebatur modicum pulueris super aquam: si enim diutiùs puluis in aqua mansisset, non fuisset in superficie: & consequenter non fuisset bibitus. Quorsum autem Moses potauerit populum huiusmodi potione, perspicuum non est: Scriptura enim tacet finem. Suapte autem natura potus [h] iste fuit annihilatiuus idoli, ita vt nullæ manerent illius reliquiæ.

h Hoc ideò factum putarem à Mose, ne nimia superstitione ad impietatem abuterentur Israëlitæ, putantes non esse illis licitũ illius aquæ potum ob idoli pulueres in aquam sparsos.

Vers. 21. Dixitque ad Aharon: Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum.] Iuxta Hebræum habetur: *Quod fecisti venire super ipsum peccatum magnum?* Hinc apparet, quòd Moses nouerat Aharon fuisse causam talis idololatriæ.

Vers. 22. Cui ille respondit: Ne indignetur dominus meus.] Iuxta Hebræum plùs habetur: *Non irascetur furor domini mei.* Timentis sunt verba.

Tu enim nosti populum istum, quòd pronus sit ad malum.] Iuxta Hebræum habetur: *Quòd in malo ipse.* Et est sensus, quòd ipse populus est subiectus malis dispositionibus regnantibus in eo.

Dixerunt mihi: *Vers.* 23. Fac nobis Deos, qui præcedant nos [i]: huic enim Mosi, qui nos eduxit de terra Ægypti, nescimus, quid acciderit. *Vers.* 24. Quibus ego dixi: quis vestrûm habet aurum? & tulerunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Cui aurum, amouete.* Breuissimè refert petitionem inaurium. Dictio enim interpretata, *amouete*, extractionem sonat inaurium. Deinde sequitur:

i Hanc excusationem sic accipio, vt illud solum in ea prætendat Aharon, quòd nõ nisi incitatus à populo peccauerit.

Et dederunt mihi: & proieci illud in ignem, & exiuit vitulus iste.] Substantia facti narratur, tacito modo faciendi. Iecerat siquidem aurum in ignem; sed arte, & modo fundendi: & exiuit vitulus ex tali materia, & opere; eo modò, quo artificialia exeunt ex materia, & arte: fatetur enim Aharon peccatum suum.

Vers. 25. Videns ergo Moses populum, quòd esset nudatus; spoliauerat enim eum Aharon in ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat [k].] Iuxta Hebræum coniunctione copulatiua continuatur litera: *Et vidit Moses populum, quod discoopertus ipse: quia discooperuit ipsum Aharon ignominiæ in insurrectoribus eorum.* Et est casus datiui, *ignominiæ*: & dictio interpretata, *ignominiæ*, æquiuoca est ad ignominiam, vel modicum; ita quòd potest legi: *Quia nudauerat ipsum Aharon modico in insurrectoribus eorum.* Sententia obscura est. Effectus tamen subsecutus (videlicet, quòd hæc nuditas populi inuitauit Mosen ad adiungendum sibi quosdam, vt armati discurrerent, & occiderent,) insinuat, populum fuisse nudatum armis: & quòd Aharon, morante Mose in monte, abstulerat arma à populo, ad hoc, vt improbi inter eos proni ad insurgendum aduersùs alios, haberent modicam vim carendo armis. Vel ad ignominiam huiusmodi insurgentium abstulit arma à toto populo. Vel ad ignominiam cohibendam, quæ ab huiusmodi insurgentibus inferebatur aliis, abstulit arma ab vniuerso populo: quadrat enim nuditas armorum, tum contextui, tum rationi, ne absente Mose scandala oriantur in populo.

k Licèt hunc locum variè interpretentur Doctores; sensum tamen Authoris de veris armis amplector: multa enim hic tacita puto, quæ in eo negotio acciderint. Crediderim enim, quòd cùm multi Deos ab Aharon peterẽt, alios Israëlitas veri Dei cultores è contrario restitisse: vnde seditio in populo nõ modica fortè exorta est, vt penè ad arma deuentum sit: cui dissensioni consulens Aharon, vtrosque armis spoliauit, vt vix hosti superuenienti resistere potuissent. Quod autem subditur, *in ignominiam sordis*, hoc est, in idololatriæ odium intelligas. sicut enim armillas petiit, vt populum ab idololatria abstraheret; ita crescẽte tumultu crediderim arma periuisse.

Vers. 26. Et stans in porta castrorum ait.] Per præteritum continuatur. Quum dixisset: *Et vidit Moses*, subiungit: *Et stetit Moses in porta castrorum, & dixit.* Et meminit portæ: quia castra munita erant, tanquàm ciuitas: & porta castrorũ erat tãquã porta ciuitatis, in qua antiquitùs erat pręclarior ciuitatis locus, in quo residebant Primates conferendo & iudicando.

Si quis est Domini, iungatur mecum.] Nomen est tetragrammaton.

Congregatíque sunt ad eum omnes filij Leui. Quibus ait: *Vers.* 27. Hæc dicit Dominus Deus Israël.] Solita sunt nomina: *Sic dixit Iehouah Elohe Israel.* Interpres sæpè mutat aduerbium, *sic*, in pronomen, *hæc*.

Ponat vir gladium super femur suum.] Arma sublata à populo, apud Aharon seruabantur: & propterea in promptu fuerunt ad armandum Leuitas.

Ite, & redite de porta vsque ad portã, per medium castrorum: & occidat vnusquisque fratrem & amicum, & proximũ suum.] Iuxta Hebræum habetur: *Socium, & propinquum* (seu vicinũ) *suum.* Attende, prudens lector, quòd nõ committitur istis, vt ingrediantur tentoria, quæ erant velut domus; sed, quòd per vias [l] publicas eant, & redeãt de porta vsque ad portã; (hoc est, per vniuersas vias publicas;) & occidãt, non habita ratione fraternitatis, societatis, aut propinquitatis. Per quæ insinuatur, quòd occurrẽtes quosque interficerent. Et quoniã Deo iubente factũ scribitur, nõ est quęrendum, an innocẽs aliquis occisus fuerit: Deus enim ipse, qui mãdauit sic fieri, cũcta rectè disponit. Et iuxta hunc sensũ nõ restat locus quęstioni, quomodo verificatur, quòd Leuitę interfecerint fratres suos, cùm Leuitę omnes iunxerint se Mosi, & fuerint interfectores: non enim est sensus mandati, vt quisque interficiat fratrẽ; sed, quòd non habeat rationẽ fraternitatis in occurrẽtibus viris. Et fraternitatis nomine vniuersam, tã consanguinitatẽ, quàm affinitatẽ comprehendi testatur alia duo vincula; videlicet, societatis, & viciniæ: sub his enim tribus vinculis omnium necessitudinum vincula comprehendi dubium non est. Hunc autem esse sensum literalem, perspicuum fit ex eo, quòd alioquin non fuissent occidendi occurrentes illi, qui nec fratres, nec socij, nec vicini fuissent discurrentium; quod est ridiculum. Mandat ergo omnes occurrentes occidi, nullius necessitudinis ratione habita. Et cum huius mandati executione stat, quòd nullus occisus fuerit frater, nullúsque socius, nullúsque vicinus, si nullus horum occurrerit in via.

l Cum soli illi, qui in vicis reperirẽtur, iuberentur occidi, vt notat Author; coniectura ducor, quòd impij homines illi, qui Deos Aharoni petierunt, cùm viderent contritum suum vitulum, ac pulueres eius in torrentẽ sparsos, magna ira aduersùs Mosen moti, cõciliabula faciebant, publicè impietatem suam armis defendere parati, ac idoli sui cultum tueri. Moses verò animaduertens seditiosissimam illorum impudentiam, eosque impietatem violenter sustentare paratos, tunc dixerit: *Si quis est Domini, iungatur mecum*, hoc est: Qui Deum vult sequi, mecum iũgatur. Non iam increpatione, vt fecerat; sed gladio agendum iudicãs aduersùs seditiosos, quos in conciliabulis rebellare tentantes inuenirent.

Vers. 28. Feceruntque filij Leui iuxta sermonem

ſermonem Moſis: cecideruntque in die illo quaſi vigintitria millia hominum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et cecidit è populo in die illa, ſicut tria millia viri.* Et eſt caſus genitiui, *viri.* Ita ad verbum habetur. Corrupta eſt itaque Litera vulgatæ editionis in numero vigintitrium millium: nam Hebraïca Litera nec integrum trium millium numerum affirmat; ſed cum aduerbio, *ſicut.*

Verſ. 29. Et ait Moſes.] Non dicit quibus: vt intelligamus hæc ſubiuncta verba fuiſſe dicta à Moſe Leuitis ſimul cum anteſcriptis.

Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Conſecrate manus veſtras hodie Iehouah.* Non eſt præteriti temporis, ſed Imperatiuum in Hebræo. Et hinc manifeſtum fit, quòd verba iſta nō fuerunt dicta poſt occiſionem, ſed antè: ſed Moſes more ſuo priùs narrat factum, & deinde rationem illius. Continent enim hæc verba rationem diſcurrendi, & occidendi: adhortantis enim ſunt, & manifeſtantis, quòd interfectio hæc erit tanquàm conſecratio manuum eorum ſummo Deo.

Vnuſquiſque in filio, & in fratre ſuo, vt detur vobis benedictio.] Iuxta Hebræū habetur: *Quia vir in filio ſuo, & in fratre ſuo, & ad dandum ſuper vos hodie benedictionem.* Mutila ſententia, ac per hoc obſcura eſt. Nō poteſt intelligi, quòd quilibet cōſecret manū ſuā occidendo proprium filium: quandoquidem omnes interfectores erant Leuitæ, & omnes Leuitæ iunxerant ſe Moſi: nullus ergo filius Leuitarum poterat occurrere occidendus. Aduerſatur itaque verbis Scripturæ ſenſus iſte. Non itaque ſubintelligitur repeti, *conſecrate:* ſed ad initium benedictionis ſubiunctæ ſpectant hæc prima verba. Et eſt ſenſus: Quia vnuſquiſque in filio ſuo, & in fratre ſuo erit per hanc actionem conſecratus, hoc eſt, dicatus Deo. Et vltra hoc, erit actus iſte meritorius ad dandum ſuper vos hodie benedictionem; hoc eſt, vt Deus hodie vobis benedicat. Duo itaque bona Leuitis promittit ex hac actione; & quòd filij, ac fratres eorum erunt etiam conſecrati Deo; & quòd ſuper eos omnes dabitur à Deo benedictio: ita quòd pronomen, *vos*, demonſtrat Leuitas illos, & filios, & fratres eorum. Et meminit filiorum: quia minores non concurrebāt ad hanc interfectionem, eò quòd eſſent pueri. Fratrū quoque, quia multi Leuitarū manſerunt cum Moſe, ſiue propter ætatē ſenilem, ſiue ad cuſtodiam. Vos, inquit, euntes conſecrate manus veſtras hac actione: quia non ſolùm vos; ſed & filij, & fratres veſtri erūt hinc conſecrati; & ſuper vos omnes dabit Deus benedictionem. Et vtrunque impletum fuit: quia Tribus tota Leuitica dicata eſt Deo: & benedictionem habuit decimarum, primitiarum, oblationum, &c.

Verſ. 30. Facto autem die altero, locutus eſt Moſes ad populum: Peccaſtis peccatum maximum: aſcendam ad Dominum.] Nomen eſt tetragrammaton. Nota hunc aſcenſum, proculdubiò in montem, vt ſubiuncta reuerſio reſtatur. Nota autem propter ſcripta Deut. 19.

Si quomodo quiuero eum deprecari pro ſcelere veſtro.] Iuxta Hebræum habetur: *Fortè faciam condonare peccatum veſtrum.* Non audet Moſes promittere impetrationem veniæ: ſicut nec impetrauit abſolutè.

Verſ. 31. Reuerſuſque ad Dominum ait.] Nomen eſt tetragrammaton: & fuit reuerſio ad montis cacumen.

Obſecro.] Non eſt verbum, ſed interiectio obſecrantis.

Peccauit populus iſte peccatum maximum: feceruntque ſibi Deos aureos.] Iuxta Hebræum habetur: *Elohe auri.* Quod iam expoſitum eſt.

Aut dimitte eis hanc noxam, *Verſ.* 32. aut ſi non facis, dele me de libro [m] tuo, quem ſcripſiſti.] Metaphorico ſermone appellat librum, ordinem definitum à Deo de agendis. Et eſt ſermo de libro principatus in hoc mundo. Nam, tanquàm liber apud Deum eſt, decretum, quòd iſti, & illi principentur in hac vita. Et quia dixerat Deus Moſi: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus cōtra populum: te autem faciam in gentem magnam.* intellexerat Moſes, Deum ſcripſiſſe ipſum in libro principatus: ex hoc, quòd etiamſi deſtrueretur populus ille; Deus nihilominùs conſtitueret ipſum Principem ſuper gentem magnam. Ideò petit, quòd, aut condonet peccatum hoc, aut deleat ipſum de libro principatus: ſignificans per hoc, quòd non vult eſſe Princeps alterius gentis, ſi gens iſta conſumitur.

[m] Textus ipſe innuere videtur, librū non metaphoricè hic ſumi, ſed pro illo, de quo ſæpius mētio eſt in Scripturis, in quo electi ſcripti ſunt. De quo, vt nonnulli dicunt, cum Moſes vit Dei expungi peteret, eſt ea petitio, tanquā abſurda, à Deo reiecta. Sed hoc non accepto, dicerē potius, illa verba per hyperbolen dixiſſe Moſen.

Verſ. 33. Cui reſpondit Dominus.] Nomen eſt tetragrammaton.

Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.] Incipit reſponſio diuina ab vltimo: declarando, quòd non vult delere eum à libro principatus, eò quòd deletio à principatu fit propter peccatum illius, qui deſcriptus erat Princeps: tu autem non peccaſti. Et intellige deletionem, quemadmodum & librum, metaphoricè. Significatur autē per huiuſmodi ſimilitudinem, quòd peccatum alicuius decreti in Principem meretur, vt non ſit Princeps: & ponit obicem executioni, qua fieret, vel conſeruaretur Princeps. Hoc enim impedimentum ſignificatur per metaphoram deletionis.

Verſ. 34. Tu autem vade.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nunc vade, & duc populum, quò locutus ſum tibi.* Reſpondet quoad veniam, quòd pro nunc non delebit populum; ſed concedit, vt ipſe Moſes ducat populum in locum aliàs dictum; hoc eſt, in terram Chananæorum. Sed Deus more hominis minùs placati non nominat locum; ſed dicit: *Quem dixi tibi.*

Angelus meus præcedet te.] Deficit: *Ecce.* Et hoc minoris eſt placationis: nam ſenſus eſt: Ecce Angelus meus, deputatus à me, ad præcedendum te. Et hoc latet, quod poſteà explicabitur, videlicet, quòd non præcedam ego, ſed Angelus meus.

Ego autem in die vltionis [n] viſitabo & hoc peccatum eorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et in die viſitandi viſitabo ſuper eos peccatum eorum.* Quanuis modò abſtineam à deletione eorum; tempore tamen viſitationis puniam eos. Non eſt nobis notum tempus iſtud viſitandi: quoniam ſecundùm diuini iudicij rationes decernuntur tempora viſitationum pœnalium.

[n] Dies ille, in quo puniti ſunt, dies fuit vltionis.

Verſ. 35. Percuſſit ergo Dominus populū pro reatu vituli, quē fecit Aharō.] Iuxta

Iuxta Hebræum habetur: *Et percussit Iehouah populum, super quod fecerunt vitulum, quem fecit Aharon.* Qualis fuerit ista percussio, & quando, non est scriptum: & narratur crimen, tam populi, quàm Aharon: punitio autem Aharon non narratur; quia Moses impetrauit illi vitam, vt ipse testatur Deuter. c. 9.

CAPVT XXXIII.

VERS. 1. LOcutúsque est Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et locutus est* יהוה *ad Mosen, dicens.* Discretio ista sermonis diuini ad eundem Mosen in monte perseuerantē cum Deo, innuit, quòd Moses audita sententia diuina, quæ scripta est in præcedenti capitulo, intelligens, Deum, partim placatum, & partim iratum, perseuerauit supplicando ad impetrandum plùs clementiæ: & quòd orante Mose, iterum Deus allocutus cum fuerit clementiùs, dicendo subiuncta:

Vade, ascende [a] de loco isto.] Priùs tanquàm adhuc iratus in genere dixerat: Vade, duc populū, quò dixi tibi. Modò tanquàm magis placatus, dicit in specie: *Ascende:* (ascēdendo enim itur à deserto ad terrā promissionis.)

a Sic dicitur descendisse Abraham in Ægyptum, Genesis 12. & 13. & 46.

Tu, & populus tuus.] Superfluit, *tuus.* Priùs dixerat, duc populum: modò clementior erga populum, dicit, vt ipse populus cum Mose ascendat.

Quem eduxisti de terra Ægypti.] Ratio tangitur clementiæ: quia promiserat Moses populo in Ægypto educere eum ad hoc, vt possideret terram promissionis.

In terram, quam iuraui Abraham, Ishac, & Iahacob, dicens: Semini tuo dabo eam.] Priùs dixerat: Quò dixi tibi. Modò explicat terram, & rationem clementiæ ex parte diuinæ veritatis, (quia iurauerat;) & ex parte meritorum Abrahæ, Ishac, & Iahacob.

Vers. 2. Et mittam præcursorem tui Angelum.] Parui refert, quòd in Hebræo habetur: *Et mittam faciebus tuis Angelum.* Perseuerare se manifestat Deus in hac punitione, quòd non vult ipse præcedere, sed mittere Angelum suum antecedentem eos.

Vt eiiciam.] Corrupta est litera. Legendum est: *Et eiiciam Chenanæum, & Emorræum, & Hithæum, & Perizæum, & Hiuæum, & Iebusæum.*

Vers. 3. Et intrabis in terram fluentem lacte & melle.] Prius promiserat Angelum antecedentem: sed nihil dixerat de eiectione hostium: modò adiungit, quòd eiiciet gentes illas habitantes terram promissam.

Non enim ascendam tecum [b].] Iuxta Hebræum habetur: *Quia non ascendam in intra te.* Ecce explicatur, quòd latebat, mittendo Angelū. Idem autem significatur dicendo: *In intra te.* quod Latinè dicitur ab Interpretibus, *in medio tui.* Lege, prudēs lector, calcē capituli 29. & inuenies, non semel Deum dicere, se habitaturū in medio filiorum Israël. Promittit enim ibi, quòd ratione tabernaculi habitabit in medio filiorū Israël, & erit eis in Deum: & dicit, quòd ideò eduxit eos de terra Ægypti, vt habitaret in medio eorū. Ex illis enim intellectus huius Literæ pendet. Reuocat siquidē Deus, quod alias promiserat; videlicet, quòd habitaret intra populū Israël, intercedētibus officiis tabernaculi, quod in medio eorū locandum erat. Intelligo itaque, quòd Deus placatus est quoad beneficiū columnæ nubis, & ignis, in officio Dei antecedendi populū, & quoad beneficium eiectionis hostiū, & terræ promissionis: non placatus autē quoad beneficiū decreti tabernaculi, & sacerdotij in medio illorū. Angelus in colūna præibat: & ipse Deus in tabernaculo paratū se fore promisit millies. Et vtitur vocabulo *ascensus:* quia ad literam loquitur de corporali populi ascensu in terram promissionis: manifestando, quòd cum ascendente populo non ascendam, tanquàm inter ipsos existens, modo, quo promiseram; scilicet, paratus in tabernaculo ad audiendum, & respondendum.

b In his verbis reuocabat Dominus beneficium sacerdotij promissi, & tabernaculi, in quo promiserat, se habitaturum. Quod ex eo constat: nam Deus hic præcipiebat, vt ascenderēt, & mouerent castra, tabernaculo nondum instituto.

Quia populus duræ ceruicis est.] Iuxta Hebræum dirigitur sermo diuinus ad populum: *Quia populus duræ ceruicis tu.* Reddit enim Deus rationem ex conditione mala populi, quare non vult ire inter eos.

Ne fortè disperdam te in via.] Alteram reddit rationem: prima enim ex parte culpę, seu culpabilis conditionis, hæc autem ex parte pœnæ se tenet. Et dicit, *fortè*, non dubitādo ex parte sui; sed propter liberum arbitrium populi sub dubio ponitur euentus deuorationis: habetur enim in Hebræo: *Ne quando deuorem te in via.* proculdubiò recidiuante te ob duram tuam ceruicem. Vide clementiam Dei. Ideò negat se iturum inter eos, ne eis noceat. Negatio ergo ista, quamuis iusta; ad beneuolentiam tamen erga populum spectat.

Vers. 4. Audiénsque populus sermonē hunc pessimum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et audiuit populus verbum malum istud.* Hinc in primis habetur, quòd Moses de monte rursus descenderit, & retulerit populo sententiam Dei. Deinde habetur, quòd quamuis multæ clementiæ verba diuina essent; quia tamen Deus negabat affuturam præsentiam suam, malum simpliciter, & absolutè habitum est verbum istud, vtpote negans præcipuum bonum, diuinam, videlicet, præsentiam inter eos.

Et luxit: & nullus ex more indutus est cultu suo [c].] Interna tristitia in luctu; externa verò in abdicatione exterioris ornatus in propriis personis significatur. Intus enim, & extra statum pœnitentiæ assumpserunt.

c Iudæorum humiliatio, seu publica pœnitentia ita habebat, vt non à cibo tātùm, sed in totum ab omnibus corporis deliciis, quanto tempore ea suscepta erat, abstinerent, luctui toti, fletibus, & precationibus indulgentes inde plerunque, vt afflictionem & dolorem testarentur, scindebant vestes, induebantur saccis, obuincebāt caput, aspergebantur cinere, siue puluere, & ingrediebantur incuruati: qualia & Ethnicos, dum luctui indulgerent, fecisse scribit Lucianus de luctu.

Vers. 5. Dixitque Dominus ad Mosen.] Nomen est tetragrammaton. Et hoc intelligo dictum, quum Moses esset in monte; sed nunc commemoratum, ad declarandū rationē depositi ornatus, tam prædicti, quàm subiungendi.

Loquere filiis Israël. Populus durę ceruicis es: semel ascendam in medio tui, & delebo te.] Iuxta Hebræū habetur: *Momento vno ascendā in intra te, & consumā te.* Declaratio est eius, quod dixerat: *Ne quādo deuorē te in via.* Prædicit enim illis, quòd ipsi tam proni sunt ad contēptū Dei, vt si Deus cū ipsis ascēdētibus in terrā promissionis ascēderet inter eos, paruissimo tēpore (tanquā momēto vno) perseueraret hic ascēsus: quoniam statim ipsi contemnerent Deū, quasi in faciē eius; & Deus cōsumeret eos. Iste enim euentus prænunciatur dicendo: *Momento vno ascendam in intra te, & finiam te.*

Iam nunc depone ornatum tuum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nūc fac descendere*

ornatum tuum de supra te. Ornatum personalem spontanei deposuerunt; ornatum auté, qui erat in loco supra eos, iubētur deponere. Quòd enim hîc sermo sit de ornatu loci superioris, insinuant verba mandati: *Fac descendere.* & rursus: *de supra te.* Quis autem esset locus iste superior, manifestatur in subiuncta executione.

Vt sciam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et sciam, quid faciam tibi.* Metaphoricus est sermo. Loquitur enim Deus more hominis nouiter cognoscentis ex nouis factis, quid faciendū sit. Est enim sensus: Vt ad instar cognoscētis ex factis, sciam ex operibus tuis, quæ facies, quid boni, vel mali faciam tibi. Et manifestat Deus per hunc modū loquendi, quòd faciet eis secūdum opera eorum sequentia: prouocat enim eos ad pœnitentiam: & tanquàm suspensus expectans pœnitentiam eorum dicit: Deponite ornatum, tanquàm indigni ornare locum meum: & sciam consequenter, iuxta pœnitentiam vestram, quid boni, vel mali, faciam vobis.

Vers. 6. Deposuerunt ergo filij Israël ornatum suum [d] à monte Oreb.] Iuxta Hebræum habetur: *Et deposuerunt filij Israël ornatum suum de monte Choreb.* Ecce locus superior, qui, vtpote mons Dei, ornatus fuerat à filiis Israël. Renuit enim Deus perseuerantiam huius ornatus propter commissum crimen in eum.

[d] Nullæ sunt cæremoniæ à Deo institutæ, si rectè perpēderis, quibus iuuentus ad pietatem non erudiatur. Vnde hi lugentium ritus ea ratione sunt instituti, vt cum interrogarent parentes filij, quid sibi vellet insolitus ille habitus, responderent, maiores populi peccasse, & Dominum iratū esse, ac in eos missurum supplicia, nisi homines resipiscerent.

Vers. 7. Moses quoque tollens tentorium, tetendit extra castra procul: vocauitque nomen eius tentorium parationis.] Aduerte; iterum dico, aduerte, prudens lector, totam hanc literam de hoc tentorio aliter haberi in Hebræo, & aliter translatam. Nam Hebraïcè omnia verba sunt futuri temporis: translata autem sunt præteriti temporis. Quo fit, vt totum, quod Hebraïcè significatur, vt diuinum præceptum, ab Interpretibus significetur factum: ac per hoc diuinum statutum versum est in historiam, témque gestam: quum tamen nullibi legatur, decretum hoc fuisse executioni mandatum; quia Deus placatus reuocauit illud. Ad literam itaque recitatur mandatum diuinum consonum antedictis: dixerat enim, quòd non vult ire intra eos: consequenter mandat, tentorium suum locari extra eos longè à castris eorum: & priuat Aharon sacerdotio, mandando, quòd, Iehosuah sit in tentorio. Manifestátque, quòd ibi alloquetur Mosen: & venerabitur à populo descendente columna nubis ad portam tentorij. Iuxta Hebræum itaque habetur: *Et Moses accipiet tentorium.* Continuantur verba hæc Dei cum antedictis: *Et sciam, quid faciam tibi.* Verba enim illa sunt Dei ad populum per Mosen dicenda, & simul hæc subiungenda per eundem Mosen ad populum: Vt cognoscat populus se priuatum diuina præsentia intra eos. Et non dicit, *faciet*; sed, *tollet Moses tentorium:* vt hinc intelligamus reuocare Deum tot & talia quæ ordinauerat circa tabernaculum faciendum; & decernere, quòd Moses non faciat; sed tollat factum tentorium: in quo fortè consueuerat Moses concilia celebrare, & residere pro tribunali. Ex eo enim, quòd non dicit: Tollet tentorium suum, aut Dei, consequens est, vt intelligatur de tentorio communi.

Et tendet illud extra castra, procul à castris, & vocabit illud tentorium parationis.] Vel, vt aliis placet, adunationis, seu ecclesiæ. Dictio enim Hebraïca propriè quidem significat præparationem; verùm limitatam ad adunandum. Et hoc sit etiam dictum pro suprà scriptis, & inferiùs scribendis. Et nomen tabernaculo imponēdum nominat Deus: & est idem nomen, quo nominatum est sæpè decretum illud tabernaculum Dei. Et hinc etiam elicitur, quòd non est hîc sermo de illo tabernaculo priùs decreto: nam illi hoc nomen iam impositum erat.

Et erit, omnis quærens Iehouah, exibit ad tentorium [e] adunationis, quod extra castra.] Et ratio redditur nominis, & dignitas significatur tabernaculi, vt sit tanquàm templum Dei: & priuata manifestantur castra templo Dei in ipsis.

[e] Hoc tētorium, cuius hîc fit mentio, ante erectionem veri tabernaculi factum est, fuitque ad tempus constructum, vt in eo Moses vocē Dei exciperet, & causas forenses cognosceret, donec aliud exigeretur. De hac re vide Exodi 40. & Num. 2.

Vers. 8. Et erit exeunte Mose ad tentorium.] De exitu Mosis ex castris ad tentorium est sermo. Habitabat enim Moses in castris cum aliis; & disponit Deus, quid agendum sit à populo, quando Moses è castris egredietur iturus ad tentorium ecclesiæ.

Surgent omnis populus, & stabunt in porta tentorij sui: & respicient post Mosen, vsquequò ibit ad tentorium.] Ecce officium populi, eunte Mose, vt non sequantur ipsum; sed stent in ostiis tentoriorum suorum, respicientes euntem illum.

Vers. 9. Et erit, veniente Mose ad tentorium, descendet columna nubis, & stabit ad ostium tentorij, & loquetur cum Mose.] Promittit Deus in signo visibili columnæ nubis se affuturum extra castra ad loquendum cum Mose in ostio tentorij.

Vers. 10. Et videbit omnis populus columnam nubis stantem ad ostium tentorij: & surget vniuersus populus, & adorabunt vnusquisque ad ostium tentorij sui.] Ecce officium populi relatiuè ad Deum apparentem in columna nubis. Videbunt quidem columnam, sed non illam, sed Deum in illa præsentem, quem non videbunt, adorabunt. Ecce quàm procul extra castra promittitur præsentia diuina.

Vers. 11. Et loquetur יהוה ad Mosen facie ad faciem, sicut loquitur vir ad socium suum. Non dicit: Et videbitur Iehouah facie ad faciem. (hoc enim negat Deus in subiunctis:) sed dicit: *Et loquetur facie ad faciem.* Stat enim, loqui facie ad faciem; &, non videri faciem loquentis: vt patet de colloquentibus in tenebris. Loquens enim Deus facie ad faciem, non manifestat seipsum, nisi sermone; nec percipitur, nisi per modum auditus: si autem facies eius videretur, intelligeretur per modū intuitus, & videretur sicuti est. Et ne in dubium vertatur, quid significatur per loqui facie ad faciem, subiungitur explicatio: *Sicut vir ad socium suum.* ergo Deum loqui facie ad faciem, est, Deum loqui familiariter: sic enim vir loquitur socio suo. Et hoc ad differentiam locutionis diuinæ ad populum. Nam populo locutus est non familiariter, sed cum maiestate, quando dedit decem præcepta. Nec dicitur, quòd Moses loquetur Deo, sicut vir socio suo: quia, licèt Deus familiarem se exhibeat colloquendo; Moses tamen cum omni humilitate, & reuerentia auditurus erat, & locuturus.

Et reuertetur ad castra.] Duo hinc habentur:

tur : & quòd Moses habitaturus erat in castris, & non extra castra in tentorio adunationis , & quòd populus tandiu adorans perseueraret, quandiu duraturum erat colloquium inter Deum,& Mosen:finito enim colloquio diuino reuersurus dicitur ad castra Moses.

Et seruitorem suum Iehosuah, filium Nun, puerum [f], non faciet recedere de intra tentorium.] Quia isti duo duntaxat, Moses, & Iehosuah , immunes manifestè fuerant à peccato populi ; ideò Deus hos duos tantùm admittendos censet ad tentorium Ecclesiæ. Et in hoc manifestat,se excludere Aharon , & filios eius;imò & reuocare , quicquid disposuerat de ministris tabernaculi. Et appellatur Iehosuah , *puer* , à qualitate innocentiæ, qualis est in pueris : non enim ætate erat puer, qui fuerat dux belli in prælio contra Hamalecitas:sed & eius innocentia tangitur ratio,quare eligitur;& manifestatio innocentiæ insinuatur dicendo : *Seruitorem suum*. Fuerat enim in monte tanquàm minister Mosis expectans eum , quando populus fecit vitulum conflatilem : hinc enim notoria erat eius innocentia. Et hîc finitur supradicta literæ varietas. Redeamus ergo ad textum vulgatæ editionis, cognita ordinatione diuina,qualiter de cætero tractaturus erat illos quoad cultum quasi templi,& quasi habitationem ipsius Dei.

f Vocat Hebraïsmus *pueros* , ministros quosque, etiãsi senes sint,vt Iosue 6 & alibi sæpè:hic tamẽ crediderim, *puerum* pro innocente accipi , vt in Isaia : *Ecce ego, & pueri , quos dedit mihi Dominus.*

Vers. 12. Dixit autem Moses ad Dominum.] Nomen est tetragrammaton. Prænarratus sermo diuinus , recitatúsque à Mose coram populo,vt prædiximus,reuelatus fuit Mosi in monte , ad significandum populo huiusmodi priuationes , & modum de cætero diuini cultus : hæc autem , quæ subiungitur oratio Mosis post dictam recitationem , facta est etiã in monte , antequàm Moses rediret ad populum. Sed hîc narrantur , & scribuntur secundùm ordinem effectuum. Reuelatum enim intelligimus Mosi , quòd Deus etiam has priuationes remitteret ; sed ordine quodam;scilicet, populo priùs audiente diuinam sententiam, & pœnitentiam agente. Et propterea priùs narratur pœnitentia populi cum diuina sententia: & deinde supplicatio Mosis , quæ coram Deo præcesserat, sed secundùm effectum subsecuta est populi pœnitentiam. Et ratio orandi fuit: quia, nec Mosi, nec populo quies erat , audita huiusmodi Dei sententia : & propterea , tanquàm populo perseuerante in pœnitentia, Moses supplicauit , vt Deus ampliore gratia vteretur.

Præcipis , vt educam.] Iuxta Hebræum habetur : *Vide*. Non audet Moses inchoare orationem à petitione effectus concupiti , sed petendo,*vide*:hoc est,ad instar meditantis confer,ac libra, quæ subiungo : *Tu dicens mihi:Fac ascendere populum istum , & tu non fecisti scire me,quem mittes mecum.* Duo hæc in primis libranda proponit,tanquàm minùs sibi inuicem cohæreant. Dixerat enim Deus , quòd mittet Angelum suum ante eum , sed non manifestauerat,quem Angelum missurus esset:& proptereà Moses verum proponit , intendens per hæc proponere , quòd gratia non est perfecta. Et rationabiliter proponit : quia consueuerunt Principes manifestare duci exercitus , quem eum eo mittent.

Præsertim cùm dixeris: Noui [g] te ex nomine , & inuenisti gratiam coram me.] Iuxta Hebræum habetur : *Et tu dixisti: Noui te in nomine , & etiam inuenisti gratiam in oculis meis.* Postquàm proposuit mandata non perfecta, proponit reuelata valdè perfecta de ipso Mose. Alterum : *Noui te in nomine*.hoc est , approbaui te nominatim ; hoc est , secundùm propria tibi : & hoc ad differentiam populi, quem nouerat Deus,non in proprio populi nomine, sed nominibus Abrahæ,Ishac,& Iahacob;hoc est, non propriis ; sed alienis meritis. Significatur enim per hoc Moses tanta præditus virtute , vt propriis meritis approbetur , etiamsi non esset filius Abrahæ , Ishac, & Iahacob. Hoc enim significatur , dicendo : *In nomine*(proculdubiò tuo)*noui te*.& etiam dixisti mihi : *Inuenisti gratiam in oculis meis.* More enim humanorum Principum describitur, quòd Moses erat tam gratiosus coram Deo, vt impetraret etiam gratias pro aliis , quemadmodum gratiosi apud Principes mundi huius. Quorsum autem hæc reuelata proponit,manifestat subiungendo:

g Dicũt Hebræi verbum , *noui* , magnam præ se ferre diuinæ maiestatis dignationem, id quod & hoc dicto dicitur : *Priusquam te formarem, noui te*, &c. Et alibi: *Non noui vos, discedite a me.*

Vers. 13. Si ergo inueni gratiam [h] in conspectu tuo , ostende [i] mihi faciem tuam.] Iuxta Hebræum habetur : *Nunc si obsecro , inueni gratiam in oculis tuis , fac scire me nunc viam tuam.* Vide disparitatem literæ : in vulgata editione petit : *Ostende mihi faciem tuam.* iuxta Hebraïcam autem veritatem petit : Fac me scire nunc viam tuam. Non petit: Fac , vt sciam , quem missurus es mecum. sed longè plùs petit : intelligebat siquidem Moses , quòd istæ ordinationes antedictæ de Angelo mittendo , de tabernaculo extra castra locando , &c. erant secundùm merita populi, erant secundùm præsentem iustitiam, & ignorabat, quid Deus disposuerit simpliciter, & absolutè : & hoc cupiebat scire ; & hoc petit, dicendo : *Fac me scire viam tuam.* Ac si apertiùs dixisset:intelligo viam,seu ordinem, quem disposuisti secundùm merita nostra. Supplico,vt sciam viam,hoc est, ordinem,quem disposuisti secundùm te. Ordinem enim gubernandi populum, appellat viam. Et quia alius erat ordo gubernationis relatiuè ad merita, alius relatiuè ad diffinitionem diuinam absolutè , & iste appellatur à Mose,*via tua*, (vtpote à te solo pendens , non nostris respondens meritis ;) ideò hunc ordinem petit scire. Et in hoc petit non seruari modum iudicatũ , & publicatũ populo.

h *Inuenire gratiam*, Hebraïcus idiotismus est, in Scriptura frequens. Significat fauorem , & gratiam habere.

i *Ostendere faciem*, tropus est vsitatissimus, pro, exaudire, & dare indicia beneuolentiæ. Sicut, *faciem abscondere*, est, meras afflictiones, & mortes ob oculos ponere, vt Iob 13. *Quare faciem tuam abscondis*, &c. Crediderim igitur, in his verbis deprecatum fuisse Mosen, vt Dominus remissa ira duceret eos , tentiterque populus refrigerium.

Vt sciam te,& inueniam gratiam ante oculos tuos.] Iuxta Hebræum habetur : *Et sciam te : propter quod inueniam gratiam in oculis tuis.* Fructus exauditionis manifestatur duplex : ita tamen,quòd primus erit ratio secundi. Et est sensus , quòd si manifestaueris mihi viam , qua secundùm te disposuisti ducere populum istum,sequetur in me hic fructus; videlicet,quòd cognoscam te : & hinc sequetur alter,quòd inueniam gratiam in oculis tuis. Humano siquidem more alloquitur Moses Deum, ac si alloqueretur Regem : si manifestas mihi, quid disponis secundùm cor tuũ,cognoscã te, (hoc est,cognoscam dispositionem,seu conditionem animi tui,) & animo tuo cognito,exhibebo me morigerum , ac gratiosum in oculis tuis. Quandiu enim homo nescit qualitatem animi Principis , difficile est , vt exhibeat se in omnibus morigerum , ac gratiosum in oculis Principis:

Principis:cognita autem natura Principis, facile est. Cognoſcitur autem optimè Principis natura, manifeſtante ipſomet, quid ipſe velit ex ſeipſo : & propterea hoc ordine procedit Moſes in petitione,& fructibus.

Reſpice populum tuum gentē hanc.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vide, quòd populus tuus gens iſta.* Secunda petitio eſt, vt Deus libret, quòd gens iſta non eſt gens alicuius Regis,non eſt gens noua Deo: ſed eſt populus tuus,vt tuiipſius rationem habeas ducendo,& gubernando gentem hanc. Optimo ad impetrandum loco vtitur.

Verſ. 14. Dixitque Dominus: Facies [k] mea præcedet te. & requiem dabo tibi.] Iuxta Hebræum habetur: *Facies mea ibit, & requieſcere faciam te.* Ecce maior gratia, ecce reuocatio ſententiæ, qua dixerat, ſe non iturum; ſed Angelum duntaxat miſſurum: ecce manifeſtatio viæ eius, quòd ipſe ſecundùm propriam faciem ibit ſic,quòd Moſes quieſcet; hoc eſt, non erit ſollicitus de euentibus me aſſumente prouinciam eundi.

[k] Et hic *facies*, per tropum, etiam fauorem, & Dei auxilium ſignificat, vt Pſ.3.1. *Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum.* Quibus enim fauemus, illos ſuauiter reſpicimus, & facie, & vultu,animi beneuolentiam teſtante intuemur.

Verſ. 15. Et ait Moſes: Si non tu ipſe præcedas.] Iuxta Hebræum habetur: *Si non facies tua ambulans.* Dixerat Deus duntaxat: *Facies mea ibit.* nec explicauerat modum eundi; an,videlicet,ante eos, vel cum eis,vel poſt eos, aut ſupra eos diſtans: & propterea Moſes inſtat ſupplicando, vt eat cum eis,ſicut promiſerat ante peccatum populi: & hoc incipit ſignificare dicendo: *Si non facies tua ambulans.* ſubauditur enim, *nobiſcum:* vt clarè ſubiungitur.

Ne facias nos aſcendere hinc.] Potiùs volumus manere in deſerto, quàm aſcendere in terram promiſſionis facie tua non ambulante nobiſcum.

Verſ. 16. In quo enim ſcire poterimus ego, & populus tuus, inueniſſe nos gratiam in conſpectu tuo, niſi ambulaueris nobiſcum?] Iuxta Hebræum habetur: *Et in quo cognoſcetur hic,quòd inueni gratiam in oculis tuis ego, & populus tuus, ſi non in ire tuo nobiſcum?* Auget Moſes orationem à cognitione diuinæ gratiæ, dicendo,quòd, niſi tu ambules nobiſcum,non cognoſcetur gratia tua erga nos hîc.Huiuſmodi enim notitiæ priuatio diminutiua eſt gloriæ diuinæ inter homines.

Vt glorificemur ab omnibus populis, qui habitant ſuper terram.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ſeparati erimus ego,& populus tuus ab omni populo. qui ſuper facies terræ.* Hebraïca conſuetudine ea, quæ admiranda ſunt, appellantur ſeparata. Et propterea hic ad literam ſignificatur: Et erimus mirabiles ab omnibus populis. Aptiſſimè fructus iſte adiungitur notitiæ, ac famæ diuinæ præſentiæ in populo Iſraël.Hinc enim(vt rei probauit euentus) admiratus eſt eos, & admiratur vſque hodie geſta legens mundus vniuerſus.

Verſ. 17. Dixit autem Dominus ad Moſen.]Nomen eſt tetragrammaton.

Etiam verbum iſtud,quod locutus es, faciam.] Ecce plena exauditio. Et ratio ſubditur:

Quia inueniſti gratiam in oculis meis.] Vbi clarè patet, non propter Patriarchas, ſed propter Moſen, Deum plenitudinem beneficij præſentiæ ſuæ cū populo conceſſiſſe.

Et teipſum noui ex nomine.] Iuxta Hebræum habetur: *Et cognoſcam te in nomine.* Non ſolùm gratioſus es apud me ad impetrandum pro populo; ſed etiam in futurum cognoſcam te notitia approbationis in nomine tuo; hoc eſt, in proprio merito tuo. Ad inſtar Principis loquitur Deus, poſt magnam gratiam conceſſam ſupplicanti pro aliis, ſubiungentis:Et nihilominùs perſonam tuam magnipendam.

Verſ. 18. Qui ait: Oſtende mihi gloriam [l] tuam.] Iuxta Hebr.habetur:*Fac videre me nunc honorem tuum.* Expertus Moſes tam ingentem erga ſe diuinam gratiam, accenſus eſt ad ſupplicandum pro eleuatiore viſione diuinorum. Et quamuis alibi paruipenderim legi *gloriam*, pro *honore*; hoc tamen loco non eſt paruipendendum, vt cognoſcatur petitio Moſis. Inter honorem, & gloriam manifeſta eſt differentia, quòd gloria non exigit præſentiam eius, qui glorificatur: honor autem præſenti tantùm exhibetur; præſentia autem, vel tanquàm præſenti, vt quum quis honoratur in ſua ſtatua. Petendo itaque *videre honorem*, petitur & viſio perſonæ ex hoc ipſo, quòd honor annexam habet præſentiam honorati. Veruntamen non habetur hinc,quòd petatur viſio perſonæ, quæ honoratur abſolutè; ſed quatenus honoratur:hoc enim ſufficit ad ſatisfaciendum petitioni: *Fac me videre honorem tuum.*Quocirca non petit Moſes videre Deum,ſicuti eſt:ſed petit videre Deum, ſecundùm quod honoratur.Et dixit:*Fac me videre nunc.* hoc eſt,in præſenti vita, ad differentiam ſperatæ in alia vita felicitatis.

[l] *Gloria*, vox eſt vſitatiſſima,& Hebræa, nihilque in ſacris literis vſitatius hac vocula, quæ licèt multa ſignificet; hoc loco tamen Dei maieſtatem,& diuinitatem ſignificat, vt Ioan.1. *Vidimus gloriā eius*,id eſt, Diuinitatē nuſquam non relucentem. Petit igitur Moſes videre Domini Deitatem, & lucē illam inacceſſibilem.

*Verſ.*19. Reſpondit:Ego oſtendam omne bonum [m] tibi.]Iuxta Hebræum habetur: *Ego faciam tranſire omne bonum meum ſupra faciem tuam.*] Tria promittuntur,ſingillatim declaranda. Primum eſt, obiectum viſibile, *omne bonum meum.* Et eſt ſermo de omni bono Dei interno. Quod dico ad differentiam omnis Dei boni externi, quale eſt bonum vniuerſi. Non promittit Deus, quòd faciet tranſire bonum vniuerſi; ſed omne bonum ſuum, quod eſt in ipſo, vt teſtatur executio huius promiſſionis ſcripta in capitulo ſequenti, dicendo: *Et tranſiuit* יהוה. Omnia itaque bona, quæ continentur in ipſo Deo,(videlicet,potentiam, ſapientiam, bonitatem, iuſtitiam, miſericordiam, & id genus reliqua,) promittit Deus, ſe facturum tranſire ſupra faciem Moſis.

[m] *Omne bonum*.id eſt, magnum bonum intellige. Modus eſt frequens in Scripturis. Acceperat igitur Dominus in aliquo Moſi orationē, quaſi diceret: Petis videre gloriā meam:id quidem fieri non poteſt; (quod & ſtatim ſubiunxit;) verùm guſtum, & ſpecimen gloriæ meę,teſtámq; meam Deitatē exhibebo:imaginem quādam Diuinitatis videbis; quod ſummū eſt beneficium, & maximum [illegible].

Secundum eſt: *Faciam tranſire.* Non dicit: Faciam manere.ad inſinuandum, quòd omne bonum ſuum monſtrabit, non ſic,vt poſſit figi in illud intuitus videntis, ſed per modū tranſeuntis. Manifeſtè enim experimur in viſu corporali, quòd ſi obiectum viſibile proponitur, non manens,ſed motum motu tranſeuntis,non poſſumus in illud figere aciem viſus. Simili ſiquidem modo promittit Deus monſtrare omne bonum ſuum Moſi viſione intellectuali.

Tertium eſt:*Supra faciē tuam.*Non dicit,faciei tuæ;ſed,*ſupra faciē tuam.*Experimur enim, quòd viſu corporali, quæ apparent ſupra nos, non videmus, niſi ſecundùm ſuperficiem versùs inferiora. Similiter enim promittit, monſtrandum omne bonum ſuum ſupra faciem Moſis;hoc eſt,quòd videbuntur bona ſua quatenus referuntur ad hæc inferiora, vt cauſæ, vt exemplaria,

exemplaria,vt fines, &c. Et non penetrabuntur, secundùm quod sunt in seipsis. Collige, prudens lector,tres limitationes in hac promissione:promittit enim pro obiecto monstrando, non seipsum, sed omne bonum suum:pro modo verò monstrandi, non fixè,sed transeundo: pro quasi situ supra faciem,hoc est,vt monstretur non omninò, sed quatenus respicit inferiora. Verba siquidem Dei sunt hæc:& propterea libranda exactè sunt.

Et vocabo in nomine Domini corã te [n].]Iuxta Hebr. habetur:*Et vocabo in nomine Iehouah faciei tuæ.* Primò promissum, quanuis magnum,tot tamen limitationibus fultum est, vt illius excellẽtia admirationem potiùs, quàm notitiam paritura fuerit: & ideò adiungit promissionem notitiæ,dicendo:*Et vocabo.*Ex similitudine siquidem sensibilis modi notificandi excelsa,quę habemus in mente nostra,insinuat intelligibilem modum,quo vtetur,notificando Mosi in promisso transitu bona sua: consueuimus enim ad notificandum excelsa formare voces significatiuas, vt ex huiusmodi vocibus intelligantur excelsa. Ad instar itaque formantis huiusmodi voces, promittit Deus notificare Mosi bona sua,dicendo: *Et vocabo.* hoc est, & tanquam voces formabo, ad instar voces formantis manifestabo, condescendendo ad imbecillitatem intellectus humani: & propterea dicit, non, supra faciem tuam; sed, *faciei tuæ*; hoc est, manifestando commensuratè ad intuitum tuum. Manifestanda autem significat dicendo:*In nomine* יהוה. Non promittit formare voces omnium absolutè; sed, *in nomine* יהוה; hoc est, in re significata nomine Iehouah, non simpliciter,& absolutè, sed quatenus significatur, & nominatur supremo nomine essentiæ. Quæ fuerint autem ista, nescimus aliter, quàm ex notificatis in tali transitu Mosi scriptis in capitulo sequenti: nam ibi scribitur executio huius promissionis,& quid Moses cognouerit, ac dixerit.

[n] Cùm hæc abstrusissimæ sint intelligentiæ,vt clarescant,notate habes, quæ sequenti capite de Dei visione hoc loco Mosi promissa scribuntur. Dicitur ibidem,quum Dominus seipsum Mosi reuelaret, vocasse Iehouah, & quæ eo loco sequũtur,quæ si perpenderis, intelliges, nihil aliud hoc loco Dominum Mosi promisisse, nisi nomina, itaq; epitheta se illi reuelaturum. quod magnum est,cum familiaritatis, tum beneficentiæ signum: perinde ac si dixisset Dominus Nõ solum meæ Diuinitatis specimen, sed & mea omnia epitheta ostẽdam tibi Quod & capite sequenti manifestum est fecisse.

Et miserebor, cui voluero,& clemens ero,in quẽ mihi placuerit [o].] Iuxta Hebr. habetur: *Et miserebor, cuius miserebor, & miserabor, quem miserabor.* Scito, quòd Hebraïcè vtrunque verbum significat humanum affectũ condolentis alienæ miseriæ: & quòd primum maius est secundo, frequentique vsu primum significat misericordiam. Ex quibus omnibus rationi consentaneum est,vt secundum significet miserationem:& propterea benè redduntur Hebraïca dicendo: *Miserebor,cuius miserebor, & miserabor,quem miserabor.* Misereri enim intima cordis penetrat: miseratio autem ad exteriora spectat. Sed quorsum hæc diuina sentẽtia hoc in loco, nisi ad præmanifestandum Mosi, quòd in antedicta promissione: *Vocabo faciei tuæ in nomine* יהוה. non intelligitur manifestatio electorum,& reproborum in singulari: ad insinuandum enim, quòd hæc erunt exempta ab illa manifestatione, adiungit: *Et miserebor, cuius miserebor.* Ac si apertiùs dixisset:Cum hac tamen manifestatione non apparebit,cuius miserebor, & cuius non; & quem miserabor, & quem non: sed hoc reseruatur manifestandum in illo,cuius miserebor; & in illo, quem miserabor. Et ratio exemptionis est in promptu: quia, tam misericordia, quàm miseratio, pro quanto terminatur ad hunc, vel illum singulariter,& non ad illum;non ex essentia significata nomine Iehouah; sed ex simplici gratia diuinæ voluntatis pendet.

[o] Videri potest, hæc cum superioribus parum cohærere. Et licèt negandum nõ sit, Mosen miscellanea, & rapsodias dictorũ Dei sæpè scripsisse, ordine, quo gesta fuère, haud vbique obseruato:quare frustrà sudabit,qui sẽper vellet omnia connectere. Mihi tamen videtur,hanc clausulam non ineptè sic posse prioribus coniungi: pronunciauerat siquidem Dominus, se aliquam sui notitiam Mosi ostensurum, imo sua epitheta omnia illi reuelaturum, quæ, vt epilogo comprehenderet,subiunxit præcipuum,nempe,quod is sit, qui pro placito, & misereatur, & induret.

*Vers.*20.Rursúmque ait.] Non est in Hebræo,*rursum*;sed habetur: *Et dixit.* Hoc est,ad ampliùs manifestandum, quid continetur sub promissionibus suis, adiunxit:

Non poteris videre faciem [p] meam.] Quia,vt dictum est, petendo Moses videre honorem Dei, petebat videre Deum, quatenus honoratur;ad hoc directè respõdet Deus: *Non poteris videre faciem meam.* vt intelligat Moses, quòd nec per modum transitus videnda est ab eo facies Dei, nec manifestando ad instar formantis voces essentiæ diuinæ nominatæ videbitur facies Dei, hoc est, videbitur Deus sicuti est. Et ratio subiungitur ex parte conditionis humanæ.

[p] *Facies Dei*, hic pro luce illa inaccessa, quam nulla caro inspicere potest, proq; claritate illa incomprehensa carni accipitur;nempe,pro ipsa Dei natura, & substantia,plenaque Diuinitatis cognitione, quam assequi nemo potuit mortaliũ vnquam. *Habitat enim lucem inaccessibilem.* nam, si non potest homo lunam ipsius, qua est,& viuit, mẽtem peruidere, quomodo fieri potest, vt Deum videat? Non potest igitur homo viuens Deum inspicere. 1. Tim. 6 & Ioan 1.

Non enim videbit me homo, & viuet.] Proculdubiò vita corporali, qualis nunc agitur. Quod dicitur, ad differentiam hominũ beatorum post resurrectionem: tunc enim videbit Deum homo,& viuet vita corporali; sed non vita animali, qualis agitur nunc: hoc est, vita,quæ fouetur cibo,& potu: tunc enim viuet homo nullo indigens alimento,non solùm immortalis,sed impassibilis.

Nota,qui temerè negas,in libris Mosis mentionem fieri futuræ felicitatis, hæc verba diuina:*Non videbit me homo,& viuet.* Si nullus homo post hanc vitam visurus est Deum, superfluè Deus adiunxit: *Et viuet.* Sat erat dicere: *Non videbit me homo.* hoc enim sufficit ad reddendam rationem, quare non poteris videre faciem meam.Adiungendo ergo:*Et viuet.*insinuat, quòd adempta hominis vita poterit homo videre ipsum: ac per hoc proculdubiò secundùm animam manens: sic enim omnia quadrant,& ratio perfecta redditur,quare Moses viuens vita corporali ista non poterit videre faciem Dei: quia nullus homo potest hanc visionem assequi viuendo.

*Vers.*21. Et iterum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit* יהוה. Adiunctio ista nouum quid insinuat. Et verè noua est manifestatio prædictorum ex noua similitudine, continente omnia antedicta,tam pollicita, quàm negata.

Ecce est locus apud me, stabis supra petram:*Vers.*22.Cùmque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ,& protegam manu mea, donec transeam: *Vers.*23. tollámque manum meam,& videbis posteriora [q] mea; faciem autem meam videre non poteris.] Quia verba sunt Dei, exactiùs reddenda sunt. Iuxta Hebr. habetur: *Ecce locus mecum, & stabis super rupem, & erit, transeunte honore meo,& ponam te in foramine rupis, & velabo vola mea super te, donec transeam, & remouebo volam meam, & videbis posteriora mea, & facies mea non videbitur.*Non promitti rem gerendam,multa manifestant: sed, quod potissimè vrget, est, quia visio, qua Moses vidit Deum in huiusmodi transitu,non fuit visio corporalis; sed visio intellectualis; vt manifestè patet ex cognitis dictis à Mose scriptis in sequenti capitulo: hæc autem si ad rem gerendam referantur,manifestè spectant ad visionem corporalem.

[q] Hæc *posteriora*, hoc gloriæ Dei tergum, magna vtique fuit Diuinitatis cognitio: at non plena, vt visio faciei dici meruisset nam *posteriora Dei* videre dicũtur hi, quibus in aliqua forma Deus apparuit: quibus autem se apertiore,vel visu, vel allocutione, reuelauit, eos dicit Scriptura, Deũ facie ad faciem vidisse.

Ridiculum in primis est, intelligere, quòd tanquàm remedium impotentiæ videndi Deũ,

monstretur locus corporeus in monte Sinaï. Minùs deinde quadrat, vt Mosi præcipiatur, vt ipse stet super rupē, & Deus introducat ipsum in rupem concauam, tanquàm non potuisset ipse ingredi concauitatem. Plus denique dissonat, quòd sola oppositio manus hominis transeuntis sufficiat ad hoc, vt non videatur tota pars anterior ipsius hominis transeuntis, si res gerenda esset: quia posteriora duntaxat videnda conceduntur, remota manu opposita. Nunquam demum legitur executioni mandatum hoc: vt patet intuenti sequens capitulum, in quo narratur executio diuini transitus. Non præcipitur ergo res gerenda per hæc verba.

Sapientibus autem loquor, non ignorans vulgatam apud Hebræos haberi historiam, quòd Moses sic euasit mortem, transeunte Deo coram eo: & quòd hinc vulgatū est, quòd omnis videns Deum moreretur citò. Vulgaris est hic sensus; dissonúsque, tam ab apparitionibus prioribus, quàm à posterioribus: sed, vt diximus, non vulgo, sed prudētibus scribimus. Cùm promisisset igitur Deus Mosi transitum omnis boni sui super faciem eius, & manifestationem suæ essentiæ ad instar formantis voces, negata manifestatione electorum in particulari, ac negata visione diuinæ faciei, declarantur hæc ómnia assumendo parabolam istā, in qua introducitur Moses transituro diuino honore, quem petierat videre, (transituro, inquam, sensibiliter Deo sub specie humana valdè honorabili,) stans super certam rupem in monte Sinaï, & per foramen rupis introductus tunc diuino miraculo in concauum rupis; & quòd Deus tanquàm manū suam [r] apponat super foramen illud, donec transeat; & vbi transierit manu remota, Moses Deum, qui iam transiuit, aspiciendo, videbit partem eius posteriorem: sicut hominis, qui iam transiuit, non viderem ego retrò manens, nisi partem posteriorem. Hæc est parabola.

[r] Potes, si velis hanc manus Dei positionem, & depositionē secundum priorem sensum excipere.

Sensus autem est, quòd in intelligibili quasi transitu Dei coram intellectu Mosis, ipse Moses stabit super rupem, hoc est, erecta, & fixa mente eleuatus; sed tamen quasi abscondetur in concauitate rupis ab ipso Deo, dum vniuersa capacitas mentis humanæ offuscatur in seipsa, & opprimendam se experitur à tam excellenti obiecto. Quanuis enim excellens intelligibile non corrumpat intellectum, sed confortet illum; est tamen illi improportionatum, & excedit capacitatem illius; & hoc est offuscare, & opprimere illum. Et quia huiusmodi improportio impediens nostrum intellectum ad videndum diuinum intelligibile, non est suppleta relatiuè ad diuinam faciem; sed est suppleta relatiuè ad diuina quædam bona, vt respiciunt effectus; ideò manus impediens visionem faciei, & ablata, vt videantur posteriora, describitur: vt intelligamus negatum lumen maius significari per appositam manum, & infusum lumen minus significari per remotionem manus. Et in his comprehenduntur promissa, & negata. Et dicta, ac scripta sunt hæc, etiam in metaphora, vt vel sic retineat populus, quòd Deus est inuisibilis, & quòd posteriora duntaxat Dei vidit Moses: & audiendo hæc, & non intelligendo admirentur mysteria, & venerentur.

CAPVT XXXIV.

VERS. 1.

Sic deinceps: Præcide ait, tibi duas tabulas lapideas.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit Iehouah ad Mosen: Dola tibi duas tabulas.*

Instar priorum: & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti.] Manifestat per hoc Deus, reuocari pœnas adempti tabernaculi in medio eorum: ex eo enim, quòd tabulas decem præceptorum locandas in theca decernit, concomitanter vniuersam tabernaculi fabricam, quam decreuerat, & monstrauerat Mosi in monte, antequàm populus peccaret, decernit. Et dicit: *Dola tibi.* non mihi: ego enim non indigeo tua dolatione, sicut nec tuis tabulis. Prima siquidem vice ego tabulas dedi, dolaui, & scripsi, tanquàm ex me operans: modò autem tuis precibus operaturus, volo, vt doles tu tabulas; ego autem scribam.

Vers. 2. Esto paratus mane.] Non dicit: Mane diei crastini, sed absolutè, *mane*: vt intelligamus, quòd non est præceptum, vt mane diei immediatè sequentis esset paratus ad ascendendum in montem; (plùs enim temporis exigebat dolatio lapidum:) sed, vt præparatis tabulis, non quacunque hora, sed matutina ascenderet in montem. Vnde in Hebræo subiungitur:

Et ascendes mane in montem Sinai, & stabis mihi ibi super verticem montis.] Sententia clara est, mandans etiam modum expectandi ipsum Deum stando.

Vers. 3. Nullus ascendat tecum; nec videatur quispiam per totum montem; bouésque, & oues non pascantur è contrà.] Etiam è regione montis pasci animalia prohibet. Partem certam intelligo, quæ erat è regione montis ex illa parte, qua ascendebatur in montem: & hoc pro reuerentia diuinæ præsentiæ in signo visibili illic.

Vers. 4. Excidit ergo duas tabulas lapideas, sicut priores: & de nocte consurgens.] Iuxta Hebræum habetur: *Et antelucatus est Moses in mane.*

Et ascendit in montem Sinaï, sicut ei præceperat Dominus: & cepit in manu sua duas tabulas lapideas.] Surrexit enim ea hora, qua matutinus ascenderet, sicut præceperat ei Iehouah.

Vers. 5. Cúmque descendisset Dominus per nubem, stetit Moses cum eo.] Interpres officij sui limites egressus, expositoris officio fungitur in vniuersa hac particula. Et quoniam maximi momenti est, referenda est litera ad amussim, iuxta Hebraïcam veritatem: exponat posteà quilibet, vt scit: *Et descēdit Iehouah in nube, & statuit se cum eo ibi.* Significatur itaque secundùm planū literæ sensū, quòd, postquàm Moses ascendit ad cacumen mōtis, descendit Deus in signo visibili nubis, & quòd idem Deus in illo signo visibili non motus mansit ibidē cum Mose. Et scriptum est hoc, ne intelligeres, quòd Deus in illa nube apparuerit trāseundo: ad excludendū enim hoc dicitur, quòd statuit se ibi cū eo. *Et vocauit in nomine* [a] יהוה. Et est casus genitiui, *Iehouah*. Nec est dubium,

[a] Hoc præcedenti capite expositum est.

secundùm planam literæ continuationem, ille, qui descendit in nube, qui constituit se cum Mose ibi, ipsemet vocauit in nomine Iehouah, exequendo, quod promiserat in præcedenti capitulo, dicens: *Et vocabo in nomine Iehouah.* Ibi scribitur promissio, hîc scribitur executio: sed Interpres antiquus mutauit vtrobique. Quid autem significet huiusmodi diuinum vocare, expositum est.

Vers. 6. Et transiuit יהוה super faciem eius.] Ecce executio alterius polliciti, duo enim promiserat: alterum: *Ego faciam transire omne bonum meum supra faciem tuam.* alterum: *Et vocabo in nomine Iehouah.* vtriusque executio hîc scribitur ordine retrogrado. Vbi, prudens lector, aduerte tria. Primum est, quòd promittendo dicitur: *Ego faciam transire omne bonum meum.* exequendo autem dicitur: *Et transiuit Iehouah.* vt intelligamus, quòd Deus, quatenus in se habet omnia sua bona, transiuit. Secundum est, quòd transitus iste non sensibilis, sed intelligibilis significatur in Litera ex eo, quòd Deus in nube describitur manens, & Deus ipse describitur transiens. Describitur enim Deus in nube manens: vt intelligamus, quòd in signo sensibili, in quo apparuit, non mouebatur, non transiuit. Describitur autem ipsemet Iehouah, nulla mentione facta signi sensibilis, transiens: vt intelligamus transitum intelligibilem, vt in præcedenti expositum est capitulo: talis enim transitus congruit tam excellenti obiecto relato ad intellectum humanum. Tertium est, quòd simul executus est Deus vtrunque promissum: ita quòd, dum transiret, vocauit in nomine יהוה. Et quia transitus fuit intelligibilis, vocatio quoque fuit intelligibilis.

Et vocauit.] Tum plana continuatio literæ, tum stylus Mosis, tum subiuncta gesta, & dicta à Mose inuitant ad subintelligendum Deum vocantem: ita quòd de eodem Iehouah dicitur: *Et vocauit.* dixerat enim: *Et vocauit in nomine Iehouah.* non explicando, quas voces formauerat: & propterea more suo Moses explicaturus, quas voces Deus formauit, repetit: *Et vocauit*, hoc est, & formauit subiunctas voces in esse intelligibili. Et si adduc fluctuas, lege, iuxta Hebræum, capitulum decimumquartum libri Numerorũ; & clarè inuenies scriptũ, quòd Deus dixit subiuncta Mosi; & acquiesces veritati.

יהוה אל.] Aduerte, quòd in Hebræo nullus præponitur articulus alicuius casus: & cùm nullum apponatur verbum, consequens est, vt in nominatiuo legantur hæc, & sequentia nomina. Essentia diuina in primis manifestatur Mosi, vocem propriam ipsius essentiæ formando, & repetendo: quia essentiæ diuinæ notitia communicata est illi, quatenus est fons essendi omnibus existentibus, tum in fieri, tum in conseruari: propterea enim conduplicatum est nomen, *Iehouah El.* Tertia vox ad manifestandum Deum, quatenus est fortis, formatur: & in hac continetur manifestatio diuinæ potentiæ.

Miserator.] Quarta voce manifestatur Deus, quatenus pronus ad miserandum, hoc est, ad factis consolandum afflictos.

Et misericors.] Quinta voce manifestatur Deus quatenus, tanquàm ex intimo corde pronus ad gratis miserendum, vt in quarta, & quinta intelligamus, Deum manifestasse omniquaque pronum se ad ea, quæ pertinent ad misericordiæ opera.

Longus furorum.] Sexta voce manifestatur Deus, quatenus protrahit in longum vindictam per modum furoris: aperit siquidem Deus, quòd, quanuis sæpè mereamur furorem erga nos diuinum; ipse tamen sua bonitate solet protrahere furores, quos meremur, in longum, dando spatium pœnitendi.

Et multus gratiæ, & veritatis.] Septima hæc vox comprehendit genera viarum Dei, de quibus in Psalmo: *Vniuersæ viæ Domini, gratia, & veritas.* Manifestatur itaque hac voce Deus, non solùm largitor gratiarum, & fotor veritatis; sed etiam quòd est multus, tam magnitudine, quàm multitudine. Tum ad concedendum gratis, & ad executionẽ pollicitorum. Tum ad concedendum gratias, (hoc est, beneficia, quæ non meremur;) & ad conferendum ea, quæ veritas, hoc est, commensuratio rerum exigit: vt quòd homo habeat manus, quòd bono retribuatur, quòd intellectus perficiatur vero; & reliqua eiusmodi: ita quòd tam ad beneficia gratuita, quàm ad beneficia secundùm merita cuiusque rei etiam inanimatæ manifestatur propensissimus. Tum præcipuè ad communicandum bona diuini ordinis (etiam felicitatem) gratis, & veritatem credendorum.

Vers. 7. Custodiens gratiam millibus.] Octaua voce manifestat se Deus custodem gratiæ, non vni, non quibusdam; sed *millibus*, hoc est, innumerabilibus: vt, qui septima voce se manifestauerat largitorem gratiarum, manifestet octaua voce se quoque curam habere, & diligenter custodire concessam gratiam innumerabilibus: vt hinc intelligamus, quòd non solùm sine pœnitentia donat Deus; sed etiam, quòd tanquàm custos vigilat, & curat, vt dona sua conseruentur.

Eleuans iniquitatem, & scelus, & peccatum.] Hebraïcè, condonare peccata, appellatur, *eleuare peccata:* fortè, quia homo per hoc eleuatur ab imo statu, qualis est status subiecti peccato. Sensus itaque proculdubiò est, condonans iniquitatem, & scelus, & peccatum. Nona igitur voce manifestat se Deus condonantem omne genus peccatorum: omnia siquidem peccatorum genera comprehenduntur sub his tribus. Nam Hebraïcè sic graduantur, quòd tertium sonat malum, primum peius, secundum autem pessimum: sub tertio siquidem continentur peccata per ignorantiam, infirmitatem, vel passionem facta: sub primo autem peccata ex proposito studiosè patrata: sub secundo verò peccata ex malignitate, vel contemptu. Nec dicit, quòd Deus omnia hæc peccata omnibus condonet, (hoc enim non esse verum, reproborum multitudo testatur:) sed dicit, quòd condonat omnia genera peccatorum, ad explicandum, quòd nullum est peccati genus exemptum à venia. Et nisi sæpè Deus condonaret omnia, non diceret, se condonantem participio præsentis temporis: hinc enim insinuatur, quòd nullum peccatum superat diuinam propitiationem; sed quodlibet peccati genus veniam apud illum iugiter inuenit. Nec aduersatur huic sententiæ Euangelium dicens, quòd *peccatum in Spiritum sanctum, nec in hoc sæculo, nec in futuro remittetur:* quoniam hîc est sermo de venia peccatorum ex parte Dei; ibi autem ex parte peccantis

eantis indispositi, imò elongantis se à ratione consequendæ veniæ: propter huiusmodi enim elongationem dicitur, quòd regulariter non consequentur veniam: propter diuinam autem clementiam, quòd nullum peccatum superat diuinam propitiationem; sed quodlibet peccati genus veniam apud illum continuè inuenit.

Et mundando non mundabit [b].] Aduerte hîc, quòd in Hebræo vnum, atque idem est gerundium, & posteà futurum, & est verbum dictum à munditia communi, & munditiæ innocentis, & munditiæ abluti per veniam: quo verbo Latinos carere puto. Et sententiam hanc de vtraque munditia verificari certum est: propter quod singillatim oportet secundùm vtranque munditiam Literam exponere. Applicando itaque ad munditiam per veniam, & vocabula habemus legendo: *Et mundando non mundabit.* & sensum in promptu habemus, quòd Deus mundando peccatores, nunquam mundat eos impunes penitùs: ita quod nona voce manifestauit se Deus erga peccatores piissimum, condonando omne genus peccati: hac autem decima voce manifestat, se erga peccatores illos, quos mundat, iustum, eò quòd non mundat sic, quòd impunita relinquat peccata. Et verificatur hoc: quia nullus mundatur à peccato, nisi imputando peccata Iesu Christo satisfactori pro peccatis totius mundi, & non solùm pro peccatis electorum. Et præter hoc in mundatione adultorum concurrit pœnitentia propria, saltem contritionis.

[b] Nõnulli aliter sensum huius clausulæ reddunt. Quasi Dominus in verbis his significare voluerit, quòd non sit, vt victor tyrannus, & crudelis, sed clemens, ac moderatus. Solent enim tyranni victores ferro in omnes victos indiscriminatim grassari, nec sexui, nec ætati parcẽtes. Qui verò clemẽtes sunt nõ in quosuis sæuiunt, sed recipiunt nonnullos in gratiam; alios verò in vindictam; quod perinde est, ac quod hoc loco dicitur, Deũ mundando non mũdare, seu innocentãdo, non innocentare.

Applicando autem ad munditiam innocentiæ, caremus verbo, propter quod quidam transtulerunt: *Et innocentando non innocentabit.* quod ab aliis hoc circunloquendo transfertur: *Et iudicando innocentem non iudicabit innocentem.* Quomodocunque autem interpretetur, sensus est, quòd quanuis Deus multos habeat pro innocentibus; nullum tamen haberet innocentem, si exacto rigore vti vellet. Ita quòd decima hac voce manifestat se Deus clementissimum erga innocentes, admittendo eos pro innocentibus, qui relatiuè ad debitum Deo non sunt innocentes. Vt intelligamus, quòd primus homo in statu innocentiæ, si fuisset secundùm rigorem debiti Deo iudicandus, non fuisset admissus pro innocente: & similiter in Angelis suis Deus reperiret prauitatem, si exactiùs iudicaret illos, quoniam nec homo innocens nec Angelus innocens integras reddit gratiarum actiones, non tantùm soluit Deo, quantùm teneretur rigorosè exactus. Clementiam itaque suam Deus nona voce manifestauit erga peccatores; decima autem erga innocentes. Vterque, & non alter duntaxat sub Hebraïca Litera sensus comprehenditur: quia verbum commune, velut genus, est vtrique actioni, scilicet, erga vtrosque mundos: & propterea comprehendit vtranque.

Visitans iniquitatem patrum super filios, & super filios filiorum, super tertios, & super quartos [c].] Vndecima, ac vltima vox diuina est hæc, quanuis Hebræi in tredecim illas distinguant partes. Manifestat itaque se Deus, quatenus iustum, penes hoc, quòd punit iniquitatem patrum in filiis vsque in quartam generationem. Si in singulis generationibus iniquitates patrum diligentiùs ponderaremus, & cùm subsecutis in eorum filiis pœnis conferremus, diuina perpenderetur iustitia, quæ ab ipso Deo hîc reuelatur: sed nos mortes, reliquaque mala filiorum, seu nepotum, naturæ, aut infortunio attribuentes, diuinæ obliuiscimur iustitiæ, nec diuina ista reuelatione vtimur, in nostrum proculdubiò detrimentum: nam, si hanc libraremus reuelationem diuinam, multi patres cohiberent se, amore saltem filiorum, à studiosè peccando: non enim in Litera scribitur tertium genus peccati, quod ex passione, vel ignorantia, vel humana fit infirmitate; sed scribitur primum genus peccati; quum quis studiosè peccat: hoc enim peccati genus significatur dicendo: *Visitans iniquitatem.*

[c] Verba hæc, *in tertios & quartos*, per Synecdochen accipienda sunt: quasi diceret, in omnem generationem. Sic Exodi 17. quum Amalechitæ oppugnarent Israëlem, quum ex Ægypto egrederetur, id iussit Dominus scribere in libro ad memoriam, promittens, se eum populum omninò deleturum, ita vt nulla eius reliqua esset memoria. Id verò per Saül primùm præstitit post annos circiter quadringentos, quàm populus ille hoc peccauerat.

Sed occurrunt duæ quæstiones circa hanc partem. Altera est: Nunquid Deus præcipit contrarium eius, quod ipse facit: nam ipse præcipit Deuteronomij 24. quòd non occidantur filij pro iniquitate patrum: & tamen hîc dicit, se visitare iniquitatem patrum super filios, etiam tertios, & quartos. Solutio est, quòd non est contraria lex Dei iustitiæ Dei: sed ibi decernitur iudicium humanum; hîc verò declaratur, quòd reseruatur iudicio diuino. Decernit Deus, vt Iudex homo non occidat filium pro peccato patris, reseruat sibi Deus iudicium tale: quia ipse solus est, qui dat esse patri, & filio, qui dedit, & conseruat sua largitate esse vtriusque, & nulli facit iniuriam occidendo quencunque: & proptereà etiam iustè iubet interfici paruulos lactantes Chananæorum. Altera est: an reuocata est hæc sententia per reuelationem factam Ezechieli cap. 18 vbi de diuino tractans Deus iudicio dicit: *Filius non portabit iniquitatem patris.* Solutio est, quòd non est reuocata sententia ista illic: quia hîc est sermo de pœna corporis, ibi autem de pœna animæ.

Vers. 8. Festinúsque Moses incuruatus est pronus in terram.] Hæc sunt gesta, & dicta Mosis, attestantia, quòd officium audiendi (intellectuali tamen auditu, qui non differt ab intellectuali visu) attentè exercuit Moses. Et vt rationi consentaneum est, completa hac visione per modum transitus, Moses inclinauit occiput ad terram vsque adorans, si corporalis intelligitur hæc prostratio: magis tamen quadrat tantæ mentis eleuationi, & efficaciæ orationis, vt Moses à principio huius visionis intelligibiliter caput flexerit, prostraueritque se, summum honorem exhibendo Deo transeunti. Et ad hoc fortè insinuandum Hebraicè dicitur: *Et inclinauit occiput.* vt mentem ex integro humiliasse describatur. Nisi enim à principio transitus hæc prostratio fuisset, non scriberetur: *Et festinauit Moses.* huiusmodi enim festinatio innuit, quòd incipiente transitu fuit, ac per hoc non in corpore, sed in animo fuit: eleuatus enim à sensuum vsu tunc erat Moses, vt ad tam excellentem esset dispositus visionem intelligibilem.

Et adorans ait: *V.* 9. Si, obsecro, inueni gratiã in oculis tuis, Adonaï, ibit, obsecro, Adonaï, in intus nos: quia populus duræ ceruicis ipse.] Nõ allegat pro impetrãda gratia diuinæ præsentiæ inter eos duram ceruicem populi quasi rationẽ prouocandi ad exaudiendum, sed tanquàm rationem cogentẽ Mosen ad sic precandum, videlicet, ex diuina gra-

tia

tia erga ipsum Mosen. Et est sensus, quòd ideò peto perseuerantiam præsentiæ tuæ inter nos in toto itinere; ex hoc, scilicet, *Si inueni gratiam in oculis tuis: quia populus iste duræ ceruicis est*, & peccabit, & merebitur, vt priues eos præsentia tua. Ac si apertiùs dixisset: Non obstante, quòd populus iste duræ ceruicis sit, & sæpè te offendet, ac irritabit, supplico, vt perseueres eundo intra nos ob gratiam tuam, qua me prosequeris. Nominat autem Moses in hac supplicatione Deum, *Domine mi*, teneritudinem affectus conduplicando, explicans repetito aduerbio obsecrandi, vt teneritudo comitem habeat reuerentiam.

Et vt auferas iniquitates nostras, atque peccata, nosque possideas.] Iuxta Hebræum habetur: *Et condonabis iniquitatem nostram, & peccata nostra, & hereditabis nos.* Primi, & tertij generis peccatorum meminit, tacendo secundum, quod est pessimum: videbat enim Moses populum, quanuis duræ ceruicis, non tamen ex contemptu Dei pronum ad peccandum. Et addendo tertiam petitionem dicit: *Et hereditabis nos.* hoc est, possidebis nos, vt hęredes tuos in terra promissionis. Ad magnum beneficij cumulum spectat singulare hoc priuilegium, vt filij Israël, quasi hæreditario iure, tanquàm proprij Dei hæredes, introducantur in terram promissam Patriarchis. Si tamen in secunda petitione intellexeris, quòd ideò iniquitates, & peccata Moses dicit etiam sua; quia iniquitatem, peccatúmque Aharon, tanquàm etiam suum, reputat, intercedendo pro illo non aberrasti: nam diuina respõsio manifestat, quòd Moses supplicauerat non solùm pro populo, sed pro Aharon.

Vers. 10. Respondit Dominus: Ego inibo pactum [d] videntibus cunctis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit: Ecce ego feriens fœdus è regione totius populi tui.* Non dicit, cum quo feriet fœdus; sed, tum ex eo, quòd dicit, *è regione omnis populi*; tum ex eo, quòd in calce concludit: *Videbit omnis populus terribile, quod ego faciam tecum.* intelligimus, quòd de fœdere principatus, & sacerdotij est sermo. Reuelat siquidem Deus Mosi, quòd faciet mirabilia, ac terribilia ad seruandum ipsum Mosen in Principem, & Aharon in Pontificem; quæ omnia subsecuta leguntur in libro Numer. cap. 16. & 17. hæc enim fuerunt facta *è regione totius populi*, non solùm spectante populo, sed quasi pugnante contra Mosen, & Aharon, pro vsurpatis principatu, & pontificatu: præuidebat enim Deus has seditiones futuras: & propterea dicit Mosi supplicanti pro Aharon: *Ecce ego feriens fœdus.* subaudi, tecum, etiam pro Aharon. Et significanter dicit, *populi tui*: quoniam seditio futura erat in populo, non, quatenus erat populus Dei; sed, quatenus populus hominis.

[d] *Inire pactum*, hoc loco nonnulli accipiunt, pro renouare, & iterum confirmare vetus illud fœdus, in promulgatione Decalogi initum. Alij de eo fœdere intelligunt, quod Dominus postea fecit cum Israelitis in terra Moab, cuius mentio fit Deut 29.

Signa [e] faciam, quæ nunquam sunt visa super terram, nec in vllis gentibus: & cernet populus, in cuius es medio, opus Domini terribile.] Nomen est tetragrammaton.

[e] Quantis, quámque stupendis miraculis protexerit Dominus Israelitas in deserto, & omnibus eorum aduersariis superatis, introduxerit in terram Chanaam, notius est in Scriptura, quàm vt hic recenseri debeat.

Quod facturus sum.] Iuxta Hebræum habetur: *Quod ego faciens tecum.* Verè fuerunt terribilia opera aduersùs Dathan, & Abirom, & Corach, quæ fecit Deus in fauorem Mosis ad testificandum, quòd ipse misit eum Prophetam, ac ducem populi, & quòd ipsius Dei authoritate disponebat Moses de sacerdotio.

Vers. 11. Obserua cuncta [f], quæ hodie mandaui tibi.] Ab hoc loco dirigit Deus sermonem ad populum: ita quòd alloquitur Mosen in persona populi, repetendo, quæ altera vice (hoc est, in priore Mosis ieiunio quadraginta dierum) dixerat. Et hoc, ad manifestandum, quòd, quæ tunc ordinauerat, antequàm populus peccaret, vult executioni mandari, tanquàm nouiter præcepta. Et quoniam superiùs hæc exposita sunt, pertransibimus.

[f] Hinc colligũt multi, superiora Dei verba, ante populi peccatum Mosi dicta fuisse, multáque esse diuersis temporibus dicta, quæ in hoc capite permixta sũt.

Ego ipse eiiciam ante faciem tuam Emorræum, & Chananæum, & Hithæum, & Perizæum, & Hiuæum, & Iebusæum. *Vers.* 12. Caue, ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ tibi sint in ruinam: *Vers.* 13. sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucósque succide. *Vers.* 14. Noli adorare Deum alienum.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia non adorabis alium El.* Ratio prohibiti fœderis cum illis gentibus redditur vitatio idololatriæ. Et hîc habes nomen, *El*, commune etiam Deo, non vero, sed secundùm opinionem; sicut & nomen אלהים.

Dominus zelotes [g], nomen eius: Deus est æmulator.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia* יהוה *zelotes nomen eius, El zelotes ipse.* Ratio adiungitur comminando vltionem diuinam, si adorauerint alium Deum: quia ipse fons essendi, & in re, & in nomine zelotes est; hoc est, ad similitudinem zelotypi non tolerat consortem in cultu Deitatis. Et verè: quia natura diuina non potest habere parem; ac per hoc nomen eius non habet par: ideò & ipse *Zelotes*, & nomen eius *Zelotes* dicitur; & cultus, qui ei debetur, non debet alteri exhiberi; magnáque pœna dignum se reddit, qui diuinum cultum alteri exhibet; vtpote, quantùm in se est, profitens alium parem Deo. Et significanter dicitur *El zelotes ipse*: vt intelligatur, quòd est fortis ad puniendum, & propulsandum iniuriam.

[g] *Zelotes* ideò dicitur Dominus, quòd eo animo sit, vt parcere non velit, qui non potest sustinere, vt declines ab eo.

Vers. 15. Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum: ne, quum fornicati fuerint cum diis suis, & adorauerint simulacra sua, vocet te quispiam, & comedas de immolatis.] Ecce diuina prohibitio circa esum immolatorum simulacris: & propterea mala moraliter erat, durante statu legis, manducatio immolatorum: soluta autem lege, (vt ad Corinthios Paulus scribit,) non est mala moraliter, nisi propter conscientiam, vel scandalum.

Vers. 16. Nec vxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis: ne, postquàm ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos suos. *Vers.* 17. Deos conflatiles non facies tibi. *Vers.* 18. Solennitatem azymorum custodies. Septem diebus vesceris azymis, sicut præcepi tibi in tempore messis nouorum: mense enim verni temporis egressus es de Ægypto.] Iuxta Hebræum eadem dictio repetitur, quam Interpres, modò, *nouorum*; modò, *verni temporis*, transtulit: vtrobique enim significatur primitiuus mensis, qui secundùm veritatem est principium veris; vtpote, iuxta ingressum Solis in Arietem. Et appellatur (vt prædictum

dictum est, primitiuus: quoniam tunc sunt primitiæ frugum, & fructuum terræ.

Versic. 19. Omne, quod aperit vuluam generis masculini, meum erit: de cunctis animantibus, (tam de bobus, quàm de ouibus,) meum erit. *Vers.* 20. Primogenitum asini redime oue: si autem nec pretium pro eo dederis, occidetur. Primogenitum filiorum tuorum redimes: nec apparebis in conspectu meo vacuus. *Vers.* 21. Sex diebus operaberis: in die septimo cessabis arare, & metere.] Iuxta Hebræum habetur: *Die septimo requiesces: in aratione, & in messe requiesces.* Præcipitur quies die septima absolutè; & deinde in specie tempore arandi, tempore messis: ne putaretur dies septimus ob continuandam messem, aut arationem, exemptus à quiete.

Vers. 22. Solennitatem hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum messis tuæ triticeæ, & solennitatem, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur.] Clariùs iuxta Hebræum habetur: *Et festum collectionis, reuolutionem anni.* Quod superiùs in cap. 23. dixerat *finem anni:* modò appellat *reuolutionem anni*, eadem ratione.

Vers. 23. Tribus anni temporibus apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Dominj Dei Israël.] Non est in Hebræo, *omnipotentis*, sed *Domini* יהוה *Elohe Israelis.* Pluries hæc sunt exposita.

Vers. 24. Quum enim tulero gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno.] Duo hinc habentur: alterum, quòd præceptum apparendi ter in anno, non obligabat tempore suscepti belli: alterum, quòd non obligabat vsque ad dilatatos terminos terræ promissæ, quando secura vniuersa regio futura erat, ita quòd nullus remansisset concupiscens terram Israël. Vbi enim vulgata editio habet: *Nullus insidiabitur.* Hebraïca Litera habet: *Et non desiderabit vir terram tuam ascendente te ter in anno ad apparendum coram* יהוה *Elohe tuo.* Quandiu enim secura non erat regio, rationabile non erat, vt omnes masculi ter in anno relinquerent vrbes, & oppida, regionémque circuncirca inermem.

Vers. 25. Non immolabis super fermentum sanguinem hostiæ meæ, neque residebit mane de victimis solennitatis Pesach.] Non vniuersaliter, sed de sacrificio duntaxat paschali est sermo.

Vers. 26. Primitias frugum terræ tuæ offeres [h] in domo Domini Dei tui.] Iuxta Hebræum habetur: *Principium primitiarum terræ tuæ facies venire ad domum* יהוה *Elohe tui.* Sententia est clara.

[h] Vetustissimus mos fuit, præcipue autem Orientaliū, (id quod passim Scriptura indicat) munerū oblatione animi beneuolentiam, ac deuotionem erga Principes, & quibus velit, se quis videre vnicè addictum, profiteri, & testari Inde & sacrificandi, muneráque offerendi Deo ritus introductus est his nanque testari pii volebant, sese & sua omnia Deo consecrasse, & dedidisse.

Non coques.] Iuxta Hebræum habetur: *Non elixabis hœdum in lacte matris suæ.* Declaratum est hoc superiùs.

Vers. 27. Dixitque Dominus ad Mosen.] Nomen est tetragrammaton.

Scribe tibi verba hæc.] De decem præceptis esse sermonem testantur subiuncta (quanuis sub aliis verbis in Hebræo.

Quoniam super os verborum istorum pepigi tecum fœdus, & cum Israël.] Perspicuum est enim, quòd fœdus Dei ore proprio loquentis populo, & Mosi, in illis decem præceptis consistit. Nec mutat Deus sententiam, qua in principio huius capituli dixerat Mosi: *Dola tibi duas tabulas; & ego scribam super eas.* nam non mandat Mosi, vt scribat decem præcepta super tabulas lapideas; sed simpliciter, & absolutè, vt scribat, proculdubiò in volumine legis: ac si aperiùs dixisset: Non sufficiet Scriptura decem præceptorum in tabulis lapideis recondendis in theca sub Propitiatorio: sed scribe eadem in volumine legis, vt vsui sint lectioni omnium; & quando legetur lex, audiantur ab omnibus.

Vers. 28. Fuítque ibi cum Domino quadragintà dies, & quadraginta noctes.] Nomen est tetragrammaton.

Panem non comedit, & aquam non bibit.] Ecce secundò ieiunium Mosis quadraginta diebus, & quadraginta noctibus in continua mentis eleuatione perseuerantis, Deo illum conseruante.

Et scripsit in tabulis verba fœderis decem.] Iuxta Hebræum explanatur: *Et scripsit super tabulas verba fœderis decem verba.* Ecce clarè aperitur, quòd decem illa præcepta sunt verba fœderis inter Deum, & populum. Nec subintelligitur Moses, sed יהוה, cum quo erat Moses: est enim sensus: Et יהוה scripsit super tabulas. Hunc autem esse literalem sensum, testantur, non solùm promissio in principio huius capituli scripta, (dicente Deo: *Dola tibi duas tabulas, & scribam super tabulas.*) sed etiam ipse Moses Deuteronomij 10 clarè referens, quòd Deus scripsit super istas secundas tabulas: & propterea nullus relinquitur quæstioni locus de scriptore harum tabularum.

Vers. 29. Cúmque descenderet Moses de monte Sinaï, tenebat duas tabulas testimonij.] Eædem tabulæ appellantur etiam tabulæ testimonij, seu testificationis. Ratione siquidem verborum appellantur tabulæ fœderis: quia in illis consistit fœdus inter Deum, & populum: ratione verò officij appellantur tabulæ testificationis, seu testimonij; quia ad officium testificandi fœdus inter Deum, & populum erant.

Et ignorabat, quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis diuini.] Iuxta Hebræum habetur: *Quòd cornificauit cutis faciei suæ in locutione sua cum ipso.* Emissio radiorum appellatur metaphoricè, *cornificatio* eò quòd tanquàm emissio cornuum, sit emissio radiorum. Nihil ergo cornuum ad literam significatur, sed quòd pellis faciei Mosis non solùm lucida erat; sed etiam splendoris radios emittebat [i]. Et ratio redditur gratia diuini colloquij. Et sic intellige sequentia.

[i] Ex hoc loco argumentatur Paulus de authoritate & gloria ministerij euangelici 2. Corinth. 3.

Vers. 30. Videntes autem Aharon, & filij Israël cornutam Mosis faciem, timuerunt propè accedere. *Vers.* 31. Vocatíque ab eo reuersi sunt ad eum.] Descripta reuersio manifestat, quòd tanta fuerat reuerentia, vt non solùm destiterint ab appropinquatione; sed nec substiterint, sed retrocesserint.

Tam Aharon, quàm Principes Synagogę.] Iuxta Hebræum habetur: *Aharon, & omnes Principes in Synagoga.* Significatur enim, quòd non singillatim, sed simul omnes Primates

mates cum Aharon accesserunt ad Mosen.

Et locutus est ad eos. *Vers.* 32. Et postea sic venerunt ad eum omnes filij Israël:quibus præcepit cuncta, quæ audierat à Domino in monte Sinaï.] Nomen est tetragrammaton.

Vers. 33. Impletisque sermonibus posuit velamen super faciem suam.] Caue, prudens lector,ab hac interpretatione,nec literæ,nec sensui consona.In Hebræo habetur: *Et finiuit Moses loqui cum eis.* Et hic est punctus vltimus narrationis progressus totius; videlicet, quòd descendenti Mosi occurrerunt Aharon,& Primates, & quòd veriti splendorem faciei retrocesserunt; sed vocati à Mose simul accesserunt, & quòd Moses locutus est illis,& quòd post sermonem ad illos,omnes filij Israël venerunt ad Mosen,& Moses dixit illis omnia, quæ præceperat illi Deus; ita quòd ad finem vsque omnia dixit. Hoc siquidem progressu narrato, subiungitur narratio modi, quo Moses durante splẽdore faciei eius loquebatur hominibus,narrando,quòd diuersimodè loquebatur hominibus,& Deo:nam alloquendo Deum,erat discooperta facies eius:homines autem alloquebatur facie velata, ne radij splendoris impedirent intuitus hominum versùs ipsum. Hic est sensus subiunctæ Literæ Hebraïcæ,in qua habetur:

Et dedit super faciem suam velamen.] Vnde & subiungitur vicissitudo.

Vers. 34. Et veniente Mose coram Iehouah ad loquendum cum eo, remouebit velamen vsque ad exitum suum, & exibit, & loquetur filiis Israël, quod erit præceptum. *Vers.* 35. Et viderunt filij Israël faciem Mosis,quòd cornificauit cutis faciei Mosis, & reducet Moses velamen super faciem suam vsque ad venire suum ad loquendum cum eo.] Proculdubiò,Deo. Hæc est Litera Hebraïca clarè manifestans vicissitudines apponendi, & remouendi velamen,quandiu visa est facies eius quasi cornificando splendens. Quanto autem tempore huiusmodi splendor durauit, scriptum non est. Ex istis tamen dictis habetur, quòd Moses non vnico contextu recensuit omnia præcepta Dei; sed in multos diuisus est dies hic sermo:& proptereà in Litera dicitur, quòd Moses reducet velamen: non enim scriberetur, quòd iterum apponet velamen, nisi pluries oportuisset hoc fieri. Elicitur quoque, quòd durauerit, donec compleuit recitare præcepta Dei:& proptereà in Litera dicitur: *Et loquetur filiis Israël,quod erat præceptum.* Et ad perseuerantiam splendoris insinuandam vtitur Moses verbis futuri temporis,*remouebit,exibit,loquetur,*&c. Significatur nihilominùs locus certus, in quem ingrediebatur Moses allocuturus Deum dicendo: *Vsque ad suum exire,& exibit.*

CAPVT XXXV.

VERS. I.

IGitur congregata omni turba.] Parui refert,quòd iuxta Hebræum habetur: *Et adunauit Moses totam Synagogam filiorum Israël.* Narrato modo, quo Moses loquebatur populo,narratur consequenter sermo habitus, non cum vniuerso populo, quemadmodum locutus fuerat Deus;sed cum deputatis ab vniuerso populo: Synagoga enim filiorum Israël appellatur congregatio electorum à populo: impossibile enim erat audiri Mosen à tanta multitudine.

Et dixit ad eos: Hæc sunt, quæ iussit Dominus fieri.]Nomen est tetragrammaton.

Vers. 2. Sex diebus facietis opus: septimus dies erit vobis sanctus, Sabbathum, & requies Domini: qui fecerit opus in eo, occidetur.] Præpositurus cæremonialia inchoat à Sabbathis; quia hoc erat præcipuũ præceptũ inter cæremonialia. Rationes autẽ subiũctæ,fuerũt in calce c.31.expositę.

Vers. 3. Non succẽdetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem [a] Sabbathi.] Non est hæc prohibitio noua: quia ad literam non prohibetur accensio ignis absolutè; sed relatiuè ad coquendum, & alia seruilia officia: alioquin prohibita fuisset accensio candelæ in die septimo, quod est ridiculum. Hoc itaque singulare explicatur in die septimo, quòd nec coquere necessaria alimenta liceat, dicendo: *Non accendetis ignem.* Coquere enim alimenta licitum erat aliis festiuis diebus: & hoc mandatum iam promulgatum fuerat superiùs cap. 16.

[a] Hinc dies præcedẽs Sabbathum, *dies præparationis* dicebatur.

Vers. 4. Et ait Moses ad omnem cater- nam filiorum Israël:Iste est sermo,quem præcepit Dominus,dicens.]Nomen est tetragrammaton:sicut & vbique in toto hoc capitulo,nisi aliter expresserimus.

Separate apud vos primitias Domino.]Iuxta Hebræum habetur,*eleuationem* יהוה. Ab actu eleuandi coram Deo res,quæ Deo offeruntur,appellatur oblatio, quæ fit Deo,eleuatio Deo,seu Dei.

Vers. 5. Omnis voluntarius,& prompti animi offeret eam Domino.] Cerne ordinem. Primò proponit oblationem diuinam:deinde quales exigit offerentes,videlicet, spontaneos ex intimo corde: deinde explicat res offerendas.

Aurum,& argentum, & æs, *Vers.*6. & hyacinthum,& purpuram,& coccum bis tinctum, & byssum, pilósque caprarum, *Vers.*7. & pelles arietum rubricatas, & hyacinthinas,(corrige,vt suprà)& pelles taxorum, & ligna sittim, *Vers.*8. & oleum ad luminaria concinnanda,& aromata,vt conficiatur vnguentum, & thymiama suauissimum, *Vers.*9. & lapides onychinos,& gemmas ad ornatum superhumeralis, & rationalis. *Vers.* 10. Quisquis vestrûm est sapiens, veniat, & faciat,quod Dominus imperauit.] Proponit in genere opificium egens sapiente artifice.

Vers. 11. Tabernaculum, scilicet,& tectum eius.]Iuxta Hebræum habetur: *Tabernaculum tentorium eius,& operimentum eius, annulos,& tabulata cum vectibus,columnas,& bases.* Fac punctum post dictionem, *tabernaculum*: nã primò proponit ipsum tabernaculum:& deinde singillatim septem eius quasi partes,singulis adiungendo pronomen, *eius*, inchoando à tentorio. Sed Interpres omisit pronomina. Vnde quasi appositiuè legendũ est: *Tabernaculum, tentorium eius,*&c. Et nomine *tabernaculi* (vt superiùs c.26. patet) significatur vniuersitas cortinarum ex bysso, hyacintho, purpura,&c. nomine verò

tentorij, vniuersitas cortinarum ex lana caprina: nomine verò *operimenti*, vniuersitas pellium ad tegendum tectum tabernaculi.

Vers. 12. Arcam, & vectes eius, propitiatorium, & velum, quod ante illud appenditur, *Vers.* 13. mensam, & vectes eius, & omnia vasa eius, & panes propositionis, *Vers.* 14. candelabrum ad luminaria sustentanda, & vasa eius, & lucernas eius, & oleum ad nutrimentum ignium, *Vers.* 15. altare thymiamatis, & vectes eius, & oleum vnctionis, & thymiama ex aromatibus, & tentorium ad ostium tabernaculi [b].] Interpres bis vtitur tentorij nomine, ad significandum velum loco valuarum.

[b] In his tabernaculi cæremoniis, aliisque externis sacrificiis exegit Dominus solidam fidem, ac verũ sui cultum ad tempus, vt in 5. libro Mosi passim indicatur.

Vers. 16. Altare holocausti, & craticulam eius æneam, vectes eius, & omnia vasa eius, labrum, & basim eius, *Vers.* 17. cortinas atrij, columnas eius, & bases eius, & tentorium portæ atrij, *Vers.* 18. paxillos tabernaculi, & paxillos atrij cum funiculis suis.] Non est perspicuum, an significentur funiculi, quorum nulla est facta mentio superiùs, narrando ordinationem diuinam: parui tamen refert legere in specie funiculos, vel in genere, & reliqua eius, scilicet, atrij: nam & funiculis opus erat ad retrahendum cortinas atrij.

Vers. 19. Vestimenta, quorum vsus est in ministerio Sanctuarij] Dictio interpretata, *vestimenta*, tam hìc, quàm in subiunctis vestibus Aharon, & vestibus filiorum eius, propriè significat pannos: & propterea de pannis necessariis ad inuoluendum ea, quæ erant in Sanctuario, congruè intelligitur: hi enim panni explicabuntur inferiùs, quum de transferendo tabernaculo erit sermo.

Vestes Aharon Pontificis, ac filiorum eius, vt sacerdotio fungantur mihi. *Vers.* 20. Egressáque est omnis multitudo filiorum Israël de conspectu Mosis.] Narratis faciendis, narratur executio oblationis, manifestata priùs qualitate offerentium.

Vers. 21. Et obtulit mente promptissima atque deuota.] Iuxta Hebræum habetur: *Et venit omnis vir, quem eleuauit eum cor eius; & omnis, quem spontaneum fecit spiritus eius ipsum, & obtulit primitias Domini.*

Ad faciendum opus tentorij adunationis, & quicquid ad cultum eius, & ad vestes sanctas necessarium erat.] Ex intimo corde eleuatus, & ex proprio spiritu spontaneus redditus ad diuina, describitur quilibet offerens.

Vers. 22. Viri cum mulieribus.] Desunt quatuor dictiones. Legendum est: *Et venerunt viri cum mulieribus omnis spontaneus corde.* Memento, quòd masculinum concipit fœmininum: de vtrisque enim dicitur: *Omnis spontaneus corde.*

Et obtulerunt armillas, & inaures, annulos, & dextralia, omne vas aureum.] Hæc sola verba habentur in Hebræo: & non subiungitur: *In donaria Domini separatum est.*

Vers. 23. Si quis habebat aurum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et omnis vir, qui eleuauit eleuationem auri Iehouah.* Deinde sequitur: *Et omnis vir, cui fuit inuenta cum ipso hyacinthus,* &c. Vbi non significatur, quòd omne vas aureum, seu quòd omne aurum oblatum est Deo; sed, quòd illa oblata erant aurea vasa, more Hebraïco, extendendo vasis nomen. Subiungitur autem: *Et omnis vir, qui eleuauit eleuationem auri.* ad insinuandum, quòd illa enumerata priùs, oblata fuerunt à mulieribus; vtpote aurea ornamenta mulierum: adiungit enim aurum oblatum à viris.

Et omnis vir, qui habebat hyacinthũ, & purpuram, & coccum bis tinctum, & byssum, & pilos caprarum, & pelles arietum rubricatas, & hyacinthinas.] Iuxta Hebræum habetur: *Et pelles taxorum.*

Vers. 24. Et argenti, ærisque metalla, obtulerunt Domino, lignáque sittim in varios vsus: *Vers.* 25. *&* 26. Sed & mulieres doctæ dederunt, quæ neuerant.] Iuxta Hebræum habetur: *Et omnis mulier sapiens corde manibus suis neuerunt, & attulerunt netam hyacinthum, & purpuram, & vermiculum, & byssum.* Et post enumerata neta quatuor generum subiungitur: *Et omnes mulieres, quarum eleuauit cor earum ipsas in scientia, neuerunt lanam caprarum.* Et hinc appatet, quod suprà diximus, non ignobiles fuisse cortinas è capris; sed ex vocato vulgariter symballoto.

Vers. 27. Principes verò obtulerunt lapides onychinos, & gemmas ad superhumerale, & rationale: *Vers.* 28. aromatáque, & oleum ad luminaria concinnãda, & ad præparandum vnguentum, & ad thymiama odoris suauissimi componẽdum. *Vers.* 29. Omnes viri, & mulieres.] Non sic absolutè scribitur in Hebræo, sed cum limitatione: *Quos spontaneos reddidit cor eorum ipsos ad afferendum donaria, vt fierent opera, quæ iusserat Dominus per manum Mosis.* Similiter nõ habetur in Hebræo, vt in vulgata subditur editione:

Cuncti filij Israël.] sed habetur: *Attulerunt filij Israël voluntaria Domino.* Interpres enim addidit:

Dixítque Moses ad filios Israël: *Vers.* 30. Ecce vocauit Dominus ex nomine.] Parui refert, quòd in Hebræo habetur: *Videte vocauit* יהוה *in nomine.*

Besalel, filium viri Chur, de Tribu Iehudæ.] Ne oriatur contentio inter artifices, manifestat Moses diuinam electionem, monendo eos: Videte, quia Dominus nominauit Besalel caput artificum.

Vers. 31. Impleuitque eum spiritu Dei.] Iuxta Hebræum habetur: *Et impleuit eum spiritu* אלהים.

In sapientia, & intelligentia, & sciẽtia, & in omni doctrina, *Vers.* 32. ad excogitandũ, & faciendũ opus in auro, & argento, & ære.] Deo, quatenus est distributor donorum, attribui potest huiusmodi impletio: ego tamen intelligo hoc in loco, nomine אלהים non significari Deum, sed Iudicem: ita quòd ad literam significatur, quòd יהוה impleuit illum spiritu Iudicis in sapientia, in intelligentia, & in scientia, & in omni opere, & ad cogitandum cogitationes, ad faciendum in auro, &c. Eminentia siquidem Besalel manifestatur in hoc, quòd impletus est spiritu Iudicis relatiuè ad alios artifices: vt intelligatur constitutus eorum Princeps, cuius officium est iudicare.

Et ferro.] Non habetur hoc in Hebræo.

Vers. 33.

Vers. 33. Sculpendisque lapidibus, & opere carpentario, quicquid fabrè adinueniri potest.] Iuxta Hebræum vna est sententia: *Et officio ligni ad faciendum in omni opere cogitationis.* Nec plùs habetur. Nec dicitur, in omni opere cogitabili; sed, *cogitationis.* Ad quod verificandum sufficit scire facere omnia opera excogitata. Deinde immediatè subiungitur:

Et ad docendum, *Vers.* 34. dedit in corde eius ipsum, & Ahaliab filium Achisamac de Tribu Dan.] Excellentia Ahaliab significatur in hoc, quòd adiungitur Besalel comes, ad officium docendi alios artifices.

Vers. 35. Ambos impleuit sapientia cordis, ad faciendum omne opus abietarij, polymitarij, & plumarij de hyacintho, ac purpura coccóque bis tincto, & bysso; & texendum omnia, ac noua quæque reperiendum.] Scito, quòd quatuor artis genera commemorantur: nam in calce subiungitur:

Et textoris.] Et hic nominatur tertiò, acupictor; secundò, polymitarius; primò autem, nomen est valdè genericum, quod alij interpretantur fabrum, alij opificem, alij magistrum, alij industrium.

CAPVT XXXVI.

VERS. 1. FEcit ergo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et faciet.*

Besalel, & Ahaliab, & omnis vir sapiens, quibus dedit Dominus sapientiam, & intellectum, vt scirent fabrè operari, quæ in vsus Sanctuarij necessaria sunt, & quæ præcepit Dominus fieri.] Prosecutio est, manifestans artifices nominatos adhibitis aliis artificibus eruditis facturos vniuersum opus mandatum à יהוה. Et propterea hæc sententia iungenda erat præcedenti capitulo.

Vers. 2. Quúmque vocasset eos Moses.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vocauit Moses Besalel, & Ahaliab.*

Et omnem eruditum virum, cui dederat Dominus sapientiam cordis, & qui sponte sua obtulerat se ad faciendum opus: *Vers.* 3. & tradidit eis vniuersa donaria filiorum Israël.] Hic deberet incipere trigesimumsextum capitulum: quoniam completo sermone Mosis ad populum, incipit hic executio à vocatione artificum. Et quoniam executio in his capitulis scripta, declarata quoad opera est, & correcta superiùs in capitulis vigesimoquinto, & sequentibus, vsque ad trigesimum primum; ideò ad scripta ibidem recurre, prudens lector, ne eadem repetamus. Monemus quoque lectorem, vt non moueatur à suprascriptis, si quid legerit in vulgata editione, aut alio Interprete dissonum: quoniam Hebraïca non dissonant, si ad verbum interpretentur: Interpretes enim Expositorum officio quandoque funguntur: qualia sunt, quæ in hoc capitulo, quum de vocatis incastraturis agitur, dicuntur, putà, *vt altera alteri iungeretur, & ex vtraque parte angulorum.* quæ in Hebræo non habentur. Et, vt dictum fuit, per *incastraturas* intelligendæ sunt *manus.* Et similiter, quum de vectibus tabularum agitur, dicitur: *Fecit quoque vectem alium:* quum tamen in Hebræo non habeatur nomen, *alium*; sed legatur: *Et fecit vectem medium.* quæ clausula, vt superiùs expositum fuit, manifestat conditiones cuiuslibet vectis, quòd transibat medius per tabulas ab extremo vsque ad extremum. In calce quoque capituli de columnis in introïtu tabernaculi dicitur, quòd *operuit eas auro.* cùm tamen in Hebræo hoc non habeatur; sed tantummodo, quòd *operuit summitates earum, & radios, seu filos cingẽtes eas auro.* per quod significatur, quòd columnæ ligneæ fabrefactæ erant, tanquàm si essent sculptæ per lineam helicam: ita quòd linea illa à summo vsque ad imum erat operta auro. Quod autẽ de basibus æneis subiungitur, *quas & operuit auro*, non est in Hebræo. Prætereo multa alia, ad supradicta, ac suprascripta remittens.

Qui cùm instarent operi, quotidie mane vota populus offerebat.

4. Vnde artifices venire compulsi,

5. Dixerunt Mosi: Plus offert populus, quàm necessarium est.

6. Iussit ergo Moses præconis voce [a] cantari: Nec vir, nec mulier quicquam vltrà offerat ad opus Sanctuarij. Sicque cessatum est à muneribus offerendis:

[a] Nota hanc legem.

7. Eò quòd oblata sufficerent, & superabundarent.

8. Fecerúntque omnes corde sapientes ad explendum opus tabernaculi cortinas decem de bysso retorta, & hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto, opere vario, & arte polymita.

9. Quarum vna habebat in longitudine vigintiocto cubitos, & in latitudine quatuor. Vna mensura erat omnium cortinarum.

10. Coniunxítque cortinas quinque, alteram alteri; & alias quinque sibi inuicem copulauit.

11. Fecit & quinquaginta ansas hyacinthinas in ora cortinæ vnius ex vtroque latere, & in ora cortinæ alterius similiter,

12. Vt contra se inuicem venirent ansæ, & mutuò iungerentur.

13. Et quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent cortinarum ansas: & fieret vnum tabernaculum.

14. Fecit & saga vndecim de pilis caprarũ ad operiendũ tectum tabernaculi:

15. Vnum sagum in longitudine habebat cubitos triginta, & in latitudine cubitos quatuor. Vnius mensuræ erant omnia saga,

16. Quorum quinque iunxit seorsum, & sex alia separatim.

17. Fecítque ansas quinquaginta in ora sagi vnius, & quinquaginta in ora sagi alterius, vt sibi inuicem iungerentur.

Verſ. 18. Fecit & fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tentorium, vt vnum pallium ex omnibus ſagis fieret.

19. Fecit & opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis, aliúdque deſuper opertorium de pellibus taxorũ.

20. Fecit & tabulas tabernaculi de lignis ſittim ſtantes.

21. Decem cubitorum erat longitudo tabulæ vnius, & vnum ac ſemis cubitum latitudo retinebat.

22. Binæ incaſtraturæ erant per ſingulas tabulas, vt altera alteri iungeretur. Sic fecit in omnibus tabulis tabernaculi.

23. E quibus viginti ad plagam meridianam erant contra Auſtrum,

24. Cum quadraginta baſibus argenteis. Duæ baſes ſub vna tabula ponebantur ex vtraque angulorum parte, vbi incaſtraturæ laterũ in angulis terminãtur.

25. Ad plagam quoque tabernaculi, quæ reſpicit ad Aquilonem, fecit viginti tabulas.

26. Cum quadraginta baſibus argenteis, & duas baſes per ſingulas tabulas.

27. Contra Occidentem verò (id eſt, ad eam partem tabernaculi, quæ mare reſpicit) fecit ſex tabulas.

28. Et duas alias per ſingulos angulos tabernaculi retrò.

29. Quæ iunctæ erant de deorſum vſque ſurſum, & in vnam compaginem pariter ferebantur: ita fecit ex vtraque parte per angulos.

30. Et fuerũt octo tabulæ, & baſes earum argenteæ ſexdecim, binæ, ſcilicet, baſes ſub ſingulis tabulis.

31. Fecit & vectes de lignis ſittim quinque ad continendas tabulas vnius lateris tabernaculi.

32. Et quinque alios ad alterius lateris tabulas coaptandas; & extra hos, quinque alios vectes ad occidentalem plagam tabernaculi contra mare.

33. Fecit quoque vectem alium, qui per medias tabulas ab angulo vſque ad angulum perueniret.

34. Ipſa autem tabulata deaurauit [b], & circulos eorum fecit aureos, per quos vectes induci poſſent, quos & ipſos laminis aureis operuit.

[b] Tradunt nonnulli, quòd tabernaculum in ſummis ſolennitatibus totum aureum videbatur, amotis cortinis; aliis verò feſtis cum vna apparebat, vel duabus cortinis contectum.

35. Fecit & velum de hyacintho, & purpura, & vermiculo, ac byſſo retorta, opere polymitario varium, atq; diſtinctũ:

36. Et fecit ei quatuor columnas de lignis ſittim, quas cum capitibus deaurauit, fuſis baſibus earum argenteis.

37. Fecit & velamen in introitu tabernaculi ex hyacintho, & purpura, & vermiculo, byſſóq; retorta, opere plumario.

38. Et columnas quinque cum capitibus ſuis, quas operuit auro, baſéſque earum fudit æneas, quas & operuit auro.

CAPVT XXXVII.

Fecit autem Beſalel & Arcam [a] de lignis ſittim, habentem duos cubitos, & ſemiſſem in longitudine, & cubitum ac ſemiſſem in latitudine: altitudo quoque vno cubito fuit, & dimidio. Veſtiuítque eam auro puriſſimo intus, ac foris.

VERS. I. [a] Hæc Arca, ſymbolum erat præſentiæ Dei, quaſi ſcabellum pedum Domini.

2. Et fecit illi coronam auream per gyrum.

3. Et fudit ei quatuor annulos aureos per quatuor angulos eius, duos annulos in latere vno, & duos in altero.

4. Vectes quoque fecit de lignis ſittim quos veſtiuit auro,

5. Et quos miſit in annulos, qui erant in lateribus Arcæ ad portandum eam.

6. Fecit & propitiatorium, (id eſt, oraculum,) de auro puriſſimo, duorum cubitorum, & dimidij in longitudine, & cubiti ac ſemiſſis in latitudine.

7. Fecit & duos Cherubim ex auro ductili, quos poſuit ex vtraque parte Propitiatorij,

8. Cherubim vnũ in ſummitate vnius partis, & Cherub alterum in ſummitate alterius partis: & fuerunt Cherubim in ſummitatibus Propitiatorij.

9. Extendentes alas, & tegentes Propitiatorium: ſéque mutuò, & illud reſpicientes.

10. Fecit & menſam de lignis ſittim in longitudine duorum cubitorum: & in latitudine vnius cubiti; quæ habebat in altitudine cubitum, ac ſemiſſem.

11. Circundedítque eã auro mundiſſimo: & fecit illi labium aureũ per gyrũ.

12. Ipſíque labio fecit coronam auream interraſilem quatuor digitorum: & ſuper eandem alteram coronam auream.

13. Fudit & quatuor circulos aureos, quos poſuit in quatuor angulis per ſingulos pedes menſæ,

14. Contra coronam: miſítque in eos vectes, vt poſſet menſa portari.

15. Ipſos quoque vectes fecit de lignis ſittim: & circundedit eos auro.

16. Fecit & vaſa ad diuerſos vſus mẽſæ (acetabula, phialas, & cyathos, & thuribula) ex auro puro, in quibus offerrentur libamina.

17. Fecit

17. Fecit & candelabrum ductile de auro purissimo; de cuius vecte calami, scyphi, sphærulæ, ac lilia procedebant.

18. Sex in vtroque latere: tres calami ex parte vna, & tres ex altera.

19. Tres scyphi in nucis modum per calamos singulos, sphærulæque simul, & lilia: & tres scyphi instar nucis in calamo altero, sphærulæque simul, & lilia. Æquum erat opus sex calamorum, qui procedebant de stipite candelabri.

20. In ipso autem vecte erant quatuor scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos, & lilia.

21. Et sphærulæ sub duobus calamis per loca tria: qui simul sex fiunt calami procedentes de vecte vno.

22. Sphærulæ, & calami ex ipso, erant vniuersa ductilia ex auro purissimo.

23. Fecit & lucernas septem cum emunctoriis suis, & vasa, vbi ea, quæ emuncta sunt, extinguantur, de auro mundissimo.

24. Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vasis suis.

25. Fecit & altare thymiamatis de lignis sittim, habens per quadrum singulos cubitos, & in altitudine duos: è cuius angulis procedebant cornua.

26. Vestiuitque illud auro purissimo cum craticula, ac parietibus, & cornibus.

27. Et fecit ei coronam aureolam per gyrum. Fecit quoque duos annulos aureos sub corona per singula latera, vt mitterentur in eos vectes, & posset altare portari.

28. Ipsos autem vectes fecit de lignis sittim, & operuit eos laminis aureis.

29. Composuit & oleum ad sanctificationis vnguentum, & thymiamata de aromatibus mundissimis opere pigmentarij.]

In hoc capitulo multa essent corrigenda: tria tantùm monebimus. Quum de Propitiatorio agitur, nomine *summitatis*, intellige *extremitatem*.

Quum de mensa propositionis agitur, per *coronam auream interrasilem*, intellige *clausuram*. Nec legas, *ipsi quoque labio*; sed, *ipsi mensa*. nec *alteram coronam super*; sed, *limbum clausuræ*, vt superiùs correctum fuit. Et similiter corrige, quæ de vasis huius mensæ subiunguntur. Et quum de altari thymiamatis agitur, tolle *craticulam*, & lege *tectum*.

CAPVT XXXVIII.

FEcit & altare holocausti de lignis sittim, quinque cubitorum per quadrum, & trium in altitudine: *Vers.* 2. cuius cornua de angulis procedebant: operuitque illud æneis laminis. *Vers.* 3. Et in vsus eius parauit ex ære vasa diuersa; lebetes, forcipes, fuscinulas, vncinos, & ignium receptacula. *Vers.* 4. Craticulámque eius in modum retis fecit æneam, & subter eam in altaris medio arulam: *Vers.* 5. fusis quatuor æneis annulis per totidem retiaculi summitates, ad immittendum vectes ad portandum. *Vers.* 6. Quos & ipsos fecit de lignis sittim, & operuit laminis æneis: *Vers.* 7. induxitque in circulos, qui in altaris lateribus eminebant. Ipsum autem altare non erat solidum: sed cauum ex tabulatis, & intus vacuum.] In hoc quoque capitulo eadem incede regula. Et hîc, vbi de altari holocausti agitur, ne legas, *cauum ex tabulatis*; vel, *vacuum inter tabulas*: quoniam Hebraïcè habetur, *vacuum tabularum*, hoc est, sine tabulis, vt superiùs declaratum fuit. Quum verò epilogus fit materiæ atrij, & dicitur, quòd capita columnarum cum cunctis cælaturis suis fuerunt argentea, legendum esset: *Et vncini earum, & ligamina eorum ex argento: & tecta sunt capita eorum argento.* sic enim habentur in litera Hebraïca. In qua hoc est nouum, quòd de ligaminibus vncinorum dicitur: nam hoc superiùs tacitum fuit. Et similiter, quod subiungitur, quòd columnas atrij vestiuit argento, intellige per, *vestiuit*, *cinxit*.

Verùm nouum quid scribitur hîc de concha ærea dicendo:

Vers. 8. Fecit & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecit concham æream, & basim eius æream in speculis conuenientium, quæ conuenerunt ad portam tentorij adunationis.* Dictio interpretata, *conuenientium*, participium est deductum ab exercitu, sicut & verbum, *conuenerunt*. Et quia fœminini generis est, significat mulieres ad instar exercitus (si dici liceret) exercituantes, quæ exercituauerunt portam tabernaculi: concursus siquidem mulierum ad portam tabernaculi describitur ad instar exercitus: ad insinuandum, vel multitudinem speculorum æreorum, quibus incrustata est concha tota, & propterea dicitur facta ex ære in speculis; vel qualitatem conchæ, ab occursu tot mulierum spectantium seipsas in illa: dictio enim interpretata, *speculis*, significat *visiones*: ac si dictum fuisset, *in visionibus conuenientium*. Ac si apertiùs diceretur: Fecit concham æream talem, quòd in illa videbunt seipsas exercitus mulierum. ita quòd non significatur concha incrustata speculis æris: sed ipsum æs conchæ tam tersum ac politum, vt esset, in quo sisterent, ad seipsas videndum, mulieres, ad instar exercitus conuenientes ad portam tabernaculi. Et hunc secundum sensum crediderim literalem, si verum est, quod dictione illa, *visiones*, significari audio.

Vers. 9. Fecit & atria, in cuius australi plaga erant tentoria de bysso retorta, cubitorum centum.

Vers. 10. Columnæ eorum viginti, & bases earum viginti æneæ: capita columnarum, & tota operis cælatura argentea.

Vers. 11. Et ad septentrionalem plagam tentoria centum cubitorum: columnæ eorum viginti, & bases earum viginti æneæ: capitum columnarum, & tota operis cælatura argentea.

Vers. 12. Ad plagam verò, quæ ad Occidentem respicit, fuerunt tentoria cubitorum quinquaginta: columnæ earum decem, & bases earum decem æneæ; capita columnarum, & tota operis cælatura argentea.

Vers. 13. Porrò contra Orientem quinquaginta cubitorum parauit tentoria:

Vers. 14. è quibus quindecim cubitos columnarum trium cum basibus suis vnum tenebat latus:

Vers. 15. Et in parte altera, quia inter vtraque introitum atrij fecit, quindecim æquè cubitorum erant tentoria, columnæque tres, & bases totidem.

Vers. 16. Cuncta atrij tentoria byssus retorta texuerat.

Vers. 17. Bases columnarum fuêre æneæ; capita autem earum cum cunctis cælaturis suis argentea; & ipsas columnas atrij vestiuit argento.

Vers. 18. Et in introitu eius opere plumario fecit velamen ex hyacintho, & purpura, & vermiculo, ac bysso retorta: quod habebat viginti cubitos in longitudine: altitudo verò quinque cubitorum erat iuxta mensuram, quam cuncta atrij tentoria habebant.

Vers. 19. Columnæ autem in ingressu fuere quatuor cum basibus æneis, capitáque earum, & cælaturæ argenteæ.

Vers. 20. Paxillos quoque tabernaculi, & atrij per gyrum fecit æneos.

Vers. 21. Hęc sunt instrumenta iuxta Hebræum habetur: *Ista numerata.*) tabernaculi testimonij, quæ enumerata sunt iuxta præceptum Mosis.] Tanquàm rubrica subiunctarum summarum auri, argenti, & æris præponitur.

In cæremoniis.] Iuxta Hebræum habetur, *ministerio*.

Leuitarum per manum Ithamar filij Aharon Sacerdotis: *Vers.* 22 quæ Besalel, filius Vri, filij Chur de Tribu Iehudæ, Domino per Mosen iubente compleuerat; *Vers.* 23. iuncto ei socio Ahaliab, filio Achisamac de Tribu Dan: qui & ipse artifex lignorum egregius fuit, & polymitarius, atque plumarius in hyacintho, & purpura, & vermiculo, & bysso] Describitur, quòd supputatio fuit facta iussu Mosis, ministerio Leuitarum, præsidente illis Ithamar [a], filio Aharon; facientibus autem opera Besalel, & Ahaliab, vt percipiamus, quòd ordinatè, & fideliter contrectatæ sunt res oblatæ pro tabernaculo diuino: ad hoc enim meminit Moses personarum, quarum curæ commissæ sunt res. Et Ithamar quidem, ac Leuitis tanquàm ratiocinia scribentibus; Besalel verò, & Ahaliab principalibus artificibus, vt ex istorum omnium relatione subiunctarum summarum notitia habita fuerit.

[a] Iste Ithamar præerat resolutioni tabernaculi, & compositioni onerum, ac translationi, quando castra soluenda erāt.

Vers. 24. Omne aurum, quod expensum est in opere Sanctuarij, & quod oblatum est in donariis, viginti, & nouem talentorum fuit, & septingentorum triginta siclorum, in siclo Sāctuarij. *Vers.* 25. Oblatum est autem ab iis.] Valdè manca est litera ista: nam in Hebræo, post explicatam summam auri, subiungitur summa argenti, dicendo: *Et argentum numeratorum Synagogæ centum talenta, & mille septingenti septuagintaquinque sicli in siclo Sanctuarij.* Ad differentiam argenti aliter oblati dicitur: *Argentum numeratorum Synagogæ.* Quia de argento duntaxat est sermo, quod oblatum fuerat numerando populum à numeratis, videlicet, viris à viginti annis, & suprà. Et hinc habetur prima numeratio populi executioni mandata iuxta præceptum superiùs scriptum, facta eodem anno, quo egressus est populus de Ægypto, iuxta montē Sinai ante conditum tabernaculum diuinum. Deinde sequitur: *Partitio ad caput dimidium sicli in siclo Sanctuarij, omni transeunti super numeratos à filio viginti annorum, & suprà, sexcentis millibus, & tribus millibus, & quingentis, & quinquaginta.* Perpende, quòd præter mulieres, & viros infra vigesimum annum, & vt creditur præter viros emeritę militiæ secūdùm ætatem, tantus erat numerus virorum à vigesimo anno, & suprà. Nec oportet immorari ad declarandum partitionem, seu distributionem hanc: quoniam ex superiùs scriptis, quum ordinata fuit numeratio populi, patet. Quod autem dicitur, *in siclo Sanctuarij*, ad differentiam communis, seu non exactè mensurati dicitur. Deinde subditur:

Vers. 26. Et fuit centum talenta argenti ad fundendum bases Sanctuarij, & bases veli, *Vers.* 27. centum bases centum talentis, talentum basi.] Manifestatur, quid de argento isto effectum fuerit: & primum quòd de centum talentis factæ sunt centum bases argenteæ; nonaginta, videlicet, sex bases sub tabulis quadragintaocto, & quatuor bases sub quatuor columnis veli separantis Sanctum à Sancto Sanctorum. Et ex æqualitate cuiuslibet basis descripta dicendo talentum basi, innuitur, quod rationabilius iudicauimus, scilicet, quòd bases sub tabulis erant rotundæ, & plana superficie terram tangentes, sicut bases columnarum: & ad hoc fortè insinuandum, paris argenti singulæ declarantur.

Vers. 28. De mille autem septingentis, & septuagintaquinque siclis fecit capita columnarum.] Iuxta Hebræum habetur: *Fecit vncinos columnis, & vestiuit capita earum, & cinxit ipsas.* Hæc tria ex reliquo argento confecta dicuntur, quæ omnia superiùs declarata fuerunt: nam nihil hîc additur, nisi quòd capita columnarum vestita sunt argento: hoc enim, recitando diuinam ordinationem, tacitum fuit.

Vers. 29. Æris quoque oblata sunt talenta septuaginta.] Hîc debet fieri punctus, & cum coniunctione copulatiua subiungi.

Et duo millia, & quadraginta sicli.] Errore siquidem Scriptorum legitur, *septuagintaduo millia.*

Vers. 30.

*Verſ.*30. Ex quo factæ ſunt baſes in introitu tentorij adunationis, & altare æneum cum craticula ſua, & omnia vaſa altaris, *Verſ.*31. & baſes atrij, tam in circumitu, quàm in ingreſſu eius; & omnes paxilli tabernaculi atque atrij per gyrũ.] Luſtra, prudens lector, vniuerſa facta ex ære, & perpendes nullam columnam fuiſſe æream; ſed omnes (vt ſuprà diximus) ligneas.

CAPVT [a] XXXIX.

[a] Hoc caput omiſsũ eſt à LXX. quia ſuperiorum eſt repetitio. Is enim eſt Hebræorum vſus, eadem ſæpè repetere, vt notat Eugubinus: nã Moſes vulgo ſcribens, vulgari eloquio, ſiloque plebeio hiſtoriam texuit.

VERS. I.

De hyacintho verò, & purpura, & vermiculo, ac byſſo fecit veſtes, quibus indueretur Aharon, quando miniſtrabat in Sanctis, ſicut præceperat Dominus Moſi.

Verſ. 2. Et fecit ſuperhumerale de auro, hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto, & byſſo retorta,

*Verſ.*3. Opere polymitario. Incidítque bracteas aureas, & extenuauit in fila, vt poſſent torqueri cum priorum colorum ſubtegmine.

*Verſ.*4 Fecit & duas oras ſibi inuicem copulatas in vtroque latere ſummitatum.

Verſ. 5. Et baltheum ex eiſdem coloribus, ſicut præceperat Dominus Moſi.

Verſ. 6. Parauit & duos lapides onychinos adſtrictos, & incluſos auro, & ſculptos arte gemmaria nominibus filiorum Iſraël: ſex nomina in lapide vno, & ſex in altero iuxta ordinem natiuitatis eorum.

*Verſ.*7. Poſuitque eos in lateribus ſuperhumeralis in monimentum filiorum Iſraël, ſicut præceperat Dominus Moſi.

*Verſ.*8. Fecit & rationale opere polymito, iuxta opus ſuperhumeralis, ex auro, hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto, & byſſo retorta.

*Verſ.*9. Quadrangulum fuit, duplex, menſuræ palmi.

Verſ. 10. Et poſuit in eo gemmarum ordines quatuor. In primo verſu erat ſardius, topazius, ſmaragdus.

11. In ſecundo carbunculus, ſapphirus, iaſpis.

Verſ. 12. In tertio ligurius, achates, & amethyſtus.

Verſ. 13. In quarto chryſolithus, onychinus, berillus; circundati, & incluſi auro per ordines ſuos.

Verſ. 14. Ipſique lapides duodecim, ſculpti erant nominibus duodecim Tribuum Iſraël: ſinguli per nomina ſingulorum.

Verſ. 15. Fecerunt in rationali & catenulas ſibi inuicem cohærentes, de auro puriſſimo.

Verſ. 16. Et duos vncinos aureos, totidémque annulos aureos. Porrò annulos poſuerũnt in vtroque latere rationalis.

Verſ. 17. E quibus penderent duæ catenæ aureæ, quas inſeruerũt vncinis, qui in ſuperhumeralis angulis eminebant.

Verſ. 18. Hæc & antè, & retrò ita conueniunt ſibi, vt ſuperhumerale, & rationale mutuò necterentur.

*Verſ.*19. Stricta ad baltheum, & annulis fortiùs copulata, quos iungebat vitta hyacinthina, ne laxa fluerent & à ſe inuicem mouerentur, ſicut præcepit Dominus Moſi.

Verſ. 20. Fecerunt quoque tunicam ſuperhumeralis totam hyacinthinam.

*Verſ.*21. Et capitium in ſuperiori parte contra medium, orámque per gyrum capitij textilem.

*Verſ.*22. Deorſum autem ad pedes mala punica ex hyacintho, & purpura, & vermiculo, ac byſſo retorta.

Verſ. 23. Et tintinnabula de auro puriſſimo, quæ poſuerunt inter malogranata in extrema parte tunicæ per gyrũ.

Verſ. 24. Tintinnabulum aureum, & malum punicum, quibus ornatus incedebat Pontifex, quando miniſterio fungebatur, ſicut præcepit Dominus Moſi.

*Verſ.*25. Fecerunt & tunicas byſſinas opere textili Aharon, & filij eius.

*Verſ.*26. Et mitras cum coronulis ſuis ex byſſo.

*Verſ.*27. Et feminalia linea byſſina.

*Verſ.*28. Et cingulum de byſſo retorta, & hyacintho, & purpura, ac vermiculo, diſtinctum arte plumaria, ſicut præcepit Dominus Moſi.

*Verſ.*29. Fecerunt & laminam ſacræ venerationis de auro puriſſimo, ſcripſerúntque in ea opere gemmario, Sanctum Domini.

*Verſ.*30. Et ſtrinxerunt eam cum mitra, & vitta hyacinthina, ſicut præcepit Dominus Moſi.]

In hoc quoque capitulo recurre ad ſupraſcripta, ſeruata differentia, quòd ibi mandatur, *facies*: hîc verò ſcribitur executio, *fecerunt*. Vnde multa mutanda aduerte: nam & *balthei* nomen pro artificio ſumitur, quum de ſuperhumerali & pectorali agitur: & magna eſt varietas deſcribendo pectorale, quod Interpres vocat rationale. De tunica quoque hyacinthina ne fallaris legendo: *Deorſum autem ad pedes*, quoniam in Hebræo nulla fit mentio *pedum*. Quòd autem dicitur: *Et mitras cum coronulis ſuis*, non tibi ingerat mitras coronatas: quoniam

niam in Hebræo habetur: *Et mitram ex bysso, & glorias galerorum.* Vt tamen diximus, nescimus figuras horum, quibus tegebantur capita Aharon, & filiorum.

Vers. 31. Perfectum est igitur omne opus tabernaculi tentorij adunationis.] Aduerte, prudens lector, quòd, tam hîc, quàm sæpè alibi Scriptura distinguit tentorium à tabernaculo diuino; ad insinuandum, vtrunque concurrisse, videlicet, tentorium, & tabernaculum. Et tabernaculum quidem appellat, iuxta superiùs descripta, illud lineum operimentum, contextum, vt suprà, descriptum est: tentorium autem operimenta desuper apposita ex pilis caprarum, & pellibus, &c. Posset nihilominùs intelligi, quòd supra totum ædificium tabernaculi extendebatur tentorium protegens tabernaculum à pluuia: tegmen enim ex pellibus non sufficiebat ad hoc, & frequens in Hebræo repetitio tentorij adiuncti tabernaculo, innuit hunc sensum esse complectendum ad literam.

Fecerúntque filij Israël cuncta, quæ præceperat Dominus Mosi. *Vers.* 32. Et obtulerunt tabernaculum, & tectum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecerunt venire tabernaculum ad Mosen, tentorium.*

Et vniuersam supellectilem eius, annulos, tabulas, vectes columnas, ac bases eius. *Vers.* 33. & opertorium de pellibus arietum rubricatis; & aliud operimentum de pellibus taxorum, *Vers.* 34 & velum cortinæ, arcam testimonij, & vectes eius, & Propitiatorium, *Vers.* 35. mensam cum omnibus vasis suis, & panibus propositionis, *Vers.* 36. candelabrum mundum, lucernas eius, & omnia vtensilia eius cum oleo luminaris, *Vers.* 37. altare aureum, & vnguentum, & thymiama ex aromatibus, *Vers.* 38. & velamen introïtus tentorij. *Vers.* 39. altare æneum, & retiaculum eius æneum, vectes eius, & omnia vasa eius, labrum cum basi sua, tentoria atrij, columnas eius cum basibus suis, *Vers.* 40. & velamen introïtus atrij, funiculósque, & paxillos eius, & omnia vasa ministerij tabernaculi in tentorio adunationis, *Vers.* 41. vestes quoque quibus Sacerdotes vtuntur in Sanctuario (Aharon, scilicet, & filij eius) obtulerunt filij Israël, sicut præceperat Dominus. *Vers.* 42 Quæ postquàm Moses cuncta vidit completa, benedixit eis.] Narrata confectione rerum omnium, narratur, quòd portauerunt res omnes ad Mosen. Et iterum numerantur in Litera: ad insinuandum solennitatem oblationis: vt intelligeremus, quòd ordinata processione cum magna celebritate tulerunt res distinctè ad Mosen, & Moses benedixit illis.

CAPVT XL.

VERS. I.

a Vide, quæ Author scribat Numer. 7 circa hanc tabernaculi erectionem.

LOcutus est Dominus ad Mosen, dicens [a].] Nomen est tetragrámaton, tam hìc, quàm in omnibus istis capitulis: vt etiam tēpus erectionis tabernaculi, & vsus illius diceretur à Deo. *Vers.* 2. Mense primo die prima mensis eriges tabernaculū tentorij adunationis: *Vers.* 3 & pones in eo arcam, dimittésque ante illam velum: *Vers.* 4. & illata mensa pones super eam, quæ ritè præcepta sunt: candelabrum stabit in lucernis suis. *Vers.* 5. Pones & altare aureū, in quo adoletur incensū coram arca testimonij, & velamen introïtus ad tabernaculū: *Vers.* 6. & pones altare holocausti corā introïtu tabernaculi tentorij adunationis. *Vers.* 7. Labrum quoque pones inter altare, & tentorium adunationis, quod implebis aqua. *Vers.* 8. Et pones atriū circumcirca, & dabis velamen portæ atrij. *Vers.* 9. Et assumpto vnctionis oleo, vnges tabernaculum cū vasis suis, vt sanctificentur: *Vers.* 10 altare holocausti, & omnia vasa eius, *Vers.* 11. labrum cū basi sua, omnia vnctionis oleo consecrabis, vt sint Sancta Sanctorum.] Interpres omnia simul inuoluit: nā in Hebræo, post sanctificandum tabernaculum cum vasis suis, subditur: *Et erit sanctum. Et vnges* [b] *altare holocausti, & omnia vasa eius: & sanctificabis altare, & erit altare Sanctum Sanctorū.* Deinde subditur: *Et vnges concham, & basim eius, & sanctificabis ipsam.* In quibus verbis triplex sanctitatis gradus inter hæc manifestatur: nam concha vnctione sanctificatur; sed de ea non dicitur: *Et erit sanctū.* tabernaculū verò vnctione, & sanctificatur, & erit sanctum: altare autem holocaustorum vnctione & sanctificatur, & erit Sāctum Sanctorum, vtpote sanctificans alia.

b Quæ olim Deo initiabantur, oleo iñ̄gi consueuerunt. Quam cæremoniam primos Patriarchas tradidisse constat, etiam ante legem. Nā de Iacob legimus, erexisse lapidem in titulum, fundendo oleum desuper: his vnctionibus Spiritus Sancti (qui *vnctio* in Scriptura vocatur) fidem protestantes.

Vers. 12. Applicabísque Aharon, & filios eius ad fores tentorij adunationis: & lotos aqua, *Vers.* 13. indues sanctis vestibus, vt ministrent mihi, & lotio in eorum sacerdotium proficiat in sempiternum.] Iuxta Hebræum sententia clara est: *Et erit eis ad esse eis vnctionem eorum ad sacerdotium semper in generationibus suis.* Vbi manifestè Deus statuit, Aharon, & filios eius secundùm carnalē successionem perpetua generatione fore Sacerdotes: & hoc post peccatum Aharon; tum ad commendationem diuinæ gratiæ; tum ad tollendam humanam ambiguitatem, an Moses affectu fraterno, an Deus ipse dederit sacerdotiū Aharon, præcipuè post tantū idololatriæ crimē.

Vers. 14. Fecitque Moses omnia, quæ præceperat Dominus. *Vers.* 15. Igitur mēse primo [c] anni secūdi in prima die mēsis collocatū est tabernaculum.] Clarè patet, quòd adhuc non cōpleto primo anno à die egressus ex Ægypto erectum est tabernaculū. Nā ex Ægypto egressi sunt quintadecima die primi mensis. *Vers.* 16. Erexitq; illud Moses: & posuit bases, ac tabulas, & vectes eius, statuitq; colūnas eius. *Vers.* 17. Et expādit tētoriū super tabernaculū, imposito desuper operimēto, sicut Dominus imperauerat Mosi. *Vers.* 18. Posuit & testimoniū in arca.] Iuxta Hebr. clariùs habetur: *Et tulit, & dedit testificationē theca.* De tabulis lapideis est sermo: illas enim *testificationē* appellat. Et dicit, quòd Moses accepit eas ex loco, vbi recondiderat illas, & locauit illas in theca. Et statim subditur: Et posuit vectes super thecam.] Præceptum siquidem diuinum erat, vt vectes thecæ essent semper in annulis, qui erant in superiori parte laterum thecæ: & propterea dicitur, *super thecam.*

c Hic mēsis primus, mensis *Nisan* vocatur, vt videre potest Esther 3. cap.

Et

Et oraculum desuper.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dedit Propitiatorium supra thecam desuper.* Superiùs exposita sunt hæc. Et aduerte, prudens lector, quòd nec in confectione, nec in oblatione rerum facta est mentio Propitiatorij, sed modò in collocatione rerum fit mentio illius: ad insinuandum, quòd non omnia explicitè scripta sunt in huiusmodi supputationibus: vt per hoc intelligamus, multa fuisse facta, quæ non sunt scripta. In cuius signum, nec etiam in ista collocatione fit mentio Cherubinorum sustentantium Propitiatorium: sed dicendo, quòd dedit Propitiatorium su ra arcam desuper, implicitè insinuauit, quòd dedit illud Cherubinis, alioquin in aëre fuisset suspensum: quum non solùm esset supra arcam; sed desuper.

Vers. 19. Cúmque intulisset Arcam in tabernaculum, posuit velum super arcam testimonij, vt expleret Domini iussionem. *Vers.* 20. Posuit & mensam in tentorio adunationis ad plagam septentrionalem extra velum: *Vers.* 21. ordinatis super eam panibus coram Deo, sicut præceperat Dominus Mosi. *Vers.* 22. Posuit & candelabrum in tentorio adunationis è regione mensæ in parte australi: *Vers.* 23. locatis per ordinem lucernis coram Deo, iuxta præceptum Domini. *Vers.* 24. Posuit & altare aureum in tentorio adunationis contra velum.] Hinc clarè apparet, quòd altare thymiamatis erat extra Sanctum Sanctorum inter candelabrum, & mensam propositionis directè contra velum, & (vt superiùs patet) directè contra arcam, & propitiatorium: quod est esse in medio respiciendo ad occidens.

Vers. 25. Et super ipsum adoleuit incensum aromatum, sicut præceperat Dominus Mosi. *Vers.* 26. Posuit & velamen introïtus tabernaculi. *Vers.* 27. Et altare holocausti posuit in vestibulo tabernaculi tentorij adunationis: offerens in eo holocaustum, & sacrificia.] Iuxta Hebræum habetur: *Et munus.* Sonat autem apud Hebræos oblationem ex flore farinæ.

Vt Dominus imperauerat Mosi. *Vers.* 28. Labrum quoque statuit inter tentorium adunationis, & altare, implens illud aqua. *Vers.* 29. Lauerúntque in eo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et lauabunt de ea Moses, & Aharon, ac filij eius manus, & pedes suos.*

Vers. 30. Cùm ingrederentur tentorium adunationis, & accederent ad altare, sicut præcepit Dominus Mosi.] Nec significatur igitur præterita ablutio; sed futura: nec significatur, quòd in ipsa concha fieret ablutio; sed quòd de ipsa; hoc est, quòd de ipsa fluebat aqua abluens manus, & pedes.

Vers. 31. Erexit & atrium per gyrum tabernaculi, & altaris.] Hinc apparet, quòd altare holocausti erat intra ambitum atrij: & sic intùs, vt cortina loco valuarum atrij non posset lædi ab igne altaris.

Et dedit velamen portæ atrij. Postquàm autem cuncta perfecta sunt, *Vers.* 32. operuit nubes tentorium adunationis, & gloria Domini impleuit illud.] Iuxta Hebræum habetur: *Et honor* יהוה *impleuit tabernaculum.*

Vers. 33. Nec poterat Moses ingredi tentorium adunationis: nube ipsum operiente, & maiestate Domini implente tabernaculum.] Ecce diuinæ præsentiæ signum: ecce promissio diuinæ præsentiæ inter eos executioni mandata. Et tunc quidem abundantiùs. Nam duplex signum sensibile scribitur: nubes supra tentorium tegens illud: honor autem (hoc est, splendida lux) intùs, non in vna parte, sed vniuersum tabernaculum impleuit, ita quòd totum splendebat. Et propterea nec Moses poterat licitè ingredi tabernaculum. Magnæ siquidem temeritatis fuisset, attentare ingressum loci occupati à diuina præsentia. Posteà autem perseuerauit diuina præsentia in vno duntaxat signo; videlicet, in nube supra tabernaculum; die quidem in forma nubis; nocte autem in forma ignis. Et quia, vt inferiùs describitur, tabernaculum locabatur in medio populi; ideò etiam ad literam verificatur diuina præsentia in signo sensibili continua in medio populi.

Vers. 34. Si quando nubes tabernaculum deserebat, proficiscebantur filij Israël per turmas suas: *Vers.* 35. si pendebat desuper, manebant in eodem loco[d].] Iuxta Hebræum non *deserto*, sed, *ascensus* nubis describitur: ita quòd in ascensu nubis à supra tabernaculum, profecturi erant filij Israël in omnibus profectionibus suis; & in non ascensu nubis non mouebantur, vsquequò esset ascensus nubis: sic enim Hebraïca sonat Litera, manifestans aliud miraculum diuini ducatus; videlicet, quòd sensibili signo ascensus, & non ascensus, manifestabat Deus, tanquàm eorum dux, quando debebant proficisci, & quando quiescere.

Vers. 36. Nubes enim Domini incubabat per diem tabernaculo, & ignis in nocte: videntibus cunctis populis Israël per cunctas mansiones suas.] Iuxta Hebræum habetur: *Oculis omnis domus Israël in omnibus profectionibus eorum.* Perseuerantia describitur nubis in die, & ignis in nocte extensa ad omnes profectiones eorum. Perseuerauit ergo, quousque venerunt ad terram promissionis diuina præsentia in medio eorum. Et sic finitur liber Exodi. Amen.

[d] Hinc crediderim, tempore illo, quo Israëlitæ manserunt in monte Sinaï, nubis columnam illis defecisse, eò quòd tã citò inde castra non mouenda essent: nam, si nubem habebant, nubisque ducatu mouebantur castra, vidētes nubem non moueri, quomodo petebant Deos, qui illos præcederent, volebãtque ea immota, castra mouere. Præterea, cùm etiam hic dicatur, nubem tabernaculum operuisse, verisimile est, eam tũc de nouo visã esse: nam, si ex alio loco ad tabernaculũ mota fuisset, verè eius motus Scriptura mẽtionem fecisset, sicut & fecit, cum à parte anteriori castrorũ mota est ad partem posteriorem inter Ægyptios & filios Israel, Exodi 14.

THOMÆ

THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS S. XISTI, IN LEVITICVM COMMENTARII.

CAPVT I.

VERS. 1. ET vocauit Mosen, & locutus est Dominus ei de tentorio adunationis dicens.] Scito in primis, quòd in his tribus capitulis Deus semper nominatur יהוה. Et vocatio ista Mosis, ac allocutio diuina de tabernaculo, scripta est, ad manifestandum, non solùm per hoc aliud signum placuisse Deo tabernaculum factum; sed etiam adimplesse Deum pollicita: vt & vocet, & alloquatur Mosen in tabernaculo, & non sit opus ascendere in montem Sinaï ad loquendum Deo, seu ad audiendum ipsum.

Vers. 2. Loquere filiis Israël, & dices ad eos: Homo, quando offeret ex vobis hostiam Domino de pecoribus[a].] Leges promulgat Deus iam erecto tabernaculo de sacrificiis, & oblationibus. Quarum prima est de materia sacrificij quadrupedum, quòd si oblatio fuerit ex quadrupedibus, duo tantùm quadrupedum genera offerantur; videlicet bouinum, & pecudis; sub pecude tamen comprehendendo etiam caprinum: ita quòd reliqua animalia quadrupedia, & reptilia excludūtur à diuinis sacrificiis: & propterea, cùm dicitur de pecoribus, intellige quadrupedia: & cùm subditur:

Id est, de bobus, & ouibus offerens victimas.] Corrige literam: *De bobus, & de pecudibus offeretis oblationem vestram.* Non significantur oues; sed est nomen commune ouibus, & capris, vt subiuncta clarè manifestant.

Vers. 3. Si holocaustum fuerit eius oblatio, ac de armento.] Iuxta Hebræum habetur: *De bobus.* Dicit: *Si holocaustum fuerit.* ad differentiam aliorum sacrificiorum: holocaustum enim appellatur illud sacrificium, in quo totum animal cremabatur Deo. Dicit, *de bobus*, ad differentiam aliorum animalium.

Masculum immaculatum offeret.] Considera, prudens lector, singulas particulas huius secundæ legis de holocausto bouino: quia continet etiam ritum holocausti: vt intelligas vniuersum ritum holocausti. Decernuntur enim in primis conditiones bouis offerendi in holocaustum duæ: altera quoad sexum, quòd sit masculus: altera, quoad qualitatem, quòd sit immaculatus. Vitula ergo excluditur: & similiter vitulus æger, seu mancus.

Ad ostium tentorij adunationis.] Decernitur locus, ad quem ducendus est vitulus ab offerente; videlicet, ante ostium tabernaculi.

Ad placandum sibi Dominum.] Manca est hæc litera. Legendum est: *Ad voluntatem suam faciei Iehouah.* Et dicendo, *ad voluntatem suam*, (proculdubiò hominis offerentis,) tempus liberum decernitur; hora, videlicet, quam elegerit ipse offerens. Vt intelligeret populus, quòd quacunque hora posset quisque ad libitum offerre proprium holocaustum. Dicendo autē, *faciei* יהוה, situs decernitur; videlicet, quòd iuxta portam tabernaculi offeratur vitulus versùs faciem Iehouah, hoc est, versùs propitiatorium: vt per hunc situm, & oblatio monstretur directa Deo, & offerentis deuotio excitetur ad eum.

Vers. 4. Ponétque super caput hostiæ manus.] Decernitur modus istius primæ actionis hominis offerentis: videlicet, quòd vitulo statuto coram Deo, ponat offerens vtrãque manum iunctam super caput vituli. Legendum enim censent: *Et coniunget manum suam super caput holocausti.* Non desunt Hebræi dicentes, quòd coniunctio non refertur ad manus inter se; sed ad manum, & holocaustum: vt manu tangatur caput holocausti. Sic perficiebatur prima actio cuiusque hominis offerentis in impositione manuum super caput vituli coram Deo: ita quòd ipsa impositio manuum coram Deo erat dicatio vituli coram Deo: & propterea subiungitur illius quasi efficacia.

Et acceptabilis erit, atque in expiationem eius proficiens.] Effectus oblationis promittitur: sed iuxta Hebraïcum vnicus: non enim dicitur, & quòd placebit, & quòd expiabit; sed duntaxat, *quòd placebit ei.* (proculdubiò, Deo,) ad expiandum ipsum offerentem à peccatis suis.

[a] Vt mediatoris fides publicaretur, & quod per sanguinē ipsius, Deus sanctificaturus esset credētes, ab initio orbis terrarū, adumbratio huius sanguinis, & sacrificij à Patriarchis celebrata est per sanguinē pecorum. volebāt nanque mundo publicare sacrificiū Christi futurum, cuius sanguine peccata expiarentur. Hinc & gentes, & orbis ferè vniuersus retinuerunt sacrificia iuxta externā speciem, omnia à Patriarchis mutuata, veritatem in iniustitia retinentes, vt ait Paulus. Vnde & alicubi apud idololatras mos inoleuerat sacrificādi homines: quod etsi fuerit crudelissimū, & Instinctu satanæ factū; ea tamen occasione id eos fecisse puto, quòd à Patriarchis prædicatum fuerat, hominem venturum, qui suo sacrificio, & sanguine placaret irā Dei. Vnde cōsummato Christi in Cruce sacrificio, mox tam Iudæorum, quàm gentium sacrificia abrogari cœpta sunt, vt hoc tēpore nec reliquiæ quidem sacrificiorū in vlla publica gente supersint. Id quod maximum argumentum est, Christum iā aduenisse contra Iudæos.

Vers. 5.

Vers. 5. Immolabitque vitulum coram Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Et iugulabit.* Statuitur siquidem, tam modus occidendi, quàm occisor. Modus quidem, quòd in iugulo percutiatur: occisor autem, quòd ille homo, qui offert holocaustum, occidat vitulum. Et hæc est secunda actio immolantis hominis: occidat autem ibidem coram Iehouah.

Et offerent filij Aharon Sacerdotes sanguinem eius, fundentes per altaris circumitum.] Statuitur consequenter officium Sacerdotum, quando offert holocaustum ab aliquo homine. Et prima Sacerdotis actio decernitur, offerre sanguinem iugulati vituli: secunda autem aspergere sanguinem super altare in circumitu. Et hæc quidem secunda manifesta est: primam autem crediderim fieri eleuando malluuium cum sanguine coram Deo: Hebraica enim Litera cum coniunctione copulatiua explicat vtranque actionem: sed Interpres coniunctionem abstulit; sicut etiam aspersionis nomen mutauit, & tacuit præpositionem, *super*. Legendum est:

Et aspergent sanguinem super altare in circumitu, quod est ante ostium tentorij adunationis.] Hoc est, spargent ex supernis circuncirca altare terreum: non enim altaris nomine intelligitur hîc ambitus tigillorum vestitorum ære; sed ipsum corpus altaris, super quod fiebat holocaustum: ita quòd Sacerdos tenens manu malluuium cum sanguine, extẽdẽdo manus supra tigillos vsque ad perpẽdicularem lineam super corpus altaris terrei, spargebat eundo circuncirca sanguinem: erat enim iuxta annotata in Exodo inter cribrum, & corpus altaris, quædam fossa circuncirca, in qua moriebatur sanguis sparsus absque dedecore, & fœtore.

Vers. 6. Detractaque pelle hostiæ.] Confundit Interpres sensum: nam Hebraicè habetur: *Et faciet excoriare holocaustum.* Transitus de numero plurali in numerum singularem, manifestat, quòd non de Sacerdotibus, sed de homine offerente loquitur: decernitur enim, quòd excoriare holocaustum, pertinet ad hominem offerentem: & conceditur offerenti, vt per alium excoriet, dicendo: *Et faciet excoriare.*

Artus in frusta concident.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dimembrabit illud ad membra sua.* Quarta hominis offerentis actio decernitur valdè manifesta.

Vers. 7. Et subiicient in altari ignem, strue lignorum antè composita.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dabunt filij Aharon Sacerdos ignem super altare, & ordinabunt ligna super ignem.*

Vers. 8. Et membra, quę cęsa sunt, desuper ordinabunt.] Cerne, quàm dispar est vulgata editio. Decernuntur siquidem post Sacerdotis officium circa sanguinem vituli, actiones Sacerdotis circa cremandum vitulum; tum ignem in altari pro hoc holocausto locare, extrahendo aliquid ignis de perpetuo igne iugis holocausti; tum construere ligna super illum ignem; tum tertiò cæsa membra vituli super dicta ligna disponere, vt crementur. Et dicitur, *filij Aharon*, appositiuè *Sacerdos*, vt intelligamus, quòd vnus Sacerdos sufficit ad sacrificium holocausti: nec refert, quisnam ex filiis Aharon Sacerdos affuerit; soli enim filij Aharon erant Sacerdotes: & proptereà vtrunque dicitur; primùm, *filij Aharon*; deinde, *Sacerdos*.

Caput, videlicet, & cuncta, quę adhærent iecori.] Iuxta Hebræum habetur: *Caput, & adipem super ligna, quæ super ignem, qui super altare.* Decernitur ordo locandi membra vituli super ligna; vt, videlicet, immediatè super ligna locentur caput, & adeps.

V. 9. Intestinis, & pedibus lotis aqua.] Iuxta Hebræum habetur: *Et illud intra ipsum, & genua eius lauabit in aquis.* Transitus iterum de numero plurali in numerum singularem, testatur, quòd hæc actio pertinet ad hominem offerentem, & non ad filios Aharon. Et quadrat, vt illius sit officium, abluere, cuius est excoriare, & dimembrare: vt purgata, & munda omnia dentur Sacerdoti cremanda ab eo.

Adolebitque ea Sacerdos super altare.] Iuxta Hebræum habetur: *Et thurificabit Sacerdos omnia ad altare.* Dictio interpretata, *thurificabit*, à thure quidem deducta est; sed translata ad significandum, cremare ad instar thuris; & ideò quoad rem significatam rectè transferunt, transferentes, *& suffire faciet*: significatur enim ignis temperatus sic, vt incendatur holocaustum euaporando, quemadmodum thus; & non ardeat flamma: & quia sæpè verbum hoc repetitur, & repetitio expositionis fastidiret, circunloquemur, ne lector fallatur dicendo, *instar thuris incendet.*

Holocaustum incensum odor quietis Iehouah.] Manifestatio est totius sacrificij à totalitate, ab igne, ab euaporatione, à suauitate digna quiete diuina. Quod vltimum metaphoricè dicitur ad significandum, quòd quemadmodum odor suauis placet homini, & sine fastidio, si est odor quietis; ita offerentium, & sacrificantium deuotio placet Deo: & quia hoc sæpè repetitur, sufficiat semel exposuisse.

Vers. 10. Quòd si de pecoribus oblatio est, de ouibus, siue de capris in holocaustum.] Lata lege de holocausto quadrupedum maiorum, promulgatur consequenter lex de holocausto quadrupedum paruorum. Vbi manifestè explicantur duo genera; ouium, scilicet, & caprarum: vt hinc intelligamus, vtrunque genus comprehensum in prima lege sub nomine pecudis.

Agnum anniculum, & absque macula offeret.] Iuxta Hebræum habetur: *Masculum immaculatum offeret ipsum.* Eædem conditiones decernuntur in holocausto ex capris, vel ouibus, quæ decretæ sunt in holocausto ex bobus: & breuiter vniuersus ritus in holocausto ex bobus statutus, statuitur quoque in holocausto ex ouibus, vel capris.

Vers. 11. Immolabitque ad latus altaris, quod respicit ad Aquilonem coram Domino.] Hoc non fuerat explicatum in ritu bouis; videlicet, quòd iuxta septentrionale latus altaris iugularetur holocaustum. Sed intellige hoc commune holocaustis etiam bouinis: suppletur enim hîc, quod ibi tacitum fuit: & Interpres vtitur *immolare*, pro *iugulare.*

Sanguinem verò illius fundent super altare filij Aharõ per circumitũ. *Vers.* 12. Diuidéntque membra, caput, & omnia, quæ

quæ adhærent iecori.] Singularis est numeri apud Hebræos: *Et dimembrabit illum membris eius, caput eius, & adipem eius.* quia de offerente homine loquitur, vt & dimembret, & separet adipem: quod vltimum priùs non explicauerat.

Et imponet super ligna, quibus subiiciendus est ignis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ordinabit Sacerdos ea super ligna, quæ super ignem, qui super altare.* Eadem est sententia, quæ de capite, & adipe vituli dicta fuerat.

Vers. 13. Intestina verò, & pedes lauabunt aqua[b].] Iuxta Hebræum habetur: *Et intestinum, & genua lauabit in aquis.* De offerente enim homine est sermo: vnde & statim resumitur Sacerdotis nomen, dicendo:

b Erant etiam ibidē mensæ per duos ordines dispositę, in quibus victimas sanctas abluebant.

Et offeret Sacerdos omnia, & instar thuris incendet ad altare.] Quæ superiùs exposita sunt. Deinde subditur:

Holocaustum ipsum incensum odor quietis Iehouah.] Quæ intellige, vt priùs.

Vers. 14. Si autem de ouibus holocausti oblatio eius fuerit Domino.] Lex de holocausto ex volatilibus statuitur: & primò decernitur materia holocausti, dicendo:

Offeret de turturibus, vel de filiis columbæ oblationem suam.] Per hanc legem excluduntur cætera volatilia à sacrificio Dei. Deinde subditur:

Vers. 15. Et offeret eam Sacerdos ad altare.] Non decernuntur similes cęremoniæ in holocausto auium, quæ decretæ sunt in holocausto quadrupedum: sed statuitur, quòd immediatè Sacerdos oblatam turturem offerat ad altare, eleuando ipsam coram יהוה.

Et retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco.] Iuxta Hebræum habetur: *Et incidet caput eius, & instar thuris ad altare incendet.* Nihil dicitur de tortione colli, nec de vulnere, sed amputatio capitis, & incensio ipsius capitis super altare statuitur. Et quoniam absque vlla discretione contextus sit, apparet, quòd Sacerdos incidebat caput eius. Veruntamen, quia dictio interpretata, *incidet* (vt aiunt) non significat incisionem totalem; ideò vulnus intelligitur infixum gutturi absque præcisione capitis à corpore turturis. Et quod subditur, *& incendet*; rationem reddit, quare non separaretur hac incisione caput: quia reseruatur incendendum instar thuris in holocaustum cum corpore turturis.

Et decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris.] Iuxta Hebræum habetur passiuè. *Et exprimetur sanguis eius super parietem altaris.* Non sufficit legi decursus spontaneus sanguinis; sed exigit expressionem sanguinis, ne pars sanguinis moriatur in turture. Super parietem verò altaris intellige, vt suprà: nisi quòd non circumcirca, sed in vno tantùm loco sanguis iste exprimebatur absque medio malluuio.

Vers. 16. Vesiculam verò gutturis, & plumas.] Iuxta Hebræum habetur: *Et faciet remouere vesiculam eius cum pluma eius.* Quis esset minister hæc faciens, non est scriptum. Deinde subditur:

Et proiiciet illam ad latus altaris ad orientem, ad locum cineris.] Ne intelligas locum cineris foueam aliquam; sed vas æreum, in quo portabatur cinis, qui remouebatur ex altari. Et considera hîc honorari magis locum iuxta altare versùs tabernaculum, quàm locum iuxta altare versùs populum: orientale enim latus altaris erat versùs populum; occidentale autem versùs diuinum tabernaculum. Statuitur enim, vt vasa cineris, & immunditiarum in orientali plaga sint, vt remotissima sint à diuino tabernaculo: vt intelligamus, quòd in huiusmodi corporeis immunditiis, pluris facere debemus loca coram Deo, quàm loca coram hominibus.

Vers. 17. Confringétque ascellas eius, & non secabit, neque ferro diuidet eam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et findet eam cum alis suis, non faciet separare.* Nihil dicitur de ferro; sed planus sensus Literæ est, quòd turtur non dimēbretur, non secetur in plures partes, sed findatur in medio; & sic cum aliis integra cremetur: nam statim subiungitur:

Et instar thuris incendet eam Sacerdos ad altare super ligna, quæ super ignem.] Intellige hæc, vt suprà. Omnia clara sunt, nisi quòd dubium ingerit Sacerdotis nomen reassumptum, tanquàm insinuet, quòd actus findendi turturem non fiebat à Sacerdote, sed per ministrum: in cuius etiam signum scriptum est: *Non faciet separare.* tanquam Sacerdos iuberet findi quidem turturem integram cum alis; sed non separari membra. Fortè per Leuitas hoc faciebat Sacerdos.

Holocaustum est, & oblatio suauissimi odoris Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Holocaustum ipsum incensum odor quietis Iehouah.* Et est datiui casus, *Iehouah.* Hæc superiùs exposita sunt.

CAPVT II.

VERS. 1.

Anima, cùm obtulerit oblationem sacrificij Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Et anima, cùm offeret oblationem munus Iehouah.* Et est datiui casus, *Iehouah.* Post leges de holocausto ex animalibus dat Deus leges de holocausto ex nō animalibus. Verùtamē & re, & nomine differt hoc genus holocausti ab illo: quoniam illud secundùm rem cremabatur totum; huius verò pars vna cremabatur: & propterea illud appellatur holocaustum; hoc verò appellatur munus: sed munus tale, quòd aliquid eius cremabatur Deo per modum holocausti: & propterea post leges de holocausto simpliciter, subiungitur lex de holocausto secundùm quid.

Simila erit eius oblatio.] Sicut materia holocausti ex animalibus limitata est ad certas animalium species; ita materia muneris, cuius aliquid est per modum holocausti cremandum, limitatur ad similam. Intelligendo per similam florem farinæ; & extenso similæ nomine ad ipsam sub diuersa forma; videlicet, sub forma farinæ, sub forma panis, siue assi, siue frixi; & denique sub forma grani in spica: ita quòd sola huiusmodi simila decernitur materia offerenda Deo in munus, cuius pars cremanda sit per modum holocausti. Solam autem similam intellige absque exclusione annexarum ei rerum; olei, videlicet, & salis, & thuris, vt

vt infrà patet. Significanter autem dicitur, *anima*: ad insinuandum differentiam huius oblationis a priore: quia enim offerre holocausta solis viris congruebat per seipsos (vt actiones offerenti attributæ testantur;) ideò lex holocaustorum incepit dicendo: *Non qui offeret*. quia verò offerre munus, cuius aliquid est cremandum, commune erat viris, & mulieribus; ideò lex incipit dicendo: *Et anima*.

Fundétque super eam oleum, & ponet thus.] Annexæ res decernuntur, *oleum*, & *thus*.

Vers. 2. Ac deferet ad filios Aharon Sacerdotes: quorum vnus tollet pugillum.] Non est in Hebraïco Textu clarum, an de Sacerdote, an de offerente sit hîc sermo: quia Sacerdotes pluraliter sunt prænominati dicendo: *Ad filios Aharon Sacerdotes*. & statim subditur in numero singulari.

Et accipiet inde plenum pugillum suum de simila eius, & de oleo eius super omne thus eius: & instar thuris incendet Sacerdos recordationem eius ad altare.] Potest tamen referri *Sacerdos* ad vtrûque præpositum verbum; videlicet, *& accipiet*, & *instar thuris incendet*. Et hunc arbitror esse sensum literalem; & fuisse hunc ritum, vt homine offerente similam conspersam oleo, adhibito thure super similam in vase, Sacerdos ex illo vase, accipiens pugillum plenum incenderet super altare holocausti totum id, quod comprehensum est pugillo. Quod autem dicitur, *super omne thus*, non est clarum, an dictio, *omne*, iungatur præpositioni, *super*. & sit sensus; *& thus super omne*: an iungatur cum nomine, *thus*, & sit sensus; *& omne thus desuper*. Et iuxta hunc secundum sensum non solùm decernitur situs superior thuris; sed differentia inter thus, & similam, ac oleum, penes hoc, quòd similæ, ac olei pars tantùm incendebatur; thus autem totum incendebatur. Et hic sensus quadrat materiæ, vt, videlicet, simila cum oleo cederet in vsus Sacerdotum; thus autem soli Deo. Et appellatur id, quod incenditur, *recordatio eius*, hoc est, offerentis, humano more loquendo: cùm enim vas plenum aliquorum fructuum alicui Principi offertur, sumit, vel sumi mandat Princeps aliquid inde pro se ipso in recordationem offerentis: & hoc fit in signum beneuolæ acceptionis. Ad instar ergo Principis statuit Deus, vt ex munere oblato aliquid incendatur sibi, tanquàm beneuolè suscipienti munus ab offerente homine.

In odorem suauissimum Domino*.] Iuxta Hebræum habetur: *Incensum odorem quietis Iehouah*. Manifestatio est sacrificij, in qua cerne differentiam: in præcedenti enim capitulo de holocaustis scriptum est: *Holocaustum incensum odor quietis Iehouah*. in hoc verò de muneribus, quorum aliquid crematur, scribitur duntaxat: *Incensum odor quietis Iehouah*. quia enim non totum munus incendebatur, holocausti nomen adimitur.

*Figurata locutio est in his verbis: nam, quemadmodum nos epularum nitore, ac suaueolentia delectamur, & reficimur: ita cordis pietate, ac deuotione Deus gaudet, quasi dicere volês: Animi gratitudo, & alacritas fidei talis offerentis vehemêter Deo placebit.

Vers. 3. Quod autem reliquum fuerit de sacrificio.] Iuxta Hebræum habetur, *de munere* (seu oblatione.)

Erit Aharon, & filiorum eius, sanctum sanctorum de oblationibus Domini.] Legendum esset, *de incensis Iehouah*. Propterea enim sanctum sanctorum, (hoc est, præcipuum inter sancta alimenta) est hoc: quia est de incensis, hoc est, de oblatis, vt aliquid incendatur Deo: & hoc ad differentiam aliarum oblationum, quarum nihil cremabatur Deo.

Vers. 4. Cùm autem obtuleris sacrificium coctum in clibano de simila.] Nomen *sacrificij* in hoc capitulo placuit Interpreti: nam iuxta Hebræum habetur nomen *muneris*. Tractauit priùs ritum offerendi similam crudam, ac per hoc sub forma farinæ: subiungit modò ritum offerendi ex simila coctum in furno.

Panes, scilicet, absque fermento conspersos oleo.] Iuxta Hebræum habetur: *Placenta azyma mixta oleo*. Miscendum præcipitur oleum pastæ placentarum, quando fiunt.

Et lagana azyma oleo lita.] Inducit me modus, qui in Litera seruatur, scribendi diuersa coquendi genera, ad intelligendum, non lagana, sed crustulas: quia lagana coquuntur lixando; crustulæ autem assando; ita quòd placentis, quæ assando coquuntur, adiunguntur crustulæ, quæ etiam assando coquuntur, vt intelligamus, siue placentas, siue crustulas offerat. Sunt autem crustulæ tenuissimæ placentulæ, vt meritò appellentur crustulæ: quia totum, quod sunt, crusta est; quarum vsus vsque hodie est inter delicias, cum sacchARO tamen Legendum itaque est: *Et crustulæ azymæ vnctæ oleo*. Non admiscetur confectioni crustularum oleum; sed factæ liniuntur oleo, vt habiles sint diuinæ oblationi.

Vers. 5. Si oblatio tua fuerit de sartagine.] Iuxta Hebræum habetur: *Et si munus super clibano*. Ecce modus, qui seruatur in Litera scribendi diuersa coquendi genera: post scriptum siquidè genus assandi in furno, quod fit ex simila; describitur genus assandi in clibano, hoc est, in vase æreo subtecto: vas enim hîc nominatum non est sartago, (hoc est, vas frixorium, quoniam hoc tertio loco significatur;) sed aiunt, Hebraïcam dictionem sonare vas amplum quidem, sed non multùm altum; & propterea interpretata est, *sartago*. Et verè nomen quadrat, sed non ad frixationis officium. Hoc in loco intelligendum est vas sartagini simile, in quo etiam hodie fiunt ex pasta mixta oleo huiusmodi panis species, difficilis digestionis secundùm Medicos.

Simila conspersa oleo, & azyma erit.] Intellige per conspersionem, mixturam: ita quòd pasta miscenda erat oleo: sic enim sonant Hebraïca.

Vers. 6. Diuides eam minutatim.] Plùs dicit Interpres: nam Hebraïcæ Literæ sufficit diuidere in frusta: habetur enim: *Diuidendo ipsam in frusta*.

Fundes super eam oleum.] Non coquebatur integrè, sed cum partitione in frusta pasta ista hoc secundo modo.

Munus ipsa.] Quod vulgata editio non habet: & dicitur pro ratione fundendi oleum super illam.

Vers. 7. Si autem de craticula fuerit sacrificium, æquè simila conspergetur oleo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et si munus frixorij oblatio tua, simila in oleo fiet*. Semper itaque in iis, quæ ex simila fiunt, oleum adhiberi, quando fiunt, præcipitur. Et hic quoque prudens

prudens lector cernere potest modum seruatum in Litera, describendo diuersa genera coquendi: hic enim est tertius, & vltimus. Ex quibus patet, quòd nulla species panis elixi, nulla species subcinetitij panis; sed quatuor duntaxat species panis ad huiusmodi oblationem admittebantur, placentæ, crustulæ, clibanitij, & frixi panes.

Vers. 8. Quam offerens Domino, trades in manibus Sacerdotis.] Iuxta Hebræum communis omnibus antedictis ritus describitur: *Et offeres munus confectum ex istis* אלהים, *& offeres ipsum Sacerdoti.* Primùm offert Deo placentam, tanquàm munus: deinde offert illam Sacerdoti.

Vers. 9. Qui cùm obtulerit eam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et offeret ipsam ad altare.* Præcipitur, vt Sacerdos acceptam placentam offerat Deo iuxta altare.

Tollet memoriale de sacrificio, & adolebit super altare.] Iuxta Hebræum habetur: *Et eleuabit Sacerdos ex munere recordationem eius; & ad instar thuris incendet ad altare.* Non sufficit, vt offerens obtulerit Deo, & Sacerdos obtulerit placentam ad altare: sed exigitur, vt frustū illud, quod est incendendum (quod in multas particulas diuisum est, super quod fusum est oleū) eleuet coram Iehouah, & deinde incendat instar thuris super altare.

In odorem suauitatis Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Incensum odor quietis Iehouah.* Et omnia iam sunt exposita.

Vers. 10. Quicquid autem reliquum est, erit Aharon, & filiorum eius, sanctum sanctorum de oblationibus Domini.] Legendum est, *de incensis Iehouah.* Expone, vt suprà.

Vers. 11. Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermēto fiet: nec quicquam fermenti, ac mellis adolebitur in sacrificio Domini. *Vers.* 12. Primitias tātùm eorum offeretis, & munera; super altare verò non ponentur in odorē suauitatis.] Generalis lex promulgâtur, quòd nec fermentatum, nec mellitum aliquid offeratur in munus, cuius aliquid cremandum sit Deo; possint tamen offerendo primitias Deo offerri, & mellita, & fermentata; quia oblatio primitiarum non erat munus, cuius aliquid cremandum esset Deo. Et appellatione mellis intellige, tam mel apum, quàm mel cannæ.

Vers. 13 Quicquid obtuleris sacrificij[b], (legendum est, *muneris tui,*) sale condies.] Generalissima videtur lex de sale, ex eo, quod subditur: *In omni oblatione tua offeres sal.* Et ratio interponitur dicendo:

[b] In his ritibus sacrificiorū plurima perscripta sunt, nequaquam vt singula aliquid in Christo, & corpore eius, adumbrarent; sed vt rudior iste populus pro ruditate sua (vt natura omnes solemus) ad cæremonias, & certos ritus in sacris propendens, in obedientia Dei seruaretur; & ita diuinitùs præceptis obseruationibus occuparetur, vt vel non sibi fingeret proprias, vel à gentibus mutuaretur alienas. Ita enim ingenium hominum cæremoniis deditum est, vt nulla vnquam gens fuerit, aut hodie sit, quæ non innumeras sibi excogitarit, & statuerit.

Nec auferes sal pactum Elohe tui de sacrificio tuo: in omni oblatione offeres sal.] Alibi scriptum est, *pactum salis*: hîc verò scribitur appositiuè ad sal, *pactum Elohe tui.* Ratio siquidem nūquam omittendi salem redditur: quia oblatio salis erat professio fœderis inter Deum, & populū. Ad iugē itaque memoriam, ad iuge signū, ad iugem professionem fœderis inter Deum legislatorē, & ipsum populum mandatur, quòd semper adhibeatur sal diuinæ oblationi: & propterea mādatur hoc personæ offerenti cuiuscumque conditionis esset. Quare autem sal signum erat fœderis, nec hîc, nec ibi scriptum est: quia tunc temporis in regionibus illis frequenti vsu hoc erat notorium.

Vers. 14. Si autē obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virētibus.] Tractatur postremò de munere similæ in forma granorum in spica.

Torrebis eas igni, & confringes in morem farris: & sic offeres primitias tuas Domino, *Vers.* 15. fundens super eas oleum, & thus imponens.] Iuxta Hebræum nihil dicitur de farre: nec fractionis, sed contusionis mentio fit: ita quòd ritus erat, quòd spicæ torrebantur, deinde grana tundebantur: & super tusa oleum, & desuper thus ponebatur; & pars eius incendebatur Deo instar thuris; reliquum verò erat Sacerdotum, quemadmodum de aliis muneribus dictum est Vnde & in Hebræo post appositum oleum, & thus subiungitur:

Munus ipsa. *Vers.* 16. Et instar thuris incendet Sacerdos recordationem eius de contusione eius, & de oleo eius super omne thus eius, incensum Iehouah.] Vnde apparet, Interpretem expositoris officium assumpsisse. Nec oportet hæc aliter exponere, quàm suprà.

CAPVT III.

VERS. 1.

SI autem hostia pacificorum fuerit eius oblatio, & de bobus voluerit offerre marem, siue fœminam, immaculata offeret coram Domino: *Vers.* 2. ponétque [a] manum super caput victimæ suę.] Primum, ac supremum sacrificij genus erat holocaustum, de quo tam simpliciter, quàm secundùm quid tractatum est. Consequenter tractatur de secundo sacrificij genere, quod appellatur sacrificium pacificorum. Et à pace nominatur hoc genus sacrificij, quod pro gratiarum actione, vel pro impetratione alicuius gratiæ offerebatur, ea ratione, quia hominibus in statu quietis tranquillæ congruebat: tempori enim tribulationis holocausta, vel hostiæ pro peccato congruebant; quoniam ex illis nihil comedebant offerentes. In sacrificio verò pacificorum offerentes epulabantur in lætitia: tantùm enim ferè, quod sacrificabatur, animal comedebatur ab offerentibus: propterea à statu offerentium appellatur sacrificium pacificorum. Et quoniam materia facilè intelligibilis est, colligemus legem, ritúmque eius. Materia in primis pacificæ hostiæ erant duntaxat animal bouinū, aut ouinū, aut caprinū: tacēdo enim volatilia, excludit omnes aues ab huiusmodi sacrificio. Et hæc est prima differentia quoad materiam inter holocaustum, & hostiam pacificam. Altera est, quòd in holocausto masculus tantùm; in hoc verò sacrificio, tam mas, quàm fœmina sacrificari poterat; sine macula tamen. Ex hac hostia porrio cremanda Deo per modum holocausti, erat vniuersa pinguedo separabilis, & ambo renunculi. An autem cauda etiam incendenda Deo esset, non clarè patet, nisi quando sacrificium pacificum erat ex ouibus. Et est ratio ambiguitatis: quia in solis ouibus fit mentio caudæ. Mos autem Scripturæ supplendi in subsequentibus, omissa in præcedentibus, suadet,

[a] Impositio manuum fuit Hebræis admodum familiaris, vbi aliquid commendabatur, vel offerebatur Deo. Sic Iacob imponit manus duobus filiis Ioseph Gen. 48. Sic & Christus imposuit manus super paruulos. Erat nanque impositio manuum symbolum futuri diuini auxilij. Nam manum porrigere, auxiliari est.

vt

vt intelligamus, etiam in bouinis, & caprinis caudam comprehendi sub portione Dei: de parte autem Sacerdotum nihil hîc dicitur; sed reseruatur inferiùs explicandum. Ritus autem idem erat, qui & in holocausto, videlicet, quòd offerens offerebat animal coram Iehouah, & coniungebat manum suam super caput eius, & iugulabat ipsum ad ostium tabernaculi diuini: Sacerdos verò sumptum sanguinem spargebat super altare in circumitu;& omnem pinguedinem, & renunculos, & caudam instar thuris incendebat super altare. Circa literam verò corrige.

Quæ immolabitur in introitu tabernaculi testimonij[b].] Legendum est: *Et iugulabit ipsum ad portam tentorij adunationis.*

[b] Hos ritus ferè omnes, in sacrificiis Patriarcharum obseruatos legimus. Quare ab illis fatendum est traditos esse.

Fundentque filij Aharon Sacerdotes sanguinem per circumitum altaris *Vers.* 3. Et offerent de hostia pacificorum incensum Domino; adipem, qui operit vitalia, & quicquid pinguedinis intrinsecùs est, *Vers.* 4. & duos renes cum adipe,quo teguntur ilia, & reticulum iecoris cum renunculis.]Iuxta Hebræum habetur: *Adipem, qui operit intestinum, & omnem adipem,qui super intestinum, & duos renunculos, & adipem, qui super ipsos,qui super ilia, & qui superfluit super hepar, super renunculos auferet.* Et hanc lectionem serua etiam in sequentibus: quoniam idem repetitur in ouibus, & capris. Ex quibus apparet, quòd pinguedinem separabilem à visceribus, & internis animalis duntaxat reseruat sibi Deus; & non decernitur,vt caro pinguis secetur, ita quòd particulæ pingues tollantur,& incendantur Deo. Quod ideò annotauerim,vt subiunctæ in calce capituli legis sensus appareat.

Vers. 5. Adolebuntque ea filij Aharon super altare in holocaustum.] Iuxta Hebręum habetur: *Ad altare super holocaustum, lignis igne supposito.* Et secundùm proprietatem verborum statuitur, quòd huiusmodi portio non constituat holocaustum seorsum: sed apponatur super holocaustum iuge, quod perseuerabat in altari. Nec dissonat intelligere, quòd concurrente multitudine pacificarum hostiarum simul, si aliud quàm iuge holocaustum inueniebatur in altari holocaustorum,super illud quoque poni posset huiusmodi portio: Litera enim non dicit, super holocaustum iuge; sed, *super holocaustum.*

In oblationem suauissimi odoris Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Incensum odor quietis Iehouah.* quod & superiùs expositum est.

Vers. 6. Si verò de ouibus fuerit eius oblatio, & pacificorum hostia, siue masculum,siue fœminam obtulerit,immaculata erunt omnia. *Vers.* 7. Si agnum obtulerit coram Domino, *Vers.* 8. ponet manum suam super caput victimæ suæ, quæ immolabitur coram tentorio adunationis. Fundentque filij Aharon sanguinem eius per circumitum altaris, *Vers.* 9. & offerent de pacificorum hostia sacrificium Domino, adipem, & caudam totam *Vers.* 10. cum renibus.]Iuxta Hebræum habetur: *Caudam totam contra renes.* Significatur enim, non quòd cauda cum renibus, sed cauda ipsa integra vsque ad spinam dorsi exclusiuè incendatur: conligatur enim cauda spinæ dorsi, quæ hîc appellatur, *renes*, eò quòd in illa parte,quà iungitur caudæ,renunculos sustinet.

Et pinguedinem, quæ operit ventrem, atque vniuersa vitalia, & vtrunque renunculum, cum adipe,qui est iuxta ilia, reticulúmque iecoris cum renunculis, *Vers.* 11. & adolebit ea Sacerdos super altare in pabulum ignis, & oblationis Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Panis incensi* [Hebrew]. Assimilatur pani portio ista; eò quòd, quemadmodum panis est præcipuum inter alimenta, ita hoc est præcipuum inter ea, quæ incenduntur Deo: vt per hanc similitudinem intelligeretur, quòd quemadmodum panis in pastu exigitur hominum; ita hoc in sacrificiis exigebat Deus.

Vers. 12. Si capra fuerit eius oblatio, & obtulerit eam Domino, *Vers.* 13. ponet manum suam super caput eius, immolabítque eam coram tentorio adunationis. Et fundent filij Aharon sanguinem eius super circumitum altaris, *Vers.* 14. tolléntque ex ea in pastum ignis Dominici.] In Hebræo nihil habetur de pastu.

Adipem, qui operit ventrem, & qui tegit vniuersa vitalia, *Vers.* 15. & duos renunculos cum reticulo, qui est super eos, iuxta ilia, & aruinam iecoris cum renunculis, *Vers.* 16. adolebitque ea Sacerdos super altare in alimoniam ignis, & suauissimi odoris.] Iuxta Hebræum habetur: *Panis incensum in odorem quietis.* Complectitur integram rationem portionis, quæ cremabatur, necessitatem à pane, ignem altaris ab incensione, modum incendendi ab odore, & demum quod Deo placet,à quiete.

Omnis adeps, Domini erit, *Vers.* 17. iure perpetuo in generationibus,& cunctis habitaculis vestris.] Non sufficit Deo, vt incendatur adeps pacificorum; sed statuit perpetua lege, vt omnis adeps reseruetur incendendus Deo:dicendo enim: *In cunctis habitaculis vestris.* manifestat, quòd non tantùm de adipe victimæ pacificæ, sed etiam de adipe animalium, quæ communiter comedebantur, siue domi, siue in macello occiderentur,loquitur. Dicendo verò: *Quod reseruatur Deo.* (proculdubiò incendendus)restringit ad adipē animalium immolabilium:adeps enim animalium non immolabilium (qualis est adeps ceruorū, bubalorum,anserum,gallinarum,&c.)non cōprehenditur sub hac lege;sed animalium duntaxat,quæ sunt in genere immolabilium,vt boues, capræ, oues, turtures, & columbæ.

Nec adipem, nec sanguinem omninò comedetis.] Iuxta Hebræum habetur: *Omnem adipem, & omnem sanguinem non comedetis.* Lex ista, quantùm ad esum sanguinis, vniuersaliter proculdubiò est intelligenda: quantùm verò ad adipem,in quæstionem vertitur propter adipem animalium non immolabilium, quæ licitè manducari poterant. Et quia lex ista tanquàm appendix præcedentis legis instituitur, ratio legis insinuatur: quia adeps omnis debitus est Iehouah: & propterea quāuis lex secundùm sonum verborum cōprehendat

hendat omnem adipem; ſecundùm tamen rationem legis (quæ eſt velut anima legis) non comprehendit niſi adipem animalium, quæ licitè immolari poſſunt: quoniam ſolus talis adeps comprehenditur ſub præcedente lege: *Omnis adeps* [Hebrew] אלהים. Et hic eſt ſenſus literalis. In cuius ſignum inferiùs cap. 17. longo ſermone tractatur prohibitio eſus ſanguinis, adiuncta ratione legis: nunquam autem reperitur prohibitio eſus adipis: vt & hinc intelligeremus, quòd lex prohibens eſum adipis, appendix eſt legis dereſeruato Deo adipe. Et intellige (vt ſuprà diximus) vtranque legem de adipe ſeparabili ab internis animalium: quilibet enim tenebatur reſeruare adipem huiuſmodi, & offerre in vſum altaris holocauſtorum ad parendum legibus iſtis.

CAPVT IV.

Vers. 1. LOcutúſque eſt Dominus ad Moſen, dicens.] Nomen eſt tetragrammaton vbique in his duobus capitulis. Poſt holocauſtum, & hoſtiam pacificam tertium ſacrificij genus ſtatuitur, quod appellatur, *ſacrificium pro peccato*: & diſtinguitur in duo genera, quorum alterum nominatur pro peccato, alterum pro delicto. Et illud quidem eſt pro peccato communiter; hoc autem eſt pro peccato in Deum. De illo itaque eſt ſermo in hoc capitulo; de altero verò in ſequentibus.

Verſ. 2. Loquere filiis Iſraël. Anima, quæ peccauerit.] Aptè peccare attribuitur animæ: quoniam ipſa eſt, quæ principatur in actu peccandi: corpus enim miniſtrat animæ.

Per ignorantiam.] Iuxta Hebræum habetur, *in errore*. Sed ſenſus in idem redit: quoniam errare neſcientis eſt. Et per hoc excluditur à legibus huius capituli peccatum commiſſum non errore, ſed ſtudioſè, hoc eſt, à ſciente, & volente.

Et de vniuerſis mandatis Domini, quæ præcepit, vt non fierent, quidpiam fecerit.] Clarè ſenſum Hebraïcæ Literæ reddidit Interpres: nam de præceptis negatiuis eſt ſermo: ſed Hebraïcè obſcurior. Si autem perceperis, quòd, ſicut fides ſumitur quandoque pro re credita, ita præceptum nominatur res præcepta; facilè intelliges, & Latina, & Hebraïca, quæ ſonant diuina præcepta non facienda, hoc eſt, actiones non faciendas diuinitùs præceptas: præceptis enim negatiuis contrahitur peccatum commiſſionis. Per tranſgreſſionem tamen præceptorum negatiuorum intellige, & violationem negatiuorum, & violationem affirmatiuorum illorum, quæ non pura omiſſione violantur; ſed violantur communiter admixta commiſſione, verbi gratia: *Vnum cole Deum.* communiter violatur colendo alium pro Deo: & propterea comprehenditur eius, & ſimilis violatio ſub violatione præceptorum negatiuorum. Affirmatiua verò illa, quæ pura omiſſione violantur communiter (vt præcepta de teſtificando, de exequendo promiſſa, & huiuſmodi;) diſtinguuntur in hoc tractatu contra præcepta negatiua, vt teſtantur ſubiunctæ tres leges in ſequenti capitulo.

Verſ. 3. Si Sacerdos, qui vnctus eſt.] Ex eo, quòd non dicit: Si Sacerdos abſolutè; ſed, *Si Sacerdos vnctus*, de Pontifice eſt ſermo: quoniam ſolus ipſe fuſo ſuper caput oleo vnctionis erat vnctus, vt patet Exodi 29. & inferiùs capite 8. Tractatur ſiquidem in hoc capitulo de peccato per errorem relatiuè ad quatuor peccantium genera, Pontificem, populum, Principem, & quemlibet popularem. Et incipit à Pontifice tanquàm à ſupremo.

Peccauerit delinquere faciens populum[a].] Iuxta Hebræum habetur: *Peccabit in delictum populi.* Ambiguum eſt, an adiecta particula, *in delictum populi*, ſit limitatio, an manifeſtatio: poteſt enim intelligi, quòd non de quocunque Pontificis peccato eſt ſermo; ſed de illo peccato, quod redundat in populū, & ſic eſſet limitatio: & poteſt intelligi, vt ſit ſermo de omni peccato Pontificis, & manifeſtetur grauitas omnis peccati eius ex redundantia in populum: peccatum enim Pontificis ſuapte natura redundat in populum, vel ſcandalo, vel exemplo; & magnam vim habet trahendi alios ad peccandum. Hic ſenſus amplectendus videtur, vt non exigatur, populum peccaſſe ex peccato Pontificis; ſed ſat ſit, quòd Pontifex peccauerit, non peccato penitùs occulto; ſed peccato, ex quo etiam populus potuit peccare. Et eſt ſermo de peccato per errorem, vt clarè contextus manifeſtat.

[a] Hoc eſt, in ſcandalum populi.

Offeret pro peccato ſuo vitulum immaculatum.] Iuxta Hebræum adiungitur: *Ad* חטאת *in catah*, hoc eſt, in ſacrificium pro peccato. Taurus, ſiue iuuencus Hebraïcè habetur materia huius ſacrificij: taurus immaculatus (hoc eſt, abſque ægritudine, & defectu) decernitur.

Verſ. 4. Et adducet illum ad oſtium tentorij adunationis coram Domino: ponétque manum ſuper caput eius, & immolabit eum Domino. *Verſ.* 5. Hauriet quoque de ſanguine vituli, inferens illum in tentorium adunationis. *Verſ.* 6. Cúmque intinxerit digitum in ſanguine, aſperget eum ſepties coram Domino contra velum Sanctuarij: *Verſ.* 7. ponétque de eodem ſanguine ſuper cornua altaris thymiamatis gratiſſimi Domino, quod eſt in tentorio adunationis: omnem autem reliquum ſanguinem fundet in baſim altaris holocauſti in introitu tentorij adunationis. *Verſ.* 8. Et omnem adipem vituli offeret pro peccato, tam eum, qui vitalia operit, quàm omnia, quæ intrinſecùs ſunt, *Verſ.* 9. & duos renunculos, & reticulum, quod eſt ſuper eos iuxta ilia, & adipem iecoris cum renunculis, *Verſ.* 10. ſicut aufertur de vitulo hoſtiæ pacificorum: & adolebit ea ſuper altare holocauſti. *Verſ.* 11. Pellem verò, & omnes carnes cum capite, & pedibus, & inteſtinis, & fimo, *Verſ.* 12. & reliquo corpore efferet extra caſtra in locum mundum, vbi cineres effundi ſolent, incendétque ea ſuper lignorum ſtruem, quæ in loco effuſorum cinerum cremabuntur.] Ritus huius ſacrificij ſtatuitur, vt ipſe Pontifex offerat taurum iuxta oſtium tabernaculi, & coniungat manū ſuam ſuper

super caput tauri, & iugulet taurum coram Iehouah, & ex suscepto sanguine tauri in malluuio sumat in vasculo, & ingrediatur cum illo in tabernaculum,& intincto digito suo in sanguine, aspergat septies contra velum diuidens inter Sanctum, & Sanctum Sanctorum: deinde super cornua altaris thymiamatis de eodem sanguine ponat: & demum quoad sanguinem, totum sanguinem tauri exiens de tabernaculo fundat ad fundaméntum altaris holocaustorum: deinde duos tauri renunculos, & adipem vniuersum, quemadmodum superiùs descriptum est, instar thuris incendat super altare holocausti: & postremò ipsum taurum integrum comburat extra castra in loco mundo, vbi effunduntur cineres super ipsos cineres. Hic est ritus sacrificij pro peccato Pontificis. Litera autem in multis corrigenda esset: sed parui refert, quòd basim pro fundamento, & quòd bis renunculos cremandos dicat: est enim similis error quemadmodum in antedictis descriptionibus adipis. Et quòd *immolare* vtitur, pro *iugulare*, & huiusmodi. Aduerte, clerice, quantum erat studium erga honorem diuini cultus, quòd etiam definitus erat locus, in quo cinis sublatus ex altari recondebatur; & locus ille mundus, non profanus erat: vt intelligamus, nefas fuisse, cineres altaris in humanos vsus conuerti: super illos enim cineres taurus pro peccato Pontificis suppositis lignis comburebatur, & non instar thuris incendebatur.

Vers. 13. Quòd si omnis turba filiorum Israël ignorauerit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et si omnis Synagoga Israel errabunt.* Et parui refert, quòd iuxta Hebræum diffusior est sermo, subiungendo: *Et erit occulta res ab oculis adunationis, & facient vnum ex omnibus præceptis Iehouah. quæ non fient, & peccabunt; & scietur peccatum, quod peccabunt super illud.* Tangitur enim primùm in genere error latens: deinde in specie actio contra mandata diuina negatiua, talis, vt constituerit eos peccantes: quod dicitur ad differentiam ignorantiæ totaliter excusantis. Sed quæstio est, an sit sermo de peccato totius Israël duntaxat; an etiam de peccato populi vnius ciuitatis: Hebræi enim carent diuersitate nominum ad significandum omne, vel totum: & propterea dubitatur, an tota Synagoga Israël, an omnis Synagoga Israël significetur. Solutio est, quòd hic est sermo de cuiuscunque ciuitatis populo: vt ex duobus insinuatur subiunctis. Alterum est, *senes Synagogæ coniungent manus suas.* & non dicitur; senes Synagogæ totius Israël. Alterum est in calce, *pro peccato congregationis:* & non dicitur pro peccato congregationis totius Israël. Cum hoc tamen intellige quòd idem intelligitur statutum sacrificium pro peccato totius Israël. Quum ergo dicitur: *Et si omnis Synagoga Israël peccabunt.* ad differentiam aliarum congregationum (scilicet, sectarum, puta Synagogæ Pharisæorum, Synagogæ Essæorum, & eiusmodi) apponitur, *Israel.* priuilegium enim Synagogæ Israëlitæ decernitur, quòd Pontifex expiet peccatum illius: si enim pro peccato alicuius particularis congregationis sacrificandum esset, sufficiebat simplex Sacerdos. Nec intelligas peccatum Synagogæ sic, quòd singuli peccauerint: sed sufficit, quòd communi consensu contra præcepta negatiua Dei aliquid fecerint.

Ignorauerit, & per imperitiam fecerit.] Iuxta Hebræum habetur: *Errabunt, & latebit res ab oculis adunationis.* Vbi clarè error latens peccantes describitur. Et significanter scribitur, *ignorantia adunationis*, ad insinuandum, quòd de peccato loquitur communi. Nec intelligo adunationem tumultuariam in campo, vel in platea ciuitatis; sed adunationem, quæ fit in concilio ciuitatis: de peccato enim huiusmodi Synagogæ hinc apparet esse sermonem.

Quod contra mandatum Domini est.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecerint vnum de omnibus præceptis* אלהים, *quæ non fient, & delinquent.* Vbi manifestè (vt exposuimus) intelligendo præcepti nomine rem præceptam, sermo est de peccato contra præcepta negatiua.

Vers. 14. Et posteà intelligent peccatum suum, offerent pro peccato suo vitulum.] Et in Hebræo adiungitur, *chatah*; hoc est, sacrificium pro peccato.

Adducéntque eum ad ostium tentorij adunationis: *Vers.* 15. & ponent seniores populi manus super caput eius coram Domino [a].] Taurus, seu iuuencus, materia est huius sacrificij. Ritus quoque idem est, qui in præcedenti; seruata tamen diuersitate offerentium: quia hic Synagoga offert taurum iuxta portam tabernaculi, & senes Synagogæ ponunt manus suas super taurum, quamuis in vulgata editione dicatur, *seniores populi.*

[a] Illud adnotare debes, quòd tempore sacrificiorum, dumque hæ omnes cæremoniæ peragerentur, Leuitæ cantores Deo laudes & hymnos modulabantur.

Immolatóque vitulo in conspectu Domini, *Vers.* 16. inferet Sacerdos, qui vnctus est, de sanguine eius, in tabernaculum testimonij.] Iuxta Hebræum transitur de plurali numero in singularem.

Et iugulabit taurum coram Iehouah: & faciet venire Sacerdos vnctus de sanguine tauri ad tentorium adunationis: *Vers.* 17. tincto digito aspergens septies contra velum.] Non est perspicuum, an, *& iugulabit*, iungatur subiuncto Pontifici; an iungatur cum Synagoga. Crediderim ego iungi cum Synagoga, quia regulare erat, vt offerens iugularet animal, quod offerebat in sacrificium, tam ex bobus, quàm ex ouibus, quàm ex capris.

Vers. 18. Ponétque de eodem sanguine in cornibus altaris, quod est coram Domino in tentorio adunationis: reliquum autem sanguinem fundet iuxta basim altaris holocaustorum, quod est in ostio tentorij adunationis: *Vers.* 19. Omnémque adipem eius tollet, & adolebit super altare. *Vers.* 20. Et sic faciet de hoc vitulo, quomodo fecit & priùs, & rogante pro eis Sacerdote, propitius erit eis Dominus.] Hoc non fuit scriptum in sacrificio pro peccato Pontificis: nec Hebraica sonant, *rogare*, seu *orare*, sed *quasi parcere.* Vnde & trásferendú censent: *Et expiabit super eos Sacerdos, & dimittetur eis.* Incertus nobis relinquitur modus, quo Pótifex expiabat super eos, an orando, an manus imponendo, an signo aliquo quasi absoluédi. Et subiúgitur promissa à Deo venia, vt Sacerdotis ministerio Deus assistés intelligatur ad efficiédú id, quod actio Pontificis significat. Et

Et discerne inter hoc,& præcedens sacrificium, quòd hîc promittitur venia; ibi non: quia ibi Pontifex pro peccato proprio sacrificans priuatur promissione veniæ, vt pauidus perseueret; hîc verò promittitur populo venia intercedente Pontifice,vt populus confidat in Deo per diuinum cultum ab ipso institutum.

Verf. 21. Ipsum autem vitulum efferet extra castra, atque comburet, sicut & priorem vitulum: quia pro peccato est multitudinis.

Verf. 22. Si peccauerit Princeps.] Nomen Principis non restringitur ad Regem, seu Ducem populi; sed significatur quilibet Primas: hac enim dictione vtuntur Hebræi ad significandum Primates, vt patet in Exodo.

Et fecerit vnum è pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur.] Iuxta Hebræum similia verba repetuntur, significantia præcepta negatiua, & peccatum per errorem: verùm Deus nominatur אלהיו *Eloha eius.* Quia Primates sæpè se habent, tanquàm non cognoscentes superiorem, propterea præcepta Dei commemorantur eis præcepta summi Dei Iudicis eorum: vt vel sic agnoscant superiorem.

Verf. 23. Et posteà intellexerit peccatum suum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et delinquentem se agnoscet.* vel, *fuit notificatum ipsi peccatum eius, quod peccauit in ipso.* Scito tamen,quòd prima pars huius disiunctiuæ circunloquendo translata est: caremus enim verbo reciprocè significante hoc: verùm sententia est clara. Nec abs re adiungitur, *vel fuit notificatum ipsi:* sed ad insinuandum, vt Primatibus suggerendo manifestetur, quòd peccauerunt, quando creditur eos peccasse errando: latet enim eos sæpè veritas.

Offeret hostiam Domino hircum de capris immaculatum.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum explicatur masculum.

Verf. 24. Ponétque manum suam super caput eius. Qúmque immolauerit eum in loco, vbi solet mactari holocaustum coram Domino, quia pro peccato est, *Verf.* 25. tinget Sacerdos digitum in sanguine hostiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocausti, & reliquum fundens ad basim eius. *Verf.* 26. Adipem verò omnem adolebit super altare, sicut in victimis pacificorum fieri solet.] Pro Pontifice,& pro Synagoga sacrificatur taurus; pro Principe autem hircus caprarum masculus immaculatus. Differt quoque ritus: quoniam minor est: ibi enim Sacerdos vnctus; hic simplex Sacerdos: ibi sanguis infertur in tabernaculum, & septies aspergitur contra velum, & eo vnguntur cornua altaris thymiamatis; hîc nihil horum fit, sed duntaxat tincto digito in sanguine Sacerdos cornua altaris holocausti tangit:ibi corpus animalis offertur comburendum extra castra;hîc nihil dicitur de corpore animalis; quia subintelligitur, quòd sit Sacerdotis iuxta legem de sacrificio pro peccato.

Rogabítque pro eo Sacerdos, & pro peccato eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et expiabit super eum Sacerdos à peccato eius, & dimittetur ei.* Nescio aliter exponere, quàm priùs: eadem enim est sententia: quanuis ibi de Pontifice, hîc de simplici Sacerdote sit sermo.

Verf. 27. Quòd si peccauerit anima per ignorantiam de populo terræ.] Aduerte, prudens lector, ne ponderes præpositionem, *per*, distinguendo peccatum ignorantis à peccato per ignorantiam: quoniam in capitulo isto locum non habet hæc distinctio de ignorantia causante, vel concomitante: nam in Hebræo habetur præpositio, *in*, dicendo, *in errore:* peccare autem in errore commune est vtrique ignorantiæ. Significantiùs autem dicitur anima vna è populo terræ, ad differentiam, tum Pontificis, tum Principis, tanquàm maioris populari: tum Synagogæ, quæ non est anima vna,sed multæ.

Vt faciat quicquam ex iis, quæ Domini lege prohibentur.] Similia repetuntur verba significantia præcepta negatiua.

Atque delinquat, *Verf.* 28. & cognouerit peccatum suum.] Similis repetitur sententia disiunctiua; videlicet: *Et delinquentem se agnoscet; vel fuit notificatum ei peccatum ipsius, quod peccauit.* Sæpè oportet officium notificandi peccata apud idiotas exercere: & propterea disiunctiuè scribitur.

Offeret capram immaculatam, *Verf.* 29. ponétque manum super caput hostiæ, quæ pro peccato est [d], & immolabit eam in loco holocausti. *Verf.* 30. Tollétque Sacerdos de sanguine in digito suo: & tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim eius. *Verf.* 31. Omnem autem adipem auferens (sicut auferri solet de victimis pacificorum) adolebit super altare in odorem suauitatis Domino, rogabítque pro eo, & dimittetur ei. *Verf.* 32. Si autem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato (ouem, scilicet, immaculatam, *Verf.* 33. ponet manum super caput eius, & immolabit eam in loco, vbi solent cædi holocaustorum hostiæ, *Verf.* 34. suméтque Sacerdos de sanguine eius digito suo, & tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim eius.] Materia huius sacrificij decernitur capra immaculata,vel ex pecudibus fœmina immaculata. Ritus autem per omnia similis est præcedenti: & propterea Litera intelligatur, & corrigatur vt præcedens.

[d] Illud perpende, lector, in omnibus his cæremoniis, & sacrificiorũ ritibus, quos populo Dominus statuit, id sibi voluisse, sanè non eos per se; sed fidem, & sui timorem, quorum illi admonebant.

Verf. 35. Omnem quoque adipem auferens (sicut auferri solet adeps, qui immolatur pro pacificis) cremabit super altare incensum Domini.] Vnum hic adiungitur præcedenti ritui: nam iuxta Hebræum habetur: *Super incensa* אלהיו. Sed, si ad memoriam reuocetur ritus sacrificij pacificorum; apparebit, quòd nihil nouum decernitur: sed, quòd adeps instar adipis pacificorum crematur super holocausta: hæc enim appellantur hîc incensa Domini.

Rogabítque pro eo, & pro peccato eius,& dimittetur illi.

CAPVT

CAPVT V.

Vers. 1.

SI peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, testisque fuerit, quòd aut ipse vidit, aut conscius est; nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam [a].] Quia obscura est lex ista, oportet verba Hebraïcæ Literæ ponderare: *Et anima, quando peccabit, & audiet vocem iuramenti, & ipsa testis, vel vidit, vel sciuit, si non annunciabit, portabit delictum suũ.* Imperfecta pendet, tam hæc sententia, quàm immediatè sequens, vsque ad tertiam: quia vno, eodémque sacrificio expiandum statuitur quodlibet horum peccatorum. Institutis itaque sacrificiis pro peccatis contra præcepta negatiua in genere, instituuntur sacrificia pro peccatis contra præcepta affirmatiua, non in genere, sed in tribus speciebus, quæ in pura omissione consistunt: nam primum consistit in non testificari: secundum in non legaliter mũdari: & tertium in non exequi, quod iurauit. Et vltimum in Deum, medium in seipsum, primum in proximum est: vt omnia comprehendantur peccatorum genera, quæ in pura omissione consistunt.

[a] Portare suam iniquitatem, phrasi Hebraïca, idem significat, ac damnationem suam accipere.

Est & alia differentia inter peccatum, materiam harum trium legum, & præcedentis: quia in præcedentibus de peccato per ignorantiam; in istis verò de peccato per passionem patrato est sermo. Casus autem istius legis est silẽtium hominis, qui posset testificari de visu, aut certa notitia vocati in testem: silentium, inquam; quia audiuit vocem iuramenti; hoc est, quia audiuit quòd oportet ipsum iurare: multi enim sunt, qui fugiunt ex timiditate iurare in iudicio: peccat siquidem talis peccato omissionis, recusando testimonium perhibere veritati iustitiæ. Et propterea de ipso dicitur: *Et portabit delictum suum.* defert enim secum peccatum omissionis.

Vers. 2. Anima quæ tetigerit.] Disiunctiua est Hebraïcè: *Vel anima, quæ tanget in omni re immunda, vel in cadauere feræ immundæ, vel in cadauere animalis immundi, vel in cadauere reptilis immundi, & latebit de ipso: & ipse immundus, & delinquet.* Statimque subditur:

Vers. 3. Vel, qui tanget in immunditia hominis secundùm omnem immunditiam eius, in qua polluetur, & latebit de ipso, & ipse sciuit; delinquet.] Quatuor contagiones sub hoc capite comprehenduntur; tres tangendo mortuum animal immundum; quarta verò tangendo quancunque hominis immunditiam, qua ipse homo redditur immundus legaliter. Et est sermo de istis contagionibus in casu omissæ legalis mundationis post huiusmodi contractam contagionem: ad illos enim, qui legalem mundationem non omittebant, lex ista non extenditur: soli itaque omittentes mundationem legalem comprehenduntur. Veruntamen limitatio quædam adiungitur, dicendo: *Et latuerit de ipso, & ipse sciuit.* Et est sensus: Et latuerit, quòd ipse contraxerit hanc immunditiam; seu, quòd perseueret legaliter immundus; ipse tamen sciuit, & se contraxisse immunditiam, & se non mundatum legaliter. Et in hoc tangitur passio causa peccati; videlicet, verecundia: nam ex verecundia accidit, quòd occultam immunditiam sibi notam non purgauit. Quòd autem in principio huius legis dicitur: *Quæ tanget in omni rei immundæ.* non constituit quintam contagionem: sed more suo Moses priùs contagionem in genere, deinde per partes describit. Ex quibus patet, quòd Interpres in vulgata editione expositoris assumpsit officium in his duabus legibus: & multò ampliùs in sequenti: transtulit enim, non iuxta Hebraicam veritatem; sed prout ipse opinatus est intelligi.

Vers. 4. Anima, quæ iurauerit, & protulerit labiis suis, vt vel malè quid faceret, vel benè; & idipsum iuramento, & sermone firmauerit.] Iuxta Hebræum habetur: *Vel anima, quæ iurabit ad loquendum cum labiis ad facere malum, vel ad facere bonum, ad omne, quod loquetur homo in iuramento, & latebit de ipso, & ipse sciuit.* Hæc est Litera Hebraïca obscuræ multùm sententiæ: & aiunt, quòd dictio sonans, *locutionem*, significat loqui, non quomodolibet, sed submissa voce. Et hoc ad differentiam non solùm locutionis alta voce; sed etiam locutionis socialis: significatur enim locutio, qua homo secum loquitur: & propterea adiungitur, *cum labiis*: vt vel hinc clarè intelligamus, quòd non de locutione cum alio, sed cum propriis duntaxat labiis, lex loquitur: ita quòd sensus est: Anima, quæ iurabit loquendo secum.

Quod verò subditur: *Ad facere bonum, vel facere malum.* non intelligi de omni bono, & de omni malo, manifestat limitatio subiuncta: *Ad omne, quod loquetur homo in iuramento.* hoc est, in omni materia iuramenti, quando homo secum loquitur iurando: per hoc enim excluditur à iuramenti huius materia, quicquid est ad alterum hominem: quia regulariter non iuramus in fauorem alterius, sic loquẽdo. Et rursus excluditur omne malũ culpæ: quia facere malum culpæ, non est materia iuramenti, nec secum, nec cum alio loquentis: restringitur ergo malum ad malum pœnæ proprium. Bonum autem, quod sub huiusmodi iuramento iurari solet, est bonum in Deum relatum; ita quod eleemosynæ, ieiunia, & huiusmodi sunt materia huius iuramenti. Et quod subiungitur: Et latebit de ipso, & ipse sciuit. intellige, vt suprà; hoc est, quòd peccatum latet alios; ipse tamen sciuit proprium peccatum. De peccato siquidem istius subditur: *Et delinquet in vno istorum*; videlicet, omittendo, vel facere bonum, vel facere malum afflictionis propriæ.

Aduerte, prudens lector, quòd ambiguum est, an de periurio perfecto, an de imperfecto intelligatur hæc lex. Verùm ex eo, quòd iurationem nominat fieri non solùm secum loquendo, sed etiam cum labiis; non solùm secum, sed imperfecta locutio significatur: ac per hoc imperfectum iuramentum: putà non plenè deliberatum, sicut nec plenè secum prolatum. Et hunc esse puto literalem sensum: & propterea non imponitur isti sacrificium pro delicto; sed sacrificium pro peccato: non enim est perfectè periurus. In cuius signum,

non imponitur isti, vt faciat, quod sic iurauerat. Et quadrat, vt de iuramento ex passione aliqua non perducente ad deliberationem perfectam, lex ista loquatur: sicut & duæ præcedentes (quibus æquiparatur quoad sacrificium) de peccatis ex passione loquuntur.

Oblitáque postea intellexerit delictum suum, *Vers.* 5. agat pœnitentiam pro peccato.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erit, quando se deliquisse agnoscet in vno horum, & confitebitur, qui peccauit super ipsum.* Ecce institutio purgationis in omnibus antedictis casibus: & exigitur in primis, vt se peccasse agnoscat, & confiteatur, quòd ipsemet peccauit, quòd sibi ipsi imputet peccatum. Et de confessione quidem coram Deo, non est dubium, quòd exigeretur: an autem per hanc legem teneretur, qui peccauerat, confiteri huiusmodi peccatum Sacerdoti, offerendo animal, & dicere, quòd offero illud pro tali peccato meo, perspicuum non est: quia Litera non dicit: Confiteatur Sacerdoti. & Dauid dicit: *Dixi. Confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino.* Dubium tamen non est, quòd offerens confitebatur Sacerdoti, saltem in genere, se peccasse peccato indigente tali sacrificio.

Vers. 6. Et offerat de gregibus agnum, siue capram.] Iuxta Hebræum habetur: *Et faciet venire delictum suum* יהוה *super peccatum suum, quod peccauit, fœminam de pecudibus agnam, vel hircam de capris pro peccato.* Materia huius sacrificij decernitur fœmina ex ouibus, vel capris. Et quod in calce dicitur, *pro peccato*; circunlocutio est sacrificij *pro peccato.* Et hinc, prudens lector, habes, quòd sacrificium pro peccatis omissionis comprehenditur sub sacrificio pro peccato: eadem enim dictio, (videlicet, *chatah*, significans sacrificium pro peccato,) quæ in præcedenti capitulo sæpè repetita est, hic scribitur: & clarum est, esse hic sermonem de peccato eius, qui omisit testificari; & eius, qui omisit purgare se munditia legali.

Orabitque pro eo Sacerdos, & pro peccatis eius.] Iuxta Hebræum habetur, vt suprà: *Et expiabit super eum Sacerdos à peccato eius.* Sententia eadem est, quæ superiùs.

Vers. 7. Si autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino: vnum pro peccato.] Et hîc quoque repetitur dictio. *chatah.*

Et alterum in holocaustum: *Vers.* 8. dabitque eos Sacerdoti, qui primum offeret pro peccato; & retorquebit caput eius ad pennulas, ita vt collo adhæreat, & non penitùs abrumpatur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et incidet caput eius contra occiput, & non separabit.* Simile quid superiùs scriptum est implicitè: modò enim explicatur, quòd incisio colli sit talis, vt non separet caput à corpore.

Vers. 9. Et asperget de sanguine eius parietem altaris: quicquid autem reliquum fuerit, faciet distillari ad fundamentum eius; quia pro peccato est.] Ex hac litera manifestantur duo. Alterum, quòd altare terreum (siue ex lateribus, siue ex lapidibus impolitis) habebat & parietem, & fundamentum: erat ergo, vt superiùs diximus, aliquantulum eleuatum à terra, fossa interiacente inter ipsum, & tigillos cum reti: hæc enim fossa appellatur fundamentum altaris: non enim potest intelligi de fundamento altaris lignei vestiti ære; quoniam illud non egebat fundamento. Alterum, quòd diuersa erat cæremonia spargendi sanguinem super fundamentum altaris: manifestè enim distinguuntur hîc istæ duæ cæremoniæ. Et prima significatur, quòd paries corporis altaris aspergeretur sanguine: secunda autem, quòd sanguis funderetur super fossam fundamenti corporis altaris. Et hoc in loco adiungitur modus; videlicet, quòd exprimatur sanguis: quam expressionem Interpres omisit vtendo distillandi verbo.

Vers. 10. Alterum verò in holocaustum adolebit, vt fieri solet: rogabitque pro eo Sacerdos, & pro peccato eius. (Corrige vt suprà.) Et expiabit super eum Sacerdos à peccato eius, quod peccauit, & dimittetur ei.] Eadem enim est sententia.

Vers. 11. Quòd si non quiuerint manus eius offerre duos turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato suo similæ partem ephæ decimam. Non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet: quia pro peccato est.] Et hîc quoque repetitur dictio, *chatah.*

Vers. 12. Tradétque eam Sacerdoti. Qui plenum ex ea pugillum hauriens, cremabit super altare in monimentum eius, qui obtulit.] Vt superiùs dictum est, pars illa similæ, quæ cremabatur Deo, recordatio offerentis vocabatur: & propterea hîc dicitur, quòd Sacerdos accipiet similæ pugillum, recordationem eius. Cremabatur autem instar thuris. Et in Hebræo adiungitur: *Super incensa Iehouah.* Et ratio immediatè subditur: *Chatah ipsa.* Mandatur itaque, vt instar thuris incendatur in altari, non seorsum, sed super incensa Dei; hoc est, super iuge saltem sacrificium: quia est pro peccato. Et dixi, *saltem:* quia, si aliud esset in altari holocaustum, super illud poterat poni: nam pluraliter dicitur, *super incensa Iehouah.*

Vers. 13. Rogans pro illo, & expians.] Voluit Interpres integram literam transferre.

Et expiabit super eum Sacerdos, super peccatum eius, quod peccauit in vno ex istis, & dimittetur ei.] De multis casibus agitur: & propterea dicitur, *in vno ex istis.*

Reliquam verò partem ipse habebit in munere.] Hoc est, simili lege, quam debet seruare circa oblatum munus, cuius aliquid cremandum est Deo: de quo in secundo cap. tractatum est.

Vers. 14 Et locutus est Dominus ad Mosen, dicens.] Pondera, prudens lector, sermonem diuinum in his tribus sequentibus legibus dirigi ad Mosen, vt intelligas, cuius arbitrio reseruatur æstimatio.

Vers. 15. Anima, si præuaricans cæremonias per errorem in iis, quæ Domino sunt sanctificata, peccauerit.] Iuxta Hebræum habetur: *Anima, quando præuaricabitur præuaricationem, & peccabit in errore de sanctis* אלהים. Vt subiuncta manifestant, sermo est de peccato, quo nõ ex intẽtione, sed errãdo

vsurpauit

vsurpauit aliquis rem aliquam dicatam Deo: huiusmodi enim res significantur dicendo, *de sanctis*. Sunt autem res istæ, tum primogenita, tum similia Deo dicata. Et scito, quòd hinc deberet aliud capitulum incipere: quoniam hîc incipit tractare de sacrificio pro delicto: hactenus enim tractatum est de sacrificio pro peccato, quod vocatur *chatah*: sacrificium verò pro delicto vocatur *asam*; & de hoc est sermo in his tribus legibus; nam ipsum in singulis nominatur.

Offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus: qui emi potest duobus siclis iuxta pondus Sanctuarij.] Iuxta Hebræum habetur: *In æstimatione tua argentum siclorum in siclo Sanctuarij pro delicto* [a]. Pronomen, *tua*, refert Mosen, ad quem dirigitur sermo diuinus. Statuitur itaque, vt sacrificium pro delicto sit aries immaculatus, non cuiuscunque pretij; sed pretij duorum saltem siclorum, non qualiuncunque; sed secundùm siclum Sanctuarij. Et ne sit quæstio de valore arietis, æstimatio Mosis pro sententia habeatur. Quis autem esset successor Mosis in hoc officio, in Litera non scribitur: si tamen considerata duo fuerint (& quòd agitur de sacrilegio, & quòd Moses tunc erat tanquàm summus Sacerdos,) consentaneum rationi apparebit, quòd Summus Sacerdos succedebat Mosi in hoc æstimandi officio. Lege ergo Literam: *Arietem immaculatum*, appositiuè argentum; hoc est, qui valet argentum siclorum, ac per hoc saltem duorum. Et quod dicitur, *pro delicto*, circunlocutio est sacrificij pro delicto: scribitur enim hîc *asam*.

[a] Delictum iuxta Hesychij sententiam peccatum est, vel quod in Deum ipsum commissum est, vel quod ad scientiam peruenit, & nequaquam iam ignotum est peccanti.

Vers. 16. Ipsúmque, quod intulit, damni, restituet.] Iuxta Hebræum habetur: *Et quod peccauit de sancto, restituet.* Hinc clarè appatet, quòd de sacrilegio per errorem commisso, vsurpando rem Deo dicatam, est sermo.

Et quintam partem ponet suprà, tradens Sacerdoti.] Quæstio suboritur ex hoc, quòd Sacerdoti fit restitutio: nam hinc sequitur, quòd de solis iis, quæ Sacerdoti debebantur, loquebatur lex: ac per hoc vsurpatio decimarum, quæ debebantur Leuitis, non comprehenderetur sub hac lege. Solutio est, quòd lex ipsa comprehendit etiam decimas Leuitis debitas: sed restitutio fiebat Sacerdoti capiti Leuitarum, vt per ipsum perueniret res vsurpata ad Leuitam, cui debebatur.

Qui rogabit pro eo offerens arietem: (Corrige, vt suprà:) & Sacerdos expiabit super eum in ariete asam, & dimittetur ei.] Quorum sensus iam patet ex supradictis.

Vers. 17. Et si anima peccauerit per ignorantiam, feceritque vnum ex iis, quæ Domini lege prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem suam, *Vers.* 18. offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti iuxta mensuram, æstimationémque peccati: qui orabit pro ipso, eò quòd nesciens fecerit.] Iuxta Hebræum habetur: *Venire faciet arietem immaculatum de pecoribus in æstimatione tua in asam Sacerdoti: & expiabit super eum Sacerdos, super errorem eius, quo errauit, & ipse nesciuit, & dimittetur ei.* Aduerte, prudens lector, quòd peccatum, de quo agitur, in hac lege, in nullo differt à peccato tractato in vltima lege quarti capituli: est enim vtrobique sermo de peccato contra præcepta negatiua ignoranter commisso. Et propterea magnam ingerit ambiguitatem diuersitas sacrificij hîc, & ibi statuta: nam ibi fœmina ex capris, vel ouibus immaculata sacrificatur pro peccato: hîc verò aries immaculatus ex pecudibus, & æstimatus à Mose, sacrificatur pro delicto. Solutio est, quòd ibi est sermo de peccato ignoranter commisso contra præcepta negatiua in genere: hîc autem est sermo de peccato ignoranter commisso contra præcepta negatiua in specie, hoc est, circa sancta. Quod ex tribus colligitur. Primùm, ex eo, quòd dicitur: *Et faciet venire arietem immaculatum de pecudibus in æstimatione tua.* Ex hoc enim, quòd arbitrio Mosis subiicitur æstimatio arietis offerendi in sacrificium pro delicto, insinuatur, quòd de sacrilegio agitur: quemadmodum & in præcedenti lege, & sequenti similiter de sacrilegio, æstimatio Mosi reseruatur. Secundò, ex eo, quòd in calce huius legis explicatur Hebraïcè.

Vers. 19. Delictum ipsum delinquendo deliquit Iehouah] Vbi vulgata editio habet: *Quia per errorem deliquit in Dominum*, & est datiui casus, *Iehouah*. Nisi enim peccatum esset specialiter contra diuina, non diceretur: *Delinquendo deliquit Deo.* Tertiò ex eo, quòd lex ista media locatur inter leges duas sacrilegij: hoc enim signum est, quòd etiam ipsa de sacrilegio disponit. Prima itaque lex de sacrilegio circa res Deo dicatas, ignoranter commisso; hæc autem de sacrilegio circa actiones sacras ignoranter quoque commisso disponit, verbi gratia, si quis ignoranter violaret diem festum, vel vteretur nesciens simili mixtura mixturæ thymiamatis, vel vnguenti sacri. Et imponitur sacrificium pro delicto immediatè post illa verba, in æstimatione tua, subiungendo in asam Sacerdoti; hoc est, in sacrificium pro delicto offeret Sacerdoti.

CAPVT VI.

Locutúsque est Dominus ad Mosen dicens.] Nomen est tetragrammaton. VERS. 1.

Vers. 2. Anima, quæ peccauerit, & contempto Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Anima quum peccabit, & præuaricabitur præuaricationem in* אלהים. Hinc habes, quòd in lege hac peccatum in Deum pensatur: ita quòd peccatum iniustitiæ aduersùs proximum, in hac lege consideratur, vt materia: formale autem est peccatum in Deum, hoc est, periurium. Et propterea in principio legis dicitur: *Præuaricabitur præuaricationem in Iehouah.* & in calce legis dicitur: *Vel de omni, super quo iurabit falsò.* Est enim lex ista cum duabus præcedentibus de peccatis in Deum: verùm duæ priores de peccato in Deum ignoranter; hæc autem de peccato in Deum ex cupiditate temporalium rerum tractat.

Negauerit proximo suo, quod fidei eius creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, *Vers.* 3. siue rem perditam inuenerit.] Vulgata editio

editio ex quinque casibus refert quatuor: iuxta Hebræum enim sub disiunctione leguntur quinque; videlicet, depositum, vel positum in manu, vel raptum, vel fraude acceptum, vel res alterius perdita inuenta. Et omnia clara sunt, excepto secundo, quod exponitur de re posita in manu alicuius, negotiandi gratia, vt in nomine manus intelligatur operatio, seu exercitatio.

Et inficians insuper peierauerit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus peccare solent homines.] Iuxta Hebræum, non tria, sed duo habentur: *Et negabit in illo, & iurabit super falsum, super vnum ex omnibus, quæ faciet homo ad peccandum in eis.* Duæ conditiones adiunguntur; altera negationis debiti; altera periurij. Et hæc extenditur ad similes casus; putà, si negauerit mutuum, aut accommodatum, &c. & ideò periurium extenditur; quia, vt formale consideratur in hac lege.

Vers. 4. & 5. Conuicta delicti.] Iuxta Hebræum nihil habetur de conuictione: sed scribitur: *Et erit, cùm peccabit, & delinquet, & restituet raptum, quod rapuit; vel fraude acceptum, quod fraude accepit; vel depositum, quod fuit depositum apud ipsum; vel amissum, quod inuenit; vel de omni, super quo iurauit falsum.* Deinde immediatè sequitur: *Et reddet illud in capite eius, & quintum eius addet super illud.* Vbi clarè patet, diffusè mandari restitutionem, nulla facta mentione iudicij: quia dantur nunc præcepta cæremonialia. Et subiunguntur in Hebræo duæ conditiones seruandæ in hac restitutione. Altera, cui est restituendum, dicendo: *Cui ipsum, illi dabit ipsum.* Et non dicit, quòd dabit Sacerdoti, aut Iudici; sed illi, cuius erat. Altera, quando est restituendum, subiungendo: *In die asam eius.* hoc est, in die sacrificij eius pro delicto. Et intellige, prudens lector, legem hanc non concedere dilationem restitutionis vsque in diem, quo offert pro delicto; sed decernere, quòd non fiat oblatio pro delicto, nisi simul fiat restitutio: prohibetur enim dilatio restitutionis post oblationem. Et hinc habes, quòd non placet Deo, nec placere debet Sacerdoti Confessori, pœnitentia differens restitutionem: ad hoc enim mandat Deus, in die oblationis pro delicto fieri restitutionem, vt restitutio non postponatur sacrificio.

Vers. 6. Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum Sacerdoti iuxta æstimationem, mensurámque delicti.] Iuxta Hebræum habetur: *Et asam eius faciet venire ad Iehouah arietem immaculatum è pecudibus in æstimatione tua, in asam Sacerdoti.* Priùs satisfaciendum est homini, restituendo; deinde Deo, sacrificando. Et materia huius sacrificij vna, & eadem est, quæ fuit in præcedentibus duabus legibus; videlicet, aries immaculatus valoris secundùm æstimationem Mosis. Forma autem sacrificij erat sacrificium pro delicto: & propterea non *chatah*, sed *asam* nominatur. Et quia peccatum erat in Deum, ideò æstimatio subiicitur arbitrio Mosis.

Vers. 7. Qui rogabit pro eo coram Domino: & dimittetur illi pro singulis, quæ faciendo peccauit.] Corrige, vt suprà: *Et expiabit super eum Sacerdos coram* אלהי׳ *& dimittetur ei super vnum ex omni, quod faciet ad delinquendum in eo.* Futurum, *faciet*, non refertur ad tempus expiationis; sed ad tempus libertatis cuiusque hominis: vt nullum simile exemptum intelligatur peccatum à venia diuina per huiusmodi cultum.

Aduerte, prudens lector, quòd conferendo has tres leges vltimas, septem præcedentibus scriptis à principio quarti capituli vsque ad istas; & perspiciendo, quòd in illis mentio fit *chatah*, (hoc est, sacrificij pro peccato;) & in istis mentio fit *asam*, (hoc est, sacrificij pro delicto;) & perpendendo, quòd materia istarum trium in hoc differt à materia illarum septem, quòd istarum trium materia est peccatum propriè, & directè contra res diuini ordinis, (quales sunt res sanctæ, actiones sanctæ, & iurare:) materia autem illarum septem est peccatum contra præcepta negatiua in genere, quoad prima quatuor; & peccata quædam in specie quoad tres sequentes contra proximum, vel seipsum, vel incompletum iuramentum: ex omnibus, inquam, istis hauritur differentia inter sacrificium pro peccato, & sacrificium pro delicto: quòd sacrificium pro delicto appellatur, quod offertur pro peccato in Deum, seu diuina; sacrificium autem pro peccato appellatur, quod offertur pro aliis peccatis comprehendendo etiam imperfectos actus in genere diuinorum. Et aduerte aliam differentiam, quòd in sacrificio pro delicto animal offerendum æstimandum erat à Mose; in sacrificio autem pro peccato nulla æstimatio decreta est. Et ex vtraque differentia apparet, quòd maius erat sacrificium pro delicto, quàm pro peccato.

Occurrit autem quæstio duplex circa has leges. Altera, quare in sacrificio pro peccato habita est ratio Pontificis, Synagogæ, & Principis, distinguendo sacrificia eorum à sacrificiis popularium: in sacrificio verò pro delicto nulla habetur ratio Principis, aut Synagogæ, aut Pontificis, sed absque distinctione aliqua leges sacrificij pro delicto promulgantur. Altera, quare in peccato contra præcepta negatiua fit distinctio Synagogæ, Principis, ac popularis; in peccato autem contra præcepta affirmatiua nulla fit distinctio istorum. Solutio istarum quæstionum ex contextu Literæ insinuatur: ex hoc enim, quòd initium omnium istarum decem legum de sacrificio pro peccato, & delicto incipit sub nomine *animæ*, (vt patet in principio quarti capituli,) & statim subiungitur ordinatè distinguendo, *si Sacerdos*; *si Synagoga*; *si Princeps*, & reliquos comprehendendo; *si anima vna è populo terræ*: & posteà semper quælibet lex incipit, *anima*: ex istis, inquam, insinuatur, quòd in omnibus sequentibus legibus subintelligitur repeti *anima vna è populo terræ*. Nec oportuit hoc repeti: quia proposita in principio anima, & subiuncta, tanquàm exceptione speciali, prærogatiua Pontificis, Synagogæ, & Principis, redit sermo ad sui initium dicendo, *anima*, in genere: non comprehendendo excepta. Non fuit itaque opus distinguere in sacrificio pro delicto: quia leges istæ popularibus duntaxat dantur: priuilegiati autem sacrificium pro peccato offerebant, etiam pro delicto cum ritu in suis priuilegiis scripto: comburebatur enim extra castra animal oblatum à Pontifice, vel Synagoga pro delicto, non minùs quàm pro peccato.

Et

Et ſimiliter non oportuit in peccatis ex paſſione contra præcepta affirmatiua diſtinctionem talem facere; quia popularibus dantur: priuilegiati autem quomodolibet peccarent, (ſiue ignoranter, ſiue ex paſſione, ſiue contra negatiua, ſiue contra affirmatiua præcepta,) offerebant ſecundùm priuatas ſuas leges: conſentaneum ſiquidem rationi eſt, vt non minùs præſidentes aliis offerant pro peccato ex paſſione, quàm ex ignorantia, & pro peccatis commiſſionis, quàm omiſſionis, & è conuerſo. Nec prætereas, prudens lector, librare, quòd omnia peccata, pro quibus ſacrificium inſtituitur, ſcribuntur, vel ex ignorantia, vel ex paſſione, vel ex cupiditate pecuniæ, & huiuſmodi patrata: & nullum inſtituitur ſacrificium pro peccato ex malitia [a].

[a] Hoc eſt, quod per Hoſeam dicit Dominus: *Quoniã benignitas mihi placet, & non ſacrificium.* Et fortè ad hoc alluſit Paulus Heb. 2 inquiens, *Voluntariè, & vltrò peccantibus nullam relictam eſſe hoſtiam pro peccatis.*

Verſ. 8. Locutus eſt Dominus ad Moſen dicens.] Nomen eſt tetragrammaton.

Verſ. 9. Præcipe Aharon, & filiis eius dicens.] Promulgatis legibus de ſacrificiis, ſubiunguntur leges de eiſdem, quatenus intereſt Sacerdorum: & proptereà dicitur: *Præcipe Aharon, & filiis eius.* & ideò in hac parte deberet eſſe initium capituli. Et quum quinque decreta ſint ſacrificia (videlicet, holocauſtum, munus, hoſtia pacifica, pro peccato, & pro delicto,) inchoat ab holocauſto.

Hæc eſt lex holocauſti.] quoad Aharon, & filios eius.

Cremabitur in altari tota nocte vſque mane.] Iuxta Hebræum habetur: *Ipſum holocauſtum ſuper combuſtionem ſuam, ſuper altare omni nocte vſque mane.* De holocauſto iugi ſermonem eſſe perſpicuum eſt: & præcipitur Sacerdotibus, vt cum effectu ſic offerant iuge holocauſtum, vt nullo tempore deſit holocauſtum. Significatur enim vniuerſum tempus cuiuſque diei ab vltima parte naturalis diei; hoc eſt, à nocte vſque mane [b]: naturalis enim dies incipit ab ortu Solis, vt in principio Geneſis patet: *Et fuit veſpera, & fuit mane dies vnus.* Incendebatur ſiquidem holocauſtum inſtar thuris: & proptereà mandat Deus, vt holocauſtum matutinum duret vſque ad veſperam, & veſpertinum duret vſque ad mane: hoc eſt, vt ſic temperetur ignis, vt agnus ſuper ignem continuè euaporet; ille tota die, & iſte tota nocte: hoc enim ſignificatur dicendo: *Ipſum holocauſtum ſuper combuſtionem ſuam vſque mane.*

[b] Perpende, vnde dies naturalis incipiat. Quòd verò Moſes Gen. 1 præpoſuit veſperã mane, eò factũ puto, quòd Hebræi, quibus Moſes ſcribebat, diem à veſpera auſpicarentur.

Ignis ex eodem altari erit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ignis altaris incendetur in ipſo.* Nouus ignis prohibetur, mandando, quòd non alius ignis, quàm ignis altaris in vſum holocauſti erit; ſed in ipſo igne altaris incendatur holocauſtum.

Verſ. 10. Veſtietur Sacerdos tunica & feminalibus lineis.] Iuxta Hebræum explicatur veſtis linea.

Tollétque cineres, quos vorans ignis exuſſit.] Hîc annotatione duo digna ſunt: alterum, quòd tollere cineres ex altari, non Leuitarum, ſed Sacerdotis erat officium: alterum, quòd nec hoc officium exercebat Sacerdos abſque ſacra veſte.

Et ponens iuxta altare, *Verſ.* 11. ſpoliabitur prioribus veſtimentis: indutúſque aliis, extra caſtra efferet eos.] Ad cumulum dignitatis holocauſti ſpectat, quòd non famulus, nec Leuita, ſed Sacerdos educit cinerem holocauſti extra caſtra; ſine veſtibus tamen ſacris.

Et in loco mundiſſimo vſque ad fauillam conſumi faciet.] Hoc non habetur in Hebræo; ſed locus tantummodo mundus nominatur.

Verſ. 12. Ignis autem in altari ſemper ardebit.] Non habetur in Hebræo, *ſemper:* ſed habetur: *Et ignis ſuper altare ardebit in ipſo, non extinguetur.* Diſponitur modus ſeruandi ignem altaris: videlicet, vt non ſeruetur tranſlatus in lampades accenſas; ſed ſeruetur ardens in ipſo altari: ardens autem ſic, vt nunquam extinguatur.

Quem nutriet Sacerdos, ſubiiciens ligna mane per ſingulos dies.] Modus ſeruandi ignem in altari, decernitur per appoſitionem lignorum quolibet manè à Sacerdote. Vbi annotatione quoque dignum eſt, quòd nec Leuita admittitur ad officium ponendi ligna ſuper altare. Nec eſt dubium, quòd officium hoc exercebat Sacerdos cum veſtibus ſacris: tum, quia actio iſta maior eſt, quàm tollere cineres: tum, quia hanc actionem exercebat tunc, quum holocauſtum offerebat. Et quod dicitur de ſingulo mane, intellige quoque de ſingulo veſpere: quoniam eadem militat ratio.

Et impoſito holocauſto deſuper, adolebit adipes pacificorum.] Abſque ambiguitate conſtructionis habetur in Hebræo: *Et ordinabit ſuper ipſum holocauſtum, & inſtar thuris incendet ſuper ipſum adipes pacificorum.* Vnus & idem ignis ſufficiebat holocauſto, & adipi pacificorum ſuperuenienti.

Verſ. 13. Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.] Iuxta Hebræum habetur: *Ignis iugis ardebit ſuper altare, non extinguetur.* Concluſio ſtudij ſacerdotalis ad ſeruandum ignem, eſt, quòd ignis ſit continuus ſuper altare, ita quòd nunquam extinguatur: ſic enim nunquam opus erit nouo igne, & ſic ſeruabitur lex prohibens nouum ignem.

Verſ. 14. Hæc eſt lex ſacrificij.] Iuxta Hebræum habetur: *Et iſta lex muneris.* Recole, prudens lector, tractata ſuperiùs de munere in cap. 2. & intelliges materiam huius legis: diſponit enim de pertinentibus ad Sacerdotem circa munus, hoc eſt, circa oblationem, cuius aliquid cremandum erat Deo per modum holocauſti: erat enim oblatio hęc ex ſimila, vel ſub forma farinæ, vel ſub forma placentæ, &c. vt ſuperiùs ſcriptum eſt.

Quod offerent filij Aharon coram Domino, & coram altari.] Iuxta Hebræum habetur: *Et offerent ipſum filij Aharon coram Iehouah, coram altari.* Non eſt ſermo de munere, quod offerunt Sacerdotes; (nam de illo erit ſequens lex:) ſed de munere, quod ab aliis offertur. Et prima Sacerdotis actio circa oblatum ſibi munus ab offerente, deſcribitur, offerre ipſum munus coram altari, verſa facie ad Propitiatorium; ſecunda autem actio ſubiungitur, tollere pugillum ſimilæ ex munere, & ex oleo eius. Et hîc apertè explicatur: Et totum thus, quod ſuper munus. ita quòd tam ſimilæ, quàm olei in illa tollebat partem; thus verò ſuper illã tollebat totum; deinde inſtar thuris incendebat hoc, quod acceperat in pugillo ad altare.

Verſ. 15.

Vers. 15. Tollet Sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo;& totum thus, quod super similam positum est; adolebitque illud in altari in monimentum odoris suauissimi Domino.] In Hebræo habetur, *odorem quietu, recordationem eius* יהוה, in casu datiuo, quæ sunt superiùs declarata.

Vers. 16. Reliquam autem partem similæ comedet Aharon cum filiis suis absque fermento: & comedet in loco sancto atrij tabernaculi.] Iuxta Hebræum habetur: *In loco sancto, in atrio tentorij adunationis.* explicatur enim quis est ille locus sanctus.

Vers. 17. Ideò autem non fermentabitur.] Iuxta Hebræum habetur: *Non coquetur panis fermentatus.* Manifestè inhibetur fieri ex illa simila quæcunque species panis fermentati: vult enim Deus, vt absque fermento coquatur, quicquid coquetur ex illa simila. Et ratio subiungitur:

Partem eorum dedi ipsam de muneribus incensi mei.] Ex eo enim, quòd munus incendendum Deo oportebat esse absque fermento, (vt in 2.cap. decretum est,) consequens est, vt pars muneris Sacerdotibus data à Deo sit similis parti incensæ Deo: ac per hoc sine fermento comedatur, quemadmodum pars Dei sine fermento incenditur.

Sanctum sanctorum.] De hac portione Sacerdotum dicitur, quòd ipsa est sanctum sanctorum; hoc est, præcipuæ sanctitatis, excedens alia simpliciter sancta. Et declarando hanc excellentem sanctitatem, subiungitur: *Sicut catah, & sicut asam.* hoc est, sicut caro sacrificij pro peccato, & caro sacrificij pro delicto: vtraque enim erat etiam sanctum sanctorum. Et manifestatur hæc excellens sanctitas, subiungendo:

Vers. 18. Omnis masculus in filiis Aharon comedet illud.] Et est sensus, quòd masculi tantùm, non Leuitæ, sed filij Aharon comedant illam portionem, quemadmodum istis tantùm licet comedere carnes catah, & asam.

Legitimum sempiternum est in generationibus vestris de incensis Iehouah: omnis, qui tetigerit illa, sanctificabitur.

Vers. 19. Locutúsque est Dominus ad Mosen, dicens.] Nomen est tetragrammaton, tam hic, quàm vbique per totum capitulum: & adiungitur alia lex de munere Pontificis, & Sacerdotum in specie.

Vers. 20. Hæc est oblatio Aharon, & filiorum eius, quam offerre debent Deo in die vnctionis suæ.] Quia litera huius legis contra sese pugnantia præ se fert, ideò libranda verba Hebraica censui: nam iuxta Hebræum habetur: *In die esse vnctum ipsum.* Subiuncta siquidem in hac lege (videlicet, munus iuge, & partitio in dimidium mane, & dimidium vespere, & executio cæremoniarum consecrationis Aharon, & filiorum scripta inferiùs cap.8.& 9.) inducunt, imò cogunt me, ad intelligendum hanc legem de munere debito Aharon, & filiis eius, quotidie adiungendo, *iugi sacrificio.* Et quia debitum hoc incipiebat à die, quo vnctus fuit summus Sacerdos; ideò dicitur: *In die esse vnctum ipsum.* Lege cæremonias omnes consecrationis Aharon, & filiorum; & nunquam inuenies munus hoc, quod hîc scribitur, tunc oblatum fuisse, nisi in exceptione iugis holocausti cointelligatur: & si sic cointelligatur, cõfirmat nostram intelligentiam, & nunquàm inuenies in illa consecratione bis in die (mane, scilicet, & vespere) oblatum aliquid. Lege subiuncta hîc, & libra singula contexendo, & eundem probabis sensum: nam subiungitur:

Decimum ephæ similam munus iuge, dimidium eius mane, & dimidium vespere.] Dicendo, *munus iuge,* manifestat, quòd de munere continuo loquitur: & distinguendo in duas partes illud decimum, dispensandóque in mane, & vespere, apertissimè manifestat, quòd de munere adhibendo quotidie iugi holocausto matutino, & vespertino est sermo.

Vers. 21. Quæ in sartagine oleo conspersa frigetur.] Iuxta Hebræum habetur: *Super sartaginem in oleo fiet.* Dictio interpretata, *sartaginem*, non significat frixorium, sed vas simile frixorio. *Oleatam offeret ipsam.* Præposterus est ordo: nam priùs oleo inuoluitur simila, dum conficitur pasta: & deinde in vase sartagini simili coquitur.

Coctiones munus frustorum offeret odorem Iehouah.] Ecce forma, in quam reducenda est hæc simila: significatur enim coquenda in vase simili sartagini distincta in multas portiones; ita quòd efficeretur non munus placentæ; sed munus frustorum. Recole scripta superiùs in 2.cap. & inuenies similam coctam in huiusmodi vase diuidendam in frusta; & hæc pleniùs intelliges. Fiebant igitur de huiusmodi simila, tanquàm fritillæ, vel pastilli; & offerebantur quotidie cum agno iugis holocausti. Hoc est munus, ad quod obligabatur Aharon cum filiis suis quotidie mane, & vespere: & nihil dicitur, an calidum, vel frigidum offeratur. Et si verum est, quòd dictio interpretata, *coctiones*, significat apud Hebræos *coctionem in furno*, nõ frusta similia fritillis, sed pastillis significari videntur. Veruntamen furni nomen ad clibanum extendi intelligo.

Vers. 22. Sacerdos, qui iure patri successerit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Sacerdos vnctus sub de eo, è filiis eius faciet ipsum.* Debitum faciendi huiusmodi munus iuge non transit ad omnes filios Aharon; sed ad illum filium, qui succedit ei in pontificatu: ita quòd in perpetuis generationibus solus Pontifex cum filiis suis tenebatur ad faciendum hoc munus. Et est sermo de facere quoad sumptum, hoc est, quòd suis sumptibus tenebatur prouidere holocausto de hoc iugi munere. Et hinc habetur, quòd quanuis omnes descendentes Aharon Sacerdotes tenerentur ad officium offerendi iuge holocaustum, & offerendi hoc munus; ad sumptus tamen, & labores faciendi hoc munus non tenebantur omnes; sed hoc onus spectabat semper ad summum pro tempore Sacerdotem, & filium eius.

Et tota cremabitur in altari.] Non est in Hebræo in altari; quanuis subintelligatur. Et est sermo de crematione instar thuris.

Vers. 23. Omne enim sacrificium Sacerdotum, igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo.] Iuxta Hebræum dictio

dictio interpretata, *sacrificium*, sonat, *munus*. Generalis lex datur, quòd omne munus Sacerdotis incendatur totum instar thuris, & nullus comedat ex eo. Et in hoc differt munus Sacerdotis cuiuscunque à munere aliorum: quia muneris oblati ab aliis, portiuncula quædam cremabatur Deo; reliquum autem comedebatur à Sacerdotibus in atrio tabernaculi: munus autem oblatum à quocunque Sacerdote, totum cremabatur Deo. Et est sermo de munere, vt muneris nomen appropriatur ad significandum oblationem similæ Deo cremandæ iuxta statuta in 2. cap.

Vers. 24. Locutus est autem Dominus ad Mosen, dicens: *Vers.* 25. Loquere Aharon, & filiis eius. Ista est lex hostiæ pro peccato.] Expeditis legibus de holocausto, & munere in genere, & de munere Sacerdotum in specie, datur lex de hostia pro peccato, relatiuè ad Aharon, & filios eius; hoc est, ad Sacerdotes: nam relatiuè ad peccatores data est superiùs lex: & propterea hîc dicitur: *Loquere ad Aharon, & filios eius.*

In loco, vbi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *In loco, in quo iugulabitur holocaustum, iugulabitur chatah*, hoc est, hostia pro peccato, *coram* יהוה. Et ratio identitatis loci subiungitur, dicendo: *Sanctum sanctorum ipsum.* Ex excellentia sanctitatis in hostia pro peccato, communicat cum holocausto in loco occisionis coram יהוה: erat enim certus locus ibidem, versùs Propitiatorium, in quo iugulabatur holocaustum, quod præcipuum est inter sacrificia: & propterea statuitur, quòd in eodem loco iuguletur hostia pro peccato.

Vers. 26. Sacerdos, qui offeret, comedet eam in loco sancto, in atrio tentorij adunationis.] Decernitur, cui inter Sacerdotes obtingent carnes hostiæ pro peccato; & consequenter decernitur locus, in quo comedenda est, atrium, videlicet, tabernaculi.

Vers. 27. Quicquid tetigerit carnes eius, sanctificabitur.] Quia Hebræi carent neutro genere, non est perspicuum, an legendum sit: Omnis, qui tanget, an, Omne, quod tanget. subiuncta tamen suadent, tam hîc, quàm superiùs in lege de munere in genere, legendum esse: *Omne, quod tanget.* ita quòd vtrobique sensus est, quòd omne comestibile, quod tanget carnes hostiæ pro peccato, & similiter quod tanget munus, ex ipso contactu sanctificabitur; hoc est, reddetur sanctum: ita quòd non poterit comedi, vt communis cibus; sed oportet, vt comedatur vt sanctum, & consequenter ab iis tantùm, quibus licet vesci sanctis.

Si de sanguine illius vestis fuerit aspersa, lauabitur in loco sancto. *Vers.* 28. Vas autem fictile, in quo cocta est, confringetur: quòd si vas æneum fuerit, defricabitur, & lauabitur aqua.] Hæc subiuncta de vestibus, & de vasis, in quibus lixatæ sunt carnes hostiæ pro peccato, insinuant sensum antedictum neutrius generis.

Vers. 29. Omnis masculus de genere sacerdotali, vescetur carnibus eius.] Conceditur esus hostiæ pro peccato paruulis masculis; filiis tamen Sacerdotum: & excluduntur omnes fœminæ, etiam vxor, & filiæ Sacerdotis ab huiusmodi esu. Et ratio subditur:

Quia Sanctum sanctorum ipsum. *Vers.* 30. Hostia enim, quæ cæditur pro peccato, cuius sanguis infertur in tentorium adunationis ad expiandum in Sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni.] Excipitur ab ista regula, (videlicet, quòd caro hostiæ pro peccato sit Sacerdotum) caro omnis hostiæ pro peccato, cuius sanguis infertur in tabernaculum. Et hæc (vt patet in 4. cap.) est caro hostiæ pro peccato Pontificis, vel pro peccato populi: neutra enim caro erat comedenda à quocunque; sed comburenda extra in loco cinerum.

CAPVT VII.

Vers. 1. HÆc quoque est lex hostiæ pro delicto.] Consequenter relatiuè ad Sacerdotes traditur lex hostiæ pro delicto, quæ Hebraïcè vocatur *Asam.*

Sanctum sanctorum est. *Vers.* 2. Idcircò vbi immolabitur holocaustum, mactabitur & victima pro delicto.] Sententia clara est ex dictis, intelligendo, immolationis nomine, iugulationem.

Sanguis eius per gyrum altaris fundetur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et sanguinem eius asperget super altare in circumitu.* Et est sermo de corpore altaris. Quæ verò subiunguntur de adipe, corrige, vt superiùs sæpè.

Vers. 3. Offerétque ex ea omnem adipem, caudam, & adipem, qui operit vitalia, *Vers.* 4. & duos renunculos, & pinguedinem, quæ iuxta ilia est, reticulúmque iecoris cum renunculis, *Vers.* 5. & adolebit ea Sacerdos super altare: incensum est Domini pro delicto. *Vers.* 6. Omnis masculus de sacerdotali genere, in loco sancto vescetur his carnibus, quia sanctum sanctorum est. *Vers.* 7. Sicut pro peccato offertur hostia; ita & pro delicto: vtriusque hostiæ lex vna erit. Ad Sacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit. *Vers.* 8. Sacerdos, qui offert holocausti victimam, habebit pellem [a] eius. *Vers.* 9. Et omne sacrificium similæ, quod coquitur in clibano, & quicquid in craticula, & in sartagine præparatur, eius erit Sacerdotis, à quo offertur: *Vers.* 10. siue oleo conspersa, siue arida fuerit, cunctis filiis Aharon æqua mensura per singulos diuidetur.] Corrupta est hæc Litera: nam iuxta Hebræum habetur: *Et omne munus mixtum in oleo, & aridum, omnibus filiis Aharon erit, vir, sicut frater eius.* Distinguit lex munus crudum à munere cocto: & munus coctum quocunque trium modorum suprà scriptorum, (videlicet, in furno, in frixorio, & in vase subtecto,) decernit fore Sacerdotis illius, qui partem muneris cocti incendit Deo; crudum verò munus decernit fore commune omnibus Sacerdotibus. Et appellatur in Litera simila cruda, quæ offerebatur sub forma farinæ, munus mixtum in oleo, & aridum mixtum quidem in oleo: quia (vt 2. cap. patet,) apposito oleo, & thure offerebatur: aridum verò, quia sub forma farinæ erat, & pugillum ex eo Sacerdos incendebat Deo. Hanc muneris

[a] Quòd pellis hic pro Sacerdote discernatur, ideò est, quia holocausta excoriare & iugulare, officium erat Sacerdotis, vt patet 2. Paralip. 29. vbi retractat Doctor, quæ cap. 1. dixit afferens officium fuisse offerentis.

neris speciem decernit lex, non fore propriam Sacerdotis incendentis, sed communem omnibus Sacerdotibus; communem autem æqualiter: nam æqualitas significatur dicendo: *Vir sicut frater eius*. Et scito, quòd, quam nos similam dicimus in his muneribus, Hebræi appellant florem farinæ. Quod ideò dixerim, ne quis nomine similæ fallatur. Hæc erat distributio muneris. In sacrificio verò, tam pro peccato, quàm pro delicto, nulla erat exceptio; sed caro erat Sacerdotis spargentis sanguinem, & incendentis adipem: in holocausto verò pellis holocausti hominis, erat quoque Sacerdotis incendentis. Et dicitur, *hominis*, ad excipiendum holocaustum pro Pontifice, & pro populo: huius enim pellem nullus habebat, sed comburebatur extra castra. Sed in vulgata editione deficit, *hominis*, seu *viri*.

Vers. 11. Et hæc est lex hostiæ pacificorum, quæ offertur Domino.] Similiter intellige relatiuè ad Sacerdotes, & participantes: nullius enim sacrificij participes erant alij, quàm Sacerdotes, nisi istius.

Vers. 12. Si pro gratiarum actione.] Iuxta Hebræum habetur: *Si super laude fuerit oblatio*. In idem tamen redit laus cum gratiarum actione: hæc enim Hebraïca dictio solet interpretari, *confessio*: sed, quia de confessione laudis in proposito est sermo, ideò dicitur, *super laude*.

Offerent panes absque fermento, conspersos oleo, & lagana, azyma vncta oleo, coctámque similam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et offeret super sacrificio laudis placentas azymas mixtas in oleo, & crustulas azymas vnctas in oleo, & similam oleatam*. Hæc tria tantùm habentur in Hebræo. Deinde immediatè subiungitur:

Placentas mixtas in oleo. *Vers.* 13. Super placentas panis fermentati offeret oblationem suam super sacrificio laudis pacificorum suorum.] Ex eo, quòd ex tribus nominatis (placentis, crustulis, & flore farinæ) solas placentas resumit, suspicor, non obligari offerentem victimam pacificorum, ad offerendum hæc tria; sed aliquod horum: ita quòd offerebant panem vtrunque, scilicet, absque fermento, & fermentatum: non enim offerebatur, vt incenderetur Deo: & propterea fermentatum offerri poterat.

Vers. 14. Ex quibus vnus pro primitiis offertur Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Et offeret ex ea vnum de omni oblatione eleuatione* תרומה: *& erit Sacerdotis, qui fundet sanguinem hostiæ*. Et est sensus, quòd ex qualibet specie eorum, quæ offeruntur, offerat vnum Deo; videlicet, ex placentis infermentatis, vnam; ex crustulis, vnam; ex placentis fermentatis, vnam, &c. & quælibet vna oblata Deo erat Sacerdotis spargentis sanguinem illius victimæ.

Vers. 15. Cuius carnes eadem comedentur die [b], nec remanebit ex eis quicquam vsque mane. *Vers.* 16. Si voto, vel sponte quispiam obtulerit hostiam, eadem similiter edetur die. Sed & si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est:

[b] Satyris sacrificantes eum ritum obseruabant, vt peracto sacrificio, victimæ sanguine vescerentur.

Vers. 17. Quicquid autem tertius inuenerit dies, ignis absumet.] Cogor ex duplici capite intelligere, non esse aliud sacrificium pro gratiarum actione, seu laude, à sacrificio voto, vel sponte oblato. Alterum caput est: quia omnis hostia pacifica comprehenditur sub hoc, quòd offertur, vel voto, vel sponte: quod enim pro gratiarum actione, seu laude, offertur, aut ex voto offertur, aut sine voto sponte: non ergo est tertius modus offerendi sacrificium pacificum, offerre pro laude, seu gratiarum actione. Sed dicendo, pro *laude*, finis hostiæ pacificæ manifestatur, ne populus ad hostias pacificas conueniret, tanquàm ad conuiuia humana; sed & sciret, & intenderet ad huiusmodi conuiuium venire ad laudem Dei: & propterea hostia pacifica ex causa finali, appellatur sacrificium laudis: spectando autem ad causas effectiuas, dicitur: *Si ex voto, vel sponte*. Alterum caput est: quia subiungendo pœnam comedentis die tertio, nulla fit distinctio; sed vniuersaliter, & absolutè dicitur: *Si comestum fuerit de sacrificio pacificorum eius die tertio*. Non significata est igitur diuersitas sacrificij laudis, à sacrificio ex voto, vel sponte: sed cùm priùs instructus fuit populus de fine sacrificij pacifici; posteà sumendo vniuersalem legem, si voto, vel sponte, decernitur, quòd in die sacrificij comedenda est caro victimæ: concedendo immediatè quoque sequentem diem; sed nullo pacto diem tertium. Nec obstat huic literali sensui modus loquendi incipiens à coniunctione, *si super laudem offeret ipsum*: quoniam coniunctio officiosa est, ad persuadendum, quare caro sacrificij pacifici non est seruanda in crastinum: quia, videlicet, est caro sacrificij laudis. Nec est dubitantis, sed argumento vtentis, dicere: Si super laudem offertur, non seruetur caro in diem crastinum. In cuius ratiocinationis signum idem repetitur: *Si voto, vel sponte offertur eadem die comedetur*. sed posteà quasi permittendo adiicitur dies immediatè sequens. Licitum itaque concludε in omni sacrificio pacificorum vesci carnibus eius, etiam die secundo ex quadam indulgentia.

Vers. 18. Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti: quin potiùs quæcunque anima tali se edulio contaminauerit, præuaricationis rea erit.] Vulgata editio ex quatuor pœnis, tres tantùm refert, omittendo primam; videlicet, *Non erit volitus offerens ipsum*. Et statim sequitur:

Non imputabitur ipsi, perditum erit.] Tres istæ pœnæ offerentem respiciunt, eò quòd nō combussit, quicquid superfluū fuit: & ipsius culpa euenit, quòd tertia die comestum est aliquid illius sacrificij à quocunque comestū fuerit. Et quod dicitur: *Non erit volitus*, intelligitur proculdubiò à Deo: & tam ipse, quàm sacrificium oblatum refutatur. Et si verè ex ipsius negligentia (vt lex præsumit) euenit hic error, tenebatur iste iterum offerre sacrificium, si ad illud ex voto tenebatur: non enim persoluit integrè votum, qui omisit comburere superfluum, quod tanti fit à Deo. Deinde subditur pœna, imò culpa cuiuscunque comedentis die tertio illud superfluum: scribitur enim:

Culpam suam recipiet.] Absque vlla certæ pœnæ determinatione.

Vers. 19. Caro, quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed cōburetur igni.]

igni.] Determinato tempore comedendi victimam pacificam, nihil determinatur de loco: ac per hoc locus omnis licitus erat in territorio, in quo erat tabernaculum. Verùm, quia ipsa caro sacrificij pacifici poterat tangi ab aliquo immundo, statuitur, vt quæcunque carnis portio tetigerit aliquid immundum secundùm legem, non comedatur, sed comburatur.

Qui fuerit mundus, vescetur ea.] Ecce participes sacrificij: cuilibet mundo (siue offerenti, siue non offerenti, siue mari, siue fœminæ) licitum erat vesci carnibus huius sacrificij.

Vers. 20. Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis: *Vers.* 21. & quæ tetigerit immunditiam hominis, vel iumenti, siue omnis rei, quæ polluere potest, & comederit de huiuscemodi carnibus, interibit de populis suis.] Excluduntur omnes immundi ab esu huius sacrificij, explicando duo genera immundorum: alterum, immunditie ex se: alterum, immunditie ex contactu immundi, siue hominis, siue iumenti, siue cuiuscunque rei immundæ: & imponitur pœna mortis. Quam intellige, si ex contemptu comederent immundi hæc sacrificia Dei: nam, si contemptus desit, non incurritur mortis pœna iuxta Domini sententiam Num. 2.

Vers. 22. Et locutus est Dominus ad Mosen dicens.] Nomen est tetragrammaton: quod hîc, & vbique intellige, nisi in specie aliud dicamus in toto hoc libro.

Vers. 23. Loquere filiis Israël.] Hactenus sacerdotales leges, modò vniuerso populo dantur: & propterea dicitur: *Loquere filiis Israel.*

Vers. 24. Adipem ouis, & bouis, & capræ non comedetis.] Legem latam 3. cap. repetit; imò ibi præuentam hîc ex proposito promulgat, explicando prohibitionem adipis ex tribus generibus animalium: quia sola hæc offerebantur Deo. Quò fit, vt licitè possint comedere adipes aliorum animalium non immundorum.

Adipem cadaueris morticini, & eius animalis, quod à bestia raptum est, habebitis in vsus varios.] Directè de adipe bouis, ouis, & capræ est sermo: ex eo enim, quòd adeps morticini, vel rapti à bestia non poterat offerri in vsum altaris, nec etiam poterat manducari, manifestatur, quid faciendum est de eo; & dicitur, quòd potest conuerti in varios vsus; putà, candelarum, vnctionum &c.

Vers. 25. Si quis adipem [e], qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo.] Tum ratio legis prohibentis esum adipis bouis, ouis, & capræ redditur; quia huiusmodi adeps incenditur Deo: tum pœna mortis comedenti imponitur. Quam tamen intellige, tam in hoc, quàm in similibus, vt diximus.

[e] Ex hoc phrasis illa: *Holocaustum tuum pinguefiat* desumpta est, hoc est, gratum, acceptum, ac pingue habeatur. Delectabatur siquidem Dominus adipibus, & pinguibus, quæ iusserat sibi perpetuò adoleri.

Vers. 26. Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo.] Repetitur quoque lex prohibens esum sanguinis, adiiciendo pœnam mortis.

Tam de ouibus, quàm de pecoribus.] Quia limitauerat adipem ad tria genera quadrupedum, ne similis limitatio intelligeretur circa esum sanguinis, extendendo comprehenduntur omnia animalia vsque ad volatile, & vsque ad quadrupes: Hebraïcè enim habetur: *Et omnem sanguinem non comedetis in cunctis habitaculis vestris ad volatile, & ad quadrupes.* Ex quibus duobus terminis (hoc est, per modum terminorum significatis, dicendo, *ad volatile, & ad quadrupes*) insinuatur comprehendi omnium animalium sanguinem, nec excludi pisces, nec excipi sanguinem piscium, aut cuiuscunque alterius. Et hunc esse literalem sensum, testatur non solùm Litera in calce tertij capituli, sed etiam subiuncta litera.

Vers. 27. Omnis anima, quæ comedet omnem sanguinem, destruetur anima ipsa è populis suis.] Dicendo, *omnem sanguinem*, nullum exemptum sanguinem manifestat.

Vers. 28. Locutúsque est Dominus ad Mosen, dicens: *Vers.* 29. Loquere filiis Israël: Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat simul & sacrificium, id est, libamenta eius.] Non habentur hæc in Hebræo: sed habetur: *Offerens sacrificium pacificorum suorum* יהוה, *offeret oblationem suam Iehouah de sacrificio pacificorum suorum.* Et planus literæ sensus est, vt homo offerens hostiam pacificam, offerat Deo portionem debitam Deo: illa enim portio appellatur oblatio sacrificij Deo: traditur enim hoc in loco modus offerendi portionem suam Deo; instituitúrque populus, quas cæremonias facere debet in huiusmodi sacrificio, inchoando ab hoc, quòd ipsemet sacrificans offerat Deo portionem suam. Vnde & statim subiungitur, tum quomodo, tum quæ.

Manus eius offerent incensa Iehouah.] Ecce modus, videlicet, quòd manibus propriis offerat ea, quæ sunt incendenda, hoc est, adipem; &, vt subiungitur, pectus, quod non erat incendendum, sed Deus dabat illud Sacerdoti.

Adipem super pectus.] Sic habetur in Hebræo. Vbi nota duo. Alterum spectans ad situm, quòd in vase pectus sub adipe locabatur: & meritò; quia adeps incendebatur Deo; pectus verò comedebatur à Sacerdote. Alterum, quòd sub nomine *adipis* comprehenditur totũ, quod erat cremandum; & similiter sub nomine *pectoris* comprehenditur etiam armus dexter, quoad locationem in illo vase: ita quòd cæremonia erat hæc, vt in vno vase locarentur pectus, & armus dexter; & super hæc adeps cum renibus, &c. sic enim impletur præceptum, vt tota portio Deo debita ex hostia pacifica ab homine sacrificante tenente hoc vas in manibus suis offerretur. Vnde & subditur:

Vers. 30. Adducet ipse pectus ad eleuandum ipsum eleuationem coram Iehouah.] Ecce actio, videlicet, quòd offerens tenens vas illud in manibus, eleuabat coram Iehouah, hoc est, versus ad propitiatorium, tanquàm offerens illud Deo. Et loco horum in vulgata editione habetur:

Quámque ambo oblata Domino cõsecrauerit, tradet Sacerdoti.] Dubium enim non est, quòd subintelligitur Sacerdos ibi assistens, & dirigens, imò per manus tenentis vas offerens, tanquam supponens manum brachiis offerentis, & eleuantis, & accipiens, postquàm erant eleuata, coram Deo.

Vers. 31. Et adolebit Sacerdos adipem super altare, erítque pectusculum Aharon,

ron,& filiorum eius. *Verſ.* 32. Armus quoque dexter de pacificorum hoſtiis cedet in primitias Sacerdotis. *Verſ.* 33. Qui obtulerit ſanguinem, & adipem filiorum Aharon, ipſe habebit & armum dextrum in portione ſua.] Idem intellige de pectore: quia non alij traditur pectus.

Verſ. 34. Pectuſculum enim eleuationis, & armum ſeparationis.] Iuxta Hebræũ habetur: *Et armum eleuationis.* tam enim pectus, quàm armus dexter appellatur eleuationis, eò quòd vtrunque eleuabatur offerendo Deo victimam pacificorum.

Tuli à filiis Iſraël de hoſtiis eorum pacificis, & dedi Aharon Sacerdoti, ac filiis eius, lege perpetua, ab omni populo Iſraël.

V. 35. Hæc eſt vnctio Aharon, & filiorũ eius, in cæremoniis Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Hæc vnctio Aharon, & vnctio filiorum eius ex incenſis Iehouah.* Ratio redditur appropriationis omnium appropriatarum rerum Sacerdotibus; & aſſignatur pro ratione vnctio ipſorum: ita quòd ideò ex diuinis ſacrificiis omnia in legibus iſtis applicata Sacerdotibus debentur ipſis, quia vncti ſunt. Et propterea cùm legis, *hæc vnctio*, intellige, hoc ex vnctione debitum eſt, hoc vnctio exigit. Et hunc eſſe literalẽ ſenſum, manifeſtatur ſubiungendo, *ex incenſis Iehouah, quæ præcepit Iehouah dari ipſis.* Sic enim dicitur, *hæc eſt vnctio*, quemadmodum de Regi ex coronatione debitis dicitur: Hæc eſt corona Regis. Et vt clarè percipias, vide literam Hebraïcam totam. Subiungitur immediatè:

In die fecit appropinquare eos ad ſacerdotio fungendum Iehouah, *Verſ.* 36. quæ præcepit Iehouah ad dandum eis in die vnctionis ipſorum à filiis Iſraël præceptum perpetuum generationibus eorum.] Perpende hinc, prudens lector, duo. Alterum, quod diximus, videlicet, de debitis portionibus ex ſacrificiis Domini Sacerdotibus eſſe ſermonem, & rationem debiti reddi; tum ex officio ſacerdotali non vſurpato, ſed à Deo iniuncto eis; tum ex præcepto diuino, quia Deus præcepit has portiones Sacerdotibus dari à filiis Iſraël; tum ex vnctione ipſorum. Alterũ, quòd, quum bis dicitur in Litera, *in die*, non ſignificatur dies, vt tempus accipiendi hæc debita, (quoniam hæc debita ſucceſſiuè ſecundùm occaſiones, vel holocauſti, vel ſacrificij pro peccato, vel hoſtiæ pacificæ, vel muneris perſoluebãtur:) ſed ſignificatur initium temporis obligantis: à die enim vnctionis ipſorum, ad officium ſacerdotale cœperunt deberi Aharon, & filiis eius portiones iſtæ ſacrificiorum: priùs enim, quàm eſſet ſacerdotium Aharon, nõ erant debitæ iſtæ portiones ipſis; & quantùm legitur, nulli erant debitæ: ſed ex diuina inſtitutione debentur Aharon, & filiis eius, incipiendo à die Sacerdotij eorum. Et hìc proculdubiò eſt literalis ſenſus. Nec ſunt duo tempora, dies, quo fecit appropinquare ipſos ad Sacerdotio fungendum, & dies vnctionis ipſorum; ſed dies vnctionis ſubiungitur ad manifeſtandum diem appropinquationis ad Sacerdotium: vnctio autem, & Sacerdotium manifeſtè differunt, ſicut conſecratio, & officium, ad quod quis conſecratur.

Verſ. 37. Iſta eſt lex holocauſti, & ſacrificij pro peccato, atque delicto, & pro conſecratione & pacificorum victimis.] Iuxta Hebræum ſex enumerantur; videlicet, *holocauſtum, munus, chatah, aſam, conſecrationes, & ſacrificium pacificorum*: epilogus enim eſt omnium ſupradictarum legum à principio huius libri. Et quanuis parui referre videatur; non nocet tamen ſcire, quòd Hebraïcè hæc omnia datiui caſus ſunt, ad inſinuandum, leges non imponi ipſis, ſed actionibus circa ipſa. Et quod quinto loco dicitur, *conſecrationibus*, intellige, vt prædiximus, quoad debita ex conſecrationibus: nam lex conſecrationis non continetur inter iſtas (vt patet legenti à principio libri,) ſed lex debitorum ipſis Sacerdotibus ex eorum conſecratione promulgata eſt, ſingillatim ex holocauſtis, ex muneribus, ex ſacrificiis pro peccato, & pro delicto, & ex pacificis.

Verſ. 38. Quam conſtituit Dominus.] Ne humana authoritate ſtatutæ leges illæ crederentur, manifeſtatur diuina authoritas.

Moſi in monte Sinaï.] Quia has leges nõ promulgauerat Deus alloquendo populum, & dando decem præcepta; ideò hìc dicitur, quòd has leges præcepit יהוה Moſi. Et ſubiungitur locus, vbi Moſes ſuſcepit hæc præcepta; videlicet, in monte Sinaï: & ſubiungitur tempus, dicendo iuxta Hebræum: *In die ſui præcipere filiis Iſraël ad offerendum oblationes ſuas* יהוה *in deſerto Sinai.* Vt intelligamus, hoc fuiſſe poſt legem datam decem præceptorum, dicitur: *In die ſui præcipere*, &c. *filiis Iſraël.* præceptum enim de oblationibus fuiſſe poſtea, teſtatur ipſe Deus apud Ieremiam cap. 7. Et nihilominùs dicendo: *In die ſui præcipere filiis Iſraël.* manifeſtat, Deum ſic decreuiſſe, vt per Moſen præciperet hæc filiis Iſraël; & non reliquit in libertate Moſis præcipere, vel non præcipere hæc filiis Iſraël. Quod autem dicitur, *in deſerto Sinai*; non refertur ad offerendum, ſed ad filios Iſraël: non enim eſt ſenſus, Deum præcepiſſe filiis Iſraël, vt in deſerto offerrent Deo huiuſmodi ſacrificia, teſtante hoc ipſo Deo apud Amos cap. 5. Sed eſt ſenſus, quòd filiis Iſraël, non in Ægypto, ſed in deſerto Sinaï exiſtentibus, præcepit Deus Moſi hæc præcipienda populo.

CAPVT VIII.

VERS. 1.

Locutúſque eſt Dominus ad Moſen dicens. *Verſ.* 2. Tolle Aharon cum filiis ſuis, & veſtes eorum, & vnctionis oleum, & vitulum pro peccato, & duos arietes, & caniſtrum cum azymis: *Verſ.* 3. & congregabis omnem cœtum [a] ad oſtium tentorij adunationis.] Capitulũ hoc executionẽ narrat conſecrationis Aharõ, & filiorũ eius peractæ à Moſe. Et ne ipſius Moſis authoritati, ſeu amori fraterno tribuatur electio Aharon, & filiorum eius ad ſacerdotium, præponitur diuina authoritas: elegerat enim Deus Aharon cum filiis ſuis ad ſacerdotium ante peccatum vituli; vt patet Exod. 28. & quoniam Aharon grauiſſimè peccauerat; ideò iterum diuinus ſermo de electione Aharon, & filiorum eius factus ad Moſen ſcribitur hìc. Et quia executio ſcribitur ſtatutorum in Exodo cap. 28. & 29. & ſummariè narratur executio, ideò prudẽs lector intelligat, cuncta

[a] Ad hoc factum alluſit Paulus 1. Timot. 3. inquiens, *oportere Epiſcopum habere teſtimonium ab his, qui foris ſunt.*

cuncta fuisse executioni mandata, & conferat hæc cum illis, si in aliquo dubitat; conferat & cum scriptis legibus in hoc libro de holocausto, & sacrificio pro peccato Pontificis, &c. vt intelligat, & corrigat, quæ hîc scribuntur; verbi gratia, vitulum pro peccato, intelligat taurum, vel iuuencum pro peccato immaculatum.

Vers. 4. Fecítque Moses, vt Dominus imperauerat ei: congregatáque omni turba.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit adunata Synagoga ante fores tentorij adunationis.* Non est perspicuum, an vniuersus populus, an quasi Senatus fuerit congregatus, quandoquidem & Synagoga iussa est congregari, non populus Israël.

Et dixit Moses Synagogæ: *Vers.* 5. Iste est sermo, quem præcepit Dominus fieri.] Verbum pro re dicta sumitur.

Vers. 6. Statímque obtulit Aharon, & filios eius. Cúmque lauisset eos, *Vers.* 7. vestiuit Pontificem subucula [b] linea, accingens eum baltheo, & induens eum tunica hyacinthina: & desuper humerale imposuit, *Vers.* 8. quod astrinxit cingulo.] Bis fit mentio cinguli: semel cingendo tunicam lineam primò vestitam; & illud in Hebræo nominatur cingulum, absque aliqua additione: iterum autem nominatur cingulum cingendo superhumerale, quod erat supra tunicam hyacinthinam, & hoc in Hebræo nominatur *cingulum cogitationis superhumeralis*, subiungendo, *& accommodauit ei in ipso.* Hæc enim diuersa appellatio cinguli insinuat, quòd primum cingulum erat lineum, secundum autem erat polymitario opere factum. Et quadrat: quia primum latebat sub tunica hyacinthina; secundum autem patebat, & aliquantulam latitudinem habuisse dicitur.

[b] De hac veste subucula vide Hieronymum in epist. ad Fabiolam. Nec mireris, de vestium sacerdotalium ornatu toties Scripturam mentionem facere. Diuersitate enim vestium, varióque ornaméto, reipublicæ ordines, & status semper műdus distinxit, vt passim Scripturæ sacræ, ac profanæ indicant. Sic Ioseph Ægypti Rector institutus, variis vestibus ornatus est. Gen 40. & 3. Esdræ 8. Persarum Satrapas purpuratos legimus. Sic & Saülē habitum mutasse regium, dum Pythonissam adiuit, legimus: & apud Romanos togas viriles, prætextas, & puras, & penè innumera vestimétorum genera, per quæ gradus reipublicæ differebant. Nam, cű pro hominum more vestibus honor detur, illísque authoritas officij populo commendetur, Dominus miri ornatus, & splēdoris vestibus Sacerdoté suum vestiri iussit, vt in illa vestium pompa, eius dignitatem commēdaret Israëlitis.

Et aptabit rationali: in quo erat doctrina, & veritas.] Iuxta Hebræum habetur: *Et posuit super illud pectorale: & dedit pectorali vrim, & tummim.* Hæc est litera, quam superiùs citauimus, ex qua manifestauimus, quid significatur per *vrim*, & *tummim*, quæ non oportet repetere: sed confer hæc cum scriptis in cap. 28. Exodi.

Vers. 9. Cidari quoque texit caput: & super eam contra frontem posuit laminam auream, consecratam in sanctificationem.] Iuxta Hebræum habetur: *Coronam sanctitatis, sicut præceperat ei Dominus.* Laminam auream appositiuè dicit, *coronam sanctitatis: coronam* quidem, non rotundam, seu circularem; sed in parte anteriori capitis duntaxat. Et quia sic intelligunt Hebræi dictionem Hebraïcam; ideò sententiam complectere; sed linguam corrigas, qui scis: constat enim, quòd lamina illa filo hyacinthino adiuta coronabat caput, ipsa in anteriore parte existente: *sanctitatis* autem; quia in ea sculptum erat *sanctitas* קדש: vt in Exodo patet.

Vers. 10. Tulit & vnctionis oleum, quo liniuit tabernaculum cum omni supellectili eius. *Vers.* 11. Cúmque sanctificans aspersisset ad altare septem vicibus, vnxit illud, & omnia vasa eius: labrúmque cum basi sua sanctificauit oleo.] Confunduntur sententiæ in vulgata editione: nam iuxta Hebræum distinctè dicitur, quòd vnxit tabernaculum; & omne, quod in ipso, & sanctificauit ea, & aspersit ex ipso super altare septem vicibus. Et est sermo de altari thymiamatis, vt patet ex Exodi 30. Deinde subiungitur de altari holocaustorum: Et vnxit altare, & omnia vasa eius, & concham, & basim eius ad sanctificandum ea.

Vers. 12. Quod fundens super caput Aharon, vnxit eum, & consecrauit.] Aduerte, quòd solius Aharon caput vngitur.

Vers. 13. Filios quoque eius oblatos consecrauit.] Non habetur hoc in Hebræo: sed habetur: *Et fecit appropinquare Moses filios Aharon.* Et deinde subiungitur de vestitu, & cingulo eorum. Quod ideò annotauerim, ne quis erraret intelligendo, filios Aharon fuisse quoque consecratos, sicut & patrem.

Vestiuítque tunicis lineis, & cinxit baltheis: imposuítque mitras.] Iuxta Hebræum plùs significatur: *Et strinxit,* (seu vinciuit) *eis mitras,* (seu pileos,) *vt iusserat Dominus.* Ignota est mihi forma huius tegminis capitis, & quomodo ligaretur.

Vers. 14. Obtulit & vitulum pro peccato. Cúmque super caput eius posuissent Aharon, & filij eius manus suas.

15. Immolauit eum hauriens sanguinem, & tincto digito tetigit cornua altaris per gyrum. Quo expiato, & sanctificato, fudit reliquum sanguinem ad fundamenta eius.

℣ 16. Adipem autem, qui erat super vitalia, & reticulum iecoris, duósque renunculos cum aruinulis suis, adoleuit super altare,

17. Vitulum cum pelle, carnibus, & fimo cremans extra castra, sicut præceperat Dominus.

18. Obtulit & arietem in holocaustum. Super cuius caput cùm imposuissent Aharon, & filij eius manus suas,

19. Immolauit eum, & fudit sanguinem eius super altare per circumitum:

20. Ipsúmque arietem in frusta concidens, caput eius, & artus, & adipem adoleuit igni,

21. Lotis [c] priùs intestinis, & pedibus. Totúmque simul arietem incendit super altare, eò quòd esset holocaustum suauissimi odoris Domini, sicut præceperat ei.

[c] Præceptum erat, victimam non offerre, nisi priùs lotam: omnes enim hostiæ abluendæ erãt. Hinc tempore Christi probaticam piscinam legimus Ioan. 5. ita dictam, quòd morem haberent Sacerdotes in ea oues litandas abluendi.

22. Obtulit & arietem secundum in consecratione Sacerdotum, posuerúntque super caput eius Aharon, & filij eius manus suas.

23. Quem cùm immolasset Moses, sumens de sanguine eius tetigit extremum auriculæ dexteræ Aharon, & pollicem manus eius dexteræ, similiter & pedis.

24. Obtulit & filios Aharon, cumque de sanguine arietis immolati tetigisset extremum auriculæ singulorum dexte-

ræ, & pollices manus, ac pedis dexteri, reliquum fudit ſuper altare per circumitum.

25.Adipem verò,& caudam,omnémque pinguedinem, quæ operit inteſtina, reticulumque iecoris,& duos renes cum adipibus ſuis, & armo dextero ſeparauit.

26. Tollens autem de caniſtro azymorum, quod erat coram Domino,panem abſque fermento, & collyridam conſperſam oleo, laganumque, poſuit ſuper adipes, & armum dexterum.

27. Tradens ſimul omnia Aharon,& filiis eius. Qui, poſtquàm leuauerunt ea coram Domino,

28.Rurſum ſuſcepta de manibus eorum adoleuit ſuper altare holocauſti:eò quòd conſecrationis eſſet oblatio in odorem ſuauitatis ſacrificij Domini.

29. Tulit & pectuſculum eleuans illud coram Domino de ariete conſecrationis in partem ſuam, ſicut præceperat ei Dominus.]

Confer hæc cum ſupraſcriptis in cap. 29. quia non differunt: quæ enim ibi ſtatuuntur, hic executioni mandantur.

*Verſ.*30. Aſſuménſque vnguentum, & ſanguinem, qui erat in altari, aſperſit ſuper Aharon, & veſtimenta, & ſuper filios illius,ac veſtes eorum.] Diſcerne, prudens lector. Primùm ſolus Aharon vnctus eſt in capite oleo ſanctæ vnctionis: deinde communis Aharon, & filiis vnctio auris,manus, ac pedis celebrata eſt ſolo ſanguine arietis conſecrationis: & demum communi aſperſione mixturæ ex eodẽ ſanguine, & eodem oleo ſancto aſperſi ſunt Aharon, & filij cum veſtibus ſuis.

*Verſ.*31. Cúmque ſanctificaſſet eos in veſtitu ſuo, præcepit eis dicens:Coquite carnes ante fores tentorij adunationis: & ibi comedite eas. Panes quoque conſecrationis edite, qui poſiti ſunt in caniſtro: ſicut præcepit mihi Dominus dicens: Aharon, & filij eius comedent ea. *Verſ.*32. Quicquid autem reliquum fuerit de carne & panibus, ignis abſumet. *Verſ.*33.De oſtio quoque tentorij adunationis non exibitis ſeptem diebus,vſque ad diem, quo complebitur tempus conſecrationis veſtræ: ſeptem enim diebus finitur conſecratio. *Verſ.*34. Sicut & in præſentiarum factum eſt, vt ritus ſacrificij compleretur.] Relege capitulum 29. & inuenies,quòd omnes cæremoniæ peractæ primo die conſecrationis, repetendæ erant ſingulis diebus:ita,quòd etiam repetendum erat holocauſtum,& ſacrificiũ pro peccato Pontificis.

*Verſ.*35.Die,ac nocte manebitis in tentorio adunationis obſeruantes cuſtodias Domini, ne moriamini: ſic enim mihi præceptum eſt.]Iuxta Hebræum loco, *cuſtodias*,habetur,*cuſtodiam.* Quod ideò dixerim, ne cogamur intelligere, quòd vigilaturi eſſent viciſſim, quemadmodum fit à cuſtodibus arcis in vigiliis nocturnis:non eſt enim lege aliqua ſtatuta talis cuſtodia vigiliarum in tabernaculo Dei;ſed ſufficere videtur ad verificandum præſentem literam, quòd in atrio tabernaculi manerent cuſtodes tabernaculi, quemadmodum ante aulas Regum manent cuſtodes regij:& huiuſmodi cuſtodia imponitur Pontifici, durante tempore conſecrationis eius.

*Verſ.*36. Fecerunt Aharon,& filij eius cuncta, quæ locutus eſt Dominus per manum Moſis.

CAPVT IX.

Vers. 1.

FActo autem octauo die vocauit Moſes Aharon, & filios eius, ac maiores natu Iſraël.] Peractis omnibus per dies ſeptem, narratur octauo die initium officij pontificalis celebratum ab Aharon: in præcedentibus nanque ſeptem diebus completa eſt conſecratio eius; octauo autem die incepit officium Pontificis exercere, mandante Moſe.

Dixítque ad Aharon: *Verſ.*2. Tolle de armento vitulum pro peccato, & arietem in holocauſtum, vtrunque immaculatum:& offer illos coram Domino.] Optimum principium, vt Pontifex incipiat à ſacrificio pro peccato proprio,& à proprio holocauſto.

*Verſ.*3.Et ad filios Iſraël loqueris:Tollite hircum pro peccato, & vitulum, atque agnum anniculum, & ſine macula in holocauſtum, *Verſ.*4. bouémque, & arietem pro pacificis; & immolate eos coram Domino, in ſacrificio ſingulorum ſimilam oleo conſperſam offerentes.] Secundò ſacrificat vnico contextu pro populo in communi omnia ſacrificiorum genera; videlicet, hircum pro peccato,vitulum,& agnum in holocauſtum,bouem, & arietem in hoſtiam pacificam, & munus floris farinæ mixtæ in oleo.Interpres addidit in hoc vltimo illa verba,*in ſacrificio ſingulorum.*

Hodie enim Dominus apparebit vobis.] Iuxta Hebræum præſentis eſt temporis: *Quia hodie* יהוה *apparens vobis.*caremus enim participio paſſiuo præſentis temporis. Sciebat Moſes,hora ſacrificij videndum Deum in igne mirabiliter facto: & propterea tanquàm præſens ſignificauit.

*Verſ.*5. Tulerunt ergo cuncta,quæ iuſſerat Moſes, ad oſtium tentorij adunationis. Vbi cùm omnis ſtaret [a] multitudo, *Verſ.*6.ait Moſes:Iſte eſt ſermo,quem præcepit Dominus: Facite, & apparebit vobis gloria eius.] Non ſuffecit Moſi ſignificare populo per Aharon; ſed etiam per ſeipſum,poſtquàm populus conuenit,idem confirmauit. Paruíque refert, quòd non gloria,ſed honor Iehouah videndus promittitur.

[a] Nam Iudæi ſtantes orabant 3.Reg 8.

*Verſ.*7. Dixítque ad Aharon:Accede ad altare,& immola pro peccato tuo,& offer holocauſtum, & deprecare pro te, & pro populo: qúmq; mactaueris hoſtiã populi,ora pro eo,ſicut præcepit Dominus. *Verſ.*8. Statímque Aharon accedens ad altare, immolauit vitulum pro peccato ſuo: *Verſ.*9. cuius ſanguinem obtulerunt ei filij ſui: in quo tingens digitũ, tetigit cornu altaris, & fudit reſiduũ ad baſim

basim eius. *Vers.* 10. Adipé mque, & renũculos, ac reticulum iecoris, quæ sunt pro peccato, adoleuit super altare, sicut præceperat Dominus Mosi: *Vers.* 11. carnes verò, & pellem eius extra castra combussit igni. *Vers.* 12. Immolauit & holocausti victimã: obtuleruntque ei filij sui sanguinem eius, quem fudit per altaris circumitum. *Vers.* 13. Ipsam etiam hostiã in frusta concisam cum capite, & membris singulis obtulerunt: quæ omnia super altare cremauit igni, *Ver.* 14. lotis prius aqua intestinis, & pedibus. *Vers.* 15. Et pro peccato populi offerens mactauit hircũ: expiatóque altari.] Iuxta Hebræum habetur: *Et iugulauit ipsũ; & fecit chatah ipsum, sicut primũ.* hoc est, sicut primum sacrificium pro peccato: idem enim erat modus offerendi pro peccato Pontificis, & pro peccato populi: significatur enim, quòd combussit hircum extra castra, sicut taurum combusserat. Dictio interpretata, *fecit chatah*, ex penuria vocabuli est sic interpretata: Hebræi enim à chatah deducunt verbum quasi *chatatauit*: sed nos carentes nomine, caremus & verbo.

Vers. 16. Fecitque holocaustum.] Deficit hic vna clausula: nam statim subiungitur: *Et fecit ipsum sicut ratio.* subaudi, exposcit holocausti.

Vers. 17. Addens in sacrificio libamenta, quæ pariter offeruntur, & adolens ea super altare.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecit appropinquare munus, & impleuit volam suã ex ipso: & instar thuris incendit super altare.* Flos farinæ adhibito oleo, & thure significatur oblatus à populo: & propterea Aharõ impleuit pugillũ, & incendit iuxta legem scriptã in c. 2.

Absque cæremoniis holocausti matutini.] De iugi holocausto est sermo, quod nũquam intermittebatur: & propterea dicitur, quòd hæc holocausta oblata sunt ab Aharon in principio sui pontificatus, absque omissione holocausti matutini; illud enim erat primum, & præcipuum.

Vers. 18. Immolauitque bouem, atque arietem, hostias pacificas populi: obtuleruntque ei filij sui sanguinem [b], quem fudit super altare in circumitu.

[b] Filiorum Aharon erat mactare victimã, sanguinẽ extrahere, & offerre patri: ipsius verò Aharon digitũ intingere.

Vers. 19. Adipes autem bouis, & caudã arietis, renunculósque cũ adipibus suis, & reticulum iecoris.] Iuxta Hebrẽũ habetur: *Et adipes è boue, & ex ariete caudã, & quod operit, & renunculos, & superfluens hepatis.*

Quæ ideò afferenda censui, vt iacent in Hebræo, ne quis ex vulgata editione fallatur. Intellige autem hæc secundùm superiùs dicta, & exposita, de adipibus.

Vers. 20. Posuerunt super pectora.] Executio legis scribitur ad offerendum Deo portionem suam ex sacrificio pacificorum.

Cúmque cremati essent adipes in altari, *Vers.* 21. pectora [c] eorum, & armos dextros separauit Aharon, eleuans corã Domino, sicut præceperat Moses. *Vers.* 22. Et extendens manum ad populũ, benedixit ei.] Iuxta Hebræum habetur: *Et eleuauit Aharõ manus suas ad populum, & benedixit eis.* Non dicit, quòd eleuauit manus suas in cælũ; sed ad populũ: vt intelligamus, quòd eleuauit quidem manus suas, sed versùs populum patẽtibus volis, tanquàm si imponeret manus supra populum. Verba autem, quibus vsus est, benedicendo populũ, nescimus alia, quàm illa, quæ scripta sunt Num. 6. cap. in calce.

[c] Pectusculum summi Sacerdotis erat: armus dexter illius, qui per vices eum iuuabat.

Sicque completis hostiis pro peccato, & holocaustis pacificis, descendit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et descendit à facere chatah, & holocaustum, & pacifica.* Non est perspicuum, an sit sermo de descensu locali, an de descensu à celsitudine officij. Si tamen de descẽsu locali intelligitur, insinuari videtur, quòd altare fuerit constructũ in aliquo loco tumente, (siue arte, siue natura,) vt in loco eminenti conspiceretur à populo. Et hunc esse literalem sensum, testatur subiuncta; videlicet, quòd vniuersus populus vidit ignem egressum à Domino super altare.

Vers. 23. Ingressi autem Moses, & Aharon tentorium adunationis.] Ingressus iste in tabernaculum fuit ad incendendũ thymiama super altare thymiamatis. Comésque fuit Moses, tanquam assistens, & dirigens nouum Pontificem.

Et deinceps egressi benedixerunt populo.] Non intelligo alteram benedictionem, sed priùs dictam. Ordo enim rerum gestarum longè distat ab ordine narrationis: vt patet ex hoc, quòd postremò narratur miraculum ignis; cùm tamen priùs fuerit miraculum ignis, quàm ingressus in tabernaculum ad incendendũ thymiama: quia de altaris holocaustorũ igne portabatur ignis ad altare thymiamatis. Fuit itaque ordo rei gestæ, quòd compositis holocaustis, & iis, quæ incendenda erant super altare, aduenit ignis miraculo diuino, & populus laudauit Deũ: deinde fuit ingressus in tabernaculum: posteà fuit data benedictio, quæ adscribitur Mosi, & Aharon, quoniã ab vtroque processit: sed Aharon, tanquàm nouus Pontifex, volente Mose, eleuauit manus, & protulit verba. Et sic finitũ est officiũ Pontificis noui. Posset tamen & aliter intelligi Litera; hoc est, vt Aharon obtulerit holocaustum matutinum super ignem, quo est vsus Moses septem præcedentibus diebus cõsecrando Aharon; & quòd super eundem ignẽ incendit instar thuris Aharon adipes, & munus, & holocausta sua, & populi: & quòd de eodem igne intulit in altare thymiamatis: & quòd Mose, & Aharon existẽtibus in tabernaculo, apparuit ignis, nõ instar thuris incendens, sed vorãs holocausta: & exierũt Moses, & Aharon; & populo iã prostrato super facies proprias, ambo benedixerunt ratione tantæ deuotionis: priùs enim solus Aharon benedixerat populo. Et hic sensus, iudicio meo, est sẽsus literalis: quia quadrat antedictis in hoc eodem capitulo: nam in eo narratur pluries, quòd Aharon instar thuris incendit: quod nõ potest verificari iuxta primũ sensum. Accedit & ad hunc sensum Litera hæc Hebraica dicẽs: *Et fuit visus honor* יהוה *ab omni populo.* *Vers.* 24. Et exiuit ignis à facie יהוה, & comedit super altare holocaustũ, & adipes: & vidit omnis populus, & cãtauerunt [d], & ceciderunt super facies suas.] Dicendo, *comedit*, manifestat, quòd non excludit ignem priorem instar thuris incendentem: imò ad differentiam prioris ignis describitur, quòd iste nouus ignis comedit holocausta, & Pontificis, & populi. Quod autem dicitur, *à facie Iehouah*, excludit omnem humanam operam: insinuans, quòd ignis non perpendiculariter descendit de cælo super altare;

[d] Sic etiam populus extructo templo Salomonis, videns gloriam Domini, cantauit hymnum: *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Vide 2. Paral. 7. cap.

altare; sed, quòd apparuit tanquàm exiens à Propitiatorio: tum ad monstrandam diuinam erga peccatores non solùm misericordiam; sed gratiam post tantum scelus Aharon: tum ad approbandum initium legalis sacerdotij; nusquam enim legitur priùs simile factum in tot patrum sacrificiis: tum ad hoc, vt diuino igne semper vterentur in sacris; seruatus est enim iste ignis iugiter in holocausto iugi.

CAPVT X.

Vers. 1. Arreptísque Nadab, & Abihu filij Aharon thuribulis, posuerunt ignem, & incensum desuper: offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat.] Quo die hæc res gesta fuerit, incertum est: nam & in Hebræo nullum tempus insinuatur certum: sed dicitur: *Et tulerunt filij Aharon, Nadab, & Abihu, vnusquisque acerram suam, & dederunt in eis ignem, & posuerunt super eum incensum: & fecerunt appropinquare coram* יהוה *ignem extraneum, quem non præcepit eis.* Ex hoc enim, quòd quilibet accepit acerram suam, & instar thuris incenderunt (vt subiuncta insinuant) pugillum muneris, (hoc est, floris farinæ, adhibito oleo & thure,) coniectura habetur, quòd hoc non fuit eodem die, quo Aharon primitias pontificatus sui exercuit: quia non est verisimile, quòd eodem die post tot holocausta, & sacrificia, spectante vniuerso populo, postquàm vnusquisque iuit ad propria, iterum vacatum sit sacrificiis. Quum autem dicitur: *Quem non præcepit eis.* non purè negatiuè, sed contrariè intellige: præceperat enim Deus contrarium; videlicet, quòd de igne altaris assumerent, nec nouus ignis adhiberetur.

Vers. 2. Egressúsque ignis à Domino.[a]] Iuxta Hebræum habetur: *Et exiuit ignis à facie* יהוה. Eisdem penitùs vtitur Moses verbis, quibus est vsus describendo in calce præcedentis capituli miraculum ignis: & propterea similis exitus ignis significatur à facie Dei. Ex eo enim, quòd non dicit: Et egressus est ignis ab altari; sed, *à facie Iehouah*, insinuat, quòd etiam hic ignis tanquàm exiens à Propitiatorio apparuit.

[a] Nonnulli dicunt, hunc ignem, & priorem, de cælo venisse. Nam vox *à Domino* pro *cælitùs* accipitur, idiotismo Hebræo, vt Gen. 19. *Et pluit Dominus super Sodomã sulphur, & ignem à Domino.* Figuraque orationis considerãda est: *Pluit Dominus à Domino.*

Et comedit eos, & mortui sunt coram Domino.] Significanter dicit, *eos:* quia, (vt subiuncta testantur) ignis iste, nec illorum tunicas lineas, nec eorum corpora consumpsit; sed eosdem quasi torrendo interfecit subitò: subiungitur enim, quòd ibi mortui sunt coram יהוה.

Vers. 3. Dixitque Moses ad Aharon: Hoc est, quod locutus est Dominus.] Quanuis superiùs non sit hic diuinus sermo scriptus; testatur tamen Moses, hoc fuisse à Deo dictum: vt, & hinc intelligeremus, multa fuisse reuelata à Deo Mosi, quæ non sunt scripta.

Sanctificabor [b] in iis, qui appropinquant mihi.] Deus in seipso sanctus fieri nequit: sed in hominibus sanctificatur variis effectibus, inter quos vnus est punitio offendentium ipsum: fit enim sic Deus sanctus in punitis, eo ipso, quòd punit sacrilegos.

[b] Hoc est, agnoscar sanctus ex munditia & sãctitate ministrorum, non permittens malos mihi ministrare.

Et in conspectu omnis populi glorificabor.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur; *honorabor:* detrahitur siquidem honori diuino per sacrilegia: sed honoratur coram omni populo Deus, puniendo publicè sacrilegos.

Vers. 4. Quod audiens tacuit Aharon.] Quanuis tanta mœstitia sauciatus; tacet tamen audita diuina voluntate.

Vocatis autem Moses Misaël, & Elsaphan, filiis Huziel, patrui Aharon, ait ad eos: Ite, & tollite fratres vestros de conspectu Sanctuarij, & exportate extra castra [c].] Leuitas mittit Moses ad sepeliendum Sacerdotes.

[c] Olim mortui extra castra, & ciuitates apud Iudæos tumulabantur, vt legis etiã Luc. 7. de filio viduæ, cui occurrit Dominus in porta ciuitatis Naim. Vnde postmodum Iudæorum superstitio, multa de mortuorum corporibus cõmenta est: dicebant siquidẽ, corpus nostrum animal esse, quandiu nõ fuerit commutatum in melius; & in cibũ relictum esse serpenti, qui est dominus carnis, & sanguinis, Princépsque huius mundi vocatur. Hinc nonnulli etiam dixerunt, à sanctis Patribus ritè institutũ esse, & nõ sine causa, vt corpora mortuorũ sepelirentur in loco sacro, & luminaribus sociarentur, aqua benedicta aspergerentur, & suffumigarentur thure, & incenso.

Vers. 5. Confestímque iuerunt, & tulerunt eos, sicut iacebant, vestitos lineis tunicis; & eiecerunt foras, vt eis fuerat imperatum.] Interpres addidit, *sicut iacebant:* nam iuxta Hebræum habetur: *Et portauerunt ipsos in tunicis suis extra castra, vt locutus fuit Moses.* Hinc enim apparet, quòd nec tunicæ eorum, nec ipsi consumpti fuerant ab igne: si enim consũpti fuissent, nõ scriberetur; *& portauerunt ipsos:* sed, portauerunt cineres eorum. Et hoc ad cumulum accessit miraculi.

Vers. 6. Locutúsque est Moses ad Aharon, & Elhasar, & Ithamar, filios eius: Capita vestra nolite nudare, & vestimenta nolite scindere, ne fortè moriamini, & super cœtum oriatur indignatio. Fratres vestri, & omnis domus Israël plangant incendium, quod Dominus suscitauit: *Vers.* 7. vos autem nõ egrediemini fores tentorij adunationis; alioquin peribitis: oleum enim sanctæ vnctionis est super vos. Qui fecerunt omnia iuxta præceptum Mosis.] Exteriora signa luctus prohibet tria: nudationem capitis, scissionem vestiũ, & egressum ex ostio tabernaculi; tribus adiectis rationibus: prima, vt euadant mortem; secunda, vt euadant diuinam iram super totum populum; tertia, quia oleum sanctæ vnctionis est super eos. Et hoc vltimum intellige, quantum ad filios Aharon per modum aspersionis: filij enim Aharon non erant vncti, quemadmodum pater; sed aspersum fuerat super eos oleum sanctæ vnctionis mixtum sanguini. Quod autem dicitur; *vt non egrediantur fores tabernaculi:* intellige hoc in loco sub nomine tabernaculi ipsum, vt comprehendit vniuersum suum atrium, & non vt distinguitur ab atrio.

Vers. 8. Dixit quoque Dominus ad Aharon.] Ex eo, quòd non Moses, sed Iehouah scribitur allocutus Aharon, insinuatur diuina reuelatio facta tunc ad Aharon in tanto mœrore constitutum.

Vers. 9. Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis, tu, & filij tui.] Hinc insinuatur, quòd illi duo filij Aharon combusti, excesserant bibendo: ita quòd etsi non ebrij; vino tamen pleni incurrerant sacrilegium, non reuocando ad memoriam diuinum præceptum de vsu ignis altaris duntaxat: hac enim occasione accepta prohibuit Deus potum vini, tam Pontifici, quàm Sacerdotibus; non tamen iugiter, sed tempore, quo erant in tabernaculo Dei: expressè enim dicitur:

Quando intrabitis in tentorium adunationis.] Hoc est, diebus illis, quibus

vacabitis

vacabitis sacrificiis: Sacerdotes enim vacantes sacrificiis, bis in die ingrediebantur tabernaculum, consummantes sacrificiorum officia, cremando thymiama super altare thymiamatis.

Ne moriamini: quia præceptum sempiternum est in generationes vestras.] Tres rationes redduntur huius perpetui statuti. Prima est euasio mortis corporalis ab exemplo duorum combustorum Sacerdotum. Et ne pœna mortis sine culpa incurri videatur, manifestatur culpa manifestando diuinum statutum perpetuum.

Vers. 10. Et vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum, & profanum; inter pollutum, & mundum.] Secunda ratio præcepti est, vt Sacerdotes discernant inter sanctum, & non sanctum; inter mundum, & immundum: vinum enim impedit actualem discretionem inter hæc: vt experientia testata est. Si nanque discreuissent inter ignem sanctum, & ignem non sanctum, nequaquam mortui fuissent: oportebat enim Sacerdotes sacrificantes discernere inter mundum, & immundum, in rebus illis, quæ offerebantur; & inter sanctum, & non sanctum in iis, quibus vtebantur.

Vers. 11. Doceatisque [d] filios Israël omnia legitima mea, quæ locutus est Dominus ad eos per manum Mosis.] Tertia ratio præcepti est bona dispositio ad exercendum officium docendi filios Israël vniuersa diuina præcepta mandata per Mosen. Vbi clarè manifestatur, ad omnium Sacerdotum officium spectare doctrinam legis: nam, sicut omnes tenebantur vicissim vacare sacrificiis; ita tenebantur ad docendum populum: ad eosdem enim spectat docere, ad quos spectat vacare sacrificiis. Et eisdem illis diebus tenebantur ad vtrunque officium: & propterea interdicitur illis tunc potus vini, & omne, quod inebriare potest.

[d] Sacerdotes Interpretes erant legis, & vitæ formatores, populum in religione erudiebant, & inuicè à populo alebantur.

Vers. 12. Locutúsque est Moses ad Aharon, & ad Elhazar, & Ithamar filios eius, qui erant residui. Tollite sacrificium, quod remansit de oblatione Domini, & comedite illud absque fermento.] Iuxta Hebræum habetur: *Tollite munus, quod remansit de incensis* יהוה, *& comedite illud infermentata iuxta altare: quia sanctum sanctorum est.* De simila, seu flore farinæ esse sermonem, testatur adiectiuum, *infermentata.* Et ex hoc, quòd meminit residuorum filiorum, & relictæ partis muneris, insinuatur, quòd Sacerdotes illi, qui combusti fuerunt, incenderant partem huius muneris super altare. Et quia munus hoc erat sanctum sanctorum, ideò Moses mandat, vt comedatur ibidem infermentatum.

Vers. 13. Comedetis autem in loco sancto, quod datum est tibi, & filiis tuis de oblationibus Domini, sicut præceptum est mihi. *Vers.* 14. Pectusculum quoque, quod oblatum est, & armum, qui separatus est, edetis in loco mundissimo, tu, & filij tui, ac filiæ tuæ tecum.] Differentia adiungitur inter munus, & pectus, & armum penes duo: alterum est, quòd munus comedendum est in loco sancto: pectus autem, & armus in loco mundo. Alterum, quòd munus est comedendum à Sacerdotibus, & filiis masculis duntaxat: pectus autem, & armus à Sacerdotibus, & filiis, & filiabus cum eis. Et ne frustrà additum intelligatur, *tecum*; ad differentiam filiarum Sacerdotum, quæ non habitabant cum patribus, dictum videtur: illæ enim cum maritis suis censebantur.

Tibi enim, ac liberis tuis reposita sunt de hostiis salutaribus filiorum Israël: *Vers.* 15. eò quòd armum, & pectus, & adipes, qui cremantur in altari, eleuauerint coram Domino, & pertineant ad te, & ad filios tuos lege perpetua, sicut præcepit Dominus. *Vers.* 16. Inter hæc hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, cùm quæreret Moses, exustum reperit.] Non potest intelligi de hirco oblato pro peccato populi ab Aharon in die primo pontificatus eius: quoniam de illo scriptum est fuisse effectum, quemadmodum de oblato tauro pro peccato Pontificis. Sed hircus iste fuit vnus ex hircis oblatis pro peccato à duodecim Principibus duodecim Tribuum Israël: vt scribitur Num. 7. Et si collata fuerint scripta in libro Numer. (videlicet, quòd oblatio istorum duodecim hircorum incepit die erectionis tabernaculi, & consecrationis altaris) cum antescriptis, (videlicet, quòd Aharon, & filij eius omnes erant adhuc in tabernaculo, quando accidit hæc combustio,) apparebit, quòd iste hircus fuit vnus ex vltimo oblatis, quando iam filij Aharon fungebantur Sacerdotum officio: & hic illo die, quo combusti fuerunt Sacerdotes, oblatus fuerat; & comedendus erat ab Aharon, & filiis eius: sed superueniente incendio duorum Sacerdotum, Aharon fecit comburi hircum illum: vt subiuncta insinuant. Et prudenter fecit, vt Moses tandem testatus est cognita causa.

Iratúsque contra Elhasar, & Ithamar, filios Aharon, qui remanserant, ait: *Vers.* 17. Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, quæ sanctum sanctorum est, & data vobis, vt portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conspectu Domini: *Vers.* 18. præsertim cùm de sanguine illius non sit illatum in sancta?] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce non fuit illatus sanguis intrò in Sanctuarium: comedendo comedere debebatis ipsam in Sanctuario, sicut præcepi.* Ratio redditur, quare comedendus erat, & non comburendus: quia sanguis eius non est illatus in tabernaculum. Differentia erat inter sacrificium pro peccato aliorum, & sacrificium pro peccato Pontificis, vel populi: quòd sanguis sacrificij pro peccato Pontificis, vel populi inferebatur intra tabernaculum, & aspergebatur septies contra velum: sanguis autem sacrificij cuiuscunque alterius non inferebatur intra tabernaculum. Et hinc oriebatur alia differentia, quòd sacrificium pro peccato comburendum erat, cuius sanguis illatus fuerat intra tabernaculum: cuius verò sanguis illatus non fuerat, non comburebatur, sed manducabatur; à Sacerdotibus tamen, & eorum filiis masculis.

Vers. 19. Respondit Aharon Mosi, oblata est victima hodie pro peccato, & holocaustum coram Domino: mihi autem

autem accidit, quod vides: quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in cęremoniis, mente lugubri[e].] Iuxta Hebræum habetur: *Et comedam chatah hodie: an placebit in oculis* יהוה? Audita increpatione filiorum tacentium, rationem combusti hirci reddit Aharon; & narrando res gestas illo die, & conferendo cum agendis ab ipso, infert execrando: *Et comedam chatah hodie?* Censuit, & rectè censuit Aharon, ieiunandum esse illo die, & non vescendum carnibus in tali, tantâque plaga: & propterea horrendo esum carnium eodem die, dicit: *Et comedam chatah hodie?* Et ne rationem sui, non Dei habere crederetur, subiungit: *Nunquid placebit in oculis Iehouah?* quasi dicat: Nequaquam placebit Deo, vt in tanta ira eius ego, & filij mei vescamur carnibus; sed potiùs vt affligamus nosmetipsos. Et hinc sumitur, quòd ipse Aharon propter hanc rationem iusserat comburi hircum pro peccato.

e Mors natura luctuosa est vt quæ cũ peccati nostri, tũ iræ Dei admoneat. Quapropter eorum, quos charus habemus, desiderium non potest nõ esse molestũ, cum nihil æquè atque mortem natura horreat. Vnde Aaron dolédo filiorum interitum, minimè fuit voluntati Dei aduersarios: nam, quod animus nouit, sentitque melius, in id ruit, id cupit, & ablatum dolet, Dei iudicia, quibus optimè omnia dispensat, non perinde habet cognita. Dolere igitur mortẽ filiorum, & necessariorum, naturæ & charitatis erit; fidei autem, ne doleamus supra modum, consolationem habentes, qua gentes carent; nostros, scilicet, mortuos in Domino viuere, & corpora eorũ per Christũ restituẽda esse, 1. Thess. 4.

Vers. 20. Quod cùm audisset Moses, recepit satisfactionem.] Iuxta Hebræum habetur: *Placuit in oculis eius.* Ecce approbatio rationis Aharon: intuitu enim diuino omiserat Aharon comestionem sacrificij, & tanquàm totum superfluum comburendum iudicauit. Verè nanque superfluum erat ieiunantibus ob diuinam reuerentiam; & secundùm legem superfluum comburendum erat, nec poterat in diem alterum seruari.

CAPVT XI.

VERS. 1. LOcutus est autem Dominus ad Mosen, & Aharon dicens: *Vers.* 2. Dicite filiis Israël.] Communis omnibus lex sequens manifestatur, dicendo, filiis Israël.

Custodite omnia, quę scripsi vobis, vt sim Deus vester.] Tota hæc clausula superflua est: nam in Hebræo immediatè subiungitur lex de animalibus mundis, & immundis, dicendo:

Hæc sunt animalia, quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ[a].] Hinc clarè apparet, quòd relatiuè ad comestionem fit discretio inter munda, & immunda animalia.

a In hac lege de delectu ciborũ, illud voluit Dominus, vt, scilicet, animalia quæ pro Diis prius habita fuerant, passim comederentur; crederentque sub illis legibus vniuersalibus de illis, qui vngulam diuiderẽt, & ruminarẽt, omnia talia cõprehensa: ea similiter ratione voluit sues haberi immũdos; quia, nimirũ, hisce solis Ægyptij communiter vescebatur cæteris tanquã Diis suis parcebant.

Vers. 3. Omne, quod habet diuisam vngulam; & ruminat in pecoribus, comedetis: *Vers.* 4. quicquid autem ruminat, & habet vngulam, sed non diuidit eam, (sicut camelus, & cętera,) non comedetis illud: & inter immunda reputabitis.] Iuxta Hebræum prima lex de animalibus terrestribus merè gradientibus (hoc est, non repentibus, non sese trahentibus, sed eleuato corpore à terra gradientibus) tractat. Et tres exigit conditiones ad hoc, vt animal habeatur mundum ad esum; videlicet, quòd ruminet, & quòd findat vngulam, & quòd findat fissuram vngulæ. Sed Interpres antiquus has duas in vnam coëgit: nam in Hebræo clarè scribuntur tres, dicendo, *quod findit vngulam, findens fissuram, & ruminans.* Ita quòd nisi has tres conditiones habeat, immundum censendum est. Et ad hoc subiunguntur exempla quatuor animalium: camelus, cuniculus, (loco cuius in vulgata editione ponitur chirogylius,) & lepus, & porcus: prima tria tanquàm non findentia fissuram vngulæ, quanuis & findant vngulam, & ruminent: porcum non ruminantem, licèt diuidat vngulam, & findat fissuram vngulæ.

Vers. 5. Chirogylius[b] (qui ruminat, vngulámque non diuidit) immundus est. *Vers.* 6. Lepus quoque: nam & ipse ruminat, sed vngulam non diuidit: *Vers.* 7. & sus; qui, cùm vngulam diuidat, non ruminat. *Vers.* 8. Horum carnibus non vescemini, nec cadauera contingetis.] Immunda definiuntur hæc animalia non solum relatiuè ad cibum, sed etiam relatiuè ad tactum; non quando viuunt, sed quando sunt mortua; &, vt Hebraïca sonant, *quando sunt mortua ex seipsis.* Ita quòd filiis Israël nec vesci absolutè, nec tangere sic mortua hæc animalia licebat.

Quia immunda sunt vobis.] Significanter dicit Deus, *immunda vobis*, ad insinuandum, quòd non sunt immunda secundùm seipsa; omnis enim creatura Dei in seipsa est bona, & munda: sed, *vobis erunt immunda.* Lex, quanuis diuina, tamen positiui iuris est hæc, qua non, quia iustum, ideò sancitur; sed, quia sancitur, ideò iustum: & hoc significat pronomen, *vobis*: ex sancita enim lege animalia hæc redduntur immunda vobis, non in seipsis, nec aliis nationibus mundi.

Vers. 9. Hæc etiam sunt, quæ gignuntur in aquis, & vesci licitum est. Omne, quod habet pennulas, & squammas, tam in mari, quàm in fluminibus, & stagnis, comedetis: *Vers.* 10. quicquid autem pennulas, & squammas non habet eorum, quæ in aquis mouentur, & viuunt, abominabile vobis, *Vers.* 11. execrandumque erit: carnes eorum non comedetis, & morticina vitabitis. *Vers.* 12. Cuncta, quæ non habent pennulas, & squammas in aquis, polluta erunt.] De aquatilibus animalibus communis lex traditur, exigens duas conditiones ad hoc, vt munda habeantur animalia: ita quòd nisi ambas habeant, immunda censentur.

Vers. 13. Hæc autem sunt, quæ de auibus comedere non debetis, & vitanda sunt vobis: aquilam, & gryphem[c], & alietum[d], *Vers.* 14. & miluum, ac vulturem[e] iuxta genus suum: *Vers.* 15. & omne coruini generis in similitudinem suam: *Vers.* 16. struthionem[f], & noctuã, & larum[g], & accipitrem iuxta genus suum: *Vers.* 17. bubonem, & mergulum[h], & ibin[i], *Vers.* 18. & cygnum, & onocrotalum[k], & porphyrionem[l], *Vers.* 19. &

herodio

b Controuertitur inter Doctores, quale animal sit chirogylius (licèt nonnulli legant chirogrilus.) Sunt qui dicunt esse cuniculum, quos sequitur Author: alij porcum spinosũ: nonnulli herinaceũ, probántque ex Psal. 103. nam eadem vox hic ponitur, quæ ibidem transfertur, pro herinaceo.

c Gryphus animal Indicum est, pennatum, & quadrupes, omni ex parte leo, alis, & facie aquilis similis: anterius rubrum est, à tergo nigrum, alisque alis. Huius volucris nõ meminit Aristoteles, sed bene Ælian. & Plinius lib. 10. cap. 10.

d Alietus animal rapax est, Eugubino, & Lyrano testibus. Huius nulla mentio est apud Aristotelẽ, aut Ælianum, nisi comprehendatur sub decem accipitrũ generibus, quæ Aristoteles signat 9. de animalib cap. 36.

e De vulture, quæ ex flatu Austri, vel Euri concipit, vide Aristot 9 de animalib c. 11. & 6 lib. c. 5. & Ælianum lib. 14. cap.

f De struthione, qui plus octoginta simul edit oua, vide Arist. lib. 9. c. 21 & Ælian. 14 de anim. c. 21.

g Larus auis est, quæ ab Aristotele gauia appellatur, vide lib. 8. cap. 3.

h Mergulus, nisi idem sit, quod mergus, nulla de eo est mentio in Aristotele.

i Ibis duplicis est differentiæ, alba apud Pelusium, nigra verò in Ægypto. Hæc auis docuit Medicos clysteres. De qua vide multa in Aristotele 9. lib. c. 26. & in Æliano lib. 15. cap. 20.

Nec omittere volo de coruis etiã in hac lege prohibitis, illud memorare, quod Ps. 147 exprimitur. Nam quædam coruorum species est, qui pullos suos exclusos negligunt, quos Deus implumes, & omnicpe creaturæ destitutos singulari miraculo enutrit, vt quidã arbitrantur, rore; vt alij, natis ex nido vermiculis. Sunt qui credant, prorsus absque cibo sustentari: nam pennis nigricantibus primùm incipiũt cognosci à matre. Dicũt verò alij, illud à vate positum, quòd corui locis sterilioribus nidificent, vbi non sit satis cibi pluribus. Dicunt enim duos tantùm simul vnam regionem incolere, & pullos suos, cum iam potestas volandi est, nido eiicere, deinde regione tota. Hæc Arist. 6. lib. de animal cap. 31 de coruis scribit, quæ an omnia vera sint, nescio. Sed horum fidem facit, quod in exemplum adduxit Propheta coruorum pullos: quo doceamur, Deo ex toto pectore fidere; quemadmodum illi, qui à solo Deo, quem inuocat, educantur: sicut & in Matthæo cap 9. eadem ratione docet Seruator, vt incteduli volucres cæli, & filios coruorum contueantur.

k Onocrotalum, nonnulli pelicanum dicunt, quod & Septuaginta transtulerunt. Eius nulla mentio est apud Aristotelem: Plinius dicit, auem esse olori similem. Isidorus inquit longo rostro esse, gulosam, & quæ multum anguillis insidietur.

l Porphyrio forma & pulchritudine omnes aues excellit, & acerrima riualitate ardet, ita vt se strangulet, si stuprum fieri cognouerit. Vide Arist lib. 8. cap. 6. & Ælianum 14 lib. cap. 31.

herodionem[m], & charadrion [n] iuxta genus suum: vpupam quoque, & vespertilionem. *Vers.* 20. Omne de volucribus, quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis: *Vers.* 21. quicquid autem ambulat quidem super quatuor pedes; sed habet longiora retrò crura, per quæ salit super terram, *Vers.* 22. comedere debetis: vt est bruchus in genere suo, & attacus[o], atque ophiomachus, ac locusta, singula iuxta genus suum.] Cerne differentiam: nam de terrestribus, & aquaticis animalibus data est regula generalis: de volatilibus verò nulla datur generalis regula; sed per modum excipiendi prohibentur quædam genera volatilium. Inter quæ genera locatur omne volucre quatuor pedum cum exceptione quorundam; videlicet, habentium posteriora crura longiora ad saltandum super terram. Et hinc conceduntur locusta, & bruchus.

m De herodione, nec Aristoteles, aut Ælianus, aut Plinius meminerunt. Nõnulli putant falconem esse, quod tenet Lyranus.

n Charadrion, auis est magnitudine par turturi, colore luteo, fruteta, & nemora colens. Hócque habet beneficium à natura, vt si quis ictericus in eam intueatur, & auis econtrà, hominem ad sanitatem reducet. Vide Aristotelem de hac aue, lib. 9. c. 1. & Ælianũ.

o De attaco nihil meminit Aristoteles, nec de ophiomacho. Sunt qui attacum dicant illud animal esse, quod crescentibus alis locusta dicitur.

Non mirare, prudens lector, omittere me discussionem auium: quia, nec auium, nec animalium in hoc capite nominatorum Hebraïcè, certam habeo, aut spero notitiam: & propterea pertranseo. Scripserit Interpres, vt voluit, & exponat quilibet, vt libet: aliàs dixi apud Hebræos periisse notitiam propriorum nominum animalium, locorum, & lapidum.

Vers. 23. Quicquid autem ex volucribus quatuor tantùm habet pedes, execrabile erit vobis: *Vers.* 24. & quicunque morticina eorum tetigerit, polluetur, & erit immundus vsque ad vesperum.] Tempus huiusmodi immũditiarum contractarum decernitur vsque ad occasum Solis: ita quòd qui immundus sic erat, tenebatur abstinere se ab actibus mundorum vsque ad Solis occasum: posteà mundus erat: lapsus enim temporis reuerenter seruatus reddebat eum mundum.

Vers. 25. Et qui portauerit quippiam horum mortuum, lauabit vestimenta sua: & immundus erit vsque ad Solis occasum.] Vide disparitatem. Immundus ex contactu, sola reuerentia, & tempore mundabatur: immundus autem ex eo, quòd portabat morticinum huiusmodi animalium immundorum, præter abstinentiam vsque ad occasum Solis, ablutionem exigebat vestium suarum. Ablutio autem creditur sola aspersione aquæ sacræ, de qua inferiùs erit sermo.

Vers. 26. Omne animal, quod habet quidem vngulam, sed non diuidit eam.] Corrupta est litera: nam in Hebræo habetur: *Quod findit vngulam, & fissuram non findit, & non ruminat, immundum erit.* Aduertendum est, quòd Hebraïca Litera penes vngulam tria genera animalium distinguit: Vnum findentium vngulam, & findentium ipsam fissuram vngulæ, vt bos, ouis, capra, &c. Aliud findentium quidem vngulam, sed non findentium fissuram vngulæ, vt camelus, cuius vngula diuiditur quidem, sed ipsa diuisio non est talis, quòd pars à parte penitùs separetur: iunguntur enim partes in infimo, quo terrã tangunt. Et in hoc genere sunt lepus, & cuniculus: & proptereà inhibita sunt. Tertium est, quod nullo modo diuidit vngulam; & quicquid tetigerit illud, contaminabitur. Non intelligo nouam legem, vt etiam contactus animalium viuentium reddat immundum; sed summaria repetitio ad declarata se remittit.

Vers. 27. Quod ambulat super manus.] Iuxta Hebræum habetur: *Super plantas suas ex cunctis animantibus, quæ incedunt quadrupedia, immundum erit.*

Qui tetigerit morticina eorum, polluetur vsque ad vesperum. *Vers.* 28. Et qui portauerit huiusmodi cadauera, lauabit vestimenta sua, & immundus erit vsque ad vesperum: quia omnia hæc immunda sunt vobis.] Propter animalia terrestria, non ambulantia super vngues, sed super plantas, adiuncta est lex ista: nam generalis lex non videbatur comprehendere nisi animalia ambulantia super vngues. Et significanter limitatur hæc lex ad animalia quadrupedia: anseres enim, gallinæ, & huiusmodi, quæ super plantas ambulant, quia non quatuor pedum sunt, non comprehenduntur sub hac lege; sed simiæ, canes, & similia quatuor pedum, quæ super plantas suas ambulant, immunda censentur.

Vers. 29. Hæc quoque inter polluta reputabuntur de iis, quæ mouentur in terra.] Iuxta Hebræum tertia lex de terrestribus datur, dicendo; *Et hoc vobis immundum in reptili, quod reptat super terram.*

Mustela, & mus, & crocodilus, singula iuxta genus suum: *Vers.* 30. mygale[p], & chameleon [q], & stellio[r], & lacerta, & talpa.] Propter animalia reptantia super terram lex ista prohibens octo genera eorum lata est.

p Mygale nõnulli castorẽ, aliqui hericium esse intelligunt.

q Chamæleõ animal est in India nascens, figura, & magnitudine lacertæ, coloris natura mirabilis mutat nanque eum subinde, & oculis, & cauda, & toto corpore Vide Plin. lib 8. c. 33.

r Stellio, animal lacertæ simile est, tergo circulis quibusdã depictum, lucentibus guttis admodum stellatum. Vide Plinium lib. 30. cap. 10.

Vers. 31. Hæc omnia immunda sunt vobis in omni reptili: qui tetigerit morticina eorum, immundus, erit vsque ad vesperum. *Vers.* 32. Et super quod ceciderit quicquam de morticinis eorum, polluetur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et omne, in quod cadet super ipsum de his, in mori eorum immundabitur.* Hanc literam perspiciendo, & ponderando, intelligitur, quòd non est sermo de qualicunque contactu; sed de contactu in actu mortis: ita quòd lex fertur in casu, quo aliquod animal immundum euentu aliquo moritur super aliquod vtensilium, decernendo, quòd quælibet res, super quam accidet mors alicuius animalis immundi, immunda erit.

Tam vas ligneum, & vestimentum, quàm pelles, & cilicia.] Iuxta Hebræum habetur: *Ab omni vase ligni, vel panno, vel pelle, vel sacco.* Et statim subiungitur vniuersalis:

Omne vas, quibus fiet opus in ipsis, ad aquas ducetur, & immundabitur vsque ad vesperum, & erit mundum.] Intellige nomine vasis non solùm quæ vasa dicimus; sed vniuersa instrumenta, quoniam sic extendunt vasis nomen Hebræi: & similiter de aquis intellige vt suprà.

Vers. 33. Vas autem fictile, in quod horum quicquam intrò ceciderit, polluetur: & idcircò frangendum est.] Plus in Hebræo habetur: *Et omne vas ex creta, intra quod cadet; totum, quod intra ipsum, immundabitur: & ipsum confringetis.* Non solùm immunditia vasis; sed immunditia eius, quod

quod continetur in vase, manifestatur.

Vers. 34. Omnis cibus, quem comedetis, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit.] Iuxta Hebræum aliter habetur: *Omnis cibus, qui manducabitur, qui veniet super aquas, immundabitur.* De cibo ergo, qui super aquas ducitur, est duntaxat sermo: & per hoc excluditur, tam cibus assus, quàm etiam caro lixa ab aquis iam separata. Et si perspicaciùs sequens clausula considerata fuerit, apparebit, quòd hæc, quæ dicuntur de manducando, & bibendo, dicuntur ad explicandum id, quod in genere dictum fuerat de re contenta in vase, videlicet, quòd fiebat immunda: declaratur enim per hæc, quòd alimentum contentum in vase non reddebatur immundum, nisi esset alimentum in aqua, siue coctum, siue crudum: nam subiungitur:

Et omne potabile, quod bibetur in omni vase, immundabitur.] Certum est enim, quòd adiectio illa, *in omni vase*, non refertur ad, *bibetur*; sed ad *potabile*: vt intelligamus idem subintelligi de alimento in quocunque vase, si alimentum erat in aqua.

Vers. 35. Et quicquid de morticinis istiusmodi ceciderit super illud, immundum erit: clibani, & chytropodes destruentur, & immundi erunt: *Vers.* 36. tantùm fontes, & cisternæ, & omnis aquarum congregatio munda erit.] Intelligo hanc legem tanquàm partem inchoati casus, videlicet, si in actualiter mori animal immundum ceciderit super aliquid. Repetitur enim hoc ad declarandum, tum extensionem, tum exceptionem: extensionem quidem ad furnos, & chytropodes, si contigerit intra eos mori aliquod immundum animal: exceptionem verò fontium, & cisternarum.

Qui morticinum eorum tetigerit, polluetur. *Vers.* 37. & *Vers.* 38. Si ceciderit super sementem, non polluet eam.] Iuxta Hebræum habetur: *Si cadet de morticino eorum super omne semen satum, quod erit satum, mundum ipsum: si autem quispiam aqua sementem perfuderit; & posteà à morticinis tacta fuerit, illicò polluetur.* Et vt subiuncta immediatè testantur, differentia ponitur inter semen, & semen, penes hoc, quòd si semen perfusum fuerit aqua, antequàm seratur, & super ipsum ceciderit in suo mori aliquod animal immundum, polluetur semen illud: si autem semen iam satum est, quantuncunque super illud moriatur animal immundum, mundum erit, quod satum fuerit.

Vers. 39. Si mortuum fuerit animal, quod licet vobis comedere, qui cadauer eius tetigerit, immundus erit vsque ad vesperum: *Vers.* 40. & qui comederit ex eo quidpiam, siue portauerit, lauabit vestimenta sua, & immundus erit vsque ad vesperum. *Vers.* 41. Omne, quod reptat super terram, abominabile erit, nec assumetur in cibum. *Vers.* 42. Quicquid super pectus graditur, & quidquid quatuor, seu multos habet pedes, si per humum trahitur, non comedetis; quia abominabile est.] Priùs octo genera reptantium, modò vniuersaliter omne reptans prohibetur, explicando, tam ambulantia super ventrem, quàm reptantia super quatuor, vsque ad reptantia super plures pedes, immunda fore.

Vers. 43. Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quicquam eorum, ne immundi sitis.] Explanatis animalibus immundis, & quæ ex illis immunda redduntur, manifestatur, quòd huiusmodi immunditia penetrat animas, dicendo, ***animas vestras:*** quod verificatur ratione inobedientiæ. Et hinc patet, quòd, quanuis sine peccato, imò cum merito quandoque huiusmodi immunditiæ contraherentur, (sicut & hodie irregularitates;) peccatum tamen intercedebat, quando sine rationabili causa contrahebantur: peccabatur quoque semper, si post qualitercunque immunditiam contractam omissa fuisset legalis mundatio: & propter hæc duo transibat immunditia ad animam.

Vers. 44. Ego enim sum Dominus Deus vester: sancti estote, quoniam ego sanctus sum.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia ego* יהוה *Elohe vester: & sanctificabimini, & eritis sancti, quia sanctus ego: & non polluetis animas vestras in omni reptili, quod mouetur super terram.* Assimilari sibi Deus præcipit homines colentes ipsum: & hac ratione prohibet contrahi immunditias animi, vt homines imitentur munditiam diuinam: imitentur autem, vt si immundos habent animos, mundentur, & mundi sint.

Vers. 45. Quia ego Dominus eduxi vos de terra Ægypti.] Altera adiicitur ratio tangens beneficium eductionis de Ægypto cum fine illius, dicendo:

Vt essem vobis Elohim, eritis sancti, quia sanctus ego.] Prima ratio ex parte imitandæ diuinæ munditiæ humanis animis sumpta est; hæc autem ex parte debiti ipsius populi ad seruandum legem à Iehouah datam sumitur; quia ad hoc ego Iehouah eduxi vos de terra Ægypti, vt essem vobis legislator, vt me haberetis in gubernatorem actionum vestrarũ: hinc enim manifestè nascitur obligatio ad seruandum vos mundos secundùm legem meam; ad imitandũ me, quia ego mundus sum.

Vers. 46. Ista est lex animantium, ac volucrum, & omnis animæ viuentis, quæ mouetur in aqua, & reptat in terra. *Vers.* 47. vt noueritis differentias mundi, & immundi; & sciatis, quid comedere, & quid respuere debeatis.

CAPVT XII.

LOcutúsque est Dominus ad Mosen dicens: *Vers.* 2. Loquere filiis Israël dicens ad eos: Mulier, si suscepto semine pepererit masculum[a].] Iuxta Hebræum habetur: *Mulier, si faciet semẽ, & pariet masculum.* Nihil dicitur de susceptione seminis, sed de efficientia seminis. Nec est sermo de semine, quod est principium generationis; sed de semine, hoc est, prole: sumitur enim hic semen pro prole, quemadmodum in multis Scripturæ sacræ locis Et est sensus: Mulier si fecerit prolẽ. Et hoc ad differentiã mulieris sterilis. Et more suo Moses priùs scribit in genere; deinde distinguit per partes: priùs dicit, si fecerit prolem; deinde distinguit inter prolẽ masculinam,

VERS. 1.

[a] Hæ omnes leges, cũ Dei præcepta sint, præter spiritualem præfigurationẽ, nunquam vacant doctrina fidei, & charitatis, si quis animaduertat. in nullo enim, quantumlibet minutulo externo præcepto, à nobis aliud requirit, quàm vt meliores, & illi euadamus similes. Et ad hunc modum ex omnibus legibus tãsẽ litis præceptis nucleus veræ pietatis erui debet, relicta testa.

masculinam, & fœmininam. Millies autem *semen* pro *prole* in Scriptura habes, incipiendo à tempore Adæ: *Inimicitias ponam inter semen tuum, & semen illius.* &; *Semen Abrahæ, sicut stellæ cæli,* &c.

Immunda erit septem diebus iuxta dies separationis menstruatæ.] Qualis sit separatio menstruatæ cap. 15. huius libri scribitur: ritus ille seruari præcipitur in muliere, quæ peperit masculum. Nec est differentia quoad legem huius capituli inter primogenitum, & posteà genitos: communis enim est hæc lex.

Vers. 3. Et die octauo circuncidetur infantulus, *Vers.* 4. ipsa verò trigintatribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ[b].] Intellige, supra priores septem: ita quòd quadraginta dies integrant tempus purificationis mulieris, quæ genuit masculum.

[b] In hac purificationis lege, quòd impura à partu mater, & infans haberētur, indicatum fuit, peccato obnoxios nos nasci: quæ tamē impuritas Dei bonitate ab electis auferebatur, dum ipsi Sacramentis eius consecrarentur.

Omne sanctum non tanget, nec ingredietur Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis eius.] Non legimus aliud iniunctum mulieri, quæ peperit masculum, nisi diebus septem seruare legem menstrui, reliquis verò trigintatribus diebus abstinere à duobus, videlicet, à tactu cuiuscunque rei sanctæ, (qualis erat caro victimæ pacificæ,) & ab aditu in Sanctuarium.

Vers. 5. Si autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus iuxta ritum fluxus menstrui, & sexagintasex diebus manebit in sanguine purificationis suæ[c].] Duplicatur vtrunque tempus, & septem dierum, & trigintatrium: ita quòd vsque ad octoginta dies extendebatur tempus purificationis, si proles erat fœmina.

[c] Puellam enixa mulier diutiùs impura erat, eò quòd peccatū per mulierem primò receptum sit. Nonnulli dicunt, eò quòd maior debilitas, medicina prolixiori curari debebat.

Vers. 6. Cúmque expleti fuerint dies purgationis eius pro filio, siue pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbę, siue turturem pro peccato, ad ostium tentorij adunationis: & tradet Sacerdoti, *Vers.* 7. qui offeret illa coram Domino, & rogabit pro ea: & sic mundabitur à profluuio sanguinis sui.] Iuxta Hebræum habetur: *Et expiabit super eam, & erit munda ab abundantia sanguinum suorum.*

Ista est lex parientis masculum, aut fœminam.] Quemadmodum superiùs dictum est, nescimus actionem: & latet nos modus, quo fiebat huiusmodi interpretatā expiatio à Sacerdote: frequentissimè tamen scribitur, cùm de sacrificio pro peccato, seu delicto, est sermo. Quòd autem subditur: *Et erit munda,* seu *mundabitur*, intellige legaliter: exigebatur enim ad munditiam legalem non solùm lapsus tanti temporis; sed cæremonialis oblatio, tam holocausti, quàm pro peccato. Et quia regulare est, vt offerens pro peccato intelligatur offerre pro peccato suo; idcircò ex eo, quòd mandatur mulieri, vt offerat, & in holocaustum, & pro peccato; regulariter intelligitur de peccato mulieris: & quia nullum explicatur genus peccati, intelligitur in genere pro peccatis mulieris illius.

Vers. 8. Quòd si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, vnum in holocaustum, & alterum pro peccato: orabitque pro ea Sacerdos, & sic mundabitur.

CAPVT XIII.

LOcutúsque est Dominus ad Mosen, & Aharon, dicens: *Vers.* 1.

2. Homo, in cuius carnis cute ortus fuerit diuersus color, siue pustula, aut quasi lucens quippiam (id est, plaga lepræ) adducetur ad Aharon Sacerdotem, vel ad vnum quemlibet filiorum eius.

3. Qui cùm viderit lepram in cute, & pilos in album mutatos colorem, ipsámque speciem lepræ humiliorem cute, & carne reliqua; plaga lepræ est, & ad arbitrium eius separabitur[a].

[a] Lex hæc de leprosis è publico eiiciendis, iustissima est, & cum charitate connexionē habet, cum propter contagionē, tum propter horrorē. Et licèt hæ purificationes, quædam externa essent, cum dilectione tamen & fide connexionem habebant, vt si hæc prætetires, illa violares: iniuria enim est illorum, cum quibus est agendum, leproso cōuiuere, immunda tāgere, & huiusmodi. Nihil enim præcepit Deus non peculiariter ad dilectionem faciens.

4. Si autem lucens candor fuerit in cute, quæ non fuerit humilior carne reliqua, & pili coloris pristini, recludet eum Sacerdos septem diebus.

5. Et considerabit eum die septimo: & si quidem lepra vltrà non creuerit, nec transierit in cute priores terminos, rursum includet eum septem diebus aliis.

6. Et die septimo contemplabitur eum secundò: & si obscurior fuerit lepra, & non creuerit in cute, mundabit eum; quia scabies est; lauabítque homo vestimenta sua, & mundus erit.

7. Quòd si postquàm à Sacerdote visus est, vt mundaret eum, lepra creuerit in cute eius, adducetur secundò ad Sacerdotem,

8. Qui immunditiæ condemnabit eum, quia lepra est.

9. Plaga lepræ si fuerit in homine, adducetur ad Sacerdotem,

10. Et videbit eum. Cúmque color albus in cute fuerit, & capillorum mutauerit aspectum, ipsa quoque caro viua apparuerit,

11. Lepra vetustissima iudicabitur in cute carnis eius. Contaminabit itaque eum Sacerdos, & non recludet, quia perspicuæ immunditiæ est.

12. Si autem effloruerit discurrens lepra in cute, & operuerit omnem cutem, à capite vsque ad pedes, quicquid sub aspectum oculorum cadit,

13. Considerabit eum Sacerdos, & teneri lepra mundissima iudicabit, eò quòd omnis cutis in candorem versa sit; & idcircò homo mundus erit.

14. Quando verò caro viuens in eo apparuerit,

Verſ. 15. Tunc Sacerdotis iudicio polluetur,& inter immundos reputabitur: caro enim viua,ſi lepra aſpergatur, immunda eſt.

16. Quòd ſi rurſum verſa fuerit in alborem, & totum hominem operuerit,

17. Conſiderabit eum Sacerdos , & mundum eſſe decernet.

18. Caro autem, in cuius cute vlcus natum eſt,& ſanatum,

19. Et in loco vlceris cicatrix apparuerit alba, ſiue ſubrufa, adducetur homo ad Sacerdotem.

20. Qui cùm viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua, & pilos verſos in candorem , contaminabit eum, quia plaga lepræ orta eſt in vlcere.

21. Quòd ſi pilus coloris eſt priſtini, & cicatrix ſubobſcura , & vicina, carne non eſt humilior, recludet eum ſeptem diebus.

22. Et ſi quidem creuerit, adiudicabit eum lepræ;

23. Si autem ſteterit in loco ſuo, vlceris eſt cicatrix , & homo mundus erit.

24. Vel caro,cuius cutem ignis exuſſerit,& ſanata albam,ſiue rufam habuerit cicatricem,

25. Conſiderabit eam Sacerdos. Et ecce,ſi verſa eſt in alborem,& locus eius reliqua cute humilior, contaminabit eũ: quia plaga lepræ in cicatrice orta eſt.

26. Quòd ſi pilorum color non fuerit immutatus,nec humilior plaga carne reliqua,& ipſa lepræ ſpecies fuerit ſubobſcura, recludet eum ſeptem diebus.

27. Et die ſeptimo contemplabitur eum, & ſi creuerit in cute lepra, contaminabit eum:

28. Si autem in loco ſuo candor ſteterit non ſatis clarus, plaga combuſtionis eſt; & idcircò mundabitur : quia cicatrix eſt combuſturæ.

29. Et vir, ſiue mulier, in cuius capite,vel barba germinauerit lepra,videbit eos Sacerdos.

30. Et ſi quidem humilior fuerit locus carne reliqua, & capillus flauus,ſolitóque ſubtilior, contaminabit eos: quia lepra capitis,ac barbæ eſt.

31. Si autem viderit locum maculæ æqualem vicinæ carni, & capillum nigrum; recludet eum ſeptem diebus.

32. Et die ſeptimo intuebitur plagam: & ſi non creuerit macula,& capillus ſui coloris eſt , & locus plagæ carni reliquæ æqualis;

33. Radetur homo abſque loco maculæ, & includetur ſeptem diebus aliis.

34. Et ſi die ſeptimo viſa fuerit ſteiſſe plaga in loco ſuo, nec humilior carne reliqua, mundabit eum: lotiſque veſtibus mundus erit.

35. Si autem poſt emundationem rurſum creuerit macula in cute,

36. Non quæret ampliùs, vtrùm capillus in flauum colorem ſit commutatus: quia apertè immundus eſt.

37. Porrò, ſi ſteterit macula,& capilli nigri fuerint,nouerit hominem eſſe ſanatum, & confidenter eum pronunciet mundum.

38. Et vir, ſiue mulier, in cuius cute candor apparuerit,

39. Intuebitur eos Sacerdos: & ſi deprehenderit ſubobſcurum alborem lucere in cute, ſciat non eſſe lepram, ſed maculam coloris candidi, & hominem mundum.

40. Et vir , de cuius capite capilli fluunt,caluus,ac mundus eſt.

41. Et ſi à fronte ceciderint pili, recaluaſter, & mundus eſt:

42. Si autem in caluitio,vel in recaluatione albus, vel rufus color fuerit exortus,

43. Et hoc Sacerdos viderit; condemnabit eum lepræ, quæ orta eſt in caluitio, vel in recaluatione eius.

44. Quicunque ergo maculatus fuerit lepra, & ſeparatus ad arbitrium Sacerdotis,

45. Habebit veſtimenta diſſuta,caput nudum,os veſte contectum[b] ; contaminatum,ac ſordidum ſe clamabit:

[b] Hæc ſiquidè, quòd ſciſſis veſtibus, & detecto capite leproſus ageret, indicia leproſi erant, quò commodiùs declinaretur.

46. Omni tempore,quo leproſus eſt, immundus erit, ſolus habitabit extra caſtra.

47. Veſtis lanea , ſiue linea , quæ lepram habuerit,

48. In ſtamine, vel ſubtegmine, aut certè pellis, vel quicquid ex pelle confectum eſt,

49. Si alba, vel rufa macula fuerit infecta, lepra reputabitur, oſtendetúrque Sacerdoti,

50. Qui conſideratam recludet ſeptem diebus.

51. Et die ſeptimo rurſus aſpiciens,ſi deprehenderit creuiſſe, lepra perſeuerans erit, pollutúmque iudicabit veſtimentum , & omne , in quo fuerit inuenta,

52. Et idcircò comburetur flammis.

53. Quòd ſi eam viderit non creuiſſe,

54. Præcipiet, & lauabunt id,in quo

lepra

lepra eſt, recludétque illud ſeptem diebus aliis.

55. Et cùm viderit faciem quidem priſtinam non reuerſam, nec tamen creuiſſe lepram; immundam iudicabit, & igne comburet, eò quòd infuſa ſit in ſuperficie veſtimenti, vel per totum lepra.

56. Si autem obſcurior fuerit locus lepræ, poſtquàm veſtis eſt lota, abrumpet eum, & à ſolido diuidet.

57. Quòd ſi vltrà apparuerit in iis locis, quæ priùs immaculata erant, lepra volatilis, & vaga; debet igne comburi:

58. Si ceſſauerit, lauabit ea, quæ pura ſunt ſecundò, & munda erunt.

59. Iſta eſt lex lepræ veſtimenti lanei, vel linei, vel ſtaminis, vel ſubtegminis, vel cuiuſlibet ſupellectilis pelliceæ, quomodo mundari debeat, vel contaminari.

In vniuerſo hoc capitulo tertiodecimo de diſcretione lepræ in homine, & in veſtibus, nihil mihi exponẽdum occurrit; ſed Medicis hãc curã relinquo. Rationabili tamẽ quæſtione nõ caret, cur Sacerdoti iniunxit lex onus diſcernẽdi lepram; cùm hoc officium ſit, nõ Sacerdotis, ſed Medici. Altera quoque ſuboritur quæſtio, cur inter tot morbos populi, ſolius lepræ morbus tanta ſubtilitate diſcernendus ſtatuitur. Solutio ſecundæ quæſtionis eſt, quòd lepræ morbus inter incurabiles, & contagioſos ſolus eſt humanæ conuerſationi horribilis valdè: & proptereà non eſt mirũ, quòd tam exacta perſcrutatio iubetur. Ad primã autem quæſtionẽ dicitur, quòd iudiciũ lepræ iniungitur Sacerdoti, quatenus curã habenti reipublicæ[c]: quia ſolus Pontifex ſecundùm Moſis legẽ erat certus, ac perpetuus gubernator populi: nullus enim inſtitutus eſt Rex, nullus Princeps totius populi: ſed Moſi ſucceſſit Iehoſuah dux populi, & deinde vagè ſucceſſerunt Iudices; ita vt ſæpè nõ eſſet, qui regeret populũ. Nec intelligo, quòd teneretur Sacerdos per ſeipſũ diſcernere leprã; ſed quòd Sacerdoti incũbebat, ſi neſciebat adhibere ſecũ, qui diſcernerent, & ipſe iudicabat, ſequens conſilium peritorum. Et quanuis mentio fiat, tam Aharon, quàm filiorum; rationabile tamen eſt, vt non Pontifex, ſed ſimplices Sacerdotes hoc exercerent officium.

c Cùm tam geſta veterum, quàm cæremoniæ, quamuis non ſingulæ, vmbras rerũ, quæ in Chriſto, & Eccleſia completæ ſunt, cõtineant, multæque non ad aliud, quàm ad hoc ſignificandum ſint datæ; putarẽ hoc lepræ iudiciũ, ad nihil aliud in Eccleſia veteri poſitum, quàm vt adũbraret miniſterium ligãdi, atque ſoluendi Chriſtianæ Eccleſiæ eorũ, qui ſunt in cælis ligati, ſolutíque habendi.

CAPVT XIV.

VERS. 1.

LOcutúſque eſt Dominus ad Moſen dicens:

2. Hic eſt ritus leproſi, quando mundandus eſt. Adducetur ad Sacerdotem,

3. Qui egreſſus è caſtris, cùm inuenerit lepram eſſe mundatam,

4. Præcipiet ei, qui purificatur[a], vt offerat pro ſe duos paſſeres viuos, quibus veſci licitum eſt, & lignum cedrinum, vermiculúmque, & hyſſopum.

a Hic perpẽdendum, quod diximus, in ritibus, tã purificationũ, quàm ſacrificiorum, plurima præcepta eſſe, nequaquam vt ſingula, licet ferè

5. Et vnum ex paſſeribus immolari iubebit in vaſe fictili ſuper aquas viuẽtes;

6. Alium autem viuum cum ligno cedrino, & cocco, ac hyſſopo tinget in ſanguine paſſeris immolati,

7. Quo aſperget illum, qui mundandus eſt, ſepties, vt iure purgetur, & dimittet paſſerem viuum, vt in agrum auolet.

8. Cúmque lauerit homo veſtimenta ſua, radet omnes pilos corporis, & lauabitur aqua, & poſteà ingredietur caſtra; ita duntaxat, vt maneat extrà in tentorio ſuo ſeptem diebus.

9. Et erit die ſeptimo radet capillos capitis, barbámque, & ſupercilia, ac totius corporis pilos, lauabítque veſtes ſuas, & carnem ſuam in aquis, & mundabitur.

10. Die autem octauo aſſumet duos agnos immaculatos, & ouem anniculam abſque macula, & tres decimas ſimilæ in ſacrificium, quæ conſperſa ſit oleo, & ſeorſum olei ſextarium.

11. Cúmque Sacerdos purificans hominem, ſtatuerit eum, & hæc omnia coram Domino in oſtio tentorij adunationis.

12. Tollet agnum, & offeret eum pro delicto, oleíque ſextarium, & oblatis ante Dominum omnibus,

13. Immolabit agnum, vbi immolari ſolet hoſtia pro peccato, & holocauſtum, id eſt, in loco ſancto: ſicut enim pro peccato; ita & pro delicto ad Sacerdotẽ pertinet hoſtia: ſancta ſanctorũ eſt.

14. Aſſuméníque Sacerdos de ſanguine hoſtiæ, quæ immolata eſt pro delicto, ponet ſuper extremum auriculæ dextræ eius, qui mundatur, & ſuper pollices manus dextræ, & pedis dextri,

15. Et de olei ſextario mittet in manum ſuam ſiniſtram,

16. Tingétque digitum dextrum in eo, & aſperget ſepties contra Dominum:

17. Quod autem reliquum eſt olei in læua manu, fundet ſuper extremum auriculæ dextræ eius, qui mundatur; & ſuper pollices manus, ac pedis dextri ſuper ſanguinem, qui fuſus eſt pro delicto,

18. Et ſuper caput eius:

19. Rogabítque pro eo Sacerdos coram Domino[b]. Et faciet Sacerdos ſacrificium pro peccato, & rogabit pro eo, qui mundatur, & poſteà immolabit holocauſtum:

20. Et ponet illud Sacerdos in altari cum libamentis ſuis, & homo ritè mundabitur.

omnia aliquid in Chriſto, & eius corpore adumbrarẽt; ſed vt rudior populus pro ruditate ſua, (vt natura omnia ſolemus ad cæremonias, & certos ritus in ſacris propendere,) in obedientia Dei ſeruaretur. Nam, quis nõ abſurda fingeret, qui vellet, hyſſopum, lignum cedrinum, coccum, paſſerem viuũ, & alia omnia Chriſto accommodare?

b Quòd tã facilè olim curarentur leproſi. (vt in his capitibus legimus:) nunc verò, qui leproſi iudicantur, raro curabiles ſint, manifeſtè indicat, aliam leprã olim aliam fuiſſe. Nã, quã his temporibus leprã

appellamus, non propriè lepra est, sed elephantiasis: lepra enim, vt Ioãnes Manardus, Medicus insignis, lib. 6. epistolarum probat ex Galeno, vitium cutis est leuiculum, adeò scabiei simile, vt vix ab ea discernatur. Et D. Augustinum citat, affirmantem, leprã coloris vitium esse, nõ valetudinis, aut integritatis sensuum, seu membrorũ, cùm tamẽ elephantia carnẽ depascatur, & ad ossa vsque ingrediatur.

Vers. 21. Quòd si pauper est, & non potest manus eius inuenire, quæ dicta sunt; sumet agnum pro delicto ad oblationem, vt roget pro eo Sacerdos, decimámque partem similæ conspersæ oleo in sacrificium, & olei sextarium,

22. Duósque turtures, vel duos pullos columbæ, quorum vnus sit pro peccato, & alter in holocaustum.

23. Offerétque ea die octauo purificationis suæ Sacerdoti ad ostium tentorij adunationis coram Domino.

24. Qui suscipiens agnum pro delicto, & sextarium olei, leuabit simul,

25. Immolatóque agno, de sanguine eius ponet super extremum auriculæ dextræ illius, qui mundatur, & super pollices manus eius, ac pedis dextri.

26. Olei verò partem mittet Sacerdos in manum suam sinistram,

27. In quo tingens digitum dextræ manus, asperget septies contra Dominum,

28. Tangétque extremum dextræ auriculæ illius, qui mundatur, & pollices manus, ac pedis dextri in loco sanguinis, qui effusus est pro delicto.

29. Reliquam autem partem olei, quæ est in sinistra manu, mittet super caput purificati, vt placet pro eo Dominũ:

30. Et turturem, siue pullum columbæ offeret,

31. Vnum pro delicto, & alterum in holocaustum cum libamentis suis.

32. Hoc est sacrificium leprosi, qui habere nõ potest omnia in mũdatione sui.]

Circa mundationẽ leprosi duo loca pro cæremoniis exercendis decernũtur: alter extra castra, alter iuxta ostiũ tabernaculi diuini in loco sacrificiorũ. Extra castra autẽ cæremonia quædã fiebat, nõ sacrificium: nã iuxta Hebræum nihil scribitur immolari, quamuis Interpretes immolationis vocabulũ inseruerint: quẽadmodũ etiam determinauerũt ad speciẽ passeris decretas in genere duas auiculas viuas mũdas. Ritus itaque erat, vt præcipiente Sacerdote duæ mũdæ auiculæ viuæ haberẽtur, & vna auicula iussu Sacerdotis iugularetur sustentata eminẽs super aquas viuas in vase fictili, ad hoc, vt sanguis in aquã viuam flueret: altera autẽ auicula viua simul cum hyssopo [e] alligaretur filo coccineo, ligno cedrino, tanquàm manubrio, & totũ hoc intingeret Sacerdos in mixturam sanguinis, & aquæ, & aspergeret septies mundandũ à lepra; & posteà dimitteret auiculã viuã liberam super faciẽ agri. In quibus euidenter apparet, neutrã auiculã immolari, & nihil magis de passere, quã de quacunque alia auicula (mũda tamen) dici. In loco verò iuxta altare die octauo offerebat, qui mundabatur, tria animalia; vnũ in asam, hoc est, in sacrificiũ pro delicto; & vnum in chatah, hoc est, in sacrificiũ pro peccato; & vnũ in holocaustũ. Vngebatur autem ibidem is, qui mũdabatur bis; semel sanguine hostiæ pro delicto; iterũ autem oleo. Vngebatur autẽ vtraque vice in aure dextra, pollice manus dextræ, & pollice pedis dextri, ita vt vnctio olei poneretur super præunctam sanguine portionẽ, & residuũ olei, quod in vola erat Sacerdotis, super caput fundebatur eius, qui mundabatur. Alia non occurrunt dicenda in hoc cap. nisi monere, quòd vbi de mundatione domus agitur, non passeres in specie, sed auiculæ in genere in Hebræo scribuntur. Similisque cæremonia statuitur circa purificationem domus, quæ decreta est circa purificationem leprosi extra castra.

[e] Cùm ferè semper hyssopo fieret sanguinis aspersio, ad emundationem; hyssopi nomine Euãgelium postmodum in Scriptura significatũ est, & fides, qua corda Christianorũ purificantur, & qua Christi sanguis cordibus aspergitur electorum. Hinc Dauid: *Asperges me, Domine, hyssopo, &c.* Psalm. 50.

Vers. 33. Locutúsque est Dominus ad Mosen, & Aharon, dicens:

34. Cùm ingressi fueritis terram Chenahan, quam ego dabo vobis in possessionem, si fuerit plaga lepræ in ædibus,

35. Ibit, cuius est domus, nuncians Sacerdoti, & dicet: Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea.

36. At ille præcipiet, vt efferantur omnia de domo, priusquàm ingrediatur eam, & videat, vtrùm leprosa sit, ne immunda fiant omnia, quæ in domo sunt: intrabítque posteà, vt consideret domus lepram:

37. Et cùm viderit in parietibus illius quasi valliculas pallore, siue rubore deformes, & humiliores superficie reliqua,

38. Egredietur ostium domus, & statim claudet eam septem diebus.

39. Reuersúsque die septimo considerabit eam: & si inuenerit creuisse lepram,

40. Iubebit erui lapides, in quibus lepra est, & proiici eos extra ciuitatem in loco immundo;

41. Domum autem ipsam radi intrinsecùs per circumitum, & spargi puluerẽ rasuræ extra vrbem in loco immundo,

42. Lapidésque alios reponi pro iis, qui ablati fuerint, & luto alio [d] liniri domum.

[d] In hac lege aëris temperiẽ, ac salubritatem domiciliorũ cõmendauit Dominus, vtque honestiùs, & fructuosiùs, summáque cum puritate vnusquisque viueret reip. & proximis; credidetímque in pœnã indecentiæ, & immunditiæ domorum, parietes domus aliquãdo lepra percussos, vt domibus tales priuarentur in pœnam, & infamiã, vt sæpe puniuit: & habes 2. Paral. 7 vnde statuerent cæteri, illo Dei iudicio, animo & corpore quàm mundissimè viuere.

43. Si autem postquàm eruti sunt lapides, & puluis elatus, & alia terra lita,

44. Ingressus Sacerdos viderit reuersam lepram, & parietes aspersos maculis, lepra est perseuerans, & immunda domus,

45. Quam statim destruent; & lapides eius, ac ligna, atque vniuersum puluerem proiicient extra oppidum in loco immundo.

46. Qui intrauerit domum, quando clausa est, immundus erit vsque ad vesperum.

47. Et qui dormierit, vel comederit in ea, lauabit vestimenta sua.

48. Quòd si introiens Sacerdos viderit lepram

lepram non creuisse in domo, postquàm denuò lita est, purificabit eam reddita sanitate. *Vers.* 49 Et in purificatione eius sumet duos passeres, lignúmque cedrinum, & vermiculum, atque hyssopum: *Vers.* 50. & immolato vno passere in vase fictili super aquas viuas, *Vers.* 51. tollet lignum cedrinum, & hyssopum, & coccum, & passerem viuum; & intinget omnia in sanguine passeris immolati, atque in aquis viuentibus, & asperget domum septies, *Vers.* 52. purificabítque eam, tam in sanguine passeris, quàm in aquis viuentibus, & in passere viuo, lignóque cedrino, & hyssopo, atque vermiculo. *Vers.* 53. Quúmq; dimiserit passerem auolare in agrum liberè; orabit pro domo, & iure mundabitur. *Vers.* 54. Ista est lex omnis lepræ, & percussuræ; & lepræ vestium, & domorum; *Vers.* 56. & cicatricis, & erumpentium papularum, & lucentis maculæ in varias species coloribus immutatis: *Vers.* 57. vt possit sciri, quo tempore mundum quid, vel immundum sit.]

CAPVT XV.

VERS. 1.

LOcutúsque est Dominus ad Mosen, & Aharon, dicēs: 2. Loquimini filiis Israël, & dicite eis: Vir, quando patietur fluxum seminis, immundus erit: *Vers.* 3. & tunc iudicabitur huic vitio subiacere, quum per singula momenta adhæserit carni eius, atque concreuerit fœdus humor.] Iuxta Hebræum habetur disiunctiua: *Humescens caro eius à colatione sua, vel fecit sigillare carnem suam à colatione sua, immunditia eius ipsa.* Vt certior quisque esse posset, si verè est semifluus, manifestatur, quòd alter duorum effectuũ sufficit ad constituendum immundũ legaliter ex ægritudine hac. Primus est, si virilis virga inuenitur continuè humescens ex semine fluente. Alter est, si coagulatur semen, & quasi cera sigillat virilem virgam: aiunt enim Medici, hoc quandoque sic accidere, vt difficilè possit emittere vrinam.

Vers. 4. Omne stratum [a], in quo dormierit, immundum erit: & vbicunque sederit. *Vers.* 5. Si quis hominum tetigerit lectum eius, lauabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum. *Vers.* 6. Si sederit, vbi ille sederat, & ipse lauabit vestimenta sua: & lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum.] Deriuatio huius immunditiæ ad alia, & alios decernitur. Ad alia quidem, tum quoad lectum, tum quoad sedem mansionis, tum quoad sedem equitationis, tum quoad vasa; ad alios verò, tum tangentes lectum, tum sedentes super sedem, tum tangentes carnem eius, tum super quem spuerit, tum portantem immundata ab eo, tum tactum ab eodem non lotis manibus.

[a] Nõ admireris, quod stratum, & sedem, & omnia immunda iudicet Dominus illius, qui seminis profluuium pateretur: nam in horrorē excessiuæ libidinis, ex qua fluxus iste incurritur (vt tradunt Medici) hæc præscripta sunt. Crediderímque legē de tali fluxu intelligendam esse.

Vers. 7. Qui tetigerit carnem eius.] Ad literam est sermo de carne virilis membri.

Lauabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum. *Vers.* 8. Si saliuam [b] huiusmodi homo iecerit super eum, qui mundus est; lauabit vestem suam: & lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum. *Vers.* 9. Sagma, super quod sederit, (iuxta Hebræũ habetur, *equitabit*,) immundum erit:

[b] Meritò immundus erat, qui sic propè accesserat, vt sputo posset attingi.

Vers. 10. & quicquid sub eo fuerit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et omnis tangens omne, quod erit sub ipso, immundus erit vsque ad vesperum.* De tangentibus sagma illud est sermo.

Qui portauerit horum aliquid, lauabit vestem suam: & ipse lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum. *Vers.* 11. Omnis, quem tetigerit, qui talis est, non lotis antè manibus, lauabit vestimenta sua: & lotus aqua immundus erit vsque ad vesperum. *Vers.* 12. Vas fictile, quod tetigerit, confringetur: vas autem ligneum lauabitur aqua. *Vers.* 13. Si sanatus fuerit, qui huiusmodi sustinet passionem, numerabit septem dies post emũdationem sui: & lotis vestibus, ac toto corpore in aquis viuentibus, erit mundus.] Iuxta Hebræum lotio in aqua viua non refertur ad vestes, sed ad carnem: nam ibi habetur: *Et lauabit vestes suas, & lauabit carnem suam in aquis viuis, & mundabitur.* vt intelligamus, quòd ablutio vestium fieret aspersione aquæ sacræ: ablutio autem corporis fieret abluendo in aqua fontis.

Vers. 14. Die autem octauo sumet duos turtures, aut duos pullos columbæ, & veniet in conspectum Domini ad ostiũ tentorij adunationis, dabitque eos Sacerdoti, *Vers.* 15. qui faciet vnum pro peccato, & alterum in holocaustum: rogabítque pro eo coram Domino, vt emũdetur à fluxu seminis sui [c].] Iuxta Hebr. habetur: *Et expiabit super eum Sacerdos coram Iehouah à fluxu eius.* Sæpè de hac expiatione dictum est: & hac peracta mundus erat legaliter is, qui iam naturali sanitate erat mundus.

[c] Perpende, quorsum purificationũ ritus, & leges à Deo institutę sint: nullas enim cæremonias de corporũ puritate tradidit, quæ non per se etiam ad sanitatem corporis tuendam, & vitæ decētiam valerent; nullos denique ritus etiã minimos, qui non consentiant cum lege charitatis, & singularem habeāt vtilitatem.

Vers. 16. Vir, de quo egredietur semen coitus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vir, quando exibit de ipso iacere seminis.* Nulla fit mentio coitus, sed vocatæ pollutionis nocturnæ: & ideò significanter dicitur: *Quando exierit de ipso.* ad differentiam, quando vir sponte seminat: tanquàm non ipse seminauerit, sed de ipso exierit semen. Et dictio interpretata, *iacere*, interpretanda (ac si nomen haberemus) fuisset, *iacerẽ*, in abstracto: nam in Hebræo est nomen abstractum, à quo deriuatur, *iaceo, iaces*: & dicunt Hebræi, quòd vtuntur hoc loquendi modo, (scilicet, *iacere seminis*,) ad significandum seminationem extra coitum. Et hoc aduerte semel, pro semper; quia non repetemus.

Lauabit aqua totum corpus suum, & immundus erit vsque ad vesperum.] Quia communiter huiusmodi ablutiones intelliguntur cum aspersione aquæ sacræ; ideò & hæc quoque sic intelligenda videtur, nisi fortè ex eo, quòd dicitur tota caro, trahatur ad ablutionem balnei.

Verſ. 17. Veſtem,& pellem,quam habuerit,lauabit aqua.] Manca eſt litera:nam iuxta Hebræum habetur : *Et omnis veſtis , & omne corium, ſuper quod iacere ſeminis , lauabitur in aquis : & immundabitur vſque ad veſperum.* Vbi clarè patet, quòd de effuſo ſemine pollutionis inuoluntariæ eſt ſermo : priùs enim de ipſo viro, nunc de pannis, & ſtatim agitur de muliere dormiente in eodem lecto.

Verſ. 18. Mulier, cum qua coïerit, lauabitur aqua,& immunda erit vſque ad veſperum.] Iuxta Hebræum habetur : *Et mulier, quæ iacebit vir ipſa,iacere ſeminis, & lauabunt in aquis, & immundabuntur vſque ad veſperum.* Sic eſt in Hebräico Textu, ſonante, quòd, *Si mulier iacebit ſic,quòd vir, & ipſa pariter iacebunt; accidente exitu ſeminis ex viro, lauabuntur ambo*,&c.

Verſ. 19. Mulier, quæ redeunte menſe patitur fluxum ſanguinis.]De muliere naturaliter menſtruata traditur lex,verùm in Hebræo adiungitur : *Erit fluxus eius in carne eius*. quaſi dicat : Erit ſic in carne eius, quòd non communicabitur alteri. Et hoc eſt primum, quod ſtatuitur. Deinde decernitur tempus ſeptem dierum dicendo :

Septem diebus ſeparabitur. *Verſ.* 20. Et omnis, qui tetigerit eam, immundus erit [d] vſque ad veſperum : *Verſ.* 21. & locus, in quo dormierit, vel ſederit diebus ſeparationis ſuæ,polluetur. *Verſ.* 22. Qui tetigerit veſtimentum eius, lauabit veſtimenta ſua: & ipſe lotus aqua immundus erit vſque ad veſperum. *Verſ.* 23 Omne vas,ſuper quod illa ſederit, quidquid attigerit, lauabit veſtimenta ſua : & ipſe lotus aqua,pollutus erit vſq;ad veſperũ.] Non ſolùm ipſa immunda diebus ſeptem decernitur; ſed immunditia eius ad omnes tangentes eam deriuatur : & ad lectum, & ad ſedem,&, quod plus eſt,ad omnes tangentes lectum,vel ſedem eius.

[d] Tangendo immũda ex legis præcepto contaminabatur homo. Verum Chriſtus Matth. c. manu prehenſa tangens leproſum, docuit qualiter lex iſta,& cæteræ intelligendæ ſint; docuitque charitatẽ ſibi pluris eſſe,quàm ritus externos, quin externa iſta omnia charitatis imperio ſubeſſe. Tangere itaque immundũ nulla cauſa, iniuria erat aliorum,cum quibus erat agendum verũ,ſi contactu & conuictu immundum iuuare Sancti potuiſſent, maluiſſent potiùs cũ ſummis corporis ſordibus inſeruire proximo, quàm corporis munditiam tueri. Ad hoc enim, quòd proximũ demereamur, omnia referenda, & attemperanda fuer. Finis ſiquidem legis, dilectio.

Verſ. 24. Si coïerit cum ea vir.] Iuxta Hebræum adiungitur : *Et erit menſtruum eius ſuper eum.* Limitatio eſt ad differentiam coëuntis cum muliere, verbi gratia, quinto die,perfectè iam purgato menſtruo:talis enim concubitus non erat cum menſtruata in veritate, ſed cum menſtruata ſecundùm legem : & propterea non incurrebatur immunditia ſeptem dierum. Sed, ſi mulier non erat perfectè purgata, tunc erat concubitus cum verè menſtruata, & menſtruum eius (vt in litera dicitur) fluebat ſuper carnem viri : & incurrebatur immunditia ſeptem dierum.Et hæc dixerim iuxta Interpretes: ſecùs enim iuxta Hebräicam veritatem intelligendum arbitror. Hebræa ſic habent : *Et ſic iacendo iacebit vir ipſa, & erit menſtruum eius ſuper ipſum; immundabitur ſeptem diebus.* Non dicendo, vir cum ipſa;ſed abſque vlla præpoſitione,*vir ipſa*,inſinuatur,quòd de merè iacentibus abſque concubitu eſt ſermo,quemadmodum & paulò antè : ita quòd ſenſus eſt, quòd ſi vir iacuerit pariter cum muliere menſtruata abſque vllo concubitu, ſi mulieris mẽſtruum tanget carnem viri; immundus erit ſeptem diebus Nec ſolùm ipſe reddetur immundus; ſed etiam lectus, ſuper quem iacebit illis ſeptem diebus,reddetur immundus : vt ſtatim ſubiungitur clarè. Et hæc ſunt de muliere menſtruata naturaliter.

Et omne ſtratum, in quo dormierit, polluetur.

Verſ. 25. Mulier,quæ patitur multis diebus fluxum ſanguinis [e], non in tempore menſtruali, vel quæ poſt menſtruũ ſanguinem fluere non ceſſat; quandiu huic ſubiacet paſſioni, immunda erit,quaſi ſit in tẽpore menſtruo. *Verſ.* 26. Omne ſtratum,in quo dormierit, & vas,in quo ſederit,pollutum erit. *Verſ.* 27. Quicunque tetigerit eam, lauabit veſtimenta ſua : & ipſe lotus aqua immundus erit vſque ad veſperum. *Verſ.* 28. Et ſi ſteterit ſanguis,& fluere ceſſauerit, numerabit ſeptem dies purificationis ſuæ : *Verſ.* 29. & octauo die offeret pro ſe Sacerdoti duos turtures, vel duos pullos columbarum ad oſtium tentorij adunationis; *Verſ.* 30. qui vnum faciet pro peccato, & alterum in holocauſtum : rogabitque pro ea coram Domino,& pro fluxu immunditię eius.]De præternaturali fluxu ſanguinis duplex caſus ſcribitur : alter fluxus extra naturale tempus menſtrui:alter indeſinentis fluxus menſtrui vltra naturale tempus. Et in vtroque caſu decernitur,vt quandiu ſubiacet huiuſmodi fluxui,ſit immunda iuxta ritum menſtruatæ : & ſi ſana reddita fuerit ab huiuſmodi ægritudine, decernitur ſacrificium.

[e] Vt mulier illa, quæ fimbriam Domini tetigit, & ſanata eſt, Matth 9.

Verſ. 31. Docebitis ergo filios Iſraël, vt caueant immunditias.] Poſt tot leges [f] de immunditiis, communis lex omnibus, qualitercunque immundis, ſtatuitur; videlicet, vt nullus immundus accedat ad tabernaculum Dei. Et appellatione *tabernaculi*, intellige vniuerſum ambitum deputatum ad diuinum cultum : populus enim non intrabat in tabernaculum ipſum, nec in atrium clauſum cortinis; ſed in exterius atrium ad orandum, & offerendum : & ab hoc loco prohibetur; quoniam hoc erat ire populum ad tabernaculum Dei. Nec Hebräicè habetur, *docebitis*; ſed habetur : *Et facietis ſeparare filios Iſrael ex immunditiis ſuis.* antequam veniant ad tabernaculum : hic enim ſenſus manifeſtatur ſubiungendo : *Et non morientur in immunditia ſua, in polluere ſuo tabernaculum meum, quod eſt inter eos.* Periculum mortis corporalis imminere ſignificatur immundis præſumentibus cum immunditia ire ad locum Dei : dictio enim interpretata, *tabernaculum*, non ſignificat tabernaculum; ſed caſtra, ſi in Latina lingua, *caſtrum*, in ſingulari numero reſponderet ſuo plurali : ſignificat enim tanquàm hoſpitium,ſeu habitaculum : ad inſinuandum, quòd vniuerſus ambitus deputatus ad orandum,erat habitaculum Dei,quod polluebatur ex aduentu immundorum.

[f] Propter has varias mulierũ purificationes,quæ ſæpiùs ipſis accidebant, dicunt nonnulli polygamiã in populo Iſrael fuiſſe introductam, vt, ſcilicet, mundius & caſtius matrimoniũ cuſtodiretur, non ad libidinis fomẽta, ſed ad puritatis cuſtodiam;ob eámq; cauſſam nonnullas gẽtes plures vxores habuiſſe legimus, vt de Aſſuero, qui cũ plures haberet, nulla ad eum ingrediebatur, niſi priùs multis vnguentis, & diebus purificata.

Verſ. 32. Iſta eſt lex eius, qui patitur fluxum ſeminis, & qui polluitur coitu : *Verſ.* 33. & quæ menſtruis temporibus ſeparatur, vel quæ iugi fluit ſanguine, & hominis, qui dormierit cum ea.

CAPVT

CAPVT XVI.

Vers. 1.

LOcutúsque eſt Dominus ad Moſen poſt mortem duorum filiorum Aharon, quando offerentes ignem alienum [a] interfecti ſunt.] Non ſolùm tempus reuelationis per hoc deſcribitur; ſed etiam ab exemplo mortis illorum duorum monetur Aharon, vt caueat ſibi à mortis periculo in ſubiunctis. *Verſ.*2. Et præcepit ei dicens: Loquere ad Aharon fratrē tuum.] Lex propria ſummo Sacerdoti promulganda ſignificatur:

[a] Ignis iſte alienus intelligitur omnis ille ab eo, qui in altari holocauſtorum iugiter obſeruabatur. Qui (vt nonnulli dicunt) de illo erat, qui è cęlo miſſus eſt, dum Aharon ſacrificium primum Domino obtulit. Iuſsitque eū Dominus perpetuò obſeruari. Simile quid dicunt præcepiſſe Noë: nam refert Ioannes Annius Noë Vulcanum, ſeu ignē à gentibus nominatū, quòd ignem cæleſtē in ſua ſacrificia, quæ obtulit exiēs de arca immiſſum ſeruauit pro memoria, & ſacris faciendis. Vnde & eius vxor etiam Veſta, hoc eſt, flāma, appellata eſt. Putandum eſt etiam, ritum comburēdi ſacrificia inde exortum, quòd in ea Dominus tempore Abel, & aliorū Patriarcharum ignē è cælo immittere ſolebat.

Ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod eſt intra velum coram Propitiatorio, quo tegitur arca.] Negatiua iſta per ſubiunctam in calce capituli affirmatiuam (videlicet, *ſemel in anno, menſe ſeptimo, decima die menſis*) perficitur: ita quòd ſenſus eſt, ne omni tempore, ſed ſemel in anno, decima die menſis ſeptimi ingrediatur Sanctum Sanctorum, quod appellatur Sanctuarium, intra velum. Hæc eſt ergo lex.

Vt non moriatur.] Ecce periculum mortis, ſi ſecùs fecerit.

Quia in nube apparebo ſuper Oraculum.] Parui refert, quod in Hebræo habetur: *Quia in nube ero viſus ſuper Propitiatorium.* Ratio periculi mortis redditur ex eo, quòd Propitiatorium ſuccedit loco verticis montis Sinaï: ita quòd, quemadmodum Deus non in ſeipſo, ſed in nube videbatur ſupra verticem montis Sinaï, & mors imminebat eunti illuc; ita ſuper Propitiatorium elegit Deus videri, non in ſeipſo, ſed in nube: & propterea periculum mortis imminet præſumenti accedere ad locum Propitiatorij, qui erat locus intra velū. Si quæris, qualis eſt nubes, in qua apparet Deus ſuper Propitiatorium. Reſpondetur, quòd non eſt inſiſtendum circa qualitatem nubis, nec circa modum efficiendi nubem: nam vis rationis conſiſtit in hoc, quòd Propitiatorium eſt electum ad hoc à Deo, vt ipſe Deus videatur ſuper illud in nube; ſiue illa nubes miraculosè fiat; ſiue fiat per miniſterium Pontificis in Sancto Sanctorum cremantis thymiama: ad hoc enim ordinabat Deus illam nubem, vt repræſentaret ſe Deum apparentem in nube dando legem in monte Sinaï.

*Verſ.*3. Niſi hæc antè fecerit.] Iuxta Hebræum habetur: *In hoc veniet Aharon ad Sanctuarium.* Data lege de tempore, promulgatur lex de modo ſeruando quando Aharon ingrederetur Sanctum Sanctorum.

Offeret vitulum pro peccato, & arietem in holocauſtum.] Parui refert, quòd (vt ſæpè dictum eſt) taurus in Hebræo ſcribitur pro peccato Pontificis.

*Verſ.*4. Tunica linea veſtietur, & feminalibus lineis verenda celabit: accingetúrque zona linea, & cidarim lineam imponet capiti. Hæc enim veſtimenta ſunt ſancta, quibus cunctis, quum lotus fuerit, induetur.] Attende, prudens lector, quòd in Sancto Sanctorum Pontifex, nec auratis, nec ſericis vtebatur; ſed merè lineis.

*Verſ.*5. Suſcipiétque ab vniuerſa multitudine filiorum Iſraël duos hircos pro peccato, & vnum arietem in holocauſtum. *Verſ.*6. Quúmque obtulerit vitulum.] Legendum eſt; Et faciet appropinquare Aharon taurum chatah, qui ſibi; & orabit pro ſe, & pro domo ſua, & capiet duos hircos; *Verſ.* 7. Et ſtare faciet eos coram Domino in oſtio tentorij adunationis.] De collocatione tauri, & ſimiliter hircorum coram יהוה eſt ſermo: erat enim huiuſmodi locatio initium ſacrificij.

Verſ. 8. Et mittet Aharon ſuper duos hircos ſortes; ſortem vnam Domino, & alteram capro emiſſario.] Hebraïcè habetur, *capro eunti*; hoc eſt, eunti abſque cura, quocunque eat; hoc eſt, eunti in perditionem, eunti in ſuam malam ſortem: hoc enim ſonat Hebraïcus ſermo ſecundùm vſum Hebræorum: hircus enim alter emittebatur in perditionem ad loca deſerta.

*Verſ.*9. Cuius exierit ſors Domino, offeret illum pro peccato: *Verſ.*10. cuius autem in caprum emiſſarium, ſtatuet eum viuum coram Domino, vt fundat preces ſuper eum, & emittat illum in ſolitudinem.

*Verſ.*10. & 11. His ritè celebratis.] Interpres hæc addidit verba: nam in Hebræo poſt locata huiuſmodi animalia coram Deo, ſubiungitur: *Et offeret Aharon taurum cathah, qui ſibi; & expiabit pro ſe, & pro domo ſua; & iugulabit taurum cathah, qui ſibi.* Tres actiones deſcribūtur; offerre imponendo manus ſuas ſuper eum; & expiare, (cuius modum neſcimus;) & demum iugulare: & ſubintelligitur quarta; ſcilicet, colligere ſanguinem in malluuio.

*Verſ.*12. Aſſumptóque thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit; & hauriens manu compoſitum thymiama in incenſum, vltra velum intrabit in Sancta: *Verſ.* 13. & poſitis ſuper ignem aromatibus, nebula eorum, & vapor operiet Oraculum quod eſt ſuper teſtimonium.] Quia, vt in hoc eodem capitulo patet, Pontifex ſolus erat intra tabernaculum durante hac cæremonia, ipſemet Pontifex portabat acerram prunis plenam, & thymiama altera manu in Sanctum Sanctorum: & ibidem coram Propitiatorio ponebat thymiama ſuper prunas, & eleuabatur nebula fumi ex thymiamate operiens Propitiatorium.

Et non morietur.] Securum reddit Deus Pontificem, quòd ex præſentia Dei in tali nube ſuper Propitiatorium, non morietur. Et hinc habes, quòd conſpici Deum in nube ſuper Propitiatorium, eſt in nube thymiamatis ſuper Propitiatorium repræſentari.

Verſ. 14. Tollet quoque de ſanguine vituli: & aſperget digito ſepties contra Propitiatorium ad Orientem.] Operto Propitiatorio nube, redibat Pontifex ad accipiendum vaſculum ſanguinis iugulati tauri: & iterum ingrediens Sanctum Sanctorum cum hoc ſanguine, aſpergebat ſepties intincto digito ſuo in ſanguine. Aſpergebat autem, vt Hebraica habet Litera, *ſuper facies Propitiatorij ad Orientem; & ad facies Propitiatorij.* Duo dicuntur; videlicet, *ſuper faciem, & ad faciem:* & vtrunque clarè repetitur in ſubiuncta aſperſione ſanguinis hirci, ſimili ritu aſpergendi: & in neutro ſanguine vulgata editio hæc tranſtulit.

tolit. Quòd autem dicitur, *ad orientem*, dupliciter referri potest: vel ad aspersionem; hoc est, quòd actio aspergêdi fieret versùs plagam orientalem: & hic sensus valdè dissonat à reliquis cæremoniis; quoniam omnes reliquæ cæremoniæ, quæ fiebant coram Iehouah, & similiter coram Propitiatorio, fiebant versùs plagam occidentalem, vel ad partem propitiatorij aspergendam: & est sensus: Asperget super, & contra partem orientalem Propitiatorij. & hic sensus est complectendus: quoniam quadrat reliquis cæremoniis, & quadrat Literæ apponenti particulam, *ad orientem*, Propitiatorio: ac si apertiùs dixisset: Super faciem Propitiatorij orientalem. Certum est enim, quòd pars Propitiatorij versùs plagam orientalem, erat pars propinquior Pontifici, recto itinere eunti ad Propitiatorium: quoniam Pontifex sic gradiês respiciebat directè plagam occidêtalem; ac per hoc in partem Propitiatorij orientalem impegisset, si progressus fuisset.

Vers. 15. Quúmque mactauerit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem eius intra velum [b], sicut præceptû est de sanguine vituli: vt aspergat è regione oraculi, *Vers.* 16. & expiet Sanctuariû ab immunditiis filiorum Israël, & à præuaricationibus corû, cunctísque peccatis.] Tanquàm pollutum non solùm ab immunditiis legalibus, sed à grauioribus peccatis, reputat Deus Sanctuarium suum ex hoc, quòd est in medio eorum: tãquàm immunditiæ, & peccata filiorum Israël redundauerint in domum Dei: proptereà enim semel in anno statuit mûdandam domum suam: ita quòd nihil exemptû à contractione immunditiæ relinquebatur in veteri lege: sed non solùm immundabantur inanimata, & animalia, & homines; sed etiam ipsum Dei templû immunditiam contrahebat, ita vt semel in anno egeret mundatione.

[b] Huius duntaxat cæremoniæ in toto Pontificis sacrificio rationê adduxit Paul. Hebr. 9 admonens ex eo quod Sanctû Sanctorû Pontifex semel duntaxat in anno, nû sine sanguine ingrediebatur, per id à Spiritu sancto significatum, viã Sanctorum nondum fuisse, ante Christum exaltatum, reuelatã. quia nondum erat ea hostia immolata, & is sanguis aspersus, quo Sancti verè à peccatis mundantur. Reliquorum vero ritiû huius sacrificij vmbram non aperuit, licèt in eo loco totius fere apparatus, & supellectilis tabernaculi, omnisque ornatus interioris sacri meminerit: fortè quia prima in istis literæ ratio est, quòd cum multiplici religione, & variis obseruationibus, ad ornatum duntaxat, oportebat summum Sacerdotê sacrificium illud semel in anno perficere.

Iuxta hunc ritum faciet tabernaculo testimonij.] Iuxta Hebræum habetur: *Et sic faciet tentorio adunationis.* De loco tabernaculi extra velum, qui appellatur, *Sancta*, (in quo erant altare thymiamatis, candelabrum, & mêsa panum,) est sermo: & decernitur, vt quemadmodum mundatus est locus intra velum, qui dicitur Sanctum Sanctorum, ita mundetur locus extra velum, qui dicitur Sancta; videlicet, aspergendo septies contra velum.

Quod fixum est inter eos in medio sortium.] Legendum est, *sordium eorum*: nam in Hebræo habetur dictio sonans immunditias.

Vers. 17. Nullus hominum sit in tentorio adunationis, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur, vt roget pro se, & pro domo sua, & pro vniuerso cœtu Israël, donec egrediatur.] Nulli licebat esse in quacunque parte tabernaculi; Pontifice existente intus, in hac solennitate expiatiua, tum ipsius, tum domus eius, tum vniuersi Israëlis.

Vers. 18. Quum autem exierit ad altare, quod coram Domino est, oret pro se, & sumptum sanguinem vituli, atque hirci fundat super cornua eius per gyrum:

Vers. 19. Aspergénsque digito septies, expiet, & sanctificet illud ab immunditiis filiorum Israël.] Quia expiatio vtriusque partis tabernaculi iam descripta est, & subiungitur exitus ad altare, cogor secundùm planum Literæ contextum intelligere hæc de altari holocaustorum: & eò magis, quòd in hoc eodem capitulo inferiùs bis repetitur ordinatè expiatio trium; videlicet, Sanctuarij, & tabernaculi, & altaris. In cuius etiam signum, postquàm inferiùs dictum est: *Et finiet expiare Sanctuarium, & tabernaculum, & altare.* statim subiungitur oblatio hirci viui, & emissio eiusdem absque alio exitu à tabernaculo. Est itaque intelligendum, quòd ad expiandû partem tabernaculi, quæ dicitur *Sancta*, sufficiebat facere sic, quemadmodum expiatum erat Sanctû Sanctorum; (hæc enim expiatio sufficiens erat pro omnibus contentis in parte illa:) solum autem altare holocaustorum, quod erat extra tabernaculum, relinquebatur expiandum: & proptereà eius expiatio decernitur.

Vers. 20. Postquàm verò emundauerit Sanctuarium, & tentorium adunationis, & altare, tunc offerat hircum viuentê [c]: *Vers.* 21. & posita vtraque manu super caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israël, & vniuersa delicta, atque peccata eorum.] Tria, ac per hoc omnia peccatorum genera confitebatur Pontifex super hircum viuum, & dabat illa super caput eius. Cæremonia erat mysterij potiùs, quàm rei, quę gerebatur. Super caput siquidem hirci viui dantur peccata hominum, hoc est, super vitam amittendam hirci expositi feris in deserto: ad insinuandum, dignum morte esse grauatum peccatis hominem, multò magis quàm hircum, cui cæremonialiter imputantur peccata.

[c] Huius cæremoniæ literam non assequor planè, licet putem, ea ratione hircum istû viuum altero immolato in desertû mitti, qua in leprosi sacrificio alter passerum sanguine mortui tinctus impunè volare permittebatur. Cui Dominus mentê aperuit, exponat. Cæterùm hanc peccatorum confessionê non intelligas submissa voce, & in aurê hirci factam; sed publicam multis effusis precibus, vt hoc capite dicitur. Quod autê in capiti hirci peccata imprecabãtur, intelligo, hoc esse, quod, videlicet, manibus capiti impositis, Pôtifex confessionem, & preces faciebat. Illud verò, quod dicitur, hircum portare iniquitates Israelitarum in desertum, ita intelligas, ac si diceret, per hircum & illas cæremonias eos expiatos remanere.

Quæ imprecans capiti eius, emittet illum per hominem paratum in desertû.] Iuxta Hebræum dictio interpretata, *paratum*, deriuatur à tempore: & proptereà in quæstionem vertitur, an tempus in promptu significetur, (vt Interpres intellexit dicendo, *paratum*,) an tempus referatur ad desertum: & sit sensus per hominem diuturnum in deserto, qui ex notitia experientiæ sciat ducere hircum ad intima deserti. Et hic sensus quadrat materiæ, & studio legis.

Vers. 22. Quúmque portauerit hircus omnes iniquitates corû in terram solitariã, & dimissus fuerit in deserto, *Vers.* 23. reuertetur Aharô in tentoriû adunationis: & depositis vestibus, quibus priùs indutus erat, quû intraret Sanctuariû, relictísque ibi, *Vers.* 24. lauabit carnê suam in loco sancto, indutúrque vestibus suis.] Hoc est, vestibus pontificalibus.

Et postquã egressus obtulerit holocaustû suû, ac plebis, rogabit, tam pro se, quàm pro populo: *Vers.* 25. & adipem, qui oblatus est pro peccatis adolebit super altare. *V.* 26. Ille verò, qui dimiserit caprû emissarium, lauabit vestimêta, & corpus aqua: & sic ingredietur castra. *Vers.* 27. Vitulû autê, & hircum, qui pro peccato fuerant immolati, & quorû sanguis illatus est in Sanctuarium, vt expiatio compleretur, asportabunt extra castra: & comburent igni, tam pelles, quàm carnes eorum, ac fimum. *Vers.* 28. Et quicunque combusserit ea, lauabit vestimêta sua, & carnem

carnem aqua, & sic ingredietur castra: *Vers.* 29. Eritque vobis hoc legitimum sempiternum.] Non est perspicuum, an combustor esset Sacerdos. Quanuis enim in capitulo quarto actio ista attribui videatur Pontifici; ex dictis tamen hîc apparet, quòd Pontificis erat educere, & comburere imperando, & non exequendo: nam ipse Pontifex occupatus erat in oblatione holocaustorum, & adipum, pontificalibus vestibus fulgens: comburens autem reddebatur immundus, ita vt indigeret ablutione, tum carnis, tum vestium ad hoc, vt regrederetur in castra. Et hinc coniectura est, quòd nec etiam Sacerdos comburebat hæc: quoniam Sacerdotes tunc duo Aharon filij sacris vestibus ministrabant Pontifici: vt ex gestis scriptis in cap. 9. apparet. Per laïcum ergo, aut, quod verisimilius est, per Leuitam aliquem executioni mandabatur huiusmodi combustio in loco cinerum, vt statutum est c. 4.

Mense autem septimo, decima die mensis affligetis [d] animas vestras; nullúmque facietis opus, siue indigena, siue aduena, qui peregrinatur inter vos. *Vers.* 30. In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio: ab omnibus peccatis vestris coram Domino mundabimini. *Vers.* 31. Sabbathum requietionis est: & affligetis animas vestras religione perpetua.] Non est perspicuum, an intelligatur de afflictione ieiunij: certum tamen est, quòd afflictio contritionis internæ indicitur, vt exterior expiatio, internæ displicentiæ detestationique peccatorum responderet.

[d] Hæc animarum humiliatio, seu afflictio, ieiunium fuit. Solent enim hæc duo pro eodẽ accipi, vt Isaiæ 58. estque seria corporis afflictio, & symbolica quædam supplicatio, & pœnitentia. Nam luctui toti, fletibus, & precationibus indulgebant, integro die, biduo, vel triduo abstinentes, sicut de ieiunio Nehemiæ, Hesther, & Dauidis legimus. Nascitur enim huiusmodi ieiunium ob dolorem peccatorum. quum enim terror diuini iudicij planè inuadit, & exanimat homines, abdicant cibum, & delicias, quibus ista vita sustentatur, & fouetur confitentes siquidem, quòd meriti sint, nimirum, vt iam nullis Dei bonis fruantur, sed intereãt penitùs; nihil cibi, aut potus gustantes, nec somnum quidem admittentes, caput puluere opplent, quasi seipsos sepelientes, tantùm lacrymantur, plangunt, & orant, omnimoda abdicatione omnium rerũ vitæ huius. Ad hunc modum fuit ieiuniũ Niniuitatum, & ad hunc modum ieiunare, hoc loco præcipit Dominus.

Vers. 32. Expiabit autem Sacerdos, qui vnctus fuerit: & cuius manus initiatæ sunt, vt sacerdotio fungatur pro patre suo.] Quoniam singulis annis solennis hæc expiatio celebranda erat, decernitur, vt non simplex Sacerdos, sed Pontifex sit, qui hoc expiationis officium celebrabit.

Inducturque stola linea, & vestibus sanctis: *Vers.* 33. & expiabit Sanctuarium, & tentorium adunationis, atque altare, Sacerdotes quoque, & vniuersum populum. *Vers.* 34. Eritque vobis hoc legitimum sempiternum, vt oretis pro filiis Israël, & pro cunctis peccatis eorum semel in anno. Fecitque, sicut præceperat Dominus Mosi.

CAPVT XVII.

VERS. 1.

ET locutus est Dominus ad Mosẽ, dicens: *Vers.* 2. Loquere Aharon, & filiis eius, & cunctis filiis Israël, & dices ad eos.] Ad insinuandum, quòd subiunctæ legi non solùm populus, sed etiam Sacerdotes, sed etiam Pontifex subiectus erat, scribuntur hæc: vt intelligeretur, quòd nec de consensu Sacerdotum, nec de consensu Pontificis licitum erat mutare locum sacrificij, & sacrificare alibi, quàm ante tabernaculum Dei.

Iste est sermo, quem mandauit Dominus, dicens. *Vers.* 3. Homo quilibet de domo Israël, si occiderit ouem, aut bouem, vel capram in castris, vel extra castra.] Non de quacunque occisione, sed de occisione ad sacrificandum est sermo: vt subiuncta testantur, dicendo:

Vers. 4. Et ad ostium tentorij adunationis non fecit venire ipsum ad offerendum oblationem Iehouah coram tabernaculo Iehouah.] Decernitur itaque locus iugulationis cuiuscunque victimæ, locus ante ostium tabernaculi diuini. Et quod dicitur de boue, oue, & capra, intellige etiam de auibus, columba, & turture: hæc enim duntaxat quinque animalium genera poterant licitè Deo sacrificari.

Sanguinis reus erit.] Hoc est, homicidij reus erit; hoc est, tanquàm homicida, tanquàm effusor humani sanguinis punietur.

Ipse sanguinem fudit, & peribit de medio populi sui.] Lex terribilis valdè est; & tamen malè seruata: sæpè enim, imò passim violata videtur, & tanquàm lex consensu vtentium non comprobata habita est: nam legimus, ante constructum templum oblatas Deo victimas fuisse vbilibet [a]: & post constructum templum sacrificatum sæpè esse in Excelsis, historia librorum Regum testatur.

[a] Sic legis 1. Regum 7. Samuelem in Mispah sacrificium obtulisse, quum tamen Arca Domini non ibidem esset illo tẽpore; sed in Cariathiarim: tabernaculũ verò in Silo. Sic etiã in Bethlehem sacrificium obtulit, quum vellet vngere Dauidem in Regem, 1. Reg. 16.

Vers. 5. Ideò Sacerdoti offerre debent filij Israël hostias suas, quas occidunt in agro.] Iuxta Hebræum habetur: *Propter quod facient venire filij Israël sacrificia sua, quæ ipsi sacrificant super facies campi.* Et statim subditur:

Et facient venire ipsa ad Iehouah ad ostium tentorij adunationis ad Sacerdotem: & sacrificabunt sacrificia pacificorum Iehouah ipsa.] Post legem prohibitiuam alterius loci, subiungitur manifestatio certi loci; videlicet, ante ostium tabernaculi diuini, tum ex parte tabernaculi, tum ex parte Sacerdotis, tum ex parte altaris, super quod fundendus est sanguis victimæ, tum ex parte adipis incendendi super eodem altari in odorem quietis ניחח.

Vers. 6. Fundétque Sacerdos sanguinem super altare Domini ad ostium tentorij adunationis: & adolebit adipem in odorem suauitatis Domino: *Vers.* 7. & nequaquàm vltrà immolabunt hostias suas Dæmonibus [b], cum quibus fornicati sunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non sacrificabunt adhuc sacrificia hircis, post quos fornicantur.* Non tam vt diuersitas locorum sacrificandi in vnum reduceretur locum, (vt quæ passim per diuersa campi loca sacrificabantur, in vno tabernaculi loco sacrificarentur;) quàm ad tollendum sacrificationem, quæ fiebat diuersis in locis campi quibusdam creditis Numinibus, lex ista instituta insinuatur. Et dicendo hircis, Deos syluestres [c] significauit: & propterea meminit sacrificiorum in campo: ad tollendum enim huiusmodi sacrificia, lex hæc significatur instituta: & ob hanc (vt reor) causam minùs seruata est, & impunè tanto tempore lex ista: intelligentes enim finem legis, licere sibi arbitrabantur sacrificare alibi, modò sacrificarent vero Deo.

[b] Hinc constat, filios Israël deditos idololatriæ in Ægypto.

[c] De hac gentium stultitia, nẽpè, quod alios Deos habetent montium, alios conuallium, & campestriũ, vide 4. Reg 17.

Legitimum sempiternum erit illis, & posteris eorum. *Vers.* 8. Et ad ipsos dices.] Ad comprehendendum Pontificem, Sacerdotes, & omnes, dicitur: *Et ad ipsos dices.*

Homo quicunque de domo Israël, & de

de aduenis, qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocaustum, siue victimam, *Vers.* 9. & ad ostium tentorij adunationis non adduxerit eam, vt offeratur Domino, interibit de populo suo.] Non sufficit Deo præcipere, quòd iugulatio victimæ fieret in loco ante ostium tabernaculi: sed adiecit, vt etiam actio præcedens iugulationem, (actio, videlicet, cuiuscunque præparantis, seu adducentis animal in holocaustum, seu quodcunque sacrificium,) fieret in loco ante ostium tabernaculi: ita quòd non erat licitum alicui volenti offerre animal pro sacrificio quocunque, adducere illud ad Sacerdotem, seu Pontificem, extra locum ante ostium tabernaculi. Et oportuit hoc etiam inhibere: quia huiusmodi oblationes extra locum tabernaculi inducebant Sacerdotes ad sacrificandum alibi. Et apponitur pœna mortis.

Vers. 10. Homo quilibet de domo Israël, & de aduenis, qui peregrinantur inter eos.] Intellige proselytos: nam incircuncisis nulla datur lex.

Si comederit sanguinem.] Arbitror, non tam reperi inhibitionem comedendi sanguinem, quàm inhiberi ritum idololatrarum, in suis sacris ad esum sanguinis conuenientium.

Obfirmabo faciem meã [d] contra animam illius, & disperdam eam de populo suo.] Non indicit pœnam mortis humano ministerio: sed prædicit, se ad similitudinem adhibentis faciem suam ad hoc, vt occidat aliquem, destructurum vitam illius, qui comederit sanguinem.

[d] *Firmare faciem*, tropus est. Eo in malam partem vtuntur Hebræi, vt Ieremiæ 21. *Ego enim firmaui vultum meum*, &c.

Vers. 11. Quia anima carnis in sanguine est.] Tum nomine animæ, intelligendo animam formaliter (hoc est, rem, quæ est anima, quatenus animat corpus;) tum nomine animæ intelligendo vitam corporalem, verificatur, quòd anima carnis in sanguine est; hoc est, in sanguine sustentatur. Nam viuentia omnia, quæcunque aluntur, tandiu viuunt, quandiu aluntur: aluntur autem sanguine, quæcunque sanguinem habent: quoniam sanguis est nutrimentum vltimum. Significanter autem dicitur anima carnis: quia viuentia exanguia carent carne: vt intelligamus, quòd carentia sanguine carent etiam carne propriè dicta. Sed occurrit quæstio, quorsum hæc? quid ad prohibitionem esus sanguinis confert, quòd vita animalis consistit in sanguine? Solutio est, quòd, quia vita animalis consistit in sanguine, perinde est comedere sanguinem, ac comedere vitam animalis, ac comedere animal viuum more ferino.

Et ego dedi illum vobis, vt super altare meum expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit.] Altera affertur ratio inhibiti esus sanguinis: quia diuina authoritate dicatus est sanguis ad expiandum animas super altare propter connexionem sanguinis cum anima, vt sanguis expiet animas, tanquàm anima offeratur pro expiatione animarum.

Vers. 12. Idcircò dixi filiis Israël: Omnis anima ex vobis non comedet sanguinem, nec ex aduenis, qui peregrinantur inter vos. *Vers.* 13. Homo quicunque de filiis Israël, & de aduenis, qui peregrinantur inter vos, si venatione, seu aucupio ceperit feram, vel auem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem eius, & operiat illum terra.] Ecce quid agendum erat de sanguine animalium, quando non sacrificabantur. Fundendus erat, & operiendus terra: vt sic ab humano vsu penitùs tolleretur omnis sanguis animalium mundorum ad vescendum: immundorum siquidem, non solùm sanguis, sed etiam caro inhibebatur.

Vers. 14. Anima enim omnis carnis in sanguine est. Vnde dixi filiis Israël: Sanguinem vniuersæ carnis non comedetis: quia anima carnis in sanguine est: & quicunque comederit illum, interibit.] Non intelligo pœnam mortis infligendam per Iudicem, sed superiùs dictam infligendam à Deo.

Vers. 15. Anima, quæ comederit morticinum, vel raptum à bestia, tam de indigenis, quàm de aduenis.] Iuxta Hebræum coniunctio copulatiua habetur, tam hîc, quàm in calce capituli, vbi Interpres dicit, *vel corpus*.

Lauabit [c] vestimenta sua, & seipsum aqua: & contaminatus erit vsque ad vesperum: & hoc ordine mundus erit.] Leuis purgatio comedentis carnem non plenè purgatam sanguine, testatur peccatum comedentis animal non iugulatum, sed suffocatum esse paruum.

[c] Multus sanè vsus baptismatum, & Iudæis, & Gentibus omni tempore fuit. De gẽtibus id Patres testantur in historia, & Hesiodus, & Virgilius sæpè meminerunt. De Iudæis verò manifestissimè constat, quòd frequẽtem habuerunt vsum baptismatum, nõ ex lege tantùm, sed etiam ex traditionibus Patrum, vt patet Marci 7. & Iudith 12. imò & ante legem lauare oportuit vestes omnes enim gentes lustrationem quandam, & in ea peccatorum ablutionem cum initiatione ad sacras actiones quæsiuerũt.

Vers. 16. Quòd si non lauerit vestimenta sua, vel corpus, portabit iniquitatem suam.] perseuerando immundus: tenebatur enim posteà ad sacrificium offerendum, rediens ad cor.

CAPVT XVIII.

Vers. 1. Locutúsque est Dominus ad Mosen dicens: *Vers.* 2. Loquere filiis Israël, & dices ad eos: Ego sum Dominus Deus vester.] Iuxta Hebræum habetur: *Ego* יהוה *Elohe vester*. Daturus leges ad discernendum inter licitos, & illicitos concubitus, præmittit, legislatoris authoritatem: vt non tanquàm leges Mosis, sed leges Dei suscipiantur, & præferantur omnibus humanis legibus, ac consuetudinibus: propterea enim nominat se יהוה (hoc est, ipsum fontem essendi, à quo est omnium esse,) vt ab eodem, qui dat esse omnibus, agnoscatur lex licitè propagationis humanæ esse. Et adiungit, *Elohe vester*, vt timore tanti Iudicis pareatur legibus istis.

Vers. 3. Iuxta consuetudinem terræ Ægypti, in qua habitastis, non facietis: & iuxta morem regionis Chenahan [a], ad quam ego introducturus sum vos, non agetis; neque in legitimis eorum ambulabitis.] Parui refert, quòd dictio interpretata, *consuetudinem*, & *morem*, propriè sonat, *opus*. Prohibet siquidem Deus imitari opera Ægyptiorum, & Chananæorum: quia facile erat vtrosque imitari; Ægyptios quidem, quia multo tempore habitauerent in Ægypto; Chananæos verò, quia conuersaturi erant cum eis. Et est sermo de opere connubiorum, vt non haberent omnia licita, quæ apud Ægyptios, vel Chananæos habebantur connubia licita.

[a] Cùm Ægyptus, & terra Chanaan impium Cham, & eius semen, magistros religionis habuissent, qui patris Noë sacra contempserant, factũ est, vt eius posteri in illis terris prodigiosissima genera idololatriæ instituerint, nulla inter eos conseruata honestate in ciuilibus generibus vitæ, in connubiis, & aliis. Crediderim enim Cham, abominationes, quas ante diluuiũ viderat, iterũ orbi edocuisse.

Vers. 4.

Verſ. 4. Facietis iudicia mea.] Hinc clarè patet, quòd præcepta iudicialia ſunt hæc, quæ ſubiunguntur.

Et præcepta mea ſeruabitis ad ambulandum in eis.] Dictio interpretata, *præcepta*, ſignificat apud Hebræos illa præcepta, quæ ſola legiſlatoris authoritate ſunt fulta: quæ vocamus præcepta iuris poſitiui.

Ego Dominus Deus veſter.] Iuxta Hebræum habetur: *Ego Iehouah Elohe veſter*. Repetitur authoritas legiſlatoris, ad imprimendum in mentes populi diuinam authoritatem harum legum.

Verſ. 5. Cuſtodietis leges meas, atque iudicia.] Eadem dictio, quæ interpretata eſt, *præcepta*, repetitur dicendo, *leges*, ad inſinuandum, quòd multa ſubiunguntur præcepta iuris poſitiui, diuina tamen authoritate.

Quæ faciens homo viuet in eis [b].] Vide diſparitatem inter fidem, & opera legis. De operibus legis ſcribitur, *faciens viuet in eis*: de fide autem Habacuc dicit: *Iuſtus ex fide viuet*. *Faciens* opera, *viuet in eis*: credens autem viuet abſolutè: vt Paulus Apoſtolus annotauit ad Rom. 10. & ad Gal. 3. Eſt igitur ſermo de vita corporali, quum dicitur, *Viuet in eis*. Et verificatur de omnibus: quoniam omnes facientes opera legis, euadent mortem corporalem, quam mererentur negligendo legis opera, vel infligendam à Deo, vel ab hominibus: vt meritò dictum ſit, *viuet in eis*, pro quanto ea faciendo euadet meritum mortis, & afflictionum, quæ ſunt amicæ mortis.

b Viuet in eo, hoc eſt, iuſtus erit in illis, nam apud homines iuſti ſunt qui per legem iuſtificantur. Vide pulchram etiã huius loci expoſitionem Eſdræ 9. cap.

Ego Dominus Deus veſter.] Superfluunt duæ dictiones. Nam Hebraïcè habetur: *Ego Iehouah*. Repetit tertiò authoritatem legiſlatoris, commemorando ſe ſummum Deum, ad arctiùs imprimendum diuinam ſubiunctarum legum authoritatem.

Verſ. 6. Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedet, vt reuelet turpitudinem eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Vir quicunque ad omnem propinquam carnis ſuæ non appropinquabitis, ad detegendum turpitudinem*. Dictio interpretata, *turpitudinem*, vt aiunt, ſignificat *detectionem*: ſed appropriata eſt ad ſignificandum pudibundum membrum, tam mulieris, quàm viri, etiam ab Hebræis. In vniuerſo igitur hoc capitulo, quum ſcribitur *reuelatio turpitudinis*, ſignificatur ad literam detectio pudendæ partis: circunloquendo per huiuſmodi detectionem, non puram detectionem, ſed detectionem ad concubitum. Dictio quoque interpretata, *propinquam*, extenſione quadam ſignificat *propinquam*: nam propriè ſignificat reſiduum. & tangitur in hoc nomine ratio legis. Ideò enim tibi inhibetur concubitus cum propinqua: quia illa eſt tanquàm reſiduum carnis tuæ: quia illa eſt tanquàm aliquid carnis tuæ; quia eſt tanquàm pars, quæ extra te remanſit carnis tuæ. Concubitus enim debet eſſe cum carne aliena, & non carne propria. More itaque ſolito, priùs proponuntur tractanda in genere; & deinde in ſpecie per partes ſingulas: & propterea proponendo in genere inhibetur concubitus cum quacunque propinqua carnis ſuæ.

Et ſtatim occurrit quæſtio: quia ſecundùm hanc legem prohiberi videtur coniugium cum quacunque propinqua ſecundùm carnem: cuius contrarium ſemper factum eſt. Solutio eſt, quòd appellatione omnis propinquæ intelliguntur duntaxat illæ perſonæ propinquæ, quas lex ipſa diuina diffinit propinquas; ita quòd ratione propinquitatis carnalis inhibet inter illas connubia: vocabula enim legalia ſunt intelligenda ſecundùm legis definitionem, ſeu vſum. Conſtat autem, ſolas diuina lege definiri perſonas propinquas, quæ in hoc capitulo ſubiunguntur. Et propterea iſtæ ſolæ comprehenduntur ſub hac lege in genere: vt quod in genere ſancitur, per ſingulas ſpecies ſtatim explicatum intelligamus.

Ego Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Ego* יהוה. Quartò repetit diuinam authoritatem, vt imbibatur in omnium, & ſingulorum mentibus: tangunt enim leges iſtæ quotidianas actiones communes, tam diuitibus, quàm pauperibus.

Verſ. 7. Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non diſcooperies.] Prima ſunt hæc naturalis iuris præcepta. Et primum quidem dirigitur ad filiam: filiæ ſiquidem mandatur: *Turpitudinem patris tui non reuelabis*. Contra quod fecerunt filiæ Lot. Alterum verò dirigitur ad filium, dicendo: *Turpitudinem matris tuæ non diſcooperies*. Et tanta refertur cæcitas in quibuſdam nationibus, vt promiſcua fuerint apud eos connubia, nulla habita ratione etiam propriæ matris.

Mater tua eſt [c], non reuelabis turpitudinem eius.] Ratio legis redditur non aliunde, quàm ex ratione propriæ matris; hoc eſt, caro tua, pars eſt carnis illius: filius enim conſtat, ex ſubſtantia matris. Et idem intellige de filia, & patre: filia enim conſtat ex ſubſtantia patris. Et perinde eſt, filium coïre cum matre, ſeu filiam cum patre, ac coïre cum carne propria: hæc eſt enim ratio naturalis iuris in litera ſcripta. Et verè efficax ratio eſt: quia rectæ rationis ordo dictat, vt concubitus ſit inter diuerſas carnes, & non inter eandem & ſeipſam; parentes autem, & proles eiuſdem ſunt carnis ſecundùm ſeipſos abſque medio aliquo, vt patet.

c Euſebius de præparatione euangelica tradit, legem fuiſſe apud Perſas, promiſcuè nubendi matribus, & filiabus, quos aliæ gentes ob hoc ſcelus abominatæ, Maguſeos appellarunt. Idem facinus in vſu olim erat gigantibus ante diluuium, vt refert Beroſus.

Verſ. 8. Turpitudinem vxoris patris tui non diſcooperies [d].] Poſt inhibitum connubium inter parentes, & filios, inhibetur primus affinitatis gradus, prohibendo connubium cum nouerca.

d Nonnulli hanc legem intelligunt de vxore cognita à patre. Allegant factum Adoniæ 3 Reg 2. cap. qui Abiſai vxorem patris, nondum ab eo cognitam, petebat in coniugem, etiam Ioiadæ Pontificis conſilio, qui optimè hãc legem callebat. Sed de his fuſiùs alibi.

Turpitudo enim patris tui eſt.] Ratio legis ex parte patris redditur: quia genitalia nouercæ ſunt patris tui: ac per hoc habenda ſunt tanquàm pudenda proprij patris: quæ perſpicuum eſt, non eſſe detegenda. Perſpice diſparitatem. Connubium inter filium, & matrem inhibetur propter coniunctionem eorum inter ſe ſe: connubium autem cum nouerca interdicitur ratione tertij, hoc eſt, patris.

Verſ. 9. Turpitudinem ſororis tuæ ex patre, vel matre, quæ domi, vel foris genita eſt, non reuelabis.] Clarior lex iſta ſcribitur Hebraicè: *Turpitudinem ſororis tuæ, filiæ patris tui, vel filiæ matris tuæ, naſcentis domi, vel naſcentis foris, non deteges turpitudinem earum*. Explicando, *filiæ patris tui, vel filiæ matris tuæ*, reſtringit legem ad ſororem carnalem, non comprehendendo ſorores conſobrinas. Et dicendo, *natæ domi, vel foris*, comprehendit

legitimas,

legitimas, & spurias, quomodolibet genitas: vniuersalis siquidem lex traditur, interdicens connubia inter fratrem,& sororem carnales,seu primi gradus.

Vers. 10. Turpitudinem filiæ filij tui, vel filiæ tuæ non reuelabis.] Iuxta Hebræum adiungitur: *Turpitudinem earum.* Lex clara est. In qua etiam librandum est,quòd non procedit vltrà lex ista; hoc est,non procedit ad tertiam, & quartam generationem descendendo:sed sistit in filia filij,& in filia filiæ:prohibet enim connubia cum auo.

Quia turpitudo tua est [e].] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Quia turpitudo tua ipse.* Ratio legis redditur, & iudicio meo communis huic,& præcedenti legi, cuius nulla est reddita ratio: est enim communis ratio sororibus, & neptibus ex filiis, quòd turpitudo ipsarum est turpitudo tua: nam & sorores, & neptes iunctæ sunt tibi naturali vinculo ratione tertij. Sorores quidem ratione patris, & multò magis si ratione vtriusque parentis: neptes verò ratione filij,seu filiæ. Et propterea quadrat, vt vna vtriusque legis intelligatur reddita ratio, vtpote prohibentis connubium inter consanguineos vnico tantùm medio iunctos.

[e] Vbi hæ particulæ apponuntur, scilicet, *turpitudo tua est*, vel æquiualens,crediderim præcepta esse iuris naturæ:hoc enim videtur vox ipsa indicare;alibi verò nõ.

Vers. 11. Turpitudinem filiæ vxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & est soror tua,non reuelabis.] In Hebræo adiungitur:*turpitudinem eius.* Attende, prudens lector,quòd lex ista pars est legis positæ immediatè ante præcedentem:ibi enim fuit sermo de sorore tua, filia patris tui, siue domi,siue foris nata: & hic est sermo de filia patris tui nata ex nouerca tua. Abundantia chartæ non fuit ratio huius repetitionis; sed licentia,sed pronitas hominum ad connubia cum sororibus non vterinis,ratio fuit huius repetitionis.Testantur Thamar,sororis Absalom,verba,huiusmodi connubia non reputata fuisse penitùs illicita:nisi enim vidisset, vel audisset fieri huiusmodi connubia, non dixisset ad Amon,fratrem suum non vterinum: *Pete me à Rege,& non negabit me tibi.* 2. Reg 13. Accedit ad hæc verborum sensus proprius, quem sonant verba Abrahæ ad Abimelech de vxore sua Sara: *Soror mea est,filia patris mei,& non filia matris meæ;& duxi eam in vxorem* Gen.20. Ad extinguendum itaque penitùs huiusmodi connubia,non sufficit Mosi,vt tanquàm pars legis; sed censuit,vt etiam,tanquàm propria lex, promulgaretur inhibitio talis connubij.

Vers. 12. Turpitudinem sororis patris tui non discooperies.] Connubium cum amita prohibetur: ex quo tamen connubio natus est ipse Moses, vt patet Exod.6. iuxta Hebraïcam veritatem.

Quia caro est patris tui.] Iuxta Hebræum habetur:*Residuum patris tui ipsa.* Dictio eadem repetitur, quæ in prima lege interpretata est, *propinqua* seu *proxima*, quam diximus propriè significare residuum. Ratio itaque legis redditur ex parte tertij (patris, videlicet): quia residuum patris tui est: soror enim mea est tanquàm residuum meum, & è conuerso ego sum residuum sororis meæ, pro quanto id,quod est substantia patris, seu matris,quæ in multas proles diuiditur, eo ipso,quòd communis est omnibus prolibus,& in multas partes secatur,quicquid est vnius prolis,est residuum alterius, & è conuerso:& proptereà dicitur de sorore patris: *Residuum patris tui ipsa.*

Vers. 13. Turpitudinem sororis matris tuæ non reuelabis, eò quòd caro sit matris tuæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia residuum matris tuæ ipsa.* Eadem ratio redditur de sorore matris, quæ reddita est de sorore patris.

Vers. 14. Turpitudinem fratris patris tui non reuelabis; nec accedas ad vxorem eius, quæ tibi affinitate coniungitur.] Iuxta Hebræum habetur: *Turpitudinem fratris patris tui non reuelabis, ad vxorem eius non appropinquabis,patrua tua ipsa.* Fuerit licitum fingere nouum vocabulum ad exprimendum Hebraïcam dictionem, ad significandum vinculum inter vxorem fratris patris tui, & te; & liceat patruæ nomen extendere ad vxorem ipsius patrui, & appellare ipsam patruam tuam. Attende diligentiùs, quòd non præcipiuntur duo, vt vulgata editio sonat. Non præcipitur mulieri,vt turpitudinem patrui sui non reuelet: nam tale connubium licitum semper fuit apud Hebræos, & vsque in hodiernum diem apud eos patruus in vxorem ducit filiam fratris sui:& apud priscos Hathoniel,frater Chaleb, duxit in vxorem Hachsam,filiam Chaleb,vt patet in libro Iehosuæ,& Iudicum. Sed vnum duntaxat præcipitur, videlicet, vt non fiat connubium cum patrua sua:nam appositiuè scribitur: *Non reuelabis turpitudinem fratris patris tui, ad vxorem eius non accedes.* exponendo enim,quid est reuelare turpitudinem fratris patris tui, adiungitur,*ad vxorem eius.* Vnde & ratio vnica subditur:*Quia patrua tua ipsa.* Si quæris,quare lex inhibuit connubium cum amita, & non cum patruo, cùm eadem sit carnalis necessitudo vtrobique;in promptu causa est:quia vxor naturaliter subdita est marito: hinc enim censuit lex indecens fore,vt amita,vel matertera, quæ in linea superiori est, redderetur ex connubio subdita illi viro,quo est superior.Hæc autem indecentia locum non habet,quum mulier nubit patruo, eò quòd subiicitur in coniugio illi, cui etiam aliàs est subdita.

Vers. 15. Turpitudinem nurus tuæ non reuelabis, vxor filij tui est: non discooperies ignominiam eius.] Nescio,cur Interpres mutauit solitum turpitudinis nomen in ignominiam:nisi fortè ad insinuandum,quòd pronomen,*eius*,refert filium: quod tamen dissonat ab Hebræo; quia pronomen,*eius*, est hîc fœmininũ. Quoad rem verò,proculdubiò dehonoraretur filius, accipiendo relictam eius in vxorem. Vnde & Iehuda noluit accipere Thamar, nurum suam,in vxorem:quamuis ex ignorantia facti genuerit ex ea: & Dauid noluit ampliùs dormire cum aliqua suarum vxorum,postquàm Absalom, filius eius, dormiuit cum eis, horrens dormire cum quasi nuru.

Et vxorem fratris sui nullus accipiat [f].] Tota hæc clausula superflua est: non enim habetur in Hebræo.

[f] Nonnulli interpretãtur hanc legem,vel fratre repudiante vxorem, vel viuente, vt fecit Herodes. Quòd autem lex sic intelligenda sit, constat ex 38.cap Geneseos de Thamar, quæ secundum fratrẽ duxit,& tertiũ compulsa est expectare. Sicque intellexit hãc legem Augustinus in quæstionib super Leuiticum. Vide etiam Ioannem Cocleum de matrimonio Reginæ Angliæ.

Vers. 16. Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis: quia turpitudo fratris tui est.] Inhibetur connubium cum fratria. Et ratio redditur:quia pudibundum fratriæ est fratris. Hanc legem intellige regulariter,ad differentiam casus, quo frater mortuus esset absque prole:

prole:nam, licèt regulariter illicitum esset connubium inter leuirum, & fratriam; licitum tamen(imò consuetum,ac præceptum)erat huiusmodi connubium ad suscitandum semen fratris:quia non dehonorabatur frater, sed officiosum fratri mortuo se leuir exhibebat,vice ipsius generans ex fratria filios defuncto, vt Deuter. 25.statuitur.

Vers. 17. Turpitudinem vxoris tuæ, & filiæ eius non reuelabis.] Iuxta Hebræum habetur: *Turpitudinem mulieris, & filiæ eius non reuelabis.* Latior est lex de muliere, & filia eius, quàm de vxore,& filia eius: siue enim vxor fuerit, siue non, inhibet lex,duci in vxorem filiam mulieris cognitæ ab eodem viro:coniunctim enim intelligitur mulieris,& filiæ eius.

Filiam filij eius,& filiam filiæ illius non sumes,vt reueles ignominiam eius.] Iuxta Hebræum hæc vltima verba habentur sic: *Ad detegendum turpitudinem eius.* Non solùm filia vxoris,seu mulieris cognitæ;sed etiam neptis ex filio,vel filia excluditur à tuo connubio.Et ratio subiungitur:

Quia caro illius sunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Residuum ipse.* Ratio redditur vtriusque legis: quia vxoris, seu mulieris, tam filia, quàm neptis ex filio,aut filia, residuum est,vtpote aliquid remanens de substantia eius.Quãuis in Hebræo nullo pronomine determinetur, *residuum:* quia non dicitur residuum illius,nec residuum tuum;sed subintelligitur illius, vt exposuimus.

Et talis coitus incestus est.] Iuxta Hebræum habetur:*Fornicatio ipsa.*Exaggeratur huiusmodi concubitus,vt penitùs horrori sit.

Vers. 18. Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius, adhuc illa viuente.] Iuxta Hebræum habetur: *Et mulierem sorori suæ non accipies, ad angustandum, ad detegendum turpitudinem eius super illam in vita illius.* Connubium cum duabus sororibus [g], vtraque viuente, inhibetur. Et ratio redditur: quia hinc nascitur mutua sororum angustia: consueuerunt enim eiusdem viri vxores esse æmulæ,ac per hoc alteram alteram angustiat.indecens autem censetur, vt connubium pariat angustiam inter sorores, inter quas naturalis est amor. Nec prohibetur huiusmodi connubium propter affinitatem, (quia sorore mortua licebat ducere alteram sororem in vxorem:) sed propter pacem inter sorores. Iahacob tamen duas sorores simul habuit vxores,Rachelem & Leam.

[g] Vt legimus factum inter Liam,& Rachelem,Gen 30. Perpendéque hinc, qualiter lex de ducendo fratriam interpretanda sit.

Et quoniam leges istæ à Christianis sæpè citantur,& connubia hîc interdicta, tanquàm diuino iure prohibita à multis habentur,præceptáque hæc,partim moralia, partim iudicialia prædicantur, discutiendum est,quid veritatis in his est. Scito igitur,quòd multa in his legibus interdicta connubia non sunt contra ius naturale,vt patet ex eo,quòd apud fideles multa horum ante legem Mosis erant connubia licita. Et ab vltimo inchoando, Iahacob fidelis duxit in vxores duas sorores simul viuentes:non est igitur contra naturale ius connubium cum duabus sororibus viuis. Connubium deinde leuiri cum fratria,ante legem, & post legem, fuit non solùm licitum, sed consuetum;& posteà per legẽ præceptum ad suscitandum semen fratris. Nam Iehuda fidelis nurum suam Thamar ante legem scriptam dedit duobus fratribus successiuè; & illis defunctis dixit nurui, vt expectaret innupta,donec ad ætatem perfectam veniret tertius filius:hæc enim facta testantur ex consuetudine fuisse,nõ solùm licitum,sed debitum huiusmodi connubium. Et simile quid euenit post legẽ tempore Ruth,vt patet in libro Ruth. Hæc autem non ideò dixerim: quia connubium inter leuirum, & fratriam, in casu suscitandi semen fratris,intelligatur contra has leges: (iam enim manifestauimus,quòd non est cõtra istas leges:) sed ideò,vt hinc appareat,quòd connubium inter leuirum,& fratriam,absolutè loquendo,non est contra ius naturale;quia concubitus contra ius naturale in nullo casu redditur licitus;& ex hoc ipso,quòd concubitus leuiri cum fratria in aliquo casu ante legem sub lege, & per legem fuit licitus,consuetus,& præceptus,manifestum fit,quòd simpliciter, & absolutè non est contra ius naturale.

Et confirmatur ex eo, quòd post omnes has leges licitum erat connubium cum sorore vxoris mortuæ, etiam relictis filiis: ex hoc enim conuincitur, quòd carnalis coniunctio præcedens non efficit contra ius naturæ carnale commercium sequens:nam æquè facti sunt vna caro,vir,& vxor,in primo connubio: ac per hoc, sicut turpitudo mulieris facta est viri; ita turpitudo viri facta est mulieris: & consequenter, si soror vxoris mortuæ potest absque iniuria naturalis iuris reuelare turpitudinem viri, quæ fuit turpitudo sororis eius;ita frater viri mortui potest absque iniuria naturalis iuris reuelare turpitudinem mulieris, quæ fuit turpitudo fratris eius.

Quòd autem connubium cum amita non sit contra ius naturæ, ex eo patet,quòd ante legem inter fideles erat licitum: nam Hamram,pater Mosis,accepit amitam suam in vxorem,nomine Iochebed, filiam Leui, sororem carnalem Cehath,patris Hamram. Exodi enim 2. scribitur, quòd mater Mosis fuit filia Leui:& Exod 6.non solùm scribitur, quòd Cehath, pater Hamram, fuit filius Leui; sed etiam,quòd Hamram accepit vxorem Iochebed amitam suam, quæ peperit ei Aharon,& Mosen:& Numer.26. etiam in vulgata editione scribitur:*At vero Cehath genuit Hamram,qui habuit vxorem Iochebed,filiam Leui, quæ nata est ei in Ægypto, quæ genuit viro suo filios, Aharon,& Mosen, & Miriam sororem eorum.* Et hæc ideò attulerim, vt nullus negare possit,matrem Mosis fuisse verè amitam mariti sui: nefas autem est credere, quòd contra ius naturæ fuerit inter fideles connubium ante legem scriptam.

Connubium denique cum sorore carnali non vterina, non esse contra ius naturæ, patet ex eo, quòd Abraham accepit Saram in vxorem,quæ erat soror eius carnalis non vterina,vt ipsemet testatur Gen.20. dicendo: *Verè soror mea ipsa.filia patris mei ipsa;non tamen filia matris meæ.* Hæc enim verba secundùm proprietatem verborum,planissimo sensu significant,Saram fuisse sororem carnalem Abrahæ ex patre patris duntaxat. Et vt negantes conuincantur, pondera,quòd, quemadmodum dicendo:*Non filia matris meæ*,propriè accipitur mater;eadem ratione dicendo:*Filia patris mei.* propriè accipitur pater.

Et confirmatur: quia in legibus istius capituli, carnalis soror eisdem describitur verbis, videlicet: *Soror tua, filia patris tui.* qua ergo ratione per hæc verba in istis legibus indubiè intelligitur soror carnalis; eadem ratione per eadem verba prolata ab Abraham est proculdubiò intelligenda soror carnalis. Et cõfirmatur iterum, quærendo ab inficiantibus, quibus verbis propriis significanda est soror carnalis, si ista verba (videlicet: *Verè, soror mea, filia patris mei.*) non significant sororem carnalem: dicant, quæso, quibus verbis describenda sit. Et si diligentiùs perspexeris, quòd Abraham dixit hæc verba ad iustificandum se, hauties, quòd connubium inter fratrem, & sororem non vterinam, erat tunc têporis licitum, nõ solùm in Chaldæa, (vbi Abraham acceperat Saram in vxorem;) sed etiam in Palæstina, vbi tunc erat Abraham; alioquin scandalizasset Abimelech hoc sermone.

Et si altiùs repetamus, apparebit, quòd connubium inter fratrem, & sororem vterinam, non est contra ius naturę: nam oportuit ad multiplicandum humanum genus Caïn accipere in vxorem sororem vterinam: nefas autem est dicere, quòd Deus creauit humanum genus multiplicandum necessariò cum iniuria iuris naturalis, quum facillimè hæc iniuria euitari potuisset, creãdo duos viros, & duas mulieres: sic enim humanum genus non per connubia fratrum, & sororum; sed per connubia consobrinorum multiplicatum fuisset. In nulla enim specie generabilium legitur, Deum creasse duo tantùm indiuidua, nisi in specie humana; nec hoc decuit fieri cum necessitate iniuriæ naturalis iuris in propagando.

Et confirmatur hoc ratione: quia, si connubium inter fratrem, & sororem vterinam esset contra ius naturæ, seu esset per se malum moraliter; nulla humana necessitate, aut ratione posset reddi licitum: quia, quod est per se prauũ moraliter, nulla necessitate redditur rectum: mendacium enim, quia est per se prauum, nulla ratione redditur licitum: & similiter adulteriũ, homicidium, blasphemia, & id genus reliqua, quæ sunt per se mala moraliter, nulla necessitate, nulla humana ratione reddi possunt licita, ac per hoc ex eo, quòd connubium inter fratrem, & sororem vterinam licitum aliquando fuit propter multiplicandum genus humanum; manifesta ratione conuincitur, quòd non est per se malum moraliter. At, si quispiam dixerit, huiusmodi connubia facta à fidelibus Patribus ante legem [h], dispensatione diuina fuisse facta: maiore facilitate reiicitur, quàm dicitur: quia voluntariè dicitur, & rationabiliter reiicitur. Vnde & August. 15. de Ciuit. Dei religioni attribuit inhibitionem connubiorum olim licitorum inter fratres, & sorores.

[h] Ex hoc arguunt aduersarij, leges istas omnes iuris esse naturæ, quòd obligarêt etiam gentes terræ Chanaan. Habet enim Textus: *Omnes execrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam. Cauete ergo, ne & vos similiter euomat, quum paria feceritis*, &c. Verùm facile erit ad hæc dicere.

Ex his patet, quòd non omnia connubia istis diuinis legibus interdicta, sunt contra ius naturale, nec sunt per se mala moraliter. Siste tamen pedem, prudens lector, & discerne inter connubia mala per se moraliter; & connubia solitariè mala moraliter. Nam connubia mala per se moraliter, nulla nunquam ratione humana redduntur licita: & hæc sunt connubia inter matrẽ, & filium; & inter patrem, & filiam duntaxat: habent enim personæ hæ ex seipsis immediatè indecentiam ad coniugium: & hoc omnes fatentur. Dixi, *duntaxat*; quia, vt ex antedictis apparet, reliqua fuerunt quandoque licita. Vnde & D. Thomas in 2. 2. q. 154. art. 9. ad argumentum tertium, dicit, quòd circa connubium aliarum personarum decentia, vel indecentia variatur secundùm consuetudinem, & legem humanam, vel diuinam. Connubia verò solitariè mala sunt, quæ non ex seipsis vendicant sibi indecentiam; sed indecentia annexa est solitudini eorum: ita quòd indecentia non est per se annexa ipsis; sed ratione solitudinis: hoc est, quòd connubia nudè sumpta comitatur indecentia moralis; quæ tamen indecentia non comitatur connubia vestita honestantibus circunstãtiis. Verbi gratia, connubium inter fratrem, & sororem, si cõsideretur solitariè, (hoc est, absque aliqua honestante circunstantia,) annexam habet indecẽtiam moralem; putà, nimium ardorem amoris, & facilem mollitiem animorum, &c. si autem idem connubium vestiatur circunstantia necessariæ multiplicationis humanæ, cessat ratio moralis indecentiæ, quia, quod nudè sumptum, rationi rectæ aduersatur, vestitum rationi rectè consonat. Exemplum, hominem occidere hominem, nudè sumptum, aduersatur rationi rectæ; quia homo homini naturaliter amicus est: vestitum autem conditionibus honestantibus, consonat rationi rectæ, putà, hominem authoritate functum publica occidere hominem confessum, vel conuictum de proditione patriæ: nõ solùm enim desinit esse mala moraliter occisio hominis ex tali indumẽto, sed fit bona moraliter.

Talis est natura connubiorum extrà parentes, & filios, seclusa omni scripta lege, & consuetudine in istis legibus prohibitorum. Et proptereà de illis dicitur, quòd sunt partim moralia: verificatur enim hoc, nõ eo sensu, quòd sunt per se indecentis moris; sed eo sensu, quòd solitariè, seu nudè sumpta annexam habent indecentiam moralem; sed perspicaciter penetrata nullam habent indecentiam moralem annexã, si vestiuntur conditiones honestantes ipsa: & propter hoc aliquando fuerunt licita, & hodie possunt reddi licita ex conditionibus honestantibus secundùm rectam rationem; interuenientе tamen apostolica authoritate, non ad dispẽsandum in iure diuino, (quod hodie nullum quoad hæc est, quia Iesus Christus liberauit nos à iudicialibus, & cęremonialibus præceptis;) sed ad dispensandum in iure canonico, & consuetudine populi Christiani, & ad authorandum conditionem honestantem, quę pro causa talis coniugij affertur: quam authorationem perspicuum est fieri, quum apostolica authoritas decernit, ex aliqua expressa rationabili causa, se dispensare, vt tale coniugium fiat. Collige ex his, prudens lector, quòd connubia extra parentes hîc prohibita, nec sunt suapte natura mala, quæ nulla humana ratione licita sunt; nec sunt indifferentia, quæ passim licita sunt, sed sunt media inter penitùs mala, & penitùs indifferentia, vtpote quæ nudè sumpta annexam haberent aliquam moralem indecentiam, & vestiri possunt aliquam conditionem humanam, qua redderentur bona moraliter.

Vers. 19. Ad mulierem, quę patitur menstrua, non accedes; nec reuelabis fœditatẽ eius.] Manifesta est indecentia concubitus cum menstruata: non est tamen indecentia talis, quæ ex suo genere sit peccatum mortale, cùm non sit contra ordinem seminationis, (quia in

in vase debito seminatur in propria vxore: nec sit contra bonum viri, aut vxoris, (neutri enim nocet:) nec sit contra debitum à parentibus bonū proli; tum, quia rarus videtur conceptus tali tempore, quia natura occupata est circa purgationē; tum, quia etiamsi verum esset, concipi infectam prolem, hoc non constituere peccatum mortale in parentibus, testatur coniugium leprosorum: hoc enim testimonium est, non indici hinc parentibus abstinentiam ab actu coniugali.

Vers. 20. Cum vxore proximi tui non coïbis, nec seminis commixtione maculaberis. *Vers.* 21. De semine tuo non dabis, vt consecretur idolo Molech [i].] Iuxta Hebræum habetur: *Et de semine tuo non dabis ad faciendum transire ad Molech.* Absque dubio ritus idololatriæ prohibetur. Sed, qualiter fieret iste transitus seminis, nescitur. Et quia inter inordinatas seminationes hoc prohibetur, signum habetur, quòd de ipso humano semine est sermo: ita quòd culpa duplex interueniebat; altera mollitiei, altera idololatriæ, propter quam subditur:

i Hic Moloch idolū fuit Acharon, ciuitatis Philisthinorum, aliàs Beelphegor, & Milcon in Scriptura nominatum; à gentibus verò Priapus, teste Hieronymo, simulacrum turpe, sed cultu gentili longè turpius. Nam mille abominationes in eius sacris fiebant. Mares cum masculis, & fœminis illi cultui deditis promiscuè commiscebantur, habebantque specum, in qua conueniebant, quam Asa Rex subuertit. Nam 3. Reg. 15. quum huius idoli cultus subuerteretur, scribitur Asa abstulisse effœminatos, hoc est, pueros meritorios, & matrē suam à sacris Priapi. Et 4 Reg. 21. dicitur habuisse huiusmodi effœminatos domúculas in domo Domini, quas mulieres texebant ex luco, in quibus abominationes in hoc textu scriptas, factas esse credendū est. Cæterùm, quod dicitur *Non pollues nomen Domini*, nihil aliud est, quàm nomen Domini in gentibus non blasphemari sinas. Vide de hac phrasi Ezechiel. 16.

Et non pollues nomen Elohe tui, ego Iehouah.] Optimè dicitur: *Et non pollues nomen.* nec dicitur: Et non pollues Elohe tuum. quia ipse Deus non potest pollui; sed nomē eius apud homines polluitur idololatriis, quum debitus soli Deo cultus alij tribuitur: propter quod ad horrorem tantæ pollutionis adiungitur; *Ego Iehouah.* Noli tamen contendere cum intelligentibus hîc nomine seminis prolem; quia intelligi potest: sed nec sic certus mihi est ritus transitus, de quo est hîc sermo.

V. 22. Cum masculo nō commisceberis coïtu fœmineo, quia abominatio est. *Vers.* 23. Cum omni pecore non coïbis, nec maculaberis cum eo. Mulier non succumbet iumento, nec miscebitur ei, quia scelus est. *Vers.* 24. Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatę sunt gentes vniuersæ, quas ego eiiciam ante conspectum vestrum. *Vers.* 25. & quibus polluta est terra, cuius ego scelera visitabo, vt euomat habitatores suos. *Vers.* 26. Custodite legitima mea, atque iudicia, & non faciatis ex omnibus istis abominationibus, tam indigena, quàm colonus, qui peregrinatur apud vos. *Vers.* 27. Omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam. *Vers.* 28. Cauete ergo, ne & vos similiter euomat, cùm paria feceritis; sicut euomuit gentem, quæ fuit ante vos. *Vers.* 29. Omnis anima quæ fecerit de abominationibus his quippiam, peribit de medio populi sui. *Vers.* 30. Custodite mandata mea, & nolite facere, quæ fecerunt ij, qui fuerunt ante vos, & ne polluamini in eis.] Primùm ab exemplo pollutarum gentium, pollutæque terræ, deinde à pœna eiectionis earundem propter hæc scelera; & tertiò à pœna mortis infligenda per Iudicem; & demum ab authoritate diuina, dicendo: *Ego Iehouah, Elohe vester.* monet populum, vt non polluantur in huiusmodi peccatis carnis. Et quod dicitur, pollutam esse terram; intellige, quòd quemadmodum templum Dei polluitur sacrilegiis: ita terra polluta dicitur peccatis contra legem naturæ.

CAPVT XIX.

VERS. I.

Locutúsque est Dominus ad Mosen, dicens: *Vers.* 2. Loquere ad omnem cœtum filiorum Israël, & dices ad eos: Sancti estote [a]: quia ego sanctus sum Dominus Deus vester.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia sanctus ego* יהוה *Elohe vester.* Postquàm extensum est illud Decalogi præceptum: *Non mœchaberis.* extenduntur alia præcepta Decalogi: & propterea à primo incipiendo præcepto de cultu ipsius Dei, mandatur vniuersis, non solùm Sacerdotibus, & Leuitis; sed filiis Israël, vt mundi sint, ad imitationem diuinæ munditiæ. Generale siquidem datur mandatum, vt imitentur Deum suum, vt sint mundi ab immunditia peccati: quia ipse Deus mundus est penitùs.

a *Sancti eritis*, hoc est, segregati eritis ab immunditiis, & abominationibus prædictis.

Vers. 3. Vnusquisque patrem suum, & matrem suam timeat [b].] In Decalogo mandatus est honor; hîc verò mandatur timor: extenditur enim honor ad timorem. Et quoniam timor solius mali est; potestas parentum ad infligendum malum per hoc insinuatur: hinc enim Deus ipse manifestat, non esse vanā maledictionē à patre, vel matre. Ideò enim timendi parentes ab omnibus filiis dicuntur: quia possunt infligere malū maledictionis; quemadmodū ideò timendus est Deus; quia potest infligere malū.

b Hinc nomen timoris filialis, seu reuerentiæ desumptū est.

Et Sabbatha mea custodite.] Absque ordine, & summariè hoc repetitur, extendendum in cap. 23.

Ego Dominus Deus vester.] Iuxta Hebr. solita sunt nomina: *Ego Iehouah Elohe vester.* Ratio custodiendi Sabbatha redditur diuina authoritas simul cum debito gratitudinis officio fonti essendi.

Vers. 4. Nolite conuerti ad idola, nec Deos conflatiles facietis vobis, ego Dominus Deus vester. *Vers.* 5. Si immolaueritis hostiam pacificorum Domino, vt sit placabilis; *Vers.* 6. eo die, quo fuerit immolata, comedetis eam, & die altero: quicquid autem relictum fuerit in diem tertium, igne comburetis.] Aduerte, prudens lector, quòd indistinctè hostia pacificorum conceditur comedenda duobus diebus: vt hinc perpendas, rectè fuisse exposita à nobis scripta in cap. 7.

Vers. 7. Si quis post biduum comederit ex ea, profanus erit, & impietatis reus: *Vers.* 8. portabitque iniquitatem suam [c], quia sanctum Domini polluit, & peribit anima illius de populo suo.] Pœna mortis indicitur præsumenti comedere die tertio pacificam victimam propter sacrilegium. Reliqua sunt exposita, & correcta cap. 7.

c Hac phrasi, *portare iudicium, suam iniquitatem, suum onus*, damnatio talium significatur.

Vers. 9. Quúmque messueris segetes terræ tuæ, non tondebis vsque ad solum superficiem terræ.] Iuxta Hebræum habetur: *Non finies angulum agri tui ad metendum, nec remanentes spicas colliges.*

Vers. 10. Neque in vinea tua racemos, & grana decidentia congregabis; sed pauperibus, & peregrinis [d] carpenda relinques.] Ad literam intuitu pauperum, & peregrinorum mandatur, vt non penitùs metatur extremitas agri: & similiter non colligantur à Domino agri spicæ cadentes metentium manus:

d Peregrini isti tamen, & pauperes pro arbitrio, possessoris agri admittebantur, vt patet Ruth 2. cap.

nus: & simile quid præcipitur in vinea. Et ratio omnium subditur: *Ego Iehouah Elohe vester.* ac si apertiùs dixisset: Authoritate mea hoc facite.

Vers. 11. Non facietis furtum. Non mentiemini: nec decipiat vnusquisque proximum suum. *Vers.* 12. Non periurabis in nomine meo, nec polluès nomen Dei tui.] Iuxta Hebræum habetur: *Elohe tui.* Et statim subditur: *Ego Iehouah.* Ratio non polluendi nomen Dei redditur: quia ipse fons essendi, cui omnis, & summus honor debetur. Hæc in 20. cap. Exodi tractata sunt: & ideò pertransco.

Vers. 13. Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum.] Dictio interpretata, *calumniam,* sonat, *fraudem.*

Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque manè.] Ad literam præcipitur, vt non differatur vltra tempus debitum solutio mercedis: vt intelligamus, non solùm iniustum esse, auferre alienum; sed etiam differre dare alicui, quod ei debetur.

Vers. 14. Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum.] Duo hæc præcepta circa surdum, & cæcum, parabolica sunt: ad literam enim inhibetur iniuria, tam verborum, quàm factorum secura: quia ille, cui fit, non valet percipere quis fecit: surdus enim non potest audire maledicum; & cæcus non potest videre quis ponit offendiculum. Et propterea subditur:

Et timebis ab Elohe tuo. Ego Iehouah.] Si non times eum, cui iniuriaris, retrahat te timor pœnæ infligendæ à Deo, Iudice tuo: quia ego sum super omnia, qui do esse, & conseruo etiam cæcos, & surdos.

Vers. 15. Non facies, quod iniquum est.] Iuxta Hebræū adiungitur: *In iudicio.* loco cuius Interpres addidit: *Nec iniustè iudicabis.*

Nec consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis.] Sensus quadrat: quanuis Hebraïcè præcipiatur, vt *in iudicio non eleuès faciem pauperis. nec pulchrifacias faciem magni.* Vtrunque enim est vitium acceptionis personarum: & propterea concluditur: *In iustitia iudicabis socium tuum.* Post tot enim præcepta negatiua ponitur, affirmatiuum, ratio omnium. Non sufficit ad Iudicium, vitare iniurias; sed oportet efficere iustitiam. Et dicendo, *socium tuum,* omnem hominem comprehendit: imò ratio ministrandi iustitiam vnicuique homini tangitur: quia homo homini socius est.

Vers. 16. Non eris criminator, nec susurro in populis.] Iuxta Hebræum loco horum habetur: *Non ibis explorator in populo tuo.* Explorare aliorum vitam, officium est quærentis iniquitatem in domo iusti, & euertere requiem aliorum: & propterea interdicitur dicendo: *Nō ibis.* aliud enim est occurrentia aliorum gesta videre, aliud est ire ad explorandum, quæ ab aliis fiunt. Et ratio tangitur auersiua ab exploratione, dicendo, *in populo tuo:* ad differentiā enim explorationis in hostibus, hoc dicitur.

Non stabis contra sanguinem proximi tui.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Non stabis super sanguines socij tui.* Quodlibet homicidium ex proposito, prohibetur dicendo: *Non stabis super effusionem sanguinis.* Et ad significandum superioritatem vacantium effundendo sanguini, dicitur: *Non stabis super.* Et subiungitur, *sanguinis,* in genitiuo; ne placeat superioritas, quæ acquiri, vel conseruari videtur effusione sanguinis. Et omnis homo comprehenditur dicendo, *socij tui. Ego Iehouah.* Diuina adiicitur authoritas, vt non timentibus humanum iudicium timor insit ex diuino, in quem redundat iniuria: quia ipse est, qui dat esse omnibus.

Vers. 17. Non oderis fratrem tuum in corde tuo [e].] Nomine fratris, quilibet homo comprehenditur. Et ratio repugnans actui assignatur: frater enim non est materia odij, sed amoris. Et quia propria odij sedes cor est; non ideò adiungitur, *in corde tuo;* quia extra cor possit esse odium: sed ideò vt intelligatur duntaxat. Est enim sensus legis: Non odio occulto habebis fratrem tuum: quemadmodū odit Absalom fratrem suum Ammon: quemadmodum & Caïn odit fratrem suum Habel.

[e] Huius legis expositionē adduxit Christus, Matth. 5. nam Pharisæi legis deprauatores illam, sicut & legem de homicidio, perperam exponebāt, ita vt vulgo iam crederetur satis abesse ab homicidio, & transgressione huius legis eum, qui manu neminē peremisset, quod secùs habebat: nam, cùm huiusmodi præcepta partes sint præcepti de dilectione proximi, (quæ sola in omnibus his mandatis potissimū quæritur,) si iam odium, aut ita animo exciderit, sicut fratrī maleuolès, ita potiore tui portione leges istas transgressus es, etiamsi manum non moueas: quidem Vnde Christus talē parem in culpa et, qui occiderit, fecit.

Sed publicè argue eum.] Iuxta Hebræum habetur: *Corrigendo corriges socium tuum.* Nihil dicitur de modo corrigendi publicè, vel secretò: sed relinquitur modus eligendus prudenter secundùm qualitatem negotij. Et hinc apparet, quòd occultum prohibetur odium: nam sine aliqua coniunctione subiunctum est: *Corripiendo corripies socium tuum.*

Ne habeas super illo peccatum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non eleuabis super ipsum peccatum.* Ecce fructus correctionis, vitatio augendi peccati. Auxit tam Absalom, quàm Caïn, peccatum suum, dissimulando internum odiū: hinc enim vterque fratrem occidit. Tanquàm enim euaporatio surgētis odij est, arguere eum, qui offendit: præter hoc, quòd occasio inde præbetur, vt consanguineus, aut amicus aliquis intercedat ad consiliandum eos. Et nihilominùs odio habitus cauebit sibi, vel admissa correctione placabit offensum. Omni itaque ex parte prodest ad euitandum augmentum peccati corrigere offendentem. Discerne, prudens lector, finem correctionis fraternæ in lege, & in Euangelio: hæc enim ad vitandum augmentum peccati proprij; illā verò ad lucrandum fratrem ordinatur: ita quòd ista ad bonum proprium; illa ad bonum proximi tendit.

Vers. 18. Non quæras vltionem. [f]] Iuxta Hebræum habetur: *Non vlcisceris.* Non prohibetur quærere vltionem à Iudice: sed propria authoritate vlcisci, siue se, siue suos: reseruata est enim vindicta authoritati publicæ, vt tam pax, quàm iustitia in ciuitate seruetur.

[f] Hanc legem interpretatur Christus Matth. 5 luculentissimè.

Nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non custodies odium ad filios populi tui.* Quemadmodum legem custodit, qui obedit præceptis eius: ita custodit odium, quantuncunque manifestum, qui curam habet, vt nacta opportunitate noceat. Diuturnitas itaque odij inhibetur, non vniuersaliter, sed relatiuè ad filios populi Israël. Quæ limitatio fit ad differentiam, non particularium personarum; sed populorum inimicorum filiis Israël: significanter enim dicitur; *filiis populi tui.* ad insinuandum secùs esse de filiis alieni populi: alieni autem non negatiuè, sed contrariè; hoc est, ad differentiam filiorum populi inimici tui, non quatenus personæ singulares; sed quatenus inimici. Et ex hoc (vt reor) textu immediatè

diatè coniuncto: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*; sumptum est illud Mathæi 5. *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* limitando enim inhibitionem custodiendi odium ad filios populi tui, insinuat licitũ esse odium ad filios populi inimici. Et custoditum fuisse huiusmodi odium multo tempore, testatur bellum Saülis aduersùs Hamalecitas, mandante Samuële.

Diliges amicum [g] tuum, sicut teipsum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et diliges socium tuum, sicut teipsum.* Hinc in primis habetur sensus præcedentis legis, quod ad differentiam inimicorum dictum est, *filios populi tui.* hæc enim copulatiua: *Et diliges socium tuum* testatur, quòd inimici tantùm excluduntur: nam homo homini socius est, nisi ipsemet seipsum constituat inimicum homini alteri. Habes quoque hinc, omnes homines, quatenus homines sunt, comprehendi sub nomine socij tui dicendo: *Diliges socium tuum.* Modus autem diligendi manifestatur dicendo, *sicut teipsum*: amor siquidem amicitiæ præcipitur, ad differentiam amoris concupiscentiæ.

g *Amicum*, seu proximus is intelligendus est, cum quo negotij aliquid tibi Dominus ingesserit, aut quauis ratione adduxerit, cognitumq; fecerit. Ita Luc 10. qui inciderat in latrones, vbi conspectus fuerat à Sacerdote, ac Leuita, iam factus æquè fuerat eis proximus, atq; Samaritano illac iter facienti, licèt nequaquam talem, ipsũ vt Samaritanus agnouerit. Necessarium non est, facere, eorũ, quos diligere debemus, delectum; sed quãtùm in nobis est, perinde charos habere decet omnes. Verùm, quum dilectio nostra non possit nisi ad quosdam exeri; nullus enim benefaceret his, quos non nouit nates, procúlq; à se habitantes; ideo iussit Deus diligere proximum, id est, quécunque Deus tibi aliqua ratione coniungeret. Quod autẽ dicitur, *Sicut teipsum*, nihil aliud est, nisi vt ita faciamus, circa eósque nos exhibeamus, vt natura optamus illos nobis facere, seséque nobis exhibere

Discernendus amor meus erga homines, ab amore erga res inanimatas, & animalia reliqua mandatur, præcipiendo, vt amem socium meũ, sicut me. Amo enim, & iumenta, & agros, non volendo illis, sed mihi bonum: non sic amo me, quia amo me volendo bonum mihiipsi. Ergo mandatur mihi, vt diligam socium meũ, non sicut vineam meam, aut equum meum; sed sicut me, hoc est, vt amem socium meum, volendo bonum ipsi socio. Hic est amor amicitiæ: in quo vniuersa lex erga proximum perficitur. Et hic amor amicitiæ ad quemlibet hominem inditus est naturaliter cuilibet homini; in genere tamen. Cuius signum est, quòd homo homini erranti, quem nunquam nouit, viam monstrat. Cuius ratio est: quia omne animal diligit simile sibi, vt scribitur Ecclesiastici 13. Dixi autem, *in genere*: quia non est mihi naturaliter inditum, vt diligam quemlibet hominem ad hoc, vel illud bonum in specie: & propterea lex datur præcipiens dilectionem amore socij amicitiæ, absque limitatione alicuius boni; ad insinuandum mandari, vt quemadmodum diligo me ex debito, volendo mihi debita bona; & gratuitò, volendo mihi bona gratuita: ita diligam socium, videlicet, ex debito, volendo ei debita bona, & gratuitò, volendo ei gratuita bona: omnis enim amor amicitiæ, vel est iustitiæ, vel gratiæ.

Ego Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Ego Iehouah.* Authoritas diuina sæpè repetitur propter supradictas rationes.

Vers. 19. Leges meas custodite. Iumenta tua non facies coire [h] cum alterius generis animantibus. Agrum non seres diuerso semine. Et veste, quæ ex duobus texta est, non indueris.] Hæc tria subiuncta præcepta eodem nomine significantur Hebraicè: scribuntur enim sic: *Iumentum tuum non facies coire in mixtura. Et agrum tuum non seres in mixtura. Et vestis in mixtura pectinata neta torta non ascendet super te.* Dictio Hebraica interpretata, *vestis*, significat propriè *pannum*, qui est materia vestis. Et dictio interpretata, tribus participiis passiuis, composita est à tribus; scilicet, à pectendo, nendo, & torquendo: & ideò oportuit, illam tribus nominibus interpretari, vt taliter explicaretur. Et quia hoc nunquam fit, communiter loquendo, (quis enim vnquam mixturam texuit? quis mixturam neuit, quanuis torserit?) & similiter nullus consueuit agrum seminare in mixtura; & perspicuum non est prohiberi generationem mularum, & mulorum: (tum, quia earum vsus legitur apud Hebræos: tum præcipuè, quia Paulus Apostolus absurdum reputat, quòd Deus legem instituat bobus:) ideò hæc tria præcepta in diuersis materiis eadem ratione (vt identitas nominis testatur) data, sunt altero duorum sensum intelligenda, vel superstitiosè, vel parabolicè. Et si quidem superstitiosè intelligantur, imitatio superstitionum gentilium inhibetur: ita quòd, quemadmodum in Euangelio dicitur: *Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt.* ita subintelligatur inhibita esse hæc tria, non absolutè, sed more Ethnicorum. Si verò parabolicus est sermo (sicut & ille: *Non alligabis os boui trituranti.*) in promptu est ratio parabolarum graduata: prohibetur enim his tribus metaphoris, vt homo abstineat penitùs à nouitatibus, præter rationem: mixtio enim animalium, nouum parit animal præter naturam, neutrius speciei: & mixtio seminum sata nouam segetem, mutuò se impedientem (ac per hoc præter naturam) efficit: mixtio quoque variorum filorum intextorum, neutrius vestem efficit.

h Propter hanc legẽ crediderim scripsisse Mosen Genes. 36. Onã illum Chorxũ mulos adinuenisse, ex commixtione iumẽtorum varij generis: quasi illud, quia contra hanc legem erat, exprobrans.

Studium itaque ad nouitates, præter rationem rectam, inhibetur trifariam. Nam & inhibetur inchoatio dicendo: *Non seres agrum tuũ in mixtura.* Et contra hanc legem fit, quoties in populo, seu collegio, seminat quis varia, vnde nascatur dissensio mutuò se impediens. Prohibetur & pronorum ad nouitatem applicatio, dicendo: *Non facies coire iumentum in mixtura.* Et contra hoc vtinam non sæpè fieret. Et demum inhibetur, vt factas ab aliis nouitates, præter rationem, non induamur. Cuius contrarium quotidie fit, sequendo adinuentiones aliorum minùs bonas. Crediderim ego, hunc, vel similem moralem sensum esse harum legum ad literam: vt ex his metaphoris abstinerent Israëlitæ à nouitatibus, tam inchoando, quàm adiuuando, quàm imitando.

Vers. 20. Homo si dormierit cũ muliere coïtu seminis.] Lex ista excepta quædã est.

Quæ sit ancilla, etiam nubilis.] Iuxta Hebræum habetur: *Vituperata viro; & tamen pretio non redempta, vel libertate non donata.* Ad differentiam ancillæ, tam virginis, quàm nuptę, imò etiam viduæ castæ, limitatio fit ad ancillam iam vituperatam quoad coïtum. Vel effectus secutus ex præsenti concubitu describitur; videlicet, quòd concubitus non latuit; sed inde secutum est, quòd ancilla ipsa vituperata est viro, hoc est, ad nubendum. Et hunc sensum arbitror esse literalem: quia tota ratio euadendi mortem subiungitur seruitus; & non, quia iam vituperata fuerat. Circunstantia ergo aggrauãs, non alleuians, per vituperium describitur. Et confirmatur: quia coitus cum muliere vituperata, quantuncunque libera, nulla lege punitur morte, non eget excusatione à pœna mortis: sed coitus inferens vituperium mulieris, quia meretur mortem, excusatur ex hoc, quòd mulier est conditionis seruilis.

Vapulabunt ambo, & non morientur: quia non fuit libera.] Iuxta Hebræum habetur: *Inquisita erit; non morientur, quia non libera.* De ambobus dicitur, *non morientur, quia non libera*, sed ancilla est. Nec cum damno Domini occidi debet, & vir non vituperauit liberam. Sed de sola muliere dicitur, *inquiretur*: arbitrio enim Sacerdotis committitur pœnitentia ancillæ; viri verò pœnitentia taxatur in litera.

V. 21. Pro delicto autẽ suo offeret Domino ad ostiũ tentorij adunationis arietem: *Vers.* 22. orabitque pro eo Sacerdos, & pro delicto eius coram Domino: & repropitiabitur ei, dimitteturque peccatum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et expiabit super ipsum Sacerdos in ariete asam coram* יהוה, *super peccatum eius, quod peccauit: & remittetur ei peccatum, quod peccauit.* Interpres enim mutilauit hæc, quæ ex superiùs expositis clara sunt.

Vers. 23. Quando ingressi fueritis terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera.] Iuxta Hebr. habetur: *Omnem arborem edendorum.* ad differentiam arborum non producentium humanum cibum.

Et abstuleritis præputia eorum.] Hebraicè habetur: *Et clauseritis clausuram eorum.* Quia Hebræi appellant præputium, *clausuram*; ideò Interpres exponendo dixit, *præputia*: sed verbum, *clauseritis*, mutauit in, *abstuleritis*. Quocircà, cùm clausura arboris sit arboris cortex, literalis sensus est: *Et clauseritis corticem eorum.* vt natura vacet augmento arboris, & non luxurietur.

Poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis.] Iuxta Hebræum habetur: *Fructus eorum tribus annis erit vobis clausus, non comedetur.* Duo dicit: alterum, vt procurent, quòd arbor non faciat fructum tribus annis; alterum, quòd si fecerit infra triennium fructum, non comedatur. Fortè superstitio aliqua annexa à gentilibus fructui arboris infra triennium, ratio fuit huius prohibitionis, alioquin instructio videtur agriculturæ ad omninò non permittendum, quòd fructus infra triennium vegetetur, ex hoc, quòd non potest comedi.

Vers. 24. Quarto anno omnis fructus sanctificabitur laudabilis Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Erit sanctum laudis Iehouah.* Et est datiui casus, *Iehouah. Sanctum laudis Deo*, tum pacifica victima, tum primitiæ Deo oblatæ appellantur, eò quòd ad diuinam laudem offerebantur Deo.

Vers. 25. Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma, quæ proferunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad faciendum crescere vobis fructum eorum.* Finis, ac ratio legis manifestatur, augmentum fructus futuri; tum ex prouidè vegetata arbore; tum ex gratia diuina, agnita in oblatione fructus quarti anni.

Ego Dominus Deus vester.] Iuxta Hebræum solita sunt nomina: *Ego Iehouah Elohe vester.* Et ad sequentia refertur commemoratio hæc, præcepta.

Vers. 26. Non comedetis cum sanguine [i].] Iuxta Hebræum habetur: *Non comedetis super sanguinem.* Superstitionem prohiberi, annexa præcepta testantur: qualis autem erat huiusmodi superstitio, & quorsum fieret, non inuenio.

i Hoc est, non comedendum de carne, cuius sanguis nondum fusus est.

Non augurabimini [k].] Iuxta Hebræum habetur verbum à serpente deductum, tanquam diceretur: *Non serpentiabitis.* Et superstitio aliqua per serpentes prohibetur.

k Auguriũ cuius multę admodũ sũt species priscis temporibus in magna obseruatione fuit, ita vt nihil eorum, quæ ad publica, vel priuata pertinerent, inauspicatè perficerentur. Fuitq; ars antiquissima, vt tradit Pomponius Lætus, quam his confirmabant rationibus. Inquirebant enim à cælestibus corporibus quædã præsagiorum lumina super animalia quæque in hæc inferiora descẽdere in eorum motu, situ, gustu, incessu, volatu, voce, & cibo, colore, & opere, vt tacito quodam consensu cum celestibus corporibus sic conueniant, vt possint omnia præsagire, quæcunque cælestia corpora cogitarunt. Somniis etiã non parum tribuebãt antiqui, multis exẽplis innitentes: dicebant enim, quòd quemadmodum cælestis influxus in corporali natura formas producit diuersas; sic in potentia phantastica, phãtasmata immissa cælesti dispositione, effectus cuiuspiam producendi consentanea, maximéque in somnis, quum animus à corporeis curis relaxatus liberiùs diuinos suscipit influxus. Vnde dormiẽtibus multa in sõnis innotescunt, quæ latent vigilantes. Cæterũ in illis stigmatibus, & figuris in textu positis, crediderim ritus illos prohibitos, quibus & Sarraceni vtuntur, & alij homines, nuper adinuenti: faciunt enim pulchras sculpturas in carne, in arborum, & herbarũ similitudinem miro opificio, colore subnigro illas opplentes ad ornatum. Huiusmodi plures ipse vidi captiuos in nostra Portugallia. Sunt & alij, qui labra & aures perforant, lapides pretiosos supponentes.

Nec obseruabitis somnia.] Iuxta Hebræum ponitur verbum à tempore deductum, tanquàm si dicere liceret: *Et non temporabitis.* Superstitio proculdubiò penes tempora seruanda inhibetur.

Vers. 27. Neque in rotundum attondebitis comam.] Iuxta Hebræum habetur: *Non facietis gyrare angulum capitis vestri.* Nihil dicitur de tonsione, sed de gyratione. Et crediderim inhiberi superstitionem sertorum, quæ gyrabant capita celebrantium sacra Deorum: coronati enim circulo hederæ, sacra Bacchi celebrabant, &c. vt refert Author libri Machabæorum: sic enim gyrantur anguli capitis.

Nec radetis barbam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non facies destruere angulum barbæ tuæ.* Inhibetur ad literam totalis rasio angulorum barbæ. Et appellantur anguli barbæ, vt Hebræi testantur, supremæ partes barbæ, quæ iunguntur temporibus. Superstitio inhibetur; & vsque hodie Hebræi pilosos seruant hos angulos, quamuis reliquum barbæ radant.

Vers. 28. Et super mortuo non incidetis carnes vestras.] Iuxta Hebræum habetur: *Et lacerationem pro anima non dabitis in carne vestra.* Prohibetur ad literam cutis, seu pellis corrosio, quæ fit vnguibus propriis à mulieribus flentibus occisum filium, fratrem, aut maritum: hoc enim significatur dicendo, *pro anima*, hoc est, pro vita succisa. Et hoc superstitionis fuisse intellige.

Neque figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et scripturam cauam non dabitis in vobis.* Dictio interpretata, *cauam*, significat, vel cauatum, vel infixum; sed in idem redit sensus: prohibetur enim scribi in carne propria, vt superstitiosè fiebat, literis tanquàm cauterio vtendo: sic enim caua erat scriptura, & infixa. Et fortè alio modo fiebat.

Ego Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Ego Iehouah.* Et ad subsequentia refertur diuina hæc authoritas.

Vers. 29. Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra, & impleatur piaculo.] Simplex fornicatio inhibetur.

Vers. 30. Sabbatha mea custodite, & Sanctuarium meum metuite: ego Dominus.] Similiter habetur: *Ego Iehouah.* Et refertur ad timorem Sanctuarij, & custodiam Sabbathorum, (præcipuè enim fornicatio diebus festis exercetur, quibus quiescunt homines à suis operibus,) & pollutio terræ in iniuriam Sanctuarij redundabat: & proptereà hæc duo præcepta commemorata sunt, inhibendo fornicationem; ad insinuandum, quòd fornicatio, quæ quasi licita habetur, redundat in iniuriam diuinam, & propter tempus dierum festorum, & propter locũ Sanctuarij: non quòd in Sanctuario fieret; sed, quòd pollutio terræ redundaret in Sanctuarium electum in terra illa.

Vers. 31. Non declinetis ad magos.]

Iuxta

Iuxta Hebræum habetur: *Non voluetis vos ouoth.* Quos Interpres intellexit *magos*, alij *pythones*.

Nec ab ariolis aliquid sciscitemini.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ad idehonim* iungitur enim cum præcedenti clausula. Et hos Interpres intellexit *ariolos*; alij *aruspices*: sunt enim ambo nomina pluralis numeri. Et proculdubiò sunt nomina diuinatorum: nam statim subiungitur:

Non quæretis ad immundandum in ipsis.] Et hæc sententia ad vtrosque refertur: ita quòd inhibetur, & interna auersio à Deo ad istos; & externa inquisitio ab eis. Et ratio redditur vitanda pollutio in huiusmodi incantationibus: diuersa enim incantationum genera ibidem cognita, prohiberi per hæc intelligo.

Ego יהוה Elohe vester.] Diuina repetitur authoritas, propter prædictorum enormitatem.

Vers. 32. Coram cano capite consurge, & honora personam senis.] Iuxta Hebr. habetur: *Et pulchrifacies vultum senis.* Duo mandantur: & honor surgendo, & placiditas signorum.

Et time Dominum Deum tuum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et timebis ab Elohe tuo.* Non intelligo hoc in loco Deum significari nomine *Elohe*, sed Iudicem: senes enim iudicabant populum in qualibet ciuitate: & proptereà honori senibus exhibendo adiungitur timor propriorum Iudicum: ad insinuandum, quòd senibus omnibus quidem honor placidus; propriis autem Iudicibus etiam timor debetur.

Ego sum Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Ego* יהוה. Diuina præceptis adiungitur authoritas.

Vers. 33. Si habitauerit aduena in terra vestra, & moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei.] Iuxta Hebræum habetur: *Non decipietis eum.* Promptitudo ad decipiendum peregrinos, ratio est inhibitionis.

Vers. 34. Sed sit inter vos quasi indigena; & diligetis eum quasi vosmetipsos.] Quod in genere mandatum fuerat: *Diliges socium tuum sicut teipsum.* mandatur modò in specie, relatiuè ad peregrinos: ne interpretarentur Hebræi, peregrinos non supputari inter socios.

Fuistis enim & vos aduenæ in terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester.] Iuxta Hebræum solita sunt nomina: & refertur diuina authoritas ad subiuncta præcepta iustitiæ.

Vers. 35. Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, (iuxta Hebræum habetur nomen mensuræ liquidorum,) in pondere, in mensura.] Nomen est mensuræ aridorum.

Vers. 36. Statera iusta.] Iuxta Hebræum habetur: *Bilances iustitiæ.* De statera verò subditur:

Pondera iustitiæ.] Quæ autem subiunguntur:

Iustus modus, æquúsque sextarius.] Iuxta Hebræum significant paruas mensuras. Et primum quidem paruam mensuram aridorum; alterum verò paruam mensuram liquidorum: mandat enim Deus, vt non solùm mensuræ magnæ, sed etiam mensuræ paruulæ iustę sint: nec in paruis iniustitia committatur.

Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti. *Vers.* 37. Custodite omnia præcepta mea [l], & vniuersa iudicia mea: & facite ea. Dictiones interpretatæ: *Dominus Deus vester.* sunt solita nomina: & repetuntur ad imprimendum mentibus populi, quod magnipendit violationem iustitiæ, & in magnis, & in paruis. Vnde & cōmemorat beneficium eductionis ex Ægypto, addendo vniuersale præceptum curam habendi omnium præceptorum, & faciendi ea. Et repetit: *Ego* יהוה. Vt diuina authoritas sit eis continua ratio obediendi.

[l] Cùm nullæ ciuiles leges à Deo datæ sint, quæ non facerēt ad tuēdam inter homines æquitatem, & humanitatem; nullæ religionis cæremoniæ, quæ non diuinæ bonitatis admonerēt indéque fidē populi, & totius pietatis studium inflāmarēt; nullæ deniq; de corporum puritate, quæ non per se etiam ad corporis sanitatem tuendam, & vitæ decentiā valerent; iustè toties eorum obseruatio repetitur, & præcipitur.

CAPVT XX.

Vers. 1.

Locutúsque est Dominus ad Mosen, dicens: *Vers.* 2. Hæc loqueris filiis Israël: Homo quicunque de filiis Israël, & de aduenis, qui habitant in Israël, qui dederit de semine suo idolo Molech [a], morte moriatur: populus terræ lapidabit eum.] Capitulum hoc non eget noua expositione: quoniam repetitio est legū 18. & 19. capituli; non ad repetendum, sed ad decernendum pœnas transgressorum. Paucula tamen exponenda sunt.

[a] Moloch, quem verisimile est aliquibus, Iudæis Saturnū fuisse, idolum fuit filiorum Ammon, faciem habens vituli, manúsque paratas ad accipiendum. Eius simulacrum concauū erat, septem habens receptacula, quorum singula pro cōditione hostiæ aperiebantur. Qui volebat offerre filium, septimū aperiebat cubiculum. Et saltabant intereà, dum puer in idolo succēso cremabatur, percutientes tympanum, ne eiulatus infantis audiretur. Locus, in quo hæc crudelitas, & sacrificiū fiebat, Gehenna appellatus est per Isaiam 5. quod nomē ad damnatorum tormenta, & cruciatus per similitudinem est appropriatum, Matth. 5.

Vers. 3. Et ego ponā faciem meam cōtra illum, succidámque eum de medio populi sui: eò quòd dederit de semine suo Molech, & cōtaminauerit Sanctuarium meum.] Iuxta Hebræum habetur: *Vt immundaret Sanctuarium meum, & vt pollueret nomen sanctum meum.* Quanuis offerens Molech non intenderet iniuriari templo Dei, & nomini Dei; ex natura tamen facti, ipsa oblatio, quæ fiebat Molech, redundabat in iniuriā diuini templi, & diuini nominis: Sanctuarij quidem; tum, quia contaminabatur locus, in quo dignatus est Deus habere Sanctuarium suum; tum, quia cultus diuinus, qui in Sanctuario eius debet fieri, alibi fiebat: nominis autem; quia diuinum nomen colebatur in Molech nefario.

Vers. 4. Quòd si negligens populus terræ, & quasi paruipendens imperium meum.] Non habetur hæc clausula in Hebræo, sed sola clausura oculorum populi, ad non faciendum mori idololatram, scribitur, dicendo: *Et si claudendo facient claudere populum terræ oculos suos ab homine ipso, in eius dare semen suum ad Molech, in non facere mori ipsum.* Culpa populi ex quibusdam orni describitur, amicis fortè, vel propinquis idololatræ: vnde & pœna augetur: quia, si idololatra lapidatur, ira Dei in illo quiescit: si autem à populo non lapidatur, subiungitur ira Dei extendenda ad cognationem illius. Significanter autē dicitur, *in eius dare*, ad insinuandum, quòd de publica actione idololatriæ, quæ ex natura facti coram omnibus fit, est sermo.

Vers. 5. Ponam faciem [b] meā super hominē illum, & cognationem eius: succidámq; ipsum, & omnes, qui consenserūt ei, vt fornicarentur cum Molech.] Iuxta Hebr habetur: *Et omnes fornicantes post ipsum, ad fornicandum post Molech, de medio populi sui.*

[b] Facies hic pro furore capitur, idiotismo Hebræo.

Principiis obstare iubet:& nihilominùs sequaces pari pœna mulctandos prædicit.

Verſ.6. Anima,quæ declinauerit ad magos [c],& ariolos, & fornicata fuerit cum eis.] Eadem nomina sunt, quæ in præcedenti capitulo.

[c] Magi dicuntur, qui immundorum spirituum commerciis,& nefariæ curiositatis ritibus, illicitis carminibus, & deprecamentis vtuntur,quos Necromanticos dicimus. Venefici, seu pharmacij, illi sunt, qui poculis, philtris, variisque veneficiorum medicamentis vtuntur, qualis Democritus fuit. Aruspices, qui ex victimis in ara inspectis,responsa dabant. Extispices similiter ab inspiciendis extis sacrificiorum. Augures, qui ex auiũ garritu; auspicatores ex volatu auium futura prædicabant. Arioli vero, vt Iudæi dicũt, qui os cuiusdam animantis inter dentes ponunt, & mira loquuntur per ipsum.

Ponam faciẽ meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.

Verſ.7. Sanctificamini,& estote sancti: quia ego sanctus sum Dominus Deus vester.] Iuxta Hebræum non habetur, *ſanctus ſum*,sed duntaxat: *Quia ego* יהוה *Elohe veſter.* Sufficientissima enim hæc ratio est ad hoc, vt ipsi, & mundi fiant, & mundi perseuerent. Et ampliùs posteà subiungitur.

Verſ.8. Et custodite præcepta mea,& facite ea:Ego Iehouah faciens sanctificare vos.] Vt & hinc discernant inter ipsum verũ Deum,& existimatos Deos;quòd illis immũda placent, & ad immunda trahuntur homines colentes eos: ego autem author sum vestræ munditiæ. Et ad literam est sermo de munditia animæ.

Verſ.9. Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur.] Non est iniustũ, vt ex intentione maledicẽs patri, morte puniatur,etiamsi semel maledixerit:quoniam ex proprio genere crimen punitur regulariter,& non ex multiplicatione. Vnde & in Hebræo rationẽ ex propria criminis grauitate reddit Deus,subiungendo: *Patri ſuo, & matri ſuæ maledixit, ſanguines eius in ipſo.* Quemadmodum ergo blasphemus ex vnica blasphemia occidebatur; ita & maledicens parentibus.

Verſ.10. Et qui mœchatus fuerit cum vxore hominis, qui adulteriũ perpetrauerit cũ vxore proximi sui, morte moriatur mœchus,& adultera. *Verſ.11.* Qui dormierit cum nouerca sua,& reuelauerit ignominiã patris sui,morte moriantur ambo: sanguis eorum sit super eos. *Verſ.12.* Si quis dormierit cum nuru sua, vterque moriatur: quia scelus operati sunt: sanguis eorum sit super eos.] Hæc quæ dicuntur de coitu cum nouerca,vel nuru, intellige de eisdem viduis. Nam coitus cum quacunque nupta,morte vtriusque puniendus decretus immediatè ante hæc est. Qui itaque cum nouerca, aut nuru, mortuis earum maritis, dormierit fornicariè,vel coniugaliter;morte puniebatur cum illa.

Verſ.13. Qui dormierit cum masculo coitu femineo [d], vterque operatus est nefas:morte moriantur, sit sanguis eorũ super ipsos. *Verſ.14.* Qui supra vxorem filiam duxerit matrem eius, scelus operatus est: viuus ardebit cũ eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri.] Intellige, nisi inuita matre filia ducta fuerit in vxorem, vel è conuerso:& tunc tenebatur dissentiens recedere à viro.

[d] Plato hoc scelus in suis legibus permisit.

Verſ.15. Qui cum bestia coïerit morte moriatur: pecusque occidite.] In detestationem, & horrorem tanti criminis.

Verſ.16. Mulier,quæ succubuerit cuilibet iumẽto, simul interficietur cum eo: sanguis [e] eorum sit super eos. *Verſ.17* Qui acceperit sororẽ suam (filiam patris sui, vel filiam matris suæ,) & viderit turpitudinem eius, illáque conspexerit fratris ignominiã;nefariã rem operati sunt. occidentur.] Iuxta Hebræum habetur: *Incidẽtur in conſpectu populi.* Suspicor speciem mortis significari, fortè multis incisionibus.

[e] Hæc verba: *Sanguis eius ſuper caput eius* Hebraismum respiciunt: quo significatur,sua culpa mori, & perire illum, qui sic perit, & moritur. Sic Dauid 2.Reg.1. *Sanguis tuus ſuper caput tuum.* id est, tua culpa peris,qui Christum Domini interfeceris.

Eò quòd turpitudinem suã mutuò reuelauerint, portabunt iniquitatem suã. *Verſ.18.* Qui coïbit cum muliere in fluxu menstruo.] Non habetur in Hebræo, *mẽſtruo,* sed *fluxus* duntaxat. Quod ideò dixerim: quia non ad fluxum, qui singulis mensibus accidit, limitatur hæc lex.

Et reuelabit turpitudinem eius.] In Hebræo additur: *Vena eius fecit detegere, & ipſa detexit venã ſanguinum ſuorũ.* Quãuis nec propriè vena significetur:sed sententia clara est.

Interficientur ambo de medio populi sui. *Verſ.19.* Turpitudinem materteræ tuæ,& amitæ tuæ non discooperies: qui hoc fecerit, ignominiã carnis suæ nudauit.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia reſiduum ſuum fecit nudare.* Superiùs hæc exposita sunt.

Portabunt ambo iniquitatem [f] suã.] Non apponitur pœna mortis coniugio cũ matertera, vel amita; quanuis vtrunque coniugiũ in 18.capitulo prohibitum fuerit: vt intelligamus, quòd huiusmodi connubia illicita quidẽ erant, sed non intolerabilia: quemadmodum intolerabilia cẽsentur alia puniẽda pœna mortis,vt exterminentur coniuges,& coniugia.

[f] *Portabunt iniquitatẽ ſuam.* id est, pœnam quam demeruerunt, pluralis est Hebræa.

Verſ.20. Qui coïerit cum vxore patrui, vel auunculi sui, & reuelauerit ignominiam cognationis suæ.] Interpres Expositoris officio fungitur,adiungendo, *auunculi ſui,* & exponendo *turpitudinem* patrui ignominiã cognationis:sed patrui refert:de coniugio enim cum vxore patrui relicta, vel repudiata est sermo. Nec hîc adiungitur pœna mortis.

Portabunt ambo peccatũ suum:absq; liberis morientur.] Hæc pœna respicit non solùm coniugium cum vxore patrui, sed & cũ matertera,& amita: istis siquidẽ tribus generibus coniugiorum illicitis non pœna mortis,sed priuatio liberorum imponitur:hoc est,quòd filij nati ex huiusmodi coniugiis non vocabũtur filij eorum; non supputabuntur in genealogiis eorum;& consequenter non erunt hæredes eorum. Hæc erat pœna legalis ad cohibendum huiusmodi coniugia: & præter hoc portabant iniquitatem suam,continuè perseuerando in illicito coniugio:hoc enim ad culpam; illud verò ad pœnam spectat.

Verſ.21. Qui duxerit vxorem fratris sui.] Intellige relictam, vel repudiatam fratris sui duxerit in coniugem.

Rem illicitã facit.] Iuxta Hebr. habetur: *Elongatio ipſa.* Hoc est, coniugium hoc cum muliere, quæ elongari debet à tali viro, est. Et verum dicitur,propter fratris honorem.

Turpitudinẽ fratris sui reuelauit:absq; filiis erit.] Iuxta Hebr.habetur in numero plurali: *Soli erunt.* Eadem pœna legalis imponitur leuiro,& fratriæ,illicitè coniugatis,quæ est imposita tribus antedictis generibus coniugiorũ. Vbi aduerte disparitatẽ inter hoc coniugiũ in casu licito,& idẽ illicitum:nã, cùm regulariter esset illicitum, si fiebat de facto, vterque coniux priuabatur filiis natis ex tali coniugio [g]: si verò in casu licito(h.e.ad suscitãdũ semẽ fratris huiusmodi cõiugiũ fiebat; nulla pœna incurrebatur,imò legalis pœna euitabatur. Erãt ergo

[g] Nonnulli hanc pœnam sic intelligunt, scilicet, quòd si talis non haberet filios, nullos generare posset, & interficeretur: si autẽ haberet, post ipsos mereretur mori.

hæc

hæc quatuor coniugiorum genera regulariter illicita; sed non intolerabilia. Et propterea non exterminabantur coniuges ab hac vita: sed puniebantur priuatione liberorum, quòd nec nominarentur eorum filij, nec essent eorum hæredes.

Vers. 22. Custodite leges meas, atque iudicia, & facite ea: ne & vos euomat terra, quam intraturi estis, & habitaturi.] A pœna eiectionis ex terra promissa monet primùm obedire diuinis præceptis.

Vers. 23. Nolite abundare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos: quia omnia hæc fecerunt, & abominatus sum eas.] Ab exemplo quoque nationum monet.

Vers. 24. Vobis autem loquor, possidete terram eorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixi vobis, vos hæreditabitis terram eorum, quam dabo vobis in hæreditatem, terram fluentem lacte, & melle.* A beneficio promissæ terræ, non qualitercunque, sed hæreditario iure; & non qualiscunque, sed fluentis lacte & melle; monet ad idem tertiò.

Ego Dominus Deus vester, qui separaui vos à cæteris populis.] Solita sunt nomina: *Ego* יהוה *Elohe vester.* vt ex diuina authoritate perficiatur monitio.

Vers. 25. Separate ergo & vos iumentum mundum ab immundo, & auem mundam ab immunda: ne polluatis animas vestras in pecore, & in auibus, & in cunctis, quæ mouentur in terra, quę vobis ostendi esse polluta. *Vers.* 26. Et eritis mihi sancti, quia sanctus ego Dominus: & separaui vos à cæteris populis, vt essetis mei.] Dictio interpretata, *iumentum*, propriè sonat *bestiam*: & similiter cùm paulò pòst subditur, *in pecore*: ex beneficio enim, quo Deus separauit populum Israël à reliquis populis, ad hoc vt esset populus Dei, monentur, vt & ipsi quoque separent vescendo munda ab immundis animalibus. Et ratio adiungitur: quia par est, vt si sunt populus Dei, sint mundi: quia & ipse יהוה mundus est.

Vers. 27. Vir, siue mulier, in quibus Pythonicus[b], vel diuinationis fuerit Spiritus.] Iuxta Hebræum nulla fit mentio Spiritus. Non enim loquitur lex de vexatis à Spiritibus, (qualis erat puella diuinatrix descripta in Actis Apostolorum, cap. 16.) sed iuxta Hebræum habetur: *Vir, siue mulier, cùm erit in eis ou, vel idehoni.* & sunt nomina substantiua, à quibus deriuantur superiùs dicta adiectiua, *Pythones, & aruspices*: tanquam hîc significetur Python, & aruspicium. Mulieres, siue viri proculdubiò significantur incantationibus vacantes, & præcipuè ad diuinandum: qualis erat mulier descripta 1. Reg. 28. & propterea lapidatione mulctantur, vtpote iniuriam inferentes diuino nomini.

[b] Pythones dicũtur à Pythia muliere, ex cuius pudendis impudens Dæmon responsa dedisse dicitur: & qui habebat Pythonem, secũdùm Hebræos vocare solebat mortuum, qui inter magi illius femora, vel inter axillas, in locis immũdis apparebat, loquens submissa voce, perinde ac vox illa ex profunda ascenderet terrã.

Morte moriantur: lapidibus obruent eos: sanguis eorum sit super eos.

CAPVT XXI.

VERS. 1. DIxit quoque Dominus ad Mosen: Loquere ad Sacerdotes filios Aharon: & dices ad eos: Ne contaminetur Sacerdos in mortuis[a] ciuium suorum, *Vers.* 2. nisi tantùm in consanguineis, ac propinquis, in patre, & matre, & filio, ac filia, & fratre, *Vers.* 3. & sorore virgine, quæ non est nupta viro. *Vers.* 4. Sed nec in Principe populi sui contaminabitur. *Vers.* 5. Non radent caput.] Iuxta Hebræum habetur: *Non pilabunt pilum in capite suo.* Mos detrahendi capillum in luctu mortuorum interdicitur.

[a] Cùm cadauer hominis tangere, certè malum non sit; nam inter præcipua opera misericordiæ etiã antiquitùs habitum est; crediderim hanc prohibitionem Sacerdoti factam propter cæremonias, quæ in mortuorũ luctu fiebant, fortè Sacerdotũ dignitatẽ non decentes; vel, quia cùm ad aliud munus vocati essent, non poterant curare mortuos, sicut Apostoli noluerunt ministrare mensis, relinquendo verbum Dei.

Nec barbam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et angulum barbæ suæ non radent.* Intelligo, quòd nec angulum barbæ radant, sed integram seruent barbam.

Neque in carnibus suis faciant incisuras.] Lacerationes carnis, quæ vnguibus propriis solent fieri à mulieribus in luctu, significantur ad literam.

Vers. 6. Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius: quia incensum Domini, & panes Dei sui offerunt, sancti erunt.] Appellatione incensi intelligitur, tam qui crematur adeps, quàm quod crematur thymiama: vtrunque enim quotidie à Sacerdote fiebat. Et est de panibus propositionis sermo.

Vers. 7. Scortum, & vile prostibulum.] Plùs prohibetur: *Mulierem fornicariam, & pollutam non ducet vxorem.* Non oportet, quòd fuerit scortum; sed sufficit, quòd fuerit polluta.

Nec eam, quæ repudiata est à marito: quia consecratus est Deo suo, *Vers.* 8. & panes propositionis offert. Sit ergo sanctus; quia ego sum sanctus Dominus, qui sanctifico vos. *V.* 9. Sacerdotis filia, si deprehensa fuerit in stupro.] Iuxta Hebræum habetur: *Quæ incipiet fornicari.* Hinc enim comprehenditur etiam vidua, filia Sacerdotis.

Et violauerit nomen patris sui, flammis exuretur. *Vers.* 10. Pontifex autem (id est, Sacerdos maximus inter fratres suos) super cuius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitúsque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet.] Iuxta Hebræum habetur: *Non augebit.* Mos antiquorum lugentium erat operire caput, vt patet 2. Regum 15. de Dauide, & populo. Operimentum autem capitis est, tanquàm augmentum capitis: & propterea ad literam inhibetur, vt Pontifex nec hoc minimum signum luctus assumat.

Vestimenta non scindet: *Vers.* 11. & ad omnem mortuum non ingredietur omninò: in patre suo, & matre sua non contaminabitur. *Vers.* 12. Nec egredietur de sanctis.] Non vult lex, vt Pontifex in propria domo sit cum lugentibus mortuum patrem, aut matrem: sed aliis lugentibus ipse maneat in loco sancto, putà, in atrio tabernaculi.

Ne polluat Sanctuarium Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non polluet Sanctuarium Elohe sui.* Redundare in immunditiam Sanctuarij immunditiam Pontificis, testantur hæc verba. Et verè si immunditiæ filiorum Israël redundant in Sanctuarium Dei, vt superiùs affirmatum est; multò magis immunditia Pontificis redundare censetur in immunditiam

munditiam templi. Et ad insinuandum hoc, significanter dicitur, *Elohe sui*: tanquàm Deus sit speciali modo Deus Pontificis: & verè sic est: quia Pontificis solius est, vt capitis populi, & Sanctuarij.

Quia oleum sanctæ vnctionis Dei sui super eum est, ego Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia corona oleum vnctionis Elohe sui super ipsum, ego* יהוה. Duæ redduntur rationes propriæ Pontifici: altera, à corona; hoc est, à lamina aurea, quam gestabat Pontifex in parte anteriori capitis, vt suprà scriptum est: altera ab oleo fuso super caput Pontificis. Neutrum enim horum commune erat Pontifici, & Sacerdotibus: & propterea tanquàm sanctus sanctorum Pontifex seruandus erat, ne vllam contraheret immunditiæ speciem. Et adiungitur: *Ego* יהוה, vt intuitu ipsius Dei Pontifex hæc seruaret.

[b] Viduæ, & repudiatæ, & fornicatrix quadam pertinaciæ nota laborant. Iisdem decebat Sacerdotē felici alligatum esse cōiugio. Salomonem enim emolliuerūt mulieres. Cæterum quod dicitur, de populo suo, notandum est. Nam grauissimè reprehenduntur Sacerdotes, qui tēpore Malachiæ alienigenas duxerunt.

Vers. 13. Virginem ducet vxorem: *Vers.* 14. viduam [b] autem, & repudiatam, & sordidam, atque meretricem non accipiet.] Iuxta Hebræum loco dictionis, *meretricem*, habetur, *fornicariam*. Vt non solùm meretrix; sed quæcunque fornicata fuerit, aliena sit à coniugio Pontificis.

Sed puellam.] Iuxta Hebræum habetur: *Sed virginē.* Non enim sufficit, quòd sit puella.

De populo suo, *Vers.* 15. ne commisceat stirpem generis sui, vulgò gentis suæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non polluet semen suum in populis suis.* Generale adiungitur mandatum, vt Pontifex tale connubium ineat, vt proles eius in nulla Tribu censeri possit contaminata ex parte patris (vtpote, Pontificis;) & seruetur immaculata, etiam ex parte matris.

Quia ego Dominus sanctifico eum.

Vers. 16. Locutúsque est Dominus ad Mosen, dicens: *Vers.* 17. loquere ad Aharon dicens: Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, *Vers.* 18. nec accedet ad ministerium eius.] More solito primùm in genere, quilibet maculatus; deinde in specie numerantur multæ species maculæ, quibus excludebatur ab vsu sacerdotij omnis, quantumcunque de stirpe Aharon. Et est sermo non solùm de pontificatu, sed etiam de simplici sacerdotio. Nam inhibetur exercere actiones simplicis Sacerdotis; videlicet, offerre panes propositionis, & adolere, tam adipes, quàm thymiama.

Si cæcus fuerit, vel claudus, vel paruo, vel grandi, vel torto naso.] Iuxta Hebræum nihil habetur de naso: sed habetur, si dici liceret: *Vel destructus, vel superfluus.* Prima enim dictio contraria est facto; quemadmodum destructum est contrarium constructo. Et ambæ denominationes intelligendæ sunt tales, quòd denominent simpliciter hominem: eodem enim contextu dicitur vir cæcus, vel claudus, vel destructus, vel superfluus. Et quidem superfluus homo dicitur, si haberet duo capita, vel aliquid simile: destructus verò, si membra indistincta haberet: vt in nonnullis hominibus facilè apparet.

Vers. 19. Vel fracto pede, vel manu.] Subintellige, [illegible]. Interpres enim breuitatis causa omisit.

Vers. 20. Vel gibbosus, vel lippus.] Iuxta Hebræum habetur: *Vel tenuis.* Et fortè phthisicus significatur, qui continuè attenuatur.

Vel albuginem habens in oculo.] Speciem pro genere Interpres posuit: nam in Hebræo omnis macula in oculo comprehenditur.

Vel scabiosus, vel impetiginem patiens, vel herniosus. *Vers.* 21. Omnis, qui habuerit maculam [c] de semine Aharon Sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo. *Vers.* 22. Vescetur tamen panibus, qui offeruntur in Sanctuario.] Iuxta Hebræum habetur: *Panem Elohe sui e sanctis sanctorum, & è sanctis comedet.* Nomen, *Elohe*, quod scriptum fuerat immediatè antè (dicendo: *Panem Elohe sui non offeret*,) repetitur: vt Deus ex hoc, quòd est Sacerdotis speciali modo, & ratio sit reuerentiæ, vt non præsumat maculatus Sacerdos ministrare ei; & ratio sit, vt ius habeat vescendi cibis sanctis. Et fit mentio non solùm cibi sancti; sed etiam cibi sancti sanctorum, vt nullus cibus sanctus intelligatur ei prohibitus. Differentia inter cibum sanctum, & cibum sanctum sanctorum, ex suprascriptis patet; videlicet, quòd cibus hostiæ pacificæ appellatur sanctus: cibus verò hostiæ pro peccato, & residuum oblationis, cuius pars cremabatur, appellatur sanctum sanctorum.

[c] Numerant Hebræi 140 maculas, quæ in corpore hominis inueniri possunt, quarū singulæ Sacerdotem ineptum reddebant.

Vers. 23. Duntaxat intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare; quia maculam habet: & contaminare non debet Sanctuarium meum; quia ego Dominus sanctifico eos.] Appellatione veli intellige tabernaculum, quod velo claudebatur: poterat tamen ingredi in atrium.

Vers. 24. Locutus est ergo Moses ad Aharon, & filios eius, & ad omnem Israël, cuncta, quæ fuerant ei imperata.] Scribitur executio omnium à Deo mandatorum Mosi suprascriptorum, vt diceret, tam Pontifici, quàm Sacerdotibus, quàm populo.

CAPVT XXII.

Locutúsque est Dominus ad Mosen, dicens: *Vers.* 2. Loquere ad Aharon, & filios eius, vt caueant ab iis, quæ consecrata sunt filiorum Israël.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erunt separati à sanctis filiorum Israël.* Intentio subiunctorum præceptorum præponitur: ad hoc enim tendunt, vt discernantur Sacerdotes, quibus licet vesci sanctis; à Sacerdotibus, quibus non licet vesci sanctis: quamuis enim in præcedenti capitulo indultum sit Sacerdotibus maculatis, vesci sanctis, non tamen propterea licitum hoc erat Sacerdotibus omnibus. Nam, licèt macula non excluderet Sacerdotes ab esu sanctorum; excludebat tamen eos immunditia: & huc tendit separatio ista.

Et non contaminabunt nomen sanctificatorum mihi, quæ ipsi offerunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non polluent nomen sanctum meum, quæ ipsi faciunt sanctificare mihi.* Ordo literæ est: *Erunt separati à sanctis filiorum*

filiorum Israël, quæ ipsi faciunt sanctificare mihi, & non polluent nomen sanctum meum. Ratio siquidem separationis ab oblatis à filiis Israël ad sacrificandum Domino, redditur, ne polluatur nomen sanctum Dei. Si enim immundi sanctis vescerentur, cùm ratione diuini nominis, inuocati super oblata, redditi sint cibi sancti; consequens esset, vt nomen Dei, in seipso mundum, tanquàm immundum haberetur.

Ego Dominus.] Solita sunt nomina: *Ego* יהוה: diuina siquidem adiicitur authoritas.

Vers. 3. Dic ad eos, & posteros eorum: Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filij Israël Domino.] Iuxta Hebræum non habetur copulatiua; sed habetur: *Ad sancta, quæ facient sanctificare filij Israel Iehouah, in quo est immunditia.* More solito, primùm in genere excluditur omnis Sacerdos immundus, & apponitur pœna mortis, non infligenda per Iudicem, sed ab ipso Deo: & ad hoc insinuandum dicitur:

Destruetur anima ipsa à facie mea.] Et subditur:

Ego Iehouah.] Tanquàm ad firmandum sententiam monitis.

Vers. 4. Homo de semine Aharon, qui fuerit leprosus, aut patiens fluxum seminis.] Non suffecit, vt in genere excluderetur omnis Sacerdos immundus; sed ad octo immunditiæ species descenditur; videlicet, lepram, fluxum, tactum mortui, pollutionem nocturnam, contactum reptilis immundi, contactum hominis immundi, immunditiam quancunque durantem vsque ad vesperam, & demum immunditiam abluti, quæ etiam durat vsque ad vesperam: quæ Interpres non multùm distinguit.

Non vescetur de iis, quę sanctificata sunt mihi, donec sanetur.] Iuxta Hebræum habetur: *Vsquequò mundabitur.* Quod in subiunctis etiam verificatur.

Qui tetigerit immundum super mortuo[a], & ex quo egreditur semen, quasi coitus; *Vers.* 5. & qui tetigerit reptile, & quodlibet immundum, cuius tactus est sordidus; *Vers.* 6. immundus erit vsque ad vesperum, & non vescetur iis, quæ sanctificata sunt: sed cùm lauerit carnem suam aqua, *Vers.* 7. & occubuerit Sol, tunc mundatus vescetur de sanctificatis; quia cibus illius est. *Vers.* 8. Morticinum, & raptum à bestia non comedent, nec polluentur in eis. Ego Dominus. *Vers.* 9. Custodiant præcepta mea.] Iuxta Hebræum habetur: *Et custodient custodiam meam.* Miscetur separationi Sacerdotum mundorum ab immundis, præceptum de custodiis: ad insinuandum, quòd etiam à custodiis excludebantur immundi Sacerdotes, ita quòd mundos oportebat esse Sacerdotes, tempore, quo erant in custodia tabernaculi: per vices enim custodias exercebant. Non intelligo tamen per hoc nocturnas vigilias, quemadmodum fiunt in arcibus; sed sat videtur fuisse, quòd die, noctùque Sacerdotes aliqui ibi erant ad officium custodiæ diuini tabernaculi: & illimet eodem tempore vacabant sacrificiis.

[a] Hæc cæremonia, quod Sacerdotes non tangerent cadauera, obseruata est postmodum à Gentibus, fortè ex hoc loco desumpta. Nam, vt superiùs diximus, omnes sacrorum ritus à Dei populo Gentes mutuatæ sunt. Vide Iamblicum de mysteriis Ægyptiorum, respondentem Porphyrio, de causa huius cæremoniæ.

Et non subiacebunt peccato, & morientur in Sanctuario, cùm polluerint illud.] Iuxta Hebræum non habetur: *in Sanctuario*: sed, *& morientur in ipso, quia pollueut ipsum.* Et est sermo de custodia: monentur enim, vt non peccent, omittendo, vel paruipendendo custodiam, comminando pœnam mortis ex custodiæ pollutione: est enim apud Hebræos, *custodia*, nomen communis generis.

Ego Iehouah sanctificans eos.] Ratio hæc sæpè repetitur, vt mente reuoluatur sæpè beneficium diuinæ sanctificationis illis collatum; & mente, ac factis studeant, se tales exhibere, quales esse decet sanctificatos à Deo.

Vers. 10. Omnis alienigena non comedet de sanctificatis.] Non est sermo de incircuncisis, (quoniam manifestum est, Ethnicos ab omnibus esse exclusos;) sed est sermo de alienis à genere sacerdotali. Ita quòd postquàm exclusi sunt Sacerdotes immundi ab esu sanctorum ciborum, qui cedebant in portionem Sacerdotis, excluditur quilibet mundus ex genere non sacerdotali: in cuius signum subiungitur:

Inquilinus[b] Sacerdotis, & mercenarius non vescetur ex eis: *Vers.* 11. quem autem Sacerdos emerit, & qui vernaculus domus eius fuerit, hi comedent ex eis.] Quamuis Hebræi essent, & mundi, mercenarius, & inquilinus Sacerdotis; non tamen poterant comedere sancta. Vbi aduerte, prudens lector, disparitatem inter portionem Sacerdotis, & reliquum pacificæ victimæ, quo vescebantur offerentes. Nam, si inquilinus, aut mercenarius Sacerdotis inuitabatur ab offerentibus ad conuiuium pacificæ victimæ, licitè vescebatur, si mundus erat: sed ad comedendum de portione Sacerdotis ex eadem victima, non admittebatur, (vt lex ista dicit:) ad cuius tamen esum admittebatur seruus Sacerdotis, & natus domi.

[b] *Inquilinus*, id est, emptus emptione seculi, & vsque ad annum Iubilei, qui & subula erat perfossus. *Mercenarius* verò, qui emptus ad annos 6. Et hi, quia circuncisi, non poterant comedere. Serui tamē Chananæi, qui Sacerdotis pecunia in peculium empti erant, comedere poterant.

Vers. 12. Si filia Sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et filia Sacerdotis, cùm erit in viro alienigena; ipsa in eleuatione de iis, quæ sanctificata sunt, & de primitiis non vescetur.* In Hebræo non habetur, *& de primitiis.* Dicitur, *in viro alienigena*, hoc est, alterius generis; ad differentiam illius, quæ nupta est alteri Sacerdoti. Et dicitur in eleuatione, ad insinuandum, quòd filia Sacerdotis non erat tradenda in coniugem alicui non Sacerdoti, nisi ad eleuandum ipsam. Et hinc factum est, vt sacerdotale genus mixtum sit generi regio: eleuabantur enim Sacerdotis filiæ, cùm nubebant Regibus, seu Regum filiis.

Vers. 13. Si autem filia Sacerdotis vidua, vel repudiata, & absque liberis reuersa fuerit ad domum patris sui, sicut puella consueuerat, aletur cibis patris sui: omnis autem alienigena, comedendi ex eis non habebit facultatem.] Repetitur exclusio eorum, qui non sunt ex genere sacerdotali, ad reddendum (vt reor) rationem, quare filia Sacerdotis, tam coniugata non Sacerdoti, quàm vidua habens prolem excluditur: quia iam ad aliud genus (mariti, scilicet) spectat.

Vers. 14. Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem

partem cum eo, quod comedit; & dabit Sacerdoti in Sanctuarium.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dabit Sacerdoti sanctum.* Res, quæ restituitur, significatur, simul cum ratione restituendi: sanctus enim cibus ignoranter ablatus fuerat comedendo, & ratione sanctitatis restituitur.

Vers. 15. Nec contaminabunt sanctificata filiorum Israël, quæ offerunt Domino, *Vers.* 16. ne fortè sustineant iniquitatem delicti sui, cùm sanctificata comederint: quia ego Dominus, qui sanctifico eos.] Legendum est, *ea*: nam ad sancta refertur.

Vers. 17. Locutúsque est Dominus ad Mosen, dicens: *Vers.* 18. Loquere ad Aharon, & filios eius, & ad omnes filios Israël: dicésque ad eos: Homo de domó Israël, & de aduenis, qui habitant inter vos, qui obtulerit oblationem suam, vel vota soluens, vel sponte offerens, quicquid obtulerit in holocaustum Domini, *Vers.* 19. vt offeratur per vos, masculus immaculatus erit ex bobus, & ouibus, & capris. *Vers.* 20. Quicquid maculam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile.] Repetitur lex de animalibus sacrificandis, vt adiungantur conditiones eorundem superiùs non explicatæ. Repetitur autem, quòd siue in holocaustum, siue in quodcunque sacrificium, oportet animal esse non solùm mundum, sed etiam sine macula. Et præter hoc, si offertur in holocaustum, oportet esse masculum: alioquin non non erit acceptabile Deo.

Vers. 21. Homo, qui obtulerit victimam pacificorum Domino, (vel vota soluens, vel sponte offerens,) tam de bobus, quàm de ouibus; immaculatum offeret; vt acceptabile sit. Omnis macula non erit in eo. *Vers.* 22. Cæcum, vel fractum, vel cicatricem håbens.] Iuxta Hebræum habetur: *Vel semifractum.* Excluditur enim non solùm fractum plenè, sed tusum, seu passum aliquam huiusmodi semifractionem.

Vel papulas.] Iuxta Hebræum habetur: *Vel verrucatum.* Excluditur enim animal habens vocatos vulgariter portos.

Vel scabiosum, vel impetiginosum, non offeretis ea Domino, neque adolebitis ex eis super altare Domini.] Non sufficit in genere excludere maculatum: sed multæ explicatæ sunt species maculæ, vt ex his omnes intelligerentur.

Vers. 23. Bouem, & ouem aure, & cauda amputatis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et bouem, & agnum superfluum, vel contractum, voluntariè offerre potes: votum autem ex his solui non potest.* Conceditur, vt mundum animal abundans aliquo membro, vel habens membrum contractum, possit sacrificari sponte; non autem ex voto; hoc est, quòd si quis nouit sacrificare vitulum vnum, non satisfacit suo voto, offerendo vitulum superfluum monstro, vel contractum pede; sed debet offerre vitulum absque omni præternaturali conditione. Secùs autem esset, si vouisset illum vitulum monstruosum sacrificare: hoc enim non prohibetur.

Vers. 24. Omne animal, quod vel contritis, vel tusis, vel sectis, ablatísque testiculis est, non offeretis Domino: & in terra vestra hoc omninò non facietis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et tusum, & tritum, & exectum, & incisum non facies sanctificare* יהוה, *& in terra vestra non facietis.* Hæc adiecta clausula (videlicet, *& in terra vestra non facietis,*) insinuat, quòd quatuor modi castrandi significantur per *tusum*, *fractum*, &c. nisi enim hæc in animalibus humana fierent voluntate, non subiungeretur: *Et in terra vestra non facietis.* Prohibemur itaque duo: alterum, vt animal quouis modo euiratum non sacrificetur Deo: alterum, vt genus animalium immolabilium Deo non castretur in terra promissionis. Non prohibentur Iudæi vesci castratis bobus, & huiusmodi; sed prohibentur castrare, quæ ex bobus, ouibus, & capris sunt.

Vers. 25. De manu alienigenæ non offeretis panes [c] Deo vestro.] Iuxta Hebræum habetur: *De manu filij incogniti non offeretis panem Elohe vestro ex omnibus istis.* Loco quorum vltimorum verborum vulgata editio habet: *Et quicquid aliud dare voluerit.* Pronomen, *istis*, boues, oues, & capras habentes omnes optimas conditiones demonstrat: prohibetur enim Sacerdoribus, vt non offerant sacrificia animalium, quæ offeruntur ab incircuncisis; & significanter prohibentur sub nomine panis, qui magis alienus est à macula, vt nec simila offerenda Deo ab incircuncisis sumatur. Et appellatur quilibet incircuncisus, *ignotus*: quia ignotus est legi: lex enim non nouit, nisi suos.

[c] Vocat Scriptura plerunque sacrificia, panem, & cibum Dei, præsertim ea, quæ ignis absumebat. Et alienigena hic capitur pro gentili seu, iuxta præcepta filiorum Noe, quæ septem numerabantur, nempe, seruare iudicium publicum, benedicere Deum, cauere ab incestu proximorum, abstinere ab effusione humani sanguinis, atque à rapina, non tollere mēbrum ab animali viuente, & idola non colere. Dicent ergo nonnulli solum hic prohiberi, ne ab istis Sacerdos caperet animalia mutilata, vt offerret.

Quia corrupta, & maculata sunt omnia, non suscipietis ea.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia destructio eorum in ipsis, macula in ipsis, non placebit vobis.* Inopinatum genus maculæ manifestat Deus, reddendo pro ratione, quare reiicienda sunt à sacrificiis oblata ab incircuncisis: quia incircuncisorum conditio destruit, ac maculat animalia relatiuè ad sacrificia. Cum his tamen intellige, quòd si incircuncisi pecunias dedissent, vt emerentur animalia pro sacrificiis, poterant licitè sacrificare: iuxta id, quod legitur 2. Machab. 3. tempore Oniæ Pontificis factum à Seleuco, Asiæ Rege: inhibetur enim, ne incircuncisus admittatur ad altare ad offerendum per Sacerdotem sacrificium, & non inhibetur eleemosyna, seu prouisio animalium, & rerum pro sacrificiis, si ab incircuncisis fiat, acceptanda.

Vers. 26. Locutúsque est Dominus ad Mosen, dicens: *Vers.* 27. Bos, ouis, & capra, cùm genitæ fuerint [d], septem diebus erunt sub vbere matris suæ; die autem octauo, & deinceps offerri poterunt Domino. *Vers.* 28. Et bos, siue ouis non immolabitur vna die cum fœtu suo.] Tempus sacrificandi, duplicem limitationem habebat ex parte animalium: alteram, vt non ante octauum diem à natiuitate sacrificarentur: alteram, vt nunquam vno, eodémque die iugularetur parens cum prole. Et primi quidem ratio est, imperfectio animalis ante octauum diem: secundi autem nonnulla quasi crudelitatis species.

[d] Assignant Hebræi huius legis rationē, eò quòd Deus septē diebus perfecit cælū, & terram, & omnē ornatum eorum. Et creatura, quæ septem vixit diebus, iam perfecta esse videtur. Vnde Deus ante octauum diem prohibuit fieri circuncisionem.

Vers. 29. Si immolaueritis hostiam pro

pro gratiarum actione Domino.] Iuxta Hebræum habetur : *Et quando sacrificabitis sacrificium laudis* יהוה*, ad voluntatem vestram sacrificabitis.* Hanc adiectionem (loco cuius in vulgata editione habetur : *Vt possit esse placabilis.*) intelligo appositiuè. Et est sensus: Quando sacrificabitis hostiam laudis Deo, etiam sponte sacrificabitis. ad differentiam hostiæ pacificorum, quæ fiebat ex voto.

Vers. 30. Eodem die comedetis eam: non remanebit quicquam in mane diei alterius. Ego Dominus.] Non reuocatur indultum superiùs scriptum cap. 7. & cap. 19. vt altero die etiam vesci liceat victima pacifica: sed manifestatur, quòd consumere illam eodem die, legis est; vesci autem die crastino, indulgentiæ est.

Vers. 31. Custodite mandata mea, & facite ea. Ego Dominus. *Vers.* 32. Ne polluatis nomen meum sanctum, vt sanctificer in medio filiorum Israël. *Vers.* 33. Ego Dominus, qui sanctifico vos, & eduxi vos de terra Ægypti, vt essem vobis in Deum. Ego Dominus.] Iuxta Hebræum habetur : *Quia educens vos de terra Ægypti, ad esse vobis in* אלהים*: Ego Iehouah.* Beneficium eductionis de Ægypto (quod tunc temporis adhuc pendebat, quantùm ad terminum ad quem, terram, scilicet, promissionis,) commemoratur relatum ad finem maioris beneficij iam collati, videlicet, vt ipse Deus esset illis legislator: iam enim dederat illis legem ore proprio : & propterea tantò ampliùs tenebantur ad obediendum illi, ad sanctificandum nomen eius, & ad seruandum seipsos mundos Deo.

CAPVT XXIII.

VERS. I.

LOcutúsque est Dominus ad Mosen, dicens : *Vers.* 2. Loquere filiis Israël, & dices ad eos: Hæ sunt feriæ Domini[a], quas vocabitis sanctas.] Iuxta Hebræum habetur : *Quas vocabitis vocationes sanctitatis.* Istud est nomen, quo mandat Deus appellari solennitates suas: & vt repetitio huius nominis frequens insinuat, hoc nomen appropriatur illis diebus festis præcipuè, quibus non licebat operari. Ratio nominis in promptu est : quoniam tempus festiuum nihil aliud erat, quàm vocatio hominum ad sanctitatem eorum exhibendam Deo : ad hoc enim instituuntur festiuitates diuinæ.

[a] Visum Domino semper fuit, vt per mutuã hominũ inter se doctrinã, pietatẽ plantare, & per cohortationem prouehere, & conseruare. Hinc religio festorum introducta est in Dei populo, tanquàm summè necessaria. Nam conducebat, vt rudis populus sua velut comitia haberet, vt ad fidẽ, veràmque religionem formaretur, & admoneretur Christi venturi. Sic Dominus politiam Israëlis cõstituere incipiens, ab obseruatione festorum exorsus est, Exod. 12 Nec vlla vnquam fuit natio, aut religio, quæ suas solennitates nõ haberet. Cæterùm habuerunt hæc festa singula populi Dei, suas memorias diuinorũ beneficiorum, quibus animi Israëlitarum per illos dies occupati, & velut pasci ad fidẽ debebant; conueniebántque ad audiendum verbum Domini, vnde solennitates dictæ sunt, quasi contestationes & conuentiones; & tabernaculum magis conuentionis quàm testimonij dicebatur secundum aliquos. Vocauit autem *ferias sanctas*, hoc est, firmas, religiosas, & inuiolabiles. Sic etiam Romani sanctum vocabãt, quod populus, scilicet, sanxit, & id prætergredi fas non erat, aut violari : vnde tribunitia potestas sacrosancta fuit appellata. Vide Ciceronem pro Cor. Balbo, quomodo sanctũ definiat.

Vers. 3. Sex diebus facietis opus: dies septimus, quia Sabbathi requies est, vocabitur sanctus.] Iuxta Hebræum habetur: *Dies septimus requies requiei, vocatio sancta.* Duo nomina diei septimo imponuntur. Alterum commune ei, & aliis diebus festiuis; videlicet, *vocatio sancta* : & hinc habes, quòd nihil refert dicere, *vocatio sancta*, vel, *vocatio sanctitatis*, vt priùs dictum est : nam idem repetitur. Alterum est, *requies requiei.* Maxima enim requies indicitur in die Sabbathi: & propterea dicitur *requies requiei.* Perspicaciùs tamen intelligitur hoc nomine reddi rationem festiuandi diem septimum : quia, videlicet, est requies, commemoratio requiei diuinæ, qua requieuit Deus die septimo ab omni opere, quod patrarat: ad hoc enim dies septimus sanctificatus est, vt requies hominum repræsentaret illo die requiem Dei.

Omne opus non facietis in eo : Sabbathum Domini est in cunctis habitationibus vestris.] Non dicit, omne opus seruile, vt dicet in aliis festis; sed dicit, *omne opus* : quia in die septimo etiam necessaria opera erant inhibita, vt scribere, vendere, emere, & alia huiusmodi.

Vers. 4. Hæ sunt ergo feriæ Domini sanctæ.] Iuxta Hebræum habetur : *Vocationes sanctitatis, quas celebrare debetis temporibus suis.* Nec habetur, *ergo* : sed sine aliqua coniunctione post festiuitatem diei septimi qualibet hebdomada repetendam, subiunguntur festiuitates semel tantùm in anno celebrandæ: & propterea adiungitur, *tempore suo* : & appellantur etiam ipsæ, *vocationes sanctitatis.*

Vers. 5. Mense primo quartadecima die mensis ad vesperum.] Iuxta Hebræum habetur : *Inter vesperas.* Occidebatur enim Pascha ante Solis occasum, quamuis comederetur post Solis occasum : & propterea tempus iugulationis significatur inter vesperas.

Phase[b] Domini] Parui refert, quòd Hebraicè dicitur : *Pesach* יהוה, in datiuo casu: commemoratur enim Deo, (hoc est, ad Dei honorem,) transitus ad occidendum primogenitos Ægyptiorum in paschali sacrificio.

[b] Festum *Phase* admonebat magnificam ab Ægyptiis liberationem: & Phase aliqui interpretãtur à trãsitu, quòd eadem nocte Dominus per Ægyptũ transierit. Sunt qui trangressum magis appellatum affirmant, quòd Hebræi ex Ægypto in terrã promissionis trãscenderint. Hinc Pascha nostrum certè est, quòd Saluator ab Inferis resurgens, cælorum regna transcẽderit.

Vers. 6. Et quintadecima die mensis huius solennitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis.] Iungebatur sacrificio paschali festiuitas azymorum, durans septem dies, & incipiens ab occasu Solis quartidecimi diei; tunc enim incipiebat quintusdecimus dies : & comedebatur agnus paschalis cum panibus azymis, in memoriam exitus de Ægypto die illo, quo non potuit fermentari panis, vrgentibus Ægyptiis, vt exirent. Ad commemorandum igitur diuinum beneficium in hoc miraculo, quòd Ægyptij, qui eos retinebant in seruos, impulerunt eos ad exeundum, vt sacrificarent Deo, quemadmodum petierant; azyma comedebantur quintodecimo die cum sex sequentibus.

Vers. 7. Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctúsque.] Iuxta Hebræum repetitur suprà dictum nomen : *In die primo vocatio sanctitatis erit vobis.* Iam enim dictum est, hoc esse nomen appropriatum diei festo.

Omne opus seruile non facietis in eo.] Ecce disparitas. In festiuitate diei septimi inhibetur omne opus : in festiuitatibus autem aliis inhibetur omne opus seruile : licitum enim erat in aliis festiuitatibus emere, vendere, coquere, scribere, & alia huiusmodi necessaria exercere, & sola seruitutis opera inhibita erant. Et appellantur seruitutis opera, mechanica; & vniuersaliter, quæ propria videntur esse seruorum.

Vers. 8. Et offeretis sacrificium in igne Domino septem diebus.] Mirum est, quòd Interpres, cùm millies nomen hoc habeatur, semel dixerit, *sacrificium in igne* : significat enim incensum : præcipitur nanque, quòd iis septem diebus offerant incensum Iehouah. Quod autem sit incensum tunc offerendum, manifestabitur Num. 18.

Dies autem septimus erit celebrior, &

& sanctior.] Iuxta Hebræum repetitur supradictum nomen: *In septimo vocatio sanctitatis: nullum opus seruile facietis in eo.* Pat decernitur septimus dies azymorum primo: in neutro enim licebat opus seruile exercere: diebus autẽ mediis sufficiebat excludere fermentata, & offerre sacrificia; salua sẽper festiuitate Sabbathi.

Vers. 9. Locutúsque est Dominus ad Mosen, dicens: *Vers.* 10. Loquere filiis Israël, & dices ad eos: Quando ingrediemini terram, quam ego do vobis, & metetis segetẽ; feretis manipulos spicarum.] Iuxta Hebræum habetur: *Homer spicarũ.* Quod non est nomen fascis, seu fasciculi; sed est nomen mensuræ aridorum. Lege secundum huius libri caput; & inuenies, quòd in hac oblatione primitiarum torrebantur spicæ, excussǽque, ac rusa grana superfuso oleo, superpositóque thure, offerebantur Deo, sic quòd pars cremabatur instar thuris à Sacerdote, tanquam holocaustum: & intelliges, quòd nomen, *homer*, ad mensuram granorum ex primis spicis refertur.

Primitias [c] messis vestrę ad Sacerdotem.] Non intelligo præceptum hoc dati singulis; sed vniuersitati: difficile enim, seu impossibile fuisset, vt & tam citò, & vno, eodémque die, ex quolibet agro portaretur homer granorum ex primis spicis: sed sat erat, quòd vniuersitas populi prouideret in illo die, vt haberetur homer granorum ex primis spicis: in cuius signum non dicitur, ex cunctis agris vestris. sed, *primitias messis vestræ*, in genere: & præmissum est: *Et metetis messem eius*, scilicet, terræ, quam ego do vobis: & non est dictum, & metetis messes agrorum vestrorum.

Vers. 11. Qui eleuabit fasciculum coram Domino, vt acceptabilis sit pro vobis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et eleuabit homer coram Iehouah ad voluntatem vestram.* Hora (vt reor) diei in arbitrio populi ponitur, qua cęremonia eleuationis à Sacerdore publicè fieret. Dies autem lege decernitur subiungendo:

Altero die Sabbathi & sanctificabit illum.] Iuxta Hebræum habetur: *A die post Sabbathum eleuabit illum Sacerdos.* Subiuncta de hoc eodem die, manifestant, quòd appellatione Sabbathi intelligitur primus dies azymorum, qui verè erat Sabbathum: quia erat dies festus, in quo nullum opus seruile licitum erat: & consequenter dies post Sabbathum appellatur dies secundus azymorum. Oblatio itaque hæc primitiarum messis, fiebat die secundo azymorum: & dicitur à die; hoc est, ab inchoato die post Sabbathum, ad beneplacitum vestrum quacunque hora.

Vers. 12. Atque in eodem die, quo manipulus consecratur, cædetur agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domini: *Vers.* 13. & libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ similæ conspersæ oleo in incensum Domini odorem suauissimum.] Intellige semper loco *suauitatis, quietem*: nam Hebraïcè semper habetur: *Odor quietis Iehouah.* Nec opus sit semper corrigere.

Liba quoque vini, quarta pars hin. *Vers.* 14. Panem, & polentam, & pultes.] Iuxta Hebræum habetur: *Et tostum, & tenerum:* hoc est, granum in spica.

Non comedetis ex segete vsque ad diem, qua offeretis ex ea Deo vestro.] Prohibetur comestio grani sub quacunque forma ante oblatum homer primitiarum Deo.

Præceptum est sempiternum generationibus vestris in cunctis habitaculis vestris. *Vers.* 15. Et numerabitis ab altero die Sabbathi, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas [d] plenas. *Vers.* 16. vsque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ; id est, quinquaginta dies.] Hinc clarè patet, quòd dies Pentecostes erat quinquagesimus à primo die azymorum exclusiuè: quia à secundo die perficiebantur quinquaginta dies: & propterea diximus, hinc haberi, quòd Sabbathum hîc appellatur prima dies azymorum.

Et sic offeretis sacrificium nouum Domino.] Iuxta Hebræum habetur: Munus nouum Iehouah. Et explicando hoc nouum munus subiungitur:

Vers. 17. Panes primitiarum [e] duos, ex omnibus habitaculis vestris.] Hinc apparet, quòd præceptum hoc obligabat singulos, non per capita, sed per domos: quælibet enim domus tenebatur offerre duos panes primitiarum: Hebraïcè tamen non habetur, *primitiarũ*; sed, *eleuationis*: quia eleuabantur coram Deo.

De duabus decimis similę fermentatæ, quos coquetis in primitias Domino.] Hic clarè apparet, quòd dictio sæpissimè interpretata, *simila*, nihil aliud significat, quàm vocatum florem farinæ.

Vers. 18. Offeretísque cùm panibus septem agnos immaculatos anniculos, & vitulum de armento vnum, & arietes duos: & erunt in holocaustum cum libamentis suis in odorem suauissimum Domino. *Vers.* 19. Facietis & hircum pro peccato: duósque agnos anniculos hostias pacificorum. *Vers.* 20. Cúmque eleuauerit eos Sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in vsum eius.] Discerne, prudens lector, inter id, quod erat vniuersitatis; & id, quod erat singulorum: holocaustum enim hoc in die Pentecostes ab vniuersitate offerebatur, vt mandatur Numer. 28. & similiter hircus pro peccato, vt ibidem patet. Et idẽ intellige de duobus agnis in victimam pacificorum, quorũ nulla fit mentio in dicto capitulo: nimis enim graue fuisset, quòd quælibet domus obligata fuisset ad offerendum duos agnos in die Pentecostes: præter hoc, quòd absurdissimum est intelligere, quòd tanta multitudo agnorum cæsa illo die fuisset pro victima pacifica in vsum Sacerdotum. Duo itaque tantummodo agni offerebantur pro pacificis; qui cũ hirco pro peccato, & vniuersis panibus cedebant in vsum Sacerdotis.

Vers. 21. Et vocabitis hunc diem celeberrimum, atque sanctissimum.] Iuxta Hebræum supradictum nomen repetitur; scilicet, *vocatio sanctitatis.*

Omne opus seruile non facietis in eo: legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis vestris, & generationibus vestris. *Vers.* 22. Postquàm autẽ messueritis segetẽ terræ vestrę.] Iuxta Hebræum habetur: *Et in metendo messem terræ vestræ.* Præcipitur enim, quid agendum est metendo.

Non

[c] Primitiæ ter in anno Domino offerebantur in Paschate de nouis granis, in Pentecoste de nouis panibus, in Septembri de nouis fructibus illius temporis, vino, &c. Festaque primitiarum gentes coluisse legimus Iudicum 9. nam tempore vindemiarum Sichimitæ lætantes ingressi sunt domum Berith Dei sui.

[d] *Hebdomada* bifariã apud Hebræos accipitur, aut de dierum spatio, vt hoc loco; aut de annorum, vt Daniel 9. Capiúntque Hebræi nonnunquam Sabbathum pro hebdomada Hinc supputant, *prima Sabbathi, secunda Sabbathi*, id est, prima dies hebdomadæ, &c.

[e] Festum primitiarũ, vt quidẽ mihi videtur, admonebat beneficiũ possessionis terræ Chanaan, atque frugum quotannis prouenientium.

Non fecabitis eam vfque ad folum.] Iuxta Hebræum habetur: *Non fines angulum agri tui, nec remanentes fpicas colliges; fed pauperibus, & peregrinis dimittes eas.* Repetitur enim fupradictum præceptum, vt mentibus eorum imprimeretur: & adiungitur: *Ego Iehouah, Elohe vefter.* Vt intuitu Dei relinquerent hæc pauperibus, & peregrinis.

Verf. 23. Locutufque eft Dominus ad Mofen dicens: *V.* 24. Loquere filiis Ifraël. Menfe feptimo, prima die menfis erit vobis Sabbathum memoriale clangentibus tubis [f], & vocabitur fanctum.] Poft inftituta fefta feptimi cuiufque diei, & azymorum, & Pentecoftes, inftituitur feftum primi diei menfis feptimi. Et quatuor nominibus appellatur, *requies, recordatio, clangor, vocatio fanctitatis.* Ratio primi, & vltimi nominis cõmunis eft etiam aliis feftis diebus, in quibus illicita erant opera feruilia. Secundum autem nomen (videlicet, *recordatio*) appropriatur huic fefto: quia inftitutus eft dies ifte ad commemorationem præceptorum diuinæ legis: & propterea dicitur recordatio, abfque aliqua determinatione, quorum fit recordatio: infinuatur enim per hoc, quòd illorum præteritorum eft recordatio, quæ tenebantur ad memoriam omnes reuocare, ne peccarent: hæc autem perfpicuũ eft effe præcepta legis, in cuius fignum 2. Efdræ 8. legimus, quòd primo die menfis feptimi Efdras legit legem Dei populo: & hinc habetur ratio tertij nominis: clangebatur enim tuba illo die ad conuocandum populum ad audiendum præcepta legis, quæ concernebant populum.

[f] Die tubarum admonebantur legis datæ.

Verf. 25. Omne opus feruile non facietis in eo: & offeretis holocauftum Domino.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur, *incenfum*: quod cuiufmodi fuerit, manifeftabitur Numer. 29.

Verf. 26. Locutúfque eft Dominus ad Mofen, dicens: *Verf.* 27. Decimo die.] Iuxta Hebræum habetur: *Tantùm in decimo menfis huius feptimi.* Significanter præponitur, *tantùm*, ad manifeftandam diuinam clementiam, quòd vnum duntaxat diem exigit afflictionis pro expiatione.

Dies expiationum [g].] Iuxta Hebræum habetur: *Dies veniarum erit.* Significatur enim dies, quo condonantur peccata, & expiantur immunditiæ.

Celeberrimus, & vocabitur fanctus.] Iuxta Hebræum repetitur fæpè dictum nomen: *Vocatio fanctitatis erit vobis.* Inftituitur fiquidem dies decimus menfis feptimi feftus.

Affligetífque animas veftras [h] in eo.] Triftitiam cordis pœnitendo malè geftorum præcipit: & fortè arctiffimum indicitur ieiunium, vt dicetur.

Et offeretis holocauftum Domino.] Hoc inferiùs manifeftabitur Num. 29.

Verf. 28. Omne opus feruile non facietis in tempore huius diei.] Non eft in Hebræo, *feruile*: fed, quemadmodum in feptimo quoque die inhibetur omne opus, ita & in decimo die menfis feptimi; ita quòd nec coquere licebat in eo.

Quia dies propitiationis eft, vt propitietur vobis Dominus Deus vefter.] Eadem Hebraïcè repetitur dictio: *Quia dies veniarum eft ad propitiandum fuper vos coram* יהוה, *Elohe veftro.* Ratio fingularis inhibitionis in hoc fefto, plufquàm in aliis anniuerfariis feftis, redditur ex officio huius diei, pro venia peccatorum, pro qua intercedebat Pontifex coram Deo Iudice in illo die.

[g] Die reconciliationis, affligendo animas, veniam orabant peccatorum. Putarem ego, diem illum eré admonuiffe veniæ, quam Dominus illis conceffit in monte Sinaï, quando extruxerunt vitulum: quòd fortè ea die conflatus fuerit.

[h] Hæc animarũ afflictio, feu ieiuniũ, quæ idẽ funt apud Ifaiam 58. erat femel omnes abdicare delicias, & luctum quendam, ac iuftam corporis caftigationem, atque afflictionẽ fufcipere, omnibus fimul, quibus corpus delectatur, renunciatis. Addebantúrque huic ieiunio, feu afflictioni externæ moniæ in inceffu, ftatu, & habitu, velut quædam feria peccatorum pœnitẽtia. Simile fuit ieiunium populi in Mifphat, 1. Reg. 7. Ad eundem modum ieiunauerũt pro Saül viri Iabes-Galaad 2. Reg. 23. & tale ieiuniũ ieiunauit Achab propter occifum Naboth; & Dauid, & populus pro Saüle, & Ionatha.

Verf. 29. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit, die hoc peribit de populis fuis: *Verf.* 30. & quæ operis quidpiam fecerit, delebo eam de populo fuo.] Pœna apponitur cuilibet, tam omittenti afflictionem, quàm facienti aliquid operis die illo: pœna autem mortis à Deo infligenda.

Verf. 31. Nihil facietis in eo: legitimũ fempiternum erit generationibus veftris in omnibus habitaculis veftris. *Verf.* 32. Sabbathum requietionis eft.] Iuxta Hebrǽum habetur: *Requies requiei ipfe vobis.* Maxima requies debita in hoc die fignificatur: & ftatim fubditur:

Et affligetis animas veftras in nono menfis in vefpere.] Mandatur tempus afflictionis inchoandum à vefpere diei noni. Iubetur itaque, vt per totum diem decimum à principio illius, vfque ad finem, duret afflictio: & propterea fufpicor, quòd arctiffimum vigintiquatuor horarum indicatur ieiunium cum interna pœnitudine, & exteriori depofitione cultus: vt omnia illo die fint humilitatis. Deinde fubditur:

A vefpera vfque ad vefperam celebrabitis Sabbatha veftra [i].] Regula traditur generalis initij, & termini cuiufque fefti quoad quietem. Nam Hebraïcè non habetur, *celebrabitis*; fed *quiefcetis.*

[i] Cùm dies per annũ inæquales fint, & in æftate Sol tardius, quàm in hyeme occidat, Hebræi Sabbathi quietem incipiũt fex horis poft meridiem.

Verf. 33. Et locutus eft Dominus ad Mofen, dicens: *Verf.* 34. Loquere filiis Ifraël: A quintodecimo die menfis huius feptimi, erunt feriæ tabernaculorum [k] feptem diebus Domino.] Tertium feftum in feptimo menfe inftituitur, quod vocatur *feftum tabernaculorum.*

[k] Fefto tabernaculorum recolebant mirificam illam Dei bonitatẽ, qua ipfos per quadraginta annos in defertis duxerat, & aluerat; tũ gratias agebant pro his, quæ eo anno ipfis Domini beneficio in vfum vitæ prouenerant è terra. Dictum eft etiã hoc feftum *Scenopegia* Iudæis.

Verf. 35. Dies primus vocabitur celeberrimus, atque fanctiffimus.] Ne fæpiùs repetatur, corrige vbique in hoc capitulo fimilia. Nam Hebraïcè repetitur: *In die primo vocatio fanctitatis.*

Omne opus feruile non facietis in eo. *Verf.* 36. Septem diebus offeretis holocaufta Domino.] Quod hic de holocauftis iftorum dierum dicitur, manifeftatur Num. 29.

In die octauo vocatio fanctitatis erit vobis, & offeretis holocauftum Domino.] Feftiuitas tabernaculorum feptem tantùm durabat dies, quorum primus folus erat Sabbathum: & tamen fubditur dies octauus, qui erat etiam Sabbathum, non ea ratione, quòd extẽderetur feftum tabernaculorum in octauum diem; fed, quia quartum erat feftum menfis feptimi. Cuius ratio redditur fubiungendo:

Eft enim cœtus, atque collectæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Vocatio fanctitatis ipfa, collectio ipfa.* Et vocatio quidem fanctitatis cõmunis eft feftis omnibus: collectio autẽ appropriatur huic fefto: quia (vt ex calce fecundi Efdræ octauo habetur) die ifto fiebat collectio pecuniarum, & rerum pro vfu tabernaculi diuini. Sanctificatus eft itaque dies ifte octauus à primo die tabernaculorum ad congregandũ populum ad tabernaculum Dei, vt fieret huiufmodi collecta cum holocaufto decreto Num. 29.

Omne opus seruile non facietis in eo. *Vers.* 37. Hæ sunt feriæ Domini.] Dupliciter exponi potest hæc litera, vel quòd pronomen, *hæ* demōstret omnes festiuitates suprascriptas, vel quòd demonstret hos octo dies: & iuxta hunc sensum oporteret extendere repetitum nomen (videlicet, *vocationes sanctitatis*) etiam ad istos medios dies, qui erant semifesti: nam Hebraïcè subditur:

Quas vocabitis vocationes sanctitatis.] Quod pro tanto tolerabile est: quia Hebraïcè non subditur, vt in vulgata editione:

Offeretisque in eis.] sed subditur: *Ad offerendum incensum* יהוה, *holocaustum, & munus, & libamenta iuxta ritum vniuscuiusque diei.* In prædicto siquidem capitulo Numer. decernitur diuersa oblatio quolibet istorum dierum.

Vers. 38. Exceptis Sabbathis Domini, donisque vestris, & quę offeretis ex voto, vel quæ sponte tribuetis Domino.] Primo sensui fauet hæc exceptio: quamuis trahi possit numerus iste pluralis, *Sabbathorum*, ad euentum, quo primus dies tabernaculorum eueniret in Sabbatho: tunc enim duo septimi dies concluderentur intra istos octo dies. Tolerabilem fateor sensum forum ex eo, quòd inter tradendum cæremonias horum octo dierū, posita est hæc clausula. Absolutè tamen primus sensus exceptionibus magis quadrat: vt enumeratis omnibus festis anniuersariis, antequàm modus seruandi festum tabernaculorum describatur, epilogatum sit: *Ista sunt solennitates Iehouah, quas vocabitis vocationes sanctitatis ad offerendum holocaustum, & munus*, &c. Et statim subiuncta sit exceptio ab oblatione holocaustorum, muneris, &c. manifestando, quòd hæc offerenda in dictis solēnitatibus à populo sunt, præter offerenda pro Sabbathis Iehouah; hoc est, præter offerenda pro septimo quoque die; & præter donationes vestras, & præter vota vestra, & præter spontanea vestra, quæ dabitis Iehouah. Et appellatione donorum intellige illa, quæ offerebantur pro peccato: vt omnis oblatio comprehendatur. Et vocatur oblatio pro peccato, *donum.* ad insinuandum, quòd per modum doni offerendum est Deo, vt dignetur accipere, & reconciliare peccatorem. At si donorum nomine intelligantur ea, quæ ad ornatum tabernaculi, seu atriorum Domini offerebantur; non erratur: sed insinuatur, quòd hæc non debent conuerti in sumptus pro supradictis holocaustis; quoniam illa debentur præter hæc quatuor excepta.

Vers. 39. A quintodecimo ergo die mensis septimi, quando congregaueritis omnes fructus terrę vestræ.] Non est in Hebræo, *omnes.*

Celebrabitis ferias Domini septem diebus: die primo, & die octauo erit Sabbathum, id est, requies.] Ratio redditur, tum institutæ lætitiæ septem dierum, tum materiæ gratiarum actionis Deo, tum institutæ illo tempore collectæ: hæc enim omnia fouet congregatio fructuum terræ.

Vers. 40. Sumetisque vobis die primo fructus arboris [l] pulcherrimæ, spatulas palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente.] Modus celebrandi festum tabernaculorum in habitaculis singulis mandatur.

[l] Hanc arborem pulcherrimam intelligūt nonnulli fuisse citrū, quam abunde profert nostra Portugallia.

Et lętabimini coram Domino Deo vestro.] Iuxta Hebræum habetur: *Coram Iehouah Elohe vestro septem diebus.* quæ sæpè exposita sunt.

Vers. 41. Celebrabitisque solennitatem eius septem diebus in anno: legitimum sempiternum erit in generationibus vestris: in mense septimo festa celebrabitis. *Vers.* 42. In vmbraculis [m] habitabitis septem diebus: omnis, qui de genere Israël est.] Iuxta Hebræum habetur: *Omnis cognitus in Israel manebit in tabernaculis.* Et ad literam significare videtur, quod explicat communis editio; videlicet, omnem, qui est ex genere Israël: imò, quod arctius est, omnem, qui est cognitus filius Israël. Et dicitur hoc ad differentiam proselytorū, vt Israëlitæ tantùm obligentur ad repræsentādum beneficiū collatum eorum patribus in deserto, cùm educerentur de Ægypto: in memoriam enim diuini operis (videlicet, quòd Deus fecerit patres eorū tunc habitare in tabernaculis) institutum est hoc festum: & proptereà significantiùs dicitur.

[m] Hę tugurijs extruendis dicunt Hebræi [illegible] dio, non [illegible] [illegible] plene, [illegible] densitate operis, vt per [illegible] stellæ, & Sol videri possint. Debent ea ornare pulchris rebus, & vasis, comedere, & dormire in illis, & cum pluuia descēdit, possunt in domo manere.

Vers. 43. Vt discant posteri vestri, quòd in tabernaculis habitare fecerim filios Israël, cùm educerē eos de terra Ægypti.] Vult Deus, vt sciant posteri per hanc festiuitatem, quòd non ex industria Mosis; sed ex diuina prouidentia educti ex Ægypto fuerint Israëlitæ per viam deserti, habitando in tabernaculis ob bonum ipsius populi. Et in hoc beneficio comprehenduntur omnia beneficia tunc eis collata, necessaria ad habitandum in tabernaculis in deserto; videlicet, beneficia cibi, & potus, mannæ, auium, aquæ, vestium non consumptarum, & calceorum non attritorum, præter ducatum columnæ nubis, & ignis. Ad horum enim omnium commemorationem festiuitas ista instituta declaratur, dicendo:

Vt sciant generationes vestrę quòd in tabernaculis feci habitare filios Israël, faciente me exire ipsos de terra Ægypti.] Et subiungitur immediatè.

Ego Iehouah, Elohe vester.] vt diuina magnipendatur authoritas.

Vers. 44. Locutusque est Moses super solennitatibus Domini ad filios Israel.

CAPVT XXIV.

Et locutus est Dominus ad Mosen, dicens. *Vers.* 2. Præcipe filiis Israël.] Sumptu populi prouidendum, esse de oleo pro candelabro tabernaculi mandatur.

Vt offerant tibi oleum de oliuis.] Et per hoc excluduntur reliqua olei genera.

Purissimum.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum munditia refertur ad oliuam, dicendo: *De oliua munda.* excluduntur enim oliuæ semiputridæ, aut maculatæ.

Ac lucidum.] Iuxta Hebræum habetur, *tritum.* Ad differentiam olei extracti ex oliuis mollitis, ita quòd etiam ossa oliuarum simul franguntur, exigitur oleum ex pulpa oliuæ pro candelabro sanctō.

Ad concinnandas lucernas iugiter extra

extra velum testimonij in tentorio adunationis. *Vers.* 3. Componétque eas Aharon à vespera vsque in mane coram Domino, cultu, ritúque perpetuo in generationibus vestris.] Hæc verba, & similia Exod. cap. 27. quæstionem ingerunt, an candelabrum arderet nocte duntaxat, an etiam die: quia scripta Exod. 30. clarè sonant officiũ Aharon bis in die (mane, videlicet, & vespere) circa lucernas candelabri: & quia etiam hic, postquàm dictum est: *Oleum de oliua mundè tritũ.* subiungitur, *ad luminare, ad accendendum lucernam continuè.* hinc enim soluitur quæstionis nodus, intelligendo, quòd per hæc verba manifestatur tempus lucendi; videlicet, quòd lucernæ candelabri luceant semper die, noctúque: alioquin non continuè lucerent. Et quadrat rationi: quia candelabrum illud non accendebatur propter officium aliquod in tabernaculo exercendum nocturno tempore, vt patet: par ergo est rationi, vt luceret die, ac nocte. Per verba autem alia (scilicet, *à vespera vsque mane*) non significatur tempus lucendi: sed significantur tempora componendi lucernas, duo duntaxat, (scilicet, vespera, & mane;) & quòd compositio vespertina sufficiebat vsque mane, & non plùs: hoc est, quòd non imputabatur Sacerdoti, si quis defectus lucis accidisset inter vesperam, & mane; sed ei imputaretur, si vespere non composuisset illas. Et idem intellige de defectu accidente inter mane, & vesperam; videlicet, quòd si mane composuit illas, non ei imputatur. Collige igitur, quòd Exod. 30. manifestantur dicta duo tempora componendi, & accendendi lucernas: hîc autem & in cap. 27. Exodi manifestatur non imputatio defectus lucis seruanti hæc tempora: & hic, & ibidem manifestatur tempus lucendi continuum: & sic omnia quadrant. Iniungitur autem officium accendendi lucernas quotidie Aharon; ad manifestandum, quòd Sacerdotis, non Leuitæ, erat officium hoc.

Vers. 4. Super candelabrum mundissimum ponentur semper in conspectu Domini. *Vers.* 5. Accipies quoque similam.] Intellige florem farinæ.

Et coques ex ea duodecim panes.] Iuxta Hebræum habetur, *placentas.* Non solùm panis, sed forma panis explicatur.

Qui singuli habebunt duas decimas [a].] Nomen est mensuræ sæpè repetitæ; sed nobis ignotæ.

[a] Duæ decimæ (vt exponunt nonnulli) duæ partes erant de decem partibus mẽsuram ephi constituentibus.

Vers. 6. Quorum senos altrinsecùs super mensam purissimam coram Domino statues.] Clariùs in Hebræo habetur: *Et pones ipsos duos ordines, sex ordo super mensam mundam faciebus Iehouah.* Sed intellige verbum; videlicet, *sex ordo habebit.* Et est sermo de mensa propositionis vestita laminis aureis, descripta diffusè in Exodo.

Et pones super eos thus lucidissimũ.] Iuxta Hebr. habetur: *Et dabis super ordinem thus mundum.* Non est perspicuum, quomodo locaretur thus: quia non dicitur thus poni super singulos panes, sed super singulos ordines: & cùm ordines decreti sint duo, in quorum quolibet erant sex panes; ambiguum restat, quo situ thus locaretur super singulos ordines, & consequenter quot grana thuris apponenda erant. Fateor, me nescire diuinare; sat sit nunc nosse, quòd thus apponebatur, vt pars oblationis. Fortè dicendo, *super ordinem,* significatur super placentas ordinatas singulis placentis, superponendo singula grana thuris mundi. Hunc sensum amplectere, quousque inuenias meliorem.

Vt sit panis in monimentum oblationis Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erit panis in recordationem incensi Iehouah.* Officium thuris manifestatur. Quod vt intelligas, reuocandus est ad memoriam ritus suprascriptus in oblatione muneris cap. 2. munus enim quodcunque ex simila sub quacunque forma, offerebatur, sic quòd pars quædam illius cremabatur instar thuris Deo, reliquum erat Sacerdotis, & erat sanctum sanctorum. Ad seruandum itaque hunc ritum in panibus propositionis, decernitur, quòd thus positum super panes erit ipsis panibus, tanquàm portio illa muneris, quæ cremabatur Deo: illa enim portio significatur dicendo: *In recordationem incensi.* Illa portio cremabatur, tanquàm recordatio muneris apud Deum. Et appellata est *recordatio,* non semel; sed infinities. Decernitur itaque, vt quolibet die Sabbathi thus illud, quod per totam hebdomadam fuit super panes, cremetur Deo, tanquàm portio diuina, in recordationem oblatorum; & panis totus sit Sacerdotum, tanquàm reliquum muneris oblati.

Vers. 8. Per singula Sabbatha mutabuntur] Iuxta Hebræum bis dicitur: *In die Sabbathi, in die Sabbathi ordinabit eum coram Domino semper.* Mandatur, quòd in quolibet die Sabbathi (hoc est, die septimo) Sacerdos ordinet panem nouum cum nouo thure, cremato eodem, vt dictum est, thure priore, & applicato Sacerdoti pane priore.

Susceptum à filiis Israël fœdere sempiterno.] Quemadmodum oleum pro candelabro; ita & farinæ flos pro panibus propositionis non Sacerdotum, sed populi sumptibus [b] procurandus mandatur. Et si colligeris suprascripta, videbis, quòd necessaria pro sacrificiis non Sacerdotum, sed populi sumptu prouidenda erant.

[b] Nehemiæ 10. legimus, in constructione secundi templi Sacerdotes simul cũ populo se submisisse sortibus, ad offerendum ligna pro iugi sacrificio.

Vers. 9. Erítque Aharon, & filiorum eius, & comedent eum in loco sancto: quia sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Ex incensis Iehouah iure perpetuo.* Ratio redditur, quare panis huiusmodi est sanctum sanctorũ: quia, videlicet, est residuum *ex incensis Iehouah.*

Vers. 10. Ecce autem egressus filius mulieris Israëlitidis, quem pepererat de viro Ægyptio, inter filios Israël, iurgatus est in castris cum viro Israëlita. *Vers.* 11. Cúmque blasphemasset nomen, & maledixisset ei.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nominauit filius Israëlitidis nomen, & blasphemauit.* Dictio interpretata, *nominauit,* nihil refert, si interpretetur, *explanauit,* seu *declarauit:* & similiter dictio interpretata, *blasphemauit,* si interpretetur, *maledixit,* seu *despexit.* Maledictio siquidem, & despectio diuini nominis blasphemia est: & vir iste, & nominauit nomen Iehouah, & despexit illud: & propterea sine additione aliqua dicitur, *nomen,* vt per antonomasiam intelligatur nomen Domini tetragrammaton.

Et adductus est ad Mosen, vocabatúrque mater eius Selomith, filia Dibri, de Tribu Dan. *Vers.* 12. Miserúntque eum in carcerē, donec noscerent, quid iuberet Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad declarandum eis ex ore Iehouah.* Ad hoc significatur detentus in custodia, vt declararetur populo ex ore Dei, quid agendum: adhuc enim non erat lata lex de pœna blasphemi in specie.

Vers. 13. Qui locutus est ad Mosen, *Vers.* 14. dicens: Educ blasphemum extra castra; & ponant omnes, qui audierunt, manus suas super caput eius.] Testes imponentes manum super caput rei, ipsa impositione manuum offerebant eum morti.

Et lapidet [c] eum vniuersus populus.] Ecce diuini iuris decretum de pœna blasphemi. Et vtinam hodie seruaretur, quando iam blasphemare licet impunè; non solùm in iracundia, (vt iste litigando blasphemauerat;) sed etiam colloquendo quietè: significanter enim describitur iste lapidatus ob blasphemiam in iurgio diuina sententia: vt hinc intelligeremus, multò magis puniendos, qui quieto animo blasphemant.

[c] Iudæi 4 habebant genera interfectionis; nempe, lapidationem, combustionem, strangulationem, & decollationem, seu percussionem cum gladio, inter quæ lapidatio acerbissimū genus mortis dicitur: lenius autem est strangulatio, quæ fit per mappam aliquoties circa collum replicatam, quam lictores omni, qua possunt, vi trahunt, donec pœnæ obnoxius efflet animam.

Vers. 15. Et ad filios Israël loqueris: Homo, qui maledixerit Deo suo.] Iuxta Hebræum habetur: *Elohe suo.*

Portabit peccatum suum.] Non significari hoc in loco nomine, *Elohe*, Deum; sed Iudicem humanum; insinuatur ex eo, quòd nulla certa decernitur pœna; sed dicitur: *Portabit peccatum suum.* cùm tamen maiori pœna plectendus esset maledicens Deum, quàm maledicens nomen Dei. Repetitur itaque lex in 22. cap. Exod. lata; videlicet: *Elohim non maledices.* tanquàm si apertiùs diceretur: Aliàs statui, quòd qui maledixerit Iudici suo, portet peccatum suum: modò autem ascendendo statuo.

Vers. 16. Et qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur.] Iuxta Hebr. habetur: *Et explanans nomen Iehouah, moriendo morietur.* Minùs dicit, & plùs significat. Dicit, *explanans*, seu *nominans*, seu *declarans*: significat autem nominantem ignominiosè nomen Iehouah. Et ex hoc suspicor Textu, apud Hebræos non nominari nomen Iehouah; sed loco eius vti nomine Adonaï.

Lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi: siue ille ciuis, siue peregrinus fuerit, qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur.] Hoc si iuxta Hebræum legeretur, non esset repetitio: nam iuxta Hebræum habetur: *Sicut peregrinus, sicut cognitus, in maledicere suo declaratum nomen, morietur.* Æqua enim decernitur conditio peregrini, & Israëlitæ quoad hoc: & manifestatur simul sensus legis: *Et declarans nomen Iehouah, moriendo morietur.* quòd, videlicet, de ignominiosa nominatione loquitur.

Vers. 17. Qui percusserit, & occiderit hominem.] Breuiùs Hebraicè dicitur: *Et homo, qui percutiet animam hominis, moriendo morietur.* Anima siquidem pro vita sumitur, quæ non nisi occisione percutitur. Repetitur lex lata Exod. 21. cum subiuncta pœna talionis [d]: de quibus scripsimus ibidem.

[d] Christus Matth. 5. asseruit, dictum esse antiquis, eū, qui occideret, reum esse iudicio: quod nec in hac lege, nec in Exodo est adiectū: vnde colligunt nonnulli, Christum legis præcepta, vt vulgus receptra ea à veteribus tenebat, partim explanasse, partim corrigere voluisse.

Vers. 18. Qui percusserit animal, reddet vicarium, id est, animam pro anima. *Vers.* 19. Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium suorum, sicut fecit, sic fiet ei: *Vers.* 20. fracturā pro fractura, oculū pro oculo, dentem pro dente restituet: qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur. *Vers.* 21. Qui percusserit iumentum, reddat aliud: & qui percusserit hominem, punietur.] Iuxta Hebræum habetur: *Morietur.* quæ repetitio, siquidem est priùs dictæ legis, non vana; sed propter additionem subiunctam; videlicet:

Vers. 22. Iudicium vnū erit vobis, sicut peregrinus, sicut cognitus erit: quia ego Iehouah, Elohe vester.] Hæc est ratio repetitionis, vt non sint duo genera iudiciorum, (alterum pro peregrinis, alterum pro Israëlitis;) sed vnum, atque idem iudicium commune sit omnibus in huiusmodi pœnis. Et ratio redditur ex diuina authoritate; vt, scilicet, & timore diuini iudicij hoc seruent Iudices: & quia Deus præcepit sic iudicari, obediant Iudices diuinæ legi, nec declinent ab ea amore propinquitatis suorum Israëlitarum.

Vers. 23. Locutúsque est Moses ad filios Israël, & eduxerunt eum, qui blasphemauerat, extra castra, ac lapidibus oppresserunt: feceruntque filij Israel, sicut præceperat Dominus Mosi.] Non superfluè, nec post lapidationem hoc adiungitur; sed narrata eductione, ac lapidatione, narrantur lapidantes: præceperat enim Deus, vt populus lapidaret: & hoc manifestatur executioni mandatum per hæc verba.

CAPVT XXV.

LOcutúsq; est Dominus ad Mosen in monte Sinai, dicens.] Ad differentiam multorum suprà scriptorum, quæ fuerunt reuelata Mosi post erectum tabernaculum, loquente Deo ad Mosen in tabernaculo (vt in principio libri huius scribitur) dicitur hîc, *in monte Sinai.* Nec significatur, quòd Moses post reuelationes diuinas in tabernaculo, redierit ad montem Sinaï: sed commemoratur, quæ priùs fuerat diuina allocutio in monte Sinai. Non enim omnes sermones Dei ad Mosen in monte Sinaï octoginta diebus habiti, scripti sunt in libro Exodi: & ideò ad manifestādum tacitos in Exodo, dicit, quòd locutus est Dominus ad Mosen in monte Sinaï. VERS. 1.

Vers. 2. Loquere filiis Israël, & dices ad eos: Quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis.] Iuxta Hebræum habetur: *Quam ego dans vobis.* Præsentis enim temporis.

Sabbathizet Sabbathum Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Quiescet terra quiete Iehouah.* Et est datiui casus ליהוה. Primùm more solito lex in genere proponitur cū ratione legis; videlicet, quòd quies terræ refertur ad Deū, qui dat esse omnibus, vt etiam terra quiescendo repræsentet quietem Dei ab vniuerso opere, quod patrarat. Deinde per partes explicatur, qualis, & quando mandatur hæc quies terræ.

Vers. 3. Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineā tuā, colligésque fructus

fructus eius: *Verſ.4.* ſeptimo autem anno Sabbathum erit terræ requietionis Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Et in anno ſeptimo requies requiei erit terræ, requies Iehouah.* in caſu datiuo. Non ſolùm ſeptimo quoque die; ſed etiam ſeptimo quoque anno, vult Deus commemorari beneficium creationis per repræſentationem quietis: & ſeptimo quidem die, per quietem hominis; ſeptimo autem anno, per quietem terræ [e].

[e] Aſſignant Hebræi aliam rationē huius legis: vt diuites, ſcilicet, quum ſeptimo anno non ſeminarēt, aut meterent, ſi quæreretur: Quid manducabimus, & quid bibemus? recordarētur, quòd pauperes continuò ſunt in illa cura, & anxietate; & aliis ſex annis, liberaliores eſſent erga eos.

Agrum non ſeres, & vineam non putabis.] Manifeſtatur quies terræ à quatuor actionibus: prima eſt, non ſerere: ſecunda eſt, non putare: tertia eſt, non metere ea, quæ ex cadiuis granis orta ſunt. Nam, quod in vulgata editione legitur:

Verſ.5. Quæ ſponte gignit humus, non metes.] Iuxta Hebræum habetur: *Cadiuum meſſis tuæ non metes.* Grana enim, quæ præterito anno ex meſſe remanſerunt in terram cadentia, appellantur cadiua meſſis, quæ ſequenti anno, abſque alia cultura germinant. Et hæc non metenda eſſe præcipitur. Quarta verò actio ſcribitur:

Et vuas primitiarum tuarum non colliges, quaſi vindemiam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vuas ſeparationum tuarum non vindamiabis.* prohibetur enim vindemia anno ſeptimo. Et appellantur vuę ſeparationum tuarum, vel, quia ſepibus ſeparantur, vel, quia ſolitæ erant ſegregari in vſum domini vineæ. In ceſſatione itaque ab his quatuor actionibus, (videlicet, à ſerendo, & metendo, à putando, & vindemiando, conſiſtit quies terræ anni ſeptimi. Et intellige hæc de ſeminatione agrorum: non enim prohibetur ſerere herbas in horto; ſicut nec putare arbores, & colligere fructus earum.

Annus enim requietionis terræ eſt. *Verſ.6.* Sed erunt vobis in cibum; tibi, & ſeruo tuo; ancillæ, & mercenario tuo; & aduenæ, qui peregrinatur apud te; *Verſ.7.* iumentiſque tuis, & pecoribus: omnia, quæ naſcuntur, præbebunt cibum.] Iuxta Hebræum agreſtia animalia ſignificantur per dictionem interpretatam, *pecoribus*: & nihil aliud ſignificatur, niſi quòd agri anno ſeptimo liberi relinquantur ad vſum cuiuſcunque indifferenter; ita vt melior ſit ſemper conditio occupantis, accipiendo in vſum cibi, non ad vendendum.

Verſ.8. Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Septem requies annorum.* Septimus enim quiſque annus erat requies annorum: & propterea ſeptem requies annorum exponuntur, ſtatim ſubiungendo: *Septem annos ſepties.* Et ampliùs exponendo ſubiungitur.

Et erunt tibi dies ſeptem requietum annorum, quadraginta nouem anni.] Sententia eſt planiſſima.

Verſ.9. Et clanges buccina.] Iuxta Hebr. habetur: *Et facies tranſire cornu clangoris menſe ſeptimo, decima die menſis, propitiationis tempore, in vniuerſa terra veſtra.* De menſe ſeptimo quadrageſimi noni anni, iuxta planum literæ contextum, eſt ſermo: quia ad publicandum ſequentem annum eſſe annum Iobelei, præcipitur, vt per vniuerſam terram ſuam mittant cornicinem menſe ſeptimo, decima die menſis. Et ne ſit quæſtio, quis menſis appelletur ſeptimus hoc in loco, explanatur dies veniarum, ſeu expiationis. Aduerte, prudens lector, quòd annus, quantùm ad agriculturam, incipit tempore arandi terram pro ſeminatione: nam tunc incipimus ſerere agros. Et quia in anno Iobelei inhibitū erat ſerere, & metere; ideò menſe ſeptimo quadrageſimi noni anni publicabatur Iobeleus: & ideò ſupputatio annorum mandatur ſecundùm ſeptem requies annorum. Hoc enim ideò ſcriptum eſt, vt intelligeremus, quòd ſupputatio iſta annorū erat ſecundùm annos agriculturæ, ita quòd anni iſti incipiebant à primo menſe agriculturæ, & non à primo menſe, in quo celebratur Paſcha: ita quòd ſeptimus mēſis erat vltimus menſis anni agriculturæ. Vnde & ſuperiùs in cap. 23. tractando de feſto tabernaculorum, menſe ſeptimo, dicitur: *Quando congregaueritis fructus terræ veſtræ.* Valdè itaque congruo tempore publicabatur annus Iobelei, qui incipiebat ſtatim poſt primam partē menſis ſeptimi: nam ipſa die decima menſis ſeptimi proclamabatur libertas, (vt infrà ſubditur:) & ex tunc incipiebat Iobeleus: nullum enim interualla tempus medium interponitur.

Verſ.10. Sanctificabiſque annum quinquageſimum.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Et ſanctificabitis annum quinquaginta annorum.* Et per hanc literam excluditur quæſtio de quinquageſimo anno à multis mota, an quinquageſimus annus intelligeretur relatiuè ad præteritum Iobeleum: manifeſtè enim poſt ſupputatos quadragintanouem annos ſubiungitur: *Et ſanctificabitis annū*, non quadrageſimumnonum, nec quinquageſimū; ſed, *quinquaginta annorum.* Quanuis etiam hoc ſit manifeſtum, & conuincatur ex eo, quòd primus Iobeleus non poteſt dici annus quinquaginta annorum relatiuè ad præcedentem Iobeleum: & ſecundùm veritatem literæ primus Iobeleus erat annus quinquaginta annorum. Contrariatur itaque veritati Scripturæ, quòd vltimus annus ſeptem hebdomadarum annorum, eſſet annus Iobelei; ſed annus immediatè ſequens erat annus Iobelei. Sanctificandus autem præcipitur: quia Deo annus ille dicandus cenſetur quoad multa, & præcipuè quoad libertatem, & hominum, & rerum, intuitu Dei.

Et vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ veſtræ.] Iuxta Hebr. habetur: *Et vocabitis libertatem in terra cunctis habitatoribus eius.* Ecce, ad quid ſanctificatur annus Iobelei.

Ipſe eſt enim Iobeleus.] Iuxta Hebræum habetur: *Iobel ipſe erit vobis.* Nomen Iobel à germine terræ ſumptum eſt: & annus quinquageſimus nominatur Iobel, tanquàm annus germinis, tanquàm ferax libertatum hominum, & agrorum; tanquàm ſit reſtitutio proprij germinis terræ promiſſionis. Redibat ſiquidem quilibet ad cognationem familiæ ſuæ, & agrū ſortis ſuæ, ſicut fuerat diſtributa terra promiſſionis ab initio diſtributionis eius.

Reuertetur homo ad poſſeſſionem ſuam, & vnuſquiſque redie t ad familiam priſtinam: *Verſ.11.* quia Iobeleus [f] eſt, & quinquageſimus annus.] More ſolito ſumma dicendorum proponitur, explicanda poſteà per partes. Duo itaque proponuntur: alterum,

[f] Hæc ſolennitas Iubilæa, libertaſque omnium anno quinquageſimo in memoriam fiebat liberationis de Ægypto. Vnde etiā quinquaginta vicibus in Pentateucho fit mentio illius liberationis.

alterum, quòd ager venditus redeat liberè ad eum, qui vendidit: alterum, quòd quilibet seruus redeat liberè ad progeniem suam; hæc enim duo tractanda sunt diffusè in hoc capitulo.

Non seretis, neque metetis sponte in agro nascentia, & primitias vindemiæ non colligetis.] Iuxta Hebræum repetitur, vt suprà: *Non seretis, & non metetis cadiua eius, & non vindemiabitis separationes eius.* Hæc ex priùs expositis patent. Similis quies indicitur anno Iobelei, qualis indicta est anno septimo. Et ex hac noua indictione quietis apparet, quod diximus, annum Iobelei non esse septimũ annum septimæ annorum hebdomadæ: superfluè enim indicta fuisset iterum quies terræ pro eodem anno.

Vers. 12. Ob sanctificationem Iobelei.] Extenditur sanctitas Iobelei ad quietem terræ.

Sed statim oblata comedetis.] Iuxta Hebræum habetur: *Ex agro comedetis fructum eius, absque cultura fructum comedetis.* vt in anno septimo dictum fuit.

Vers. 13. Anno Iobelei redient omnes ad possessiones [g] suas.] Incipit tractare primò propositam libertatem de recuperatione possessionum: & primùm de agris, deinde de domibus.

[g] Lex ista, vt & aliæ politicæ omnes, publicæ tranquillitatis causa data est, quam non parum sanè promouet. nam illa auaritiæ insidiantium alienis hereditatibus occurritur: vt, quẽadmodum quisque natura sibi in liberis, & hæreditatibus superstes esse cupit, ad idẽ aliis faueat, sitque contentus sorte sua; atq; aliis suas hæreditates non tantũ nõ cupiat inuadere, sed etiam hæredibus suis saluas seruare libẽter operã impendat: sunt enim hæc sinceræ dilectionis officia.

Vers. 14. Quando vendes quippiam ciui tuo, vel emes ab eo, ne contristes.] Iuxta Hebræum habetur: *Non decipies fratrem tuum.* Poterat enim facilè committi fraus, æstimando emolumentum agri subductis sumptibus, & laboribus, seu industria vsque ad Iobeleum.

Sed iuxta numerum annorum Iobelei emes ab eo, *Vers.* 15. & iuxta supputationem frugum vendet tibi.] Iuxta Hebr. habetur tota sententia sic: *In numero annorum post Iobel emes à socio tuo: in numero annorum post non vendet tibi.* Vbi clarè inhibetur venditio transgrediens Iobeleum futurum: decernitur enim, vt æstimetur tempus post præteritum Iobeleum restans vsque ad futurum, & nec æstimatio, nec venditio extendatur ad tempus post futurum Iobeleum.

Vers. 16 Quantò plures anni remanserint post Iobeleum, tantò plùs crescet pretium; & quantò minùs temporis numeraueris, tantò minoris emptio constabit: tempus enim frugum vendet tibi.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia numerum fructuum ipse vendens tibi.* Hæc est ratio supputandi, & æstimandi annos vsque ad Iobeleum: quia, scilicet, non venditur ager; sed fructus vsque ad Iobeleum.

Vers. 17. Nolite affligere contribules vestros.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non decipietis quisque socium suum.* Repetitur hoc præceptum propter facilitatem decipiendi indigentes, qui vendunt in huiusmodi æstimationibus: & propterea adiungitur:

Et timebis ab Elohe tuo.] Vt diuinus timor retrahat emptorem à fallendo.

Quia ego Iehouah [h], Elohe vester.] Non sum sicut Dij gentium: sed sum, qui do esse omnibus; à quo omnes res pendent.

[h] Deus hic pro opitulatore accipitur, qui vbique succurrat, nusquam cunctetur. Vnde Græci Deum Theon vocarunt à currendo, quod vbique, dum opus sit, accurrat, adsit, opem ferat. Sicque diuini homines, varia in homine Dei ex interna fide intelligebant, nempe, quod sic de Deo sentirent.

Vers. 18. Facite præcepta mea, & iudicia custodite, & implete ea, vt habitare possitis in terra absque vllo pauore, *V.* 19. & gignat vobis humus fructus suos, quibus vescamini vsque ad saturitatem, nullius impetum formidantes.] Monitio est alliciens, tum à secura habitatione in terra promissa, tum ab abundantia fructus terræ ad satietatem.

Vers. 20. Quòd si dixeritis: Quid comedemus anno septimo, si non seuerimus, neque collegerimus fruges nostras? *Vers.* 21. dabo benedictionem meam vobis anno sexto, & faciet fructus trium annorum: *Vers.* 22. seretisque anno octauo, & comedetis fruges veteres vsque ad annum nonum, donec noua nascantur edetis vetera.] Similem proportionaliter benedictionem intellige pro anno Iobelei, eò quòd duobus continuis annis terra tunc quiescebat.

Vers. 23. Terra quoque [i] non vendetur in perpetuum; quia mea est: & vos aduenæ, & coloni mei estis.] Iuxta Hebræum dictio interpretata, *in perpetuum*, significat, *ad incisionem*. Modus (vt reor) loquendi tunc temporis, erat vti hoc nomine ad significandum venditionem, vel acquisitionem alicuius rei simpliciter, & absolutè. Dupliciter enim potest fieri venditio: vel quibusdam appositis conditionibus, vt cum pacto de retrouendendo, & similibus: vel simpliciter, & absolutè, vt communiter fit. Modus itaque significatus per *simpliciter, & absolutè*, significatur in litera dicendo, *ad incisionem*, hoc est, incidendo quascunque conditiones: vendendo enim *simpliciter, & absolutè*, inciduntur omnes conditiones, quæ possunt apponi, putà vsque ad Iobeleum, vel cum potestate redimendi, & huiusmodi. Duæ itaque leges statuuntur circa venditionem terrarum. Altera est: *Terra non vendetur ad incisionem* [k], hoc est, *simpliciter, & absolutè.* Et hæc lex radix est redditus terræ cuiusque ad eum, cui sorte obtigerat in diuisione terræ promissionis. Et ratio huius legis subiungitur: quia terra est mea: quia directum dominium terræ non est vestrum; non dedi illud vobis; sed tantùm dominium vtile: & vos mecum estis tanquàm peregrini, & coloni mei. Et ex hoc textu Dauid appellabat se apud Deum peregrinum. Altera lex est:

[i] Hęc verba repetiuit Dauid 1. Paralip. 29. agnoscens terræ proprietatem reseruatam Deo.

[k] Qui vendiderat, semper redimere poterat.

Vers. 24. Et cuncta regio possessionis vestræ, sub redemptionis conditione vendetur.] Latior est lex in Hebræo: *Et in omni terra possessionis vestra redemptionem dabitis terra.* Non arctatur lex ad venditionem. Prima lex est negatiua: hæc autem est affirmatiua, disponens, quòd in omni alienatione terræ apposita intelligatur facultas redimendi.

Vers. 25. Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, veniens propinquus eius poterit redimere, quod ille vendiderat. *Vers.* 26. Si autem non habuerit proximum, & ipse pretium ad redimendum potuerit inuenire, *Vers.* 27. computabuntur fructus ex eo tempore, quo vendidit; &, quod reliquum est, reddet emptori: sicque recipiet possessionem suam.

Vers. 28. Quod si non inuenerit manus eius, vt reddat pretium, habebit emptor, quod emerat, vsque ad annum Iobeleũ: in ipso enim omnis venditio redibit ad dominum,

dominum, & possessorem pristinum.] Casus isti tres quoad sensum verè scribuntur in vulgata editione, quamuis verba Hebraica alio modo idem significent: sed materia non exigit hanc verborum exactionem.

Vers. 29. Qui vendiderit domum intra vrbis muros, habebit licentiam redimendi, donec vnus annus impleatur. *Vers.* 30. Si non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor possidebit eam, & posteri eius in perpetuum, & redimi non poterit, etiam in Iobeleo. *Vers.* 31. Si autem in villa fuerit domus, quæ muros non habet, agrorum iure vendetur: si antè redempta non fuerit, in Iobeleo reuertetur ad dominum suum.] Specialis lex promulgatur de redemptione domorum: quia domus non est ferax fructus, quemadmodum ager, seu vinea. Et inter ipsas domos disparitas censetur: quoniam domus agrestis, quia propter agrum communiter fit, censetur quemadmodum ager, vt semper possit redimi vsque ad Iobeleum, & in Iobeleo reuertatur ad herum. Aduerte hîc, quod iuxta Hebraicum, vbi in vulgata editione dicitur: *Emptor possidebit eam.* iuxta Hebræum repetitur supradictum *incisionis* nomen, dicendo *Consurget domus, quæ in ciuitate ad incisionem emptori ipsi, in generationes eius.* Quod ideò annotauerim, vt percipiatur, quòd etiam acquisitio *simpliciter*, & *absolutè* describitur *ad incisionem*, & cognoscatur, quòd non sonat malum pœnæ iste loquendi modus.

Vers. 32. Ædes Leuitarum, quæ in vrbibus sunt, semper possunt redimi.] Iuxta Hebræum multa habentur, quæ in vulgata editione omittuntur: nam dicitur: *Et ciuitates Leuitarum, domus ciuitatum possessionis eorum, redemptio semper erit Leuitis.* Non est priuilegium Leuitarum, sed locorum: non enim excipiuntur quæcunque domus Leuitarum; sed domus duntaxat Leuitarum, quæ erant in ciuitatibus Leuitarum: ita quòd si Leuita habebat domum in alia ciuitate, & vendebat eam, non gaudebat domus illa hoc priuilegio, quod possit semper redimi, sed subiecta erat legi communi.

Vers. 33. Si redemptæ non fuerint in Iobeleo, reuertentur ad dominos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et qui redimet è Leuitis, exibit venditio domus ciuitatis possessionis eius in Iobel: quia domus ciuitatum Leuitarum pro possessionibus eorum sunt inter filios Israel.* Prima horum verborum clausula iungenda est præcedenti: ita, quòd ordo litteræ est: Redemptio semper erit Leuitis, & qui redimet ex Leuitis. Facultas redimendi non solùm Leuitę, qui vendidit: sed etiam alteri Leuitæ conceditur. Et posteà subditur, quòd in Iobeleo venditio finitur, & consequenter redemptio ab altero facta, quæ successit emptioni: finito enim venditionis tempore finitur vis emptionis, & consequenter redemptionis. Et subiungitur omnium istorum ratio: quia domus ciuitatum Leuitarum sunt tanquàm agri eorum: & propterea iure agrorum censentur; quia non aliam partem terræ habebant Leuitæ in diuisione terræ promissionis, nisi ciuitates ad habitandum.

Vers. 34. Suburbana autem eorum non vendant: quia possessio sempiterna est. *Vers.* 35. Si attenuatus erit frater tuus, & infirmus manu.] Iuxta Hebræum habetur: *Et inclinabit manum suam tecum.* Scripturus Moses de seruitute hominis Israëlitæ propter perficiendam libertatem Iobelei, præmittit antecedenter casum paulò minorem seruitute, quòd si attenuatus fuerit frater tuus rebus, & inclinabit manum suam tecum, hoc est, operam suam sub te ponet, ministrum tuum se exhibebit negotiando, procurando, vel aliquid eiusmodi efficiendo, vt frequenter contingit.

Et susceperis eum quasi aduenam, & peregrinum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et facies inualescere in ipso peregrinum, & habitantem.* Contingens sæpè scribitur casus, videlicet, quòd diues aliquis adiuuat pauperem negotiatorem industrium, credendo illi pecuniam, vel fruges: huiusmodi enim adiutorium, siue mutuando, siue ad negotiandum dando, significatur dicendo: *Et facies inualescere.* Et dicitur ad diuitem, quòd si facies inualescere in ipso peregrinum, & habitantem, hoc est, si tua ope, & opibus facies ipsum inualescere, tanquàm peregrinum, & habitantem tecum, non tanquàm filium, aut seruum. Deinde quarta conditio subditur:

Et viuet tecum.] Bonus, & ingeniosus minister non ingratus diuiti, ad pinguiorem fortunam tendens, & perseuerans viuendo cum diuite describitur. Collige, prudens lector, ex quatuor conditionibus descriptum hunc ministrum diuitis; & vide subiuncta præcepta data diuiti.

Vers. 36. Ne accipias vsuras ab eo.] Dictio interpretata, *vsura*, propriè significat *morsum.* Gratias Deo, qui *vsuram* nominat *morsum*, ad docendum homines læsionem, & iniquitatem vsuræ: verè enim mordet, & quàm iniquum sit mordere, omnes sciunt. Iubetur specialiter diuiti, vt non mordeat vsura talem ministrum; quia facilè accidere potest, vt inducatur ad mordendum lucrum pauperis ministri.

Nec ampliùs, quàm dedisti.] Iuxta Hebræum habetur: *Et multiplicationem.* Vt enim infrà exponitur, morsus refertur ad pecunias; multiplicatio verò refertur ad alimentum. inhibetur enim dari modium tritici, vt restituatur modius cum dimidio.

Time Deum tuum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et timebis ab Elohe tuo: & viuet frater tuus tecum.*

Vers. 37. Pecuniam tuam non dabis ei ad vsuram, & frugum superabundantiam non exiges.] Diuinus timor, vt frænum apponitur: ad insinuandum, quòd contractus isti puniendi sunt à Deo, quamuis non puniantur ab homine.

Vers. 38. Ego Dominus Deus vester[l].] Solita sunt nomina: *Ego Iehouah Elohe vester.*

Qui eduxi vos de terra Ægypti, vt darem vobis terram Chenahan, & essem Deus vester.] Diuina affertur authoritas, commemorans beneficium eductionis de Ægypto, ad largiendum eis duo: alterum, terram Chenahan: alterum, esse eis in Elohim; hoc est, in gubernatorem & Iudicem. Vt ex hoc magis timeant malè tractare pauperes Israëlitas.

[l] Hæc oratio plerunque ad finem alicuius sermonis, vel sententiæ apponitur, vt præcedentibus fidelitas ab authoritate Domini mandantis concilietur. Sic & Prophetæ frequenter apponunt, *Ait Dominus*: vt intelligamus, huiusmodi epilogos propter superiorum fidem positos.

Vers. 39. Quando attenuabitur frater tuus,

tuus,& vendet se tibi.] Iuxta Hebræum latior est casus:nam dicitur: *Et vendetur tibi.* comprehenditur enim non solùm venditus à se,sed venditus à patre.

Non eum opprimes seruitute seruorum. *Vers.* 40. Velut mercenarius,& colonus erit tecum:vsque ad annum Iobeleum operabitur apud te. *Vers.* 41. Et posteà egredietur cum liberis suis: & reuertetur ad cognationem suam, & ad possessionem patrum suorum. *Vers.* 42. Mei enim serui sunt, qui eduxi eos de terra Ægypti: non væneant conditione seruorum.] Hinc incipit tractare alterum propositorum:expedito enim primo proposito, (videlicet,*reuertetur homo ad possessionem suam,*) & incidente casu, tractatur secundũ propositum: videlicet, *& vnusquisque redibit ad familiam pristinam.* Talis enim reditus fiebat in Iobeleo: quia omnes Israëlitæ serui, liberi tunc erant ipso iure. Et hoc hîc tractatur,& adiungitur, quòd vsque ad Iobeleum Israëlita seruus non tractetur,vt seruus;sed mercenarius,seu colonus. Et omnium rationem reddit Deus: *Quia mei sunt serui Israëlitæ,eò quòd eduxi eos de terra Ægypti.*

Sed occurrit quæstio: quia tam Exodi 21. quàm Deuter. 15. seruus Israëlita sex duntaxat annis decernitur seruire, & septimo anno erat liber: quomodo ergo vsque ad Iobeleum (vt hîc scribitur) durabat Israëlitæ seruitus? Solutio est, quod nulla est inter istas leges contrarietas: quia, non intercedente Iobeleo, expectabatur annus septimus à seruitute supputandus: intercedente autem Iobeleo liberabatur, quotocunque anno seruitutis accidisset Iobeleus: hæc enim amplior gratia decernitur lege Iobelei.

Vers. 43. Nec affligas eum per potentiam.] Iuxta Hebræum habetur: *Non subiugabis eum in fractione.* Fortè ad literam seruis vtebantur aliqui ad arandum loco boum; & proptereà inhibetur, vt non subiugetur Israël ista fractione terræ:alioquin subiugatio in fractione significatur subiectio in multo labore frangente vires serui ad tempus.

Sed metuito Deum tuum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et timebis ab Elohe tuo.* Vbi deest timor humanus, oportet, quòd suppleat timor diuinus.

Vers. 44. Seruus, & ancilla sint vobis de nationibus, quæ in circumitu vestro sunt, *Vers.* 45. & de aduenis, qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra. Hos habebitis famulos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erunt vobis in possessionem.* hoc est,tanquàm res pleno iure vestræ simpliciter,& absolutè.

Vers. 46 Et hæreditario iure transmittetis ad posteros; ac possidebitis in æternum.] Deficit hîc vna clausula:nam Heb aïcè adiungitur: *In eis exercebitis seruitutem.* & statim subiungitur:

Et in fratribus vestris filiis Israel, quisque in fratre suo, non subiugabit in fractione.] Duæ differentiæ inter [Israë]litas,& alios decernuntur: altera,quoad seruitutem: altera,quoad opera seruorum:alij enim erant serui simpliciter, & opprimebantur omni subiectione seruorum;Israëlitæ autem, nec serui simpliciter, nec opprimendi omni famulatu seruorum erant.

Vers. 47. Si inualuerit manus [m] peregrini, & habitantis tecum.] Hactenus actum est de seruitute Israëlitarum relatiuè ad dominos Israëlitas,modò agitur de seruitute eorundem relatiuè ad dominos alienæ nationis; habitantes tamen in terris Israël: alioquin frustrà imponeretur eis lex: alieni enim habitantes extrà, non erant subiecti legi Mosis.

> [m] *Inualuerit manus,* Hebraismus est, pro ditescere, vel bonum aliquod assequi.

Et attenuatus frater tuus vendiderit se ei.] Iuxta Hebræum habetur, vt suprà: *Et erit venditus peregrino, & habitanti tecum.* Latior enim est casus,vt dictum est.

Aut cuiquam de stirpe eius, *Vers.* 48. post venditionem poterit redimi. Qui voluerit ex fratribus eius,redimet eum: *Vers.* 49. vel patruus, vel patruelis, vel consanguineus, vel affinis. Si autem & ipse potuerit, redimet se, *Vers.* 50. supputatis duntaxat annis à tempore venditionis eius vsque in annum Iobeleum; & pecunia, qua venditus fuerat iuxta numerum annorum, & ratione mercenarij supputata. *Vers.* 51. Si plures fuerint anni, qui remanent vsque ad Iobeleum, secundũ hos reddet & pretiũ. *V.* 52. Si pauci, ponet rationem cum eo iuxta numerum annorum, & reddet emptori,quod reliquum est annorum, *Vers.* 53. quibus antè seruiuit mercedibus supputatis.] Lex est clara: est enim similis legi venditorum agrorum: nam & conceditur redemptio; & decernitur supputatio annorum vsque ad Iobeleum. Et quemadmodum emolumentum præceptum ex agro, ita emolumentum præceptum ex seruo, quasi mercenarij supputandum decernitur in casu redemptionis: & demum si non fuerit redemptus,in Iobeleo egredietur liber cum filiis suis.

Non affliget eum violenter in conspectu tuo.] Supradicta verba reperiuntur: *Non subiugabit ipsum in fractione, in oculis tuis.* Præcipitur Magistratibus, vt non permittant Israëlitam seruum alienigenæ habitantis in terra Israël,subiugari in fractione vel terræ,vel vitium:vt expositum est.

Vers. 54. Quòd si per hæc redimi non poterit,anno Iobeleo egredietur cum liberis suis. *Vers.* 55. Mei enim serui sunt filij Israël, quos eduxi de terra Ægypti.

CAPVT XXVI.

VERS. 1.

EGo Dominus Deus vester.] Solita sunt nomina: *Ego* יהוה *Elohe vester.* Sciebat Deus pronos Israëlitas ad idololatriam: & proptereà repetit per Mosen prima præcepta, quæ per seipsum dederat, tum de seipso c[o]lendo,dicens: *Ego* יהוה *Elohe vester:* tum de simulacris non venerandis,subiungens:

Non facietis vobis idola, & sculptile, *(seu incisum)* nec titulos [a] erigeris.] Iuxta Hebræum habetur: *Et statuam non erigetis vobis.* Quod fecerat olim Iahacob, erigendo lapidem in honorem Dei cum effuso oleo desuper,

> [a] Aliqui hos titulos intelligunt fuisse lapides, supra quos Chananæi sacrificia offerebant Diis [illegible], sed potius intellige[re] [illegible]

columnas, vel aliquid simile fuisse, ad perpetuam rerum gestarum memoriã: quemadmodum Scriptura Dauidem, & Absalonem fecisse refert propter hoc ipsos reprehendens. Idem & de Gedeone legimus Iudicum 9. qui in sui memoriam ephod aureum posuit in ciuitate suã, & factus est illi, & domui eius in offendiculum: non quòd Gedeõ ephod, tanquàm idolum, coleret; sed quòd populus ad eum locum, tanquàm honoratiorem, pro offerendis sacrificiis conueniret. Vnde fortè superstitio quædam exorta est; solemus enim natura huiusmodi monumenta venerari, quemadmodum Sichimitas legimus elegisse Abimelech in Regem, iuxta lapidem, quem Iosue iussu Dei erexerat in monumentum. Hanc igitur superstitionẽ, & monumentorum vanitatem, tanquàm rem perniciosam voluit abolere Dominus; nam Ninus Babyloniorum Rex, quum patris imaginem erigeret, & illi eos honores exhiberet, vt quibuslibet reis ad eam confugientibus parceret; regnicolæ statuæ diuinos honores impẽdere cœperunt: vnde idololatria cœpta est.

per, prohibet lex fieri decreto iam tabernaculo, & altari diuini cultus. Mos enim ille erigendi lapidem, communis erat idololatris, & colentibus Deum verum: & hunc Deus exterminat à populo suo: eadem siquidem dictio scribitur hîc, & ibi in facto Iahacob.

Nec insignem lapidem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et lapidem pictum.* Siue incisione, siue pictura imago quælibet prohibetur, non absolutè, sed colenda: vt testantur subiuncta.

Non dabitis in terra vestra, vt incuruetur ei.] Non enim prohibetur Israëlitis habere simulacra, & picturas, nisi ad adorandum: vt clarè testantur Cherubini in tabernaculo, tum aurei, tum contexti.

Ego enim sum Dominus Deus vester.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia ego* יהוה *Elohe vester.* Ratio præcepti negatiui (videlicet, non colendi simulacra,) redditur ex affirmatiuo: Quia ego sum, cui soli debetur diuinus honor.

Vers. 2. Custodite Sabbatha mea, & pauete ad Sanctuarium meum.] Post repetita præcepta directè respicientia Deum, repetuntur præcepta respicientia diuina. Tempora quidem, dicendo *Sabbatha:* loca autem, dicendo *Sanctuarium:* præcepta verò generaliter, dicendo: *Si in præceptis meis,* &c.

Ego Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Ego Iehouah, summus Deus, qui do esse omnibus.* Et aptè præponitur fons essendi subiunctæ largitati. Et litera sequens valdè clara est: quædam tamen corrigenda, seu exponenda sunt.

Vers. 3. Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus suis: *Vers.* 4. & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. *Vers.* 5. Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem: & comedetis panem vestrum in saturitate, & absque pauore habitabitis in terra vestra. *Vers.* 6. Dabo pacem in finibus vestris, dormietisque, & non erit, qui exterreat. Auferam malas bestias: & gladius non transibit terminos vestros. *Vers.* 7. Persequemini inimicos vestros; & corruent coram vobis. *Vers.* 8. Persequentur quinque de vobis centum alienos; & centum ex vobis decem millia: & cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro. *Vers.* 9. Respiciam vos, & crescere faciã, & multiplicabimini: & firmabo pactum meum vobiscum. *Vers.* 10. Comedetis vetera inueterata, & vetera nouis superuenientibus proiicietis. *Vers.* 11. Ponam tabernaculum meum in medio vestri: & non abiiciet vos anima mea. *Vers.* 12. Ambulabo inter vos, & ero vester Deus: vósque eritis mihi populus. *Vers.* 13. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægyptiorum, ne seruiretis eis: & qui confregi catenas ceruicum vestrarũ, vt incederetis erecti.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fregi inclinationes iugorum vestrorum, & feci ire vos in erectione.* Ad literam iugum onerum, quibus opprimebantur ab Ægyptiis, quæ scripta sunt circa principium Exodi, significatur.

Vers. 14. Quòd si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, *Vers.* 15. si spreueritis leges meas, & iudicia mea contempseritis (vt non faciatis ea, quæ à me constituta [b] sunt, & ad irritum perducatis pactum meum,) *Vers.* 16. ego quoque hæc faciam vobis. Visitabo vos velociter in egestate.] Iuxta Hebræum habetur: *Visitare faciam super vos stuporem.* Quanuis Hebraïca dictio peius significet, quàm stuporem: nam significat internam passionem, qua homo est attonitus: pessima enim ægritudo est. Et subditur: *Frigus & febrem, faciendo consumere oculos, & faciendo dolere animam.* De frigore interno causante tremorem, & ardente febre est sermo. Et hæc quidem duo vniuersi corporis sunt ægritudines: prima autem est capitis. quarta verò oculorum: vltima sensibilis doloris interni, (& tanti, vt viuere dolorem sensibilem ingerat,) ægritudinem sonat.

[b] Statuta, vt dicunt nonnulli, sunt cæremoniæ, quæ non habent rationẽ, cur faciendæ sint, nisi quia Deus ea fieri præcepit, vt est, duo diuersa semina in vnũ agrum promiscuè nõ iacere.

Frustrà seretis sementem, quæ ab hostibus deuorabitur. *Vers.* 17. Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subiiciemini iis, qui oderunt vos, fugietísq; nemine persequente. *Vers.* 18. Si autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra.] Tam hîc, quàm in sequentibus, non habetur Hebraïcè, *septuplum*; sed semper habetur *septem.* Nec significatur, quòd Deus puniet septies, (quãdoquidem de ipso scriptum est, quòd nec bis puniet idem;) sed significatur, quòd multiplicabit flagella, quæ merentur peccata eorum. Significatur autem multiplicatio septenario numero, ad manifestandum, quòd non excedet multiplicatio flagellorum septem; hoc est, integram, seu vniuersam punitionem, quam merentur peccata eorum: ita quòd duo dicuntur: & *adiunctio, & septem.* Vt *adiectio* iram, *septem* verò infra limites iustitiæ significet. Deus enim, quantuncunque multiplicet pœnas, punit citra condignum.

Vers. 19. Et conteram superbiam duritiæ vestræ.] Iuxta Hebræum habetur: *Fortitudinis vestræ.*

Dabóque cælum vobis, sicut ferrum [c]; & terram vestram, sicut æs. *Vers.* 20. Cõsumetur in cassum labor vester.] Iuxta Hebræum habetur, *vis vestra.*

[c] *Cælum, sicut ferrum,* hoc est, non dans pluuias, nec fructificare faciens. *Terra sicut æs,* id est, omninò sterilis.

Non proferet terra germen, & arbores non dabunt fructum suum.

Vers. 21. Et si ambulaueritis ex aduerso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras vsque in septuplum propter peccata vestra. *Vers.* 22. Emittámque in vos bestiam agri, quæ consumat vos.] Iuxta Hebræum habetur: *Quæ orbabit vos.* Hoc est, priuabit vos filiis.

Et consumet pecora vestra, & ad paucitatem cuncta rediget.] Iuxta Hebræum habetur: *Et minuet vos.* De personis eorum est sermo.

Desertæque fient viæ vestræ. *Vers.* 23. Quòd si nec sic volueritis recipere disciplinam; sed ambulaueritis ex aduerso mihi, *Vers.* 24. ego quoque contra vos aduersus incedam, & percutiam vos septies propter peccata vestra: *Vers.* 25. inducámque super vos gladium vltorem fœderis mei. Quúmque confugeritis in vrbes,

vrbes, mittam pestilentiam in medium vestri: & trademini in manus hostium. *Vers.* 26. Postquàm confregero baculum panis vestri, coquent decem mulieres panem vestrum in clibano vno: & reddent eum ad pondus, & comedetis & non saturabimini.] Fames cum gladio, & peste simul scribitur, & posteà.

Vers. 27. Si autem nec per hæc audieritis me, sed ambulaueritis contra me, *Vers.* 28. & ego incedam aduersùs vos in furore contrario, & corripiam vos septem plagis propter peccata vestra, *Vers.* 29. ita vt comedatis carnes filiorum vestrorum, & filiarum vestrarum. *Vers.* 30. Destruam Excelsa vestra [d]; & simulacra confringam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et faciam incidere, quæ Solis sunt vestra.* Dictio hebraïca interpretata, *quæ Solis sunt*, significat loca in venerationem Solis culta: tam enim excelsa, quàm hoc nomen, nomina sunt locorum ad cultum Deorum dicata.

[d] In locis altis, & sublimibus consueuerant Gentes fana idolorum ædificare, vt constat Iudicum 9. & passim in Scripturis, illud à Patriarchis mutuati, qui in mõtibus orare consueuerant. Nam inde amplius opera Dei contemplabãtur ex montibus præclarius apparentia.

Cadetis inter ruinas idolorum vestrorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dabo cadauera vestra super corpora abominationum vestrarum.* Et scito, quòd dictio interpretata, *cadauera*, significat cadauera, non naturaliter morientium; sed morte violenta. Corpora autem abominationum, aut corpora Ethnicorum, (quos abominabantur Hebræi, etiam in sepulcro,) vel corpora animalium significantur: vt inhumata eorum cadauera, tanquàm animalium brutorum, fore describantur.

Et abominabitur vos anima mea [e]: *Vers.* 31. & redigam ciuitates vestras in solitudinem; & deserta faciam Sanctuaria vestra; nec recipiam vltrà odorem suauissimum. *Vers.* 32. Desolabóque ego terram, & desolabunt super eam inimici vestri habitantes in ea. *Vers.* 33. Vos autem disperdam in gentes, & euaginabo post vos gladium, eritque terra vestra deserta, & ciuitates vestræ dirutæ. *Vers.* 34. Tunc placebunt terræ Sabbatha sua cunctis diebus solitudinis suæ, quando fueritis *Vers.* 35. in terra hostili, tunc sabbathizabit, & requiescet in Sabbathis suis, cunctis diebus solitudinis suæ requiescet, eò quòd non requieuerit in Sabbathis vestris, quando habitabatis in ea: *Vers.* 36. & qui de vobis remanserint, dabo pauorem in cordibus eorum in regionibus hostium: terrebit eos sonitus folij volantis.] Iuxta Hebræum habetur: *Folij impulsi.* De sonitu foliorum impulsorum à vento est sermo.

[e] *Abominabitur vos anima mea*, phrasis est, pro abominabor vos ex animo, quemadmodum Genesis 27. dixit Isaac Esaũ: *Vt benedicat tibi anima mea, antequam moriar*, id est, vt tibi ex animo benedicam. Cæterum euaginare gladium, vibrare arcum, tendere, & parare, vt Psal. 17. Hebraismus est, vindictam, ac punitionem Dei impiis proximam pulchrè depingens. Illud verò: *Placebunt Sabbatha*, &c. scito, Sabbathum ibidem pro desertione capi. Sic cepit Sabbathum Ierem. Threnorum 1. *Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbatha eius.* Itidem ille stupor hic adeò comminatus, is pauor est, qualis venit illis, quos occidebat Ionathas cum armigero, 1 Reg. 14. & Philisthæis, quando fecit Dominus audire sonitum in eorum castris: & Madianitis, qui visis lucernis Gedeonis, se ipsos occidebant, Iudicum 7. Cæterũ ex eo, quod dicit: *Hostilis terra vos consumet.* inferunt nonnulli, omnes illos de decem Tribus à Salmanasar captiuos nunquàm reuersos è captiuitate, sed hac maledictione cõsumptos; ita vt omnes Iudæi per orbem dispersi ex Iuda, & Beniamin tantum Tribubus sint. Sed hoc non teneo; nam ex cap. 6. Esdræ, & libris Nehemiæ, & Hesther oppositum manifestissime elicitur.

Et ita fugient, quasi gladium, cadéntque nullo persequente: *Vers.* 37. & corruent singuli super fratres suos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et cespitabunt quilibet in fratrem suum.* Ad similitudinem cespitantium impingendo in prauitatem viæ scribuntur.

Quasi bella fugientes.] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut à facie gladij: & tamen nullus insecutor.* Effectus enim interni pauoris scribuntur.

Et nemo vestrûm inimicis audebit resistere. *Vers.* 38. Peribitis inter gentes, & hostilis terra vos consumet. *Vers.* 39. Quòd si & de his aliqui remanserint.] Iuxta Hebræum non scribitur dubitando, sed: *Et remanentes in vobis, liquefient in iniquitatibus suis in terra inimicorum suorum: & etiam in iniquitatibus patrum suorum cum eis liquefient.* Priùs dixerat: *Et hostium terra vos comedet.* quamuis vulgata editio habeat, *consumet.* Modò dicit, *liquefient*, remanentes non comesti à terra: & hæc est vltima plaga, significans, quòd, quemadmodum liquescentes niues, seu pruinæ, deficient propter peccata sua, & peccata patrum suorum. Et idem verbum (scilicet *liquefient*) repetitur, vbi vulgata editio habet, *affligentur.*

Vers. 40. Donec confiteantur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et confitebuntur iniquitates suas, & iniquitates patrum suorum mentiri suo in me; & etiam quia ambulauerunt mihi ex aduerso.* Videntes post tot plagas, se continuè, tanquàm liquescendo, deficere, resipiscent confitendo iniquitates suas, & iniquitates patrum suorum; tum in mentiri suo, quo mentiti sunt in me; tum, quòd iuerunt mecum ex aduerso; tum, quòd propterea ambulaui, & ego contra eos, & feci venire eos in terras inimicorum suorum. Aduerte, prudens lector, quòd hæc quatuor confitenda scribuntur; diuersimodè tamen: quia prima duo clarè scribuntur confitenda: reliqua verò obscurè in assuetis Hebraïco stylo: nam in litera significantur verbis futuri temporis sic:

Vers. 41. Etiam ego ibo cum eis ex aduerso, & faciam venire eos in terram inimicorum suorum.] Sed verba futuri temporis referuntur ad peccata eorum: relatiuè enim ad culpas eorum futura semper fuit punitio Dei. Et ad hoc significatur punitio præterita verbis futuri temporis, vt confessio ipsa significet, quòd actio diuina secuta est peccata eorum: vt confiteantur, quòd non casu, aut humana ratione, sed quòd diuina vltione passi sunt propter peccata sua, & patrum suorum.

Donec erubescat incircuncisa mens eorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Vel tunc erit humile cor eorum incircuncisum.* Hoc est, saltem tunc deprimetur cor eorum ethnicum: quandiu enim non agnouerunt diuinum esse opus, quod patiebantur, cor Ethnicum habuerunt: negant enim Ethnici, ipsum summum Deum curam habere humanarum actionum, & passionum in particulari.

Tunc orabunt pro impietatibus suis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et tunc accceptabunt culpam suam.* Dictio interpretata, *orabunt*, vel *acceptabunt*, neutrum horum significat; sed ad volitionem spectat: nec inuenio scientem dare ei correspondens in Latino, & vulgari nostro: intelligo tamen, quòd humiliato corde volent se esse culpabiles; ita quòd non solùm intellectu confitebuntur se peccasse; sed etiam voluntatem flectent ad habendum seipsos iniquos. Et scito, quòd hæc dictio, & nomine, & verbo sæpè repetitur, & interpretatur, *placet*. vel *acceptabile*, vel aliquid eiusmodi.

Vers. 42. Et recordabor fœderis mei, quod pepigi cum Iahacob, & Ishac, & Abraham, & terræ memor ero. *Vers.* 43. Et terra relinquetur ab eis: & complacebit

cebit sibi in Sabbathis suis, quum erit destituta ab eis.] Dictio interpretata, *complacebit sibi*, est illa, quæ paulò antè versa est, *acceptabunt*. Et similiter, quum subiungitur:

Ipsi vero rogabunt pro peccatis suis.] Eadem dictio repetitur, dicendo: *Et ipsi volent culpam suam.* quod malè sonat apud nos: sed sensus est sanctus, intelligendo, vt diximus, voluntate ferentur in seipsos, vt verè iniquos.

Eò quòd abiecerint iudicia mea, & leges meas despexerint.] Iuxta Hebræum habetur: *Eò quòd, & in eo, quod iudicia mea abominati sunt, & præcepta mea elongauit anima eorum.* Vtrunque significatur detestandum à voluntate, tum ratio, tum materia iniquitatis, abiectio diuinæ legis.

Vers. 44. Attamen etiam cùm essent in terra hostili, non penitùs abieci eos: neque sic despexi, vt consumerentur [f], & irritum facerem pactum meum cum eis.] Ne quæras, quod est istud pactum cum populo Israël, statim explanatur subdendo:

[f] Hoc constat, tum ex Scripturis sacris, tum ex gentium historiis: nam multi Babyloniorum, & Persarum Monarchæ, Iudæos captiuos maximo fauore persecuti sunt, vt videre licet in libris Esdræ, Nehemiæ, & Hesther.

Quòd ego יהוה Elohe eorum.] Hoc fuit inter Deum, & populum Israël fœdus, quòd ipse Iehouah fons essendi esset Deus illius populi.

Vers. 45. Et recordabor eis fœderis mei pristini, quando eduxi eos de terra Ægypti in conspectu gentium.] Declarando tempus, quando fuit fœdus hoc initum, subiungit Deus, se reuocaturum ad memoriam primum fœdus cum eis in exitu de Ægypto. Nam in monte Sinaï quinquagesimo die ab exitu de Ægypto fecit Deus primum cum populo fœdus hoc, ore proprio alloquendo populum. Propter quod ipse fœdus repetit, subiungendo:

Vt essem Deus eorum, ego Dominus Deus.] Quod Hebraïcè dicunt: *Ad esse eis in Elohim, ego Iehouah.* Commemorat, quòd pactum in monte explanatum ore proprio, præmanifestauerat factis mirabilibus coram gentibus, dum educendo Israëlitas de Ægypto exhibuit seipsum summum Deum in Elohim (hoc est, in Deum gubernatorem) eorum. Hac siquidem ratione educti sunt de Ægypto: & ad hoc facta sunt tot stupenda miracula in Ægypto, & in via vsque ad montem Sinaï. Si quæris fractionem fœderis dicti, si Deus pro peccatorum meritis consumpsisset penitùs Israëlitas. Responsio in promptu est: quia non fuisset ampliùs Israëlitarum Deus. Si enim Israëlitæ omnes extincti fuissent, Deus desiisset esse Israëlitarum Elohim; hoc est, gubernator, & Iudex, vt patet. Ad seruandum itaque fœdus, (vt, scilicet, ipse fons essendi esset Israëlitis in Deum) non extinxit Israëlitas omnes. Et manifestauit Deus hanc suæ clementiæ rationem, vt & hoc cognoscant, quòd quanuis ipsi Israëlitæ violauerint fœdus cum Deo factum toties, attamen Deus voluit pactum frangere, finem imponendo pacto ab eis toties violato.

Hæc sunt præcepta, atque iudicia, & leges, quas dedit Dominus inter se, & inter filios Israël in monte Sinaï per manum Mosis.

CAPVT XXVII.

Vers. 1. Locutúsque est Dominus ad Mosen, dicens: *Vers.* 2. Loquere filiis Israël, & dices ad eos: Homo, qui votum fecerit, & vouerit.] Iuxta Hebræum habetur: *Homo, quando faciet separare votum in æstimatione.* Duo votorum genera fuisse apud Hebræos hoc capitulum testatur: quorum alterum appellatur votum æstimationis: alterum, votum destructionis. Et ad differentiam voti destructionis (de quo infrà erit sermo) dicitur in litera, *votum in æstimatione*. Formalis autem differentia inter hæc duo votorum genera consistit in hoc, quòd votum æstimationis formaliter est alicuius rei vtilis: votum autem destructionis formaliter non promittit vtile, (quanuis extēdatur etiam ad vtile; vt infrà patebit:) sed formaliter est ad destruendum relatiuè ad Dei gloriam. Primum itaque tractatur de votis æstimationis; hoc est, de votis, quibus directè promittitur Deo aliquod bonum vtile, vel tabernaculo Dei, vel Dei ministris, & huiusmodi. Et propterea sub hoc votorum genere non comprehendebatur votum holocaustorum: quoniam holocaustum totum incendebatur Deo, & non erat ad vtilitatem æstimabile.

Et spoponderit Deo animam suam.] Exposuit Interpres, quod breuissimè Hebraïcè dicitur: *Animas Iehouah.* Et est datiui casus, *Iehouah.* Et appositiuè dicit, *animas*: dixerat enim, quādo fecerit separare votū, appositiuè, *animas*. Sumitur enim votū pro re voto affecta. Et proptereà apponitur, *animas* [a], hoc est, vitas hominū: vouebant enim quandoque propriam, vel filiorum vitā separare dādam in obsequium Dei, ad ministrandum, vel Sacerdotibus in templo seruientibus, vel ad obediendum eisdem in variis seruitiis pro iis, quæ diuini cultus erant.

[a] Veteres ex institutione Dei spontaneas oblationes idētidem offerebant, ad declarandam suam erga Deum gratitudinem.

Hæc erit æstimatio. *Vers.* 3. Si fuerit masculus, à vigesimo anno vsque ad sexagesimum annum dabit quinquaginta siclos argenti ad mensuram Sanctuarij, *Vers.* 4. si mulier, triginta. *Vers.* 5. A quinto autem anno vsque ad vigesimū, masculus dabit viginti siclos, fœmina decem. *Vers.* 6. Ab vno mense vsque ad annum quintum pro masculo dabuntur quinque sicli, pro fœmina tres. *Vers.* 7. Sexagenarius, & vltrà masculus dabit quindecim siclos, fœmina decem. *Vers.* 8. Si pauper fuerit, & æstimationem reddere non valebit, stabit coram Sacerdote, & quantùm ille æstimauerit, & viderit cum posse reddere, tantùm dabit.] Quatuor ætates in vtroque sexu dispari semper æstimatione clarè distinguuntur in litera: & quinto loco paupertatis vouentium ratio habetur, arbitrariàque decernitur æstimatio. Ætatum autem limitatio nō ad tempus diuini obsequij refertur; (nam perspicuum est, infantem duorum mensium ad omne obsequium inhabilem esse:) sed tempus redimendi discernitur: ita quòd si debitus ex voto parentum homo Deo, redimitur infra tempus infantiæ, à mense secundo, vsque ad quinquennium soluitur tantùm: si verò redimitur ab anno quinto vsque ad vigesimū,

ſoluitur tantùm; & ſic de aliis redemptionibus proprij voti in ætatibus conſequentibus. Ætas enim infantilis tam facilis eſt ad mortem propter vermes, vt Philoſophi tradũt, vt minimum cenſeatur redemptionis pretium tunc; & multitudo ſimiliter periclitantium, incertúque euentus ratio videntur modici pretij tempore pueritiæ. Aliarum verò ætatum ratio manifeſta eſt ex perfectione & imperfectione.

Verſ. 9. Animal autem, quod immolari poteſt Domino, ſi quis vouerit, ſanctum erit, *Verſ. 10.* & mutari non poterit[b].] Ad vota animalium tranſitur diſtinguendo duo animalium genera; alterum immolabile Deo; alterum non immolabile, non proptereà quòd votum factum fuerit ad immolandum, (nam animal non immolabile non poterat eſſe materia voti ad immolandum:) ſed voto facto dandi Deo animal, diſtinguit lex animal in duo genera, quemadmodum diſtinxit quatuor ætates hominis.

[b] Theodoretus inquit, Dominum Iſraëlitis ſacrificia inſtituiſſe, ac præcepiſſe propter eorum imbecillitatem, & Ægyptiacam conſuetudinem, cui aſſueti erãt: nam Ægyptij innumera animalia Diis ſuis mactabant, qui, vt aliqui dicunt, primi beſtiarum ſacrificia adinuenerunt, quum herbas ſolum ſuaueolentes gentes anteà offerrent, eò quòd eas priuſquàm animalia terra enixa eſſet. Voluit igitur Dominus in his ſelectorum animalium ſacrificiis imbecillitati Iudæorum condeſcẽdere, & animalia, quæ prius colebant, tanquàm munda in ſacrificiũ iuſſit efferre, non quòd carnes taurorũ manducaret; (*illius enim ſunt omnia volatilia, & beſtia, & pulchritudo agri;*) ſed, vt dum illa immolarent, ſcirent, Deos non eſſe, quos priùs colebant.

Id eſt, nec melius malo, nec peius bono.] Iuxta Hebræũm habetur: *Et non faciet commutare ipſum bonum in malum, vel malum in bonum.* Exigit lex, vt illud met animal, quod ſemel voto affectum eſt, Deo detur, ſiue bonum, ſiue malum: hoc eſt, maculatum, aut ægrum. Et hinc clariùs apparet, quòd non eſt ſermo de voto ad immolandum.

Quod ſi mutauerit.] Manca eſt Litera: nam Hebraïcè adiungitur: *Animal in animal*, ita quòd non eſt ſermo de quacunque mutatione, ſed vnius animalis pro altero animali.

Et ipſum, quod mutatum eſt, & illud, pro quo mutatum eſt, conſecratum erit Domino. *Verſ. 11.* Animal immundum (quod immolari Domino non poteſt,) ſi quis vouerit, adducetur ante Sacerdotem, *Verſ. 12.* qui diiudicans, vtrùm bonum, an malum ſit.] Iuxta Hebræum habetur: *Inter bonum, & inter malum.* hoc eſt, penſabit Sacerdos, quid boni, & quid mali eſt in illo animali: hæc enim penſanda ſunt, vt iuſta fiat æſtimatio.

Statuet pretium: *Verſ. 13.* & ſi redimere voluerit is, qui offert, addet ſupra æſtimationem quintam partem.] Aduerte, quòd deterioris conditionis ſtatuit lex fore eum, qui vouit, ad emendum animal voto Deo datum: & ſimiliter inferiùs agrum, ſeu domum: nam alij emere poterant à Sacerdote equum, vel camelum Deo oblatum, æſtimato pretio: is autem, qui voto dederat, non poterat redimere illum, niſi adiuncta quinta parte æſtimati pretij. Ratio huius legis fuit, ne minuendi iuſtum pretium occaſio daretur Sacerdoti, petente illo, qui obtulit, vendi ſibi: frequenter enim erubuiſſet Sacerdos exactè æſtimare: quia, vt apparet, æquitas requiſiſſet, vt illi, qui vouit, gratioſè venderetur: ſed ex eo, quòd oportet Sacerdotem æſtimare pretium cuicunque vendatur, & poſt æſtimationem oportet redemptorem ſuperaddere quintum, tollitur occaſio minuendi pretium rei Deo oblatæ.

Verſ. 14. Homo ſi vouerit domum ſuam, & ſanctificauerit Domino, conſiderabit eam Sacerdos, vtrùm bona, an mala ſit.] Iuxta Hebrǽum ſimiliter habetur: *Inter bonum, & inter malum.* Et ſententia eſt clara.

Et iuxta pretium, quod ab eo fuerit conſtitutum, venundabitur. *Verſ. 15.* Si autem ille, qui vouerat, voluerit redimere eam, dabit quintam partem æſtimationis ſuprà, & habebit domum. *Verſ. 16.* Quòd ſi agrum poſſeſſionis ſuæ vouerit, & conſecrauerit Domino, iuxta menſuram ſementis æſtimabitur pretium.] Non diſtinxit lex domos: verùm diſtinguit inter agros, an ſit ager poſſeſſionis ſuæ ab initio, an ſit ager emptus: quia domus non redibant in Iobeleo ad eos, qui vendiderant; ſed agri. Et ideò agri empti non erant ſimpliciter, & abſolutè poſſidentis: agri verò poſſeſſionis ſuæ erant ſimpliciter & abſolutè ipſius: & propterea diſpar lex datur.

Si triginta modiis hordei ſeritur terra.] Iuxta Hebræum habetur: *Semen cori*[c] *hordeorum quinquaginta ſiclis argenti vendetur.* Corus nomen eſt menſuræ.

[c] *Corus*, menſura frumẽti, onus erat, quod vir robuſtus ad vnũ lapidem ferre non poſſet: continebat enim 10. ephi: ephi autem ſecũdum traditionem Hebræorũ 70. oua. Poteſtque hinc propemodum aduerti, quanta fuerit etiam moneta ſicli: nam corus hic æſtimatur pro ſiclo.

Verſ. 17. Si ſtatim ab anno incipientis Iobelei vouerit agrum, quantum valere poteſt, tanti æſtimabitur. *Verſ. 18.* Si autem poſt Iobeleum vouerit agrum ſuum, ſupputabit Sacerdos pecuniam iuxta numerum annorum, qui reliqui ſunt vſque ad Iobeleum, & detrahetur ex pretio. *Verſ. 19.* Quòd ſi voluerit redimere agrum ille, qui vouerat; addet quintam partem æſtimatæ pecuniæ, & poſſidebit eum. *Verſ. 20.* Si autem redimere noluerit, ſed alteri cuilibet fuerit venundatus, non vltrà poterit redimere: *Verſ. 21.* quia quum Iobelei venerit dies, ſanctificatus erit Domino.] Conſidera decretum, quòd ager voto oblatus Deo non redemptus, ſed alteri venditus à Sacerdote, non redibit in Iobeleo ad eum, qui vouerat, & erat ipſius originaliter: ſed redit ad Deum.

Et poſſeſſio conſecrata ad ius pertinet Sacerdotum.] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut ager deſtructionis Sacerdoti erit poſſeſſio eius.* Æquiparat lex agrum ex voto æſtimationis in dicto euentu, agro ex voto deſtructionis, de quo paulò pòſt ſubiunguntur leges: & decernit agrum huiuſmodi fore iure perpetuo Sacerdotum, quemadmodum ager, qui offerebatur ex voto deſtructionis.

Verſ. 22. Si ager emptus, & non de poſſeſſione maiorum ſanctificatus fuerit Domino.] Ecce lex de agris emptis.

Verſ. 23. Supputabit Sacerdos iuxta annorum numerum vſque ad Iobeleum pretium: & dabit ille, qui vouerat ipſum, Domino.] Iuxta Hebræum non tot leguntur, ſed duntaxat: *Et dabit æſtimationem in die ipſa ſanctitati Iehouah.* Et eſt datiui caſus, *Iehouah.* Non arctatur à lege is, qui voto dedit ad redimendum agrum illum: ſed decernitur, quòd non tenetur ipſe addere quintam partem, ſi vult redimere illum iuxta æſtimationem à die illo vſque ad Iobeleum. Et pretium æſtimatum dicitur appoſitiuè, *ſanctitas Domino.*

Verſ. 24. In Iobeleo autem reuertetur ad priorem dominum, qui vendiderat eum, & habuerat in ſortem poſſeſſionis ſuæ. *Verſ. 25.* Omniſque æſtimatio ſiclo Sanctuarij

d In hac religione primogenitorum traditum est, totum populum Dei esse oportere, & cũcta in gloriam Dei vsurpanda esse: per primogenita enim, quibus in hominibus tel qui additi erãt, extera omnia Deo sanctificabantur.

Sanctuarij ponderabitur: siclus viginti obolos habet. *Vers.* 26. Primogenita d, (quæ ad Dominum pertinent,) nemo sanctificare poterit, & vouere.] Prohibet lex affici voto æstimationis primogenita: eò quòd absque voto primogenita sunt Dei, & nõ egent humano voto, dante illa Deo. Et hinc tractum videtur, quòd materia voti est bonum supererogationis; hoc est, bonum, ad quod quis aliàs non tenetur. Sed benè nota, quòd iuxta Hebræum habetur: *Tantùm primogenitum, quod erit primogenitum* יהוה *in animali, non sanctificabit vir ipsum: siue bos, siue ouis, Iehouah est.* Quod ideò annotauerim, vt perpendatur, quòd lex non loquitur de primogenitis hominum. Vnde & Channa mater Samuelis vouit primogenitum filium suum Deo, 1. Reg. 1.

Vers. 27. Quòd si immundum animal est, redimet, qui obtulit, iuxta æstimationem tuam, & addet quintam partem pretij. Si redimere noluerit, vendetur alteri iuxta æstimationem tuam.

Vers. 28. Omne, quod Domino consecratur, (siue homo fuerit, siue animal, siue ager,) non væniet, nec redimi poterit.] Expeditis votis æstimationis, tractatur de voto destructionis: nam iuxta Hebræum habetur: *Tantùm omnis destructio, quam faciet destruere homo* יהוה *ex omni, quod ipsi (ex homine, & bestia, & agro possessionis eius) non vendetur, & non redimetur.* Ita iacet in Hebræo ad verbum. Vbi scito, quòd dictio interpretata, *destructio*, illa est, quam nostri reddiderunt, *anathema* e, in Iehosuah, & alibi. Quod vt meliùs intelligas, scito, quòd hæc dictio propriè significat destructionem: & inde formatur verbum significans, *destruere*, sicut *anathema*; & *anathematizo*. Et appropriantur destructioni ratione Dei, translatáque sunt ad significandum ea, quæ penitùs dicata sunt Deo, ea ratione: quia destructio imminet vsurpantibus illa: vt patet de Hachan, qui vsurpauit hæc Iehosuæ 7. Et similiter vouere, seu offerre sic penitùs Deo aliquid, vocatur *facere destruere illud Deo*. A primæua enim actione, (quæ, scilicet, principalis actio est voti huius,) translata est nominatio omnium, quæ secundùm rem non sunt destructiones; sed secundùm modum: verbi gratia, quum vouebat quis agrum suum per modum voti destructionis, ipso facto ager ille penitùs Dei erat, anathema erat, non erat vendibilis, nec poterat redimi; sed erat Sacerdotum iure perpetuo. Ex modo itaque vouendi (videlicet, ad similitudinem voti destruendi terras, & iumenta, & homines,) appellatur votum destructionis, distinctum contra votum æstimationis. Hoc votum clarè factum à populo Israël secundùm primæuam suam rationem habes Num. 21. contra Chananæum. Materia huius voti in Litera dicitur in genere, quicquid homo possidet: in specie verò dicitur, homo animal, & ager possessionis eius, ad differentiam agri empti, qui non poterat huiusmodi voti esse materia: quia ager emptus in Iobeleo redibat ad eum, qui vendiderat: materia autem affecta huiusmodi voto erat penitùs Dei. Quod autem in principio huius legis dicitur, *tantùm*, ad excludendum omne alio modo votum dicitur. Et si exactum sensum literæ desideras, intellige, vt priùs intellexisti, animas, iumenta, domos, & agros, videlicet, rem affectam voto æstimationis: intellige, inquam, rem affectam voto destructionis, quum legis: *Tantùm omnis destructio, quam faciet destruere*; hoc est, per modum destructionis offeret summo Deo. Ad Literam enim lex ista disponit de oblatis Deo per modum destructionis, & non de destructionibus secundùm rem; & proptereà disponit, quòd nec vendantur, nec redimantur.

e Anathematis nomine vocantur apud Hebræos, quæ ex aliqua maxima causa Deo denouentur; nec licebat cuique illa contingere. Num. 18. & tale votum quidam putant fecisse Iephte.

Omnis destructio sanctum sanctorum ipsa יהוה.] Sic immediatè sequitur in textu Hebraico: & simul vniuersalis lex de destructione relata in Deum (quæ anathema dicitur) promulgatur: & ratio, tum præcedentis, tum consequentis legis redditur. Decernitur enim, quòd omnis destructio censenda est iure sancti sanctorum Deo: quodcunque enim in lege est sanctum sanctorum Deo, erat penitùs Dei, ad ius Sacerdotum spectans, si cibus, aut vtile bonum erat; alioquin totum ad solum honorem Dei erat: ex hac siquidem conditione (scilicet, quia sanctum sanctorum erat) nascitur, quòd nulla destructio relata in Deum potest vendi, aut redimi.

Vers. 29. Omnis destructio, quam faciet destruere ex homine, non redimetur, moriendo morietur.] Tertia lex specialis est disponens de destructione hominis, quòd si destruendus homo est ex voto, non est locus redemptioni, sed oportet illum occidi: sic enim habet ad verbum Hebraica Litera. Pro cuius intelligentia scito, quòd dupliciter contingit, voto destructionis vouere hominem, vel destructione reali, vel per modum destructionis. Vouere hominem destructione reali est vouere Deo occisionem hominis, quemadmodum Iephtach f vouit Deo (in genere tamen) filiam suam Iudic. 11. Vouere verò hominem per modum destructionis, erat promittere Deo hominem, quemadmodum agrum; videlicet in seruitutem tabernaculi, seu Sacerdotum, quatenus ministrabant in tabernaculo Dei. Et de voto quidem hominis per modum destructionis disponit prima lex, quòd non potest vendi, aut redimi: de voto autem hominis destructione reali, disponit hæc tertia lex non solùm quòd non potest redimi; sed etiam, quòd moriendo morietur. Siste tamen pedem, prudens lector, & considera, quòd duplex potest esse huius legis sensus. Alter, secundùm verborum superficiem: & sic intelligere legem istam occasio videtur fuisse, quòd Iephtach sacrificauit filiam suam in holocaustum Deo, arbitratus se teneri ad hoc ex lege ista, in qua omnis redemptio negatur, occidendúsque omninò præcipitur homo ex voto destruendus Deo. Alter sensus est, quòd lex disponit de voto licito destruendi hominem, & non de quocunque voto destruendi hominem: præsupponit siquidem lex votiuam promissionem esse secundùm seipsam licitam, non solùm in hac lege, sed in omnibus legibus disponentibus de voto. Illicitum enim votum non est votum: & proptereà non oportuit hoc explicari; quoniam semper subintelligitur. Licitum est autem vouere destructionem hominis realem; tum, quando homo est hostis diuini populi; tum, quando homo est maleficus, seu blasphemus, & id genus reliquorum vitiorum contra Deum. Et hic est literalis sensus huius legis sanctissimæ.

f Sunt, qui dicant, Iephte filiam non immolasse, aut interfecisse, alioquin ipsa non dixisset: *Plangam super virginitate mea*, sed, plangam super anima mea. Dicunt igitur Hebræi, quòd reclusit eam, & à consortio hominum separauit, nec nisi quatuor diebus per annũ ei aditum concessit. Sunt, & qui dicant, Iephte sic sub distinctione vouisse, scilicet, primũ, quod occurrerit de domo mea, erit Domini, si homo fuerit, & offeram in holocaustum, (illud, scilicet,) quod ex lege offerendum est. Vide Munsterum Iudicum 11.

Verſ. 30. Omnes decimæ terræ, (ſiue de frugibus, ſiue de pomis arborum) Domini ſunt. & illi ſanctificantur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et omnis decima terræ, ex ſemine terræ, ex fructu ligni, Iehouah ipſa, ſanctum Iehouah.* Dicendo, *terræ ex ſemine*, excludit prata herbarum, & hortos herbarum, quæ, quanuis ſatæ fuerint; tranſplantatione tamen egent, ita quòd fructus non eſt ex ſemine, ſed ex plantatione. Et propriè loquendo, *terræ ſeminis* appellantur, non horti, ſed agri, in quibus ſeritur, & metitur. Et ſimiliter dicendo terræ ex fructu ligni, excludit ſyluas, & ſingularem arborem in horto herbarum, vel domi, & ſimiliter ſingularem vitem, & vt vno verbo dicatur, comprehenduntur tantummodo oliueta, vineę, pomaria, & ſimilia: ideò enim dicitur, *terræ ex fructu ligni*, vt intelligamus terram deputatam ad ligna fructifera. Reliqua de decimis clarè ſcribuntur in vulgata editione. Ex quibus colligere potes, prudens lector, quòd mitior erat lex decimarum, quàm lex primogenitorum: nam lex primogenitorum exigebat primogenita, etiam animalium immundorum, putà aſini: lex verò decimarum non exigebat decimam ex animalibus immundis, licèt gregariis, (vt aſini, equi, cameli) nec etiam ex anſeribus, gallinis, columbis, turturibus, &c.

Verſ. 31. Si quis autem voluerit redimere decimas ſuas, addet quintam partem earum. *Verſ.* 32. Et omnis [g] decimæ, bouis, & pecoris omnis, quod ſub virga tranſit, decimum ſanctificabitur Domino. *Verſ.* 33. Non eligetur, nec bonum, nec malum, nec altero commutabitur: ſi quis autem mutauerit, & quod mutatum eſt, & pro quo mutatum eſt, ſanctificabitur Domino, & non redimetur. *Verſ.* 34. Hæc ſunt præcepta, quæ mandauit Dominus Moſi ad filios Iſraël in monte Sinaï.] Omnia ſcripta in his tribus capitulis vltimis, narrantur reuelata Moſi in monte Sinaï, ad differentiam reuelatorum eidem in tabernaculo Dei.

[g] Is ordo hic ſeruari iubetur: vt quidquid forte fortuna in manum inciderit, illud tradatur. Congregabantur ſiquidem omnes vituli & pecora in ſtabulum, & aperto paruo oſtiolo ſinebant omnes ſingillati citra omnem delectum egredi matribus eorum ante oſtiú conſtitutis: & quidquid decimo loco egrediebatur, ſiue maſculus, ſiue fœmella, illud ſignabatur pro decimis, nec poterat vllo pacto permutari. Sic Hebræi hunc locum intelligunt, & explanant.

THOMAE

THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS S. XISTI, IN NVMERVM COMMENTARII.

VERS. 1.

ET locutus est Dominus ad Mosen.] Nomen est tetragrãmaton, quod vbique in hoc libro intellige repeti, (ne oporteat sæpè hoc annotare,) nisi in specie aliud annotauerimus.

In deserto [a] Sinaï.] Ad differentiam aliorum desertorum.

In tentorio fœderis.] Ad differentiam montis Sinai. Quanuis Hebraicè non dicatur fœderis; sed adunationis: sed idem tentorium paulò pòst appellabitur in Litera *tabernaculum testimonij*.

Prima die mensis secundi in anno secundo egressionis eorum de terra Ægypti dicens.] Non solùm certus locus, sed etiam certum tempus huius diuinæ allocutionis scribitur, ad differentiam allocutionum diuinarum, tam antè, quàm pòst ibidem ad Mosen. In principio quidem Leuitici scriptum est, postquàm erectum fuit tabernaculum, quòd vocauit Deus Mosen de tabernaculo, & locutus est ei suprascripta in libro Leuitici, vsque ad vltima tria capitula: modò autem elapso mense ab erectione tabernaculi reuelata scribuntur.

Vers. 2. Tollite summam.] Iuxta Hebræum habetur: *Eleuate summam.* Quod ideò annotatione dignum duxi, vt perpendatur, quorsum tendit hæc numeratio populi: non enim ad numerandum populum; sed ad habendum summam ex summis singularum Tribuum per cognationes, & domos, & singula capita, nominatim facta est hæc numeratio. Ita quòd inter hanc numerationem factam anno secundo ab exitu de Ægypto, primo die mensis secundi; & numerationem factam anno primo ab exitu ex Ægypto, mense, & die incerto, scriptam Exodi 38. narrando summam argenti oblati, ex quo factæ sunt bases centum tabularum, & columnarum tabernaculi; differentia est in forma: ita quòd non differunt hæc, & illa, tanquàm duæ numerationes; sed tanquàm numeratio imperfecta, & numeratio perfecta: quoniam in illa solus numerus quoad masculos à viginti annis, & suprà, cognitus est præcedente mandato, vt quilibet à viginti annis, & suprà offerret dimidium sicli; in hac verò formata est numeratio singillatim per singulas Tribus, per singulas cognationes, per singulas domos, per singula capita nominatim. Hæc itaque est velut forma, & perfectio illius, & propterea non oportuit iterum quemlibet offerre Deo dimidium sicli. Vnde idem penitùs est numerus populi numerati hîc, & ibi, vt patet legenti: & propterea significantiùs dicit Deus: *Eleuate summam:* subiungendo formam per cognationes, & domos, & nomina, &c.

Vniuersæ congregationis filiorum Israël per cognationes eorum, & domos patrum eorum, & nomina singulorum capitum masculini sexus.] Non vult Deus numerari vulgus innumerabile, adiunctum populo Israël.

Vers. 3. A filio viginti annorum [b], & suprà, omnium virorum fortium.] Iuxta Hebræum habetur: *Omnem egredientem exercitus in Israël.* Et hoc repetitur sæpiùs in hoc capitulo, quod in vulgata editione exponitur, *procedentes ad bellum.* Et proculdubiò sensus in idem redit: quoniam significatur omnis idoneus pro exercitu. Et hinc sumitur, quòd senes non ampliùs idonei pro exercitu non numerabantur: & similiter, si qui erant incurabili ægritudine perpetuò impediti ad egrediendum cum exercitu: non tamen excludebantur inepti ad pugnandum; quoniam idonei erant ad seruiendum exercitui. Et propter hoc significanter non dicitur, omnes pugnatores, sed, *Omnem egredientem exercitus.* ad comprehendendum etiã ineptos ad pugnam; aptos autem ad seruitia exercitus.

Numerabitis eos per turmas suas.] Iuxta Hebræum habetur, *per exercitus suos.* hoc est, per congregationes eorum ordinatè dispositas.

Tu, & Aharon. *Vers.* 4. Eruntque vobiscum Principes Tribuum, ac domorum per cognationes suas: *Vers.* 5. quorum ista sunt nomina. De Tribu Reuben, Elisur, filius Sedeur: *Vers.* 6. de Tribu Simhon, Selumiel, filius Surisaddaï, *Vers.* 7. de Tribu Iehudæ, Nachson, filius Hamminadab. *Vers.* 8. de Tribu Issachar, Nethanel,

[a] In hoc deserto populus mensibus 10. diebus 20. commoratus est. Dictum est autem illud *desertum Sinai*, nomine Hebraïco rubum significãte, forsan propter rubi flagrantis, non comburentis miraculum, quod Moses opilio videret. Quod vt credã, facit, quòd solùm Hebræis hoc nomine mons ille sit celebris, & his, qui mutuatas ab illis historias conscribunt.

[b] 1. Paralip. 27. assignatur ratio, quare solùm à 20. annis habebat numerari populus, nempe, quòd promiserat Dominus, promiscuum vulgus fore sicut stellas cœli innumerabile. Hãc legem etiã obseruauit Dauid, qui populum numerando, eos, qui viginti ad minus annorum essent, supputare præcepit.

Nethanel, filius Suhar: *Verſ.* 9. de Tribu Zebulun, Eliab, filius Chelon. *Verſ.* 10. Filiorum autē Ioſeph de Tribu Ephraïm, Eliſamah, filius Hammihud: de Tribu Menaſſe, Gamliel, filius Pedahſur: *Verſ.* 11. de Tribu Benjamin, Abidan, filius Gidhoni: *Verſ.* 12. de Tribu Dan, Achihezer, filius Hammiſaddaï: *Verſ.* 13. de Tribu Aſer, Paghiel, filius Hachran: *Verſ.* 14. de Tribu Gad, Eliaſaph, filius Dehuël: *Verſ.* 15. de Tribu Naphthali, Achirah, filius Henan.

Verſ. 16. Hi nobiliſſimi Principes [b] multitudinis per Tribus, & cognationes ſuas, & capita exercitus Iſrael.] Iuxta Hebræum habetur: *Iſti vocati Synagogæ, Principes Tribuum patrum ſuorum, capita millium Iſraël ipſi.* A tribus deſcribuntur duodecim iſti viri. Primùm, à conſilio, dicendo, *vocati Synagogæ*: quemadmodū enim apud Romanos dicebantur *Patres conſcripti*, ita longè priùs apud Hebræos dicebantur *vocati Synagogæ*, ij, qui electi erant ad conſilium. Secundò ab authoritate, *Principes Tribuū*: quilibet enim erat Princeps Tribus, non ſuæ, ſed patris ſui, verbi gratia, Tribus Reuben, Tribus Simhon: ſoli enim filij Iahacob vocabantur, & erant patres Tribuum; exceptis Menaſſe, & Ephraim, quos adoptauit ſibi Iahacob. Tertiò, à celſitudine, *capita millium Iſrael*: quilibet enim erat multorum millium hominum populi Iſraël (vt ſubiuncta manifeſtant) caput.

[b] *Principes* vocat Hebraiſmus ſeniores populi, primarios viros, & apud homines honoratos. Vide 1. Paralip. 27. hos ſolos ad concilia vocati. Nam, quum celebraſſet Dauid conuentū pro conſtituendo hærede in regno Iudææ, hos ſolos vocaſſe legimus.

Verſ. 17. Et tulerunt Moſes, & Aharon homines iſtos.] Manca eſt Littera: nam Hebraicè adiungitur: *Qui fuerunt ſpecificati in nominibus.* Et deinde ſubiungitur.

Verſ. 18. Et totam Synagogam fecerunt adunare primo die menſis ſecundi.] Quod autem in vulgata ſubditur editione:

Recenſentes eos per cognationes, & domos, ac familias, & capita, & nomina ſingulorum à vigeſimo anno, & ſuprà.] Iuxta Hebræum ad recenſitos refertur: & habetur verbum à genere deductum, tanquàm ſi à *genealogia* liceret formare verbum, *genealogizo*: *Et genealogizauerunt ſe ſuper cognationes ſuas per domum patrum ſuorum, in numero hominum à filio viginti annorum & ſupra per capita ſua, ſicut præceperat Dominus Moſi.* Narratur enim, quòd ſeruata eſt forma recenſendi, eò quòd vnuſquiſque recenſendus iunxit ſe cognationi ſuæ, & domui patris ſui, & nominatim eſt agnitus.

Verſ. 19. Numeratique ſunt in deſerto Sinaï,

20. De filiis Reuben [c] primogeniti Iſraël per generationes, & familias, ac domos ſuas, & nomina ſingulorum capitum maſculini ſexus à vigeſimo anno, & ſuprà, omnium

[c] Quod Ruben hic dicitur *primogenitus*, intellige ſanè, vt c. 5. 1. Paralip. exponitur. Nam quum violaſſet thorum patris, data eſt primogenitura filiis Ioſeph, vt ibidem ſcribitur: vnde lex exhæredandi filios deſumpta eſt.

21. Procedentium ad bellum, quadragintaſex millia, & quingenti.

22. De filiis Simhom per generationes, & familias, ac domos cognationum ſuarum recenſita ſunt per nomina ſingulorum capitum maſculini ſexus à vigeſimo anno, & ſuprà omnium procedentium ad bellum,

23. Quinquaginta nouem millia, & trecenti.

24. De filiis Gad per generationes, & familias, ac domos cognationum ſuarum, recenſita ſunt, per nomina ſingulorum, à viginti annis, & ſuprà, omnium ad bella procedentium,

25. Quadragintaquinque millia, & ſexcenti, & quinquaginta.

26. De filiis Iehudæ per generationes, & familias, ac domos cognationum ſuarum, per nomina ſingulorum, à vigeſimo anno, & ſuprà, omnium, qui poterant ad bella procedere,

27. Recenſita ſunt ſeptuagintaquatuor millia, & ſexcenti.

28. De filiis Iſaſchar per generationes, & familias, ac domos cognationum ſuarum, per nomina ſingulorum à vigeſimo anno, & ſuprà, omnium, qui ad bella procederent,

29. Recenſita ſunt quinquagintaquatuor millia, & quadringenti.

30. De filiis Zebulum per generationes, & familias, ac domos cognationum ſuarum, recenſita ſunt per nominā ſingulorum à vigeſimo anno, & ſuprà, omnium, qui poterant ad bella procedere,

31. Quinquagintaſeptem millia, & quadringenti.

32. De filiis Ioſeph, filiorum quidem Ephraim per generationes, & familias, ac domos cognationū ſuarum, recenſita ſunt per nomina ſingulorum à vigeſimo anno, & ſuprà, omnium, qui poterant ad bella procedere,

33. Quadraginta millia, & quingenti.

34. Porrò filiorum Menaſſe per generationes, & familias, ac domos cognationum ſuarum, recenſita ſunt per nomina ſingulorum, à viginti annis, & ſuprà, omnium, qui poterant ad bella procedere,

35. Trigintaduo millia, & ducenti.

36. De filiis Binjamin per generationes, & familias, ac domos cognationum ſuarum, recenſita ſunt nominibus ſingulorum, à vigeſimo anno, & ſuprà, omniū, qui poterant ad bella procedere,

37. Trigintaquinque millia, & quadringenti.

38. De filiis Dan per generationes, & familias, ac domos cognationum ſuarū, recenſita ſunt nominibus ſingulorum à vigeſimo anno, & ſuprà, omniū, qui poterant

terant ad bella procedere,

39. Sexagintaduo millia, & septingenti.

40. De filiis Aser per generationes, & familias, ac domos cognationum suarum recensita sunt per nomina singulorum, à vigesimo anno, & suprà, omniũ, qui poterant ad bella procedere,

41. Quadraginta millia, & mille, & quingenti.

42. De filiis Naphthali, per generationes, & familias, ac domos cognationum suarum, recensita sunt nominibus singulorum à vigesimo anno, & suprà, omnium, qui poterant ad bella procedere,

43. Quinquagintatria millia, & quadringenti.

44. Hi sunt, quos numerauerunt Moses, & Aharon, & duodecim Principes Israël [d], singulos per domos cognationum eorum:

45. Fuerúntque omnes recensiti filiorum Israël per domos patrum suorum, à vigesimo anno, & suprà, omnium, qui poterant ad bella procedere.

46. Sexcenta millia, & tria millia, & quingenti, & quinquaginta.]

Lege 38. cap. Exodi: & inuenies eundem præcisè numerum.

Vers. 47. Leuitæ autem in Tribu patrum suorum non sunt numerati cum eis.

Vers. 48. Locutúsque est Dominus ad Mosen, dicens. *Vers.* 49. Tribum Leuitarum noli numerare: neque pones summam eorum cum filiis Israël. *Vers.* 50. sed constitue eos super tabernaculum testimonij, & cuncta vasa eius.] Ecce ratio, quare Leuitæ non sunt numerati, nec nunc, nec tunc cum populo Israël: quia numeratio fiebat relatiuè ad exercitum: Leuitarum autem studium, & opera circa tabernaculum Dei, & ea, quæ ad illud spectabant, erat.

Et quicquid ad cæremonias pertinet.] Iuxta Hebræum habetur: *Et super omne, quod ipsi tabernaculo.*

Ipsi portabunt tabernaculum, & omnia vtensilia eius, & erunt in ministerio, ac per gyrum tabernaculi [e] metabuntur. *Vers.* 51. Quum proficiscendum fuerit, deponent Leuitæ tabernaculum; quum castrametandum, erigent.] Ecce opera Leuitarum, portare, scilicet, tabernaculum, (non integrum, sed solutum,) & vniuersam supellectilem eius in via: quiescendo autem seruire tabernaculo: & ideò non exibant ad exercitum. Et inter eorum officia supputatur, soluere tabernaculum, quum proficiscendum est; & componere illud, quum castra metandum est.

Quisquis externorum accesserit, morietur.] Tam propria Leuitis opera circa tabernaculum decernũtur, vt quisquis non Leuiticæ Tribus præsumpserit, quod est Leuitarũ, occidendus sit. Et comprehendit hæc pœna mortis, tam opera, quàm loca Leuitarum circa tabernaculum vsurpantes; vtraque enim præmissa sunt. Vnde & magis hæc explicando subditur distinctio locorum.

Vers. 52. Metabuntur autem castra filij Israël, vnusquisque per turmas, & cuneos, atque exercitum suum.] Iuxta Hebræum habetur: *Castrametabuntur autem filij Israël, vnusquisque super castra sua, & vnusquisque super vexillum suum, per exercitus suos.*

Vers. 53. Porrò Leuitæ per gyrum tabernaculi figent [f] tentoria.] Differentia locorum summariè describitur inter castra Leuitarum, & castra populi, quòd locus Leuitarũ sit circuncirca tabernaculum; locus autem populi sic erat, quòd vnusquisque attenderet ad vexillum Tribus suæ, ordinata dispositione castrorum, ita quòd non miscerentur castra vnius Tribus cum castris alterius. Sed hæc in sequẽti capitulo diffusè manifestantur; hîc autem summariè tanguntur.

Ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israël.] Ecce ratio elongationis castrorum populi à tabernaculo, euitatio iræ Dei super populum. Priùs dixerat, quòd appropinquans morietur; modò dicit, vitandam esse iram Dei super populum: vt intelligamus, quòd si in culpa esset singularis persona, illi mors imminebat: si autem culpabilis esset multitudo, imminebat mors populo.

Et excubabunt in custodiis [g].] Iuxta Hebr. habetur: *Et custodient Leuitæ custodiam tabernaculi testimonij.* Ratio redditur, quare Leuitæ immediatè circuncirca tabernaculum castrametarentur: quia ad custodiam tabernaculi deputati sunt, tanquàm custodes personæ, seu domus regiæ. Et hoc est seruitium, de quo dictum est: *Et ipsi seruient tabernaculo.* quod vulgata editio transtulit: *Et erunt in ministerio.*

Vers. 54. Fecerunt ergo filij Israël iuxta omnia, quæ præceperat Dominus Mosi.

[d] Si legeris 12. caput Exodi, reperies 600. ferè millia hominum fuisse, qui egressi sũt de Ægypto. Vnde cõstat in anno vno multiplicatos esse in 3. millibus, 500 & 50. exceptis his, qui in vituli conflatione occubuerũt: exceptis, & occisis ab Amalech in Raphadim, & aliis mortuis, siue occisis per Dominũ, in qua re contẽplanda est gratia, qua Dominus populũ illũ tam mirabiliter augebat, sicut promiserat.

[e] Hæc Tribus Leui, erat quasi legio, quæ stipat Regem, quum circuncirca tabernaculum iugiter versari iubeatur.

[f] Qualiter Leuitæ secundùm familias ordinati erant, vide 1. Paralip. 9. cap.

[g] Excubabant in Sanctuario Leuitæ per ordines suos. Huiusmodi autẽ excubias pro laudibus Deo noctu modulandis præceptas credo. Credendum est enim, Leuitas noctu preces Deo cãtasse in tabernaculo. Nam templo Salomonis postmodũ extructo, matutinas laudes ante lucẽ decantatas legimus 1. Paralip 9. & Nehemiæ 2. vnde verisimile fuerit, eundem ritum tẽpore tabernaculi anteà obseruatum, quũ Salomon omnem templi sui cultum ad exemplar cultus tabernaculi instituerit. Hincque perpendes, quam antiquum sit, Deo laudes antelucanas dicere, nempe, statim, quum erectum est tabernaculum in deserto.

CAPVT II.

Ocutúsq; est Dominus ad Mosen, & Aharon dicens: *Vers.* 2. Singuli per turmas, signa, atque vexilla, & domos cognationum suarum [a].] Iuxta Hebræum habetur: *Vnusquisque super vexillum suum, in signis, per domum patrum suorum castrametabuntur filij Israel.* Tria dicũtur. Primum, vnitas vexilli in qualibet Tribu, vel in qualibet triplicitate Tribuum: vt enim in hoc patet capitulo, distinctus est populus, tum in castrametando, tũ in progrediendo, non solũ per Tribus, sed per quatuor triplicitates. Et quælibet triplicitas denominabatur à capite illius triplicitatis: triplicitas enim oriẽtalis denominabatur à Iehuda, occidentalis ab Ephraïm, meridionalis à Reuben, & septẽtrionalis à Dan, vt clarè scribitur in hoc eodẽ capitulo. Et similiter scribitur, quòd progrediẽdo præibat triplicitas Iehudæ, & sequebatur triplicitas Reuben: & post has duas triplicitates progrediebantur Leuitæ cũ rebus tabernaculi; & posteà progrediebatur triplicitas Ephraïm, & demũ triplicitas Dan.

Vers. 1.

[a] Si ambitum, & cõprehẽtionem castrorum Israël scire cupias, vide Zieglerum de descriptione Arabiæ: ille enim autumat, quòd area, & ambitus castrorum, stadia cõtinebat 837. & quilibet latus schenos 5. Est autem schenus mensura Ægypriaca, æquiualens 5. milliaribus Italicis, vt notat Budæus. Qui ambitus videtur ferè incredibilis, licèt illius dimidia propè pars (vt ille putat) nuda erat tabernaculis, partim ob spatiũ 200. pedũ, quod omni parte erat relictũ inter tentoria, & extremum vallum; partim, quòd latus oppositum ei, quo legiones locabantur, dimidium erat, non occupatum, vt locus esset, quo Legati gẽtium, & auxilia fortè superuenientia reci-

perentur. Præterea, quia tam numerosæ multitudini ingens spatium necessarium erat. nam putât, quòd copia omnis filiorũ, & patrum crescebat in numerum decies octies cẽtum milliũ, etiam leuiter collecta Nam nulli nõ habebãt vxores, & plures propiùs quàm singulas; nulli non coronam liberorum, quoniam felicitatem domus in numerosa sobole collocabant; nullis non supererãt parentes, & aui, quòd cursu naturæ homines tunc annosi habebantur. Quod si verum sit, animi Mosis vigorem perpendas, qui tam latè fusam rempublicam, & malè obsequentem, continere in religione, & omni ciuili instituto potuit.

Dan. Vnitas itaque vexilli non abs re intelligitur vexillum triplicitatis; pluralitas verò signorum ad singulas Tribus refertur; & mandatur, vt quælibet triplicitas curet, vt sequatur vexillum suum sic, vt quilibet sequatur signum Tribus suæ, (quod erat vexillum humilius;) & quilibet in familia cognationis suæ castrametaretur. Si tamen quis vexillum ad Tribum, & signa ad familias retulerit, reprehendi non potest, eò quòd appositiuè legi potest in signis per domum patrum suorum. Primus tamen intellectus quadrat subiunctis; eò quòd nulla fit mentio vexilli in litera hac, nisi in quatuot capitibus triplicitatum quatuor, vt patet intuenti veritatem Textus Hebraici: vulgata enim editio multis caret.

Per gyrum tabernaculi fœderis.] Iuxta Hebræum habetur: *E regione per gyrum tentorij adunationis castrametabuntur.* Dicendo, *è regione*, manifestat, quòd non terga, sed facies castrorum disponerent versùs tabernaculum; hoc est enim è regione tabernaculi castrametari. Et institutus est huiusmodi situs ad honorandum tabernaculum.

Vers. 3. Ad Orientem Iudas figet tentoria.] Iuxta Hebræum habetur: *Et castrametatores ab ante.* Primum in genere proponuntur posituri castra è regione anterioris partis tabernaculi, in qua, scilicet, erat ostium tabernaculi: *Ad Orientem vexillum castrorum Iehudæ per exercitus suos.* Non sat fuit describere situm relatiuè ad anteriorem partem tabernaculi; sed describitur etiam relatiuè ad plagas cæli, dicendo, *ad Orientem*; ita quòd anterior pars tabernaculi ad Orientem respiciebat. Et ex ista vnica descriptione intelligi voluit posteriorem tabernaculi partem respicere Occidentem, & alterum latus Septentrionem, alterum Meridiem. Et habes hîc primum vexillum, quod erat vexillum triplicitatis orientalis.


Fuítque Princeps filiorum eius, Nachson, filius Hamminadab. *Vers.* 4. Et omnium de stirpe eius pugnantium summa.] Interpres hanc sententiam, quæ in singularum Tribuum numero reperitur, variè profert: iuxta Hebræum autem semper eisdem verbis repetitur.

Et exercitus eius, & numerati eius.] Hæc verba duodecies repetuntur iuxta numerum Tribuum: in quibus verbis significatur, tum numeratio, tum habilitas virorum pro exercitu.

Septuaginta quatuor millia & sexcenti. *Vers.* 5. Iuxta eum castrametati sunt de Tribu Issachar, quorum Princeps fuit Nethanel, filius Suhar: *Vers.* 6. & omnis numerus pugnatorum eius quinquagintaquatuor millia, & quadringenti. *Vers.* 7. In Tribu Zebulon Princeps fuit Eliab, filius Ehelon: *Vers.* 8. omnis de stirpe eius exercitus pugnatorum, quinquagintaseptem millia, & quadringenti. *Vers.* 9. Vniuersi, qui in castris Iehudæ annumerati sunt, fuerunt centum millia, & octogintasex millia quadringenti: & per turmas suas primi egrediebantur.] Hîc clarè habetur, quòd tota triplicitas denominabatur à capite triplicitatis: nam dicitur: *Omnes numerati in castris Iehudæ centum millia, & octoginta millia, & sex millia, & quadringenti in exercitibus suis.* Et perspicuum est summari tres Tribus, videlicet, Iehudæ, Issachar, & Zebulon. Et quod hîc diximus, intellige repeti in calce cuiusq; triplicitatis simili modo, ne oporteat simile toties repetere in hoc capitulo.

Vers. 10. In castris [b] filiorum Reuben ad meridianam plagam.] Iuxta Hebræum habetur: *Vexillum castrorum Reuben ad Meridiem.* Et hoc est vexillum secundum, & est caput secundæ triplicitatis.

b Castra Hebræorum, quorum facta fuit descriptio in Arabia.



Quorum Princeps fuit Elisur, filius Sedeur: *Vers.* 11. & cunctus exercitus pugnatorũ eius, qui numerati sunt, quadragintasex millia, & quingenti. *V.* 12. Iuxta eum castrametati sunt de Tribu Simhon, quorum Princeps fuit Selumiel, filius Surisaddai. *Vers.* 13. & cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati sunt, quinquaginta nouem millia, & trecenti. *Vers.* 14. In Tribu Gad Princeps fuit Eliasaph, filius Dehuel: *Vers.* 15. & cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati sunt, quadragintaquinque millia, & sexcenti. & quinquaginta. *Vers.* 16. Omnes, qui recensiti sunt in castris Reuben, centum, & quinquaginta millia, & mille, & quadringenti, & quinquaginta; & secundo loco per turmas suas proficiscebantur. *Vers.* 17. Leuabitur autem tentorium adunationis per officia Leuitarum, & turmas eorum: quomodo erigetur, ita & deponetur: singuli per loca, & ordines suos proficiscentur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et mouebitur tentorium adunationis, castra Leuitarum inter castra; sicut castrametabuntur, sic mouebuntur, vnusquisque super locum suum per vexilla sua.* Manifestè describitur ordo proficiscendi, videlicet, quòd inter sex Tribus antecedentes, & sex consequentes medium proficiscatur tabernaculum, appositiuè, castra Leuitarum. Et ratio redditur: quia, quemadmodum Leuitæ cum tabernaculo medij castrametantur inter Tribus duodecim; ita medij proficisci debent. Ordo autem inter seipsos Leuitas proficiscendo describitur dicendo: *Vnusquisque in loco suo, sequendo vexillum suum.* Et in hoc prærogatiua Leuitarum insinuatur, quòd quum quælibet Tribuum triplicitas vnico esset contenta vexillo, in Tribu Leuitica erant multa vexilla; & quia in tres erat distincta partes, tria habebat vexilla.

Vers. 18. Ad occidentalem plagam erunt castra filiorum Ephraim.] Iuxta Hebræum habetur: *Vexillum castrorum Ephraim per exercitus suos ad Occidentem.* Tertium est vexillum, caput tertiæ triplicitatis.

Quorum Princeps fuit Elisamah, filius Hammihud: *Vers.* 19. & cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati sunt, quadraginta millia, & quingenti. *Vers.* 20. Et cum eis Tribus filiorum Menasse, quorum Princeps fuit Gamliel, filius Pedahsur: *Vers.* 21. & cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati sunt, trigintaduo millia, & ducenti.

Vers. 22. In Tribu filiorum Binjamin, Princeps fuit Abidam, filius Gidhom.

Vers.

Verſ. 23. & cunctus exercitus pugnatorum eius, qui recenſiti ſunt, trigintaquinque millia,& quadringenti. *Verſ.* 24. Omnes, qui numerati ſunt in caſtris Ephraïm, centum millia,& octo millia, & centum; & tertio loco per turmas ſuas proficiſcebantur. *Verſ.* 25. Ad Aquilonis partem caſtrametati ſunt filij Dan.] Iuxta Hebræum habetur: *Vexillum caſtrorum Dan ad Septentrionem*[c]. Et eſt vexillum quartum caput quartæ triplicitatis. Vbi aduerte, prudens lector, quòd locando dicta quatuor vexilla ad Orientem,ad Meridiem, ad Occidentem,& Septentrionem,inſinuat,quòd vexilla locabantur directè ad has plagas; ac per hoc Tribus illa,quæ erat caput triplicitatis, caſtrametabatur media inter Tribus duas ſibi annexas: & conſequenter, non idem inter eas erat ordo proficiſcendo,& caſtrametando;quia proficiſcendo Tribus Iehudæ erat prima; caſtrametando verò erat media inter Tribum Iſaſchar, & Zebulum. Sed eſſe mediam, erat eſſe primam ſecundùm dignitatem. Et quod dicimus de vexillo,& Tribu Iehudæ in ſua triplicitate,ſimile intellige in vexillis,& capitibus aliarum triplicitatum.

[c] Notādum eſt, quòd præter caſtra Iſraël maiora, adhærebant his, tanquàm minora caſtra, cùm pro caulis gregum, tum Ægyptiorū promiſcua plebe, quæ Hebræorum fortunā ſequebatur, & in ſocietatem caſtrorum, hoc eſt,ius ciuiū non admittebatur; tū pro innumera denique turba, quæ quotidianis inquinationibus immunda habita, caſtris excludebatur.

Quorum Princeps fuit Achihezer, filius Hammiſaddaï: *Verſ.* 26. & cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati ſunt, ſexagintaduo millia, & ſeptingenti. *Verſ.* 27. Iuxta eum fixêre tentoria de Tribu Aſer: quorum Princeps fuit Paghiel, filius Hachran: *Verſ.* 28. & cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati ſunt, quadraginta millia, & quingenti. *Verſ.* 29. In Tribu filiorum Naphthali Princeps fuit Achirah, filius Henan: *Verſ.* 30. & cunctus exercitus pugnatorum eius, quinquagintatria millia, & quadringenti. *Verſ.* 31. Omnes, qui numerati ſunt in caſtris Dan, fuerunt centum millia, & quinquagintaſeptem millia, & ſexcenti, & nouiſſimi proficiſcebantur. *Verſ.* 32. Hic numerus filiorum Iſraël per domos patrum ſuorum, & turmas diuiſi exercitus, ſexcenta millia & tria millia, & quingenti, & quinquaginta. *Verſ.* 33. Leuitæ autem non ſunt numerati inter filios Iſraël: ſic enim præceperat Dominus [d] Moſi. *Verſ.* 34. Feceruntque filij Iſraël iuxta omnia, quæ mandauerat Dominus Moſi: ſic caſtrametati ſunt per turmas ſuas, & profecti per familias, ac domos patrum ſuorum]Narratur in calce capituli clarè in Hebraïco executio duorum; videlicet, quòd quemadmodum præcepit Deus Moſi; ſic & caſtrametati ſunt in vexillis ſuis,& ſic profecti vnuſquiſque in cognationibus ſuis, per domos patrum ſuorum:vtrunque enim in hoc capitulo diſponitur, & vtrunque executioni mandatum ſcribitur. Intellige, temporibus ſuis, ſic caſtrametari, tempore caſtrametationis; & ſic proficiſci, tempore profectionis.

[d] Contra literā huius legis egit Dauid 1. Paralip. 23. vbi adnotat Author, Regē, legem diuinam congruè interpretatum eſſe, & interpretari poſſe

* * *

CAPVT III.

VERS. I. HÆ ſunt generationes Aharon, & Moſis.] Quia maior ætate erat Aharon; ideò narrando generationes, ſecundùm carnem, præponitur Aharon. Sed quæſtio oritur, quomodo verificatur, iſtas eſſe generationes etiam Moſis, cùm nulla ſubiungatur generatio Moſis. Solutio eſt, quòd generatio Moſis ſubiungitur ſpecificādo Hamramitas: nam Hamram pater fuit Aharon, & Moſis: & Aharônitæ Sacerdotes erant, qui in litera nominantur: filij autem Moſis ab auo Hamramitæ nominantur primi inter familias Cehath.

In die, qua locutus eſt Dominus ad Moſen in monte Sinaï.] Meminit temporis: quia numerantur filij Aharon, quorum duo viuebant tempore, quo locutus eſt Deus in monte Sinaï; ſed non viuebant tempore, quo facta eſt hæc ſegregatio in hoc capitulo ſcripta.

Verſ. 2. Et hæc nomina filiorum Aharon: primogenitus eius Nadab, deinde Abihu, Elhazar, & Ithamar. *Verſ.* 3 Hæc ſunt nomina filiorum Aharon Sacerdotum, qui vncti ſunt: & quorum repletæ ſunt manus, vt ſacerdotio fungerentur.] Iuxta Hebræum non habetur coniunctio copulatiua; ſed appoſitiuè legitur: *Quorum impleuit manum.* exponendo enim, qualiter ſint vncti, ſit mentio manus, ad differentiam ſummi Sacerdotis, qui ſolus appellatur ſimpliciter, & abſolutè vnctus, eò quòd ſolus vngebatur fuſo ſancto oleo ſuper caput: ſimplices verò Sacerdotes mixtura quadam ex oleo[a], & ſanguine vngebantur non in capite, ſed in manu, vt patet Exod 29.

[a] Hoc oleum illud erat, quo etiā Reges in Iſraël poſtmodum inungebantur, quod in tentorio Domini perpetuò ſeruabatur, vt ſcribitur 3.Reg.1.

Verſ. 4. Mortui ſunt Nadab, & Abihu, cùm offerrent ignem alienum in conſpectu Domini in deſerto Sinaï abſque liberis: functique ſunt ſacerdotio Elhazar, & Ithamar coram Aharon patre ſuo.

Verſ. 5. Locutúſque eſt Dominus ad Moſen,dicens: *Verſ.* 6. Applica Tribum Leui.] Iuxta Hebræum habetur: *Fac appropinquare Tribum Leui.* Et eſt ſenſus: Fac offerre Tribum Leui:vtuntur enim Hebræi appropinquatione, pro oblatione. Et præcipiendum mandatur populo, vt populus offerat Tribum Leui. Ad quid autem offerebatur, ſubiungitur, dicendo:

Et facies ſtare ipſam coram Aharon Sacerdote.] Quorſum autem ſubiungitur:

Et ſeruient ei[b].] Hoc eſt primum Leuitarum officium.

[b] Sic Leuitici 10. *Sāctificabor in iis, qui appropinquant mihi.* hoc eſt, qui mihi dicati ſunt.

Et excubent, *Verſ.* 7. & obſeruent, quicquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo teſtimonij[c], *Verſ.* 8. & cuſtodiant vaſa tabernaculi, ſeruientes in miniſterio eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et cuſtodient cuſtodiam ſuam, & cuſtodiam totius Synagogæ coram tentorio adunationis, ad ſeruiendum ſeruitutem tabernaculi.* Sic iacet in Hebræo, quæ vulgata editio exponit, vt vides. Officium alterum Leuitarum explicatur.

[c] Hoc eſt,obtemperabūt illi in iuſſis ſuis, arcentes etiam populum, ne contingant vllum ſanctum.

explicatur, vt non solùm sint prōpti ad seruiendum Pontifici, sed *custodiant custodiam suam*, seu *eius*: vtroque enim modo legi potest. Et si legitur, *eius*; demonstratur Aharon: si verò legitur, *suam*; demonstratur Tribus Leuitica: & est sensus, quòd custodient custodiam vice Aharon, vel vice propria, & vice populi Israël. Et hic secundus sensus magis quadrat, vt officium Leuitarum manifestetur esse custodire tabernaculum, tam pro Tribu Leuitica, quàm loco Tribuum duodecim, quæ circuncirca castrametabantur: quoniam reuerà sic erat: nam & pro se, & pro populo officium gerebant custodiendi tabernaculum.

Quod autem subditur, *ad seruiendum seruitutem tabernaculi*; ad differentiam dicitur ministerij dignioris: nam præter actiones sacrificandi erant quædam tabernaculi ministeria, ad quæ non admittebantur Leuitæ; sed spectabant ad Sacerdotes: vt inuoluere ea, quæ continebantur in tabernaculo, Arcam, Propitiatorium, &c. & similiter accendere lucernas. Quædam verò erant ministeria subordinata antedictis, & hæc erant minùs sancta: & quia erant tanquàm seruilia, relatiuè ad seruitutem Sacerdotum; ideò dicuntur ad seruiendum seruitutem tabernaculi, vt infima tabernaculi seruitus significaretur, videlicet, portare inuoluta sacra, soluere tabernaculum, & componere, veheréque tabulas, cortinas, & reliqua ad tabernaculum spectantia. Et hoc est tertium Leuitarum officium, ad quod offerebantur Leuitæ.

Vers. 9 Dabísque dono Leuitas *V.* 10. Aharō, & filiis eius, quibus traditi sunt à filiis Israël.] Manifestatur superiùs dictum: *Fac offerre Leuitas*. declarando duas rationes: alteram, qua Leuitæ dati sunt à filiis Israël Pontifici, & Sacerdotibus: alteram, qua ipse Moses diuina authoritate dat etiam Pontifici, & Sacerdotibus Leuitas.

Aharon autem, & filios eius constitues super cultum sacerdotij.] Iuxta Hebræum habetur vltima particula: *Et custodient sacerdotium suum*. Cura Sacerdotum à cura Leuitarum distinguitur, quòd Aharon, & filij eius curam habebunt sacerdotij; Leuitæ autem, vt dictum est, curam habebunt seruitutis.

Externus (proculdubiò à Tribu Leuitica) qui ad ministrandum accesserit, morietur. *Vers.* 11. Locutúsque est Dominus ad Mosen dicens: *Vers.* 12. Ego tuli Leuitas à filiis Israël pro omni primogenito[d], qui aperit vuluam in filiis Israël.] Adiungitur, *qui aperit vuluam*, ad significandum, penes quid attenditur primogenitum: quòd, videlicet, censetur relatiuè ad matrem, siue sit primogenitus patris, siue non.

d Quòd Leuitæ electi fuerint loco primogenitorū, vt deinceps diuina exequerētur ministeria, plerique Hebræorū scribunt, eò factū, quòd omnes Tribus, dēpta Tribu Leui, adorauerunt vitulum. Verùm hæc Leuitarum numeratio, ante præcedentem totius populi supputationem facta est Nam cōstat, Dominum præcepisse, ne Leuitæ numerarentur. Præcesserat igitur ista Leuitarum numeratio.

Eruntque Leuitæ mei. *Vers.* 13. Meum est enim omne primogenitum, ex quo percussi omne primogenitum in terra Ægypti: sanctificaui mihi, quicquid primum nascitur in Israël ab homine vsque ad pecus: mea erunt: Ego Dominus. *Vers.* 14. Locutúsque est Dominus ad Mosen in deserto Sinai, dicens: *Vers.* 15. Numera filios Leui per domos patrum eorum, & familias: omnem masculum ab vno mense, & suprà numera. *Vers.* 16. Numerauitque eos Moses, vt præceperat Dominus: *Vers.* 17. & fuerunt isti filij Leui per nomina sua, Gerson, & Cehath, & Merari. *Vers.* 18. Et filij Gerson Libni, & Simhi. *Vers.* 19. Filij Cehath, Hamram, & Ishar, Chebron, & Huziel. *Vers.* 20. Filij Merari, Machli, & Musi. *Vers.* 21. De Gerson fuerunt duæ familiæ, Libnica, & Simhica *Vers.* 22. Quarum numeratus est populus sexus masculini ab vno mense, & suprà, septem millia, & quingenti.] Sæpè repetit Interpres nomen populi in hoc capitulo, numerando Leuitas; & tamen Hebraïcè non legitur, *populus*; sed *familia*, seu *cognatio*.

Vers. 23. Hi post tabernaculum metabuntur ad Occidentem. *Vers.* 24. sub Principe Eliasaph, filio Laël.] Numerando tres familias Leuiticas (Gerson, Cehath, & Merari) in qualibet familia primùm summatur numerus; deinde decernitur locus castramentandi: nam omnes castrametabantur circuncirca tabernaculum immediatè post atrium tabernaculi. Distinguebantur autem inter se secundùm plagas cæli, relatiuè ad tabernaculum. Nam Gersonitæ ad Occidentem, Cehathitæ ad Meridiem, Meraritæ ad Septentrionem: Moses verò, & Aharon, cum Sacerdotibus, ad Orientem castrametabantur. Et sic Tribus Leuitica circuncirca tabernaculum erat media inter tabernaculum, & populum Israël circuncirca castrametatum. Tertiò, decernuntur res tabernaculi, quarum cura familiæ illi incumbebat. Et Gersonitis quidem assignantur omnia vela, & cortinæ, (præter velum, quod diuidit Sanctum Sanctorum,) & alia eiusmodi ex corio, lino, & cannabe: Cehathitis verò assignantur omnia, quæ erant intra tabernaculum, (præter columnas,) & altare holocaustorum, quamuis esset extra tabernaculum: Meraritis autem assignantur tabulæ, columnæ, bases, & vectes.

Vers. 25. Et custodient filij Gerson in tentorio adunationis, *Vers.* 26. ipsum tabernaculum[e], & tentorium, & operimentum eius, & velamen ante fores tentorij adunationis, & cortinas atrij, & velamen, quod appenditur in introitu atrij tabernaculi, & quicquid ad ritum altaris pertinet, funes tabernaculi, & omnia vtensilia eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Quod super tabernaculum, & super altare in circumitu, & funes eius pro omni seruitute eius*. Dicendo, *in circumitu*, manifestat, quòd non loquitur de iis, quæ sunt suprà, tegendo superius: nam altare erat sub diuo. Sed *super*, pro *iuxta* ponitur, ad significandum, quæ ad defensionem tabernaculi, & altaris erant iuxta: nam propter hæc erat atrium, vt, scilicet, clauderet tabernaculum, & altare.

e *Tabernaculum*, erant cortinæ inferiores, quæ tabernaculū tegebāt. *Tentorium* cortinæ superiores, ex pilis caprarum contextæ. *Operimentum* verò *tabernaculi*, pelles erant rubricatæ, quæ veluti tectum erant totius tabernaculi, summum tenentes locum. Vide Masterum hoc loco.

Vers. 27. Cognatio Cehath habebit populos Hamramitas, & Isharitas, & Chebronitas, & Huzielitas: hæ sunt familiæ Cehathitarum. *Vers.* 28. In numero omnes masculini generis ab vno mense, & suprà, octo millia, & sexcenti: custodientes custodiam Sanctuarij. *Vers.* 29. Et castrametabuntur ad meridianam plagam tabernaculi: *Vers.* 30. Princépsque eorum erit Elisaphan, filius Huziel

Huziel. *Verf.* 31. Et cuftodient arcam, menfamque, & candelabrum, & altaria, & vafa Sanctuarij, in quibus miniftratur, & velamen, cunctámque huiufmodi fupellectilem. *Verf.* 32. Princeps autem Principum Leuitarum Elhazar, filius Aharon Sacerdotis, erit fuper excubitores cuftodiæ Sanctuarij. *Verf.* 33. De Merari verò erunt populi Machlitæ, & Mufitæ: & recenfiti eorum, *Verf.* 34. omnes generis mafculini ab vno menfe, & fuprà, fex millia, & ducenti. *Verf.* 35. Et Princeps eorum Suriel, filius Abichaïl: & in plaga feptentrionali tabernaculi caftrametabuntur: *Verf.* 36. & fub eorum cuftodia erunt tabulę tabernaculi, & vectes, & columnę, ac bafes earum, & omnia, quæ ad cultum huiufmodi pertinent: *Verf.* 37. columnæque atrij per circumitum cum bafibus fuis, & paxilli cum funibus.] Diuerfi funt ifti funes à funibus affignatis Gerfonitis: nam illi funes funt funes cortinarum in omni feruitute eius, vt Hebraïcè fcribitur ibidem: funes autem ifti funt funes columnarum.

Verf. 38. Et caftrametabuntur ante tabernaculum tentorij adunationis, (id eft, ad orientalem plagam,) Mofes, & Aharon cum filiis fuis, habentes cuftodiam Sanctuarij in medio filiorum Ifraël. Quifquis alienus (proculdubiò à Tribu Leuitica) acceſſerit, morietur.] Intellige, *acceſſerit*, ponendo tentorium fuum in loco caftrorum Tribus Leuiticæ: ad hoc enim adiicitur pœna mortis. Et non inhibetur perfonalis acceffus alicuius de populo ad loca Leuitarum.

Verf. 39. Omnes Leuitæ, quos numerauerunt Mofes, & Aharon, iuxta præceptum Domini, per familias eorum, in genere mafculino, à menfe vno, & fuprà, fuerunt vigintiduo millia.] Collige tres fummas fuprafcriptas, (videlicet, Gerfonitarum feptem millia, & quingentos; Cehathitarum octo millia, & fexcentos; Meraritarum fex millia, & ducentos,) & fummam fummarum inuenies vigintiduo millia, & trecentos; & tamen in litera fummantur vigintiduo millia duntaxat: & nulla redditur ratio, quare detrahuntur ab vniuerforum Leuitarum fumma, trecenti. Soluitur quæftio credendo, quòd ratio detractionis trecentorum fuit, quia trecenti erant primogeniti, qui debebant eximi à fumma Leuitarum affumptorum à Deo pro primogenitis duodecim Tribuum: quoniã primogeniti inter Leuitas fecundùm feipfos erant Dei, vt primogeniti; & ideò non debebant fupputari vice primogenitorum populi.

Verf. 40. Et ait Dominus ad Mofen: Numera primogenitos fexus mafculini de filiis Ifraël à mẽfe vno, & fuprà, & habebitis fummam eorum. *Verf.* 41. Tolléfque Leuitas mihi pro omni primogenito filiorum Ifraël, ego Dominus; & pecora eorum pro omnibus primogenitis pecorum filiorum Ifraël. *Verf.* 42. Et recenfuit Mofes, ficut præceperat Dominus ei, omnes primogenitos filiorum Ifraël, *Verf.* 43. & fuerunt primogeniti mafculi per nomina fua à menfe vno, & fupra, vigintiduo millia, & ducenti, & feptuaginta tres. *Verf.* 44. Locutúfq; eft Dominus ad Mofẽ dicẽs: *Verf.* 45. Tolle Leuitas pro primogenitis filiorum Ifraël, & pecora Leuitarum pro pecoribus eorum, eruntque Leuitæ mei, ego Dominus. *Verf.* 46. In pretium autem ducentorum, & feptuaginta trium, qui excedunt numerum Leuitarum de primogenitis filiorum Ifraël, *Verf.* 47. accipies quinque ficlos per fingula capita, ad menfuram Sanctuarij. *Verf.* 48. Siclus habet obolos viginti: dabífque pecuniam Aharon, & filiis eius, pretium eorum, qui fuprà funt. *Verf.* 49. Tulit igitur Mofes pecuniam eorum, qui fuerant ampliùs fuper eos, qui redempti erant per Leuitas, *Verf.* 50. pro primogenitis filiorum Ifraël, pecuniam mille, & trecentorum, & fexagintaquinque ficlorum, iuxta pondus Sanctuarij; *Verf.* 51. & dedit eam Aharon, & filiis eius, iuxta verbum, quod præceperat ei Dominus.] Intellige, prudens lector, has commutationes pro præfentibus tunc primogenitis hominum, & animalium. Noluit Deus primam redemptionem, & oblationem primogenitorum aliter fieri; fed pro prima vice loco primogenitorum ex animalibus, tam redimendorum, quàm offerendorum, affumpfit abfque fupputatione animalia Leuitarum, quæ tunc habebant: loco verò primogenitorum ex mulieribus, fupputatione facta, affumpfit vigintiduo millia Leuitarum. Et quoniam fupputando, plures quàm vigintiduo millia inuenti fuerant primogeniti in populo; redimi iuffit pretio quinque ficlorum fingulos fupra vigintiduo millia: deinceps autem perpetuo tempore feruandam legem de redimendis, vel offerendis primogenitis hominum, & animalium decreuit, vt patet inferiùs cap. 18.

CAPVT IV.

Locutúfque eft Dominus ad Mofen, dicens: *Verf.* 2. Tolle fummam filiorum Cehath, de medio Leuitarum per domos, & familias eorum, *Verf.* 3. à trigefimo anno, & fuprà, vfque ad quinquagefimũ annum.] Si ratio diuini cultus duntaxat haberetur, decernendo ætatem Leuitarum, non excluderentur Leuitæ poft quinquagefimum ætatis annum: quoniam ætas illa magis eft veneranda. Quò fit, vt intelligamus, rationem roboris fimul, & maturæ ætatis haberi, & ex defectu roboris corporalis excludi Leuitas poft quinquagefimum annum; ex indomita autem ætate excludi Leuitas ante trigefimum annum.

VERS. I.

Omnium, qui ingrediuntur, vt ftent, & miniftrent in tabernaculo fœderis.] Iuxta Hebræum habetur: *Omnem venientem ad exercitum ad faciendum opus in tentorio adunationis.* Dicitur, *omnem venientem ad exercitum*; ad excludendum ægros incurabili ægritudine, feu defectu infra trigefimi, & fupra quinquagefimi

quinquagesimi anni ætatem. Dicit, *ad faciendum opus*; ad significandum laborem simul, & sanctitatem exercitij, ad quod adscribuntur Leuitæ in dicta ætate.

Vers. 4. Hic est cultus.] Iuxta Hebræum habetur: *Hæc seruitus filiorum Cehath.* Verùm materia huius capituli minùs exigit discussionem tam exactam Literæ: propter quod pertransibimus; annotando tamen, quæ variant sensum.

Tabernaculum fœderis, & Sanctum Sanctorum.] Iuxta Hebræum habetur: *In tentorio adunationis, Sanctum Sanctorum.* Et est sensus, quòd inter ea, quæ sunt tabernaculi, portio, cui deputata est seruitus filiorum Cehath, est totum illud, quod appellatur *Sanctum Sanctorum.* Et non significat hic *Sanctum Sanctorum,* locum; sed res præcipuæ sanctitatis, qualia erant Arca, Propitiatorium, altare thymiamatis, mensa propositionis, candelabrum, & altare holocaustorum.

Vers. 5. Et ingredientur Aharon, ac filij eius, quando mouenda sunt castra[a].] Inter Cehathitas, quamuis secundùm originem essent Aharon, & filij eius, non tamen supputabantur inter eos, sed seorsum, cùm supputabantur relatiuè ad officia, eò quòd Aharon, & filij eius ad sacerdotium; alij verò ad Leuiticum ministerium deputabantur. Iussit tamen Deus, vt Pontifex, & Sacerdotes non essent exempti ab officio seruiendi, quando castrametandum erat, & quando proficiscendum erat. Nam statuit, quòd seruirent, inuoluendo hæc omnia, quæ dicuntur sancta sanctorum: & similiter intellige, quòd tenebantur postea detegere.

[a] Dum iter facerent filij Israël, si pro refectione sumenda quiescendum erat inter diem, Arca Dei manebat sub tentorio, cum inde statim esset commigrandū. Quando verò figebãtur castra, erigebatur omnimodè tabernaculum, & manebat Arca in tabernaculo suo Hæc habes 1. Paralip 17 ibidémq; est adnotatum ab Authore.

Et deponent velum.] De velo, quod diuidit inter Sanctum, & Sanctum Sanctorum, est sermo, vt testantur subiuncta inferiùs de velo ostij tabernaculi, & de velo ostij atrij. Et propterea non est legendum: *Quod pendet ante fores.* sed iuxta Hebraïcum: *Cortinam* (seu, *velum*) *sepimenti.* Eodem enim velo regenda decernitur Arca, quo secernebatur locus eius à loco aliarum rerum sanctarum.

Inuoluéntque in eo Arcam testimonij. *Vers.* 6. Et operient rursus velamine pellium taxorum, extendéntque desuper pallium totum hyacinthinum, & inducent vectes.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ponent vectes eius.* Non dicitur, *ponent vectes in ea*: quia non significatur appositio vectium; (nam vectes semper erant in Arca:) sed significatur, quòd disponant sic tegmina, vt possit commodè vehi vectibus super humeros hominum, & non vehi super currus. Et quòd iste sit literalis sensus, apparet ex eo, quòd in sex partes distinguuntur in Litera hæc onera, & in quolibet onere fit mentio vectium; diuersimodè tamen in Hebræo: quia in singulis quatuor onerum, (videlicet, Arcæ, altaris thymiamatis, mensæ propositionis, & altaris holocaustorum,) dicitur: *Et ponent vectes eius.* In duobus autem oneribus (videlicet, candelabri & vasorum) dicitur: *Et dabunt super vectem.* manifestè significando, quòd ita inuoluant hæc onera Aharon, & filij eius, vt possint vecte portari: & hæc quidem duo nouis vectibus; illa verò quatuor propriis vectibus. Et ideò ibidem apponitur pronomen, dicendo, *vectes suos*; hic autem absque pronomine: hæc enim duo non erant talia, vt secundùm seipsa haberent vectes; sed totum inuolutum appendebatur vecti, seu vectibus. Et cum his significatur altera species vectis in his duobus, & altera in illis quatuor.

Vers. 7. Mensam quoque propositionis inuoluent hyacinthino pallio, & ponent cum ea thuribula, & mortariola, & cyathos, & crateras ad liba fundenda: & panes semper in ea erunt.

8. Extendéntque desuper pallium coccineum, quod rursum operient velamento pellium taxorum, & ponent vectes eius.

9. Sument & pallium hyacinthinum, quo operient candelabrum cum lucernis, & forcipibus suis, & emunctoriis, & cunctis vasis olei, quæ ad concinandas lucernas necessaria sunt,

10. Et super omnia ponent operimentum pellium taxorum: & dabunt super vectem.

11. Necnon & altare aureum inuoluent hyacinthino vestimento, & extendent desuper operimentum taxorum: & ponent vectes eius.

12. Omnia vasa, quibus ministratur in Sanctuario, inuoluent hyacinthino pallio, extendent desuper operimentum pellium taxorum: & dabunt super vecte.

13. Sed & altare mundabunt cinere, & inuoluent illud purpureo vestimento:

14. Ponéntque cum eo omnia vasa, quibus in ministerio eius vtuntur, (id est, ignium receptacula, & fuscinulas, & tridentes, & vncinos, & batilla, cuncta vasa altatis,) extendéntque super ipsum velamen pellium taxorum, & ponent vectes eius.

15. Cúmque inuoluerint.] Iuxta Hebræum habetur: *Et terminabunt Aharon, & filij eius apertione Sanctuarij, & omniū vasorum eius in motione castrorum.* Non sufficit Deo, vt Pontifex, & Sacerdotes incipiant inuoluere; sed vult, quòd perficiant inuoluere, & tegere omnia supradicta.

Et tunc intrabunt filij Cehath, vt portent inuoluta, & non tangant vasa Sanctuarij, ne moriantur. Ista sunt onera filiorum Cehath in tentorio adunationis: *Vers.* 16. super quos erit.] Hoc non habetur in Hebræo, sed subiungitur immediatè cura Elhazar, dicendo:

Et ordinatio Elhazar filij Aharon Sacerdotis, ad cuius curam pertinet oleum [b] ad concinnandas lucernas, & compositionis incensum.] Committuntur curæ Elhazar quæcunque necessaria erant pro tabernaculi vsu: quorum quatuor explicantur; videlicet, oleum pro candelabro, thymiama

[b] Ex eo, quod soli Eleazaro cura huius olei commissa erat, sumpserunt nonnulli argumentum, quod chrismatis confectio solis Episcopis cōuenit in nouo Testamento, certè nō multùm directè.

ma pro altari thymiamatis, & munus pro altari holocausti, & oleum sanctum pro Pontifice. Deinde subditur clausula generalis, vt ex istis reliqua similia intelligantur. Verùm in litera corrige verba:

Et sacrificium, quod semper offertur.] Nam iuxta Hebræum habetur: *Et munus iugis*. Significatur enim ad literam munus annexum quotidie iugi holocausto. Et si non es immemor suprascriptorum in Leuitico, intelliges, munus esse, similam, seu florem farinæ cum oleo, & thure, &c.

Et oleũ vnctionis, & quicquid ad cultum tabernaculi pertinet, omniáque vasa, quæ in Sanctuario sunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Ordinatio totius tabernaculi, & omnes, quod in eo, in Sanctuario, & in vasis eius.* Hæc est clausula generalis ad comprehendendum omnia commissa curæ Elhazar Sacerdotis: non vt hæc ipse portaret, (cùm non quadret, vt oleum pro candelabro Sacerdos primus in itinere portaret:) sed vt horum curam haberet ipse, vt veherentur, ac custodirentur, & haberentur, cùm opus esset.

Aduerte, prudens lector, quòd multa hîc tacentur, non ex obliuione, sed ex industria: vt, dum videmus non omnia scripta, intelligamus, nihil fuisse omissum in rerum vectione reali, eo ipso, quòd quædam præcipua omissa sunt scribendo: nulla enim fit mentio Propitiatorij, nulla Cherubinorũ, nulla diuini ignis; sed hæc omnia vecta fuisse pari honore, non est ambigendum. Et inter hæc quoque aduerte, quòd quanuis iuge holocaustũ ambulando intermitteretur; nunquam tamẽ deerat iugis panis: nam expresè in Litera mandatur, quòd panes facierum super mensam veherentur, vt esset etiã in itinere semper iugis oblatio panis, & thuris coram Deo pro vniuersis Tribubus Israël.

Vers. 17. Locutúsque est Dominus ad Mosen, & Aharon dicens.

Vers. 18. Nolite perdere populũ Cehat de medio Leuitarũ. *V.* 19. Sed hæc facite eis, vt viuant, & non moriantur, si attigerint Sancta Sanctorum. Aharon, & filij eius intrabunt, ipsíque disponent opera singulorum, & quid quisque portare debeat.] Ne paruipenderetur seruitus Aharon, & filiorum ad inuoluendum, tegendúmque prædicta, manifestat Deus imminere mortẽ Cehathitis, si secùs factum fuerit. Et fuit hæc manifestatio opportuna; tum Pontifici, & Sacerdotibus, ne se subtraherent ab hoc officio, tum Cehathitis, ne se ingererent ad hoc officium.

Vers. 20. Alij nulla curiositate [c] videãt, quæ sunt in Sanctuario, priusquàm inuoluantur, alioquin morientur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non venient ad videndum, sicut tegere Sanctuarium, & morientur.* Præcipitur, vt inuoluta, compositáque onera sigillatim distribuantur Cehathitis, & non sint præsentes ad videndum, quomodo inuoluuntur, & teguntur: quoniam inde incurrent pœnam mortis à Deo infligẽdæ. Reliqua huius capituli expositione non egent: sed correctione aliqua literæ, quam gratia materiæ omittimus.

[c] Hinc patet, quare viri Bethsamesi Reg. 6. fuerunt a Domino percussi, nempe, quòd curiositate inspexissent Arcam Domini, quam discoopertam remiserant Satrapæ Philisthinorum.

Vers. 21. Locutúsque est Dominus ad Mosen, dicens:

22. Tolle summam etiam filiorũ Gerson per domos patrum, & familias eorũ,

Vers. 23. A triginta annis, & suprà, vsque ad annos quinquaginta numera omnes, qui ingrediuntur, & ministrant in tentorio adunationis.

24. Hoc est officium familiæ Gersonitarum,

25. Vt portent cortinas tabernaculi, & tentorium adunationis, operimentum eius, & operimentum de taxis, quod est super ipsum superius, & velamen portæ tentorij adunationis:

26. Et cortinas atrij, & velum ostij atrij, quod est super tabernaculũ, & altare, & funiculos, & omnia vasa ministerij eorũ:

27. Iubente Aharon, & filiis eius portabunt filij Gerson, & scient singuli [d], cui debeant oneri mancipari.

[d] Singulis enim sua onera, quæ custodirent, deputanda erát.

28. Hic est cultus familiæ Gersonitarum in tentorio adunationis: erúntque sub manu Thamar filij Aharon Sacerdotis.

29. Filios quoque Merari per familias, & domos patrum eorũ recensebis,

30. A triginta annis, & suprà vsque ad annos quinquaginta recensebis eos, omnes, qui ingrediuntur ad officium ministerij sui, & cultum tentorij adunationis.

31. Hæc sunt onera eorum. Portabunt tabulas tabernaculi, & vectes eius, & columnas eius, ac bases,

32. Et columnas atrij per circumitũ cum basibus, & paxillis, & funibus suis, omniáque vasa, & supellectilem ad numerum accipient, sícque portabunt.

33. Hoc est officium familiæ Meraritarum, & ministerium in tentorio adunationis, erúntque sub manu Ithamar, filij Aharon Sacerdotis.

34. Recensuerunt igitur Moses, & Aharon, & Principes Synagogæ filios Cehath per cognationes, & domos patrum eorum,

35. A triginta annis, & suprà, vsque ad annum quinquagesimum, omnes, qui ingrediuntur ad ministerium tentorij adunationis,

36. Et inuenti sunt duo millia, & septingenti, & quinquaginta.

37. Hic est numerus populi Cehath, qui intrat tentorium adunationis, quos numerauit Moses, & Aharon, iuxta sermonem Domini per manum Mosis.

38. Numerati sunt & filij Gerson per cognationes & domos patrũ eorum,

39. A triginta annis, & suprà, vsque ad annum quinquagesimum; omnes, qui ingrediuntur, vt ministrent in tentorio adunationis.

Verſ. 40. Et inuenti ſunt duo millia, & ſexcenti, & triginta.

41. Hic eſt populus Gerſonitarum, quos numerauerunt Moſes, & Aharon iuxta verbum Domini.

42. Numerati ſunt & filij Merari per cognationes, & domos patrum eorum,

43. A triginta annis, & ſuprà, vſque ad annum quinquageſimum; omnes, qui ingrediuntur ad explendos ritus tentorij adunationis:

44. Et inuenti ſunt tria millia, & ducenti.

45. Hic eſt numerus filiorum Merari, quos recenſuerunt Moſes, & Aharon iuxta præceptum Domini per manum Moſis.

46. Omnes, qui recenſiti ſunt de Leuitis, quos numerauit Moſes, & Aharon, & Principes Iſraël, per cognationes, & domos patrum eorum,

47. A triginta annis, & ſuprà, vſque ad annum quinquageſimum, ingredientes ad miniſterium tentorij adunationis, & onera portanda,

48. Fuerunt ſimul octo millia, & quingenti, & octoginta.

49. Iuxta verbum Domini recenſuit eos Moſes, vnunquenque iuxta officium, & onera eius, ſicut præceperat ei Dominus.]

CAPVT V.

VERS. 1. LOcutúſque eſt Dominus ad Moſen, dicens:

Verſ. 2. Præcipe filiis Iſraël, vt eiciant de caſtris omnem leproſum[a], & omnem ſeminifluum, & omnem pollutum per mortuum.] Non per ſeipſum Moſes, ſed per præpoſitos populo, eiectioné hanc exercuit in tribus duntaxat generibus immundorum; quorum, videlicet, immunditia manifeſta erat aliis: lepra enim, & luctus mortui patent: ægritudo verò fluxus ſeminis communiter non eſt occulta propter remedia quæſita.

[a] Clarũ eſt ex 13. cap. Leuitici, quòd Moſes omnem ſcabiem, diuerſum colorem, ſiue puſtulam in cute, & ſanguine orram, lepram vocet, vnde cõciliari poſſit morbus ille immedicabilis.

Verſ. 3. Tam maſculum, quàm fœminam eiicite de caſtris.] Non eſt ambigendum, ſermonem eſſe de vniuerſo ambitu caſtrorum: quoniam ſic ſignificat Litera, & ſic militat ratio ſubiuncta, iuxta Hebræum: *Et non polluent caſtra ſua, quia ego habitans inter eos.* Expreſsè dicitur, quòd filij Iſraël non polluant caſtra ſua: & ratio redditur: quia ipſe Deus habitat in medio eorum. Non fuerunt itaque eiecti immundi extra caſtra, antequàm erigeretur tabernaculum Dei: ſed poſtquàm habitaculum Dei erectum eſt, propter illius honorem eiecti ſunt immundi, vt caſtra Iſraëlitarum (in quorum caſtrorum medio erat locus tabernaculi Dei) eſſent munda.

Verſ. 4. Feceruntque ita filij Iſraël, & eiecerunt eos extra caſtra[b]: ſicut locutus eſt Dominus Moſi, ſic fecerunt filij Iſraël.

[b] Tria ſecundùm Hebræos erant caſtra, videlicet, caſtra Dei, id eſt, tabernaculum, caſtra Leuitarum; & caſtra Iſraël: leproſi ab omnibus arcebantur. immundi per fluxum à primis duobus: pollutus verò ſuper mortuum, à primo duntaxat.

Verſ. 5. Locutúſque eſt Dominus ad Moſen, dicens:

Verſ. 6. Loquere ad filios Iſraël: Vir, vel mulier, cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ ſolent hominibus accidere, & per negligentiam tranſgreſſi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad mentiendum mentitionem in Iehouah; & deliquerit anima ipſa.* Præter hoc, quòd Hebraïcè vnica habetur dictio, (videlicet, hominis) quam vulgata editio circunloquitur dicendo, *quæ ſolent hominibus accidere.* Lex itaque iſta, quanuis ſecundùm verba peccatum ſonet in genere; ſubiuncta tamen teſtantur, quòd de peccato occultæ fraudis, ſeu cuiuſuis oblationis rei alienæ, eſt ſermo. Dicendo enim: *Vir, vel mulier, quando facient ex omnibus peccatis hominis ad mentiendum in Iehouah.* peccatum ſignificat coram Deo manifeſtum: idémque inſinuatur dicendo, anima ipſa: tanquam peccatum ſit notũ duntaxat Deo, & ipſi peccanti. Quòd autem apponitur, *ad mẽtiendum mentitionem*; Hebraïca phraſis eſt, gaudentis conduplicationibus. Eſt itaque ſenſus legis, quòd cùm quis ex omnibus humanis peccatis (hoc eſt, quacunque ratione peccandi humana; putà, infirmitate animi, cupiditate, metu, ignorantia, &c.) alienum vſurpauerit occultè, hoc eſt, quod non poteſt probari in iudicio.

Verſ. 7. Confitebuntur[c].] Iuxta Hebræum præponitur coniunctio copulatiua: *Et confitebuntur peccatum ſuum.* Spontanea pœnitentia ſignificatur, ad differentiam coniuncti in iudicio: de quo in Exodo lata eſt lex alia.

[c] *Confiteri peccatũ*, hoc loco perinde eſt, *idiotiſmo* Hebræo, atque agnoſcere peccatum, & compungi. Sic qui prædicationem Ioannis audiebant, *compũcti reuertebantur confitentes peccata ſua.*

Et reddent ipſum caput, quintámque partem deſuper ei, in quẽ peccauerint[d].] Hic clarè apparet, quòd de peccato vſurpationis rei alienæ lex iſta diſponit, præcipiendo reſtitutionem, adiuncta inſuper quinta parte: mitiùs enim agitur in foro pœnitentiæ, quàm in foro iudiciali, in quo ad minus reſtituebatur duplum, vt patet Exodi 22.

[d] Hic *peccatum*, pro reipſa, quæ reſtituenda ſit, accipitur; id eſt, pro ipſa ſumma, vt ſenſus ſit, reuerti faciet rem ad ſuum locum, & ad poſſeſſorẽ ſuum, & ad eum, in quem peccauerat.

Verſ. 8. Si autem non fuerit qui recipiat, dabũt Domino, & erit Sacerdotis.] Iuxta Hebræum habetur: *Delictum reſtitutum Iehouah Sacerdoti.* Vide diſparitatem. Si reſtituendum eſt certo homini, reſtituebatur ablatum, quinta adiuncta parte: ſi autẽ incertus eſt homo, cui reſtituẽdum eſſet, reſtituitur Deo illud duntaxat, quod fuerat ablatum; nec adiũgitur quinta pars: & hinc tractum eſt, quòd reſtitutio incertorum facienda eſt Deo: quod autẽ ſubditur, *Sacerdoti*, applicationem ſignificat diuinam reſtitutæ rei ad Sacerdotem. Hodie autem eroganeur reſtitutiones incertæ in pauperes Chriſti: abſoluti enim ſumus ab hac lege diſponente, quòd ſint Sacerdotis.

Excepto ariete qui offertur pro expiatione[e].] Collige, prudens lector, quod in reſtitutione ſpontaneæ pœnitẽtiæ, ſi reſtitutio debebatur certo homini, Sacerdos habebat carnes arietis pro peccato: Deus enim placãdus in omni fraude erat. Si verò reſtitutio incertorũ erat, Sacerdos habebat vtrunque; videlicet, & arietem pro peccato, & rem, quæ reſtituebatur.

[e] Nam peccatũ apud Hebræos multiplicis ſignificationis eſt, & pro ipſo ſcelere, & pro eo, quod ſcelus expiat, & ipſa expiatione. Hinc ſæpe in Scriptura, tropo vulgari, vſurpatur pro reſtitutione, & pro hoſtia. Sic 2. Corin. 5. *Qui non nouit peccatũ, peccatum fecit*, id eſt, ſacrificium, & hoſtiã. Et Galat. 3. *Factus eſt pro nobis delictum.* Itẽ Hoſee 4. *Peccata populi mei comedent ſacerdotes.*

Vt ſit placabilis hoſtia.] Iuxta Hebræum habetur:

habetur: *Quæ expiabit in ipso super ipsum.* Determinatur Sacerdos, cui vtrunque appropriatur, videlicet, ille, qui expiationis officium super pœnitentem exercebit sacrificando arietem datum à pœnitente.

Vers. 9. Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filij Israël, ad Sacerdotem pertinent, *Vers.* 10. & quicquid in Sanctuario offertur à singulis, & traditur manibus Sacerdotis, ipsius erit.] Tota hæc clausula longè aliter habetur Hebraïcè: nam legitur: *Et omnis eleuatio in omnibus sanctitatibus filiorum Israel, quam offerent Sacerdoti, ipsi erit: & vir sanctitates eius ipsi erunt: vir, quod dabit Sacerdoti, ipsi erit.* Tres sententiæ sunt. Prima disponit de eleuationibus; hoc est, de illis rebus, quas lex præcipit, vt eleuari coram Iehouah à Sacerdote. Et in hoc comprehenduntur diuersa rerum genera: nam, & munus floris farinæ, & pectusculum, & armus dexter, & multa alia præcipiuntur eleuanda coram Iehouah à Sacerdote: & de omnibus disponitur, quòd sint Sacerdotis, dicendo: *Et omnis eleuatio sanctitatum filiorum Israel.* Significanter enim dicitur, *filiorum Israël*, (ad differentiam muneris, quod offerebant ex suo ipsi Sacerdotes:) quoniam illud totum cremabatur, & nihil illius cedebat in vsum Sacerdotis. Secunda verò sententia disponit, quòd cuiusque viri sanctitates eius (hoc est, sacrificia eius, & quælibet illis annexa) non erunt Sacerdotis, sed ipsius offerentis: portio enim Sacerdotis comprehenditur sub eleuatione: & reliquæ partes cóprehendútur sub cuiusque viri sanctitatibus eius. Tertia autem sententia, ratio est primæ: nã significat, rationi esse consentaneũ, vt quod vir dat Sacerdoti, sit ipsius Sacerdotis: est enim tãquã donare Sacerdoti, offerre Sacerdoti, vt eleuet corã Deo. Et scito, quòd nihil refert, si dictio interpretata, *vir*, interpretetur, *vnusquisque*: nam idẽ redit sensus. Et hæc ideò repetita hoc in loco videntur, vt nouerint omnes, si quis fraudẽ in iis, quæ eleuanda sunt coram Deo, commiserit, quòd restitutio facienda est Sacerdoti.

Vers. 11. Locutúsque est Dominus ad Mosen, dicens:

12. Loquere ad filios Israël, & dices ad eos: Vir, cuius vxor errauerit, maritúmque contemnens

13. Dormierit cum altero viro, & hoc maritus comprehendere non quiuerit; sed latet adulterium, & testibus argui non potest: quia non est inuenta in adulterio.] Iuxta Hebræum non habetur coniunctio, *quia*: sed coniunctio, *&*: dicitur enim, & quòd desunt testes, & quòd ipsa non fuit deprehensa.

Vers. 14. Si spiritus zelotypiæ [f] concitauerit virum contra vxorem suam: quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur,

15. Adducet eam ad Sacerdotem, & offeret oblationem pro illa, decimam partem sati farinę hordeaceę. Non fundet super eam oleum, nec imponet thus: quia sacrificium zelotypiæ est, & oblatio inuestigans adulterium.

16. Offeret igitur eam Sacerdos, & statuet coram Domino.

17. Assumétque aquam sanctam in vase fictili.] Proculdubiò illam, qua aspergebantur immundi.

Et pauxillum terræ de pauimento tabernaculi mittet in aquam.

Vers. 18. Cúmque statuerit Sacerdos mulierem in conspectu Domini, discooperiet caput eius, & ponet super manus illius sacrificium recordationis, & oblationem zelotypię.] Iuxta Hebræum habetur: *Munus recordationis, munus zelotypiæ ipsum.* Farina enim illa hordeacea munus recordationis appellatur: tum communi ratione nominis; quia quodlibet munus farinæ appellabatur *munus recordationis*, vt in Leuitico declaratum est: tum speciali ratione; quia ad faciendum recordari culpam, erat hoc munus; vt Hebraïca Litera sonat: nam superiùs, vbi vulgata editio habet: *Et oblatio inuestigans adulterium.* Hebraïca veritas habet, *munus recordationis faciens recordari culpam.*

In manu autem Sacerdotis erunt aquæ [g] amarissimæ: in quas cum execratione maledicta congessit.] Iuxta Hebræum habetur: *Aquæ amaritudinum facientes maledicere.* Exponit amaritudines ex efficacia efficiendi maledictiones, hoc est, exequendi maledicta, quæ subiunguntur. Et intellige, cùm similia verba repetuntur, similem correctionem, & sensum.

Adiurabitque eam Sacerdos, & dicet ei:

Vers. 19. Si non dormiuit vir alienus tecum, & si non polluta es deserto mariti thoro, non tibi nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congessi:

20. Si autem declinasti à viro tuo, atque polluta es, & concubuisti cum altero viro,

21. His maledictionibus subiacebis: Det te Dominus in maledictionem, exemplúmque cunctorum in populo suo: putrescere faciat femur tuum, & tumens vterus tuus dirumpatur:

22. Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & vtero tuo tumescente putrescat femur. Et respondebit mulier: Amen [h], amen.

23. Scribétque Sacerdos in libro ista maledicta, & delebit ea aquis amarissimis, in quas maledicta congessit,

24. Dabit mulieri eas bibere. Quas cùm exhauserit.] In Hebræo non habentur istæ tres vltimæ dictiones: imò contradicunt subiunctis; nam manifestè secundùm literam, post deletam scripturam illa aqua, accipiebat Sacerdos ex volis mulieris munus farinæ hordeaceæ, & eleuabat illud coram Deo, & offerebat super altare, incendendo pugillum illius farinæ instar thuris super altare: & posteà dabat potum aquæ illius mulieri.

Et venient in eam aquæ amarissimæ.

25. Tollétque Sacerdos de manu eius sacrificium zelotypiæ: & eleuabit illud coram Domino, offerétque super altare,

[f] Cùm nõ potẽ quidquã tam minutum in lege, quod non suam & suo tempore vtilitatem attulerit, hanc zelotypiæ legem eò à Dominó latam intelligo, vt illa aliquo modo repudio obstaret, quod ex lege permissum erat: poterat siquidẽ hac lege furor mariti placari. Data erat propterea in odium adulterij, vt mulier sic se iunctam viro à Domino agnosceret, maritoque suo tic arctissima coniunctione adhæreret, vt summoperè cauere debeat, quicquid inter eos dissidium parere posset, sibíque timeret hac lege, quæ illis miraculo perituram promiserat. Virorum verò malitiæ nõnihil etiam medebatur in eo, quòd si legẽ executioni daret, proditurus erat mulierem coram populo: in qua re profectò multum erat confusionis, & verecundiæ, quæ poterat malum mariti coërcere.

[g] Dicebantur aquæ istæ amarissimæ secũdùm Munsterum, ob res amaras, quas in illis ponebant, vt absynthiũ, & huiusmodi. Vel fortè, phrasi Hebraïca sic dictæ sunt, quasi aquæ tribulationis, & amaritudinis, sicut & aquę fellis etiam nominãtur ab Ieremia 8. cap.

[h] *Amen*, vox Hebraïca est, quæ apud Hebręos eum habet vsum, vt per eam cõfirmet, quæ anteà dicta sunt.

altare, ita duntaxat vt priùs.

Verſ. 26. Pugillum ſacrificij tollat de eo, quod offertur, & incendat ſuper altare, & ſic potum det mulieri aquas amariſſimas.

27. Quas cùm biberit, ſi polluta eſt, & contempto viro adulterij rea, pertranſibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computreſcet femur, eritque mulier in maledictionem, & in exemplum omni populo.

28. Quòd ſi polluta non fuerit, erit innoxia, & faciet liberos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ſeminabitur ſemine.* Non promittitur, quòd faciet liberos; ſed decernitur, quòd non deſeratur à marito quoad thorum: hoc enim ſignificatur dicendo: *Seminabitur ſemine.* ad hoc enim ſufficit concubitus mariti.

Verſ. 29. Iſta eſt lex zelotypiæ: ſi declinauerit mulier [a] à viro ſuo, & polluta fuerit,

[a] In fauorem viri, zelotypi illius, ſcilicet, qui immodico coniugis amore flagrabat, præceptum Domini de adhærendo vxori verè exequēs lex hæc data videtur: naſcitur enim zelotypia non aliunde, quàm ex vehementi dilectione.

30. Vel ſi vir zelotypiæ ſpiritu concitatus adduxerit vxorem ſuam in conſpectu Domini, & fecerit ei Sacerdos iuxta omnia, quæ ſcripta ſunt,

31. Vir abſque culpa erit.] Manifeſtat lex, quòd ſiue mulier fuerit verè adultera, ſiue non, maritus innocens erit, vtendo iure legis huius: tanquàm nulli faciat iniuriam, qui vtitur iure ſuo.

Et illa recipiet iniquitatem ſuam.] Iuxta Hebræum habetur: *Portabit culpam ſuam.* quod poteſt intelligi in vtroque caſu: nam & in caſu veri adulterij ſuſtinebat culpam ſuam moriendo, vel, &c. & in caſu ſuſpecti adulterij ſuſtinebat pœnam culpæ ſuæ, qua occaſionem dederat tam malæ ſuſpicionis: erat enim non parua pœna ſubire huiuſmodi purgationem publicam.

CAPVT VI.

VERS. 1. Locutúſque eſt Dominus ad Moſen, dicens: *Verſ.* 2. Loquere ad filios Iſraël, & dices ad eos: Vir, vel mulier, cùm fecerit votum, vt ſanctificetur, & ſe voluerit Domino conſecrare, *Verſ.* 3. à vino, & omni, quod inebriare poteſt, abſtinebit.] Aduerte, prudens lector, quòd in tota hac lege Nazaræorū [a] nūquam iuxta Hebræum fit mentio ſanctificationis, aut conſecrationis, niſi ſemel de ſanctificatione capitis; ſed ſemper *ſeparatio*, ſeu *ſeparare* nominatur: ſed Interpres *conſecrationis*, & *ſanctificationis* vocabulis vtitur. Verùm parui refert: quoniā materia clara eſt: quocunque enim nomine vtaris, omnes intelligunt de ſtatu eorū, qui vocabātur Nazaræi, eſſe ſermonē. Erat autē Nazaræatus, deditio quædam, ſiue maris, ſiue mulieris, Deo, quodam tempore, non limitato à lege; ſed à volūtate. Deditio autem quoad abſtinentiam triplicē in litera exprimitur, & quoad ſacrificium: quoad actionem verò tacetur: nulla enim explicatur actio vitæ actiuæ, aut contemplatiuæ, ad quam obligaret Nazaræatus. Et ſcito, quòd Hebraica dictio eſt Nazaræus, & Latinè dicitur, *ſeparatus*: quia ſeparatus erat à communione aliorum quoad potum vini, & cibum ex vuis, & luctum mortui, & tonſuram capitis propter Deum.

[a] In hac Nazaræatus lege oſtendit Dominus, multum illi placere eos, qui carnem fortiter caſtigāt, ſpiritui ſeruire cogētes; citra tamen inſolentem in externis rebus nouitatem. Hi enim Nazaræi, hoc eſt, Domino ſeparati, & conſecrati erant; qui ſtrictiùs quidem quàm vulgus viuentes, ſanctitati vnicè ſtudebant, incultiori bus cibis, & veſtibus vtentes. Cuius ordinis extitiſſe credidetim filios illos Prophetarū, quos in Scriptura ſæpè legimus ſolitariè enim viuebant, & parciſſimè, vt patet 3. Reg. 14. & 4. Reg. 2. laudibus diuinis vacantes, pauperes, & populi oblationibus ſuſtentati, vt 1. Regum 9. & 4. Reg. 3. & 5. Populo diebus feſtis cōcionabantur, nunquámque equitabāt, 4. Reg. 4. & ſimul cōuiuebant, vt Cœnobitæ, 4. Reg. 5. Nazaræus etiam fuit Ioānes Baptiſta: illud enim prædixerat Angelus, quòd vinum, & ſiceram non biberet. Nazaræus etiam fuit Samſon, quem Dominus talem voluit ciā ab vtero matris.

Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione.] Iuxta Hebræum habetur: *Ex quolibet, quod inebriare poteſt.* Et ſimiliter cùm ſubiungitur:

Et quicquid de vua exprimitur.] Iuxta Hebræum habetur: *Omnem dilutionem ex vuis non bibet.* Prohibetur enim non ſolùm potus vini, & cuiuſcunque valentis inebriare, & ſimiliter potus aceti, tam ex vino, quàm ex quocūque valente inebriare; ſed etiam potus aquæ, quæ diluit vuas, quam *poſcam* vocamus.

Et vuas recentes, ſiccáſque non comedet, *Verſ.* 4. cunctis diebus, quibus ex voto Domino conſecratur.] Sub hac prima abſtinentia comprehenditur cum comedere vuas, ſiue recentes, ſiue ſiccas; ita quòd nec acinos, nec cortices comedere licebat: nam, quod legitur:

Quicquid ex vinea eſſe poteſt, ab vua paſſa, vſque ad acinum, non comedet.] Iuxta Hebræum habetur: *Ex omni, quod fiet ex vite vini, ab acino, & vſque ad corticem non comedet.* Hæc eſt ergo prima abſtinentia ſpectans ad potum, & cibum.

Verſ. 5. Omni tempore ſeparationis eius, nouacula non tranſibit ſuper caput ipſius: vſque ad completum diem, quo Domino conſecratur, ſanctus erit, creſcente cæſarie capitis eius [b].] Abſtinentia à nouacula ſic præcipitur, vt nec incideret capillum capitis; ſed comā Deo offerendā ſeruaret.

[b] Hinc Samſon, cùm ex culpa ſua caput radi permiſiſſet, fortitudinē propter Nazaræatum à Domino collatam, perdere meruit.

Verſ. 6. Omni tempore conſecrationis ſuæ, ſuper mortuum non ingredietur: *Verſ.* 7. nec ſuper patris quidem, & matris, & fratris, ſororiſque funere contaminabitur: quia conſecratio Dei eius ſuper caput ipſius eſt.] Nomen eſt *Elohe.* Vt timeat Nazaræus offendere Deum, nominatur Deus *Elohe*, hoc eſt, Iudex.

8. Omnibus diebus ſeparationis ſuæ ſanctus erit Domino. *Verſ.* 9. Et ſi mortuus fuerit ſubitò quiſpiam coram eo, polluetur caput cōſecrationis eius.] Exigit lex cōtinuari huiuſmodi mūditiā vſq; adeò, quòd ſi interrupta fuerit, pro nihilo habetur.

Quod radet illicò in eadem die purgationis ſuæ, & rurſum in ſeptima] Secùs habetur Hebraïcè: *Et radet caput ſuum in die mundationis ſuæ, in die ſeptima radet ipſum.* Non præcipitur bis radi caput; ſed ſemel tantùm in die mundationis eius; hoc eſt, in die ſeptimo: immūdus enim vſque ad ſeptimum diē erat ex mortuo. Tertia itaque negatio erat, quòd Nazaræus non intereſſet alicui mortuo.

Verſ. 10. In octauo autem die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ Sacerdoti in introitu tentorij adunationis: *Verſ.* 11. faciétque Sacerdos vnum pro peccato, & alterum in holocauſtum: & orabit pro eo, quia peccauit ſuper mortuo: ſanctificabitque caput eius in die illo.] Octauo die dicabat iterum caput ſuum Deo ad abſtinentiam à nouacula, & inciſione quacunque capilli, iterum incipiens Nazaræatum ſuum.

Verſ. 12. Et conſecrabit Domino dies ſeparationis illius, offerens agnum anniculum

culum pro delicto.] Hinc habetur, quod tacitum fuit in principio capituli; videlicet, quòd in die, quo incipiebat Nazaræatus alicuius, offerebat ille agnum anniculum pro delicto: illud enim, quod hîc iterum iubetur fieri, fuisse quoque factum ab initio, insinuant verba literæ, sonantia: *Et faciet separare Iehouah dies separationis eius, & adducet agnum filium agni sui in asam.* In initio itaque dierum Nazaræatus eius, hoc sacrificium fiebat: & ideò præcipitur interrupto Nazaræatu fieri iterum.

Ita tamen, vt dies priores irriti fiant.] Non supputandi censentur priores dies, si interruptus est Nazaræatus immunditia mortui. Et idem intellige, si interruptus fuisset violatione alicuius supradictarum abstinentiarum. Et ratio assignatur:

Quia polluit separationem suam.

Vers. 13. Ista est lex consecrationis. Quum dies, quos ex voto deuotè decreuerat, complebuntur, adducet eum ad ostium tentorij adunationis: *Vers.* 14. & offeret oblationem eius Domino agnũ anniculum immaculatum in holocaustum, & ouem anniculam immaculatam pro peccato, & arietem vnum immaculatum hostiam pacificam: *Vers.* 15. & canistrum panum azymorum, qui conspersi sint oleo, & lagana absque fermento [e] vncta oleo.] Deficiunt tres dictiones: nam immediatè subiungitur: *Et munera eorum, & colamina eorum.* Et est sermo de munere exposito in Leuitico; videlicet, simila, seu flore farinæ, &c. hæc enim sunt sacrificia, ad quæ tenebatur Nazaræus in fine Nazaræatus sui, quum cremabat vniuersos capillos capitis sui rasi coram Domino.

[e] Ex eo, quòd hic Dominus, & in tota ferè lege in omni sua oblatione fermẽtũ prohibuit, vt constat Exod. 34. & Leuit. 2 fermenti nomẽ in Scriptura odiosum redditum est Sic in nouo Testamento centies admonuit Paulus, fermentum, Christianis expurgandum fore.

Vers. 16. Quæ offeret Sacerdos coram Domino: & faciet, tam pro peccato, quàm in holocaustum. *Vers.* 17. Arietem verò immolabit hostiam pacificam Domino: offerens simul canistrum azymorum, & libamenta, quæ ex more debentur. *Vers.* 18. Et radetur Nazaræus ante ostium tentorij adunationis, cæsarie cõsecrationis suæ: tollétque capillos eius, & ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum. *Vers.* 19. Tollet & armum coctum.] Iuxta Hebræum habetur: *Brachium lixum arietis, tortámque absque fermento vnam de canistro, & laganum azymum vnum: & tradet in manibus Nazaræi, postquam rasum fuerit caput eius.*

Vers. 20. Susceptáque rursum ab eo eleuabit in conspectu Domini: & sanctificata Sacerdotis erunt, sicut pectusculum, quod separari iussum est, & femur.] Iuxta Hebræum habetur: *Super pectus eleuationis, & super armum elationis: & postea bibet Nazaræus vinum.* Speciale quid significari apparet in hoc sacrificio pacificorum Nazaræi, vt Sacerdos non solùm pectus, & armum; sed etiam brachium arietis haberet. Ego tamen intelligo, nihil speciale dici: sed explicari, quòd brachium computatur cum armo, & pectore, in omnibus sacrificiis: tota enim quarta portio anterior dextra, erat Sacerdotis.

Vers. 21. Ista est lex Nazaræi, quum vouerit oblationem suam Domino tempore consecrationis suæ, exceptis iis, quę inuenerit manus [d] eius: iuxta quod mente deuouerat, ita faciet ad perfectionem sanctificationis suæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Super legem separationis suæ.* Monetur Nazaræus, vt quam sibiipsi statuit legem offerendi Deo in Nazaræatu suo, exequatur. Aduerte, prudens lector, ex hac Nazaræorum lege haberi, quòd placent Deo vota abstinentiæ, & separationis etiam ab actionibus humanis, quę videntur piæ: vt luctus parentum, & consanguineorum, & abstinere rasura, & similibus relatiuè ad Deum.

[d] Illud *Exceptis, quæ inuenerit manus eius* sic intelligas, id est, si locupletior sit, locupletiorem potest adducere hostiam: nam *manum inuenire*, Hebraismus est, pro suppetere, vel habere aliquid, vnde erogare possis.

V. 22. Locutúsq; est Dominus ad Mosen, dicẽs: *Vers.* 23. Loquere Aharõ, & filiis eius: Sic benedicetis [e] filiis Israël dicendo eis: *Vers.* 24. Benedicat tibi Dominus, & custodiat te.] Aduerte, prudens lector, in hac à Deo tradita forma benedictionis tres inueniri combinationes: & in cuiuslibet prima parte, scribi tetragrammaton: loco cuius in vulgata editione scribitur Dominus. Et, vt clariùs elucescat diuina hæc forma benedictionis, tota ad verbum ex Hebraico subiungetur: *Benedicet te Iehouah, & custodiet te.* Hæc est prima combinatio.

[e] *Benedicere*, tropus est satis elegans, Hebraicæque linguæ admodum familiaris. Hic idem significat, quòd bona oprare, benè loqui, & precari. Sic & Genes. 24. *Et imprecantes prospera sorori suæ.* Hebræus dicit: *Et benedixerunt eam.*

Vers. 25. Faciet lucidam Iehouah faciem suam tibi, & miserebitur tui.] Hæc est secunda combinatio.

Vers. 26. Eleuabit Iehouah faciem suam tibi, & ponet tibi pacem.] Hæc est tertia, & vltima combinatio. Vide singula. Benedicere diuinum est benefacere. Communissimè itaque diuinum beneficium significatur dicendo: *Benedicet te* [f]. Et directè ad bonum refertur hæc prima pars: altera autem ad malum futurum, dicendo: *Et custodiet te.* Custodia enim est à futuris, seu imminentibus malis. Etsi, quemadmodum secunda pars istius primæ combinationis non respicit omne malum, sed duntaxat futurum tibi; ita restringenda censetur prima pars. Potest, iuxta Scripturæ sacræ consuetudinem, *benedicere*, appropriari fructificationi, & multiplicationi: vt sit sensus: Fructificare, & multiplicare te faciet Deus.

[f] Et hoc benedictionis nomine omnia felicia, & bona à Deo nobis concessa intelliguntur, vt Psal. 3. *Super populum tuum benedictio tua.* id est, tu Deus populum tuum tibi fidentem seruare soles, & bonis omnibus cumulare.

Secunda autem combinatio ea, quæ sunt propria animæ, spectat: nam, cùm facies sit, qua cognoscimur, dicendo: *Faciet lucidam Iehouah faciem suam* [g] *tibi.* significatur diuinæ notitiæ donum, ita quòd Deus non velut in obscuro, sed tanquàm in luce monstret se tibi. Et quoniam communis erat hæc benedictio vniuersis filiis Israël, non de lumine scientiæ, sed de lumine fidei est sermo: vt Deus tam clarum lumen fidei præbeat, vt ipse Deus, qui est fons essendi, cognoscatur: quod est magnum mentis bonum. Et huic adiungitur verus fidei effectus, (remissio, videlicet, peccatorum,) dicẽdo: *Et miserebitur tui.* Quemadmodum custodia respicit mala; ita & misericordia: sed custodia respicit mala futura, misericordia præsentia: præcipua autem mala hominis sunt mala culpæ: & propterea ad hæc principaliter spectat diuina misericordia.

[g] *Facies Dei* in Scripturis nonnunquam diuina cognitio intelligitur. ea ratione, qua per faciem conspectam quisque cognoscitur, vt de homine noto dicimus: Facie quidem hominem noui Ita orando Deum dicitur: *Ostende nobis faciem tuam* id est, da nobis cognitionem, & intelligentiam tui.

Tertia autem combinatio maior est. Et quoniam eleuatio faciei ad aliquid specialis nostræ curæ circa illud est signum, ideò dicendo: *Eleuabit Iehouah faciem suam tibi.* significatur specialis cura Dei erga te. Et quemadmodum per *Dei faciem lucidam tibi*, significatur ad literam id, quo Deus cognoscitur lucidum tibi,

tibi, (hoc eſt, teſtimonia veri Dei, quibus diſcernitur, ac creditur Deus verus, lucida tibi fieri ab ipſo Deo:) ita per *eleuationes faciei diuinæ tibi*, ſignificatur ad literam eleuatio diuinæ erga te curæ; hoc eſt, eleuatio mediorum concurrentium in diuina tui gubernatione; eleuatio, inquam, ad bona Electorum, ad ordinem cæleſtis patriæ [a]. Vnde & aptiſſimè adiungitur: *Et ponat tibi pacem*. hoc eſt, tranquillitatem ordinis in te ponat: vt inferior appetitus ſubſit ſuperiori, & ſuperior Deo: vt vnicuique, quod ei debetur, tribuas tranquillè: hæc enim eſt vera, & ſola pax hominis: & eſt initium felicitatis æternæ. Vniuerſorum itaque bonorum largitatem, & malorum amotionem complectitur hæc diuina benedictio.

Verſ. 27. Inuocabúntque [b].] Iuxta Hebræum habetur: *Et ponent nomen meum ſuper filios Iſrael.* Tradita forma benedictionis, manifeſtatur efficacia illius ex parte Sacerdotum, ex parte filiorum Iſraël, & ex parte Dei. Actio ſiquidem Sacerdotum, & actio filiorum Iſraël ſimul deſcribitur, dicendo: *Et ponent nomen meum ſuper filios Iſraël.* Sacerdotum officium eſt ſic benedicere verbis inuocando nomen Dei, vt non voce tantùm, ſed re ponant in mentibus populi diuinum nomen ſuper eos, vt amandum, vt venerandum, vt in quo confidant: hoc eſt enim ponere nomen Dei ſuper eos. Ad quod requiritur modus benedicendi, ex parte Sacerdotum, non ſolùm vt reuerenter benedictionis verba proferrent, ſed vt vita eſſet conformis actioni: ſic enim excitabatur populus ad ſuſcipiendum ſuper ſe nomen Dei actibus amendi, colendi, atque confidendi: & ex his ſequebatur efficacia benedictionis, tanquàm ex diſpoſitionibus præuiis. Et propterea ſubiungitur: *Et ego benedicam eis.* hoc eſt, ego efficiam, quæ in benedictione ſignificantur. Ac ſi apertiùs dixiſſet: Sacerdotes diſponant populum ad venerandum, amandúmque nomen meum ſuis miniſteriis; & ego efficiam in populo, quæ in benedictionibus imprecantur.

[a] Cæterùm hæ precationes publicæ pro Synagogæ neceſſitate à Pontifice formabantur, cauſa excitandi animos populi, vt ſuam neceſſitatem agnoſceret, atque Deum, vt illam reuelet, penes ſe orent. In hunc etiam finem Pſalmi, & aliæ publicæ preces certę in Eccleſia dicuntur, quibus populus moneatur, vt ſancti Deo fiſi ſunt, vt opem Dei cũ fiducia orauerunt, & exorauerunt; vtíque toros in gratiarum actionem, & tandem ſeſe fuderunt, atque ita exemplo ipſorum ad ſimilia accendantur.

[b] *Inuocare nomen Domini ſuper filios Iſraël*, eſt virtutẽ eius ſuper eos oſtenſam prædicare, in omni neceſſitate eum inuocare, & virtutem, & opẽ eius implorare; idiotiſmúsque frequens eſt, vt Pſal. 18. *Laudans inuocabo Dominum* Nã de quo verè ſalutem ſperas, eum haud poteris, citra laudis præfationem, quidquid orare.

CAPVT VII.

Vers. 1. Factum eſt autem in die, qua cõpleuit Moſes tabernaculum [a], & erexit illud, vnxítque, & ſanctificauit eum cum omnibus vaſis ſuis, altare ſimiliter, & omnia vaſa eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit in die, qua finiuit Moſes erigere tabernaculum: & vnxit ipſum, & ſanctificauit ipſum, & omnia vaſa eius, & altare, & omnia vaſa eius, & vnxit ipſa, & ſanctificauit ipſa.* Faciendo mentionem diei finitionis erigendi tabernaculum, inſinuat multos dies duraſſe erectionem tabernaculi. Et verè tale, tantúmque ædificium tabernaculi cum atrio, & vniuerſis contentis in eis, vno, eodémque die erigi conſummatè, alienum ab humana ratione eſt. Eſt itaque ſermo de die, quo terminata eſt erectio, non ſolùm tabernaculi; ſed etiam altaris; quóve terminata eſt vnctio, & ſanctificatio tabernaculi, & altaris, & vaſorum ſpectantium ad illa: qui rationabiliter alter creditur dies, niſi, excluſiuè reſpectu erectionis, & incluſiuè reſpectu vnctionis, vnus, atque idem dies ſignificetur: quod literali ſenſui quadrat. Et hinc, prudens lector, habes, ambiguum eſſe, quo ſenſu intelligenda ſint ſcripta in vltimo capitulo Exodi de erectione tabernaculi, & altaris; an de die, qui erat terminus erectionis; an de die, quo inchoata fuit erectio: certum eſt enim, quòd non omnia illa, quæ ibi præcipiuntur fieri, (dicente Deo: *In die prima mẽſis primi erigere facies tabernaculum.*) executioni mandata ſunt illo die. Vnde & hîc nullus certus dies ſcribitur: ſed dies termini erectionis tabernaculi, & altaris, dies vnctionis vtriuſque, &c. commemoratur hîc ad narrandum oblationes populi illo die.

[a] Celebritatem, & feſtũ celebraſſe Iſraëlitas in hac tabernaculi erectione, lubens crediderim: quòd domum Dei, in qua ſe habitaturum promiſerat, in medio eorũ erectam viderent. Sic legimus templi Salomonis dedicationem magna lætitia celebratam, & extructis muris Hieruſalẽ poſt deſolationem ſolẽnitates Domino celebratas, Nehemiæ 4. & 12. Solebant enim veteres habito à Domino beneficio, illi ferias celebrare, quẽadmodum Abraham ablactato filio Iſaac conuiuium inſtruit, cauſa teſtificandæ lætitiæ, quòd ſibi modò benedictionẽ ſeminis, & poſteritatem ſtabilitam videret, Geneſ. 21.

Verſ. 2. Obtulerúntque Principes Iſraël capita familiarum, quæ erant per ſingulas Tribus Præfecti eorum, qui numerati fuerant, *Verſ.* 3. munera coram Domino ſex plauſtra tecta cum duodecim bobus. Vnum plauſtrum obtulere duo duces, & vnum bouem ſinguli: obtulerúntque ea in conſpectu tabernaculi.] Oblatio iſta ſex plauſtrorũ à duodecim Principibus illomet die facta eſt nomine totius populi, ad prouidendum tabernaculo Dei de vehiculis, quibus vehendæ erant tabulæ, colũnæ, cortinæ, & reliqua tabernaculi. Oportuit autem, plauſtra eſſe tecta, ne paterentur à pluuia, rore, &c. res ſanctæ.

Verſ. 4. Ait autem Dominus ad Moſen: *Verſ.* 5. Suſcipe ab eis, vt ſeruiant in miniſterio tabernaculi: & trades ea Leuitis iuxta ordinem miniſterij eorum. *Verſ.* 6. Itaque, quum ſuſcepiſſet Moſes plauſtra, & boues, tradidit ea Leuitis. *Verſ.* 7. Duo plauſtra, & quatuor boues dedit filiis Gerſon, iuxta id, quod habebant neceſſarium: *Verſ.* 8. quatuor alia plauſtra, & octo boues dedit filiis Merari, ſecundùm officia, & cultum eorum ſub manu Ithamar, filij Aharon Sacerdotis.] Ratio diſtributionis manifeſta eſt ex ſupradictis: nam Gerſonitis, quibus incumbebat vehere cortinas, & huiuſmodi, ſufficiebant duo plauſtra: Meraritæ autem egebãt quatuor; quoniam tot columnas, & tabulas vehebant. Vnunquodque autem plauſtrum à duobus trahebatur bobus. Et hinc, prudens lector, habes, quòd tabulæ tabernaculi non erant groſſæ, neque ligni grauis: nam quatuor plauſtris, quorum quodlibet non niſi duo trahebant boues, impoſſibile fuiſſet vehi tantum onus tantæ multitudinis tabularum & columnarum: quum etiam veherent multa vaſa ærea, & centum baſes argenteas.

Verſ. 9. Filiis autem Caath non dedit plauſtra, & boues [b]: quia in Sanctuario ſeruiunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia ſeruitus ſanctitatis ſuper eos.* hoc eſt, quia incumbit eis vehere ſancta, hæc enim antonomaſticè dicebantur *ſancta*: & propterea, vt ſubiungitur, non plauſtris, ſed humeris hominum portanda erant.

Et onera propriis portant humeris. *Verſ.* 10. Igitur obtulerunt Duces in dedicationem altaris, die, qua vnctum eſt, oblationem ſuam ante altare.] Iuxta Hebræum habetur: *Et obtulerunt Principes initiationem altaris, in die vnctionis ipſius: & obtulerũt Principes oblationem ſuam coram altari.*

[b] Hinc conſtat iuſtiſſimè Hozam fuiſſe à Domino percuſſum tempore Dauidis, 2. Reg. 6 dum voluit tenere arcã manu, eò quòd recalcitrauerãt boues, & declinaueraNT arcam. Nã ſuper plauſtrum vehendo arcam, contra hanc legem egerunt.

Verſ.

Vers. 11. Dixítque Dominus ad Mosen: Singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicationem altaris.] Narrata oblatione communi, narratur oblatio singularum Tribuum singillatim: de qua tria dicuntur. Primò, quorsum, dicendo, *initiationem altaris:* oblatio siquidem plaustrorum directè fiebat pro tabernaculo: hæc autem oblatio directè fiebat pro altari: æquum enim censuerunt, vt altare initiaretur à qualibet Tribu: & propterea significanter dicitur, quòd Principes obtulerunt initiationem altaris. Secundò manifestatur tempus oblationis huius; videlicet, in die, quo vnctum fuit. Et tertiò locus eiusdem oblationis, dicendo, *coram altari.* Intellige, prudens lector, has oblationes singularum Tribuum per suos Principes factas illo die, non quoad executionem; sed quoad actū, offerendi verbo: ita quòd oblatio plaustrorum cum suis bobus fuit realiter facta illo die; oblatio autem initiandi altare fuit illomet die facta verbo tenus ab illismet duodecim Principibus: & disponente Deo per Mosen decretum est, vt hæc oblatio singularum Tribuum distribueretur in duodecim dies; itáque singulis diebus vnus Princeps offerret: fiebāt enim huiusmodi oblationes cum solennitate. Et scito, quòd vbicunque in hoc capitulo habetur, *dedicatio:* Hebraicè habetur, *initiatio.*

Vers. 12. Primo igitur die obtulit oblationem suam Nachson filius Häminadab, de Tribu [e] Iehudæ: *V.* 13. fuerúntq; in ea acetabulum (iuxta Hebræum habetur, *scutella vna argentea*,) pondo centum & triginta siclorum: phiala (iuxta Hebræum habetur, *malluuium vnum argenteum*) habens septuaginta siclos iuxta pondus Sanctuarij, vtrunque plenum simila conspersa oleo in munus: *Vers.* 14. mortariolum (iuxta Hebræum habetur, *cochlear*) vnum ex decem siclis auris plenum incenso.] Et quemadmodum correcta sunt hæc in prima oblatione, sic corrige in cæteris oblationibus.

[e] Tribus Iudæ primò obtulit: nam potentissima erat in cuius signum consueuit supputari in Scriptura numerus bellatorum ex Tribu Iuda seorsum, & reliquarum omnium Tribuū altera summa. Vide Authorem 2. Reg. 2.

Vers. 15. Bos de armento, aries, agnus anniculus in holocaustum,

16. Hircúsque pro peccato:

17 Et in sacrificium pacificorum boues duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Hæc est oblatio Nachson, filij Hamminadab.

18. Secundo die obtulit Nethanel, filius Suhar, Dux de Tribu Issachar,

19. Scutellam vnam argenteam, appendentem centum, & triginta siclos: malluuium vnum argenteum, habens septuaginta siclos, iuxta pondus Sanctuarij, vtrunque plenum simila conspersa oleo in munus:

20. Cochlear vnum aureum, habens decem siclos, plenum incenso:

21. Bouem de armento, arietem, agnum anniculum in holocaustum,

22. Hircúmque pro peccato:

23. Et in sacrificium pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Nethanel, filij Suhar.

24. Tertiò [d] die Princeps filiorum Zebulun, Eliab, filius, Chelon,

25. Obtulit scutellam vnam argenteam, appendentem centum, & triginta siclos: malluuium vnum argenteum, habens septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarij, vtrunque plenum simila conspersa oleo in munus:

26. Cochlear vnum aureum, appendens decem siclos plenum incenso:

27. Bouem de armento, arietem, agnum anniculum in holocaustum,

28. Hircúmque pro peccato:

29. Et in sacrificium pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc est oblatio Eliab, filij Chelon.

[d] Voluit Dominus, sanctitatis tabernaculi opinionē populo ingerere, conuocatis omnibus ad dedicationem, vt ex oblationibus Optimatū, & Præfectorum, eorúmque exemplo, ac ductu, tanquàm sapientum, plebs religionem amplexaretur. Sic Nabuchodonosor suæ statuæ dignitatem per conuocationem Satraparum, & Magnatum regni, plebi magnificare voluit, Daniel 3.

30. Die quarto Princeps filiorum Reuben, Elisur, filius Sedeur,

31. Obtulit scutellam vnam argenteam, appendentem centum, & triginta siclos: malluuium vnum argenteum, habens septuaginta siclos ad pondus Sanctuarij, vtrunque plenum simila conspersa oleo in munus:

32. Cochlear vnum aureum, appendens decem siclos plenum incenso:

33. Bouem de armento, arietem, agnum anniculum in holocaustum,

34. Hircúmque pro peccato:

35. Et in hostiam pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Elisur, filij Sedeur.

36. Die quinto Princeps filiorū Simhon, Selumiel, filius Surisaddaï,

37. Obtulit scutellam vnam argenteam, appendentem centum, & triginta siclos: malluuium vnum argenteum, habens septuaginta siclos ad pondus Sanctuarij, vtrunque plenum simila conspersa oleo in munus:

38. Cochlear vnum aureum, appendens decem siclos, plenum incenso:

39. Bouem de armento, arietem, agnum anniculum in holocaustum,

40. Hircúmque pro peccato:

41. Et in hostiam pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Selumiel, filij Surisaddaï.

42. Die sexto Princeps filiorum Gad, Eliasaph, filius Dehuel,

43. Obtulit scutellam vnam argenteam, appendentem centum, & triginta

 siclos:

ſiclos:malluuium vnum argenteum,habens ſeptuaginta ſiclos ad pondus Sanctuarij: vtrunque plenum ſimila conſperſa oleo in munus:

44. Cochlear vnum aureum, appendens decem ſiclos, plenum incenſo:

45. Bouem de armento, arietem, agnum anniculum in holocauſtum,

46. Hircúmque pro peccato:

47. Et in hoſtiam pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Eliaſaph, filij Dehuel.

48. Die ſeptimo Princeps filiorum Ephraïm, Eliſamah, filius Hammihud,

49. Obtulit ſcutellam vnam argenteam, appendentem centum, & triginta ſiclos:malluuium vnum argenteum, habens ſeptuaginta ſiclos ad pondus Sanctuarij, vtrunque plenum ſimila conſperſa oleo in munus:

50. Cochlear vnum aureum, appendens decem ſiclos, plenum incenſo:

51. Bouem de armento, arietem, agnum anniculum in holocauſtum,

52. Hircúmque pro peccato:

53. Et in hoſtiam pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Eliſamah, filij Hammihud.

54. Die octauo Princeps filiorum Menaſſe, Gamliel, filius Pedahſur,

55. Obtulit ſcutellam vnam argenteam, appendentem centum, & triginta ſiclos: malluuium vnum argenteum, habens ſeptuaginta ſiclos ad pondus Sanctuarij, vtrunque plenum ſimila conſperſa oleo [e] in munus:

[e] Hoc oblationis genus, quod ex ſimila, & oleo fiebat, apud Lat nos propriũ non habet nomen, vt inquit Munſterus.

56. Cochlear vnum aureum appendens decem ſiclos plenum incenſo:

57. Bouem de armento, arietem, agnum anniculum in holocauſtum,

58. Hircúmque pro peccato:

59. Et in hoſtiam pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Gamliel, filij Pedahſur.

60. Die nono Princeps filiorum Binjamin, Abidan, filius Gidhoni,

61. Obtulit ſcutellam vnam argenteam, appendentem centum, & triginta ſiclos:malluuium vnum argenteum, habens ſeptuaginta ſiclos ad pondus Sanctuarij, vtrunque plenom ſimila conſperſa oleo in munus:

62. Cochlear vnum aureum appendens decem ſiclos, plenum incenſo:

63. Bouem de armento, arietem, agnum anniculum in holocauſtum,

64. Hircúmque pro peccato:

65. Et in hoſtiam pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Abidan, filij Gidhoni.

66. Die decimo Princeps filiorum Dan, Achihezer, filius Hammiſaddaï,

67. Obtulit ſcutellam vnam argenteam, appendentem centum, & triginta ſiclos:malluuium vnum argenteum, habens ſeptuaginta ſiclos ad pondus Sanctuarij, vtrunque plenum ſimila conſperſa oleo in munus:

68. Cochlear [f] vnum aureum, appendens decem ſiclos plenum incenſo:

[f] Quod Interpres tranſtulit *cochlear*, Munſterus vas intelligit patuum & concauũ, in modum cochlearis formatum, in quo thus, vel incenſum, vel aliquid huiuſmodi ponebatur.

69. Bouem de armento, arietem, agnum anniculum in holocauſtum,

70. Hircúmque pro peccato:

71. Et in hoſtiam pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Achihezer, filij Hammiſaddaï.

72. Die vndecimo Princeps filiorum Aſer, Paghiel, filius Hachran,

73. Obtulit ſcutellam vnam argenteam, appendentem centum & triginta ſiclos:malluuium vnum argenteum, habens ſeptuaginta ſiclos ad pondus Sanctuarij, vtrunque plenũ ſimila conſperſa oleo in munus: 74. Cochlear vnũ aureũ appendens decem ſiclos plenũ incenſo:

75. Bouem de armento, arietem, agnum anniculum in holocauſtum,

76. Hircúmque pro peccato:

77. Et in hoſtiam pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Paghiel, filij Hachran.

78. Die duodecimo Princeps filiorum Naphthali, Achirah, filius Henan.

79. Obtulit ſcutellam vnam argenteam appendentem centum, & triginta ſiclos:malluuium vnum argenteum, habens ſeptuaginta ſiclos ad pondus Sanctuarij, vtrunque plenum ſimila conſperſa oleo in munus:

80. Cochlear vnum aureum appendens decem ſiclos plenum incenſo:

81. Bouem de armento, arietem, agnum anniculum in holocauſtum,

82. Hircúmque pro peccato:

83. Et in hoſtiam pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Achirah, filij Henan.

84. Hæc in dedicatione altaris oblata ſunt à Principibus Iſraël in die, qua

qua consecratum est, scutellæ argenteæ duodecim, malluuia argentea duodecim, cochlearia aurea duodecim:

85. Ita vt centum, & triginta argenti siclos [g], haberet vna scutella, & septuaginta siclos vnum malluuium: totum argentum vasorum, duo millia & quadringenti sicli pondere Sanctuarij.

86. Cochlearia aurea duodecim plena incenso, denos siclos appendentia pondere Sanctuarij, totum aurum cochlearium, centum & viginti sicli.

87. Omnes boues de armento in holocaustum duodecim, arietes duodecim, agni anniculi duodecim, & colamina eorum, & hirci duodecim pro peccato:

88. Et omnes boues hostiæ pacificorum vigintiquatuor, arietes sexaginta, hirci sexaginta, agni anniculi sexaginta. Hæc oblata sunt in dedicatione altaris, quando vnctum est.] Iuxta Hebræum habetur: *Ista initiatio altaris post vnctum ipsum.* Hæc verba post narratas oblationes, & in summam redactas, si contuleris cum consecratione Pontificis scripta Leuit. 8. & 9. & præcepto Dei Exodi vltimo, hauries mecum, quòd post vnctum altare à Mose fortè primo die mensis primi, executámque illo die oblationem plaustrorum, die immediatè sequenti inchoata est consecratio Pontificis, & Sacerdotum: octauóque die Pontifex primitias Pontificatus sui exercuit: & sequenti die (qui erat decimus dies mensis primi) inceperunt istæ oblationes duodecim Tribuum: rationi enim consentaneum est, vt altare priùs initiaretur à Pontifice, quàm à singulis Tribubus. Imò crediderim ego, die decimo fuisse factam consecrationem Leuitarum cum sacrificio eorum, & die vndecimo cœpisse Principes Tribuum offerre: Litera enim hæc non dicit aliud, nisi quòd post vnctum altare istæ initiationes oblatæ sunt: & non dicit, quòd immediatè post vnctum altare. Dixi, *fortè*: quia ambigo de primo die erectionis: & consequenter quotus dies primi mensis fuerit dies vnctionis altaris, &c. incertum remanet.

Vers. 89. Cúmque ingrederetur Moses tentorium adunationis.] Occasione sermonis de die vncti tabernaculi, & altaris, narratur diuinum cum Mose colloquium in tabernaculo.

Vt consuleret oraculum.] Iuxta Hebræum habetur: *In loqui cum ipso.* Non explicatur cum Deo, aut cum seipso Mose: sed sensus in idem redit: nam Moses non ingrediebatur tabernaculum ad loquendum cum Deo aliter, quàm secum: loquebatur enim cum Deo contemplando: & similiter loquebatur secum contemplando. Est itaque sensus, quòd quum ingrederetur Moses in tentorium adunationis, & contemplationi vacaret ibidem,

Audiebat vocem loquentis ad se.] Iuxta Hebræum habetur: *Et audiuit vocem ex loqui ipsi.* Et dictio interpretata, *audiuit*, significat, *audire à remotis.* propter quod non abs re exponitur Litera ista de voce sensibili: vt narretur, quòd veniens Moses, antequàm veniret ad Sancta Sanctorum audiuit sensibilem vocem, non tanquàm tonitrui, aut tubæ; sed vocem locutionis ad ipsum ex supra Propitiatorium. Nam Hebraicè subditur: *Ex supra Propitiatorium* [h], *quod supra thecam testimonij, ex inter duos Cherubinos: & loquebatur ipsi.* Crediderim tamen ego narrari intelligibilem vocem, ac locutionem diuinam exitu supra Propitiatorium, quemadmodum narrata est intelligibilis allocutio diuina in vertice montis Sinaï ex nube supra montem: sollicitus siquidem fuit Moses ad narrandum, quòd tabernaculum successit loco montis Dei, & quòd Propitiatorium successit loco verticis, seu nubis, in qua loquebatur Deus. Et ob venerationem loci à Deo electi describitur populo intelligibilis locutio ex certo loco: rudis enim populus non est capax eorum quæ abstrahunt ab omni loco. Et quòd hic sit sensus literalis, insinuatur ex eo, quòd describitur Moses loquendo secum, vel cum Deo [i], audiens hanc vocem: certum est enim, quòd, siue secum, siue cum Deo loqueretur, non nisi contemplando loquebatur: eleuatus autem homo in contemplationem non vacat sensibilibus vocibus audiendis; sed, sicut non dicit, ita nec audit. Suauitati quoque diuinæ dispositionis minùs quadrat, vt eleuato in contemplationem loquatur Deus voce sensibili. Nec vacat mysterio, contemplantem audire à remotis diuinam vocem; sed insinuatur per hoc tam prompta diuina allocutio ad Mosen, vt non expectaret appropinquationem Mosis per longam contemplationem; sed tanquàm à remotis adhuc venientem contemplando alloquebatur Deus. Et describitur locus allocutionis, non solùm ex situ supra Propitiatorium, sed etiam ex situ inter Cherubinos: ne intelligeretur situs celsior, sed situs supra Propitiatorium, qui erat inter Cherubinos: & hoc ad commendandum situm illum, tanquàm electum à Deo, ad loquendum ibidem, & ad exaudiendum venerantes Deum ibi cultum. Et hæc omnia intellige scripta, ad narrandum frequens familiare colloquium Dei, & Mosis in tabernaculo: & propterea dicitur in calce: *Et locutus est ipsi.* nullum particularem sermonem explicando: de frequenti enim locutione est sermo; & modus, quo Deus frequenter alloquebatur Mosen in tabernaculo, narratur per hæc omnia.

[g] Quid siclus monetæ genus valeret, supra annotauimus, quanuis monetæ simul cum tempore variantur: nam Iudæos Christi tempore, moneta Romanorum vsos fuisse constat Matt. 22. quando obtulerunt drachmã Christo, cuius superscriptio Cæsaris erat.

[h] Hinc phrasis illa desumpta est, qua Dominus dicebatur inhabitare super Arcã inter Cherubim, 2. Regum 16. quia inde promiserat preces orantium audire, & optata respondere

[i] Etsi loqui Deum sæpiùs in Scripturis sit, inuisibiliter absque sono vocis in mentibus Sanctorum voluntatem suam, atque rectum intellectum inspirare, seu futura, sicut sanctis Prophetis reuelare, vt apud Iob, & Hebræorum 1. cap. quomodo etiã Author hic Deum locutum fuisse intelligit: vellem tamen potius de expressa vocis locutione intelligere: nam circũstantiæ locutionis, puta, quòd loqueretur desuper Arcam, item ex medio Cherubinorum, videntur hoc indicare. Fortè in sequẽtibus de Domini locutionibus cum Mose amplior sermo erit.

CAPVT VIII.

Vers. 1. Locutúsque est Dominus ad Mosen, dicens, *Vers.* 2. Loquere ad Aharon, & dices ad eum: Quum posueris septem lucernas, candelabrum in australi parte erigatur. Hoc igitur præcipe, vt lucernæ contra Boream è regione respiciant ad mensam panum propositionis: contra eam partem, quam candelabrum respicit, lucere debebunt.] Aduerte, prudens lector, quòd vulgata editio non Textus, sed commentarium est minùs notans præcipuè intentum: nam Hebraicè principaliter significatur numerus septenarius: legitur enim sic: *Accendendo tu lucernas, contra faciem candelabri facient lucem septem lucernæ.* Recole, quòd superiùs præceptum fuit, quòd lucernæ

lucernæ lucerent contra faciem candelabri; & percipies præcipi nunc, vt non aliquæ, sed omnes septem lucernæ accendantur, & luceant versùs eandem partem. Diximus superiùs in Exodo, quòd lucernæ erant rostratæ, & rostra earum versùs mensam propositionis versùs Septentrionem respiciebant: & ista plaga appellatur, *contra faciem candelabri*: facies siquidem candelabri penes rostra lucernarum attendebatur; quoniam tanquàm tergum lucernæ est pars lucernæ posterior. Reliqua nescio vnde addita sunt vulgatæ editioni.

Vers. 3. Fecitque sic Aharon, & imposuit lucernas super candelabrum, vt præceperat Dominus Mosi. *Vers.* 4. Hæc autem erat factura candelabri, ex [a] auro ductili, tam medius stipes, quàm cuncta, quæ ex vtroque calamorum latere erant: facta sunt, iuxta exemplum, quod ostendit Dominus Mosi; ita operatus est candelabrum.

[a] Ex auro integro ex vna massa deductū, non per fragmenta, & membra compositum.

Vers. 5. Et locutus est Dominus ad Mosen, dicens: *Vers.* 6. Tolle Leuitas de medio filiorum Israël: & purificabis eos *Vers.* 7. iuxta hunc ritum [b].] Non solùm Aharon, & filios eius consecrauit Moses Pontificem, & Sacerdotes: sed etiam Leuitas in ministros tabernaculi.

[b] Cæremonias veterum non significatione tantum fuisse vtiles, superius sæpè admonuimus, quum opera Dei vana non sint. Sic, licèt adoptio puerorum per circūcisionem in Ecclesiā, typus fuerit adoptionis in regnum cælorum per spiritum, & admoneret spiritualis adoptionis olim reuelandæ plenius; non tamen sequitur, propterea non fuisse conducibilem ritum Iudæis, ità à puero in Ecclesiam Dei recipi: quemadmodum etsi regnum Dauid vmbra fuerit regni Christi, nō sequitur, externa sua administratione nihil bonæ frugis attulisse Hebræis. Licet igitur demus, omnes cæremonias legis, & minutulos ritus aliquid in Christo, & in Ecclesia nostra adumbrasse, demusque, vt illa typi ratio constet (quam tamen nulla expressa Scriptura in multis docebit;) interim tamen, & per se suam omnia afferunt commoditatem. Vt scias, nihil esse tā minutum in omni lege, quod non suam, & suo tempore vtilitatem ex litera attulerit, quam si modò adferret, nobis planè obseruata non solùm licitum, sed & dignū, & debitum esset, si seruiāt ad ædificationem. Hoc diximus, propterea quod in hac Leuitarum lotione, & initiatione admonitum erat (etiamsi hoc non pateat omnibus) vt studerent omnes munditiei, nihilque ferrent sordium, maximè qui altari seruiebant: quod certè ad honestam vitæ ciuil rationem pertinebat maximè.

Aspergantur aqua lustrationis.] Iuxta Hebræum habetur: *Aqua chatah*. hoc est, aqua sanctificata cinere vaccæ rufæ, combustæ pro peccato, vt infrà scribitur cap. 19. & propterea appellatur, *aqua chatah*.

Et radant omnes pilos carnis suæ, lauéntque vestimenta sua, & erunt mundati. *Vers.* 8. Tollent quoque bouem de armento, & libamentum eius similam conspersam oleo, & bouem alterum accipies de armento pro peccato.] Sæpè diximus, Hebraïcè haberi *munus*, quod Interpres vocat *libamentum*, quemadmodum vocat *bouem de armento*, taurum filium bouis, quod Hebraïcè scriptum esse puto ad differentiam tauri bubalorum.

Vers. 9. Et applicabis Leuitas coram tentorio adunationis: & conuocabis omnem multitudinem filiorum Israël. *Vers.* 10. Quùmque Leuitæ fuerint coram Domino, ponent filij Israël manus suas super eos.] Quemadmodum offerentes animal ponebant manus super illud animal, tanquàm dicantes Deo: ita Principes duodecim Tribuum vice totius populi imponebant manus super Leuitas coram Deo, tanquàm donantes illos Deo, vice populi ad ministrandum tabernaculo.

Vers. 11. Et offeret Aharon Leuitas, munus in conspectu Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Et eleuabit Aharon Leuitas eleuationem coram* יהוה *à filiis Israël*. Quemadmodum munus oblatum ab aliquo, Sacerdos eleuabat coram Deo: sic Pontifex oblatos à populo Leuitas eleuabat coram Deo. Nec sis ita rudis, vt intelligas, Pontificem singulos Leuitas eleuasse coram Deo; sed vnum, vel duos in persona omnium Leuitarum eleuasse coram Deo.

Vt seruiant in ministerio eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erunt ad seruiendum seruitutem* יהוה. in casu genitiuo. Ecce ad quid offeruntur Leuitæ, non ad ministrandum in altari, aut in tabernaculo; sed ad officia seruitutis; relatiuè tamen ad Deum vice populi.

Vers. 12. Leuitæ quoque ponent manus suas super capita boum: è quibus vnum facies pro peccato, & alterum in holocaustum Domini.] Iuxta Hebræum loco, *facies*, habetur, *faciet*: proculdubiò Aharon, qui eleuauit Leuitas coram Deo. Iam enim consecratus erat Aharon: alioquin non fecisset actum eleuandi Leuitas munus populi coram Deo: & consequenter de ipso Pontifice dicitur: *Et faciet vnum chatah, & vnum holocaustum.*

Vt depreceris pro eis.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad expiandum super Leuitas.* Officiū Pontificis, quo expiabat super Leuitas, tanquàm offerentes holocaustum, & pro peccato, tangitur: sed, vt suprà diximus, ignotus est nobis, qualis erat expiandi ritus.

Vers. 13. Statuésque Leuitas in conspectu Aharon, & filiorum eius.] Discerne, prudens lector, quòd primò populus offerebat Leuitas Deo, & postquàm Pontifex eleuauerat illos coram Deo, subsecutis sacrificiis, & peracta expiatione, tunc secundò Moses faciebat stare Leuitas coram Pontifice, & Sacerdotibus, & eleuabat eos Deo: nam, vbi in vulgata editione subiungitur:

Et consecrabis oblatos Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Et eleuabis eos eleuationem* יהוה. in casu datiuo. Prima eleuatio Leuitarum facta est ab Aharon: hæc autem secunda eleuatio eorundem fiebat à Mose. Et necessitas quidem huius secundæ eleuationis manifestabitur, quum subdetur: *Et posteà sic venient.*

Vers. 14. Et separabis Leuitas de medio Israël: & erunt mei. *Vers.* 15. Et posteà ingredientur tabernaculum fœderis, vt seruiant mihi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et posteà sic venient Leuitæ ad seruiendum tentorio adunationis.* Non conceditur Leuitis ingressus in tabernaculum: sed monstratur, quòd non ante dictam secundam eleuationem præsumant seruitutis officia aggredi, sed postquàm dicto seruato ritu fuerint mundati, & oblati Deo. Ratio verò huius secundæ eleuationis subditur resumendo:

Sícque purificabis, & consecrabis eos in oblationem Domini: quoniam dono donati sunt mihi à filiis Israël.] Iuxta Hebræum habetur: *Et mundabis eos, & eleuabis eos eleuationem: quia dati dati ipsi mihi de medio filiorum Israël.*

Vers. 16. Pro primogenitis, quæ aperiunt omnem vuluam in Israël accepi eos mihi. *Vers.* 17. Mea enim sunt omnia primogenita filiorum Israël, tam ex hominibus, quam ex iumentis: ex die, quo percussi omne primogenitum in terra Ægypti, sanctificaui ea mihi.] Ambas Mosis actiones circà Leuitas resumit; videlicet, mundationis, & secundæ eleuationis. Et priùs Hebraïco more redditur ratio vltimi: *Quia dati dati ipsi mihi.* Differentia inter eleuationem Leuitarum factam ab Aharon, & alteram posteà factam à Mose, insinuatur penes hoc, quòd illa fuit consummatio actionis donandi Leuitas Deo, (donatio enim Leuitarum

Deo

Deo à populo, incipiebat ab impositione manuum, & terminabatur in eleuatione à Pontifice:) ista autem fuit donatorum iam Deo eleuatio ad Deum. Et propterea ratio illius hoc significat dicendo: quia dati, dati, inquam, mihi sunt. Deinde redditur ratio mundationis: quia erant debiti Deo pro primogenitis filiorum Israël, &c. quæ clara sunt.

Vers. 18. Et tuli Leuitas pro cunctis primogenitis filiorum Israël: *Vers.* 19. & dedi Leuitas datos Aharon, & filiis eius de medio filiorum Israël, vt seruiant mihi pro Israël in tentorio adunationis, & orent pro eis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ad expiandum super filios Israel.* Quemadmodum hostia Deo oblata erat ad expiationem offerentis; ita Leuitæ, tanquàm hostia populi, erant apud Deum ad expiationem filiorum Israël.

Ne sit in populo plaga.] Iuxta Hebræum copulatiuè habetur: *Et non erit in filiis Israel mortalitas, quum accedent filij Israel ad Sanctuarium.* Fructus oblatorum Leuitarum declaratur; euitatio, videlicet, mortis imminentis, si populus ministraret tabernaculo.

Vers. 20. Feceruntque Moses, & Aharon, & omnis multitudo filiorum Israël Leuitis, quæ præceperat Dominus Mosi: *Vers.* 21. purificatique sunt, & lauerunt vestimenta sua: eleuauitque eos Aharon in conspectu Domini.] Summa fit factorum inchoando à mundatione. Quòd autem dicitur:

Et orauit pro eis.] Intellige, vt suprà: *Et expiauit super eos ad purificandum eos.* Hæc enim expiatio sæpè repetitur in Scriptura.

Vers. 22. Et posteà sic venerunt Leuitæ ad officia sua in tentorio adunationis coram Aharon, & filiis eius. Sicut præceperat Dominus Mosi de Leuitis, sic factum est eis.

Vers. 23. Locutúsque est Dominus ad Mosem dicens: *Vers.* 24. Hæc est lex Leuitarum: A vigintiquinque annis, & suprà, venient, vt ministrent in tentorio adunationis.] Occurrit statim quæstio: quia in cap. 4. huius libri statutum est, vt à trigesimo anno, & suprà, deputarentur Leuitæ ad ministerium tabernaculi. Solutio est, quòd ibi est sermo de deputatis etiam ad portandum, curámque habendum vehendorum: hîc autem est sermo de ministerio in genere: & propterea hîc fit declaratio, quòd Leuitæ post quinquagesimum annum sola custodia grauentur.

Vers. 25. Quúmque quinquagesimum annum ætatis impleuerint, seruire cessabunt. *Vers.* 26. Eruntque ministri fratrum [c] suorum.] Rectiùs legitur: *Et feruient cum fratribus suis in tentorio adunationis.* Nec subditur, vt vulgata habet editio:

[c] Leuitæ emeritæ militiæ iubentur aliis seruire Leuitis; sed ad ferenda onera tabernaculi, quum tabernaculum transfertur. Ampliùs nô coguntur.

Vt custodiant, quæ sibi fuerint commendata: opera autem ipsa non faciant.] Sed habetur: *Ad custodiendam custodiam, & seruitutem non seruient.* Officium itaque custodiæ duntaxat commune Leuitis omnibus à vigintiquinque annis, & suprà, remanet post quinquagesimum annum.

Sic dispones Leuitas in custodiis suis.]

CAPVT IX.

Vers. 1.

LOcutúsque est Dominus ad Mosen in deserto Sinaï, anno secundo, postquàm egressi sunt de terra Ægypti, mense primo, dicens.] Hinc clarè apparet, quòd scribendo non seruat Moses ordinem rerum gestarum: nam in principio huius libri scripsit reuelata sibi prima die mensis secundi, & nunc scribit reuelata sibi mense primo eiusdem anni secundi, tacito die certo.

Vers. 2. Faciant filij Israël Pesach in tempore suo, *Vers.* 3. quartadecima die mensis huius.] Non dicit singulis annis, sed de illo tantùm anno loquitur: nec legitur celebratum fuisse posteà Pascha vsque ad transitum Iordanis.

Ad vesperam.] Iuxta Hebræum habetur: *Inter vesperas.* Et sic etiam corrige inferiùs, & intellige, vt suprà exposuimus.

Iuxta omnes cæremonias & iustificationes [a] eius. *Vers.* 4. Præcepitque Moses filiis Israël, vt facerêt Pesach. *V.* 5. Et fecerût Pesach têpore suo quartadecima die mensis ad vesperam in monte Sinai: iuxta omnia, quæ præceperat Dominus Mosi, sic fecerunt filij Israël. *Vers.* 6. Ecce autem quidam immundi super animam hominis.] hoc est, super vitam hominis extinctam: Hebræi enim *vitam* vocant *animam.* Et immunditia luctus mortui significatur.

[a] Vox, *iustificationes*, tropo Hebraico pro verbis, & mandatis Dei capitur, vt Psal. 118. *Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.* Et Psal. 104. *Vt custodiant iustificationê eius, & legem eius requirât.* Vocat etiam Paulus ad Hebr. *iustificationes*, ea, quæ declarant iustificationem in specie, etiamsi eam non præstent, vt sunt sacrificia, & purificationes, & vota. Hîc in vtroque significato accipi potest.

Qui non poterant facere Pascha in die illo, accedentes ad Mosen, & Aharon, *Vers.* 7. dixerunt eis: Immundi sumus super animam hominis: quare fraudamur, vt non valeamus oblationem offerre Domino in tempore suo inter filios Israël?] Quia sine culpa huiusmodi immunditia legalis contrahebatur: ideò consulunt Mosen, & tanquàm rem admirandam proponunt: Quare prohibemur celebrare Pascha?

Vers. 8. Quibus respondit Moses: State, & consulam, quid præcipiat Dominus de vobis. *Vers.* 9. Locutúsque est Dominus ad Mosen, dicens: *Vers.* 10. Loquere filiis Israël: homo, qui fuerit immundus super animam, siue in via [b] procul in gente vestra.] Iuxta Hebræum habetur: *Vel in via procul vobis, vel generationibus vestris faciet Pesach Domino.*

[b] Rabbi Hachiua ponit mensuram 15 milliarium, quæ hominê excusare potest à Paschate primo, si nô possit venire ad cœtum aliquem.

V. 11. Mense secundo quartadecima die mensis ad vesperam facient ipsum: cum azymis, & lactucis agrestibus comedent illud.] Ad insinuandum, quòd tantùm pro præsentibus, sed etiam pro futuris perpetua lex sancitur, dicitur, quòd in vtroque casu (videlicet, immunditiæ, vel itineris procul) differendum est Pascha in quartamdecimâ diem mensis secundi. Et fit mentio itineris procul: quoniam viator vicinus debebat venire ad celebrandum Pascha cum aliis. Et aduerte, quòd non est hîc sermo de obseruatione azymorum per septem dies; sed de immolatione agni: cum azymis tamen, & lactucis agrestibus, & reliquis cæremoniis decretis circa agnum Paschalem.

Vers. 12. Non relinquent ex eo quippiam vsque mane, & os eius non confringent.

fringent. Omnem ritum Pesach obseruabunt. *Vers.* 13. Si quis autem mundus est, & in itinere non fuit; & tamen non fecit Pesach, exterminabitur anima illa de populis suis: quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo, peccatum suum ipse portabit.] Cum grano salis oportet hanc legem intelligere: quia nunquam fortè fuit ad vnguem seruata post transitum Iordanis: quia nunquam ex tunc conuenit vniuersus populus ad locum, in quo erat tabernaculum Domini: sed multi remanebant in propriis domibus.

Vers. 14. Quando peregrinabitur apud vos peregrinus, faciet Pesach Domino iuxta cæremonias, & iustificationes eius. Et præceptum idem erit apud vos aduenæ, & indigenæ.] De proselytis est sermo.

Vers. 15. Et in die, qua erectum est tabernaculum, operuit nubes tabernaculum in tẽtorio testimonij: & vesperi fuit nubes super tabernaculum, quasi species ignis vsque mane. *Vers.* 16. Sic fiebat iugiter, per diem operiebat illud nubes, & per noctem quasi species ignis.] Quanuis hîc legatur: *Et in die erectionis tabernaculi*, in calce tamen Exodi manifestatur, quòd consummata erectione tabernaculi operuit nubes tabernaculum: & ad ea, quæ ibidem summariè dicta sunt de nube hac ampliùs manifestanda, scripsit hæc Moses.

Vers. 17. Quùmque ablata fuisset nubes, quæ erat supra tentorium, tunc proficiscebantur filij Israël; & in loco, vbi stetisset nubes, ibi castrametabantur.] Vbicunque ablationem, vel recessum istius nubis hic legis, intellige ascensum: nam Hebraïcè ascensio significatur: ita quòd nubes non recedebat, sed ascendebat in celsiorem situm, & hoc erat signum mouendi castra ad iter.

Vers. 18. Ad imperium Domini proficiscebantur [c], & ad imperium illius castrametabantur, cunctis diebus, quibus stabat nubes supra tabernaculum, manebant in eodem loco.] Non aliud significatur imperium, quàm ascensus nubis significans proficiscendum esse, & mansio nubis supra tabernaculum significans quiescendum esse.

[c] Quum non sine magnis laboribus possēt Israelitæ tot tantæque multitudinis sarcinas in via explicare, & replicare rursus, crediderim hanc differentiam Literam huius Textus innuere, videlicet, quòd etiamsi nubes per multos dies super tabernaculum insideret; si tamen illi dies certum numerum non excedebant, castra non figebantur, sed erat populus tanquàm agens excubias, quasi semiparatus ad viam. Si autem nubes manebat vltra dierum numerum certum, quem fortè illis Moses prædixerat, tunc filij Israel tanquàm iussu Domini castra figebant, quasi diu iā illic mansuri, & erigebant tabernaculū cum atrio & supellectili. Nā 1. Paralip. 17. fatetur Dominus arcam nunnunquam de tentorio in tentorium, aliquādo de tabernaculo in tabernaculum processisse. Nunquam enim totaliter tabernaculum erigebatur, vt credimus, nisi fixis castris, & quum fiendæ essent statiuæ.

Vers. 19. Et quando eueniebat, vt multis diebus maneret supra tabernaculum, erant filij Israël in excubiis Domini, & non mouebantur. *Vers.* 20. Et quando erat nubes diebus numeri supra tabernaculum, ad imperium Domini castrametabantur, & ad imperium illius mouebantur. *Vers.* 21. Si fuisset nubes à vespere vsque ad mane, & diluculò tabernaculum reliquisset, proficiscebantur: vel si post diem, & noctem recessisset, mouebantur.] Hinc insinuatur, quòd eadem erat nubes diei, & ignis noctis: ex eo enim, quòd nocturna species appellatur eodem nomine, quo nominatur diurna (scilicet, *nubes*,) insinuatur, quòd vna, eadémque res erat die, & nocte apparens; sed die sub specie nubis, nocte sub specie ignis. Quanuis hoc idem alia duo ex litera argumenta insinuent, quorum alterum est, quòd in Litera non dicitur ignis; sed dicitur, sicut aspectus, seu species ignis: ad significandum, quòd eadem nubes à vespera non mutabatur in ignem, sed aspectum induebat ignis. Alterum, quòd millies in hac Litera repetitur nubis vocabulum, describendo moram, ac eleuationem supra tabernaculum, ad insinuandum, quòd de vna, eadémque re est sermo die, & nocte.

Vers. 22. Si verò biduo, aut vno mense, vel longiori tempore fuisset nubes supra tabernaculum, manebant filij Israël in eodem loco, & non proficiscebantur; statim autem vt recessisset, mouebant castra. *Vers.* 23. Per verbum Domini figebant tentoria, & per verbum illius proficiscebantur, erántque in excubiis Domini iuxta imperium eius per manum Mosis.] Iuxta Hebræum significatur, *custodire custodiam* שמרו: quod nihil aliud erat, quàm obseruare quietem, vel motũ nubis, & conformare quietem populi quieti nubis, & motum populi motui nubis: hoc enim erat filios Israël custodire custodiam Iehouah.

CAPVT X.

LOcutúsque est Dominus ad Mosen dicens: *Vers.* 2. Fac tibi duas tubas argenteas ductiles.] Ad differentiam tubarum fusarum. VERS. 1.

Quibus congregare possis multitudinem, quando mouenda sunt castra.] Manca est Litera: nam Hebraïcè habetur copulatiua: *Et erũt tibi in vocationem Synagogæ, & ad faciendum mouere castra.* Duo tubarum officia significantur, & non vnum, vt vulgata sonat editio.

Vers. 3. Quúmque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba, pro tota Synagoga, ad ostium tentorij adunationis.] Tertium officium tubarum significatur ad conuocandum vniuersum populum.

Vers. 4. Si semel clangueris.] Iuxta Hebræum habetur: *Et si in vna sonabunt.* Iuxta tria officia tubarum distinguit modos tres sonandi, quorum primus est sonare vna duntaxat tuba.

Et tunc venient ad te Principes [a] & capita multitudinis Israël.] Parui refert, quod Hebraïcè scribitur: *Principes capita millium Israel.* Ecce Synagoga aduunanda sono tubę vnius.

[a] Dum nomina Principum & ducum exercitus hic audimus, Mosis viri Dei contemplemur prudentiam necessariam omnibus rempublicā feliciter administrare volentibus. Distributa enim iam erant in politia Israelis officia, sicut in corpore singula membra suā habentia functionē. Nam hęc capita multitudinis, viros strenuos intelligo, qui exercitui & militiæ præsidebant: Moses enim, velut prudens rector, semper paratum habebat exercitum, ne præter expectationē hostis quispiam irrumpens, eos prosterneret. Erant igitur hi duces in magno honore, & populi primi, vtpote hi, qui quotidie animā pro populi salute exponere parati erant.

Vers. 5. Si autem prolixior, atque concisus clangor increpuerit, mouebunt castra primi, qui sunt ad orientalem plagam.] Parui refert, quòd Hebraïcè copulatiua continuatio textus fit: secundus enim modus sonandi describitur absque definitione vnius, vel duarum tubarum: nisi fortè ipse modus sonandi claudat in se multarum tubarum concursum. Quod verum fuisse credo: hoc enim signo mouebantur castra ad proficiscendum: ita quòd prima vice mouebant castra orientales; secunda autem meridiani; tertia occidentales; & quarta septentrionales.

Vers. 6. In secundo autem sonitu, & pari vlulatu tubæ, leuabunt tentoria, qui habitant ad Meridiem: & iuxta hunc modum facient reliqui vlulantibus tubis ad profectionem. *Vers.* 7. Quando autem

autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, & non concisè vlulabunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Et in adunando adunationem sonabitis, & non facietis sonum prolixum, ac concisum.* Non quòd Hebraicè tot scribantur, sed vnicum tantum verbum habetur, significans *sonare concisè.* Tertius modus sonandi scribitur ad conuocandum vniuersum populum. Et hinc insinuatur, quòd ad hunc tertium modum, & secundum concurrebant ambæ tubæ: differentia enim inter ipsos decernitur penes sonum concisum, vel non concisum. Et si non concurrerent ambæ tubæ, nulla esset differentia inter primum, & tertium, quoniam ambo absque conciso sono erant; sed ille vna tuba, hic duabus.

V. 8. Filij autē Aharon Sacerdotes clangent tubis, eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris.] Hinc apparet, quòd quanuis vile sit officium sonare tuba; vt tamen admonerentur, & scirent omnes, quòd diuinæ debebant esse synodi, diuinæ profectiones, diuina bella, diuináque festa, propter quæ institutæ sunt tubæ, statuit Deus, vt Sacerdotes essent tubicines.

Vers. 9. Et quando exibitis ad bellum in terra vestra, contra hostes, qui dimicant aduersùs vos.] Iuxta Hebræum habetur: *Super angustiatorem, qui angustiat vos.* Ratio iusti belli manifestatur, ne bella iniusta aggrediantur: non enim opem promittit aggredientibus bella iniusta.

Clangetis vlulantibus tubis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et facietis sonum concisum in tubis.* Sonandi modus, qui statutus est ad proficiscendum, decernitur ad bellandum: & ambæ nominantur tubæ.

Et erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro.] Nomina sunt solita: *Coram Iehouah, Elohe vestro, & eripiemini de manibus inimicorum vestrorum.* Vide fructum tubarum [b] sacerdotalium: ex eo nanque quòd obediebant diuinæ legi, recurrendo ad Sacerdotes, vt sonarent tubis ad bellum, profitebantur, Deum prouocare ad bellum. Et hinc promittit Deus auxiliari, & seruare eos ab inimicis.

[b] Quod sint certæ modulationis species, quæ religiosis affectibus seruiant, maximique sint momenti ad hominum animos componendos, & conciliandos, hoc loco manifestissimè vides. Sic Cretenses, & Lacedæmonij Dorium modulationis genus ad rectè, benèque viuendū quàm vtile assueverunt. Nam Imperator Agamemnon ad bellum Troianum profectus, Doricum Musicum domi reliquit, qui suo cantu Clytemnestram vxorem Inpudicitia, ac probitate conseruaret. Quę non priùs ab Ægystho vitiari potuit, quàm impius Musicum occidisset. Vnde Ambros. in Ecclesiis instituit canendi, & psallendi vsum, (licèt anteà Athanasius eū interdixisset,) fortè hác legem sequutus, qua Dominus harmoniam in suo tabernaculo voluit, eò quòd lætitiam & dignitatem sacris adferre posset: quemadmodum gentes vario Musicorum genere festa sua celebrasse legimus. Nam instrumentis Musicorum variis Babylonij lętas ferias celebrabant, sicut Daniel. 3. Nabuchodonosor in solennitate statuæ omnia Musicorum genera adduxit pro spectaculo.

Vers. 10. Si quando habebitis epulum, & dies festos. & Calendas.] Iuxta Hebræum habetur: *Et in die lætitiæ vestræ, & in diebus festis, & in capitibus mensium vestrorum canetis tubis super holocausta, & pacificas victimas.* Vbi aduerte, prudens lector, in tribus his temporibus, (videlicet, *die lætitiæ, die festo, & die Calendarum,*) non discerni sonitum tubarum absolutè, sed super sacrificia, vt diuina sit ratio vtendi tubis. Nec discernitur idem modus sonandi, qui ad bellum, atque ad mouendum castra: sed absolutè iuxta Hebræum dicitur: *Et sonabitis in tubis super holocausta vestra & super pacifica vestra.* Ambabus tubis sonabant in sacrificiis solennibus. Et nulla fit mentio sacrificij pro peccato, seu pro delicto: quia cum mœstitia pœnitudinis oblationes pro peccato, & delicto debebant fieri.

Vt sint vobis in recordationem Dei vestri.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erunt vobis in recordationem coram Elohe vestro.* Et statim subditur: *Ego Iehouah Elohe vester.* Vide similem in sacrificiis fructum tubarum sacerdotalium: vt læta sacrificia placeant Deo, sic quòd Deus gubernator eorum recordetur eorum, hoc est, ad similitudinem recordantis non obliti benefaciat eis. Perpende diuinam benignitatem, in iucunditatibus nostris proferentem iucundas excitationes ad diuinam prouidentiam commemorandam: ad hoc enim apponitur diuina authoritas, commemorando fontem essendi gubernatorem eorum.

Vers. 11. Et fuit annò secundo.] Proculdubiò ab exitu ex Ægypto: morati sunt enim ferè annum iuxta montem Sinaï: nam illuc venerunt anni primi prima die mensis tertij. Nouem itaque dies duntaxat deerant ad consummationem anni ibidem.

Mense secundo vigesima die mensis, eleuata est nubes de tentorio testimonij. *Vers.* 12. Profectique sunt filij Israël per turmas suas.] Iuxta Hebræum habetur: *In profectionibus suis de deserto Sinai, & recubuit nubes in solitudine Paran* [c].] Summat enim Moses more suo vniuersam hanc profectionem à termino à quo, vsque ad terminum ad quem: & deinde per partes eandem narrat: & propterea; tum motum nubis à deserto Sinaï vsque ad desertum Paran; tum profectionem filiorum Israël secundùm singularum Tribuum profectiones summat.

[c] Sunt, qui duplicem *Pharan* putent. Primum hic mox post Sinaï constitutum, quasi contiguum, eò quòd hoc loco inter Sinai, & Pharan nullus quietis locus intermedius nominetur. Alterum verò à primo duabus mansionibus, hoc est, sepulcris concupiscentiæ, & Chaseroth sejūctum, quod rursus post illas mansiones commemoretur, Numeri 13. Sunt alij, qui eundem esse locum probabiliùs dicant; ita quòd hic proponatur quasi in summa, quo progressus sit populus ab illa mansione magna Sinaï ad statiuas Pharan. Interim tamen intelligendum est, quod c. 13. explicatur, nempe, quòd contigerit castrorum extrema comburi, & carnes concupisci; sed non tanquàm mansiones stabiles, & quietis locus intermedius, sed quasi vna, aut altera fatigati populi respiratio. Modus siquidē Scripturæ frequētissimus est multa in summa comprehendere, quæ postmodum per partes explicantur. De situ Pharan eremi cap 23. dicemus Sufficiat nunc, hæc duo loca varia inter sese composuisse.

Vers. 13. Mouerúntque primi castra iuxta imperium Domini in manu Mosis, *Vers.* 14. Filij Iehudæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Et profectum est vexillum castrorum filiorum Iehudæ primum.* Omittit Interpres quatuor triplicitatum vexilla.

Per turmas suas.] Iuxta Hebræum habetur: *In exercitibus suis.* Et ne sæpiùs oporteat repetere amicum *turmæ* nomen Interpreti; corrigendo lege, *exercitum.*

Quorum Princeps erat Naschon, filius Hamminadab. *Vers.* 15. In Tribu filiorū Isaschar fuit Princeps Nethanel, filius Suhar. *Vers.* 16. In Tribu Zebulon erat Princeps Eliab, filius Chelon. *Vers.* 17. Depositúmque est tabernaculum, quod portantes egressi sunt filij Gerson, & Merari.] Quæstio statim occurrit ex capitulo secundo: quia ibi decretum est, quòd castra Leuitarum cum tabernaculo proficiscerentur in medio duodecim Tribuum, sic quòd sex præcederent, & sex sequerentur: nam hic narratur non seruata hæc lex: quia Gersonitæ, & Meraritæ vehentes tabernaculum describuntur profecti immediatè post primam triplicitatem Tribuum. Solutio est, quòd lex illa loquitur in genere de castris Leuitarum, & tabernaculo; nec distinctè ordinat aliquid de partibus: & propterea interpretanda est, prout fuit intellecta à Mose; videlicet, quòd tabernaculum quoad Sancta Sanctorum, quæ portabantur humeris à Cehathitis, proficisceretur medium inter sex antecedentes, & sex subsequentes Tribus: quoad reliqua verò, quæ hic appellantur tabernaculum, quæ vehebantur plaustris à Gersonitis, & Meraritis, declarauit Moses, quòd proficisceretur medium inter primam, & secundam triplicitatem. Cuius ratio inferiùs in Litera redditur.

Vers. 18. Profectique sunt & filij Reu-

ben per turmas, & ordinem suum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et proficiscetur vexillum castrorum Reuben in exercitibus suis.* Secundæ triplicitatis vexillum describitur.

Quorum Princeps erat Elisur, filius Sedeur. *Vers.* 19. In Tribu autem filiorum Simhon Princeps fuit Selumiel, filius Surrisaddai. *Vers.* 20. Porrò in Tribu Gad erat Princeps Eliasaph, filius Dehuel. *Vers.* 21. Profectíque sunt & Cehathitæ portantes Sanctuarium.] Ecce Cehathitæ portantes super humeros Sancta Sanctorum, in loco medio decreto à Deo.

Iam diu tabernaculum portabatur, donec venirent ad erectionis locum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et facient erigere tabernaculum vsque venire eorum.* Sic iacet in Hebræo. Et redditur ratio, quare Gersonitæ, & Meraritæ vectores tabernaculi præcedebant Cehathitas portantes Sancta Sanctorum: quia iterum, quòd Cehathitæ venirent ad terminum, illi Gersonitæ, & Meraritæ, qui præiuerant, erigebant tabernaculum, vt quum appulissent Cehathitæ, inferrent Sancta inuoluta in loca sua intra tabernaculum: hæc enim ratio significatur dicendo: *Et facient erigere tabernaculum vsque venire eorum.* pronomen enim, *eorum*, demonstrat Cehathitas.

Vers. 22. Mouerunt castra, & filij Ephraim per turmas suas.] Iuxta Hebræum habetur: *Et proficiscetur vexillum castrorum filiorum Ephraim in exercitibus suis.* Tertiæ describitur triplicitatis profectio cum suo vexillo.

In quorum exercitu Princeps erat Elisamah, filius Hammihud. *Vers.* 23. In Tribu autem filiorum Menasse Princeps fuit Gamliel, filius Pedahsur. *Vers.* 24. Et in Tribu Binjamin erat Dux Abidam, filius Gidhoni. *Vers.* 25. Nouissimi castrorum omnium profecti sunt filij Dan per turmas suas.] Iuxta Hebræum habetur: *Et proficiscetur vexillum castrorum filiorum Dan adunans in omnibus castris in exercitibus suis.* Quartæ triplicitatis vexillum describitur proficiscens verbo futuri temporis, quemadmodum tertiæ, & secundæ: primi enim duntaxat vexilli profectio describitur verbo præteriti temporis, vt vel hinc perpendamus consuetudinem loquendi in sacra Scriptura. quòd futuri temporis verbo vtitur relatiuè ad factum priùs narratum: ideò enim de primo vexillo dicitur: *Et profectum est*, de secundo autem, tertio & quarto dicitur: *Et proficiscetur*, quia profectio cuiusque istorum erat futura relatiuè ad profectionem primi. Et hanc regulam intelligendi Scripturam narratiuam si seruaueris, non mutabis verba futuri temporis in præterita. Quòd autem dicitur specialiter de hoc quarto vexillo: *Adunans in omnibus castris*, referri potest; tum ad collectionem rerum quouis modo relictarum à præcedentibus; tum ad complexum hominum, qui præcedentia castra non fuissent secuti; tum ad comprehensionem promiscui vulgi, quod non supputabatur in numero filiorum Israël: hi enim, quamuis dispersi fuissent per Tribus omnes; magna tamen forte pars iungebatur vltimę triplicitati.

In quorum exercitu Princeps fuit Achihezer, filius Hammisaddai. *Vers.* 26. In Tribu autem filiorum Aser erat Princeps Paghiel, Filius Hachran. *Vers.* 27. Et in Tribu filiorum Naphthali Princeps fuit Achirab, filius Henan. *Vers.* 28. Hæc sunt castra, & profectiones filiorum Israël per turmas suas, quando egrediebantur.

Vers. 29. Dixitque Moses Chobab, filio Rehuel Midianitæ, cognato suo.] Iuxta Hebræum habetur: *Soceri Mosis.* Si non te delectat vertere in dubium, quòd potest plane intelligi, accipe *soceri* nomen in casu genitiuo: & quadrantem omnibus sensum habebis: quia certum est, Rehuelem fuisse socerum Mosis Exodi cap. 2. Iste itaque Chobab frater erat vxoris Mosis: &, vt subiuncta insinuant, redeunte patre ad propria, (vt scribitur Exodi 18.) remansit iste cum sorore, quæ erat vxor Mosis ducis populi.

Proficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis. Veni nobiscum, vt benefaciamus tibi: quia Dominus promisit bona Israëli. *Vers.* 30. Cui ille respondit: Non vadam tecum, sed reuertar in terram meam, in qua natus sum. *Vers.* 31. Et ille: Noli, inquit, nos relinquere: tu enim nosti, in quibus locis per desertum castra ponere debeamus [d], & eris ductor noster.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia super sic sciuisti castrametari nostrum in deserto: & eris nobis oculis.* Non est sermo de loco castrametandi; quoniam diuina electione decernebatur locus à quiescente, & descendente nube: & diuino decreto ordinatum erat, vt circuncirca tabernaculum, quod sub nube erigebatur, castrametarentur sic, quòd prima triplicitas ad Orientem, secunda ad Meridiem, tertia ad Occidentem, & quarta ad Septentrionem castrametaretur: & propterea non egebant quoad locum officio istius Midianitæ. Sed est sermo de modo castrametandi, circa quem modum iste Midianita erat peritus: huiusmodi enim notitia illi attribuitur in Litera, dicendo: *Quia tu nosti super sic castrametari nostrum in deserto.* Dicendo, *super sic castrametari*, modum castrametandi significat, & propterea officium eius consequenter describitur, dicendo: *Et eris nobis oculis.* non erit officium tuum laborare, sed videre: hoc est, eris nobis prouisor super modum castrametandi; vt ordinatè videlicet, castrametarentur singulis seruatis, distantiis, plateis, viis, &c. erat enim Midianita hic, vir valdè industrius in hoc officio.

[d] Quum Hobab non exploratius teneret itinera per desertum ipso Mose; nam Moses soceri sequutus greges fuerat, & deserta peragrarat quaqua versum per 40. annos, multi in hoc loco nostram editionem non accipiunt, quæ oppositum videtur indicare.

Vers. 32. Qumque nobiscum veneris [e], quicquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi.] Non habetur Hebraïcè, *optimum* nec *quicquid*: sed duntaxat, *quod benefaciemus tibi ex bono, quod dabit nobis Dominus.*

[e] Licèt Iethro ad propria reuersus fuerit; constat tamen filios cum populo remansisse, Iudic. 1. & 4.

Vers. 33. Profecti sunt ergo de monte Domini.] Non est in Hebræo, *ergo*; sed coniunctio copulatiua: *Et profecti sunt à monte Iehouah.* Et nihil dicitur an iste Midianita assenserit ire cum Mose: ipsa tamen mentio requisitionis, vt iret cum eo, subiuncta profectione, insinuat, quòd assenserit. Et mons Sinaï appellatur *mons Iehouah.*

Viam trium dierum.] Proculdubiò absque castrametatione media. Vtrùm autem etiam

etiam noctibus proficiſcerentur, incertum videtur: verba tamen Literæ ſonant, quòd noctibus non proficiſcebantur: quia non dicitur: Viam trium dierum, & trium noctium. ſed, *viam trium dierum*, certum eſt enim, quòd vſitato loquendi modo via trium dierum non ſignificat viam trium dierum naturalium; ſed viam trium dierum artificialium; hoc eſt, ab ortu Solis vſque ad occaſum. Et rationi conſentaneum eſt, vt quemadmodum quieſcebant ſumendo cibum; ita etiam quieſcerent pro ſomno: nubes enim diuina, quamuis quieſceret nocte; non tamen erat ſignum caſtrametandi: quia quieſcebat in excelſo: tunc enim duntaxat ſignificabat caſtrametandum eſſe, quando & deſcendebat, & quieſcebat: & ideò ſignificantiùs ſemper in receſſu Litera ſonat motum nubis non qualencunque, ſed aſcenſionis. Et ſignificanter de quiete nubis huius in deſerto Paran (termino huius profectionis) Hebraïcè ſcribitur ſuperiùs in hoc eodem capitulo: *Et caſtrametata eſt nubes in deſerto Paran.* Vbi vulgata editio habet: *Et recubuit nubes in ſolitudine Paran.*

Arcáque fœderis Domini præcedebat eos per tres dies, prouidens caſtrorum locum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Theca fœderis Iehouah proficiſcens in faciebus eorum, via trium dierum, ad prouidendum eis quietem.* Cerne in primis intelligentiam Moſis circa diſpoſitionem diuini decreti de tabernaculo vehendo in medio: priùs enim excepit vehenda à Gerſonitis, & Meraritis, cauſa inueniendi tabernaculum erectum; & modò manifeſtatur, quòd exceperit etiam ipſam vocatam Arcam, in qua erant tabulæ decem præceptorum, tanquàm fœderis inter Deum, & populum Iſraël. Et ex eo, quòd in faciebus populi proficiſcebatur Arca, manifeſtè ſignificatur, quòd ante vniuerſum populum vehebatur à Cehathitis Arca inuoluta, & tecta, vt ſuprà ſcriptum eſt. Et ex eo, quòd dicitur, *ad prouidendum eis quietem*; inſinuatur, quòd nubes diuina in excelſo ibat perpendiculariter ſupra Arcam: identitas enim officij nubis, & Arcæ, hûc ſitum manifeſtat: nam officium prouidendi quietem, quod perſpicuum eſt, attributum eſſe nubi, attribuitur Arcæ: ad ſignificandum, quòd nubes comes erat Arcæ, & quòd ratione Arcæ erat, & ibat, & ducatum exercebat itinetis. Nec ſis ita rudis, vt intelligas, Arcam triduo ante populum appuliſſe; ſed, quòd tota illa via tridui Arca ſemper iuit ante populum.

Verſ. 34. Nubes quoque Domini ſuper eos erat.] Ex dictis habes, quomodo intelligas, *ſuper eos*: quia, videlicet, ibat nubes in excelſo ſitu ſupra eos antecedendo, quemadmodum Arca.

Per diem, quum incederent.] Duo hinc inſinuantur: alterum, quòd nubes in itinere non deſerebat eos: alterum, quòd ſolo die proficiſcebantur, dicendo, *per diem, quum incederent*: nam & Hebraïcè habetur: *Die in proficiſci eorum ex caſtris.* Ideò enim ſolius diei meminit, vt inſinuet, quòd die duntaxat proficiſcebantur.

Verſ. 35. Quúmque eleuaretur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit in proficiſci Thecam.* Initium proficiſcẽdi ſignificatur, & nõ eleuatio.

Dicebat Moſes: Surge, Domine [f], & diſſipentur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et diſpergentur inimici tui.* Et ſimiliter verbo futuri temporis ſubiungitur:

Et fugient, qui oderunt te, à facie tua. *Verſ.* 36. Quum autem deponeretur, aiebat.] Iuxta Hebræum habetur: *Et in quieſcere eius dicet.* Et ſcribitur in futuro, *dicet*, relatiuè dictum in principio proficiſcendi.

Reuertere, Domine, ad multitudinem exercitus Iſraël.] Iuxta Hebræum habetur: *Requieſce Iehouah in millibus millium Iſraël.* Numerus finitus pro infinito ponitur. Diſcerne inter orationes Moſis: in profectione propulſationem inimicorum; in caſtrametatione autem quietem Dei in filiis Iſraël petit.

[f] Hoc loco Moſes Dominum velut Arcæ inſidẽtem, quum illa exurgeret, & rurſus reſideret, allocutus fuit. Ita & Dauid Pſal. 24. quum inferendam templo Arcam dicere vellet, vt pleniùs Dei beneficium exprimeret, dixit ipſum Dominũ ingreſſurum. Erat ſiquidem Dominus pollicitus populo dignationis ſuæ præſentiam in ea peculiariter ſe exhibiturum.

CAPVT XI.

Nterea [a] ortum eſt murmur populi quaſi dolentium pro labore contra Dominum.] Expoſitoris officio Interpres vtitur: nam Hebraïcè habetur: *Et fuit populus ſicut dolentes* (vel, *ſeducentes*) *malum in auribus Iehouah.* Germanus ſenſus iſtius Literæ ex ſubiunctis pendet, & manifeſtatur: ſubiungetur enim, quòd alienigenæ, qui erant inter eos, reuerſi ſunt, & fleuerunt etiam filij Iſraël concupiſcendo carnes. Itaque peccatum hoc fuit initium peccati concupiſcendi carnes, excitato ad hoc populo ab alienigenis inter eos exiſtentibus. Duo enim genera peccantium narrantur hîc, & ibi: nam ibi narrantur primò peccantes alienigenæ, & conſequenter filij Iſraël: hîc quoque narratur, quòd populus fuit, ſicut ſeducentes, ſeu dolentes malum in auribus Iehouah. Quod ergo hîc dicitur, *populus*; ibi dicitur, *filij Iſraël*: & quòd hîc dicitur, *ſicut ſeducentes*, ſeu *dolentes*; ibi dicitur, manifeſtando ſeducentes: *Et collectio, quæ inter eos concupiuit*, &c. & quòd ſimile peccatum fuerit hîc, & ibi, teſtantur verba Literæ, dicendo de alienigenis concupiſcentibus: *Et reuerſi ſunt.* reſiduum peccatum ſignificando. Quia ergo alienigenæ erant initium peccandi, & prouocantes ad concupiſcendum carnes, dolendo, & flendo; ideò dicitur, quòd *populus Iſraël fuit ſicut ſeducentes* (hoc eſt, fuit ſimilis ſeducentibus eos ad malum) *in auribus Iehouah.* concupiſcentia enim huiuſmodi malè ſonabat in auribus Dei: quia redundabat in diuinam iniuriam, tanquàm Deus malè tractaret populum ſuum, tanquàm minùs benè prouideret populo ſuo. Et quia Hebraïca dictio anceps eſt; ideò diximus *dolentes*, vel *ſeducentes.*

VERS. 1.

[a] Hoc eſt, in via illa trium dierum. Nam in illo triduo hæc contigerunt.

Quod quum audiſſet, iratus eſt, & accenſus in eos ignis Domini [b], & deuorauit extremam caſtrorum partem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et audiuit Iehouah, & iratus eſt: & combuſſit in eis ignis Iehouah, & comedit in fine caſtrorum.* In via contigiſſe hoc peccatum, inſinuatur dicendo, *in fine caſtrorum.* Vnde autem aduenerit hic ignis (an de cælo deſcenderit, an verò è terra emerſerit) in Litera non dicitur: ſed duntaxat, quòd fuit *ignis Dei*, ad differentiam ignis naturaliter occurrentis.

[b] *Ignis Domini*, idiotiſmus eſt, ſignificans ignem ingentem & magnum. Sic Scriptura dicit, *Dominum caſtigare ipſos virga, & plaga humana*, non quã Scriptura Dei vocare ſolet, qua impius exterminatur, & *viſitatio Dei* dicitur. Cæterùm extremam caſtrorum partem, quidam intelligunt eos, qui infimum in caſtris tenebant locum.

occurrentis.

occurrentis. Et primò describitur actio comburendi eos: deinde, in qua parte, videlicet, *in fine castrorum.*

Vers. 2. Cùmque clamasset populus ad Mosen, orauit Moses Dominum: & absorptus est ignis.] Hinc coniicitur, quòd quasi è terra emerserit ignis, qui absorptus describitur orante Mose.

Vers. 3. Vocauitque nomen loci illius incensio [c]: eò quòd succensus fuisset contra eos ignis Domini.] Hinc quoque insinuatur, quòd in itinere fuit hoc peccatum: nam terminus profectionis istius non est appellatus *combustio*, sed *sepulcra concupiscentiæ*: vt inferiùs patet.

[c] Erat enim quædam metatio extra vallũ magnorum castrorũ, designata plebi promiscuæ Ægyptiorũ, quæ præcipuè flagrabat desiderio carniũ, & existimandum est ibi incendium sæuisse, vbi erat origo querelæ contra Dominum.

Vers. 4. Vulgus quippe promiscuum, quod ascenderat cum eis, flagrauit desiderio carnium sedens, & flens, iunctis sibi pariter filiis Israël.] Iuxta Hebræum habetur: *Et collectio, quæ in medio ipsius concupierunt concupiscentiam: & reuersi sunt, & fleuerunt etiam filij Israel, & dixerunt: Quis dabit nobis carnes ad vescendum?* Libra, prudens lector: *Et reuersi sunt, & fleuerunt.* & quum non sit sermo de reuersione locali, & nullus reuertatur, nisi illò, vnde venit, perpendes, per reuersionem describi recidiuum: ac per hoc intelliges, quale fuerit primum peccatum. Recidiuum enim, simile monstrat fuisse vtrunque peccatum. Hinc itaque habemus, quòd in itinere vulgus hoc excitauit hoc gulæ peccatum in populo; sed populus diuino igne correptus, clamauit ad Mosen, & cessauit plaga in via. Deinde, quum iam essent castrametati, iterum vulgus peccauit eodem gulæ peccato, & fleuit: quia carebat carnibus, & filij Israël cum eis, quia imitati sunt eos concupiscendo, & flendo: quia carebant carnibus principaliter, quanuis etiam adiecerint concupiscentiam piscium, fructuúmque hortorum.

Vers. 5. Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porríque, & cæpe, & allia.] Verba sunt vilipendentium victum suum in deserto, relatiuè ad victum in Ægypto: sonant enim præferenda esse vilia, quæ sine pretio in Ægypto comedebant, iis, quæ habebant in deserto.

Vers. 6. Et nunc anima [d] nostra arida est.] Hoc est, vita nostra, tanquàm arida quoad cibum est. Assimilatur cibus ex diuersis constans, rei pingui: & cibus solius panis rei aridæ: & propterea dicunt: *Anima nostra arida est.* vt aridum distinguitur contra pingue.

[d] *Anima* legit Hebræus nonnunquam pro *animo*, nonnunquam etiam pro *appetitu, & vorandi cupiditate*, vt Isaiæ 5. *Dilatauit infernus animam suam.* Hinc est, quòd animæ in Scriptura attribuitur appetitus, & nausea.

Nihil aliud respiciunt oculi nostri, quàm man. *Vers.* 7. Erat autem man, quasi semen coriandri.] Incidenter conditiones mannæ Moses describit iterum: priùs enim Exodi cap. 16. quasdam illius conditiones descripserat. Figura, seu potius magnitudo mannæ describitur dicendo: *Sicut semen coriandri.*

Coloris bdellij.] Iuxta Hebræum habetur: *Et oculus eius, sicut oculus bedolach.* Hinc habetur, quòd *bdellium*, Græcè; Hebraïcè autem, *bedolach*, margarita est, quæ vulgari Italico dicitur, *perla*: hæc enim, sicut semen est coriandri, & coloris albi, qualis coloris fuisse manna scribitur Exodi 16. Et quòd hîc dicitur: *Et oculus eius.* & non dicitur, *color eius*, insinuare videtur, quòd apparentia eius (seruata quantitate seminis coriandri) erat tam in colore, quàm in figura, sicut apparentia bdellij, hoc est, perlæ.

Vers. 8. Circumierúntque populus, & collegerunt, & fregerunt mola.] Iuxta Hebræum habetur: *Et moluerunt in molis.* Quod plus est, quàm frangere mola.

Vel triuerunt in mortario, & coxerunt in olla, & fecerunt ex eo tortulas.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecerunt ipsum placentas.* Describit Moses, quòd vtroque modo coquebatur manna, & lixabatur, & assabatur, & similiter tam durum erat, quòd & molebatur, & terebatur. Redigebatur enim in quasi farinam, & inde placentæ assatione, vel aliud edulium lixando, fiebat.

Saporis quasi panis oleati.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit sapor eius, sicut sapor mollis in oleo.* In cap. 16. Exodi assimilatus est sapor panis confecti ex manna, sapori fritillæ in oleo: hîc verò communiore vocabulo idem significatur: nam res mollis, seu tenera, cocta in oleo, velut genus est ad fritillam in oleo, & alias res molles coctas in oleo.

Vers. 9. Cùmque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter & man.] Iuxta Hebræum habetur: *Descendit man super ipsum.* Narratur enim, quòd manna descendebat super rorem.

Vers. 10. Audiuit autem Moses populum flentem per familias, vnunquenque ad ostium tentorij sui, iratúsque est furor [e] Domini valdè: sed & Mosi intoleranda res visa est.] Iuxta Hebræum habetur: *Et in oculis Mosis malum.* Fletus populi, & iram prouocauit Dei, & Mosi intulit mœrorem. Et meritò: quia incorrigibilis apparebat populus ex tam celeri recidiuo.

[e] Humano more Scriptura nonnunquam de Deo loquitur. Sic, *irascitur furor eius, inclinat aurem, aperit oculos*, & similia.

Vers. 11. Et ait Moses ad Dominum: Cur afflixisti seruum tuum?] Magna afflictio est Pastoris animarum, peccatum quasi incorrigibile populi.

Cur non inuenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus?] Iuxta Hebræum vnica scribitur sententia: *Et vt quid non inueni gratiam in oculis tuis, ad ponendum onus omnis populi istius super me?* Videns Moses officium suum minùs fructiferum, petit à Deo, quorsum ipse Deus non fecit ei gratiam exonerandi ipsum à cura omnis populi istius, (hoc est, tam proni ad malum, tam incorrigibilis,) vel potiùs non onerandi ipsum cura istius populi. A principio enim, quum Deus eligeret eum ad ducatum populi, petierat Moses non imponi sibi hoc onus: & propterea nunc illam petitionem commemorando, petit suspirando: Quorsum non fecisti mihi illam gratiam? Et petit, *vt quid:* quia sine fructu experitur se laborare.

Vers. 12. An ego concepi omnem hanc multitudinem, an ego genui eam, quòd dicis mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua iurasti patribus eorum [f].] Confert Moses necessitudinem inter se, & populum, cum onere à Deo sibi imposito, vt non solùm ex parte fructus; sed etiam ex parte libertatis suæ, grauitatem oneris Deo proponat. Si essem, inquit, mater, aut pater huius

[f] Cùm viri boni sit, nõ priuatam, sed publicam expetere salutẽ, nec optare mortem, vt exoneretur farcina, sed fortiter ferre, quod imposi...

Dominus, donec sua sponte nos exoneret, qui sarcinam posuit; Moses exponens sese verbis præcedẽtibus, explicat, quatenus mortem optet. Erat enim, cur mori cuperet, eò quòd expẽderet populi duritiem incorrigibilẽ, sui laboris fastidiũ,& vitæ huius miseriam, non quòd laborem fugeret, sed, quòd eum inanem reputaret. Sunt aliqui, qui hanc Mosi petitionẽ culpent; sicut & illam, qua se de libro vitæ expungi petebat. Verùm similes Sanctorum precationes ex animo, quo formantur, diiudicãdæ sunt. Nã Paulus Philip. 1. egregiè nos monuit, quomodo animatos esse oporteat in cupiditate,& studio vitæ,& mortis.

huius populi, teneret ad subeundum onus geruli: sed ego, cùm sim exemptus ab huiusmodi vinculis, (vtpote, qui nec concepi, nec genui eos,) graue est onus, quod mihi imponis, vt geruli officio fungar ad portandum populum quasi infantem, (hoc est, ad tolerandum pueriles animos eorum,) donec introducam eos in terram promissionis. Et tu, prudens lector, ex his diuinis verbis ad Mosen, perpende, quòd Deus, quanuis iratus erga populum, dixerat Mosi, vt consideraret populum, tanquàm paruulum, (vtpote flentem: quia caret concupito cibo, qualem aliàs habuit.)& haberet rationem populi, tanquàm infantis. In quo magna Dei clementia manifestatur.

Vers. 13. Vnde mihi carnes, vt dem tantæ multitudini? flent enim contra me dicentes: Da nobis carnes, vt comedamus.] Tertia mœroris ratio affertur coram Deo satis clara.

Vers. 14. Non possum solus sustinere omnem hunc populum.] Occurrit statim quæstio, quomodo verificatur hic sermo Mosis: tum, quia non solus, sed cum distributa multitudine Iudicum gubernabat populum, vt patet Exodi 18. tum, quia septuaginta senes ex Israël iam habuerat, vt patet Exodi 24. Solutio est, quòd Tribuni, & Centuriones quoad iudicandum duntaxat populum adiuuabant Mosen; septuaginta autem senum officium non legitur. Et propterea, aut priores inter illos Iudices erant, aut, velut Patres conscripti, ad concilium conueniebant. Primum tamen quadrare videtur literæ, eò quòd Moses ascensurus in montem dixerit illis septuaginta: *Habetis Aharon, & Chur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos.* Exodi 24. Hinc enim apparet, septuaginta illos fuisse Iudices minorum causarum; eò quòd maiores Mosi reseruatas causas iubentur referre ad Aharon, & Chur vice Mosis. Non est itaque sermo de onere iudicij, aut consilij; sed de onere curæ animarũ. In hoc enim resoluitur onus Mosis: videbat enim, experientia teste, quòd ipse solus non sat erat ad instruendum, & excolendum animas tantæ multitudinis. Et verè minor erat ad hæc, quoniam oportebat particulares distribui diuinos instructores, & monitores ad ea, quæ erant Dei, morum, & legis in tanta multitudine. Et quia tales monitores oportebat diuina, tum gratia, tum authoritate præstare, (vt populus suauiter eorum instructiones, & monita susciperet;) ideò Moses verè, & rationabiliter proponit Deo: *Non potero ego, solus ego, portare omnem populum istum.*

Quia grauis est mihi.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia grauis præ me.* Hoc est, grauitas oneris superat vires meas.

Vers. 15. Si aliter tibi videtur, obsecro, vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et si sic tu faciens mihi, occide me, obsecro, occidendo, si inueni gratiam in oculis tuis; & non videbo in malo meo.* Non sunt impatientiæ verba hæc, aut mollis animi; sed præferentis portum, nauigationi ferè vanæ, & periculosæ: præfert enim eximi à vita corporali cum diuina gratia, tutúsque in sinu Abrahæ quiescere, præsenti vitæ cum cura tot animarum, videndo malum suum, (videlicet, laborare absque fructu,) & periculum peccandi; quia non poterat satisfacere.

Vers. 16. Et dixit Dominus ad Mosen: Congrega mihi septuaginta viros de senioribus [g] Israël, quos tu nosti, quòd senes populi sint ac magistri.] Dictio interpretata, *magistri*, sonat potiùs, Primates: & apponitur pronomen, *eius*, ita quòd dicitur Mosi: *Quos tu nosti, tum senes populi, tum Primates eius.* Pondera, prudens lector, quòd si ætatem senilem duntaxat Deus exigeret, non diceret: *Congrega septuaginta senes, quos tu nosti senes.* (senilis enim ætas omnibus manifesta est, & non eget, vt notitiæ committatur Mosis:) sed hinc insinuatur, quòd senes exigit ætate, & animo, hoc est, vt moribus, & prudentia etiam senes sint: talium enim electio committitur Mosi. Et quoniam exigit senes ætate, mente, & animo, non solùm relatiuè ad seipsos, (quales multi probi senes inueniuntur, vitam propriam prudenter, moribúsque bonis ornatam agentes:) sed etiam relatiuè ad regimen aliorum; ideò adiungitur: *Et primates eius.* Noluit autem Deus, qui omnia nouit per seipsum, septuaginta senes tales eligere; sed commisit electionem Mosi, vt illi penderent à Mose, & vnitas capitis populi Israël detrimentum nullum ex hac prouisione susciperet.

[g] Seniores, maiores natu, senes populi Dei, præpositi iustitiæ, & huiusmodi, nomina sunt, quibus potiores in Ecclesia Dei appellari soliti sunt, non ab ætate, sed à dignitate. Sicut è regione primores in regno Antichristi vocantur *vituli multi, tauri pingues.* Psal. 21. *fortes, fauliones, sine defensores:*, & huiusmodi.

Et duces eos ad ostium tabernaculi fœderis.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad tentorium adunationis.* Vt tamen inferiùs manifestatur, non significatur locus intra tabernaculum, sed circa tabernaculum.

Faciésque ibi stare tecum. *Vers.* 17. Et descendam, loquárque tibi ibi, & auferam de spiritu [h] tuo, tradámque eis, vt sustentent tecum onus populi, & tu non solus graueris.] Dictio interpretata, *auferam*, Hebraicè verbum est deriuatum, vel ab angulo: ac si diceretur: Et angulabo de spiritu, qui super te. vel à grandi, ac si diceretur: Et grandibo de spiritu, qui super te. Et si primam quidem deriuationem sequeris, sensus est, quòd ad instar producentis in angulos, producam de spiritu, qui super te est, & ponam super ipsos septuaginta. Si verò altera deriuatione malueris vti, sensus est, quòd ad instar grandientis extendam spiritum, qui super te est, & ponam super ipsos septuaginta. Et secundùm vtranque deriuationem metaphoricus est sermo: & in idem ferè redit: nam nunquam significatur diminutio spiritus existẽtis in Mose; sed extẽsio eius, vel absolutè, vel in angulos: ad insinuandũ. quòd septuaginta illi senes disponebantur à Deo, vel tanquam anguli Mosis, vel tanquã partes quædam extensiuæ: ita quòd spiritus Mosis secundùm vtranque significationem insinuatur, vt præcipuus: & similitudine corporali loquendo, vt corpus ipsum respectu angulorum, seu particularum, ad quas extenditur. Non ergo significatur ablatio alicuius partis è spiritu Mosis, sed extensio spiritus, qui super Mosen. Quæ extensio, quia non corporalis est (cũ spiritus non sit corpus,) cõmunicatio est similis spiritus spiritui Mosis: similis autem nõ æqualitate, sed imitatione ad instar participis. Insinuatur enim, quòd talem spiri-

[h] *Spiritũ* hic accipio pro reuelatione: significat enim interdũ in Scriptura reuelationes metonymicè, vt 1. Ioan. 4. & Paul. 1. Cor. 4. 31. *Spiritus* (inquit) *Prophetarum prophetis subiectisunt.* Posuit enim spiritũ pro doctrina, sensu, & mente enarrationis. Dicit igitur Dominus Mosi, se non amplius illi soli omnia reuelaturum; sed aliqua istis Septuaginta senioribus, qui cum eo erant edocturi populum.

ſpiritum illis dabit, qualem participarent à ſpiritu, qui eſt in Moſe, ſi ſpiritus ille eſſet diffuſiuus ſui, quemadmodum lux candelæ diffundit lumen ſuum in diaphano.

Verſ. 18. Populo quoque dices: Sanctificamini cras [i].] Iuxta Hebræum habetur: *Sanctificamini in craſtinum.* Mandat Deus, vt Moſes moneat populum ad mundandum ſe pro die craſtino; hoc eſt, ad pœnitendum commiſſi peccati, vt mundi ſuſcipiant diuinum die craſtina beneficium. Hebraïcè enim ſubiungitur copulatiuè:

[i] Hæc admonitio ſanctificationis eò fiebat, ne in vacuū gratiā Domini proximè venturam reciperet populus, ſed exhiberent ſe, vt Dei ſeruos in ieiuniis & puritate. Et vt à congreſſu connubiali coniugis, & deliciis aliis ſibi temperarent, vtque peccati cōmiſſi probè admonerentur parati ſumma fide Dominū venturum recipere, vt per illorum miraculorum ſplendorem fides illorum ſtabiliretur, & non ſtuperent à Deo deſerti.

Et comedetis carnem.] Hoc eſt enim beneficium craſtinum.

Ego enim audiui vos dicere: Quis dabit nobis eſcas carnium? Benè nobis erat in Ægypto.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia fleuiſtis in auribus Iehouah, dicendo: Quis faciet comedere nos carnem? quia bonum nobis in Ægypto.* Cauſa, qua egebant ſanctificari, commemoratur. Deinde immediatè ſubiungitur copulatiuè:

Et dabit יהוה vobis carnem, & comedetis.] Futurum denunciatur beneficium.

Verſ. 19. Non vno die comedetis, nec duobus, nec quinque, nec decem, nec viginti: *Verſ.* 20. ſed vſque ad menſem dierum, donec exeat per nares veſtras, & vertatur in nauſeam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erit vobis in ſparſionem.* Sparſio per vomitum inſinuatur.

Eo quòd repuleritis Dominum, qui in medio veſtri eſt.] Rectiùs loco, *repuleritis*, legeretur, *abominati eſtis*; vt futuræ abominationis cibi ratio reddatur abominatio, qua abominati ſunt Deum.

Et fleueritis coram eo, dicentes: Quare egreſſi ſumus ex Ægypto, vt periremus in ſolitudine?] Iuxta Hebræum non tot habentur, ſed duntaxat: *Quare iſtud, exiuimus de Ægypto?* Sic iacet in Textu Hebraico. Et eſt ſenſus: Quare ad iſtud, hoc eſt, ad hunc victum, exiuimus de Ægypto? In deteriorem enim victum ſe incurriſſe conquerebantur.

Verſ. 21. Et ait Moſes ad Dominum: Sexcenta millia peditum huius populi ſunt: & tu dicis: Dabo eis eſum carnium menſe integro [k]. *Verſ.* 22. Nunquid ouium, & boum multitudo cædetur, vt poſſit ſufficere ad cibum: vel omnes piſces maris in vnum congregabuntur, vt eos ſatiem?] Iuxta Hebræum habetur: *Num pecudes, & boues iugulabuntur eis, & ſufficiet eis? num omnes piſces maris adunabuntur eis, & ſufficiet eis?* Et ſunt verba dubitantis & admirantis magnitudinem pollicitorum; conferendo ſolitudinem eorum cum quantitate carnis ſufficientis ad victum tantæ multitudinis, menſe integro, tam repentè habendum. Et quemadmodum hyperbolicè confert omnes piſces maris minùs ſufficere; ita hyperbolicè intelligendus eſt ſermo de pecudibus, & bobus. Meminit autem non ſolùm carnis, ſed piſcium: quia populus etiam piſcium meminerat, dicendo: *Recordamur piſcium*, &c. Nec propterea peccauit Moſes in hac dubitatione: quia dubitatio non fuit de diuina potentia, ſed de voluntate. Non dubitauit, an Deus poſſet hoc facere; ſed, an Deus vellet hoc facere. Ambiguus erat, an iſta promiſſio diceretur à Deo ſimpliciter, & abſolutè; an ſecundùm præſentia merita: eò quòd valdè exceſſiua pollicitatio videbatur: promittit enim Deus vtroque modo, ſicut etiam vtroque modo comminatur, vt patet Ierem. c. 18. Et perſpicuum eſt, quòd, nec promiſſionem, nec comminationem ſecundùm præſens meritum, Deus ſemper exequitur. Non malè itaque dubitauit Moſes.

[k] Vide, quòd nihil externa omnia efficiūt, dum nō docet intus ſpiritus. Vnde Moſis ſtupor poſt viſa tot mirabilia ſeſe prodit, quemadmodum & Apoſtolorū Matt. 10. quòd rogabant Chriſtum, vnde illis in ſolitudine panes tam multi, vt ſaturarent turbam tantam, quā tamen paulò ante æquè in ſolitudine Dominus, ex quinq; panibus pauiſſet quinq; millia. Matt. 14.

Verſ. 23. Cui reſpondit Dominus: Nunquid manus Domini [l] inualida eſt?] Iuxta Hebræum habetur, *abbreuiata.* Ac per hoc directè reſpondet admirationi, manifeſtando, quòd nec manus (hoc eſt, operatio) יהוה eſt abbreuiata. Quia dubitabat Moſes, non de potentia, ſed de executione, ideò directè reſpondit: Num manus (hoc eſt, operatio, executio) fontis eſſendi, quæ omnia attingit, abbreuiata eſt? quaſi dicat, non.

[l] *Manus, brachium Domini, & dextra,* fortitudinē, auxilium, & robur in Scripturis ſignificant, vt illud: *Manus Domini abbreuiata non eſt.* Luc. 1. *Manus Domini erat cū illo.* hoc eſt, fortitudo, auxilium, &c.

Iam nunc videbis, vtrùm meus ſermo opere compleatur.] Iuxta Hebræum habetur: *Nunc videbis, an eueniet tibi verbum, an non.* Dubio, & interrogationi admixtæ reſpondet, ſe facto monſtraturum ſtatim, ita quòd ipſe Moſes nunc videbit. Et verè vidit experientia facti, quod euenit, pollicitum diuino verbo, dum vidit tantam copiam carnis volatilium. Et tu, prudens lector, ex hac diuina reſponſione habes tria. Primum, quòd Moſes dubitauit, & quæſiuit, an Deus vellet facere, quod pollicebatur, an non: quia ad hoc directè reſpondet Deus, dicendo: *Videbis, an eueniet verbum meum, an non.* & nihil dicit de materia, aut modo. Secundò, quòd ratio interrogandi (quæ, ſcilicet, mouit Moſen ad quærendum à Deo, ſi pollicita erat executurus,) fuit: quia Moſes timuit ſibiipſi, ne reperiretur Propheta fallax, promittendo populo bonum, quod non eueniret. Et hæc ratio inſinuatur dicendo: *An eueniet tibi.* pronomen ſiquidem, *tibi*, inſinuat hanc timoris rationem. Tertiò, quòd per hæc omnia Deus manifeſtauit Moſi, quòd pollicitationem fecerat ſimpliciter, & abſolutè. In cuius ſignum, Moſes omni hæſitatione remota, verba Dei ſupraſcripta dicenda populo, dixit populo, vt ſtatim ſubditur in litera:

Verſ. 24. Venit igitur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et exiuit Moſes.* proculdubiò de tabernaculo, in quo ſupraſcriptam reuelationem habuit.

Et narrauit populo verba Domini, & congregauit ſeptuaginta viros de ſenioribus populi.] Vtrùque executurus narratur, & quòd retulit populo verba Dei ad populum, & quòd collegit ex ſenibus populi ſeptuaginta viros, quos ſtare fecit circa tentorium. Hìc clarè ſignificatur locus, ad quem ducendi erant ſeptuaginta ſenes, videlicet, in circuitum tabernaculi.

Verſ. 25. Deſcenditque Dominus per nubem [m].] Ad nouum effectum conſtituendi Prophetas ſeptuaginta, in ſigno viſibili apparuit Deus per modum deſcendentis in nube: & quia non alius deſcribitur locus, intelligendus relinquitur locus circa tabernaculum, in quo erant ſeptuaginta ſenes: ad hoc enim viſibile ſignum apparuit nouæ nubis, vt ipſi ſeptuaginta viderent.

[m] Cùm cognoſceret Dominus vulgi ingenium; abhorrēt enim ſimpliciores, & res non tanti faciunt, quas nullis externis pompis auguſtiores vidēt; ſublimia verò, & rara mirè ſtupent, deſcendere igitur voluit per nubem ad ſeniores, vt authoritatis, & majeſtatis illorum opinionem populo ingereret

Et

Et locutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Mose.] Iuxta Hebræum habetur supradicta dictio, videlicet: *Et grandiuit (seu, angulauit) de spiritu, qui super ipsum, & dedit septuaginta viris.* Intellige hæc vt suprà.

Cúmque requieuisset in eis spiritus, prophetauerunt [n], nec vltrà cessauerunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non addiderunt.* Hebraïcus contextus oppositum sonat vulgatæ editionis: nam scribitur: *Et fuit sicut quiescere super eos spiritum, & prophetauerunt, & non addiderunt.* Hæc enim verba sonant, quòd tunc quidem prophetauerunt, & non addiderunt prophetare; hoc est, quòd deinceps non prophetauerunt. Et significatur per hoc, quòd spiritus datus eis non fuit datus ad constituendum eos Prophetas; sed prophetia pro tunc data est eis in signum sensibile, quòd spiritum Dei acceperant ad regendum animas populi, ad quod erant assumpti.

[n] Etsi *prophetare*, & *Propheta* nomē variè in Scriptura accipiatur; tamen quantum coniici potest ex variis Scripturæ locis, Propheta videtur propriè significare Interpretem diuinū, & hominem diuinarum rerum per afflatum spiritus Dei præ aliis scientem. Contingebat tamen, vt, quibus diuinus ille afflatus, & instinctus dabatur, rebus & gestis insolitis arriperētur. Ita enim solet cerebro à diuiniori spiritu immutari, & stupescere. Sic de Saule legimus, 1. Samuel. 19. quum eum spiritus Domini arripuisset, inter Prophetas vestes deposuisse, & nudum concidisse per diem, & noctem. Sic & Samsonem spiritu Dei agitatum legimus. Iudicum 20. vnde ex signis, & rebus gestis, qui bono Dei spiritu afflati, de diuinis rebus disserebant, carnalibus hominibus insani habebantur, vt de eo, quem Heliseus miserat ad vngendum Iehu in Regem, dicebant, qui cum Iehu erant: *Cuius causa venit hic insanus ad te?* Sic & Paulum insanire Festus putabat diuina disserentem: & Christum putarūt consanguinei furere: insanum enim caro iudicat, quidquid suū captum excesserit. Hinc quicunque insolentiùs loquebantur, *prophetare* dicti sunt in Scripturis, vt 1. Reg. 18. *Inuasit spiritus malus Saul, & prophetabat in medio domus sua* quid hic *prophetare*, quàm insolētia loqui, & gestibus insolitis, vt enthusiasmo acti solēt? Hęc dixerim, vt ex istis perpendas, qualiter isti seniores prophetabant: loquebantur enim magnalia præter consuetum ordinem, quemadmodum & Apostoli, quum ebrij reputati sunt. Sic legimus, Dauidē spiritu Dei actum inconsuetè ante arcā saltasse.

Vers. 26. Remanserant autem in castris duo viri (quorum vnus vocabatur Eldad, & alter Medad) super quos requieuit spiritus: qui & ipsi descripti fuerant, & non exierant ad tentorium.] Quæstio statim oritur, quomodo verificatur paulò antè scriptum: *Et collegit septuaginta viros, & fecit stare eos in circuitu tabernaculi.* quum nunc dicatur, quòd duo remanserant in castris, qui non exierant ad tabernaculum. Solutio est, quòd narratio illa intelligenda est, tanquàm pendens vsque ad hanc exceptionem: ita quòd reuerà sexaginta, & octo duntaxat fuerant congregati; sed appellantur septuaginta, quantum erat ex actione Mosis: de quo dicitur, quòd collegit septuaginta, & fecit stare eos iuxta tabernaculum: latuit enim Mosen, quòd isti duo se subduxerant: quorum tamen subductio, quòd ex sancta humilitate processerit, effectus testatus est.

Vers. 27. Cúmque prophetarent in castris, cucurrit puer, & nunciauit Mosi, dicens: Eldad, & Medad prophetant in castris.] Nescitur, quis fuerit iste puer. Et est ætatis nomen, *puer*; Hebraïco tamen more, appellandi pueros etiam adolescentes.

Vers. 28. Statim Iehosuah.] Iuxta Hebræum habetur: *Et respondit Iehosuah filius Nun, minister Mosis.* Quia Iehosuah præuenit responsionem Mosis, cùm nunciaret puer; ideò respondisse scribitur, relatiuè ad nunciata.

Et electus è pluribus.] Iuxta Hebræum habetur: *A iuuentutibus suis.* Legi tamen potest, ex iuuenibus eius. Prima tamen lectio magis quadrat: quoniam nulla fit mentio electionis, nec vnquam legitur, Mosen multos habuisse iuuenes ministrantes sibi: sed optimè quadrat, vt dicendo: *Et respondit Iehosuah, filius Nun, seruitor Mosis.* adiungatur, quòd non erat seruitor nouus, sed erat seruitor à iuuentutibus suis. Nec mireris, quòd pluraliter dicitur, *à iuuentutibus suis*. Hebraïca siquidem consuetudine pluraliter significantur ætates, pueritiæ, senectutes, iuuentutes.

Et dixit: Domine mi Moses, prohibe eos. *Vers.* 29. Dixitque ei Moses: Quid æmularis pro me? Quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum?] Optantis est, ac si diceretur: Vtinam quispiam det, &c.

Vers. 30. Reuersúsque est.] Iuxta Hebræum habetur: *Et collectus est Moses ad castra, ipse & seniores Israël.* Significatur enim, quòd quum separati fuissent Moses, & senes ex castris in tabernaculo: iuncti sunt iterum castris.

Vers. 31. Ventus autem egressus est à Domino.] Ad differentiam naturalis motus venti describitur ventus profectus à יהוה: vsus siquidem est Deus causis secundis; sed non natura, sed ipso impellente.

Et arreptas trans mare coturnices [o], detulit, & dimisit in castra itinere, quantùm vno die confici potest ex omni parte castrorum per circuitum: volabántque in aëre duobus cubitis in altitudine à terra.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Et fecit volare coturnices à mari, & extendit supra castra, sicut via diei sic, & sicut via diei sic per circumitum castrorum, & sicut duo brachia super facies terræ.* Diuinus effectus ex huiusmodi vento describitur. Et extensa quidem multitudo coturnicum volans describitur iuxta castra secundùm longitudinem, quanta est via itineris vnius diei; secundùm verò latitudinem circuncirca. Huiusmodi enim longitudo significatur Hebraïca consuetudine conduplicando, *sicut via diei sic, & sicut via diei sic.* Simili enim loquendi modo in similibus descriptionibus vtitur. Secundùm autem altitudinem duobus tantùm brachiis supra terram, vt ab omnibus, masculis & mulieribus caperentur. Quoad tempus verò subiungitur tempus duorum dierum, & vnius noctis integrum: vt ex his omnibus intelligatur adimpletum esse verbum Dei.

[o] Non ex eodem loco venerunt istæ coturnices, & illæ, quæ ascenderunt vespere, dum castra essent in deserto Sin: nam illæ ex Meridie, istæ ex Occidēte trans mare mediterraneū, ascenderunt. Sed, quòd Dominus secundò dederit eis coturnices, eò factum puto, quòd illas in summas delicias haberent, & fortè secundò desiderauerunt.

Vers. 32. Surrexit ergo populus toto die illo, & nocte, & die altero: & congregauit coturnicum multitudinem, qui parum decem coros: & siccauerunt eas per gyrum castrorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et extenderunt eas extendendo in circumitibus castrorum.* Ne putrescerent, sed seruarentur, expansæ sunt coturnices iugulatæ, & exenteratæ.

Vers. 33. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuscemodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna [p] nimis.] Infra illum mensem plaga hæc facta significatur ex eo, quòd adhuc vtebantur hoc cibo promisso per mensem. Qualis autem fuerit hæc plaga, nescitur. Tantùm scimus, quòd fuit percussio magna valdè populi, & quòd percussio fuit mortifera: quia hoc sepultura testatur.

[p] Putant nonnulli, hanc plagam fuisse, quòd populus præfucatus saturitate carnium interiit: alij flammam voracem dicunt, quam capitis huius principium numerat.

Vers. 34. Vocatúsque est ille locus, sepulcra concupiscentiæ: quia ibi sepelierunt populum, qui desiderauerat carnes.] Ad insinuandum, quòd nullus innocens percussus est, dicitur, quòd ibi sepelierunt populum, qui concupiuit. An autem omnes, qui concupierunt, scribatur per hoc fuisse sepultos; affirmare non audeo: quia superiùs in eodem hoc capitulo scriptum est: *Et audiuit Moses populum flentem in familiis suis, virum in ostio tentorij sui.* Et dictio interpretata, *virum*, sæpè sonat, *vnusquenque*.

Ex quibus verbis apparet, maximam multitudinem populi peccasse huiusmodi gulæ peccato: quam non audeo affirmare fuisse percussam, ac mortuam totam.

Egressi autem de sepulcris concupiscentiæ, venerunt in Chaseroth [q]: & manserunt ibi.]

[q] *Chaseroth mansio* dicitur in Deuteronomio *Chaserim*. Hoc loco Maria, & Aaron obiurgarunt Mosen pro continentia ab vxore: venitque populus ex Paran in Chaseroth vno die, vt putat Zieglerius.

CAPVT XII.

VERS. I.

Locutáque est Miriam, & Aharon in Mosen.] Quia etiam Hebraicè fœminini est generis verbum hoc, insinuatur, quòd Miriam fuit origo huius sermonis; Aharon verò comes: & propterea subiungitur in plurali numero:

Et dixerunt: Propter vxorem eius Æthiopissam [a].] Iuxta Hebræum habetur: *Super causam mulieris Æthiopissæ, quam accepit, quia mulierem Æthiopissam accepit*. Quanuis verba sonent causam sermonis fuisse: quia Moses acceperat vxorem Æthiopissam: prolata tamen verba, quæ subiunguntur, minus quadrant huic causæ. Quid enim spectat ad hanc causam, quòd ipsi æquales essent Mosi? Alia itaque est causa huius murmuris: nam subiunctis verbis consonat occasionem fuisse murmuris amorem Miriam erga Æthiopissam, vxorem Mosis, eò quòd deserta erat à viro suo, quoad thorum: quia Propheta erat. Huic enim causæ optimè quadrant subiuncta verba. Nec aliena est Litera ab hoc sensu: & quadrat, vt mulier mulieris causam ageret. Quum ergo in Litera dicitur, *super causam mulieris*, causa deserti thori significatur. Et quum subiungitur: *Quia mulierem Æthiopissam accepit*. non redditur causa murmuris; sed causa iniuriæ. Ac si apertiùs dictum fuisset: Quia accepit ipsam, tenetur non deserere ipsam. An autem hæc mulier Æthiopissa fuerit Princeps illa Æthiopum, cuius meminit Iosephus, an fuerit Siphora Midianitis, incertum est.

[a] *Æthiopissa* dicitur, licèt esset Madianitis. Nam accolas maris rubri ita vocari, aliis locis Scripturæ deprehendimus, vt Habac. 3.7. *Vidi tentoria Æthiopiæ: turbabuntur pelles terræ Madian*.

Vers. 2. Et dixerunt: Num per solum Mosen locutus est Dominus? Nónne & nobis similiter locutus est?] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Num tantùm tantùm in Mose locutus est* יהוה, *an non etiam in nobis locutus est?* Pares Miriam, & Aharon se esse aiunt Mosi in hoc, quòd Deus locutus est in eis. Et per hoc intendunt inferre, quòd, quemadmodum ipsi vacant propriis coniugiis; ita Moses reddere deberet propriæ coniugi ius eius. Insinuatur enim per hoc, quòd causa deserendi thorum propriæ vxoris, afferebatur à Mose allocutio diuina. Et verè quadrat, vt vir tam assiduus diuino colloquio, à carnis delectationibus se abstraheret: aduersatur enim tantæ mentis eleuationi in Deum, affectus animi ad carnis delectationem.

Quod cùm audisset Dominus, iratus est valdè.] Non habentur tot in Hebræo; sed duntaxat: *Et audiuit Iehouah*. Nec per hoc significatur simplex auditio, sed ad animaduertendum. Ad similitudinem siquidem Principis non dissimulantis dicitur: *Et audiuit* יהוה.

Vers. 3. Erat enim Moses vir mitissimus [b] super omnes homines, qui morabantur in terra.] Iuxta Hebræum copulatiuè habetur: *Et vir Moses humanus valdè præ omni homine, qui super facies terræ*. Mansuetudo Mosis ideò hoc loco commendatur, vt ratio reddatur, quare Deus responderit pro eo. Et libra in Mose vtranque sensibilis appetitus partem, tam perfectè subactam, vt appetitus, qui dicitur concupiscibilis, etiam à proprio vxoris thoro retractus sit; & appetitus, qui dicitur irascibilis, tanta sit mansuetudine affectus, vt reliquis hominibus præferatur illius mansuetudo. Et verè oportet animum hominis tam eleuatæ in Deum mentis, huiusmodi virtutibus moralibus esse perfectum: impossibile est enim superioribus, & inferioribus vacare.

[b] Superfluum fuerit hic adducere, quæ Hebræi in Mosis cōmendationem adnotarunt, quum ab ipso Christo pluries commendatus sit: illud tamen dixerim, Deū septimis sæculis mirabilia ferè renouasse, si quis diligentius attendat. Nam Moses septimus fuit ab Abraham, Abraham septimus ab Enoch, Enoch septimus ab Adam. Ita septima quaque generatione viros sanctissimos Dominus in orbem mittebat.

Vers. 4. Statim locutus est.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit Iehouah statim ad Mosen, & ad Aharon, & Miriam: Egredimini vos tres ad tentorium adunationis*. Non distulit Deus defendere Mosen, & arguere Aharon, & Miriam.

Vers. 5. Et exierunt tres ipsi. Descendit autem Dominus in columna nubis, & stetit in ostio tentorij: vocauítque Aharon, & Miriam, qui cùm issent.] Iuxta Hebræum habetur: *Et exierunt duo ipsi*. Vide ordinem: Deus præcepit exire tres ad tabernaculum: & obediendo exierunt tres ipsi, proculdubiò è castris ad tabernaculum. Descendit deinde Deus in signo visibili columnæ nubis, & stetit in ostio tabernaculi, & inde vocauit Aharon, & Miriam, de quibus dicitur: *Et exierunt duo ipsi*. Per quod significatur, quòd erant cum Mose intra tabernaculum: vel (quod potiùs crediderim) erant cum Mose in tentorio Aharon, pro tempore, quo Pontifex morabatur in tabernaculo diuino, quod erat iuxta tabernaculum in atrio. Egressus enim iste, vel ex Dei tabernaculo, (in quod minùs quadrat introisse mulierem,) vel ex huiusmodi tentorio fuit.

Vers. 6. Et dixit: Audite nunc sermones meos, si quis fuerit inter vos Propheta [c] Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Si erit Propheta vester* יהוה. Et scito, quòd quia Iehouah in hac litera nullius est certi casus; ideò alij iungunt Iehouah cum sequentibus, alij cum præcedentibus. Quod magis quadrare videtur, ad determinandum, quòd non de Prophetis Bahal; sed de Prophetis veri Dei est sermo.

In visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.] Iuxta Hebræum habetur: *In visione ei notificabo me, in somnio loquar in eo*. Duo genera diuinæ reuelationis tanguntur, alterum visionis, alterum locutionis; nec tertium inuenitur. Rursus in vtroque genere tangitur supremus ordo: nam supremum cognoscibile in visione est Deus, & hoc significatur dicendo: *Notificabo me*. Supremus quoque loquens est Deus: & hic allocutor significatur dicendo, *loquar*. Et significanter dicitur, *in eo*; ad insinuandum, quòd de internis visionibus, & allocutionibus est sermo. Affirmat itaque Deus, quòd Prophetas suos vsque adeò eleuat, vt & in visione notificet seipsum: *Et ipsemet loquatur in eis*.

Aduerte, prudens lector, duo. Alterum, quòd

[c] Prophetæ, qui fuerunt in Israël, nihil aliud erant, quā viri religiosiores, qui certis tēporibus decantandis Psalmis, & precando Deo, tum docendo, ac exequēdo legē Domini, præ aliis fuerunt occupati. Huiúsque instituti erant filij illi Prophetarum, quos Scriptura sæpè memorat. His omnibus nō crediderim, facultatem adfuisse prædicendi futura, vel recondita alia, & diuiniora enarrādi, licèt omnes Prophetę vocarētur: nam 3. Reg 22 quum quadringenti Prophetæ congregati essent coram Achab, & Iosaphat, interrogauit Rex Iudæ, an esset illic Propheta Domini quispiam, id est, qui haberet spiritū Domini: communiter enim ex illis viris Dominus Prophetas suos eligebat. Et qui singulari afflatu spiritus interdum arripiebantur,

diuersimodè oracula recipiebant, vel visione aliqua, vel in somniis, vel oraculo obscuriore. Nam soli Mosi, tanquam Prophetarũ eximio, apertiore apparitione, & colloquio contigit diuina percipere.

quòd hæc non ea ratione dicuntur, vt cuilibet Prophetæ hæc sint communia; sed quòd Prophetarum ordo eleuatur in aliquibus Prophetis in hanc tantam celsitudinem: multis enim Prophetis minùs communicatum est. Alterum, quòd non solùm genera ista visionis, & locutionis habent species multas; sed etiam supremæ species habent latitudinem magnam: multi enim sunt gradus, quibus in visione cognoscitur Deus; & similiter multi sunt gradus, quibus Deus alloquitur hominem.

Cùm autem, Nouitie, legis Deum loquentem in Prophetis, intellige ad differentiam Angelorum hoc scribi; nec eo sensu, vt Deus per seipsum absque ministerio angelico alloquatur hominem; sed ea discretione, vt Angelus alloquens hominem quandoque loquatur, vt nuncius Dei; quandoque verò alloquatur in persona Dei. Et hoc secundo modo ad differentiam primi, dicit Deus in litera: *Loquar in ipso.* Tangit enim, vt dictum est, supremam alloquendi speciem, quando, videlicet, loquens loquitur in persona Dei, quemadmodum ad Mosen dixit Angelus: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Meminit autem somnij, ad manifestandum, quòd non solùm vigilantibus, sed etiam dormientibus Prophetis Deus reuelat sua mysteria.

d Domus Dei ad literam locus erat corporalis, in quo ad colendũ Dominum cõueniebatur, qualis fuit ille, in quo Caïn, & Abel obtulerũt, & verbũ Dei audierunt: qualia fuerunt posteà omnia patrum Abrahæ, Isaac, Iacob, & Noë, donec ad Mosi tabernaculum, & tẽplum Salomonis ventum est.

Vers. 7. At non talis seruus meus Moses, qui in omni domo mea [d] fidelissimus.] Iuxta Hebræum habetur: *Non sic seruus meus Moses, in omni domo mea fidelis ipse.* Excellentiã Mosis relatiuè ad alios Prophetas manifestaturus Deus, primùm præfert ipsum reliquis quoad statum, videlicet, quòd status Mosis est status serui fidelis constituti à Deo patrefamiliàs super totam domum eius: alij verò Prophetæ non sic; sed tanquàm sub principali seruo decreti sunt ad curam domus Dei. Et magna est laus Mosis, quòd appellatur à Deo *seruus meus*: nam non communi creaturarum conditione laudatur eius seruitus, sed voluntate. Seruus enim, quicquid est domini, sui est: & Moses, quia voluntariè se Dei seruituti dederat, ideò commendatur seruus meus. Et adiungitur voluntati virtus requisita ad seruum dispensatorem; videlicet, fidelitas, non in aliquo vno particulari negotio, sed in vniuersa domo Dei: & hinc officium Mosis super totam domum Dei insinuatur. Et tu, prudens lector, annotabis, quòd vniuersa Ecclesia vna est domus Dei: ac per hoc Deus dignatur, tanquàm paterfamiliàs, se habere cum vniuersa congregatione fidelium.

e Quibus Deus se apertiore & visu, & locutione reuelauit, eos dicit Scriptura, Deum ore ad os loquentem audiuisse.

Vers. 8. Ore enim ad os [e] loquor ei.] Iuxta Hebræum habetur: *Ore ad os loquar in eo.* Vide disparitatem, cerne excellentiam. De reliquis Prophetis dixerat: *In somnio loquar in eo.* de Mose autem dicit: *Ore ad os loquar in eo.* Quanta est disparitas inter alloquentem in somnio, & alloquentem ore ad os, tanta significatur disparitas inter Deum, quatenus alloquitur alios Prophetas, & quatenus alloquebatur Mosen: quantùm eminet modus alloquendi ore ad os, modo alloquendi in somnio, tantùm eminet gradus prophetiæ Mosis gradui prophetiæ aliorum in genere allocutionis diuinæ: plus dicam, in specie, qua Deus ipse apparet alloquens: vtrobique enim dicit Deus in prima persona: *Loquar in eo.* & tota disparitas consistit penes hoc, quòd ibi dicitur, *in somnio*; hìc autem, *ore ad os.*

Duæ autem eminentes conditiones per hoc insinuantur. Altera penes præsentiam, & absentiam: alloquens enim in somnio, alloquitur absens; alloquens autem ore ad os, alloquitur præsens: in somnio enim loquitur, tanquàm per internuncium: ore verò ad os loquitur per seipsum. Altera penes familiarem loquendi modum, iuxta id, quod scriptum est Exodi 33. Deum loqui ad Mosen, sicut virum ad socium suum. Eminentior itaque allocutionis diuinæ gradus significatur: tum, quia Deus tanquàm præsens: tum, quia tanquam familiariter alloquebatur Mosen: alios verò Prophetas, tanquàm absẽs, & tanquàm Dominus. Significãter autẽ dicit, *loquar*, in futuro; ad insinuandũ perseuerantiam: vt intelligamus, quòd non semel, aut bis; sed assidua erat huiusmodi allocutio.

f Prouerbiorum 1. *Parabola, enarrationes, verba sapientum, & ænigmata*, pro eodem accipiuntur, grauioribus, scilicet, sententiis, quæ ferè & recondita, & trãslationis aliquid habent, atque ideò enarrationem apud imperitiores requirunt. Sic Isaiæ 14 de casu Regis Babel, eò quòd audentiores trãslationes & hyperboles, poëmatũ more habet parabola, à Vate nũcupatur. Mos enim fuit antiquitus proponere ænigmata, & parabolas, qui autem soluebat, præmiũ depositũ recipiebat, vt legimus de parabolis, & ænigmatibus in nuptiis Samsonis Vnde & hinc *ænigma* pro visione subobscura per similitudinẽ accipitur.

Palam, & non per ænigmata [f], & figuras Dominum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et visionem, & non in ænigmatibus, & similitudine* יהוה *videbit.* Duo genera diuinæ reuelationis proposuerat; videlicet, visionis, & locutionis. Et Hebraïco more primùm prosecutus est vltimò propositum: deinde prosequitur primò propositum. Et quoniam quædam sunt hic affirmatiua, & quædam negatiua, explanandus est ante omnia ordo literæ. Scito igitur, quòd in Textu Hebræo duæ dictiones, (videlicet, visionem, & similitudinem,) incerti sunt casus, pro quanto nullus eis præponitur articulus: & propterea accipiendæ sunt in casu regiminis (quemadmodum, & accepimus) *visionem*, in accusatiuo ponendo, vt quadret regimini verbi, *videbit*, seu *aspiciet*; *similitudine* autem in ablatiuo, vt quadret regimini præpositionis præcedentis dictionis, *in ænigmatibus, & similitudine*. Dictio autem, *Iehouah*, manifestè est genitiui casus: ita quòd ordo literæ est: Et visionem Dei videbit, & non in ænigmatibus, & similitudine. Scito tamen, quòd Hebræi semipunctum faciunt inter *ænigmata, & similitudinem*, legendo: *Et visionem, & non in ænigmatibus.* deinde subiungendo: *Et similitudinem Dei aspiciet.* Quam constructionem notificaui, non vt sequaris illam, (quia minùs quadrare videtur contextui;) sed vt noueris, quòd nec Hebraïcè, nec Latinè significatur hìc visio Dei per essentiam; sed vel aspicere visionem Dei, vel aspicere similitudinem Dei. Vide singula.

Considera, prudens lector, quòd Deus loquendo de aliis Prophetis, quantùm ad genus visionis dixerat: *In visione ei notificabo me.* & non dixerat modum visionis: modò autem resumendo genus visionis dicit, *& visionem*: vt intelligamus, quòd de visione prophetica, de qua priùs locutus fuerat, modò loquitur; & non de visione illa, de qua dixerat ad Mosen: *Non videbit me homo, & viuet.* Et quia dixerat: *In visione notificabo me ei.* nec dixerat modum; ideò ad manifestandum disparitatem inter visionem Mosis, & aliorum Prophetarum, explicat modum dicendo: *Et visionem non in similitudine.* negatio enim præposita ænigmatibus afficit etiam similitudine: ita quòd alij Prophetæ visionem in similitudine vident: Moses autem visionem non in similitudine videt. Et est sermo de similitudine sensibili: vnde

&

& alij interpretati sunt figuram. Significatur enim per hoc, quòd visio Mosis erat intellectualis, & non per species imaginarias. Vnde & dictio interpretata, *aspiciet*, seu *videbit*, significat *perspicaciter videre*. Et dicitur, *aspiciet*, futuri temporis, ad insinuandam perseuerantiam talis modi videndi in Mose: significatur siquidem per hoc, quòd assiduè visio eius prophetica erat visio intellectualis. Quòd autem miscetur, *& non in ænigmatibus*; directè refertur ad aliud genus reuelationis; videlicet, ad locutionem. Simul enim vterque imperfectionis modus scriptus est: & imperfectior modus loquendi per ænigmata, & imperfectior modus videndi per species imaginarias. Vbi considera, quòd quantùm ad allocutionem præfertur Moses aliis Prophetis, non solùm, quia Deus aliis tanquàm in somnio; Mosi verò ore ad os; sed etiam, quia Mosi absque ænigmatibus loquebatur: aliis verò in ænigmatibus, hoc est, obscuris sermonibus.

Et scito, quòd dictio interpretata, *ænigma*, significat *sententiam obscuram*: ita quòd significat speciem locutionis: idémque propriè significat apud Græcos, *ænigma*. Quod ideò dixerim, vt scias, quòd proprietatem sermonis secutus sum, exponendo Literam; non ignorans, quòd per translationem possunt vocabula hæc applicari ad visibilia: vt Paulus Apostolus Græcè scribens 1. ad Cor. 13. ænigma ad visibilia transtulit, dicendo: *Videmus per speculum in ænigmate*. & posteà Latini Doctores extenderunt, *videre in ænigmate*, ad omnem visionem Dei citra beatam. Sed nec Paulus sic transtulit ænigma, sed adiecit, *in speculo*; nec sacræ Scripturæ literalis expositio extensionem tantam vocabuli poscit. Patet itaque diuino testimonio excellentia prophetiæ Mosis relatiuè ad alios Prophetas, tum in genere allocutionis, tum in genere visionis: & propterea arguuntur Aharon, & Miriam.

Et quare non timuistis loqui in seruum meum, in Mosen?

Vers. 9. Iratúsque est contra eos Dominus, & abiit. *Vers. 10.* Nubes quoque recessit, quæ erat supra tentorium.] Vtraque ergo nubes desiit: & columna nubis ab ostio tabernaculi, & nubes iugis supra tabernaculum. Et columna quidem recessit per modum abeuntis: nam Hebraïcè scribitur: *Et iratus est furor Iehouah in eos, & abiit.* proculdubiò in columna, in qua descenderat: de nube autem & scribitur: *Et nubes cessauit de supra tabernaculum.* Intellige hanc cessationem, vt effectum iræ, hoc est, durante excandescentia. Propterea enim describitur cessatio ex furore. vt intelligamus, ad horam tunc cessasse nubem, & rediisse, cùm Deus, tanquàm placatus precibus Mosis, pepercit etiam Miriam: quamuis septem dierum pœnitentiam exegerit: cessatio enim nubis ob peccatum Aharon Pontificis fuit, qui statim humiliter petiit veniam, & obtinuit.

Et ecce Miriam apparuit candens lepra, quasi nix. Cúmque respexisset eam Aharon, & vidisset perfusam lepra, *Vers. 11.* ait ad Mosen: Obsecro, domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod stultè commisimus; *Vers. 12.* ne fiat hęc quasi mortua[g], & vt abortiuum.]

[g] Comparatur leprosus mortuo, quòd ab hominibus quasi mortuus excludatur.

Superfluæ sunt istæ tres vltimæ dictiones: nam iuxta Hebræum habetur: *Non, obsecro, erit, sicut mortuus, qui in exitu suo de vulua matris suæ.* Et statim subiungitur: *Et fuit comestum dimidium carnis eius.* In quo contextu etiam hoc apparet, quòd ambiguum est, an clausula: *Et fuit, comestum dimidum carnis eius.* iungatur cum mortuo exeunte de vulua matris, quod per frusta egreditur; an referatur ad Miriam, (vt Interpres antiquus intellexit,) nisi pronomen esset masculini generis apud Hebræos: ac per hoc primus sensus esset certus.

Vers. 13. Clamauítque Moses ad Dominum dicens: El, obsecro, sana, obsecro, eam. *Vers. 14.* Cui respondit Dominus: Si pater eius spuisset in faciem illius, nónne debuerat saltem septem dierum rubore suffundi? Separetur septem diebus extra castra, & posteà reuocabitur.] Iuxta Hebræum habetur: *Claudetur septem diebus extra castra, & posteà adunabitur.* Duo præcipiuntur: clausio metaphoricè, vt instar clausæ ab aliorum conuersatione separetur: & locus, videlicet, extra castra. Vnde non subditur: Et posteà aperietur. sed, *adunabitur*.

Vers. 15. Exclusa est itaque (iuxta Hebræum habetur: *Et fuit clausa.*) Miriam extra castra septem diebus: & populus non est motus de loco illo, donec reuocata est Miriam.] Iuxta Hebræum habetur: *Donec adunata est Miriam.* proculdubiò ad populum in castris.

CAPVT XIII.

VERS. 1.

PRofectúsque est populus de Chaseroth, fixis tentoriis in deserto Paran[a].] Quæstio statim occurrit: quia apparet, quòd redierint, & non progrederentur vltrà. Nam in deserto Paran castrametati fuerant mansione prima post recessum à monte Sinaï, vt claré scriptum est in cap. 10. Solutio est, quod idem est desertum Paran nominatum hîc, & nominatum ibi; sed diuersæ sunt partes eiusdem deserti. Nam ibidem est sermo de illa deserti Paran parte, quæ appellata est, *sepulcra concupiscentiæ*: hic verò est sermo de alia, vel aliis partibus eiusdem deserti. Dico autem, *alia*, vel *aliis*: quia incertum est, an Chaseroth sit pars eiusdem deserti (ita quòd egressi de deserto Paran manserint in Chaseroth, & iterum progrediendo, tamen ingressi fuerint desertum Paran: & propterea Moses dixerit: *Et posteà profectus est populus de Chaseroth & castrametatus est in deserto Paran.* An Chaseroth sit etiam pars deserti Paran, & multitudo mansionum simul comprehendatur dicendo: *Et castrametatus est in deserto Paran.* Ac si apertiùs dixisset, quòd profectus de Chaseroth populus, castrametatus est per desertum Paran. modò hîc, modò ibi. Et hic sensus quadrat subiunctis cum scriptis Deuteronomij cap. tam 1. quàm 9. videlicet, quòd de Cades-Barneah missi sunt duodecim exploratores terræ: per multas enim mansiones itum est ad Cades-Barneah, vt in catalogo mansionum scripto inferiùs cap. 33. Signum autem, quòd

[a] Pharan, eremus est magna ad solitudinē Sinaï (quam ad occasum relinquit) supra Asphaltidem lacū ad Meridiē occiduum, olim ab Ismaelitis inhabitata, nunc à Saracenis in solitudine errantibus, vt inquit Hieronymus sub hoc nomine aliquot mansiones continentur, quæ 7 diebus peractæ sunt, quas nō tanquā singulas mansiones, sed aliquot transitus, & diuersiones accipere debemus. Nec opinari oportet, quòd totos dies profecti sine requie sint; nec quòd itinera, tanquā ad lineam, recta vtique fuerunt: sed vt in aspera solitudine, diuersiones subinde fecerunt: quare ex qualitate itineris facilè occurrerunt loca pro mansionibus, distributis ad numerum dierum.

quòd nulla certa pars deserti Paran significetur, est: quia commune nomen deserti Paran absque alicuius partis nomine hîc scribitur.

Vers. 2. Ibique.] Non est in Hebræo, *ibi*: sed duntaxat:

Et locutus est Iehouah Mosi dicens:

Vers. 3. Mitte viros.] Iuxta Heb. habetur: *Mitte tibi viros, qui considerent terram Chenahan, quam daturus sum filiis Israël, singulos de singulis Tribubus ex Principibus.* Lege primum capitulum Deuter. & inuenies, quòd dicente Mose ad populum in Cades-Barneah, vt ascenderet, & possideret terram sibi promissam, rogarunt eum omnes, vt præmitterentur viri exploratores. Non ergo ex diuino processit consilio missio exploratorum, sed ex humano: fatetur enim Moses ibidem, placuisse sibi consilium hoc humanum: & propterea Deus dicit: *Mitte tibi viros.* & non dicit absoluè: Mitte viros. vt ex hoc diuino sermone insinuaretur, quòd huiusmodi missionem non præcipiebat, sed permittebat, præuidens malum ex illa euentum: & significans, quòd non mihi Deo, sed tibi homini congruit mittere huiusmodi viros. Et verè, *tibi*, non vt regeris à me, sed à te. Debebat Moses persistere in diuino mandato progrediendi, & non complecti consilium populi: vniuersum enim hoc significatur dicendo: *Mitte tibi viros.*

Vers. 4. Fecitque Moses, quod Dominus iusserat, de deserto Paran mittens Principes viros.] Hinc apparet, locum qui dicitur Cades-Barneah[b], esse in deserto Paran: quia de Cades-Barneah missos esse exploratores istos, clarè scribitur in Deuter. 1. & 9. cap.

[b] Zieglerius hunc locum, & alterum Deuter. 1. in quo habetur de Cades exploratores missos, sic conciliat, quòd scilicet fuerit legatorum profectio decreta ad castra in Chaseroth: dilata autem 7. diebus, in quibus ad Chasmona venerunt: & eo tandem loco missionem exploratorum adhuc populum efflagitasse: non enim illi Principes ad primū statim decretum in Chaseroth proficisci potuerunt; sed hos paucos dies expectarunt, vt colligerent domesticas res, quibus in profectione opus erat.

Quorum ista sunt nomina:

Vers. 5. De Tribu Reuben, Samuah, filium Zachur:

6. De Tribu Simhon, Saphat, filium Chori:

7. De Tribu Iehudæ, Chaleb, filium Iephunæ:

8. De Tribu Issachar, Igal, filium Ioseph:

9. De Tribu Ephraïm, Hoseah, filium Nun:

10. De Tribu Binjamin, Palti, filium Raphu:

11. De Tribu Zebulun, Gadiel, filium Sodi:

12. De Tribu Ioseph, sceptri Menasse.] Iuxta Hebræum habetur: *In Tribu Ioseph, in Tribu Menasse, Gaddi, filium suum.* Vna eadémque Tribus Menasse significatur duobus nominibus, dicendo: *In Tribu Ioseph.* appositiuè, *in Tribu Menasse*: alioquin sub Tribu Ioseph comprehenderetur quoque Tribus Ephraïm.

Vers. 13. De Tribu Dan, Hamiel, filium Gemalli:

14. De Tribu Aser, Sethur, filium Michaël:

15. De Tribu Naphthali, Nachbi, filium Vaphsi:

16. De Tribu Gad, Geuel, filium Machi.

17. Hæc sunt nomina virorum, quos misit Moses ad considerandum terram: vocauítque Moses Hoseah, filium Nun, Iehosuah.] Mutatio ista nominis, quando fuerit à Mose facta, incertum est: quoniam nominatus sæpè ante hanc legationem est Iehosuah: narratur autem hic, quia præpositus fuit à Mose reliquis Principibus: vtpote, qui fuerat dux in prælio contra Hamaleecitas: & quia tunc salutaris fuit Dux, ideò nomen, quod ei tunc fortè impositum fuit, commemoratur, vt salutaris proficiscatur aliis præfectus.

Vers. 18. Misitque eos Moses ad considerandum terram Chenahan: & dixit ad eos: Ascendite hinc ad meridianam plagam[c]. Cúmque veneritis ad montes,

[c] Ad meridianā plagā terræ, scilicet explorandæ: nam terra sancta ad Septētrionem castrorum sita erat.

19. Considerate terram, qualis sit: & populum, qui habitator est eius, vtrùm fortis sit, an infirmus; pauci numero, an plures:

20. Ipsa terra bona, an mala; vrbes quales, muratæ, an absque muris:

21. Humus pinguis, an sterilis; nemorosa, an absque arboribus. Confortamini, & afferte nobis de fructibus terræ: erat autem tempus, quando iam præcoquæ vuæ comedi possunt.] Æstiuum tempus intelligo, in regionibus præsertim illis: cùm etiam in Italia primæ vuæ mense Iulij abundanter comedantur benè maturæ: vnde & *vua Iulia* vulgò appellantur.

Vers. 22. Cúmque ascendissent, explorauerunt terram à deserto Zin[d] vsque ad Rechob, intrantibus Chamath.

[d] Zin, alio nomine *Cades*, terminus Chanaan ab australi ortu est, teste Vuolphāgo Geographo peritissimo, vbi & Maria, Mosi soror, mortua est. Verùm hæc Cades multùm distat ab illa, ex qua missi sunt exploratores, vt constat etiam tabellam terræ sanctæ ipsius Vuolphangi inspiciēti. Quare arbitrandū, exploratores rectà primò ad Hebrō ascēdisse, inde reuersos traiecisse Iordanem, atque per Idumæā, & Zin desertum ad castra rediisse. Cæterū Emath hic nominata fuit quondam Antiochia illa magna secūdùm Hieronymum, & terra Emath pars erat Antiochiæ Syriæ, ea, scilicet, quæ Ciliciā attingit. Tanaïs verò vrbs est Ægypti, Memphi vicina, & in fluminis ripa sita Hæc Titanis anteà dicebatur à Titanibus Noe filiis ædificata; sed truncata prima syllaba (quod in plurimis nominibus sæpè cōtigit) Tanaïs dicitur,

Vers. 23. Ascenderúntque ad Meridiem, & venerunt ad Chebron, ibi erant Achiman, Sesaï, & Thalmaï, filij Hanac, & Chebron septem annis condita est ante Tanim.] Iuxta Hebræum habetur: *Ante Sohan Ægypti.* Nescitur, quare nomen vrbis mutatum sit à septuaginta Interpretibus. Fortè Ægyptia lingua vocatur *Tanim.*

Vers. 24. Perrexerúntque vsque ad torrentem botri.] Iuxta Hebræum habetur: *Vallem botri* Et similiter corrige inferiùs.

Et absciderunt palmitem cum vua sua.] Iuxta Hebræum habetur: *Ramum, & botrum vnarum vnum.* Quod explicatur ad monstrandum magnitudinem vnius racemi integri.

Quem portauerunt in vecte duo viri. De malis granatis quoque, & de ficis loci illius tulerunt,

Vers. 25. Quia appellatus est, Nachal eschol, (id est, torrens botri,) eò quòd botrum inde portassent filij Israël.

Vers. 26. Reuersíque exploratores terræ post quadraginta dies omni regione circumita.] Iuxta Hebræum habetur: *Reuersique sunt ab explorando terram in fine quadraginta dierum.*

Vers. 27. Et venerunt ad Mosen, & Aharon, & omnem cœtum filiorum Israël in desertum Paran, quod est in Cades.] In Hebræo non adiungitur, quod Interpres exposuit, *quod est in Cades.* in idem tamen redit Hebraïca Litera:

At desertum Paran ad Cades.] In cap. enim 33. discutiendus est situs iste: ex hoc nanque loco missos istos fuisse, iam monstratum est: & hîc scribitur, quòd ibidem inuenerunt populum reuersi post quadraginta dies. Et hæc oportet annotare, supputantes moras mansionum populi in via hac.

Locutique

Locutique eis, & omni multitudini, ostenderunt fructus terræ:

Vers. 28. Et narrauerunt dicentes: Venimus in terram, ad quam misisti nos: quæ reuerà fluit lacte, & melle[e], (vt ex his fructibus cognosci potest:)

Vers. 29. Sed cultores fortissimos habet, & vrbes grandes, atque muratas: & etiam stirpem Hanac[f] vidimus ibi.] Giganteum semen significatur visum.

Vers. 30. Hamalec habitat in terra Meridiei: Hithęus & Iebusæus, & Emorręus habitant in montanis: Chenanæus verò moratur super mare, & super fluenta Iarden.

Vers. 31. Inter hæc Chaleb compescens murmur populi, qui oriebatur contra Mosen ait: Ascendamus, & possideamus terram.] Iuxta Hebræum habetur: *Ascendendo ascendemus, & hæreditabimus eam, quoniam poterimus obtinere eam.* Diuinis innititur Chaleb promissionibus terræ in hæreditatem: & propterea accendebat alios ad ascendendum in terram promissam, promittendo possessionem illius hæreditatis.

Vers. 32. Alij verò, qui fuerant cum eo, dicebant: Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere: quia fortior nobis est.

Vers. 33. Detraxeruntque terræ, quam inspexerant apud filios Israël, dicentes: Terra, quam lustrauimus, deuorat habitatores suos.] Non suffecit exploratoribus decem, exterrere populum, narrando gigantes visos, & vrbes munitas: sed adiecerunt mendacium, quòd paruo tempore viuerent homines illius terræ.

Populus, quem aspeximus proceræ staturæ est:

Vers. 34. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Hanac de genere gigantęo, quibus comparati quasi locustæ videbamur.] Interpres, ad exaggerandum, addidit duas dictiones, *monstra quædam.* Nam Hebraïcè nulla fit monstri mentio.

e Huius antiquitatē optimè nouerant Iudęi: nam ante exitum de Ægypto in eius agro habitabant, in quo magnalia viderunt, & mirabilia illa in campo Thanæos, Psal. 77. Nec putarē, frustrà harum ciuitatum collationē adduxisse Mosen; sed vt dignitatem Hebron cōmendaret, quasi à Noë reædificatā, antequā filij Thanaim ædificarent: ferunt enim nonnulli Noë Hebronitem extitisse. Nam priscus Ogyges à gentibus vocatus est, ab Ogygia patria, scilicet, quæ Hebron fuit, teste Iosepho. Sicut etiā sunt qui dicant, Hebrō ab Adā cœptam ædificari, vt refert Annius super Berosum.

f *Hanach* (vt Munsterus putat) vir fuit illis sæculis nominatissimus. Putarē ipse, nomen fuisse gentis giganteæ, sicut & genus Rapham, de quo sæpe est mētio in libris Reg. Sic Iosuæ 14. Arbab (à quo Hebron Charith-Arbab denominata est) maximus dicitur inter Hanachim, id est, illā gentem, cuius ingens erat corporis vastitas. & de posteritate (vt puto) Misraïm, erātque terræ oppressores, dominabāturque hoc tempore in Hebron: nam ante quadringentos annos, cū Abraham ibidē peregrinaretur, nullā legimus huius gentis memoriam. vnde cōstat, de nouo illos gigantes per Chanaan terram sparsos, tyrānidē exercētes, quod fortè diuina dispositione factum erat, vt intestinis prælijs eò tunc terra Chanaan infirmaretur, quominùs inualescerent Israelitis. Omnia siquidem tunc tyrannide repleta erant perpetuis stragibus, & mortibus. Nam & illud retulerūt exploratores, cùm dixerūt, terram illa deuorare habitatores suos. Cōplebātur siquidē iniquitates Amorrhæorū, terraque per illos gigantes omni malitia polluebatur: nam instabat tempus, quo ab illa gentes expellēdæ essent. Cùmque fama horum gigantū tam celebris esset in omni latrocinio, & violentia, puto Mosen describere volens corruptionem vitæ hominum ante diluuium, dixisse, illo tēpore fuisse gigantes, Genesis 6. tales, scilicet, quales & illis tēporibus Israëlitæ esse nouerant.

CAPVT XIV.

1. Igitur vociferans omnis turba, fleuit nocte illa:

Vers. 2. Et murmurauerunt contra Mosen, & Aharon cuncti filij Israël, dicentes eis:

3. Vtinam mortui essemus in Ægypto, & non in hac vasta solitudine vtinam pereamus.] Iuxta Hebræum habetur disiunctiuè: *Vel in deserto isto vtinam mortui essemus.* Vox est præferentium mortem, vel in Ægypto, vel in deserto occisioni ab hostibus.

Et non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vt quid Iehouah faciens venire nos ad terram istam ad cadendum gladio?* Vxores, ac liberi nostri ducentur captiui. Diuinum vertunt beneficium in suam cladem; & mulierum, ac filiorum captiuitatem.

Nónne melius est, vt reuertamur in Ægyptum?

Vers. 4. Dixeruntque alter ad alterum: Constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum.

Vers. 5. Quo audito Moses, & Aharon ceciderunt proni in terram coram omni multitudine Synagogæ filiorum Israël.] In Hebræo non habentur illæ duæ dictiones, *quo audito*; sed duntaxat, quòd Moses, & Aharon coram omni multitudine querula, ceciderunt in facies suas. Non prosternunt se populo tanquàm petentes veniam; sed cùm essent iuxta tabernaculum diuinum (quo conuenerant Moses, Aharon, & seniores ad audiendum relationem exploratorum) prostrauerunt se sub diuo, coram omni multitudine ad supplicandum Deo; ita quòd ceciderunt versis vultibus versùs Propitiatorium.

Vers. 6. At verò Iehosuah, filius Nun, & Chaleb, filius Iephunæ, (qui & ipsi lustrauerant terram,) sciderunt vestimenta sua:

7. Et ad omnem multitudinem filiorum Israël locuti sunt: Terra, quam circumiuimus, valdè, valdè bona est:

8. Si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte, & melle manantem.

9. Nolite rebelles esse contra Dominum, neque timeatis populum terræ huius: quia, sicut panem, ita possumus eos deuorare.] Tacentibus Mose, & Aharon respondent Iehosuah, & Chaleb, impatientes diuinæ blasphemiæ; testificando oppositum quoad terram (dicendo, esse *bonam valdè, valdè,*) & quòd vno duntaxat opus est; videlicet, vt non sint rebelles Deo: sic enim non timebunt: Hebraïcè enim scribitur: *Tantùm non sitis rebelles,* &c.

Recessit ab eis omne præsidium.] Iuxta Hebræum habetur: *Cessauit vmbraculum eorum ex supra eos.* Metaphoricus est sermo. Quemadmodum homines vmbraculo proteguntur ab æstu Solis, & vmbraculo cessante æstuant; ita nationes illæ narrantur destitutæ diuina protectione, eò quòd tempus aduenerat diuinæ vltionis.

Dominus nobiscum est: nolite metuere.] Iuxta Hebræum habetur: *Non timebitis eos.* Et similiter habetur superiùs: promittunt enim, defuturum timorem, si confident in Deo.

Vers. 10. Cúmque clamaret omnis multitudo, & lapidibus vellet eos opprimere, apparuit gloria[a] Domini in tentorio adunationis, cunctis filiis Israël videntibus.] Parui refert, quòd Hebraïcè scribitur, non *gloria*; sed *honor.* Sed hinc insinuatur, quòd volentibus illis lapidare Iehosuah, & Chaleb, confugerunt ad diuinum tabernaculum: & statim visa est gloriosa species ad protegendum eos, qui erant in tabernaculo: & propterea desiterunt à comminata lapidatione. Nam Hebraïcè non habetur, *velle lapidare*; sed *dicere lapidandos.*

Vers. 11. Et dixit Dominus ad Mosen: Vsquequò detrahet mihi populus iste?] Non facilè Hebraïca dictio secundùm propriam significationem redditur, quæ dispositionem hominis ex contemptu irritati significare

a Hic *gloria* pro *splendore, claritate,* seu *lumine* accipitur. phrasi Hebręa, vt 2. Corinth. 3. *gloriam vultus Mosi,* &c. Apparuit igitur Dominus in nube lucida, qualis illa fuit, quæ tres Apostolos obumbrauit in mōte Thabor, Matth. 17. Voluit siquidem maiestas, & honor Dei nostri in nube ferè semper apparere, tāquā re cælestibus viciniori, hincque desumptum est illud dictum Salomonis 3. Reg 8. & 2. Paralip. 6. *Dominus dixit, quod habitaret in nube.*

significare videtur: propter quod sat sit ab actiuo verbo significare, *irritabunt me.*

Quousque non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis?

Vers. 12. Feriam eum pestilentia, atque consumam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et expellam eum.* proculdubiò à terra viuentium.

Te autem faciam Principem super gentem magnam, & fortiorem, quàm hæc est.] Quamuis Hebraïcè habeatur: *Et faciam te in gentem magnam, & fortem plus ista.* Optimè tamen Interpres sensum exposuit: quandoquidem principatum maiorem Deus illi promittit ad Literam: vt comparatio generis ad gentem, tam secundùm multitudinem, quàm secundùm fortitudinem testatur.

Vers. 13. Et ait Moses ad Dominũ: Vt audiant Ægyptij, de quorum medio eduxisti populum istum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et audient Ægyptij, quòd ascendere fecisti in fortitudine tua populum istum de medio eorum.* Et immediatè subiungitur:

Vers. 14. Et dicent habitatori terræ huius: Audierunt, quòd tu Iehouah in medio populi istius; quòd oculo ad oculum visitans tu Iehouah; & nubes tua stans supra eos; & in columna nubis tu iens ante eos per diem, & in columna ignis per noctem.] Futuram collationem inter Ægyptios, & Chananæos, de actionibus Dei in populo Israël proponit. Est enim sensus, quòd Ægyptij Chananæis, & è conuerso, dicent hæc, eò quòd vtrique audierunt hæc. Est enim sermo mutilus: & subintelligitur relatiuum, *qui.* Et referuntur vtrique, Ægyptij, scilicet, & Chananæi; illi, à quibus exierat populus Israël; isti, ad quorum terram ibant: ambo enim audierunt hæc, quæ commemorantur diuina beneficia collata populo Israël. Quod autem dicitur, *oculo ad oculum visitans tu*; ad diuinam apparitionem sensibiliter sæpè visam refertur, & in monte Sinaï, & posteà; præter nubem iugem.

Vers. 15. Occides populum istum, sicut virum vnum: & dicent gentes, quę audierint.

Vers. 16. Quia non potuit Dominus introducere populum istum in terram, quam iurauit eis, occidit eos in solitudine.

Vers. 17. Magnificetur [b] ergo fortitudo Domini, sicut iurasti dicens.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nunc grandescat, obsecro, fortitudo, Domine mi, sicut locutus es dicendo.* Nulla fit hîc mentio iuramenti, quod in vulgata legitur editione: sed commemorat Moses verba ipsius Dei olim ad eum dicta in monte Sinaï, scripta in Exodi cap. 34. Et hic est Textus conuincens errorem Interpretum in eodem capitulo, attribuentium ibidem illa verba Mosi. Manifestè enim hic dicitur, quòd Deus dixit verba illa, quæ ibi scribuntur, & hîc commemorantur, & tanti fiunt à Mose, vt cùm olim ante illa diuina verba oraret pro venia populi, citaret merita Abrahæ, Ishac, & Iahacob, iuramentúmque Dei illis exhibitum: post illa autem diuina verba orauerit pro venia populi, citando ipsa diuina verba, tanquàm potiora ad impetrandum veniam; vtpote, quia illa soli veracitati diuinæ innitebantur; hæc autem diuina omnia attributa comprehendunt simul cum natura diuina, quantùm fas est homini nosse circa incarnationis, Trinitatísque mysterium, vt ibidem patet.

[b] Cũ benignitas Domini in populo suo non magnificabatur, impij sibi omnia arrogabant, & nomen Dei suos (vt videbatur) deserentis blasphemabant, dicentes identidẽ *Vbi est Deus eorum.* Pia igitur fuit hæc oratio Mosis, & verè euangelica. Nam illud primũ Christus orare docuit, vt *sanctificetur nomen Dei,* quod perinde est, quòd celebre, & augustum toti orbi reddatur, vt Genesis 2. dum dicitur, Deum sanctificasse diem septimum, intellige, celebrem, & sacrũ reddidisse.

Vers. 18. Dominus patiens, & multæ misericordiæ; auferens iniquitatem, & scelera; nullúmque innoxium relinquens: qui visitas peccata patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem [c].] Iuxta Hebræum habetur: *Iehouah longus furorum, & multus gratia, eleuans iniquitatem, & scelus: & mundando non mundabit, visitans iniquitatem patrum super filios super tertios, & super quartos.* Hæc diuina verba commemorat Moses, ad impetrandum veniam valdè idonea: vtpote commemorantia diuinam præcipuè gratiam versùs peccatores solitam: quorum expositionem diffusam vide in allegato capitulo Exodi.

[c] *Generatio*, etsi plura in Scripturis significet, capitur hic tamẽ pro spatio cẽtum annorum, quod sęculũ Romanis dicebatur. Sic accipitur Genesis 15. cum dixit Dominus Abrahæ. *Quarta generatione reuertentur filij tui huc*; id est, post quadringẽtos annos: licèt enim *generatio* pro *gente* accipiatur; includitur tamẽ nonnunquam ratio temporis vt intelligas gentem vno tempore, vel ætate existentẽ, videtur enim nunquam Dominum distulisse punitionẽ patrum in filios vltra quadringẽtos annos, vt patet de punitione Amorræorũ, & Amalechitarum, quarum quælibet quadringẽtesimo anno executioni data est.

Vers. 19. Dimitte, obsecro, peccatum populi tui huius, secundùm magnitudinem misericordię tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto, vsque ad locum istum.] Iuxta Hebræum habetur: *Condona, obsecro, iniquitatem populi istius secundùm magnitudinem gratiæ tuæ, & sicut eleuasti populo huic ab Ægypto, & vsque nunc.* Hoc est, & sicut eleuasti gratiam tuam huic populo à visitatione in Ægypto, & vsque nunc multiplicando mirabiles gratias.

Vers. 20. Dixitque Dominus: Dimisi iuxta verbũ tuũ. *V.* 21. Viuo ego.] Iuxta Hebræum habetur continuatio altera anceps ad, *& profectò viuens ego.* vel ad, *& sed viuens ego.* quadrat autem aduersatiua continuatio datæ veniæ. Nam sensus literalis est, quòd condonaui iniquitatem, iuxta verbum tuum; sed non penitùs impunes relinquam eos, qui peccauerunt. Et ad hoc, ad similitudinem iurantis dicit Deus: *Sed viuo ego.* vt intelligamus, non ad instar comminantis, sed firmiter diffinientis decerni ab ipso subiunctas pœnas.

Et implebitur gloria Domini vniuersa terra.] Parui refert, quòd gloria pro honore vtitur Interpres. Ratio redditur, quare non penitùs impunitum reliquit peccatum, vt impleatur terra honore Iehouah. Audiens siquidem mundus Deum sic misereri populi, vt tamen aliqualiter castiget etiam in hac vita peccantes, honorat Deum. Cuius honori valdè detrahitur ex eo, quòd putatur peccatores impunes agere, quicquidlibet.

Vers. 22. Attamen omnes homines, qui viderunt maiestatem meam, & signa, quæ feci in Ægypto, & in solitudine.] Interpres supradictam continuationem huc transtulit: cùm tamen Hebraïcè hîc legatur: *Quia omnes homines inspectores honoris mei, & signorum meorum, quæ feci in Ægypto, & in deserto.* Crebra ad iniquitatem reuersio post tot visa mirabilia, manifestatur causa punitionis ex parte eorum.

Et tentauerunt [d] me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ.] Quamuis finitus pro infinito numero intelligi possit per hunc perfectum numerum; potest tamen ad literam denarius tentationum numerus verè supputari. Primùm quidem offenderunt in Ægypto, Parhone aggrauante populum,

[d] *Tentare*, Latinis significat exasperare, & irritare, sicut & hoc loco, & in Actis Apostolorum: *Cur tentatis Dominum, vt imponatis iugum super ceruices discipulorum?* Cęterum denarius sicut septenarius, plenitudinis numerus est, perfectã tetradem cũ suis inclusis numeris cõtinẽs. Id sępe reperire licet in sacris. & solet Scriptura multitudinẽ sic annũciare, vt hoc loco, & Iob 19. *Hem cur decies me confunditis.*

post verba Mosis, Exodi 5. Secundò ante ingressum maris rubri, Exodi 13. Tertiò, ad aquas Marah, Exodi 15. Quartò, pro pane, & carnibus, Exodi 16. Quintò, egrediendo ad colligendum manna die septimo, eodem cap. Sextò, pro defectu aquæ in Rephidim, Exodi 17. Septimò, in idololatria vituli, Exodi 32. Octauò, in itinere ex monte ad sepulcra concupiscentiæ, Numer. 11. Nonò, in sepulcris concupiscentiæ, Num. eodem cap. Decimò, in reditu exploratorum hîc narrato.

Vers. 23. Non videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detrahunt mihi, intuebitur eam.

Vers. 24. Seruum meum Chaleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc, quam circumiuit; & semen eius possidebit eam.

Vers. 25. Et quoniam Hamalecites, & Chenaneus habitant in vallibus, cras mouete castra, & reuertimini in solitudinem per viam maris rubri.] Vide diuinam benignitatem. Quamuis iratus, attamen sollicitè curat, ne incidant in manus hostium. Disposuerat siquidem non adiuuare eos in prælio, quousque morerentur antedicti omnes: & sciebat, quòd propriis viribus non poterat populus vincere: & propterea prohibet progressum cœpti itineris ad promissam terram, & mandat, vt reuertantur versùs mare rubrum.

Vers. 26. Locutúsque est Dominus ad Mosen, & Aharon dicens:

27. Vsquequò multitudo hæc pessima murmurat contra me? querelas filiorum Israël audiui.

28. Dic ergo eis: Viuo ego [e], dicit Dominus, sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis.

[e] Hinc veteres iurarũt per Deum viuentem. Sic siquidem iurabatur in gloriam Dei, eò quòd Gentiles iurarent per Deos, qui certè non viuebant, simulacra, scilicet, muta, & surda.

29. In solitudine hac iacebunt cadauera vestra; & omnes, qui numerati estis, & suprà, & murmurastis contra me.] Explanantur, qui sunt morituri; ne adolescentuli, & pueri, qui viderant etiam mirabilia Dei, intelligerentur puniendi.

Vers. 30. Non intrabitis terram, super quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem in ea, præter Chaleb, filium Iephunæ, & Iehosuah, filium Nun.] Antiquorum mos iurandi significatur eleuando manum: more siquidem humano Deus loquitur dicendo, se iurasse.

Vers. 31. Paruulos [f] autem vestros, de quibus dixistis, quòd prædæ hostibus forent, introducam, vt videant terram, quę vobis displicuit:

[f] Ex hoc inferunt nõnulli, omnes Israelitas in deserto natos ingressos fuisse in terrã promissam, ita vt nullus illis quadraginta annis mortuus sit, etiãsi varia bella, & plagas sint experti. Cæterũ, solitudo ista, in qua Dominus rebelles morituros prædixerat, Arabia petrea est, regio parum laudata à veteribus ob calorẽ & sterilitatem; Scenitis à Plinio dicta, à tabernaculo, quod illius populus subinde transpositis sedibus, vbi libuit, tabernaculis metantur. Mos enim erat illi gẽti mutare sedes, & sub tuguriis victitare, prout pecus, & pascua inuitarint. Hunc viuẽdi ritum rebelli populo videtur Dominus imposuisse, vt id genus mansionum, in quibus gens, quæ eã regionem populatur, victitabat, filij Israel totis quadraginta annis per desertum vagarentur. Nec puto illas mãsiones in Scriptura expressas, tanquàm viatores peregissent; sed tanquàm iam illius terræ coloni, quousque generatio praua deficeret. Vnde Deuter. 1. dicitur: *Satis circuistis*, &c. Non igitur viam faciebant ad terrã promissam, sed ex Domini maledictione pro terræ conditione vagabantur, prout vivẽdi commoditas suadebat: hincque puto, nullam certã esse describendi rationem mansionum à Cades-Barneah vsque ad torrentem Zareth.

Vers. 32 Et cadauera vestra iacebunt in hac solitudine.

Vers. 33. Filij quoque vestri erunt vagi in deserto quadraginta annis.] Numerum istum intellige supputando ab exitu ex Ægypto.

Et portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadauera patrum in deserto.] Ecce reuelatæ diuinæ iustitiæ executio, visitando iniquitatem patrum in filiis.

Vers. 34. Iuxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram, annum pro die imputando recipietis iniquitates vestras quadraginta annis, & scietis vltionem meam.

Vers. 35. Quoniam, sicut locutus sum, ita faciam omni multitudini huic pessimę, quæ consurrexit aduersùm me, in solitudine hac deficiet, & morietur.] Parui refert, quòd alia phrasi Hebraïcè habetur: *Ego Iehouah locutus sum si non hoc faciam in omni Synagoga mala ista, qui conuenerunt contra me: in deserto isto consumentur, & ibi morientur.* Confirmatio est diffinitiuæ sententiæ, epilogans authoritatem Iudicis, malitiam populi, speciem sceleris, & locum, ac speciem pœnæ.

Vers. 36. Viri igitur, quos miserat Moses ad contemplandum terram, reuersi murmurare fecerunt contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ, quòd esset mala.] Copulatiuè continuatur Hebraïcus Textus. Noua pœna narratur illata exploratoribus decem, qui populum induxerant ad rebellionem: & tangitur in specie peccatum detractionis, quo infamem reddiderunt terram, tanquàm voratricem habitatorum: quod falsum erat, & directè diuinæ aduersabatur promissioni terræ optimæ: hoc enim manifestat, quòd iniqua voluntate terruerunt populum. Vnde & Hebraïcè hoc crimen repetitur subiungendo.

Vers. 37. Et mortui sunt homines facientes exire nomen terræ malum, in mortalitate coram Iehouah.] Quam clausulam omisit Interpres antiquus, dicens duntaxàt: *Mortui sunt, atque percussi in conspectu Domini.* Non scribitur aliter species mortis huius. Et si à simili arguere licet, diuino igne coram tabernaculo Domini combusti sunt, vt sensibili signo euidenter appareret diuinum iudicium. Hebraica autem dictio repentinam duntaxat sonat mortem in vsu sermonis.

Vers. 38. Iehosuah autem filius Nun, & Chaleb, filius Iephunæ, vixerunt ex omnibus, qui perrexerant ad considerandum terram.

Vers. 39. Locutúsque est Moses vniuersa verba hęc ad omnes filios Israël, & luxit populus nimis.] Parui refert, quòd legendum est, non, *nimis*; sed, *valdè*. Mutatio ista populi visa morte exploratorum, qui terruerant eos, & visa specie honoris diuini ad protectionem Iehosuah, & Caleb fuit. Ex istis enim visis crediderunt auditis de mora quadraginta annorum in deserto, & sua ibidẽ morte: & propterea contristati sunt valdè.

Vers. 40. Et ecce mane primo surgentes, ascenderunt verticem montis, atque dixerunt: Parati sumus ascendere ad locum, de quo Dominus locutus est: quia peccauimus.] Credidit populus diuinam sententiam, comminationis esse, non diffinitionis; & propterea putauerunt pœnitendo posse progredi.

Vers. 41. Quibus dixit Moses: Cur transgredimini verbum Domini, quod vobis non cedet in prosperum?

Vers. 42. Nolite ascendere; quia non est Dominus vobiscum; & non corruetis coram inimicis vestris.

Vers. 43.

Vers. 43. Quoniam Hamalecites, & Chenaneus ante vos sunt, quorũ gladio corruetis, eò quòd nolueritis acquiescere Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia idcircò reuersi estis post Iehouah, & nõ erit Iehouah vobiscũ.* Declarat illis Moses, quòd ista reuersio ad parendum Deo, non est (vt ipsi putant) in eorum bonum; sed idcircò, vt cædantur gladio hostium. Quod & rei probauit euentus.

Vers. 44. At illi contenebrati ascenderunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Et innaluerunt ad ascendendum in verticem montis.* Impetuosè seipsos confortantes inuicem, progressi sunt. Vbi rem gestam sic scribi intellige, quòd primò scribitur ascensus in montem, qui tamen fuit post verba Mosis nitentis retrahere eos. Et scribendo ascensum, primò scribitur terminus: deinde eundi modus, qui præcesserat. Simile quid sæpè fit in Scriptura sacra.

Arca autem testamenti Domini, & Moses non recesserunt de castris.

Vers. 45. Descenditque Hamalecites, & Chenaneus, qui habitabant in montibus.] Non aduersatur hoc supradictis ab exploratoribus, quòd Chananeus iuxta mare esset; & à Deo, quòd Hamalecites, & Chananeus in valle habitarent: quoniam vtrunque verificatur; sed secundùm diuersas occasiones diuersa nominantur loca, per quæ istæ nationes extensæ erant.

Et percutientes eos, atque concidentes, persecuti sunt eos vsque Chormas[g].]

[g] *Chorma*, locus erat inter Chasmona, & Cades-Barneah. Vide Zieglerium.

CAPVT XV.

VERS. I. ET locutus est Dominus ad Mosen dicens.] Reuelatio ista non est intelligenda facta in Cades-Barneah; sed simul cum aliis reuelationibus sacrificiorum scriptis in Leuitico, factis in tabernaculo Dei in deserto Sinaï, vt scribitur in principio Leuitici. Nam in hoc capitulo supplentur ea, quæ ibi minùs dicta sunt, tum circa ritum sacrificiorum, tum circa officia pro peccatis.

Vers. 2. Loquere ad filios Israël, & dices ad eos: Cùm ingressi fueritis terram habitationis vestræ, quam ego dabo vobis,

Vers. 3. Et feceritis oblationem Domino in holocaustum.] Iuxta Hebræum dictio interpretata, *oblationem*, sonat, *incensum*. Non enim significatur qualiscunque oblatio; sed ignita, seu in igne.

Aut victimam pacificam, vota soluentes, vel sponte offerentes munera.] Non est in Hebræo, *pacificam*; sed absolutè, *sacrificium*. Et similiter non subiungitur in Hebræo, *munera*; sed absolutè, *voto*, vel *sponte*. Et qui subditur sæpè *odor suauitatis*, intelligendus semper est, *odor quietis*, ne oporteat idem sæpius repetere.

Aut in solennitatibus vestris adolentes odorem suauitatis Domino de bobus, siue de ouibus.] Legendum est: *Vel de pecudibus*: Quia est nomen commune ouibus, & capris.

Vers. 4. Offeret, quicunque offeret, oblationem [a] suam Domino sacrificiũ.] Iuxta Hebræum habetur: *Munus simila decimam partem epha, conspersam oleo, quod mensuram habebit quartam partem hin.* Hîc incipit præceptum: muneris enim quantitas non explicata superiùs, in hoc decernitur capitulo. Et appellatur *munus*, simila, hoc est, flos farinæ, & decernitur, vt si sacrificatur agnus, seu hœdus, vna decima similæ cum quarta olei, necnon quarta vini; si verò aries, duæ decimæ cum tertia olei, tertiáque vini; si autem vitulus, seu bos, tres decimæ cum dimidio olei, & dimidio vini, offerantur. Et farinæ quidem decima refertur ad mensuram ephæ; vini autem, & olei quarta, tertia, vel dimidia pars refertur ad mensuram hin.

[a] *Oblationem* vocat Scriptura, quæ ex simila fiebat: *Sacrificiũ*, quod ex animalibus: & *libamen*, quod ex vino.

Vers. 5. Et vinum ad liba fundenda eiusdem mensuræ dabit super holocaustum, vel victimam.] Iuxta Hebræum, tam hîc, quàm vbique, in similibus vocatis ab Interprete libaminibus, nulla est bibendi mentio; sed colandi: significatur enim vinum colandum. Et ne hoc appareat alicui alienum à sacrificiis, legatur capitulum trigesimumquintum Genesis: & cùm inuenerit, quòd Iahacob super titulum erectum colauit vinum, & colauit oleum, sentient fortè, quòd Israëlitæ imitantes Patriarcham Iahacob in sacrificiis suis, vtebantur colatione, tam vini, quàm olei.

Vers. 6. Per agnos singulos.] Præoccupauit Interpres, quod posteà subiungitur: Hebraïcè enim habetur: *Agno vni.* Et similiter subditur disiunctiuè:

Vel arieti facies munus similæ duarum decimarum, quę conspersa sit oleo tertiæ partis hin:

Vers. 7. Et vinum ad libamentum tertiæ partis eiusdem mensuræ offeres in odorem suauitatis Domino.

8. Quando verò de filio bouis facies holocaustum, aut victimam, vt impleas votum, vel pacificas victimas,

9. Dabis super filium bouis munus similæ trium decimarum, conspersæ oleo, quod habeat medium mensurę hin:

10. Et vinum ad liba fundenda eiusdem mensuræ in oblationem suauissimi odoris Domino.

11. Sic facietis.

12. Per singulos boues, & arietes, & agnos, & hœdos.] Summauit Interpres longum sermonem Hebraïcum, explicantem, quòd sic fiat singulis; & quòd agno, siue sit ex ouibus, siue sit ex capris; & quòd iuxta numerum animalium, quæ sacrificantur erit numerus muneris.

Vers. 13. Indigenæ, & [b] peregrini,

Vers. 14. Eodem ritu offerent sacrificia:

Vers. 15. Vnum præceptum erit, atque iudicium vobis, & aduenis terræ.] Multa summauit Interpres extẽsa in Hebraïco Textu, quæ, quia in idem redeunt, omitto. Vnũ tamen prætereundum non est; videlicet: *Sic faciet aduenatio.* Decernitur enim, quòd leges istæ de quãtitate muneris exhibendi cuilibet sacrificio secundùm singula animalia, non solùm seruandæ sunt à singularibus personis; sed etiam à cœtu filiorum Israël, quando vniuersitas populi offert sacrificium. Et bis dicitur, leges has seruandas esse perpetuis generationibus.

[b] Vocẽs Hebræi vno modo peregrinũ, qui est ex obscura progenie, & nõ constat, ex qua familia prodierit, vt Exodi 12. & è contra indigena est, qui clarus est ex sua prosapia, cuius antecessores vrbem aliquam longo tempore coluerunt. Alio modo accipitur peregrinus, seu aduena, pro eo, qui ex paganismo ad Iudaismum conuersus est, quomodo & hoc loco accipitur. Aliquando etiam pro alieno, & hoste: nam Hebræi alienigenam hostis nomine æquè ac Latini veteres cõprehẽdunt. Ierem. 14.

Verſ. 16. Locutúſque eſt Dominus ad Moſen, dicens:

17. Loquere filiis Iſraël, & dices ad eos:

18. Cùm veneritis in terram, quam dabo vobis,

Verſ. 19. Et comederitis de panibus regionis illius, ſeparabitis primitias Domino.

20. De cibis veſtris.] Iuxta Hebræum habetur: *Facietis eleuare eleuationem* יהוה, *principium paſtarum veſtrarum.* Nouum eſt hoc præceptum, vt principium paſtæ offeratur Deo. Et ſtatim ſubditur: *Placentam facietis eleuare eleuationem.* Dictio tamen interpretata, *placentam*, non propriè ſignificat, *placentam*; ſed aliquid eiuſmodi: parua enim quantitas ex paſta primùm offerenda Deo decernitur. Et ſtatim ſubiungitur:

Verſ. 21. Sicut eleuationem de area ſic facietis eleuare eam.] In quibus verbis aliud præceptum (videlicet, de decima ex area ſeparanda Deo) ſignificatur: ita quòd præter primitias ſpicarum in Paſchate, & primitias panis in Pentecoſte, & decimam frumenti ex area, debebant principium paſtæ offerre Deo. Et immediatè ſubiungitur: *Ex principio paſtarum veſtrarum dabitis Iehouah eleuationem per generationes veſtras.* Non ſufficit Deo, vt offeratur ſibi aliquid ex paſta; ſed vult primum ex paſta offerri ſibi: & hoc perpetuis temporibus. Et in hodiernum vſque diem Hebræi dicunt ſe ſeruare præceptum hoc: quoniam qualibet perfecta paſta primum ex ea ſeparant fruſtum quoddam pro Sacerdote, quod communiter coctum dant Sacerdoti: vel in ignem proiiciunt, ſi Sacerdoti dari nequit, vt portio Dei aliò non diuertatur.

Verſ. 22. Quòd ſi per ignorantiam prætericritis quicquam horum, quæ locutus eſt Dominus ad Moſen,

23. Et mandauit per eum ad vos à die, qua cœpit iubere, & vltrà:

24. Oblitáque facere fuerit multitudo, vitulum offeret de armento in holocauſtum in odorem ſuauiſſimum Domino, & munus eius, ac liba, vt cęremoniæ poſtulant, hircúmque pro peccato,

25. Et rogabit Sacerdos pro omni multitudine filiorum Iſraël, & dimittetur eis: quoniam non ſponte peccauerunt, & obtulerunt oblationem incenſi Domino, & ſuum chatah coram Domino pro errore ſuo.

26. Et dimittetur vniuerſæ multitudini filiorum Iſraël, & aduenis, qui peregrinantur inter vos: quoniam culpa eſt omnis populi per ignorantiam.] Quæſtio ſtatim occurrit circa relationem iſtarum legum de ſacrificiis peccantium per ignorantiam ad leges promulgatas in 4. cap. Leuit. de ſacrificiis peccantium per ignorantiam. Et eſt ratio dubij: quia ibi pro peccato multitudinis per ignorantiam præcipitur ſacrificari taurum; hîc verò hircum pro peccato: & hîc adiungitur taurus in holocauſtum. Solutio eſt, quòd ibi eſt ſermo de peccato contra præcepta diuina ſpectantia ad diuinum ius: hîc autem eſt ſermo de peccato contra præcepta diuina ſpectantia ad ius poſitiuum. Cuius differentiæ ſignum eſt, quòd hîc expreſsè dicitur: *Et quando errabitis, & non facietis omnia præcepta iſta, quæ locutus eſt Iehouah Moſi, omne, quod præcepit Iehouah vobis in manu Moſis, à die, quo præcepit vobis, & inde in generationibus veſtris.* In Leuitico verò nulla fit mentio præceptorum Dei per Moſen; ſed præceptorum Dei duntaxat: hinc enim inſinuatur, quòd ibi de peccatis cōtra ea, quæ abſolutè ſunt diuini iuris, (hoc eſt, circa ea, quæ non ideò mala, quia prohibita; non ideò bona, quia præcepta: ſed, quia bona, ideò præcepta: & quia mala ideò prohibita,) eſt ſermo: hîc verò de peccatis contra ius poſitiuum; diuina tamen authoritate ſancitum, (hoc eſt, circa ea, quæ ideò bona, quia præcepta; & ideò mala, quia prohibita,) ſermo eſt. Vnde ibi decernitur, quòd taurus pro peccato populi comburatur extra caſtra: hîc autem hircus pro peccato abſque combuſtione offerendus dicitur: & rurſus ibi Pontifex debet pro peccato populi ſacrificare: hîc verò ſimplex Sacerdos. Hæc enim inſinuant de grauioris peccati expiatione legem ibi dari.

Verſ. 27. Quòd ſi anima vna per ignōrantiam peccauerit, offeret capram anniculam pro peccato ſuo.] In Leuitico vnica, quæ errando peccauit, anima capram quidem offert; ſed non paruulam eiuſdem anni. Rurſus ibi capram fœminam ſtatuit lex; hîc verò capram filiam anni ſui.

Verſ. 28. Et deprecabitur pro ea Sacerdos, quæ inſcia peccauit coram Domino: impetrabítque ei veniam,[c] & dimittetur illi:

Verſ. 29. Indigenis, & aduenis vna lex erit peccantibus per ignorantiam.

Verſ. 30. Anima verò, quæ per ſuperbiam aliquid commiſerit, ſiue ciuis ſit ille, ſiue peregrinus.] Intellige non de interna ſuperbia (cuius ſolus Deus eſt Iudex,) ſed actionis exterioris: nam Hebraïcè clarè dicitur: *Et anima, quæ faciet in manu celſa.* hoc eſt, quæ contra legem faciet, non ignorando, aut timendo; ſed ſic, quòd ex modo faciendi, ſeu verbis apparet, quòd renuit ſubiici legis ſtatutis, ſed tanquàm excelſam habeat manum operatur, tanquàm operatio eius ſit tam excelſa, quòd non ſubiiciatur ſtatutis legis.

Quoniam aduerſùs Dominum rebellis fuit.] Iuxta Hebręum habetur: *Iehouah ipſe vituperans.* Ratio criminis redditur ex vituperio illato Deo, qui legis etiam poſitiua ſtatuta ſanciuit: contra legiſlatorem ſiquidem directè conſurgit, qui ſe tanquam celſum à lege eximit.

Peribit de populo ſuo.] Iudicio publico occidetur.

Verſ. 31. Verbum enim Domini contempſit, & pręceptum illius fecit irritum: idcircò delebitur, & portabit iniquitatem ſuam.] Exponitur priùs dictum vituperium illatum Deo, quòd ratione contemptus legis datæ à Deo redundat iniuria in Deum, & ideò meretur occidi.

Verſ. 32. Factum eſt autem, cùm eſſent filij Iſraël in ſolitudine, & inueniſſent hominem colligentem [d] ligna in die Sabbathi,

Verſ. 33. Obtulerunt eū Moſi, & Aharō, &

[c] Vide, ad quid alluſit Paulus *Hebr.* 11. aſſerens, *voluntariè*, & vltrò peccātibus nullam relictam eſſe hoſtiam pro peccato. Confer locum illum cum iſto, & cōprehendes mentem Pauli facillimè.

[d] Verbum Hebræum eſt *conquirere*, quod ſignificat anxiè perquirere, & ſtudioſè colligere.

& vniuersæ multitudini.] Dictio interpretata, *collectorem*, significat Hebraïcè, *collectorem minutulorum:* ita quòd colligebat iste minutula ligna.

Vers. 34. Qui reclUserunt eum in carcere, nescientes, quid de eo facere deberent.] Quæstio oritur, quomodo verificatur, non fuisse declaratum, quid faciendum huic, vt Hebraïcè habetur: cùm Exodi 31. decreta iam fuerit pœna mortis violanti Sabbathum. Solutio est, vel quòd hic casus euenit ante promulgatam legem illam de pœna mortis infligenda violanti Sabbathum: nam in Litera hac non scribitur, in quo deserto hic casus acciderit: imò ex industria dici videtur: *Et fuerunt filij Israël in deserto, & inuenerunt hominem collectorem lignorum in die Sabbathi.* ad significandum fortè, quòd hoc non fuit in Cades-Barneah. Et confirmatur: quia inseritur iste casus narrationi priorum reuelationum: hinc enim insinuatur, quòd casus iste priùs acciderat; putà, in deserto Sinaï. Vel ideò declarationem non fuisse factam scribitur; quia peccatum videbatur esse paruum, (vtpote collectio minutulorum lignorum,) & durum videbatur, quòd lex de pœna mortis intelligenda esset pro tam paruo delicto pauperis indigentis minutulis lignis.

Vers. 35. Dixitque Dominus ad Mosen: Morte moriatur homo iste: obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.] Hinc apparet, quòd de ipsa pœna mortis dubitabatur: & Deus declarauit, & pœnam mortis, & speciem mortis, subiungendo *lapidationem:* & locum, *extra castra:* & lapidatores, *omnem populum.*

Vers. 36. Cúmque eduxissent eum foras, obruerunt eum lapidibus: & mortuus est: sicut præceperat Dominus.] Considera, prudens lector, in primos transgressores semper auersione magna Deum vsum fuisse, vt patet discurrenti inchoando à primo peccato gulæ in primis parentibus, in primo peccato homicidij in Caïn, in primo peccato luxuriæ in diluuio, in prima sodomia in Sodomis, in peccato blasphemiæ in filio Israëlitidis, in primo peccato idololatriæ in populo Israël, in primo peccato sacrilegij in filiis Aharon, & hìc in prima violatione Sabbathi; & post hæc, in prima violatione anathematis apud Iehosuah in Hachan; & in prima inobedientia inter Reges in Saülis deiectione; & in nouo Testamento, in primo mendacio in Anania, & Sapphira.

Vers. 37. Dixit quoque Dominus ad Mosen: *Vers.* 38. Loquere filiis Israël: & dices ad eos, vt faciant sibi fimbrias [e] per quatuor angulos palliorum.] Non est in Hebræo, *quatuor.*

[e] Hæ sunt fimbriæ, de quibus meminit Christus Matth. 23. his enim fimbriis Pharisæi postmodum abusi sunt, legísque studium in illis populo mentiebantur, cùm tamen in corde nullius rei minorem rationem haberent. Narrátque Hieronymus, in illis fimbriis aliquando eos acutissimas spinas ligasse, vt, videlicet, & ambulantes, & sedētes interdum pungerentur, & quasi hac admonitione attraherentur ad officia Domini.

Ponentes in eis vittas hyacinthinas.] Iuxta Hebræum habetur, *filum tortum hyacinthi.* Et est sermo de filo non lini, sed lanæ: materia siquidem fimbriæ decernitur filum lanæ tortum. Et Hebræi ex octo filis aiunt se conficere fimbriam hanc, dicentes, multos vsque in hodiernum diem seruare hanc legem, induentes super camisiam, vestem quandam similem nuncupatæ patientiæ Religiosorum: ita quòd in quatuor angulis inferioribus (duobus anterioris partis, & duobus posterioris partis) apponunt huiusmodi fimbriam. Sed reuerà non satisfaciunt legi, vt subiuncta testantur. Et scito, quòd dictio interpretata, *hyacinthi*, non significat colorem aëreum (hoc est, cæli sereni) sed, vt Hebræi dicunt, colorem quasi paleæ.

Vers. 39. Quas quum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, & faciant ea.] Hinc apparet, quòd in angulis externæ vestis huiusmodi fimbriæ apponendæ erant: quoniam frequenti visu excitatiuæ erant ad recordationem omnium mandatorum Dei.

Nec sequantur cogitationes suas, & oculos per res varias fornicantes.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non explorabitis post cor vestrum, & post oculos vestros, quibus vos fornicantes post ipsos.* Vtilitas recordationis mandatorum Dei manifestatur ad retrahendum eos ab exquisitione eorum, ad quæ incitabantur, tum à corde, tum ab oculis; hoc est, à concupiscentiis, tum internis, tum externis ducentibus ad fornicandum: per quod præcipuè significatur idololatria, ad quam proni erant & ex corde, & ex visis idolis, & Diis gentium.

Vers. 40. Sed recordabimini, & facietis omnia mandata mea, & eritis sancti Deo vestro.] Iuxta Hebræum habetur: *Elohe vestro.* Et hæc omnia, quæ ad tertiam personam transtulerat Interpres, in Hebræo habentur in secunda persona. Et meritò dicitur: *Et eritis sancti Elohe vestro.* vt reuocet eis ad memoriam munditiam, quam debent summo Iudici. Vnde & statim subiungitur tanti Iudicis supremi natura, atque authoritas, dicendo:

Vers. 41. Ego יהוה Elohe vester.] Et statim adiungitur commemoratio beneficij.

Qui eduxi vos de terra Ægypti.] Non tam ad commemorandum beneficium, quàm ad commemorandum finem beneficij; videlicet: *Vt essem vobis in Elohim: ego* יהוה *Elohe vester.* Huc tendunt omnia, vt ipse habeatur eorum gubernator: & ad hoc repetit supremam suam naturam, atque authoritatem.

CAPVT XVI.

ECce autem [a].] Iuxta Hebræum habetur: Et tulit Corach, filius Ishar, filij Cehath, filij Leui, & Dathan, & Abiram, filios Eliab, & On, filium Peleth, filios Ruben:

VERS. 1.

[a] Zieglerius, & Vuolphangus, probati Geographi, tenent, hanc rebellionem in Cochelath mansione decimanona ex 42. cōtigisse, quod dicūt nomen mãsionis indicare, dicta à congregatione, quam *Chellah* vocant. Nam ibi Dathan, & Abirō cum 250 coniuratis suis congregati viderat Verùm, quoto anno ab egressu de Ægypto coniuratio hæc cōtigerit, nullus eorum meminit, fortè in sequentibus explicabitur.

Vers. 2. Et surrexerunt contra Mosen.] Ideò hanc literam, vt iacet, integram attuli, vt perpendatur non esse defectiuam literam, nec egere suppletione: quia planus literæ sensus, & ordo est: Et Corach tulit, & Dathan, & Abirā, & On, (hoc est, & Corach tulit, tum Dathan, tū Abiram, tum On,) filios Reuben; hoc est, de Tribu Reuben. Significatur enim, quòd Core, (qui Hebraïcè vocatur Corach,) fuit origo subiunctæ rebellionis, quòd ipse mouit, & accepit eos secum, & non è conuerso.

Aliísque filiorum Israël ducenti, & quinquaginta viri, Proceres Synagogæ; & qui tempore concilij per nomina vocabantur.] Iuxta Hebræum plùs habetur: *Vocati praeparationis, viri nominis.* Describuntur isti complices non solùm à principatu,

principatu, quòd erant Principes populi; sed etiam ex eo, quòd erant Patres conscripti: hoc enim ad literam significatur dicendo, *vocati præparationis*: hoc est, non ab aliquo euentu, non ex gratia; sed ex præparatione vocabantur ad concilium: erant enim deputati seu electi ordinarij Consiliarij. Commendantur quoque tertiò à fama, dicendo, quòd erant *viri nominis*, procuidubiò in populo. Et hæc omnia scribuntur, vt magnitudo conspirationis contra Mosen, & Aharon, ex qualitate conspirantium perpendatur. Incitauit Corach Magnates Tribus Reuben, primogeniti Iahacob, patris totius populi, tanquàm eos, quibus debebatur principatus, quo fungebatur Moses: ipse autem Corach ad summum aspirabat sacerdotium cum fauore illorum contra Aharon: cùm tamen, si ad primogenitum Leui spectaretur, non ipsi, sed Gersonitis deberetur pontificatus: quia Gerson fuit primogenitus Leui. Sed superbia nescit rationem.

Vers. 3. Cumque stetissent aduersùs Mosen, & Aharon, dixerunt: Sufficiat vobis.] Iuxta Hebræum habetur: *Multum vobis*. Proponunt in his verbis vniuersam iniuriam, asserendo, *multùm* (hoc est, plus quàm par est) arrogastis vobis. Et explanando huiusmodi excessum, subiungunt rationem:

Quia omnis multitudo Sanctorum [b] est.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia tota Synagoga omnes ipsi Sancti*. supple, sunt. Ecce ratio arrogantiæ: quia omnes pares sunt relatiuè ad Deum: quia omnes sunt dicati Deo.

b [illegible] dicuntur [illegible], [illegible] hoc est credentes, & [illegible] fideles [illegible] ... Et Paul. [illegible] &c. Et Paul. I [illegible] iubet orare [illegible]. Et Philip. [illegible]

Et in ipsis est Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et inter eos* יהוה. Non solùm sumus omnes pares ex parte nostri; sed etiam ex parte Dei: quia inter omnes est Deus, tanquàm communis omnibus. Et hoc dicebant: quia tabernaculum diuinum cum nube desuper, medium residebat commune omnibus: tanquàm repræsentans Deum communem omnibus.

Cur eleuamini super populum Domini?] Iuxta Hebræum habetur, *Et quare eleuatis vos super congregationem Iehouah?* Ecce conclusio arrogati principatus super pares. Et ad exaggerationem iniuriæ torquetur iniuria in Deum, dicendo: *Super congregationem Iehouah eleuatis vos*. Religionis speciem præ se fert hæc obiectio: & insinuat, quòd sub zeli religiosi specie conspiratio hæc facta est.

Vers. 4. Quod cùm audisset Moses, cecidit pronus in faciem.] Deficit, *suam*. Nulla legitur responsio à Mose, & Aharon, data huic adunationi Corach, Dathan, Abiram, & On, cum ducentis quinquaginta Primatibus: sed duntaxat, quòd Moses, his auditis, ad solitum orationis præsidium prostratus confugit. Et quantùm contextus subiunctorum insinuat, recesserunt inde absque responsione Dathan, & Abiram, cum aliquanta multitudine: Corach autem mansit ibi ante tabernaculum Domini, cum Aharon, donec Moses oratione completa surrexit.

Vers. 5. Locutúsque est ad Core, & ad omnem multitudinem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et locutus est ad Corach, & ad totam Synagogam eius, dicens*. Quia inferiùs subiungitur, quod Moses misit pro Dathan, & Abiram; ideò nomine totius Synagogæ Corach significatur, non tota congregatio, quæ conuenerat aduersùs Mosen, & Aharon: sed propria congregatio Corach, quæ aspirabat ad sacerdotium, quæ remanserat cum Corach. Cuius signum est, quòd de solo sacerdotio Moses loquitur ad Corach, & congregationem eius.

Mane notum faciet Dominus.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur, *mane*, absolutè. Et deinde subiungitur: *Et notificabit Iehouah*. Tanquàm apertiùs dixisset: Expectemus mane hora sacrificij: non protrahatur quæstio in longum, sed mane diffiniatur. Et diffinitorem explicat summum Deum. Sed iuxta Hebræum in singulari numero subiungitur: *Quem sibi, & sanctum, & faciet appropinquare sibi: & quem eliget in ipso, faciet appropinquare sibi*. Et est sensus: Et Deus notificabit, quis sibi placet, & quis sanctus est ad sacerdotium, & faciet illum appropinquare sibi in Sacerdotem: ita quòd absque exceptione aliqua, quem elegerit, faciet sibi appropinquare ad sacrificandum. Proposuit itaque Moses Corach, & congregationi eius absque tumultu, diffinitionem quæstionis ex electione diuina, expectandam crastino mane. Nec solùm tempus, & Iudicem proposuit; sed etiam modum exquirendi diuinæ electionis iudicium, subiungens:

Vers. 6. Hoc facite: Accipite vobis acerras Corah, & tota congregatio eius, *Vers.* 7. & ponite in eis ignem, & ponite in eis incensum coram Iehouah cras.] Ex hoc, quòd quilibet istius congregationis accepturus erat acerram suam, apparet, quòd omnes isti aspirabant ad sacerdotium. Et quia non discernitur alienus ignis, nec aliud incendendum, subintelligendum videtur, vt apponerent de igne Domini; hoc est, altaris. Viderant enim omnes, punitos filios Aharon: quia vsi fuerant alio igne coram Deo. Et similiter intelligendum est incendendum fore id, quod solitum erat incendi Deo; putà, thus vel thymiama.

Et quencunque elegerit.] Non explanatur modus, seu signum diuinæ electionis: sed Moses reseruauit explicandum die sequenti, paratis iam omnibus.

Ipse erit sanctus.] Hoc est, mundus, & addictus Deo ad sacrificia offerenda.

Multùm erigimini, filij Leui.] Iuxta Hebræum habetur: *Multum vobis, filij Leui*. Eadem verba, quæ obiecerant Mosi, & Aharon, (dicendo illis, *multùm vobis*,) retorquet Moses in Corah, & suos. Et est sensus idem; videlicet, plusquàm par est arrogatis vobis. Et dicendo, *filij Leui*, manifestat, quòd ex Tribu Leui constabat hæc propria congregatio Corach: vt hinc intelligamus, Corach cum complicibus suis Leuitis remansisse; Dathan autem, & Abirom cum aliis Primatibus Israël complicibus recessisse: Leuitæ enim ad sacerdotium; illi autem ad principatum aspirabant.

Vers. 8. Dixitque rursum ad Corach.] Postquàm mitigauerat Moses impetum supradicta propositione, tanquàm quietum redditum Corach alloquitur.

Audite, filij Leui.] Iuxta Hebræum interponitur aduerbium obsecrantis: *Audite, obsecro, filij Leui*. Familiaris siquidem sermo

inter Mosen, & Corach describitur:& ad considerationem diuini doni tributi Tribui Leui inuitatur Corach in persona Tribus Leuiticæ.

Vers. 9. An parum vobis est,quòd separauit vos Deus Israël ab omni populo?] Non Iehouah,sed Elohe Israël hoc in loco nominatur Deus : quadrat enim officio gubernatoris electio aliquorum ad ministrandum diuino cultui.

Et iunxit sibi, vt seruiretis ei in cultu tabernaculi, & staretis coram frequentia populi, & ministraretis ei ? *Vers.* 10. Idcircò ad se fecit accedere te,& omnes fratres tuos, filios Leui, vt vobis etiam sacerdotium vendicetis?] Iuxta Hebræum non tam durus est sermo : sed habetur : *Fecitque appropinquare te, & omnes fratres tuos filios Leui tecum, & quæretis etiam sacerdotium?* Et est sensus clarus, monens ad considerandum,non parum eis donatum esse,& propterea irrationabile esse, vt quærerent etiam sacerdotium.Et quod peius est,subiungitur:

Vers. 11. Idcircò tu, & tota Synagoga tua, qui congregantur contra Iehouah.] Declarat eis Moses,quòd propter sacerdotium congregatio eorum est, non aduersùs hominem, sed aduersùs Deum. Vnde & ad hoc magis explanandum subiungit:

Et Aharon quis ipse, quòd conquerimini aduersùs eum?] Familiari colloquio manifestat Moses Corach, & quòd ex parte eorum non habent iustam querelæ causam, habentes tantum donum electionis diuinæ præ aliis Tribubus; & quòd ex parte Aharon non est, cur conquerantur; quia non ipsius, sed Dei causa impugnatur : quod est dicere, quòd non ipse se fecit Pontificem, sed Deus elegit ipsum.

Vers. 12. Misítque Moses ad vocandum Dathan, & Abirom, filios Eliab.] Sedato impetu Corach, & complicum, aspirantium ad sacerdotium, ex conuentione, vt expectaretur crastino mane diuinæ electionis iudicium, cogitauit Moses, si posset aliquod medium interponere ad sedandum impetum Dathan, & Abirom,ambientium principatum: & ideò misit pro eis, vt simul cum Corach tractarentur, vt pacificè quoque quæstio de principatu absolueretur,quemadmodum conuenerat cum Corach de pacifica absolutione quæstionis de sacerdotio.

Qui responderunt: Non venienus: *Vers.* 13. An parum est tibi,quòd eduxisti nos de terra, quæ lacte, & melle manat, vt occideres in deserto; nisi & dominatus fueris nostri? *Vers.* 14. Reuerà induxisti nos in terram, quæ fluit riuis lactis, & mellis °,& dedisti nobis possessiones agrorum, & vinearum.] Ironia est ad arguendum Mosen fallaciæ.

An & oculos nostros vis eruere?] Iuxta Hebræum habetur : *Num oculos virorum ipsorum erues?* Hoc est, num etiam excæcabis viros istos, vt non videant ambitionem tuam, qua principatum super populum tibi vendicasti, pollicendo tot, & tanta, sicut nos videmus illam?

Non venienus.] Hebraïcè, tam hîc, quàm paulò antè legitur : *Non ascendemus.* Insinuatur enim, quòd locus diuini tabernaculi, iuxta quod erat Moses, in celso situ erat.

Vers. 15. Iratúsque est Moses valdè.] Quamuis mansuetus præ omnibus hominibus Moses, attamen excanduit, (homo enim erat,) & valdè commotus est animus eius ira : quia spem tractandi pacificè negotium hoc perdiderat : iniuria enim non erat ei noua; sed desperatio tractandi pacificè cum Dathan, & Abiram quæstionem motam.

Et ait ad Dominum : Ne respicias sacrificia eorum.] Cerne radicatæ mansuetudinis vim : licèt valdè iratus fuerit Moses; non tamen ira eò duxit illum,vt cuperet lacessentibus malum, sed non certum quod nouum bonum; videlicet exauditionis diuinæ in hoc facto. Nec dicitur, *ad sacrificia*; sed, *ad munus eorum.*

Tu scis, quòd ne asellum quidem vnquam acceperim ab eis.] Iuxta Hebræum habetur : *Non asinum vnum ex eis oneraui.* Nec in hoc minimo grauaui aliquem, vt asello eius vterer ad aliquod onus portandum : quod tamen sæpè fit à sæcularibus dominis.

Nec afflixerim quempiam eorum.] Iuxta Hebræum habetur : *Et non feci malum vni ex eis.* Vniuersaliter excludit omnem illatam læsionem. Et tam ex his, quàm ex obiectis à Dathan, & Abiram, habetur munditia principatus Mosis in gubernatione populi : & propterea nihil ei obiicitur, nisi ambitio.

*Vers.*16.Dixítque ad Corach.] Repetitio subiuncta priùs tractatorum cum Corach, ideò fuit, ne ob pertinaciam Dathan, & Abiram resiliret Corach à conuentis : timuit enim Moses,ne Corach,audita pertinacia Dathan,& Abiram, (quibus erat confœderatus,) persisteret & ipse pertinax, nolens stare in iis, quæ concluserant : & propterea post auditam pertinaciam illorum,iterum alloquitur Corach ad firmandum pactum, quod concluserant.

Tu, & omnis congregatio tua state seorsum coram Domino, & Aharon die crastino separatim.] Iuxta Hebræum habetur : *Eritis coram* יהוה *tu, & ipsi, & Aharon cras.* Nec habetur seorsum, nec separatim : sed, quòd ipse Corach, & sui, tanquàm vna pars, & Aharon, tanquàm altera pars,&c.

Vers. 17. Tolliteque singuli thuribula vestra, & ponite super ea incensum, & offerte coram Domino ducenta, & quinquaginta thuribula.] Non sunt isti ducenti quinquaginta viri illi ducenti quinquaginta primates descripti in principio capituli huius : quoniam isti erant de Tribu Leui, (vt superiora insinuant:) illi verò ex diuersis erant Tribubus.

Aharon quoque teneat thuribulum suum.]Iuxta Hebræum habetur : *Et tu, & Aharon quisque acerram suam.* Honorabat Moses Corah, parem illum Aharon statuendo.

Vers. 18. Quod quum fecissent, stantibus Mose, & Aharon.] Nimis studuit breuitati Interpres : nam Hebraïcè diffusè scribitur : *Et acceperunt vnusquisque acerram suam, & dederunt super eas ignem, & posuerunt super eas incensum : & steterunt ad ostium tentorij*

Ii 4 *adunationis,*

sedisse sub spatio 30 annorũ propter loci salubritatem. Quæ mãsio trigesima est. Quámq; illa,vbi hæc seditio exorta est, fuerit decimanona, videtur non multùm pòst ab egressu de Cades-Barneah hoc factum accidisse : tũ, quia ambitio pontificatus infert, non multùm anteà eum constitutum esse.Sed in oppositũ est, quòd quum populus in deserto Zin conquereretur pro aqua anno ferè quadragesimo, meminit huius plagæ Num. 20. inquiés: *Vtinam periissemus cum fratribus nostris.* &c. Vnde apparet, non multùm ante illud tempus punitionem Dathan, & Abirom accidisse, quum tam recens illius esset memoria. Ad idem facit,quòd longo tẽpore sederunt in Cades-Barneah reuersis exploratoribus. Ex his omnibus elige, quod libuerit.

e Ex hac Dathan, & Abirom Ironia de terra lacte, & melle manante, apparet, hanc seditionem contigisse in solitudine, quæ ducit ad mare rubrum, quum iam ter. à Seir circuirent, promissionis terram illam certam iam possidere desperati. Verum,quo tempore ab egressu de monte Choreb id factũ sit, non habeo exploratum. *Zieglerius tenet, eos in latebris

adunationis, & Moses, & Aharon. Executio subsecuta sequenti mane narratur, quoad singula narrando, quòd ad ostium tabernaculi conuenerunt Corach cum suis, & Moses, & Aharon: ibi enim erat altare holocaustorum, ante quod stabant isti: quibus sic dispositis multa, quæ intercesserunt, antequàm incenderent thus, siue thymiama, subiunguntur. Intellige, prudens lector, quòd quamuis Moses ad prosequendum completè narrationem gestorum à Corach, & suis iuxta conuenta cum Mose, priùs narrauerit, quòd posuerunt incensum, secundùm tamen ordinem rei gestæ positio thuris, seu thymiamatis incendendi fuit post recessum Mosis inde ad Dathan, & Abiram. Ordo enim historiæ fuit, quòd adueniente ad ostium tabernaculi Corach cum suis mane, Moses, & Aharon parati ad conuenta seruanda erant: sed videntes, quòd Corach procurauerat vniuersum ferè populum congregari aduersùs eos, fuerunt protecti à nube diuina apparente: & sic sedatis rebus Moses cum senioribus iuit ad Dathan, & Abirom; Aharon verò remansit ad seruandum pacta ad ostium tabernaculi cum Corach, & suis: & absente Mose occupato circa Dathan, & Abirom; Aharon, & Corah cum suis incenderunt vnusquisque in acerra sua thus, siue thymiama coram Deo, expectantes iudicium diuinæ electionis. Hic est ordo rei gestæ: vide modò literam.

Vers. 19. Et quum coacceruassent aduersùs eos omnem multitudinem ad ostium tabernaculi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecit congregare contra eos Corach omnem Synagogam ad ostium tentorij adunationis.* Hoc est, non suffecit Corach venire cum Synagoga sua ducentorum, & quinquaginta; sed procurauit congregari vniuersum populum aduersùs Mosen, & Aharon.

Apparuit cunctis gloria Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit visus honor Iehouah a tota Synagoga.* Diuina protectio significatur retrahens vniuersam Synagogam ab impetu contra Mosen, & Aharon. Nulla fit mentio nubis supra tabernaculum: quoniam species hæc, quæ nouiter apparuit, sub specie honorabili visa est, vt populus non irrueret in Mosen, & Aharon retracti ob honorem Dei tali sensibili signo protegentis Mosen, & Aharon. Nam steterunt ad ostium tabernaculi, & ibidem supra eos conspecta est species honorabilis Dei: quoniam Litera non dicit, honorem Dei apparuisse supra tabernaculum; sed simpliciter, & absolutè apparuisse, congregato contra Mosen, & Aharon populo.

Vers. 20. Locutúsque Dominus ad Mosen, & Aharon ait.] Deus in illa honorabili specie protegens Mosen, & Aharon, etiam alloquitur eos, offerendo vindictam.

Vers. 21. Separamini de medio congregationis huius, vt eos repentè disperdam.] Hinc apparet, quòd Moses, & Aharon, videntes populum contra se congregatum, nec timuerunt, nec ingressi sunt Sanctuarium: sed perstiterunt, vbi erant, ante ostium tabernaculi cum Corach, & aliis. Si enim non fuissent inter eos, non diceret illis Deus: *Separamini ex intra Synagogam istam, & destruam eos, sicut in momento.* quod Interpres exposuit: *Vt eos disperdam repentè.* Vindicta enim offertur, non differenda; sed statim exhibenda.

Vers. 22. Qui ceciderunt proni in faciem suam.] Vide sanctitatem virorum. Audita comminata vindicta, prostrauerunt se coram Deo ibidem, ad orandum pro populo congregato contra ipsos.

Atque dixerunt: Fortissime Deus.] Iuxta Hebræum habetur: *Elohe spirituum* [d] *vniuersæ carnis.* Aptissimè orantes pro populo, non ex se, sed à Corach excitato, & decepto, nominant Deum à fortitudine, & iudicio spirituum vniuersæ carnis. Ex duobus enim nasci consueuit vindicta Principis in populum: vel ex eo, quòd nescit, vel non ponderat, quo spiritu mouentur animi populi: & ad hoc excludendum dicunt: *Elohe spirituum in omni carne.* significant enim, Deum, & nosse, & librare spiritus, non vnius tantùm nationis; sed omnium nationum mundi: profitendo in Deo esse plenissimam notitiam, & exactissimam librationem spirituum omnium hominum. Vel ex impotentia, seu timore, ne deinceps peiora attentet populus cum periculo ipsius Principis, aut suorum: & ad hoc excludendum, dicunt, *El*; hoc est, *fortis*, per antonomasiam, in quem nullus cadit timor, cui nihil vnquam potest vim inferre: & profitentur, Deum esse talem, quem dedeceat ob vnius peccatum punire totam Synagogam: tanquàm non discernendo inter spiritum, & spiritum; inter spiritum ambitionis in capitibus, & spiritum erroris in decepto populo.

[d] Hac sententia explicat Moses, quod in creatione docuerat, declarans, quid in rerum creatione, dum mundus conderetur, dumque nunc in eodē cursu existit, spiritus ille omniū lator, seu diuina benignitas ageret super aquas, nempe, creationem, & viuificationē omnium rerū, eoque administrationem specierum, & animarum quasi larū illi spiritus hoc loco adscribit, vt si hic vis spiritus abesset, exorbitare species necesse sit, animas nec nasci, nec sustineri. Quod Psalmista expressit, inquiens: *Auferes spiritum suum, & deficient.* Et iterum: *Emitte spiritum tuum, & creabuntur.*

Num vno peccante, contra omnes ira tua desæuiet [e]?] Iuxta Hebræum habetur: *Contra totam Synagogam tu irasceris?* Nulla sæuitia nominatur, sed ira tantùm. Et fit vnius peccatoris duntaxat mentio; non, quia solus Corach peccaret; sed, quia comparatio peccantium non ex errore ad tantam populi congregationem erat, sicut comparatio vnius; ita quòd Corach cum suis ducentis quinquaginta supputantur, tanquàm vnus peccator relatiuè ad tantam multitudinem deceptam ad fauendum illis.

[e] Sic Abraham interrogabat Dominū, an perderet iustum cum impio Genes. 18. Occultæ enim semper fuerunt carni rationes diuinorum iudiciorum, quòd, scilicet, vno peccante, furor Dei excandeat in omnes. Verum huiusmodi iustitia non imitanda; sed admiranda nobis proponitur in Scriptura.

Vers. 23. Et ait Dominus ad Mosen.

Vers. 24. Præcipe vniuerso populo.] Iuxta Hebræum habetur: *Loquere Synagogæ.* Nec præceptum nominatur, nec vniuerso populo dicenda erant subiuncta; sed illis, qui erant prope tabernacula impiorum: scribitur enim reuelatio monitionis, quam facturus erat Moses populo.

Vt separetur à tabernaculis.] Iuxta Hebræum habetur: *Ascendite ex circumitu tabernaculi Corach, Dathan, & Abiram.* Dicendo, *ascendite*, monentur, vt ad superiores partes se transferant.

Vers. 25. Surrexítque Moses, & abiit ad Dathan, & Abiram, & sequentibus eum senioribus Israël.] Iuxta Hebræum habetur: *Et surrexit Moses, & iuit ad Dathan, & Abiram: & iuerunt post ipsum senes Israel.* Dispositis pacificè omnibus circa sacerdotij quæstionem, (videlicet, quòd Aharon, & Corach cum suis cum tranquillitate offerrent incensum Deo,) par fuit, vt Moses quæstionem de principatu non relinqueret pendentem: & propterea

propterea reliquit Aharon (contra quem agebatur de sacerdotio) cum Corach ante altare; & ipse, contra quem agebatur de principatu, iuit ad Dathan, & Abiram, vt vno, eodémque tempore terminaretur vtraque quæstio, ne vna terminata quæstione de sacerdotio per combustionem Corach, & suorum, Dathan, & Abiram vniuersum populum ad arma excitarent ad trucidandum Mosen, & Aharon cum suis.

Vers. 26. Dixit ad turbam.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Et locutus est Synagogæ.* proculdubiò, quæ erat prope tabernacula illorum trium.

Recedite nunc à tentoriis hominum impiorum.] Iuxta Hebræum adiungitur pronomen *istorum*, videlicet, Corach, Dathan, & Abiram.

Et ne tangatis, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Ne pereatis in omnibus peccatis eorum.* Exequitur enim Moses, quod mandauerat illi Deus.

Vers. 27. Cúmque recessissent à tentoriis eorum per circumitum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ascenderunt ex iuxta tabernaculum Corach, Dathan, & Abiram ex circumitu.* Vnde apparet, quòd Moses per nuncios has separationes executus est: non enim simul erant hæc tabernacula. Et quia scriptum est, quòd ipse iuit ad Dathan, & Abiram; insinuatur, quòd personaliter iuit ad eos: ad tabernaculum verò Corach misit, ipse enim Corach non erat in suo tabernaculo; sed erat cum Aharon coram altari.

Dathan, & Abiram egressi stabant in introitu papilionum suorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Dathan, & Abiram exierunt stantes in porta tentoriorum suorum cum vxoribus, & liberis, & familiis suis.* Significatur, quòd Dathan, & Abiram, cognito aduentu Mosis, intrepidi egressi sunt cum suis familiis extra tabernacula sua, tanquàm custodientes portas, si Moses aliquid attentaret aduersùs eos. Nec scribitur intercessisse sermonem aliquem inter Mosem, & eos tunc.

Vers. 28. Et ait Moses: In hoc scietis, quòd Dominus miserit me ad faciendum omnia opera ista, & quòd non sint ex proprio corde meo.] Non diriguntur hæc verba ad Dathan, & Abiram; sed ad senes Israël, & circunstantes: vt patet ex eo, quòd loquitur de Dathan, & Abiram in tertia persona.

Vers. 29. Si consueta hominum morte interierint.] Iuxta Hebræum adiungitur pronomen, *isti.* Et demonstrantur, non solùm Dathan, & Abiram; sed etiam Corach, & sui. Reseruauit siquidem hucusque Moses manifestare signum, & electionis Aharon ad sacerdotium, & principatus sui, monstrandum à Deo.

Et visitauerit eos plaga, qua & cæteri visitari solent.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ordinatio omnis hominis ordinabitur super eos, non misit me Dominus.* Meminit non solùm solitæ mortis; sed etiam ordinis moriendi, vt diuinitùs dispositam mortem manifestet futuram.

Vers. 30. Si autem nouam rem fecerit Dominus.] Iuxtà Hebræum habetur: *Et si creationem creabit Iehouah, & aperiet terra os suum.* Primum refertur ad ignem nouum comburentem Corach, & suos: secundum autem ad interitum Dathan, & Abiram, & eorum, qui erant in tabernaculo Corach.

Et deglutiet eos, & omnia, quæ ad illos pertinent, & descendent viuentes in Infernum [b].] Iuxta Hebræum habetur, *in foueam.* Ad differentiam aliorum hominum, (nam mortui sepeliuntur;) dicit de istis, quòd descendent viui in sepulcrum; hoc est, quòd sepelientur viui.

Scietis, quòd blasphemauerint Dominum.] Parui refert, quòd Hebraïcè significatur: *Contempserunt Iehouah.* Non tamen propriè significatur contemptus; sed peior quædam vilipendendi species.

Vers. 31. Confestim igitur, vt cessauit loqui, fissa est terra sub pedibus eorum.] Ecce diuinum miraculum statim.

Vers. 32. Quæ aperiens os suum deuorauit illos cum domibus & vniuersa substantia ipsorum.] Litera manca est: legendum est: *Et omnem hominem, qui Corach.* Et tunc subiungitur: *Et omnem substantiam.* Narratur enim, quòd terra deglutiuit, tum eos (videlicet, Datham, & Abiram cum suis;) tum domos eorum; tum omnes homines, qui erant in tabernaculo Corach, tum omnes prædictorum res.

Vers. 33. Descenderúntque viui in Infernum operti humo [c].] Iuxta Hebræum habetur: *Et descenderunt ipsi, & omnis, qui ipsis viui in foueam, & operuit super eos terra.* Vt verè sepultos esse viuos manifestetur, narratur, quòd iterum terra clausa est, rediens ad pristinum statum, operiendo deglutita omnia.

Et perierunt de medio multitudinis. *Vers.* 34. Et omnis Israël, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium.] Iuxta Hebræum habetur: *In voce eorum.* Sonus fracturæ terræ in tot locis simul cum clamoribus significatur.

Dicens: Ne fortè & nos terra deglutiat. *Vers.* 35. Sed & ignis egressus à Domino, interfecit ducentos, & quinquaginta viros, qui offerebant incensum.] Refer tempus ignis, prudens lector, ad idem tempus, confestim vt cessauit Moses loqui: quia hoc ad Literam significatur, vt contextus insinuat. Simul enim puniuit Deus Dathan, & Abiram, & Corach cum suis; quamuis diuerso genere mortis.

Vers. 36. Locutúsque est Dominus ad Mosen, dicens: *Vers.* 37. Præcipe Elhazaro, filio Aharon Sacerdotis, vt tollat thuribula, quæ iacent in incendio.] Non Pontifici, sed simplici Sacerdoti, successuro tamen in Pontificatu, hoc demandatur opus: vt & Pontifici deferatur, & primus inter Sacerdotes honoretur.

Et ignem huc, illúcque spargat.] Mixtus erat ignis incensi cum igne combustionis: & propterea spargendus censetur, & non ad altare reducendus.

Quoniam sanctificata sunt, *Vers.* 38. in mortibus peccatorum.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Quia sanctificata acerra peccatorum istorum in animabus eorum.*

b *Inferni* nomine Hebræi perinde vtuntur, ac Latini, Inferorum. Sunt autem Inferi Latinis, omnes, qui hac vita defuncti sunt. Sic, *ad Infernum descendere* plerunque nihil aliud est quam perire. vt Genesis 37. dicebat Iacob: *Descendam lugens in Infernum ad filium meum.* Quasi diceret: Lugens moriar: & is casus me foueæ, id est, morti tradet. Similiter & hoc loco: *Descenderunt isti in Infernum viuentes*, id est, recōdita sunt eorum corpora, dū viuerent, sub terra.

c Non legi, quod sciā, in Scripturis, quod de aliquibus tam sæua & atrox vltio sumpta fuerit. Seuerum siquidem fuit tale mortis genus. Vnde Christus Lucæ 23. excisionem Hierosolymitanam magis, quam dici possit horrendam, commemorans, illud expressit inquiens, optaturos Iudæos illo tempore, vt montes super eos caderent, & viuos sepelirent.

eorum. Hebræo more, vitam, etiam extinctam, appellat *animam:* & *acerræ sanctificatæ* dicuntur, quia redditæ sunt sanctitatis signa ex morte peccatorum aspirantium ad sacerdotium. Quemadmodum enim vrina dicitur sana; quia est signum sanitatis: ita & acerræ effectæ sunt sanctæ; quia effectæ sunt signum sanctitatis, tum sacerdotij Aharon, tum requisitæ ad diuinum sacerdotium: vt nemo sibi assumat hunc honorem; sed, qui vocatur duntaxat à Deo: huiusmodi enim sanctificatio ex morte Corach, & suorum, resultauit in acerris eorum.

Faciántque ex eis laminas, & affigent altari, eò quòd oblatum sit in eis incensum Domino, & sanctificata sint.] Ratio, quare congruat huiusmodi laminis operire altare, redditur: quia ipsæ acerræ iam sunt dicatæ Deo, eo ipso, quòd in eis est incensum thus, seu thymiama Domino. Et hinc quoque sanctificatæ sunt alia sanctificationis specie; videlicet, vt vasa sacrificij.

Vt cernant ea pro signo, & monimento filij Israel.] Iuxta Hebræum habetur copulatiuè: *Et erunt in signum filiis Israel.* Ecce fructus huiusmodi operis.

Vers. 39. Tulit ergo Elhazar Sacerdos thuribula ænea, in quibus obtulerant ij, quos incendium deuorauit: & extenderunt in laminas affigendas altari, *Vers.* 40. vt haberent posteà filij Israël, quibus commonerentur, ne quis alienigena; & qui non est de semine Aharon, accedat ad offerendum incensum Domino.] Non habetur in Hebræo coniunctio, *&:* sed explanatur *alienigena, qui non est de semine Aharon.*

Ne patiatur, sicut passus est Corach, & tota congregatio eius, loquente Domino ad Mosen.] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut locutus est Iehouah in manu Mosis ei.* Proculdubiò Aharon. Narratur enim, quòd sacerdotium Deus per Mosen loquendo dedit Aharon, vt nullus humana authoritate aspiret ad sacerdotium.

Vers. 41. Murmurauit autem [d].] Iuxta Hebræum habetur: *Et conquesta est tota multitudo filiorum Israel sequenti die contra Mosen, & Aharon dicens.* Coràm enim obiecerunt:

Vos interfecistis populum Domini.] Mirum est, tot manifestis visis miraculis heri, attribuere hodie mortem illorum Mosi, & Aharon; opera siquidem ipsa supernaturalem testabantur operationem. At si calumniatus fueris, imputando populo, quòd putauerit, Mosen magicis artibus effecisse mortes illorum; considera alienam ab omni ratione esse suspicionem hanc; tum, quia vniuersus conatus Mosis testatur, quòd ad hoc præcipuè tendebat, vt populus coleret Deum, qui est fons essendi, qui creauit, & gubernat omnia, qui proculdubiò est verus Deus solus: hoc autem directè aduersatur studio Dæmonum, qui operantur per magicas artes: nam Dæmones volunt adorari: & nihil magis appetunt, & procurant, quàm adorari. Similiter lex Mosis referta est bonis moribus, quorum contrariis student Dæmones replere mundum. Penitùs igitur aliena est à ratione huiusmodi calumnia: sed populus stultus, ac præceps, quia occasione Mosis, & Aharon, videbat illos repentè periisse, qui sub specie religiosæ libertatis contra Mosem, & Aharon, non contra Deum surrexerant, attribuit Mosi, & Aharon occisionem illorum.

[d] Portentosa profectò res est impius, quem Dominus reiecit rà, cùm natura quæque, quod optimum agnouerit, amet; ille non, sed odit: sic & iti Israelitæ, qui visis tot mirabilibus non poterãt sanari, eò quòd à Satana tenerentur captiuati; vt licèt vero bona opera Mosis cogerentur tandem cognoscere, non poterant tamen illa amplecti Exemplum simile habes in Saüle quando Dauidis innocentiam, & suam crudelitatem obortis lacrymis agnouit, & persequi ad tempus destitit: sed paulò post non minùs contra eum furens ad necem ipsum quærebat, 1 Reg. 24. & 26. Quomodo fuit ausus conari occidere, quẽ dicebat, se scire, occidi non posse, (nimirum, post se ex diuina ordinatione regnaturum) Certè furor erat, & vis Satanica, cui obnoxius erat etiam iste populus, & sunt omnes, quos Deus reiicit:

quis enim nõ admiretur horum hominum furorem. Huiusmodi igitur impiorum conatus, & stupiditas persæpè in Scripturis memorantur, & videntur, vt nos ipsi Deum timeamus, oremúsque sedulò, ne ab ipso deseramur

Vers. 42. Cúmque oriretur seditio, & tumultus increscerct,

43. Moses, & Aharon fugerunt ad tabernaculum fœderis: quod postquàm ingressi sunt.] Nescio, vnde hæc in Textum aduecta sint, cùm in Hebræo non habeantur: sed habetur: *Et fuit, quum esset adunata congregatio contra Mosen, & contra Aharon: & verterunt ad tentorium adunationis: & ecce texit ipsum nubes, & visus fuit honor Iehouah: & venit Moses, & Aharon ad faciem tentorij adunationis.* Hæc sunt, quæ habentur in Hebræo. In quibus narrantur in primis gesta populi congregati aduersùs Mosen, & Aharon, quòd verbis antedictis: *Vos occidistis populum Iehouah,* attentarunt iungere facta; videlicet, quòd verterunt se ad tabernaculum; hoc est iter direxerunt versùs tabernaculum diuinum, putantes, quòd Moses, & Aharon in eo se saluos facerent: & vel præoccupare viam ad tabernaculum Dei, vel in ipsum tabernaculum ingredi volebant.

Narrantur deinde gesta Dei ad occurrendum impetui populi attentantis aggredi tabernaculum Dei, duo. Alterum, quòd operuit tabernaculum nube, ne populus attingeret ad illud. Alterum, quòd fuit conspectus honor Dei: nubes quidem ad impediendum visum; honor autem Dei ad terrendum animos. Nec his duobus, tanquàm armis defensiuis Mosis, & Aharon, contentus fuit Deus: sed adiecit arma offensiua inferiùs subiuncta.

Narrantur tertiò gesta Mosis, & Aharon, inserta tertia actione diuina, tanquàm cum armis offensiuis. Et de Mose, & Aharon quidem, primùm dicitur, quòd venerunt ad faciem tabernaculi diuini: & quia non aliter explicatur, vnde venerint, intelligendum est, quòd ad locum ante ostium tabernaculi venerunt à principio, quando dixerunt eis: *Vos occidistis populum Dei.* subintelligendum est enim, quòd Moses, & Aharon in loco solito audierunt loquentes nomine populi: locus autem solitus erat ante faciem tabernaculi diuini. Nulla ergo fuga scribitur Mosis, & Aharon, nullus ingressus in tabernaculum, nullus timor; sed ex subiunctis haberi potest conuersio Mosis ad orandum: nam subiungitur:

Vers. 44. Locutúsque est Iehouah ad Mosen, dicens.] Hinc enim coniicitur, quòd Moses, auditis illis verbis: *Vos occidistis populum Dei,* vertit se ad Deum: nec aliter responsum dedit illis. Et hoc est, quod secundò gestum est à Mose, & Aharon.

Vers. 45. Recedite de medio huius multitudinis] Hinc clarè apparet, quòd non fugerant, sed erant cum congregata aduersùs eos multitudine. Si enim fugissent, & intra tabernaculum fuissent, non diceret eis Deus: *Separamini ab intra congregationem.*

Et iam nunc delebo eos [e].] Iuxta Hebræum habetur: *Et destruam eos, sicut in momento.* Non fuit hæc comminatio, nisi referendo ad vniuersum populum: nam executio subsecuta manifestat diuinam diffinitionem.

[e] Ad seueritatẽ pœnæ accumulat multum rigoris iste in momẽto puniendi; cùm, quia minus est pœnitẽdi spatium; tum, quia sæuior, & acerbior est plaga, quæ breuiori tempore absumit.

Cumque iacerent in terra.] Iuxta Hebræum

bræum habetur: *Et ceciderunt super facies suas*[f]. Intellige hanc prostrationem ab initio; hoc est, post audita illa verba: *Vos occidistis populum Dei.* tunc enim prostrauerunt se Deo Moses, & Aharon: & Deus allocutus est Mosen, monendo recessum, & reuelando vindictam.

[f] Vetus orandi mos erat procidere in faciem suam, vt hoc loco legis, & de Christo Matthæi 26. quū orauit in horto. Tollebant etiā ad sydera palmas versùs Deum, quo & ardens desiderium, & humilitas commendatur, vt à Deo petatur auxiliū.

Et dixit Moses ad Aharon.] Duo audierat à Deo, recessum & vindictam: sed omisso primo ad placandam iram Dei attendit Moses: verè vir perfectus, non solùm orans pro persecutoribus suis, sed etiam sollicitè procurans sedare diuinam vltionem.

Vers. 46. Tolle thuribulum, & hausto igne de altari mitte incensum desuper: & perge citò ad populum, vt roges pro eis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et expia super eos.* Aliàs diximus, ignotum esse nobis modum, quo hæc sæpè scripta expiatio fiebat.

Iam enim egressa est ira à Domino, & plaga desæuiit.] Iuxta Hebræum habetur: *Incepit mortificatio.* Quòd fuerit mortifera diuina ira, narratur; sed species mortis non dicitur.

Vers. 47. Cœpítque Aharon, vt locutus erat Moses: & cucurrit ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ecce incepit mortificatio in populo.* Non tam citò peruenit Aharon ad locum intra congregationem, quamuis currendo iuerit, quin mortificatio inchoata fuisset, non in quibusdam, sed in populo. Nec vlla fit mentio incendij in Textu Hebraïco.

Et obtulit thymiama.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dedit incensum*[g], *& expiauit super populum.* Vtrunque mandatum sibi à Mose executus est.

[g] Hoc sacrificio incensi voluit Pontifex Dominum placare. Quod & acceptū erat vnde desumptum est fortè: *Fiat oratio mea, sicut incensum, in cōspectu tuo.*

Vers. 48. Et stetit inter mortuos, & inter viuos, & fuit restricta mortalitas.] Hinc insinuatur, quòd vltio hæc diuina, qualiscunque fuerit, ordine quodam à certa parte progrediebatur. Huiusmodi enim progressus significatur describendo situm Aharon inter mortuos, & viuos: tanquàm mortui ex vna, & viui ex altera parte essent, timentes occidi. Eundémque sensum fouet significata restrictio mortalitatis. Et huic suffragatur, quod Paulus Apostolus 1. ad Corinth. 10. de istis dicit: *Et perierunt ab exterminatore:* tanquàm fuerit à Deo missus exterminator ordinatè progrediēs. Et si verba literæ fuerint librata, bis narratur incepta mortificatio, semel mittente Mose Aharon; iterum autem, quum peruenit Aharon ad locum intra congregationem. Sed hæc secunda vice adiungitur, *in populo:* vt intelligamus, quòd ab initio, quando misit Moses Aharon, inceperat exterminator percutere congregationem adunatam aduersùs Mosen, & Aharon, quæ venerat ad tabernaculum Dei: & posteà quando Aharon appulit, exterminator inchoauerat, seu inchoabat percutere etiam populum. Propter quod significantiùs dicitur, quòd Aharon expiauit super populum tanquàm congregatio illa adunata fuerit exterminata, & inter inchoandum mortificationem populi occurrerit Aharon, & fuerit restricta mortalitas. Hic videtur literalis sensus. Habetur quoque hinc, quòd statim moriebantur: alioquin non scriberetur Aharon inter viuos, & mortuos stans.

Vers. 49. Fuerunt autem, qui percussi sunt, quatuordecim millia hominum, & septingenti: præter eos, qui perierant in seditione Corach.

50. Reuersúsque est Aharon ad Mosen ad ostium tentorij adunationis, postquam quieuit interitus.

CAPVT XVII.

VERS. 1.

ET locutus est Dominus ad Mosen dicens.

2. Loquere ad filios Israël: & accipe ab eis virgas singulas [a] per cognationes suas.] Iuxta Hebræum habetur: *Per domum patris.* Et est sermo de patre Tribus. Definitur enim, penes quid numerandæ sint virgæ, videlicet, penes Patres Tribuum: & significanter non nominantur Tribus; sed domus: quia duodecim tantùm erant Patres, (videlicet, duodecim filij Iahacob:) sed domus Ioseph constituebat duas Tribus ex mandato Iahacob. Quia ergo noluit Deus duas virgas accipi ex domo Ioseph, ideò secundùm paternas domos, & non secundùm Tribus decernitur numerus virgarum. Nec propterea facta est iniuria filiis Ioseph: quoniam testamentum Iahacob ad ea, quæ hæreditatis erant, respicit. Vnde non solùm hoc in loco, sed etiam in ornamentis sacerdotalibus Ioseph nominatur, & non Ephraïm, & Menasse.

[a] Hæ singulæ virgæ ab vna & eadem fuerunt amygdala arbore, secundùm Hebræos.

A cunctis Principibus Tribuum.] Nulla fit mentio in Hebræo Tribuum, sed habetur: *A cunctis Principibus eorum per domum Patrum eorum duodecim virgas.* A Principibus in domo Reuben, Simhon, Ioseph, &c. Accipiendæ mandantur virgæ duodecim.

Et vniuscuiusque nomen superscribes virgæ eius.] Vniuscuiusque Patris nomen intellige, (videlicet, Reuben, Simhon, &c.) excepta virga Tribus Leui: quoniā in illa mandatur scribi nomen Aharon; quiā iam erat in possessione sacerdotij. Clarè enim scribitur Hebraïcè:

Vers. 3. Et nomen Aharon scribes super virgam [b] Leui: & vna virga cunctas eorum familias continebit.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia virga vna per caput domus patrum eorum.* Ratio manifestè redditur non multiplicandi virgas vltra numerum duodenarium: quia secundùm capita domus Patrum eorum debet esse vnitas virgæ.

[b] Notandū est, hanc virgam aliam esse ab illa, qua Moses mare rubrū diuisit, quanuis hæc, & illa, *virga Aharon* nominentur in Scripturis, & vtraque in tabernaculo obseruaretur.

Vers. 4. Ponésque eas in tentorio adunationis coram testimonio.] Arcam, quæ erat in Sancto Sanctorum appellat *testimonium.*

Vbi loquar ad te.] Iuxta Hebræum habetur: *Quo ero paratus vobis ibi.* Pluries promisit Deus se fore paratum in tabernaculo: & nunc in specie pollicetur, se fore paratum in vniuersis in Arca testimonij, ad comprobandum facto miraculi Sacerdotium collatum Aharon à Mose.

Vers. 5. Et erit, vir, quem elegero, germinabit virga eius, & cohibebo à me querimonias [c] filiorum Israël, quibus contra vos murmurant.

6. Locutúsque est Moses ad filios Israël:

[c] Declarauit hic Dominus, quàm cordi sibi Israëlitarū salus esset: nam, quibus propitius fuerit, an:o

omnia donat pios ac sedulos Doctores, ac monitores. Voluit igitur suo nascenti regno idoneos Ministros, & Duces designare, vt & illos suo spiritu instrueret, vt quamplurimi per verbum ipsorum regno suo adducerentur. Hancque Israëlitis vltrò gratiam concessit, pro qua Apostoli tam anxiè Dominum orabant Actor. 1. *Tu, Domine,* scilicet, *ostende, quem elegeris.* vbi in locum Iudæ, alium subrogare vellent.

Israël: & dederunt ei omnes Principes virgas per singulas Tribus.] Vt synonyma reputauit Interpres *per singulas Tribus*, & *per domos Patrum suorum.*

Fuerúntque virgæ duodecim, præter virgam Aharon.] Iuxta Hebræum habetur: *Et virga Aharon in medio virgarum eorum.* Non dicitur, quòd virga Aharon fuerit tertiadecima; sed quòd fuerit inter duodecim: contrariatur enim iam bis explicato numero duodenario, & rationi redditæ in litera, quòd fuerint tredecim virgæ.

Vers. 7. Quas cùm posuisset Moses coram Domino in tentorio testimonij.

8. Sequenti die regressus inuenit germinasse virgam Aharon pro domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.

9. Protulit ergo Moses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israël: viderúntque, & receperunt singuli virgas suas.

10. Dixítque Dominus ad Mosen: Refer virgam Aharon in tentorium testimonij.] Iuxta Hebræum habetur: *In faciem testimonij ad custodiam in signum filiis rebellionis.* Non præcipitur, vt locetur virga Aharon intra Arcam, sed coram Arca testimonij, vt ibi custodiatur in signum filiis rebellionis; hoc est, in perpetuum signum ad inhibendum, ne sint aliqui rebelles sacerdotio Aharon.

Et quiescent querelæ eorum à me.] Iuxta Hebræum habetur: *De super me.* hoc est, de sacerdotio, quo ministratur mihi. Et sic, vt Deus dixit, fuit: nam deinceps non fuit ampliùs querela contra Sacerdotium Aharon.

Et non morientur.

Vers. 11. Fecitque Moses, sicut præceperat ei Dominus.

12. Dixerunt autem filij Israël ad Mosen: Ecce consumpti sumus, omnes nos peribimus.

13. Quicunque accedit ad tabernaculum Domini, moritur: an eo vsque ad internecionē cuncti delendi sumus?] Occasio horum verborum fuit mors illorum quatuor decem millium, quos viderant mortuos: & intellexerant, ideò mortuos, quia venerant ad tabernaculum Domini; proculdubiò, (vt etiam isti testantur,) vt accederent ad tabernaculum Domini, quemadmodū expositum est. Hinc enim mouentur filij Israël ad petendum, vt Moses prouideat, ne diuina vltio progrediatur, sed quiescat: exterriti siquidem erant, pauentes venire prope tabernaculum.

CAPVT VIII.

VERS. 1.

Dixitque Dominus ad Aharon.] Non solùm per Mosen, sed etiam per seipsum reuelauit Deus primo Pontifici spectantia ad Sacerdotes, & Leuitas.

Tu, & filij tui, & domus patris tui tecum.] More solito summa proponitur dicendorum; comprehenditur enim in his vniuersus ordo Ministrorum; videlicet, Pontifex, dicendo: *Tu & Sacerdotes*; dicendo, *filij, & Leuitæ*; dicendo, *& domus patris tui*; proculdubiò Leui. Et reuelatio ista aptissimè subiungitur, tanquàm prouisio, ne moriantur filij Israël appropinquando ad Sanctuarium, transfertur enim iniquitas Sanctuarij in Tribum Leuiticam.

Portabitis iniquitatem Sanctuarij [a].] Hoc est, periculum, tum pœnæ, tum culpæ, iniqui accessus ad Sanctuarium. Quod est dicere: Vos tantùm accedite, nec vllus accedat, nisi per vos, vt sic, tam culpa, quàm pœna sit vestra; hoc est enim Leuiticam Tribum portare iniquitatem Sanctuarij, & eximere populum à timore mortis, accedendo ad Sanctuarium.

a Hoc est, si aliquod fuerit perpetratum malum in Sanctuario, aut Sacerdotio à te, filiisque tuis, exigam pœnas.

Túque, & filij tui simul portabitis peccata sacerdotij vestri.] Gaudet Interpres copia vocabulorum: Hebraïcè enim repetitur, *iniquitas*: more enim solito distinguitur per partes: quod in vniuersum dictum est, inchoando à præcipua parte Tribus Leuiticæ, (domo, videlicet, Aharon,) & sanciendo, quòd Pontifex, & Sacerdotes portent iniquitatem sacerdotij; hoc est, subiaceant periculo, tam culpæ, quàm pœnæ officij sacerdotalis. Et in hoc comprehenditur, quòd Sacerdotibus imputabitur, si fortè aliquem minùs legitimè accedere facerent ad loca sacrificij.

Vers. 2. Sed & fratres tuos de Tribu Leui, & sceptro [b] patris tui, sume tecum, præstóque sint, & ministrent tibi: tu autem, & filij tui ministrabitis in tentorio testimonij.] Ecce altera pars Ministrorum, non Sacerdotum; sed Leuitarum: ad sanciendum, quòd ipsi quoque proportionaliter subiacebunt periculo officiorum suorum. Vnde & statim subiungitur discretio Sacerdotum à Leuitis, penes accessum, vel recessum à magis sacris: nam Sacerdotum officium scribitur ministrare coram tabernaculo; Leuitarum autem custodire. Et Hebraïcè scribitur.

b *Sceptrum patris*, hoc loco pro regimine & familia patris accipitur, metaphora sumpta à regali sceptro, quod directionem & authoritatem ministrandi designat: est enim symbolum, Regis sceptrum, legis, iustitiæ, & authoritatis prorsus inuiolandæ; quemadmodum ipsum sceptrum firmum, & inflexibile est. Et hoc intelligentes Iudæi in Christi manu arundinē ponentes, illius regnum, authoritatem, & leges, arundini, quæ vento hinc & inde agitatur, assimilabant.

Vers. 3. Et custodient custodiam tuam, & custodiam totius tentorij: tantùm ad vasa Sanctuarij, & ad altare non appropinquabunt.] Repetitio est superiùs sancitorum: & propterea non oportet immorari.

Ne & illi moriantur, & vos pereatis simul.] Vtrisque (Sacerdotibus, videlicet, & Leuitis) imputaretur, si Leuitæ ex culpa Sacerdotum præsumerent exercere officia Sacerdotum: quoniam vtrique sciebant propria officia.

Vers. 4. Erúntque tecum, & excubabunt in custodiis tentorij adunationis, & in omnibus cæremoniis [c] eius.] Iuxta Hebræum habetur: *In omni seruitute tentorij.* Ad seruitutem enim duntaxat admittebantur Leuitæ.

c Hic adnotandum duxi, quòd cæremoniæ à Cærete oppido dictæ sunt, Authore Valerio Maximo. Qua ratione, ibidem vide. Illud tamen aduerte, quòd natura sic nos finxit Deus, vt in omnibus grauioribus actionibus symbola verbis adiiciamus: nullam siquidē maioris momenti traditionem sine certis signis facimus. Hinc olim omnis solennis diuinæ beneuolentiæ commendatio, atque Sanctorum professio erga Deum, sua symbola semper habuit: vt enim nos Deus condidit; ita ducit ac regit nos, suaque nobis beneficia commendat. Hinc est, quòd tot cæremonias voluit Dominus in suo Sanctuario.

Vers. 5. Alienigena (proculdubiò à Tribu Leuitica) non miscebitur vobis. Excubatéque in custodia Sanctuarij, & in ministerio altaris, ne oriatur indignatio super filios Israël.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non erit adhuc ira super filios Israël.* Non est sensus, quòd pro culpa Sacerdotum puniendus sit populus: sed, vt sic Sacerdotes vacent officiis suis circa tabernaculum, & altare, ne tantus sit eorum lapsus, vt etiam filij Israël peccent, accedendo ad tabernaculum, vel altare

altare Domini: facilè enim in sacrilegia Laïci labuntur, licentia Sacerdotum inuitati.

Vers. 6. Ego dedi vobis fratres vestros Leuitas de medio filiorum Israël, & tradidi donum Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ego ecce tuli fratres vestros Leuitas ex filiis Israël vobis, donum datos, Iehouah.* Superiùs scriptum est, Leuitas dono datos à filiis Israël Deo: & hîc commemorat Deus, datos sibi se dedisse in donum Pontifici, & Sacerdotibus.

Vt seruiant in ministeriis tabernaculi eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad seruiendum seruitutem tentorij adunationis.* Sic enim loquuntur Hebræi, *ad seruiendum seruitutem.*

V. 7. Tu autem, & filij tui tecũ, custodite sacerdotium vestrum in omnibus, quæ ad cultum altaris pertinent, & quæ intra velum sunt, per Sacerdotes administrabuntur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et seruietis, seruitutem doni dabo sacerdotium vestrum.* Et ordo literæ est, quòd illa particula, *& seruietis,* iungitur præcedentibus: Et seruietis in omni re altaris, & in domo extra velum. Et quia dixerat Pontifici, & Sacerdotibus, *& seruietis*; subiunxit qualitatem seruitutis, dicendo: *Seruitutem doni dabo sacerdotium vestrum.* Ad differentiam seruitutis Leuitarum: nam Leuitæ ad seruiendum seruitutem tabernaculi; Sacerdotes autem ad seruiendum seruitutem doni asciti erant. Sacrificia siquidem, munera, & oblationes quæcunque appellantur *dona*: & perspicuum est, omnem Sacerdotum seruitutem circa dona huiusmodi occupari, vt patet discurrendo.

Si quis externus (proculdubio à domo Aharon) accesserit, morietur.

Vers. 8. Locutúsque est Dominus ad Aharon.] Summa omnium, quæ debentur Sacerdotibus ex sacrificiis, oblationibus, &c. subiungitur reuelata etiam ipsi Aharon primo Pontifici.

Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum, omnia, quæ sanctificantur à filiis Israël.] Iuxta Hebræum habetur: *Eleuationum mearum in omnibus sanctitatibus filiorum Israël.* Explanaturus prouentus, præmittit tanquàm rationem, quare ipsi Pontifici, & filiis eius dat huiusmodi prouentus. Propter hoc enim resumendo officium sacerdotale dicit: *Ecce ego dedi tibi custodiam eleuationum mearum,* (hoc est, curã illarum;) & officium circa illas, nõ in aliquibus, sed in omnibus sãctitatibus, (hoc est, sanctis oblationibus,) filiorũ Israël: & nomine *eleuationũ* intellige omnia oblata Deo.

Tibi tradidi, & filiis tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna.] Iuxta Hebræum habetur: *Tibi dedi ipsa in vnctione, & filiis tuis precepto sempiterno.* Iure vnctionis, qua vnctus es in summũ Sacerdotẽ, & filij in Sacerdotes simplices, dedi tibi, & illis eleuationes meas.

Vers. 9. Hæc ergo accipies de iis, quæ sanctificantur, & oblata sunt Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Hoc erit tibi de sancto sanctorum de igne.* More solito, postquàm in genere dictum est: Tibi dedi omnes eleuationes. distinguitur per partes inchoando ab illo oblatorum genere, quod appellatur *sanctum sanctorum*: cuius mentio facta est in Leuitico, & quia sanctum sanctorũ dupliciter inueniebatur, (vel, cuius pars cremabatur Deo; vel, sine aliquo interueniente incẽdio;) ideò adiũgitur, *de igne*: declaratur enim in primis, quòd Sacerdoti debetur, quicquid superest ex sancto sãctorũ ex igne.

Omnis oblatio, & sacrificium, & quicquid pro peccato, atque delicto redditur mihi, & cedit in sancta sanctorum, tuum erit, & filiorum tuorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Omnis oblatio eorum in omni munere eorum, & in omni chatah eorum, in omni asam eorum, quæ reddent mihi, sanctum sanctorum tibi ipsa, & filiis tuis.* Tres species sancti sanctorum ex igne numerantur, quæ in Leuitico sunt declaratæ.

Vers. 10. In Sanctuario.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *In sancto sanctorum comedes illud.* Nec appellatur hîc sanctum sanctorum, locus intra velum; sed locus iuxta tabernaculum; atrium, videlicet: erat enim locus ille relatiuè ad comedendum, sanctum sanctorum; vtpote, quo nullus sanctior ad vsum comedendi.

Mares tantùm edent ex eo: quia consecratum est Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Sanctum erit tibi.* Hanc particulam non minuendo à sancto sanctorum intellige; sed monendo Sacerdorem, vt hanc munditiam curet seruari; videlicet, quòd soli mares vescantur ex sancto sanctorum.

V. 11. Primitias [d] autẽ, quas vouerint.] Iuxta Hebræum habetur: *Et hoc tibi.* Secundus prouentus Sacerdotum adiungitur, & manifestatur, dicendo:

[d] Quum primitiæ frugum, ac cæterorũ, quæ Domino consecrabantur, respectu totius seminis parũ quid esset; Paulus ad id alludens dicit. *Nos primitias tantùm spiritus Christi habemus, non decimas.* Primitiæ siquidem erat respectu gloriæ, quæ illis imminebat.

Eleuationem doni eorum in omnibus eleuationibus filiorum Israel, tibi dedi ipsas, & filiis tuis, & filiabus tuis tecum præcepto perpetuo.] Directè hoc respicit portiones Sacerdotum ex sacrificiis pacificis: portio enim illa, quæ eleuabatur Deo manibus Sacerdotis, significatur nomine eleuationis.

Qui mundus est in domo tua, vescetur eis.

Vers. 12. Omnem medullam olei, & musti, ac frumenti, quicquid offerunt primitiarum Domino, dedi tibi.] Tertius prouentus Sacerdotum ex primitiis oblatis describitur. Sed, vbi Interpres scripsit, *medullam* lege iuxta Hebræum, *pinguedinem*: & vtitur pinguedinis nomine ad insinuandum, quòd optima debebant offerri.

Vers. 13. Vniuersa frugum initia, quæ gignit humus, & Domino deportantur, cedent in vsus tuos: qui mundus est in domo tua, vescetur eis.

14. Omne, quod ex voto reddiderint filij Israel, tuum erit.] Iuxta Hebræum habetur: *Omnis destructio in Israël, tibi erit.* Quartus prouentus Sacerdotum appellatur, *destructio,* hoc est, *anathema.* de quo in Leuitico locuti sumus diffusè.

Vers. 15. Quicquid primum erumpet ex vulua cunctæ carnis, quam offerunt Domino, (siue ex hominibus, siue ex pecoribus fuerit,) tui iuris erit: ita duntaxat, vt pro hominis primogenito pretium accipias; & omne animal, quod immundum est, redimi facias.

16. Cuius redemptio erit post vnum mensem

mensem siclis argenti quinque ponde-re Sanctuarij: siclus viginti obolos habet.

17. Primogenita autem bouis,& ouis, & capræ non facies redimi: quia sanctificata sunt Domino. Sanguinem tantùm eorum fundes super altare, & adipem adolebis in odorem suauissimum Domino.

18. Carnes verò in vsum tuum cedent, sicut pectusculum consecratum & armus dexter tua erunt.] Quintus prouentus Sacerdotum in primogenitis constituitur. Et hæc etiam superiùs tractata sunt.

Verſ. 19. Omnes primitias Sanctuarij.] Iuxta Hebræum habetur: *Omnes eleuationes sanctitatum, quas offerunt filij Iſraël Domino.* Vniuersalis sexto loco subiungitur clausula, vt quicquid ex oblationibus, siue ex voto, siue aliter prouenit, sit Sacerdotum.

Tibi dedi,& filiis, ac filiabus tuis.] Deficit, *tecum.* Ad excludendum filias extra paternam domum.

Iure perpetuo: pactum salis [a] est sempiternum coram Domino tibi, ac filiis tuis.] Aliàs diximus, ignotum esse nobis, vnde pactum firmum & immutabile, appellatum fuerit *pactum ſalis.*

[a] Pactum salis, hoc est, ita inuiolabile,& obseruandum, sicut obseruari præcepi, vt in omni sacrificio simul, & ante omnia mihi offeratur sal: præceptum enim de sale offerendo omnibus legibus sacrificiorum superponebatur, vt habes Leuitici 2.

Verſ. 20. Dixítque Dominus ad Aharon: In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars, & hæreditas tua in medio filiorum Israël.] Ad literam significatur, quòd oblata mihi Deo, erunt tibi Sacerdoti, vice portionis tuæ, & hæreditatis tuæ, quam sortitus esses inter filios Israël, sicut alij.

Verſ. 21. Filiis autem Leui dedi omnes decimas Israëlis in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis.] Iuxta Hebræum habetur: *In hæreditatem commutationem ſeruitutis eorum, qua ſeruiunt tentorio adunationis.* Expressè Deus manifestat decimam dari Leuitis vice hæreditatis, quam sortituri fuerant in terra promissionis inter filios Israël. Et quia decima plus comprehendit, quàm fuisset hæreditaria portio eorum, (quia duodecima tantùm pars eis obtigisset;) ideò ius decimæ subiungitur commutatio pro seruitute, qua seruiunt tabernaculo diuino: par enim est secundùm iustitiæ commutatiuæ rationem, vt Leuitæ, qui pro vniuersis filiis Israël subeunt seruitutem tabernaculi, plùs habeant: merces enim debetur seruitio eorum.

Verſ. 22. Et non venient vltrà filij Israël ad tentorium adunationis, ne committant peccatum mortiferum.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad portandum peccatum ad moriendum.* Si filij Israël appropinquassent tabernaculo, incurrissent periculum peccandi peccato digno morte corporali: translato autem officio appropinquandi ad seruitia, & custodiam tabernaculi in Leuiticam Tribum, exempti fuerunt filij Israël ab huiusmodi periculo: & hoc hic significari ad literam, testantur subiuncta:

Verſ. 23. Solis filiis Leui mihi in tentorio adunationis seruientibus, & portantibus peccata populi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ſeruiet Leui ipſe ſeruitutem tentorij adunationis,& ipſi portabunt iniquitatem eorum.* Repetitio est supradictæ sententiæ, quòd quemadmodum Sacerdotes portabunt iniquitatem sacerdotij; ita Leuitæ iniquitates seruitutis tabernaculi: & sic populus exemptus erit ab huiusmodi periculis.

Legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Nihil aliud possidebunt.

Verſ. 24. Decimarum oblatione contenti, quas in vsus eorum, & necessaria separaui.] Summauit Interpres diffusum Hebraïce sermonem: *Et inter filios Iſraël non hæreditabunt hæreditatem: quia decimam filiorum Iſraël, quam eleuabunt Iehouah eleuationem, dedi Leuitis in hæreditatem: idcircò dixi eis: Inter filios Iſraël non hæreditabunt hæreditatem.* Hæc omnia transiliuit Interpres, in quibus claré redditur ratio diuini statuti, quòd Leuitæ non hæreditent agros, & vineas in diuisione terræ promissionis. Nec sis ita rudis, vt intelligas, Leuitas priuari successione in bonis paternis, vel maternis: quoniam non est de huiusmodi hæreditate sermo, sed de hæreditate diuina, quum sorte diuidetur terra promissionis.

Verſ. 25. Locutúsque est Dominus ad Mosen, dicens.] Inter Sacerdotes, & Leuitas medius interponitur Moses, ne videatur, quòd Pontifex imponat Leuitis subiunctum onus.

Verſ. 26. Præcipe Leuitis, atque denuncia.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Leuitis loqueris,& dices eis.*

Quum acceperitis decimas à filiis Israël, quas dedi vobis.] Deficiunt tres dictiones, *in hæreditatem veſtram.* Commemoratur, quòd decimæ datæ sunt Leuitis vice hæreditatis propriæ: vt hinc intelligant, debitum sibi fore offerendi decimam Deo, quemadmodum aliæ Tribus Israël offerunt decimam ex propria hæreditate.

Primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Et eleuabitis ex ea eleuationem* יהוה, *decimam è decima.* Septimus scribitur prouentus Sacerdotum; videlicet, decima decimæ Leuitarum. Huiusmodi enim decima decimæ tanquàm oblatio Deo eleuanda decernitur ex portione Leuitarum: & propterea subditur iuxta Hebræum:

Verſ. 27. Et supputabitur vobis eleuatio vestra.] Proculdubiò ex hæreditate vestra. Vnde & aptè subiungitur:

Sicut frumentum de area,& sicut plenitudinem de torculari:

28. Sic eleuabitis etiam vos eleuationem Iehouah ex omnibus decimis vestris, quas accipietis à filiis Israël.] Ex similitudine ad reliquas Tribus declaratur hoc debitum, videlicet, quòd quemadmodum reliquæ Tribus dant decimam frumenti ex area, & decimam vini ex torculari; ita vos Leuitæ ex acceptis decimis dabitis decimam Deo: decimæ enim datæ vobis sunt tanquàm area, & tanquàm torcular vestrum. Vide, quanta inuoluit Interpres.

Et date ea Aharon.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dabitis ex ipſa eleuationem* יהוה *Aharon Sacerdoti.* Non soli Pontifici, sed Pontifici, & Sacerdotibus danda decernitur decima decimæ, quæ est ex ipsa decima Leuitarum

tarum eleuatio Dei, hoc eſt, portio offerenda Deo, tanquàm id, quod eleuatur Deo.

Verſ. 29. Omnia, quæ offertis ex decimis [f], & in donaria Domini ſeparatis, optima, & electa erunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Ex omnibus donis veſtris eleuabitis omnem eleuationem Iehouah, ex omni pinguedine eius, ſanctitatem eius ex ipſa.* Duo hîc præcipiuntur. Alterum, vt quælibet decima Dei ſit ex quolibet, quod datur Leuitis, proculdubiò in decimam: ita quòd cuilibet rei reſpondeat propria decima. Alterũ, vt ſit ex pingui; hoc eſt, ex meliori dato. Et huius ratio tangitur: quia eſt ſanctitas; hoc eſt, portio ſancta, portio dicanda Deo. Hinc enim ſequitur, quòd melior pars debet eſſe, quemadmodum Deus, cui datur, præſtat omnibus.

[f] Cùm decimæ, quæ in Sanctuario Domino offerebantur, de ſelectioribus fierent, iuxta verbum Domini (vt optima ſtipendia ſub Chriſto facerent, qui Chriſto militabant;) decimarũ nomine vocarunt veteres quæcunque honorifica dona, vt Geneſis 14. Abraham Melchiſedech Altiſſimi Dei Sacerdoti decimas dedit ex omnibus, id eſt, eximia, & honorifica dona ex ſpoliis ei obtulit.

Verſ. 30. Dicéſque ad eos: Si præclara, & meliora quæque obtuleritis ex decimis, reputabitur vobis quaſi de area, & torculari dederitis primitias.] Ratio alia adiungitur ex ſimili in area, & torculari.

Verſ. 31. Et comedetis eas in omnibus locis veſtris, tam vos, quàm familiæ veſtræ: quia pretium eſt pro miniſterio, quo ſeruitis in tentorio adunationis.] Nullus locus ſanctus decernitur Leuitis ad comedendum decimas: quia tanquàm pretium ſeruitutis eorum ſunt.

Verſ. 32. Et non peccabitis ſuper hoc, egregia vobis, & pinguia reſeruantes.] Ne intelligeretur, quòd Leuitas dare decimam ex meliori, eſſet conſilium, & non præceptum, manifeſtatur eſſe præceptum, ex hoc, quòd incurritur peccatum faciendo oppoſitum.

Ne polluatis oblationes filiorum Iſraël.] Ratio peccati adiungitur dicendo: *Et ſanctitates filiorum Iſrael non polluetis.* Ex decimis ſiquidem datis Leuitis à filiis Iſraël dare minùs bona Deo in decimam decimæ, eſt polluere ſanctificationes filiorum Iſraël, relatiuè ad Deum: dum meliùs ſeruatur Leuitis, & minùs bonum datur Deo. Vt hinc intelligant Leuitæ, quòd huiuſmodi decimam decimæ non quaſi de proprio Leuitarum, ſed de proprio filiorum Iſraël dant Deo: ac per hoc perfidiæ crimen incurrunt, ſi meliora ſibi reſeruando, minùs bona offerunt Deo. Nam intelligitur, & ſanctiſſimè præſumitur, quòd filij Iſraël dantes decimam intendunt, vt optima pars ſit Dei; intendunt, vt Deus præferatur hominibus. Conſidera Dei benignitatem in hoc, quòd decima decimæ ſecundùm rei veritatem proficiſcebatur ex propriis filiorum Iſraël; & tamen Deus acceptare ſe profeſſus paulò ſuperiùs eſt illam à Leuitis tãquàm oblationem Leuitarum ex propria hæreditate Leuitarum: gaudet enim diuina benignitas multiplicatione meritorum noſtrorum ſuper re eadem: placet Deo, vt & Leuitæ mereantur, & filij Iſraël mereantur in vna, & eadem oblatione. Nihil deperit merito meo ex hoc, quòd mille alij in eadem actione merentur: ſed diuinæ multiplicatur benignitatis effectus.

Et moriamini.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non moriemini.* Apponitur demum periculum mortis, vt vel euaſio à morte trahat Leuitas ad offerendum meliora Deo: vt ſi non pro honore Dei, ſaltem vt euadant periculum mortis, ſeruent legem.

CAPVT XIX.

Vers. 1. Locutúſque eſt Dominus ad Moſen, & Aharon dicens:

2. Iſta eſt religio victimæ, quam conſtituit Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Hoc ſtatutum legis, quod præcepit* צוה *dicendo.* Nouum genus ſacrificij, ſeorſum ab aliis, meritò decernitur; non ſolùm, quia diuerſo modo fiebat; ſed ideò ſpecialiter præceptum legis appellatur: quia tunc in deſerto executioni mandandum erat: leges verò reliquæ ad tẽpus ſpectant terræ promiſſæ.

Præcipe filiis Iſraël, vt adducant ad te.] Quia pro vniuerſo populo ſacrificium hoc erat, ideò vniuerſus populus ipſum offerebat. Et quanuis pronomen, *te*, principaliter Moſen demonſtrare videatur; ſubiuncta tamen inſinuant, quòd demonſtrat vtrunque pro indiuiſo: vt lex perpetua ſignificet vaccam hanc deferendam ad Pontificem pro tempore: ideò enim ſingulari pronomine vtitur.

Vaccam rufam [a],] pro, *rubeam:* ſic enim habetur Hebraicè. Intelligitur tamen color rubeus in genere bouino.

[a] Paulus ad Heb. monuit, in huius vaccæ rubedine vnũ Chriſti ſanguinem ſignificatum. Sic poſſumus & nos in aliis ſacrificiis, quæ miris & multis cæremoniis facere oportebat, typos adducere; ſed cũ vltrò offerente ſe ſimilitudine & proportione, vt nihil cõtorqueas, nihil adfectas, quod ſenſum fidei non ferat.

Ætatis integræ.] Iuxta Hebræum habetur, *perfectam:* vt & ſecundùm ætatem, & ſecundùm omnes ſui partes habeat, quicquid ad perfectionem vaccæ exigitur.

In qua nulla ſit macula, nec portauerit iugum: tradetiſque eam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dabitis ipſam Elhazaro Sacerdoti.* Ambobus præcipitur, vt executio intelligatur in deſerto facienda.

V. 3. Qui eductam extra caſtra immolabit.] Singulariſſimum eſt hoc, quòd nõ iuxta altare Dei, ſed extra caſtra iugularetur hoſtia.

In conſpectu omnium.] Iuxta Hebræum habetur, *in facie ſua.* Et per hoc inſinuatur, quòd iugulatio non per ipſummet, ſed per alium fieret ab Elhazaro; præſente tamen, & inſpiciente ipſo.

Verſ. 4. Et tingens digitum in ſanguine eius aſperget contra fores tabernaculi.] Clariùs habetur iuxta Hebræum: *Ad contra faciem tentorij adunationis ſeptem vicibus.* Per hæc enim clarè ſignificatur, quòd Elhazarus ibidem extra caſtra exiſtens, vertens ſeipſum verſùs faciem tabernaculi, aſperſurus erat ſepties. Et per hoc manifeſtatur, quòd locus ille extra caſtra, quãuis diſtaret à facie tabernaculi, nõ abſoluebatur à tabernaculi reuerentia.

Verſ. 5. Comburétque eam cunctis videntibus.] Iuxta Hebræum habetur, *in oculis ſuis.* Ad ſignificandum, quòd non per ſeipſum, ſed per alium Elhazarus comburebat vaccam; ipſo tamen ſpectante.

Tam pelle, & carnibus eius, quàm ſanguine, & fimo igni traditis.] Et hoc eſt aliud ſingulare in hoc ſacrificio, quòd ſanguis etiam comburitur.

Verſ. 6. Lignum quoque cedrinum, & hyſſopum, coccúmque bis tinctum [b] Sacerdos mittet in flammam, quæ vaccã vorat.] Tertium ſingulare in hoc ſacrificio eſt appoſitio cedri, & cocci.

Verſ. 7. Et tunc demum lotis veſtibus, & corpore ſuo, ingredietur in caſtra: commaculatúſque erit vſque ad veſperum.] Et hoc eſt quartum ſingulare, quòd

[b] Sicut innocentia in ſacris confertur candori niuis, & lanæ; ſic rubedini, filo rubro, & coccineo peccata comparantur, vt Eſai. 1. *Si fuerint peccata veſtra, ſicut filum rubicundum; vt nix, & lana, alba erunt.* Hinc

etiam peccata *sanguis* ob colorem dicitur Psal. 5. Vnde & Adã, qui de terra rubra sumptus est, hoc nomen accepit, præsagio quodam, quòd futurus esset peccator. Putarem igitur, omnes huiusmodi appellationes à Prophetis desumptas ex cæremoniis huius sacrificij.

quòd ipse Sacerdos ex sacrificio, & reddebatur immundus vsque ad vesperam, & ingredi non poterat castra, nisi priùs lotis vestibus,& carne sua. Vbi aduerte, prudens lector,semel,pro semper, quòd, quia non dicitur, mutatis vestibus, sed *lotis aqua*, non intelligitur talis ablutio, quæ exigat mutationem vestis, seu expectationem, donec vestis abluta exiccetur: sed intelligitur ablutio per modum aspersionis. Et quia nulla certa aqua decernitur, communis aqua sufficiebat. Et idem intellige vbicunque mandatur ablutio vestis, seu carnis ad similes immunditias tollendas, si nihil aliud adiungitur. Quod ideò dico:quia quandoque adiungitur, quòd aqua sit aqua sancta: vt inferiùs subiuncta manifestant.

*Vers.*8. Sed & ille, qui combusserit eam, lauabit vestimenta sua, & corpus: & immundus erit vsque ad vesperum.

Vers. 9. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & efferet eos extra castra in locum mundum:& erunt multitudini filiorum Israël in custodiam,& in aquam aspersionis. [c]] Non habetur coniunctio copulatiua; sed dicitur, *custodiam in aquam*: quia ad hoc custodiebantur,vt inde sanctificaretur aqua, quæ propriè iuxta Hebræum appellatur *aqua elongationis*;quamuis ab Interpretibus vocetur *aqua aspersionis*,vel *lustrationis*. Et vocatur *aqua elongationis*,quia est instituta ad tollendum elongationem hominum à diuino tabernaculo: multa enim immundorum genera tandiu longè erant à diuinis, quandiu non erant mundati aqua ista: ad hoc enim sacrificabatur hæc vacca, vt ex ipsius cinere sanctificaretur aqua ad tollendum elongationem immundorum. Sed nota, quòd nullum certum tempus decernitur, vsquequò seruari deberet hic cinis. Non inuenitur scriptum, quòd singulis annis fieret huiusmodi sacrificium: propter quod rationabile videtur, vt quandiu duraret cinis, non repeteretur hoc sacrificium: quia pro cinere hoc fiebat. Et si Hebræis creditur,multis annis seruabatur cinis, & valdè rarò huiusmodi sacrificium fiebat.

c Steuchus asserit, aquam benedictam huic aquæ expiationis in Ecclesiis successisse.

Quia pro peccato vacca combusta est.] Iuxta Hebræum habetur: *chatah ipsa*. Ratio redditur sanctitatis, & efficaciæ talis aquæ,ex hoc, quòd sacrificium vaccæ est species sacrificij pro peccato: vt hinc intelligamus,quòd non est penitùs nouum,non est omninò alienum à decretis in Leuitico sacrificiis hoc sacrificium;sed est quædam singularis species sacrificij pro peccato: quia est pro peccato multitudinis, hoc est, pro immunditiis totius populi.

Vers. 10. Lauabitque, qui vaccæ cineres portauit, vestimenta sua, & immundus erit vsque ad vesperum: eritque hoc filiis Israël, & aduenæ habitanti inter eos sanctum iure perpetuo.

11. Qui tetigerit cadauer hominis, & propter hoc septem diebus fuerit immundus.] Mundandi hac aqua decernuntur,inchoando ab immundo ex tactu cadaueris humani.

Vers. 12. Aspergetur ex hac aqua die tertio, & septimo: & sic mundabitur. Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari.] Tempus aspersionis decernitur cum tanto vinculo,vt si omissa fuerit aspersio die tertio, vana sit purificatio.

Vers. 13. Omnis, qui tetigerit humanæ animæ morticinum, & aspersus ex hac commixtione non fuerit.] Necessitas aspersionis manifestatur ex tribus: primum dicendo:

Polluet tabernaculum Domini.] Hebraïcè tamen habetur in præterito, *polluit*. Et subintelligitur coniunctio copulatiua: hoc est, quòd *non fuit purgatus*, *& polluit tabernaculum* יהוה: hoc est, quòd sine purgatione ausus est ire ad diuina,quæ celebrabantur in tabernaculo Dei. Et hinc subditur secundò pœna:

Et peribit de Israël.] Pœna mortis imminentis diuino iudicio prædicitur. Tertium autem subiungitur:

Quia aqua expiationis non est aspersus, immundus erit, & manebit spurcitia eius super eum.] Declaratur enim, quòd immunditia illius perseuerabit super eum: vt vel ex huiusmodi perseuerantia timeat diuturnam immunditiam, elongantem à diuinis.

Vers. 14. Ista est lex.] Hìc fiat punctus: quoniam lex subiungitur, diuersa disponens de mortuo domi,& de mortuo in agro. Inchoauerat enim declarare immundos purificandos hac aqua, inchoando à tangente cadauer hominis: prosequitur modò comprehendendo omnifariam immundos occasione hominis mortui.

Hominis,qui moritur.] Legendum est: *Homo,quando morietur in tentorio.*

Omnes, qui ingrediuntur tentorium illius, & vniuersa vasa, quæ ibi sunt,polluta erunt [d] septem diebus.

Vers. 15. Et omne vas, quod non habuerit operculum, & ligaturam desuper, immundum erit.] Distinguit lex inter communicantes cum mortuo domi, vel cum mortuo in agro: & disponit immunditiam hominis mortui domi, redundare,tum in omnes venientes ad domum illam, tum in omnes in domo illa existentes; (& hoc deficit in vulgata editione,) per dies septem, tum in omne vas non opertum operculo affixo.Et hæc intellige,quandiu cadauer est domi:tẽpus enim septem dierum refertur ad immunditiam contractam, tam hominum domi existẽtium,quàm ingredientium domum. De communicantibus verò cum mortuo in agro, non disponitur tam larga redundantia immunditiæ,sed in tangentes tantùm;verùm tactus causans similem immunditiam extenditur,dicendo:

Vers. 16. Et omnis, qui tanget super faciem agri occisum gladio, vel mortuum, vel os hominis, vel sepulcrum, immundus erit septem diebus.] Extra domum locus quicunque per faciem agri significatur. Nec est sermo iste distinctus (tanquam è regione domus distinguat agrum: quum tactus cuiuscunque horum quatuor in Litera nominatorum, vbicunque acciderit,reddat hominem tangentem immundum:) sed est sermo extensiuus;manifestans, quòd contactus cuiuscunque horum quatuor, etiam in agro, reddit tangentem immundum diebus septem, &

d Persæpe admiratus sum,hominis mortui contactum tam strictè prohibitum fuisse in lege, totiésque eãdem prohibitionem repeti Sacerdoti, Põtifici, Nazaræo, denique & omnibus; quum tamen sepelire mortuos inter misericordiæ opera præcipuum habitũ sit,vt legimus in Tobiæ libro. Quare huius leges tam seueræ earn rationem puto esse, quòd quum extra resurrectionis mortuorum spem vana sit omnis fides,& inanis (vt inquit Paulus) nullaque possit esse pietas in illis, qui aliam vitam non expectant, ne populus ab hoc fidei fundamento resiliret, illis tam seuerè interdixit Dominus ingressum ad mortuum Fiebant siquidẽ apud Ethnicos in mortuorũ funeribus prodigiosissimæ superstitiones, & contristabantur, *sicut gentes, quæ spẽ non habent*, 1. Thes. 4. Aliquando & filij, & vxores cum defuncto se sepelientes,vt passim historiæ meminerunt. Vt igitur ab hoc contagio (quod fidem prorsus euellere poterat) abstinerent, nec ethnicas illas cõgregationes ad mortuũ admitterent, legem tam strictè latam credo. Sepeliebãtur tamen mortui officiose per illos, quos prouidisset Magistratus.

& egentem aspergi hac aqua die tertio, & die septimo. Distinctio autem consistit in hoc, quòd mortuus domi contaminat non solùm tangentes, sed existentes domi, & conuenientes intra domum: mortuus autem extra, (& similiter os mortui, & similiter sepulcrum) contaminat solos tangentes. Non erant immundi concurrentes ad occisum in platea hominem, vel ad funus honorandum in via, aut ad sepulcrum, nisi tangerent.

Vers. 17. Tolléntque de cineribus combustionis, atque peccati.] Legendum esset, *pro peccato*: nam Hebraïcè habetur, *combustionis chatah*. Ritus describitur purificationis istius.

Et mittent aquas viuas super eos in vas.

Vers. 18. Tollétque vir mundus hyssopum, & tinget in aquis.] Non dicitur Sacerdos, aut Leuita; sed duntaxat, *vir mundus*.

Et asperget ex ea super tentorium, & cunctam supellectilem, & homines huiusmodi contagione pollutos.] Multa summat Interpres: nam in Textu Hebraïco singillatim describuntur immundi, dicendo: *Et super animas, quæ fuerunt ibi, & super tangentem os, vel decollatum, vel mortuum, vel sepulcrum.* Repetuntur enim mundandi hoc ritu.

Vers. 19. Atque hoc modo mundus lustrabit immundum tertio, & septimo die: expiatúsque die septimo lauabit se, & vestimenta sua, & immundus erit vsque ad vesperum.] Post aspersionem susceptam die septimo aquæ sanctæ, exigebatur, vt altera aqua se, & vestimenta sua aspergeret mundatus: & nihilominùs perseuerabat immundus vsque ad vesperam. Considera, prudens lector, & hoc singularissimum in hac aqua sancta, quòd aspergens, & aspersus reddebatur immundus alia specie immunditiæ: ita quòd aspersus, quanuis mundaretur ab immunditia contracta occasione mortui, incurrebat tamen aliam immunditiam ex hoc, quòd aspergebatur aqua sancta: & propter hanc nouam immunditiam exigebatur, quòd lauaret se, & vestimenta sua, pura aqua, & perseueraret immundus vsque ad vesperam.

Vers. 20. Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima eius de medio Ecclesiæ suæ: quia Sanctuarium Domini polluit; aqua lustrationis non est aspersus.] Intellige hanc pollutionem Sanctuarij, vt prædiximus; videlicet, si immundus præsumpsit adire diuina.

Vers. 21. Eritque eis in præceptum perpetuum: & qui asperget aquas lustrationis, lauabit vestimenta sua.] Minùs exigitur ad mundandum aspergentem: quia non exigitur, vt lauet se; sed solummodo, vt lauet vestimenta sua.

Et qui tetigerit aquas lustrationis, immundus erit vsque ad vesperum.

Vers. 22. Et quicquid tetigerit immundus, immundum faciet; & anima, quæ horum quippiam tetigerit, immunda erit vsque ad vesperum.] Collige tot species immunditiæ diuersimodè mundandas: quædam enim mundabantur aqua sancta die tertio, & septimo; quædam mundabantur ablutione sui, & vestium aqua pura, cum perseuerantia immunditiæ vsque ad vesperam: quædam sola ablutione vestium: quædam solo decursu temporis vsque ad vesperam.

CAPVT XX.

Vers. 1.

VEneruntque filij Israël, & omnis multitudo in desertum Zin [a].] Non est idem Sin hoc, & illud, cuius mentio facta est in principio capituli 16. in Exodo. Nam illud Sin scribitur per literam Samech; illud autem per literam Saddi.

Mense primo.] Nec dicitur quoto anno: creditur tamen à multis, quòd fuerit mensis primus anni quadragesimi ab egressu ex Ægypto. Et argumẽtum sumitur ex eo, quòd mors Aharon, quam certum est fuisse anno quadragesimo ab egressu ex Ægypto, (vt clarè dicitur inferiùs cap. 33.) subiungitur in mansione immediatè sequente hanc: hæc enim mansio supputatur mansio trigesimatertia in catalogo mansionum scripto inferiùs cap. 33.

Et mansit populus in Cades.] Quæstio est, an hæc Cades sit illamet Cades, cuius mentio facta est in cap. 13. Illa enim pluries appellata est Cades-Barneah, (vt patet Deuter. 1. & 2. & Iehosuæ 13.) & appellata nihilominùs Cades, sine aliqua additione, tum superiùs in 13. cap. tum in calce primi capituli Deuter. Ista autem appellatur Cades absque additione aliqua, tam hîc, quàm in cap. 33. in catalogo mansionum. Et appellatur rursus in hoc capitulo, ciuitas sita in extremis finibus Idumææ. Illa Cades describitur sita in deserto Paran superiùs in cap. 13. ista in deserto Zin, tam hîc, quàm in catalogo mansionum. Duæ itaque apparent distinctiones: altera penes situm; quia illa in deserto Paran, ista in deserto Zin: altera penes cognomen; quia illa Cades-Barneah cognominatur; ista ciuitas in extremo Idumææ. Crediderim tamen ego, eandem esse Cades dirutam ciuitatem [b], quæ vocabatur Cades Barneah, iuxta quam bis manserint filij Israël: primùm, ex latere deserti Paran; & secundò, ex latere deserti Zin. In cuius signum nunquam commemoratur Cades, vt locus mansionis; sed vt adiacens vel deserto Paran, vel deserto Zin: Hebraïcè enim scribitur in desertum Paran in Cades; & similiter in desertum Zin in Cades: tanquam vtriusquè deserti pars illa describatur, quæ prope ciuitatem Cades erat. Moueor autem ad hoc opinandum: quia circumitus Idumææ subiunctus in hoc capitulo ex illa Cades fuit: vt scribitur in calce primi cap. Deuter. Et ex hac Cades fuisse missos nuncios ad Regem Edom, in hoc scribitur capitulo: vna igitur, & eadem Cades est hæc, & illa. Accedit ad hæc, quòd tam hæc, quàm illa describitur contigua, seu valdè propinqua Chananæo: cum quo bis, aut ter conflixit Israël, vt in sequenti insinuatur capitulo.

Mortuáque est ibi Miriam, & sepulta in eodem loco.] Propterea meminit Moses temporis, & loci huius mansionis trigesimætertiæ, omissis reliquis, vt tempus, & lo-

[a] Huius deserti *Zin*, alio modo *Cades* dicti, differentiam ab altero superiùs nominato, Exod. 16. litera initialis apud Hebræos manifestat. Iste eremus terminus est Chanaan ab australi ortu, fines extremos habens Edom. Quo loco vrbs est eiusdem nominis, vnde nuncios exiisse legimus, qui transitũ ab Idumæis obsecrarent.

[b] Zieglerius, & Vuolphangus in terræ sanctæ Geographia peritissimi, opinionẽ Authoris non acceptant.

cum mortis Miriam notificaret.

Mortua est igitur Miriam paruo tempore ante mortem Aharon fratris sui: ipsa enim mense primo; ille autem mẽse quinto eiusdem anni mortuus est [c].] Sed illa iuxta ciuitatem Cades; iste in monte Hor.

[c] Veteres accuratiùs sibi sepulturam disposuisse, atque pro facultatibus suis satis sumptuosè, atq; magnificè, multisq; aromatibus suos sepeliuisse, Scriptura docet. Quod factũ est, vt eo cum posteris suis, tum gentibus, fidem resurrectionis testarentur. Erant miræ structuræ illa sepulcra, albedine splendescentia, adeò vt Christus Pharisæorũ fucum, quo illi foris falsa religione & decentia splendebant, sepulcris compararet. Erigebantur etiã huiusmodi sepulturę, miteque ornabantur in laudem mortuorũ, sicut Luc. 11. Pharisęi se iactabant monumenta Prophetarum ædificasse: magnificabant enim illo tẽpore sepultura, & in sepulcris patrũ sepeliri, deferebantúrque ad illa, etsi distantissime morerẽtur. Hoc enim Scriptura recenset de sãctis Regibus Iudę, tanquàm ad honoris cumulum; sicut in vituperium Absalon scriptum puto, quod cadauer eius in foueã proiectũ sit, imposito super eum aceruo lapidum, tanquàm dedecorosum sepulcrũ. Sic quum hîc Mariã sepultam audimus, valdè compositam, miteque ornatam sepulturam Israelitas illi, tanquàm prophetissæ, erexisse intelligamus.

Vers. 2. Quúmque indigeret aqua populus.] Aduerte, prudens lector, quòd, si verum est significari mensem primum anni quadragesimi, penuria hæc aquæ non est intelligenda tunc; sed commemorata duntaxat: ita quòd mors Miriam secundùm ordinem historiæ scripta intelligatur in mansione trigesimatertia: penuria autem aquæ intelligatur scripta hîc, commemorando penuriam aquæ, quæ olim acciderat. Moueor autem ad sic intelligendum, quia insurgentes contra Mosen, & Aharon, fuerunt illi, qui egressi erant ex Ægypto, vt ipsimet fatentur: perspicuum est autem, anno quadragesimo nullum eorum, qui egressi sunt ex Ægypto superstitem fuisse, nisi Mosen, & Aharon, Iehosuah, ac Chaleb. Commemoratur igitur aquæ penuria, quæ olim acciderat: & quia commemoratur inter ea, quæ acciderunt in Cades, coniectura est, quòd penuria ista in Cades acciderit. Veruntamen coniectura ista vincitur ab ordine rerum gestarum: ex eo enim, quòd post mortem decem exploratorum fuit hęc murmuratio, (vt infrà patet,) consequens est, vt non fuerit in Cades Barneah: nam Deus tunc mandauit, vt inde recederent, vt pàtet superiùs cap. 14. In cuius negatiuæ signũ in Litera ista legatio missa ad Edom, scribitur missa è Cades: indigentia autẽ aquæ non scribitur in Cades, sed absque loci nomine. Eundo igitur de Cades ad circumgyrandum montem Sehir, accidit hoc, (quemadmodum & morsus serpentum,) in locis nobis incertis.

Coïerunt aduersùs Mosen, & Aharon, *Vers.* 3. & versi sunt in seditionem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et litigauit populus cum Mose.* Collectio fuit aduersùs vtrunque; sed iurgium cum Mose.

Et dixerunt: Vtinam periissemus inter fratres nostros coram Domino.] Viderant isti mortuos coram Domino decem exploratores reuersos, qui exterruerant populum, vt clarè scribitur superiùs cap. 14. & illos appellant fratres suos consumptos coram יהוה: & tanta passione excæcati erant, vt præferrent mortem illorum vitæ suæ in hac penuria. Intellige tamen hæc verba, non, vt sonant ex corde prodiisse, sed hyperbolicè manifestasse magnitudinem internæ tristitiæ, & desperationis. Et hæc litigantium cum Mose verba valdè annotabis: quoniam hæc sola sufficiunt ad manifestandum, quòd aqua, de qua est hîc mentio, est alia aqua ab illa aqua, quæ Exodi 17. scribitur producta de petra: quoniam illa fuit, antequàm venissent filij Israël in montem Sinaï: istam autem post mortem exploratorum coram Domino fuisse, hæc verba testantur. Et scito, quòd nulli alij leguntur consumpti coram Domino, nisi illi decem exploratores, & duo filij Aharon Leuitic. 10. & quoniam perspicuum est, non esse sermonem de duobus filiis Aharon, consequens est, vt de consumptione exploratorum sit sermo.

Vers. 4. Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem, vt moriamur nos, & iumenta nostra? *Vers.* 5. & quare nos fecistis ascendere de Ægypto?] Hîc habetur, quòd queruli isti erant illi, qui egressi fuerant de Ægypto.

Et eduxistis nos in locum istum pessimum, qui seri non potest, & qui nec ficum gignit, nec vitem, nec malogranatum, & qui aquam non habet ad bibendum?] Viderant exploratores attulisse ficus, vuas, & malogranata, vt scriptum est cap. 13. & propterea hæc in specie commemorant.

Vers. 6. Ingressíque Moses, & Aharon dimissa multitudine tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram: clamaueruntque ad Dominum [d], & dixerunt: Domine Deus, audi clamorem populi huius, & aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ, vt satiati cesset murmuratio eorum. *Vers.* 7. Et apparuit gloria Domini super eos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et venit Moses, & Aharon à facie adunationis, ad ostium tentorij adunationis, & ceciderunt super facies suas: & fuit visus honor* יהוה *eis.* Sic habetur in Hebræo: & nihil dicitur de ingressu in tabernaculum, nulla scribitur oratio Mosis, & Aharon ad Deum. Quis autem hæc addiderit vulgatæ editioni, nescitur. Nec etiam dicitur, quòd honor Dei visus sit super eos; sed, *eis*, Mosi, & Aharon. Nec significatur fuga Mosis, & Aharon: sed, quòd auditis querelis venerunt à loco, vbi erant cum multitudine adunata, ad locum orationis ad ostium tabernaculi. Et in hoc insinuatur, quòd dixerunt congregatis aduersùs eos, se recursuros ad Deum. Qualis autem fuerit honorabilis species Dei, quæ apparuit, non aliter scribitur.

[d] Auxilia Dei, consolationes, & secũdùm Dei spiritũ per fontẽ hîc significantur tropo Hebraico, sicut & per fluuios, & riuulos; idque indicant multa Scripturæ loca, vt Psal. 35. *Flumine deliciarum tuarum potabis eos.* Petebat igitur Moses, vt Dei benignitas populum respiceret.

Vers. 8. Locutúsque est Dominus ad Mosen dicens: Accipe virgam [e].] Proculdubiò illam, in qua fecerat tot miracula in Ægypto, cum qua etiam alias eduxerat aquas de petra in mansione apud Rephidim.

Et congrega populum, tu, & Aharon, frater tuus: & loquimini ad petram coram eis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et loquemini ad rupem in oculis eorum.* Non dicitur: Et percutietis rupem, sed loquemini ad rupem: quoniam solo imperio disponebat Deus, vt educerentur aquæ spectante populo.

Et illa dabit aquas.] Deficit, *suas.* Promittit Deus, quòd ad sermonem eorum rũpes dabit aquas suas. Et dicendo, *suas*, insinuat, quòd mons ille, cuius erat rupes, esset locus generatiuus aquarum: non enim frustrà adiungitur, *suas.*

Cúmque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo, & iumenta eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et facies exire eis aquas è rupe, & potabis Synagogam, & iumenta eorum.* Efficacia tanta promittitur, vt aqua sat sit, & vniuerso populo, & vniuersis pecoribus eorum.

Vers. 9. Tulit igitur Moses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei.] Hinc habetur, quòd illa Mosis

[e] Notãdum hîc duxi, narrari in Scripturis nonnũquam mystica quædam facta, qualia fuerunt hæc petræ cum virga percussio, vt daret aquã, & alia, quibus Moses iussus fuit miracula perficere, vt percussio illa per virgam maris rubri, vt scinderetur. similiter trina expãsio Helisei super mortuum, septima lotio Naaman Syriæ Principis in Iordane, & similia. Mystica dixerim: nam nullus est, qui non agnoscat, nõ fuisse virgæ, & percussionis Mosi, vt mare diuideretur, & petra hæc daret aquas; sicut nullus dubitabit, aspersionẽ luti super oculos cæci nati, Ioan. 9. cæco nequaquam visum restituisse, sed parum etiam momẽti ad id per se contulisse. Cur igitur voluit Dominus ista adhiberi? Vt quidem sentio, hac potissimùm causa, vt doceret, nõ aliter, & aliis in rebus se omnia perficere, & quod nos, & alias creaturas operibus suis adhibet, tãquàm cooperarios: id verò nequaquam facere, quò

cõmodiùs opera sua perficiat, sed quò nos, aliásque creaturas, quibus ita vtitur, honoret, suæque tãtò plenius bonitatis faciat esse participes. Vt etiã aliquos solo contactu sanabat Christus, vt indicaret pretiũ carnis suę, per quam salutẽ nostram operatus est, aliquando solo verbo sanabat, vt ostẽderet, se solo verbo omnia posse perficere, ne displiceremus nobis, quibus corporis sui præsentiã subduxit.

f De peccato Mosi, quod iuxta petram commisit, variæ sunt apud Iudæos, & Latinos Doctores opiniones. Quidam putant eum peccasse, quòd stultum vocauerit populum Dei; nonnulli, quòd irrisoriè loquutus fuerit populo dicendo: *Nunquid de petra*, &c. Qui tamen leniter tractandi erant, & ad fidem Dei trahendi. Dicunt alij, quòd Israelitæ voluerunt habere aquã de petra vna: Moses autem ex alia aquas educere voluit, dicens: *Nunquid de petra ista*, &c. Vnde populus cogitare cœpit, quod Deus ex vna posset educere aquã, & non ex alia. Recitant & alij puerilìores adhuc opiniones. Et quidem verba Mosi sunt tam succincta, vt nemo facilè ex illis aduertere possit, in quo peccauit. Item, si in illis verbis peccauit, in quo, obsecro, deliquit Aharon, quũ illa non protulerit. Putarem igitur, tacitum esse in Scriptura Mosis peccatum. Nã in verbis Mosis vix delictum agnoscere possum. Supponendũ est igitur, quum Scriptura manifestissimè tradat, eũ occasione populi peccasse, Deuter. 1. multa hic accidisse, quæ expressa non sunt: non enim exprimitur sermo, quem habuerant ex mandato Domini ad petram. Itidem, quũ aquæ istæ per antonomasiã aquæ dicantur contradictionis, id est, contentionis, & iurgij, iurgium seuerum inter eos fuit. Fortè Israëlitę multa Mosi, & Aharõ falsè improperarunt, in qua lite Moses, & Aharon, vt homines, defecerunt.

Mosis virga, cum qua facta fuerant tot mirabilia, locata est post perfectum tabernaculum intra illud coram Arca Dei.

Vers. 10. Congregatáque multitudine ante petram, dixit eis: Audite, rebelles, & increduli.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Audite nunc, rebelles.* Deus mandauerat, vt alloquerentur rupem: Moses autem à mandato diuino diuertens, non alloquitur rupem, sed arguit populum.

Num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere f?] Iuxta Hebræum habetur: *Num de rupe ista faciemus exire vobis aquas?* Nihil dicit de potestate sua, aut alterius, sed de opere. Vertit enim in dubium ipsam eductionem aquæ de petra: ita quòd peccauit vertendo in dubium, quòd Deus promiserat assertiuè: & in hoc occasionem dederunt populo minùs credendi.

Vers. 11. Cúmque eleuasset Moses manum percutiens virga,] Iuxta Hebræum habetur: *Et percussit virga sua bis rupem: & egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet, & iumenta.* Et ex pronomine, *sua*, addito *virgæ*, manifestatur, quod diximus; videlicet, virgam hanc fuisse virgam Mosis, cum qua fecerat tot mirabilia: propterea enim additur, *sua*. Quòd autem percusserit duabus vicibus, ex peccato processit: nam nec semel percutere ei mandatum erat: & tam percutere, quàm iterum percutere rupem illam, ex peccato fuit: Deus enim mandauerat, vt alloquerentur petram cum virga Mosis: ipsi autem non sunt allocuti petram, sed quantùm ad virgam paruerunt: quia Moses eleuauit manum suam tenentem virgam: & hoc debebat sufficere, quemadmodum in Ægypto expertus fuerat. Nam non est hìc iussa percussio lapidis, quemadmodum iussa fuerat in Rephidim: sed humano sensu Moses intellexit percutiendam esse rupem hìc, quemadmodum & ibi. Vide tamen diuinam benignitatem, quòd quanuis Moses, & Aharon minùs obedientes se exhiberent, beneficium tamen promissum dedit, post secundam tamen percussionem: vt etiam facto monstraret minùs benè dispositam mentem Mosis, & Aharon: merebatur enim ambigua eorum mens peius, quàm hanc dilationem.

Vers. 12. Dixítque Dominus ad Mosen, & Aharon: Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israël.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia non fecistis credere in me, in facere sanctificare me, in oculis filiorum Israël.* Scito, quòd dictio interpretata, *credidistis*, apud Hebræos propriè significat, *fecistis credere:* veruntamen, quia verbum hoc caret præterito primæ personæ; ideò vsurpari aiunt quandoque pro credidistis. Et hinc fit, vt anceps sit lectio ad *credidistis*, vel *fecistis credere:* quanuis dicant magis quadrare adiunctæ dictioni, *in me fecistis credere.* Et si librata fuerint diuina verba, hæc lectio præferenda videtur. Nam peccatum Mosis significatur commissum, non antequàm veniret ad rupem cum populo; sed post congregatum ab ipso populum ad rupem in ipsa actione ad educendum aquas: tunc enim eos peccasse, clarè sonant Hebraïca verba, dicendo: *In facere sanctificare me in oculis filiorum Israël.* In ipso ergo facere, peccatum vel incredulitatis propriæ, vel incredulitatis alienæ commiserunt: consentaneum autem rationi est, vt in ipso facere peccauerint potiùs non faciendo credere, quàm non credendo. Verùm, quia non facere credere, non ex industria, aut ignorantia; sed ex diffidentia ipsorum Mosis, & Aharon procedebat; in idem redit vtraque lectio quoad peccatum Mosis, & Aharon: nisi, quòd plus significat, *non fecistis credere in me*; quàm, non credidistis in me: quia significatur, eos non solùm peccasse; sed fuisse causam peccandi filiis Israël.

Igitur peccatum Mosis, & Aharon, Deo attestante, fuit saltem incredulitas. Et quoniam dicitur, *in me*, insinuatur, quòd propriè fuit diffidentia in Deo: non enim confisi sunt, quòd efficerent solo sermone eductionem aquæ de petra illa: & ideò dicitur, *non credidistis in me.* Et iste defectus fiduciæ euenit eis: quia quoad hanc fiduciam derelicti sunt à Deo sibiipsis; hoc est, Deus non præstitit eis gratuitum suum auxilium ad habendum hunc actum fiduciæ. Et hinc, prudens lector, considera, quàm verum sit, quòd non sufficimus etiam habentes gratiam Dei ad vtendum gratia habitante in mentibus nostris, absque assistente gratuito Dei auxilio. Ecce Moses, tam sanctus, tam assiduus diuinis colloquiis, in vna actione relictus sibiipsi defecit. Diffidentia itaque Mosis, & Aharon, & in seipsis, & vt causa diffidentiæ filiorum Israël, fuit secundùm rem peccatum hoc, quomodocunque legatur. Et exaggeratur peccatum: quia commissum est in ipsa actione, quæ exercebatur ad sanctificandum Deum coram populo, (congregatus enim erat populus ad actionem mirabilem eductionis aquæ de petra,) ad sanctificandum Deum, non in seipso Deo, sed in oculis populi: tantò enim grauius fuit peccatum, quantò in illa actione commissum est, quæ ordinata est ad glorificandum Deum. Nam peccatum faciendi diffidere populum Deo, directè contrariatur glorificationi diuinæ debitæ à populo.

Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.] Pœna quidem manifestat culpam: sed quantitas pœnæ non manifestat quantitatem culpæ, sicut nec qualitatem.

Vers. 13. Hæc est aqua contradictionis, vbi iurgati sunt filij Israël contra Dominum.] Iuxta Hebræum habetur: *Hæ aquæ litis, quibus litigarunt filij Israël cum* יהוה: *& fuit sanctificatus in eis.* Ad differentiam aquarum aliàs eductarum de petra Choreb, dum essent in Rephidim, dicitur: *Istæ aquæ litis.* Et quanuis secundùm sonum verborum filij Israël iurgati fuerint cum Mose; ad manifestandum tamen, quòd iurgium redundabat in Deum, (quia Moses, quatenus Minister Dei, eduxerat eos de Ægypto,) scribitur, quòd contenderunt cum Deo: vt per hoc intelligamus, quòd contendere cum ministro Dei est contendere cum Deo.

Sed occurrit duplex quæstio. Altera, cur potiùs aquæ istæ appellatæ sint *aquæ litis*, cùm vtrobique fuerit lis, & maior ibi, dicente ibi Mose: *Adhuc paululũ & lapidabunt me.* Altera,

 cur

cur potiùs hîc ſcribitur: *Et ſanctificatus eſt in eis.* tanquàm alias dando aquas de petra, non fuerit ſanctificatus in eis. Solutio ſecundæ quæſtionis eſt, quòd quia Deus in his aquis puniuit Moſen, & Aharon, ac per hoc euidenter apparuit, quòd Deus non ſolùm alios peccatores nolentes progredi ad terram promiſſam puniuit; ſed, quòd nec Moſi, & Aharon pepercit, (dum ſimili eos pœna mulctauit,) ideò ſanctificatus dicitur in eis: Deus enim in eis effectus eſt mundus ab acceptione perſonarum. Nec abs re hoc ſcribitur: nam Aharon, qui conflauerat vitulum aureum, impunis euaſerat: & apparebat populo, quòd iſti duo (Moſes, videlicet, & Aharon) etiam peccando non puniebantur: ſed in iſtis aquis Deus redditus eſt mundus, & ſanctificatus eſt, (non in ſeipſo, ſed apud illos,) priuando Moſen, & Aharon ingreſſu in terram promiſſam. Et hinc ſoluitur prima quæſtio, quòd ratione effectus, ſeu euentus, iſtæ aquæ appellatæ ſunt aquæ litis: quia, ſcilicet, habuerunt effectum litis, punitionem, videlicet, Moſis, & Aharon: ab huiuſmodi enim euentu, qui ſolet eſſe euentus litis, appellatæ ſunt aquæ litis.

Verſ. 14 Miſit intereà.] Non eſt in Hebræo, *intereà*; ſed: *Et miſit nuncios Moſes de Cades ad Regem Edom, qui dicerent.* Nec dicitur, quando miſit iſtos nuncios; ſed ex calce primi cap. Deuter. apparet, quòd hæc legatio miſſa eſt, non anno quadrageſimo; ſed longè antè; hoc eſt, quando prima vice manſerunt in Cades: clarè enim ibidem recenſetur, quòd ſubiunctus circumitus Idumææ, ſecutus eſt regreſſum per viam maris rubri, præceptum à Deo, poſtquàm populus exterritus fuit ab exploratoribus: ſed commemoratur à Moſe hoc in loco: quia de eodem loco olim miſſa fuerat hæc legatio, antequàm Deus iratus populo præcepiſſet, vt per viam maris rubri redirent: miſit enim Moſes legationem hanc de Cades [g], antequàm rediiſſent exploratores, putando, quòd eſſent tunc progreſſuri ad terram promiſſam.

[g] An in eadem manſione deſerti Cades Mariæ mors, iurgiū pro aquis, & hæc miſſio Legatorum facta ſint, mihi incertum eſt: quæ tamē omnia in hoc deſerto cōtigiſſe non ambigēdum. Puto enim Cades manſiones multas comprehendiſſe. Vnde Deut. 10. dicitur Iſraëlitas mouiſſe caſtra ex Beroth filiorum Iacham in Moſerach, vbi mortuus eſt Aharon. Vnde Beroth manſio certa exprimitur deſerti Cades, alibi non expreſſa. Multas ergo in hoc deſerto fecerunt. Quòd autem Legatos hic miſerint, eo tempore, quo mortua Maria, anno, ſcilicet, quadrageſimo, textus ipſe indicat manifeſtiſſimè. Credendum igitur, quòd quū populus ſub anno quadrageſimo in extremis finibus Edom ſederet prope littus maris rubri, iuxta ſinum Elaniticum, ad quem proficiſci iuſſi erant, quūmque iā ex vno latere Idumæam circuiuiſſent, Deut. 2. iam diuturnæ peregrinationis miſertus Dominus illos iuſſit reverti ad Aquilonē per mediā Idumeā, recta via ad terram promiſſionis. Sed in eo mandato non cōfiſi populo, vt crediderim, efflagitante) miſit Moſes Legatos ad Regem Edom, ſicut anteà exploratores de Cades Barneah miſerat, Deo nō multùm approbante. Quūmque Idumæus non acquieſceret, diuertit ab eo Iſraël, vt intelligo ex iuſſu Domini, eò quòd verbo illius non cōfiderant, ampliorem ſecuritatem per nuncios quærentes. Quūmque fortè irati eſſent contra Idumæos ex interdicto tranſitu, prælium cōtra illos prohibuit Dominus, iubens, vt adhuc circumeant terram illam: ex altero tamen latere per viam campeſtrem de Elā. Progreſſi igitur de Cades per terminos Edom Deut. 2. venerunt ad montē Hor, qui ex eodem maris latere ſitus erat in finibus Idumææ.

Hæc mandat.] Iuxta Hebræum habetur: *Sic dixit frater tuus Iſraël.* Non præſumit mandare, ſed narrat fraternè, quæ acciderunt.

Noſti omnem laborem, qui apprehendit nos:

Verſ. 15. Quomodo deſcenderint patres noſtri in Ægyptum, & habitauerimus ibi multo tempore, afflixerintque nos Ægyptij, & patres noſtros:

Verſ. 16 Et quomodo clamauerimus ad Dominum, & exaudierit nos, miſeritque Angelum, qui eduxit nos de Ægypto.] Incertum eſt, an ad literam appellent Moſen Angelum, (hoc eſt, nuncium miſſum à Deo,) an ſpiritualem ſubſtantiam vocatam Angelum ſignificent: eò quòd manifeſtè apparuerit Angelus in nube dux eorum.

Ecce in vrbe Cades, quæ eſt in extremis finibus tuis.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *In extremo termini tui poſiti.* Contigua ſignificatur terra, in qua erant terræ Idumææ.

Verſ 17. Obſecramus, vt nobis tranſire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas, nec bibemus aquas de puteis tuis: ſed gradiemur via publicà, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinantes, donec tranſeamus terminos tuos.

Verſ. 18. Cui reſpondit Edom: Non tranſibis per me: alioquin armatus occurram tibi.

Verſ. 19. Dixeruntque filij Iſraël.] Replicatio nunciorum obſecrantium Regem eſt.

Per tritam gradiemur viam: & ſi biberimus aquas tuas ego, & pecora mea, dabo, quod iuſtum eſt.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dabo venditionem earum.* Ita quòd non dicitur: *Dabimus, quod iuſtum eſt.* ſed abſolutè, dabo pretium aquarum, quod venditores petent, nulla mentione iuſtitiæ facta. Et ſtatim ſubiungitur:

Tantùm non verbum, in pedibus meis tranſibo] Hoc eſt, tantùm non ſit verbum contrarium noſtræ petitioni. quod eſt dicere: Dummodo concedas nobis tranſitum, ſoluemus aquas, quantùm vendentur nobis. Quod autem ſubditur: *In pedibus meis tranſibo.* ad tollendam moram in territorio Idumææ ſpectat: ſignificatur enim tranſitus aſſiduo officio pedum: quod opponitur moræ: nam quieſcendo non exercemus pedes.

Verſ. 20. At ille reſpondit: Non tranſibitis. Statimque egreſſus eſt obuius cum infinita multitudine.] Iuxta Hebræum habetur: *In populo graui.* proculdubiò ſecundùm multitudinem.

Et manu forti:

Verſ. 21. Nec voluit acquieſcere deprecanti, vt concederet tranſitum per fines ſuos.] Annotabis, prudens lector, quòd nedum per medias ciuitates, ſed nec per fines ſuos voluit concedere tranſitum: vt intelligas, quæ ſcripta ſunt in 2 cap. Deuteronomij, quæ apparent contraria iſtis, ſed non ſunt, vt ibi declarabitur.

Quamobrem diuertit ab eo Iſraël.

Verſ. 22. Qui̇mque caſtra mouiſſent de Cades, venerunt in montem Hor, qui eſt in finibus terræ Edom.] Et hoc quoque fuiſſe bis, teſtantur geſta: nam & prima vice de Cades venerunt in montem Hor, (quamuis in catalogo manſionum neutrius fiat mentio prima vice; ſed immediatè hîc ſequenti capitulo clarè hoc ſcribitur,) & hac ſecunda vice, tum hîc, tum clariùs in Catalogo manſionum ſcribitur, quòd de Cades venerunt in montem Hor.

Verſ. 23. Vbi locutus eſt Dñs ad Moſen, dicens.] Tranſpoſuit Interpres: nam Hebraicè poſt illa verba, *in montem Hor*; immediatè ſubiungitur: *Et dicit Iehouah ad Moſen, & Aharon in Hor monte, iuxta terminum terræ Edom dicendo.* Reuelatio vtrique facta, & locus reuelationis deſcribitur: & ad hiſtoriæ ordinem reditur, finitis interpoſitis aliàs geſtis: nam obitus Aharon fuit anno quadrageſimo, vt in cap. 33. clarè dicitur.

Verſ. 24. Pergat Aharon.] Iuxta Hebræum habetur: *Congregabitur Aharon ad populos ſuos.* Non poteſt hic diuinus ſermo verificari de Aharon quoad corpus: quia corpus eius per mortem non adunabatur ad corpora populorum eius: non enim ſepeliendus erat in ſepulcro

cro patrum suorum, qui erant sepulti in Ægypto, & in Chebron. Verificatur igitur de Aharon quoad animam: de qua, nisi immortalis esset, non verificaretur: *Congregabitur ad populos suos.* res enim, quæ non est, non congregatur, vt patet. Immortalitas igitur animæ, populique multi in alia vita claré significantur in Litera hac. Et appellantur, *populi eius*, animę ex quacunque natione defunctorum, similes secundùm iustitiam, seu gratiam Aharon, vt in Genesi declarauimus.

Quia non intrabit terram, quam dedit filiis Israël, eò quòd incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia rebellastis ori meo in aquis litis.* Non solius Aharon; sed commune ipsius, & Mosis peccatum citatur rebellio commissa in Deum in dictis aquis, pro causa mortis Aharon. Et hinc, prudens lector, habes, tum grauitatem peccati; rebellio enim peccatum est: tum qualitatem grauem peccati, quòd, videlicet, inobedientes fuerint mandato Dei: hoc enim insinuatur dicendo, *ori meo.*

Vers. 25. Tolle Aharon, & filium eius cum eo.] Legendum est: *Et Elhazarum, filium eius.* nominatur enim, quis inter filios electus est.

Et duces eos in montem Hor:

Vers. 26. Cùmque nudaueris patrem veste [h] sua, indues ea Elhazarum filium eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fac exuere Aharon vestes suas, & facies vestire ipsas Elhazarum filium eius.* Non enim mandatur, vt ipse Moses, quasi degradando, exuat Aharon: sed, quòd mandet, vt ipse Aharon exuat seipsum pontificales vestes: statutum siquidem superiùs est, vt vestes pontificales essent pro Aharon, & successoribus eius. Itaque non sepeliebatur Pontifex cum ornamentis pontificalibus: sed vestes prioris Pontificis erant successoris. Et hoc erat commune cuilibet morienti Pontifici; sed fuit singulare in morte primi Pontificis, quòd quemadmodum singulari modo moriendi, tanquàm sponte, subiit mortem monitus à Deo; ita singulari modo iuit ad locum mortis cum apparatu pontificali: & ibidem vestibus simul, & vitæ cessit, viso filio in habitu pontificali.

Et Aharon colligetur, & morietur ibi.] Ordo præposterus: priùs enim secundùm naturæ ordinem morietur, & deinde congregabitur ad populos suos.

Vers. 27. Fecitque Moses, vt præceperat Dominus: & ascenderunt in montem Hor coram omni multitudine.] Ascendentes in montem, Mosen, & Pontificem in habitu pontificali, vniuersus spectabat populus. Nec sis ita rudis, vt hos tres solos ascendisse intelligas; sed cum honorabili societate: quandoquidem & opus erat ministris; tum ad exuendum, & vestiendum; tum ad sepeliendum Aharon: & decens erat, vt Pontifex cum apparatu pontificali honestaretur comitantium grauitate.

Vers. 28. Cùmque Aharon spoliasset vestibus suis, & induisset eis Elhazarum filium eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fecit exuere Moses Aharon vestes suas, & fecit induere eas Elhazarum filium eius.* Executio describitur in monte facta ante mortem Aharon. Vnde & subiungitur:

Vers. 29. Et mortuus est Aharon ibi in capite montis.] Si mouetur quæstio de loco mortis Aharon ex scriptis cap. 10. Deuteronomij, vide ibi solutionem: quia ibi tractabitur, vnde occasio sumitur dubitandi.

Et descendit Moses, ac Elhazarus de monte.

Vers. 30. Omnis autem multitudo videns occubuisse Aharon.] Iuxta Hebræum habetur: *Et viderunt omnis Synagoga, quòd obiit Aharon.* Non scriberetur, quòd viderunt, nisi locus, vbi obiit, & sepultus est, velut locus spectaculi eminentis coram populo fuisset.

Et luxit [k] eum triginta diebus per cunctas familias suas.] Iuxta Hebræum habetur: *Tota domus Israël.* Publicus enim luctus describitur triginta diebus.

CAPVT XXI.

1. **Q**Vod cū audisset Chenanæus.] Et hoc ad ordinē spectat historiæ gestorū anno quadragesimo, vel circiter, vt insinuant, tum scripta in catalogo mansionum, tum subiuncta hic de propitiatione diuina.

Rex Harad, qui habitabat ad meridiem.] Chenanæus nomen est generis; Harad verò nomen est regionis: quia non inuenitur Harad nomen generis, nisi scriptorum vitio Genesis 10. vbi falsò scribitur Haradius inter filios Chenahan, vt Hebraïca veritas testatur.

Venisse, scilicet, Israël per exploratorum viam.] Quod dicitur, *per exploratorum viam*, vel refertur ad auditionem Regis: quòd, scilicet, Rex audierit ab exploratoribus. Vel (quod magis quadrat) refertur ad habitantem in Meridie: declaratur enim, quòd Chenanæus iste habitabat in Meridie in illa terra, qua transierunt exploratores olim missi ad lustrandum terram promissionis. Lege capitulum tertiumdecimum, & inuenies, Mosen mandasse exploratoribus, vt ascenderent per Meridiem, & quòd illi paruerunt. Describitur itaque terra Chenanæi huius, etiam ab hoc, quòd fuit via exploratorum. Et vt subiuncta insinuant, hic est ille Chenanæus, qui olim reuersis exploratoribus contriuit populum Israël contra mandatum Domini, audentem progredi ad bellum, scriptum superiùs capitulo decimoquarto. Et apparet hoc ex tribus. Primò, ex identitate nominis: quia Chenanæus etiam fuit ille, quamuis iunctus Hamalecitis. Secundò, ex propinquitate locorum: quoniam propter Chenanæum illum mandauerat Deus iratus, vt recederent: & nunc erant reuersi iterum filij Israël ad eadem loca: & audito eorum aduentu Rex Chenanæorum, qui olim vicerat Israëlem, non immeritò aggreditur Israëlitas. Tertiò, ex identitate nominis loci: nam ibi scribitur, quòd Chenanæus, & Hamalecita contriuerunt Israëlitas vsque ad Chorma: & hîc quoque scribitur: *Et vocauerunt*

nomen

h Cùm inter has vestes Pontificis numerari videris balteum latum opere polymitario, miróque artificio cōtextum Exodi 28. scito, pretiosas zonas gestare olim in more fuisse, ita vt ex zonæ artificio tota habitus pulchritudo penderet, quā pōpam, & luxum zonarum olim omni genti communem fuisse, vel ex Prouerbiorum vltimo notū est, vbi de muliere proba canit: *Tunicas parat, & vendit, & cingulum dat mercatori.* Vnde Matt. 3. de Ioanne prædicatur, pelliceam zonam gestasse in notā modestiæ, & continētię. Hęc, cùm superiùs de baltei artificiosa textura ageretur, omisimus adnotare.

i Verbum, *colligere*, pro *absumere* passim accipitur: nā, sicut egredi à Domino, dū res conduntur; ita, dum intereunt, quasi rursus colligi ad ipsum rectè dicuntur, vt Sophoniæ 3. *colligere regna*, &c.

k Sāctos Patres mortuos luxisse hoc loco manifestè vides, & alibi sæpè: nam Iosephum suum pater Iacob luxit, cùm discerptum à bestia putaret: vicissim mortuū Iacob filius magnifico, & sumptuoso luctu prosequutus est, Genesis 50. In eo luctu ab omnibus corporis deliciis abstinebant, vt constat in luctu virorum Iabes-Galaad pro Saüle 1. Reg. 31. Fuitque ritus iste per certum tempus lugendi mortuos à Patriarchis (vt credo) rationabiliter traditus: admonet siquidem peccati Adæ, propter quod mors natura luctuosa est. Admonebat etiam iræ Dei, ostendebatque desiderium illorum, qui frugi fuēre, & ad promulgandam Dei gloriā idonei, qui ab illis eripiebantur. Ex hoc mitas cæremonias in huiusmodi luctu, & sanctorum sepulturis obseruatas legimus, quemadmodum erat, cum solennitate corporis mortui viscera exurere, vt habes 1. Reg. 31. de Saüle, & de Asa, & Iorā Regibus Iudæ, 2. Paral. 16. & 21. quem ritum, cùm pro magno honore fieret, non puto suo fructu caruisse, licèt sciam ridicula, & planè superstitiosa multa olim in mortuorum luctu obseruari solita, qualiter Matth. 9. legimus, tibicines & turbā tumultuantem in luctu puellæ Principis Synagogæ.

nomen loci Chorma. Hiſtoriæ itaque ordo eſt, quòd mortuis omnibus, qui exierant de Ægypto, cùm veniſſent filij Iſraël ad loca, in quibus à principio fuerant, propinqua Chenanæo habitanti in Meridie, Chenanæus, qui olim Iſraëlitas contriuerat, pugnauit contra illos.

Pugnauit contra illum: & victor exiſtens duxit ex eo prædam[a].] Non tot habentur in Hebræo: ſed duntaxat: *Et pugnauit in Iſraël, & prædatus eſt ex eo prædam.* Dicendo, *in Iſraël*, inſinuat, quod Chenanæus aggreſſus eſt Iſraëlitas, & quòd tanquam in territorio Iſraël pugnauerunt. Qualem autem, aut quantam prædam Chenanæi ex Iſraël acceperint, ſcriptum non eſt.

a Hiſtoriam hanc puto contigiſſe anno ſecundo ab egreſſu, cuius etiam ſententiæ eſt Zieglerius: tunc enim egimus, Iſraëlem veniſſe per viam exploratorum, tenuẽte Moleah, indéque repulſum (propter rebellionẽ diuino imperio factam) vſque Chorma, cuius hic fit mentio. Cùm igitur illo ſecũdo anno percuſſus eſſet populus à Chananæo, & infelici pugna proſtratus ob peccatum; noluit tamen Dominus eos in prima terræ acquirendæ pugna omninò deuictos: & cùm fortè illi iuſtam ſuorũ necẽ viderent, miſericordiã à Domino poſtularunt cõtra cõtinuè eos inſequentes hoſtes. Exauditque eos Dominus, & in eo calore pugnæ, & cladis vlciſcendæ, rurſus pugnauit victor Iſraël, & deſtruxit vrbes, regionique vaſtatæ nomen dedit *Chorma*. Quæ hiſtoria hic recitatur, licèt ſecundo anno facta: nã ab illo tempore nuſquam populus poſteà ad Chananæi montana acceſſit: ab Idumæis prohibitus, nuſquam alio anno contra Aradium pugnare potuit victor: iſti vero Aradij nõ ſunt, quorum meminit Ezech. 27. qui ſunt vicini inſulæ Tyri.

Verſ. 2. At Iſraël votum vouit Domino, & ait: Si tradideris populum iſtum in manum meam, delebo vrbes eius] Quanuis deſtructio vrbium non ſit abſolutè in genere bonorum, (ac per hoc non ſit materia voti, cuius materia eſt bonum ſupererogationis,) deſtructio tamen non ſolùm vrbium, ſed etiam hominum inimicorum Dei, relata in Deum, in genere bonorum eſt; & tam placens Deo, vt meruerit exaudiri votum hoc.

Verſ. 3. Exaudiuítque Dominus preces Iſraël, & tradidit Chenanæum.] Hinc apparet, rem hanc geſtam fuiſſe poſt obitum Patrum, quibus Deus noluit adeſſe ad pugnandum contra Chenanæos, imò ad quorum mortem Deus, tanquàm opem ferens concurrit, vt dicitur Deuteronomij 2.

Quem ille interfecit ſubuerſis vrbibus eius.] Sub voto delendi ciuitates comprehendi etiam debere homines, executio manifeſtat.

Et vocauit nomen loci illius, Chorma, id eſt, anathema.] Iuxta Hebræum nihil aliud habetur, niſi *Chorma*. Quod aiunt ſignificare deſtructionem. A voto enim deſtruendi, ad honorem Dei, nominauerunt locum, ad quem vſque patres eorum contriti fuerant.

Verſ. 4. Profecti ſunt[b] autem de monte Hor, per viam, quæ ducit ad mare rubrum, vt circumirent terram Edom.] Quemadmodum narrando, quæ acciderunt in Cades anno quadrageſimo, commemorata ſimul ſunt, quæ olim acciderant; ita narratis iis, quæ euenerunt in monte Hor anno quadrageſimo, commemorantur, quæ olim acciderant ibidem: profectio enim iſta non fuit anno quadrageſimo; ſed fuit poſt iram Dei exterrito populo ab exploratoribus, mandante tunc Deo, vt per viam maris rubri redirent, vt ſuperiùs ſcriptum eſt cap. 14. Tunc enim armatis Idumæis, ne Iſraëlitæ tranſirent per fines eorum, circumierunt Idumæam: vt clarè patet ex verbis Moſis in Deuteronomio in principio capituli ſecundi.

b Huius profectionis circumſtãtiæ, nempe, quòd per viã ad mare rubrũ, & circumeũdo Edom, videntur prima facie deſignare illam ante quadraginta annos, in qua reuerſis exploratoribus propter rebellionem populus iuſſus eſt abire ad interius deſertum. Sed, ſi videas Deut. 11. quòd poſt illũ quadraginta annorum circuitũ, cùm proficiſcerentur de Cades diuerterũt ab Idumæa, & trãſierunt terminos Edom per viam campeſtrem ſinus Elanitici (qui eſt mare rubrum) ceſſabit ſcrupulus. Profecti ſunt igitur per viam Elanitici maris, non quòd ad ſinum Elaniticum tenderẽt, cùm iam retrò illos eſſet: ſed recta via campeſtri, quaſi ex latere ſinus, vſque ad viam, quæ ducit ad deſertum Moab. Cũque populus videret adhuc diuertiſſe à via recta, quæ per mediã Idumæã erat: prohibuerũt enim eos Idumæi fortè, quia ad iuſſum Domini noluerunt aſcendere Edom, ſed adhuc timẽtes Legatos ad Regẽ miſerunt: cœpit igitur populus tædere viæ, & laboris, videntes, ſe iterum per circuitum proficiſci, nec putantes iam viæ terminum inſtare, quam ante quadraginta annos inceperant. Cœperunt igitur nõnulli deſperare, & viæ tædere.

Et tædere cœpit populum itineris, ac laboris.] Iuxta Hebręum habetur: *Et decurtata eſt anima populi in via.* Via iſta triginta, & octo annos durauit: vt dicitur Deuter. 2. & in illa decurtata eſt vita populi: Deus enim, vt Hebraïca Litera ibidem ſonat, operatus eſt ad breuiandum vitam populi rebellis: & huiuſmodi breuiatio hîc deſcribitur executioni mandata in hac via. Nihilque dicitur de tædio itineris, aut laboris: ſed decurtatio animæ (hoc eſt, vitæ) in via ſignificatur: perſpicuum eſt enim, Hebraïca conſuetudine corporalem vitam appellari animam.

Verſ. 5. Locutúſque eſt contra Dominum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et locutus eſt populus in Elohim, & in Moſen.* Quando, aut in quo certo loco hoc peccatum fuerit cõmiſſum, non ſcribitur: ſed ſubiuncta manifeſtant, quòd hoc fuit viuentibus illis, qui fuerant rebelles Deo poſt reuerſos exploratores: per quod inſinuatur, quòd in iſta via triginta-octo annorum commiſſum eſt peccatum hoc. Et ſignificanter ſcribitur, populum contra Deũ ſub nomine Elohim locutum fuiſſe: vt intelligamus, quòd contra Deum vindicem decurtantem vitam eorum murmurabant.

Cur eduxiſti nos de Ægypto?] Iuxta Hebræum habetur: *Cur feciſtis aſcendere nos ex Ægypto ad moriendum in deſerto?* Dicendo, *feciſtis*, inſinuatur, quòd viuebat tunc Aharon: ambo enim fecerant populum aſcendere de Ægypto. Et dicendo, *nos*, inſinuatur, quòd murmurantes erãt illi, qui aſcenderant ex Ægypto. Et dicendo, *ad moriendum in deſerto*, teſtantur frequentes mortes, quas ex diuina ſententia experiebantur: quanuis ipſi cauſarentur defectum panis, & aquæ.

Quia non eſt panis, non ſunt aquę, & anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et animã noſtram faſtidiuit panis leuis.* Mentiebantur attribuendo mortem penuriæ panis, & aquæ: quoniam Deus ſemper ſuppleuerat defectum, tum panis, tum aquæ: & propterea defectum panis inuertunt in qualitatem panis, dicentes, panem, quo veſcuntur, eſſe leuem. In quo apparet eorum cæcitas: quandoquidem leuitas in pane eſt valdè deſiderabilis: & vituperando panem eis à Deo datum, valdè laudant: ſed ſicut mentiebantur citantes defectum aquæ; ita mentiuntur citando faſtidium panis ex manna: vt ſubſequens pœna teſtatur.

Verſ. 6. Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpẽtes[c].] Iuxta Hebræum habetur, *ſerpentes ardentes.* Non eſt perſpicuum, an ſpecies ſerpentum, tanquàm ardens ſignificetur, (ita quod, vel ſecundùm totum corpus, vel ſecundùm aliquam partẽ ſerpentis color erat ſicut ignis ardentis,) an ad effectum referatur ardor: ita quod ſignificentur ſerpentes facientes ſuo morſu ardere; hoc eſt, ſenſum, ac dolorem incendij inferentes.

c Iſti ſerpentes *ignei*, hoc eſt, *vrentes*, dicũtur, quia ſiti, & ardore populum cõficiebant vel quia morſũ ardentẽ infigebant, atque ſimul toxicum, quod corpus exureret, immittebãt. Scriptura ſiquidem, cùm atrocitatem pœnę ab illis ſerpentibus illatam, & omnimodam deletionem ſignificare voluit, vocauit eos ignitos: nã quæ igne exuruntur, prorſus abolentur.

Ad quorum plagas, & mortes plurimorum.] Iuxta Hebræum explicatur: *Et momorderunt populum, & mortuus eſt populus multus ex Iſraël.* Et hinc quoque habetur, quòd hæc non ſunt geſta anno quadrageſimo; ſed, dum adhuc viueret generatio illa rebellis.

Verſ. 7. Et venit populus ad Moſen, & dixit: Peccauimus, quia locuti ſumus contra Dominum, & te: ora Dominum, vt tollat à nobis ſerpentes. Orauítque Moſes pro populo.

Verſ. 8. Et locutus eſt Dominus ad eum. Fac ſerpentem æneum[d].] Iuxta Hebræum habetur: *Fac tibi ardentem.* Non qualiſcunque ſerpentis, ſed illiuſmet ſpeciei, (videlicet, ſerpentis ardentis, qui mordebat, & occi debat

d Viſũ Domino nonnunquam fuit, hiſce ſymbolis ſua dona cõferre. Sic cæco mixto luto viſum reſtituit, quem per ſe ne

pilo quidē plùs quàm res alia conferre poterat: & hoc ideò, quia natura hominum ita comparata est, vt Dei mirabilia non nisi in symbolis, & exteriores ceremoniis queant admirari. Præterea, vt Deū agnoscamus eū omnia in omnibus agere & perficere hæc videtur literę ratio, qua re iusserit erigi serpentem æneum in signum, vt quicunque à serpente morsus illum aspiceret, seruaretur. Omitto anagogen, quam Christus Ioannis 3. ab hoc serpente æneo ad seipsū fecit cum vltrò se offerente similitudine & proportione nihil contorquendo, vt plerique faciunt, qui allegoriis indulgentes plus æquo, planissima euangelica dicta ad typos trahunt, sed nihilo firmiores, quàm quilibet ingeniosior ex Homero, & Virgilio confingere possit.

cidebat eos,) figuram mandat Deus fieri dicendo: *Fac ardentem.* subaudi, serpentem. Significantiùs autem dicit: *Fac tibi.* non mihi, quia nolo adorari in figura serpentis: nolo serpentem mihi, vt idolum meū: nolo, vt facias serpentem, vt veneretur, & adoretur; sed fac tibi, tanquàm tuam medicinam ad curanda vulnera.

Et pone eum pro signo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et pone eum super perticam.* Nihil dicitur de signo, sed locandus super stipitem ligneum decernitur.

Qui percussus aspexerit eum, viuet.] Nulla veneratio, nulla monstratio vulneris, sed sola visio intercedebat.

Vers. 9. Fecitque Moses serpentem æneum, & posuit eum pro signo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et posuit eum super perticam.* Executio enim scribitur.

Quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.] Vertunt Interpretes hìc, sicut & alias sæpè, futurum in præteritum. Nam Hebraïcè habetur:

Et erit, si momordit serpens hominem, & aspiciet ad serpentem æneum, & viuet.] Non refertur futurum ad tempus, quo scripsit hæc Moses: sed ad tempus positi serpentis super perticam. Relatiuè enim ad illam actionem dicitur in futuro, *& erit:* & similiter relatiuè ad morsum dicitur futurum, *& aspiciet:* huiusmodi enim stylus Scripturæ valdè solitus minùs consideratus occasio est, vt Interpretes mutent sæpè tempora.

Vers. 10. Profectique filij Israël castrametati sunt in Oboth.] Redit Moses ad ordinem historiæ gestorum anno quadragesimo: nam (vt apparet ex Catalogo mansionum) trigesimaseptima mansio fuit in Oboth, quam perspicuum est fuisse post mortem Aharon.

Vers. 11. Vnde egressi fixêre tentoria in Hiie Habatim.] Iuxta Hebræum habetur: *In vallibus trāsituum in solitudine, quæ respicit Moab ad exortum Solis.* Multi tamen nomen proprium loci interpretantur *Habarim.*

Vers. 12. Et inde mouentes venerunt ad torrentem Zered.] Iuxta Hebræum habetur, *in vallem Zered.* Lege secundum capitulū Deuteronomij: & inuenies Mosen recitārem, quòd tempus itineris ex Cades Barneah vsque ad transitum torrentis Zered fuit annorū triginta & octo, quo consumpta est vniuersa illa generatio rebellis: & intelliges clarè, quod diximus; videlicet, Mosen rediisse ad texendum historiam gestorum anno quadragesimo.

Vers. 13. Quam relinquentes castrametati sunt contra Arnon[e].] Iuxta Hebræum habetur: *Castrametati sunt à transitu Arnon, qui in deserto.* Nomen fluminis est Arnon: & ad differentiam suiipsius in aliis locis, dicitur, *qui est in deserto:* describitur enim, quòd venerunt ad illam partem fluminis Arnon, quæ est in deserto.

e Hæc via fusiùs in sequentibus explicabitur.

Et prominet in finibus Amorræi.] Iuxta Hebræum habetur: *Exiens à termino Emoræi.* quia Arnon terminus est Moab, inter Moabitas, & Emoræos. Fluuius ille describitur egrediens à terminis Emoræorum, ita quòd est confinium inter Moabitas, & Emoræos.

Vers. 14. Vnde dicitur in [f] libro bellorum Domini: sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon.] Iuxta Hebræum habetur: *Super sic dicetur in libro bellorum Iehouah, & dedit in vento forti, & torrentes Arnon.* Dictio interpretata, *liber,* propriè significat *librum,* & ad narrationem extenditur: sed parui refert, an prophetetur narratio scribenda, vel dicenda; sed futuri temporis est, *dicetur.* Dictio interpretata, *vento forti,* iuxta proprietatem interpretata dicitur; quamuis interpretetur *mari cauna*, seu *rubro:* adiuncta enim litera hanc varietatem parit: sed sensus in idem redit. Aduerte hìc, vt intelligas hæc, quòd in his locis incepit victoria, & hæreditas populi Israël: & propterea initia hæc bellorum Domini ad dandum hæreditatem filiis Israël, prædicuntur commemoranda, tanquàm præcipua quædā inter bella diuina, inter præcipua facta à Deo, quemadmodum & facta in mari rubro. Et videmus, hæc ad literam adimpleta in Psalmis: nam commemorantur ibidem facta contra Sichon Regem Emoræorum, & Hog Regem Basan, quemadmodum & facta in mari rubro, vt patet in Psalmis 135. & 136. ita quòd ordo Literæ est: Super sic gestis, (vel, vt aliis placet, idcircò; hoc est, propter gesta in his locis,) dicetur, siue in sermonibus, siue in scriptis de bellis Dei: *Et dedit in vento forti,* (hoc est, quòd dedit Deus in mari rubro, in nocte venti vehementis præbentis iter siccum Israëlitis in medio maris,) *& torrentes Arnon;* hoc est, & gesta in torrentibus Arnon.

f *Librum bellorum Domini* quidā Hebræorū putant esse librū Iudicum, in quo multa describuntur prælia, quæ gesserunt filij Israel cū Amalech. vel alium, qui neglectus, & perditus olim, in quo bella Abrahæ, & aliorum sunt scripta. Vide de hac re Augustinū in quæstionibus libri Numerorū. Verum illud velim scias, nos pluribus carere libris, & vt iacturam doleas, libuit hic aliquot recēsere, quorū Scriptura meminit. Primò Moses *Libri pacti* meminit, quem scripsit ante Pentateuchum. Vide Authorem Exod. 24. Citatur & *liber Iustorum*, Iosue 10. & 2. Reg. 1. *liber verborum dierū Regis Salomonis* 3. Reg. 11. eiusdem libri *de arboribus, & plātis, de animalibus, & auibus:* *Cantica* 5000. quorum duntaxat selectiora habemus, eòque Cātica Canticorum dicta 1000 *parabolarum*, quas omnes non habemus. Non extat item *liber Regū Israël, & Iuda*, 1 Paralip. 29. Caremus & *in libris Gad, & Nathan, libris Hana, Silonitis, & Haddo videntis*, 11. Paralip. 10. *libro Semeia.* 11. Paralip. 13. Nominatur & *expositio libri Regum*, 2. Paralip. 25. *Historia Isaia Regum Iuda*, 2. Paral. 26. *Liber Ozojia*, 2. Paralip. 33. *Liber historia post captiuitatem.* Neem. 12. *Liber memorabilium*, Hesther 9 Citatur & in Machabæorum libris *Historia de Spartiatis.* Caremus & *libro Iesu filij Amom. Libris Ieremiæ, & Enoch, & Samuelis*, aliisque plurimis. Cæterū circa Cantici huius literam intelligo Arnō fluuium, cùm Israelitæ illum transirent diuisum esse, sicut & postmodum Iordanis diuisus est.

Vers. 15. Scopuli torrentium inclinati sunt, vt requiescerent in Arnon.] Iuxta Hebræū habetur: *Et effusio torrentiū, quæ inclinauit ad sedendum in Har.* Finita interpositione dicendorum in libro bellorum Dei, redit Moses ad describendūm situm Arnon: inceperat enim describere ipsum à descensu ex termino Emoræorum, & ex confinio inter Emoræos, & Moabitas: prosequitur modò describendo eūdem ex hoc, quòd exuberantia aquarum Arnon flectitur ad quiescendum in Har, quod nomen est loci tunc Emoræorum, olim Moabitarum; vt inferiùs subiungitur. Et dicitur, fluminum, seu torrentium, in numero plurali, ad insinuandum, quòd in multos alueolos distinctus erat Arnon.

Et recumberent in finibus Moabitarum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et innitetur in termino Moab.* De effusione eadem aquarū dicitur: *Et innixa erit in termino Moab.* Quod sonat modum, quo aquæ Arnon defluunt exuberantes; videlicet, quòd ex parte Moabitarum habent terram, cui innituntur (hoc est, habent terram celsam,) ex parte verò Emoræorum habent terram decliuem. Vide quàm diuersus est textus noster ab Hebraïco.

Vers. 16. Ex eo loco apparuit puteus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et inde ad puteum.* Non apparitio, sed profectio significatur: nam profectio alia scribitur ex Arnon ad puteum: & statim subditur:

Ipse puteus, quem (hoc est, ob quem) dixit Iehouah ad Mosen: Congrega populum, & dabo eis aquas.] Qualiter res hæc gesta est, nullibi inueni: defectus enim aquæ præsupponitur: & reuelatio diuina facta Mosi narratur ad congregandum populum indigentem aqua sine murmure: erat enim populus iste, populus nouus, extinctis iam patribus omnibus rebellibus. Et propterea nihil scribitur de-

de petitione populi: sed tanquàm vltrò offerens aquas describitur Deus reuelando Mosi locum, ex quo habiturus esset populus aquam. Et ad hoc, vt videat populus diuinam prouisionem, mandatur Mosi, vt congreget populum ad locum illum.

Vers. 17. Tunc cecinit [g].] Iuxta Hebræum habetur: *Tunc cantabit Israel cantum istum.* Futurum, *cantabit*, relatiuè ad habitam aquam intelligitur: Moses enim non aliter describit modum, quo producta, seu educta est aqua, quàm recitando carmen lætitiæ, & gratiarum actionis cantatum à populo. Et scripsit hoc, ad insinuandum disparitatem istius noui populi à priore. Nunquam prior populus gratias egit Deo habita aqua mirabiliter tot vicibus, nunquam habitis carnibus, nunquam habito manna: iste autem nouus populus exultat habito puteo. Sed appellatione *putei* intelligo non puteum profundum, vnde oportuisset haurire aquam fune, (quoniam tantæ multitudini fuisset nihil:) sed puteum per modum fontis fluentem; ita quòd locus aliquis celsior erat, in quo, & aqua quasi in concha appellatur *puteus*, & cum hoc fluebat abundè currens ad satisfaciendum populo.

g Canticum istud in chorea cantatum credo: erant enim cãtus isti, & hymni exultationes & laudes Dei pro beneficio. Non igitur damnãdæ choreæ si tales sint vetustissimus naque mos chorizãdi fuit etiam inter Prophetas vsitatus. Vnde Græci dixerunt chorearũ exordia e summis cælis, e stellarum, & syderum lationibus, eorumque gressu, & regressu, complexu, ac ordine tanquam harmonia quadam, cælestiumque chorea vna cum mundi generatione diuinitus prodiisse. proponebãtque (vt credo) Moses chorizantibus canticum, sicut legimus fecisse Samuelem filiis Prophetarum choream ducentibus 1. Reg. 19.

Ascendat [h] puteus.] Iuxta Hebræum habetur: *Ascende putee.* Principium carminis est. Et in hoc insinuatur, quòd aqua ad concham illam non descendebat, sed ascendebat: insinuatur enim, quòd concha illa erat in loco eminẽtiore: & hinc apparebat, quòd aqua non descendendo, sed ascendendo scaturiebat in concha, quanuis de concha deflueret ad inferiora.

h Ascendendi verbo vtuntur Hebræi pro crescendo, & augẽdo, vt Iezem. 46. *Quasi fluuij amen ascendu, &c.*

Concinebant.] Iuxta Hebræum habetur: *Cantate ei.* Pars est carminis: & est vox lætantium adhortantium alios ad canendum ob beneficium putei.

Vers. 18. Puteus, quem foderunt Principes, & parauerunt duces multitudinis.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Puteus cauarunt ipsum domini, cauarunt ipsum nobiles populi.* Modus miraculi describitur cantatus, dum canitur, quòd non rustici, non plebeij, sed nobiles Principes populi cauarunt huiusmodi puteum.

In datore legis [i], & in baculis suis.] Iuxta Hebræum habetur, *in sculptore in baculis sustentantibus ipsos.* Et scito, quòd circunlocutio est, *in baculis sustentantibus ipsos:* dictio enim Hebraica simplex est, significans baculos, quibus sustentantur debiles senes, vel claudi eundo. Et per hoc insinuatur, quòd non ligonibus, & sarculis cauatus est puteus; sed baculis, quibus vtebantur nobiles ad subleuamen laboris in itinere: vt hinc intelligatur, non humani operis, sed diuini fuisse miraculi puteum, ad percussionem baculorum emergentem.

i *In datore legis*, id est, Deo auxiliãte. Erumpere nãque fecit Dominus ingentem aquarum stagnum vbicunque baculis percutiebant.

Quòd autem dicitur, *in sculptore*, perspicuum non est, quorsum dicatur: potest siquidẽ intelligi appellatione sculptoris Deus, quatenus sculpsit in tabulis lapideis decem præcepta: vt in fide, & obedientia sculptoris nobiles isti percussserint suis baculis confidenter; cùm tamen patres eorum etiam in Deo loquente illis ore proprio non fuerint confisi: commendantur enim nobiles isti relatiuè ad patres eorum, quòd isti non nisi sculpta præcepta Dei habentes confisi sunt in Deo, illis diffidentibus non solùm in sculptore, sed etiam in allocutore Deo. Potest & intelligi, quòd per hoc describitur interuenisse aliquam sculpturam ad hoc miraculum: putà quòd in rupe illa fuerit sculptum nomen Domini, & in terra iuxta illam sculpturam percusserint nobiles, & emerserit puteus: & propterea dictum sit, quòd cauarunt ipsum nobiles in sculptore in sustentaculis suis, coniungendo ambo instrumenta; videlicet, & nomen Dei sculptum, & baculos, quibus cauarunt modicum terræ nobiles. Planiùs autem per sculptorem intelligitur Moses: quia huiusmodi appellatione legislatorem, seu Doctorem aiunt significari.

Vers. 19. Profectique sunt de solitudine Mathana [k].] Ex duabus profectionibus scribitur vnica. Nam Hebraïcè habetur: *Et de deserto in Mathana, & de Mathana in Nachaliel.* Vbi clarè scribuntur duæ profectiones: & subiunguntur aliæ duæ in Hebræo, quæ in vulgata editione conficiunt vnam. Propter quod suspicor alterius, quàm scriptoris, errore hæc accidisse ad euitandam quæstionem de numero mansionum. Tres enim profectiones supprimi apparet in vulgata editione, vt patet colligenti has correctiones; vnam ad puteum, aliam ad Mathana, & tertiam de Bamoth in vallem: quia supputando profectiones hîc scriptas ab Oboth, inueniuntur octo profectiones: quæ si addantur triginta septem, efficient quadragintaquinque: & tamen catalogus mansionum quadragintaduas duntaxat supputat. Sed ibidem (hoc est, in capitulo trigesimotertio) est hæc quæstio tractanda: hîc nosse sat sit, quòd Hebraïcè subditur:

k Solitudinem hanc non intelligas fuisse locum, in quo nihil esset rerum, vel hominũ, cùm in Scriptura multæ vrbes in deserto sitæ describantur. Sic Matthæi 3. dicitur, Ioannem secessisse in desertũ, nõ omninò vastum, in quo nemo, sed in quo sparsim homines, & rari habitabant, sicut in Hircinea silua. Cęterùm pro *Mathana* putat Vuolphangus legi *Dibongad* Num. 33. quòd istud loci nomen sit proprium: *Matthana* verò, ab effectu, & dono aquarũ concesso, accesserit: nam Matthana Hebræi donum vocant, hanc mansionem dicunt Hebræi non lõge ab Arnon fuisse in valle Zared.

Et de Nachaliel in Bamoth:

Vers. 20. Et de Bamoth in vallem, quæ in cãpo Moab capite collis, & respicietur super faciem Iesimon.] Clarè dicitur, quòd de Bamoth profecti sunt in vallem; & non quòd Bamoth est vallis: imò Hebræi dicunt, Bamoth non esse nomen proprium, sed significare loca celsa, ex quibus venerunt in hanc vallem, quæ est in campo Moabitarum, & est caput cuiusdam collis, & in calce respicitur à quodam loco appellato *Iesimon.* Aduerte hîc, prudens lector, quòd istæ vltimò simul scriptæ quatuor profectiones scribuntur egrediente populo ex deserto: vt ex ipsa descriptione intelligatur, Mosen voluisse finire supputationem profectionum vsque ad vltimam reseruatam ad calcem capituli, narraturus interim bella inchoata, populo adhuc in deserto manente. Ex his enim habetur, quòd tam Arnon, quàm puteus in deserto erat. Et vt subiuncta testantur, populus adhuc in deserto erat, quando commissum est prælium cum Sichon Rege Emorræorum.

Vers. 21. Misit autem Israël nuncios [l] ad Sichon Regem Emorręorum.] Proculdubiò ex deserto, vt clarè recitatur Deuter. 2.

l Hi nuncij fuerunt missi, antequã transirent torrentẽ Arnon: erat enim populus in valle Chademoth Deut. 2. quæ propinqua erat fluuio, vt puto.

Vers. 22. Dicens: Transibo per terram tuam: non declinabo in agros, & vineas: non bibemus aquas ex puteis: via regia gradiemur, donec transeamus terminos tuos.

Vers. 23. Qui concedere noluit, vt transirent per terminos eius: quin potiùs exercitu congregato egressus est obuiam Israël in desertum.] Ecce clarè apparet,

apparet, populum adhuc tunc fuisse in deserto.

Et venit in Iabsa: pugnauítque contra eum.

Vers. 24. Et percussit eum Israël in ore gladij: & possessa est terra eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et hæreditauit terram eius ab Arnon vsque Iabboc.* Et hinc apparet, quod diximus, hæreditatem Israëlis inchoasse in Arnon, prostrato Rege Emorræorum; & propterea prophetatum fuisse, quòd hæc initia cantabuntur inter præclara bella Dei.

Vsque ad filios Hammon: quia forti præsidio tenebantur termini Hammonitarum.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia fortis terminus filiorum Hammon.* Ratio redditur non occupati territorij filiorum Hammon: quia terminus eorum erat fortis, fortitudine diuinæ custodiæ: inhibuerat enim Deus, ne molesti essent filiis Hammon, vt patet Deuter. 2.

Vers. 25. Tulitque Israël omnes ciuitates istas: & habitauit in omnibus ciuitatibus Emoræi, in Esebôn, scilicet.] Superfluit, *scilicet:* & corruptè *Chesbon* profertur *Esebon.*

Et viculis eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et in omnibus filiabus eius.* Chesbon enim erat vrbs regia; & propterea aliæ ciuitates vocantur filiæ eius, tanquā dependentes ab ea, vt matre.

Vers. 26. Quia Chesbon, ciuitas Sichō Regis Emoræi fuit: qui pugnauit contra Regem Moab.] Deficit, *primum;* & iuxta planum literæ sensum significatur primus Rex Moab.

Et tulit omnem terram eius de manu ipsius vsque Arnon.] Aduerte, quòd historia hæc fuit occasio post trecentos annos belli, quod narratur Iudic. 11. tempore Iephte: repetebatur enim à filiis Lot terra ista, tanquàm terra Moabitarum: ex hoc enim commemorato bello olim inter Emoræos, & Moabitas, apparet verum fuisse, quòd terra ista fuerat Moabitarum: hoc enim hîc narratur à Mose.

Vers. 27. Idcircò dicitur in prouerbio[m].] Iuxta Hebræum habetur: *Super sic dicent parabolatores.* Et futurum, *dicent*, refertur ad præteritum olim bellum: afferuntur enim subiuncta in testimonium commemorati belli.

[m] Parabolam Hebræis vocari certum est obscuriorem & grauiorem sententiam, quæ reconditi aliquid in se habet: cantabatur siquidem olim parabola illa inter gētes complectens victoriā Amorræorum contra Moabitas, ita vt vox luctus Moabitarum, quæ à regionis initio ab Hesebon, & Medeba edebatur, in Bassa vsque loco remotissimo sit audita. Ad hunc modum cantarunt virgines Israël in parabola, victoriā Dauidis contra Philisthæum.

Venire in Chesbon: ædificetur, & construatur ciuitas Sichon.] Initium est prouerbij. Apparet enim, quòd per modum cuiusdam cantici, seu epigrammatis scripta sint hæc subiuncta de victoria Emoræi contra Moabitas: & propterea diuersimodè formatur sermo: modò inuitando: *Venite ad ædificandum Chesbon, & construendum eam in ciuitatem Sichon Regis Emoræorum.* Et metaphoricè subiungitur:

Vers. 28. Quia ignis exiuit de Chesbon, flamma de ciuitate Sichon.] Ad instar enim egredientis ignis, & flammæ describitur oppressio Chesbon ciuitatis præcipuæ: quia oppressio illius redundauit in oppressionem totius adiacentis regionis: & hoc est, quod subiungitur:

Deuorauit Har Moab: (quamuis vulgata editio corruptè habeat Arnon Moabitarum:) comedit heros excelsorum locorū Arnon.] Modò apostrophat ad Moab:

Vers. 29. Væ tibi, Moab: periisti popule Chemos[n].] Erat enim Chemos Deus filiorum Hammon: vt scribitur Iudicum 11. Modò de eisdē loquitur in tertia persona, dicendo:

[n] *Chamos* idolum nōnulli idem censent cū Moloch ex cap. 2. 3. Reg. Hieronymus 8. cap. in Oseam diuersum esse putat. Huic Idolo fanū extruxit Salomon 3. Reg. 11.

Dedit filios suos in fugam, & filias suas in captiuitatem Regi Emorçorum Sichon.] Et ad Deum Chemos referūt, quòd dedit filios suos in fugam, arguendo Deum illum impotentiæ. Quòd autem subiungitur:

Vers. 30. Iugum ipsorum disperiit à Chesbon vsque Dibon.] Hebraïcè habetur: *Dominium perdidit Chesbon, cessauit Dibon.* Et dictio interpretata, *dominium*, anceps est ad dominium, vel sagittationem. Sed sensus in idem redit: quoniam paria sunt, amittere arma, & amittere dominium. *Dibon* autem nomen videtur ciuitatis simul oppressæ. Quòd autem subditur:

Lassi peruenerunt in Iophe, & vsque Medaba.] Hebraïcè habetur: *Et desolauimus vsque Nophach, quæ vsque Medba.* In prima persona concludunt epigramma, narrando extensos terminos desolationis.

Vers. 31. Habitauit itaque Israël in terra Emoræi.] Ad insinuandum, quòd in terra illa, tanquàm Emoræorum, & non tanquàm Moabitarum habitauerit Israël, subiungitur post historiam, quòd olim fuerat Moabitarum, habitasse Israël in terra Emoræi.

Vers. 32. Misitque Moses, qui explorarent Iahzer: cuius ceperunt vicos, & possederunt habitatores.] Iuxta Hebræum habetur: *Et percusserum filias eius, & expulit Emoræum, qui ibi.* Alia ciuitas describitur priùs explorata, & deinde percussa vsque ad expulsionem habitatorum.

Vers. 33. Verterúntque se, & ascenderunt per viam Basan[o]: & occurrit eis Hog Rex Basan cum omni populo suo, pugnaturus in Edrehi.

[o] Priùs credendū est, Regem Basan aggressum fuisse Israelitas, quàm Israël verteret se ad expugnandum illum. siquidem cùm Rex Basan Regem Amorræum vicinum præliari videret, accessit fortè in auxiliū, eóque pugnauit contra Israël. in qua pugna cùm regnum depopulaturi essent Israelitę, necessum erat diuertere à via recta, qua per Iordanem transeundū erat contra Hiericho. Protēdebatur siquidem ad Septentrionem terra Basan, vsque ad torrentem Iaboc inter montes Habarim, & Iordanem.

Vers. 34. Dixítque Dominus ad Mosen: Ne timeas eum: quia in manu tua tradidi illum, & omnem populum, ac terram eius: faciésque ei, sicut fecisti Sichon Regi Emoræorum, habitatori Chesbon.

Vers. 35. Percusserunt igitur eum, & filios eius, & totum populum eius, vsque ad internecionem, & possederunt terram illius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et hæreditauerunt terram eius.* Tanquam hæreditario iure vtrunque regnum significatur possedisse Israëlem, eò quòd Deus in partem hæreditatis hæc illi dabat.

CAPVT XXII.

Profectíque filij Israël, castrametati sunt in campestribus Moab[a], vbi trans Iordanem Iericho sita est.] Vltima profectio, ac mansio describitur: sed Hebraïcè aliter describitur situs relatiuè ad Iericho *A transitu Iarden in Iericho.* in planitie territorij Moabitarum in illa parte, qua transitur per Iordanem ad Iericho, castrametati describuntur vltimò filij Israël.

VERS. I.

[a] *Campestria Moab* ea est planities, quam Moabitæ quondā inhabitarunt ad Iordanis ripam ab Arnone fluuio vsque ad torrentem ferè Iaboc. In ea planitie Israël diutiùs moratus est.

Vers. 2. Vidit autem Balac, filius Sipor, omnia, quę fecerat Israël Emorço.]

Gesta à Rege Moabitaru m his visis victoriis subiungitur.

*V.*3. Et quòd pertimu issent cũ Moabitæ, & quòd impetum e ius ferre non possent.] Iuxta Hebræum habetur : *Et timuit Moab à facie populi vald è, quia multus ipse : & fastiditus est Moab à fa cie filiorum Israel.* De Rege quidem dicitur, quòd considerauit victorias : de populo au tem Moabita,& quòd timebat, & quòd fasti dio afficiebatur, quanuis Israëlitę non essent il lis molesti: narrantur enim internæ passiones, non externa mala, quæ nulla tunc erant.

Vers. 4. Dixítque ad maiores natu Madian[b].] Iuxta Hebræum habetur : *Et dixit Moab senibus Midian.* Vicinæ gentes colloquuntur : Moabitæ enim filij erant Lot: Midianitæ verò filij Abrahæ ex Cetura, vt patet in Genesi.

Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, vt solet bos herbas vsque ad radices carpere.] Sententia, quanuis aliis verbis, in idem redit. Materia consilij inter Moabitas, & Midianitas narratur.

Ipse autem Balac Rex erat in Moab eo tempore.

Vers. 5. Misitque nuncios ad Bilham, filium Behor ariolum.] Iuxta Hebræum habetur, *ad Pedor*. Nomen est loci.

Qui habitabat super flumen terræ filiorum Hãmon.] Iuxta Hebræum habetur: *Qua super flumen terræ filiorum populi eius.* Situs loci describitur : & pronomen, *eius*, vel Regem refert : & est sensus, quòd Pedor erat super flumen terræ populi ipsius Balac Regis. Vel Bilham : & est sensus, quòd Pedor erat super flumen populi ipsius Bilham. An autem populus iste sit Moab, an populus alter, vnde originem traxerat Balac Rex, vel ipse Balham, perspicuum non est hîc : hoc tamen secundum insinuari videtur, dum non dicitur, iuxta flumen terræ Moab ; sed *iuxta flumen terræ filiorum populi eius.* Nec desunt, qui dicunt, flumen hoc esse Euphratem, & Bilham Chaldæum : & ex eadem fortè natione fuisse Balac Regem Moabitarum.

Vt vocarent eum, & dicerent : Ecce egressus est populus ex Ægypto, ecce operuit superficiem terræ, & ipse sedet contra me.

Vers. 6. Veni igitur, & maledic populo huic, quia fortior me est : vt possim eum percutere, & eiicere de terra mea] Non est in Hebræo, *mea*.

Noui enim, quòd benedictus sit, cui benedixeris ; & maledictus, cui maledixeris.] Rationi consentaneum est, quòd Rex iste expertus fuerat veracitatem, seu efficaciam verborum Bilham ; & quòd diuina diuinis opponere nitebatur : audierat siquidem, quòd Israël diuinis innitebatur, interueniente Mose: & propterea ipse diuinam maledictionem, interueniente Bilham, quem vt Prophetam venerabatur, opponere studebat : vt Prophetam Bilham contra Prophetam Mosen, & diuina per Bilham[c] contra diuina per Mosen opponeret.

Vers. 7. Perrexerúntque seniores Moab, & maiores natu Midian.] Ecce effectus consilij, quòd senes vtriusque nationis nomine Regis iuerunt ad Bilham.

Habentes diuinationis pretium in manibus.] Iuxta Hebræum dicitur : *Et diuinationes in manibus eorum.* Nihil dicitur de pretio, muneribus, vt instrumentis in litera, vt sonat : propter quod non abs re intelligimus, quòd Moses hæc verba adiecit ad manifestandum, quòd non tanquàm ad Prophetam, sed tanquàm ad diuinatorem, & ibant, & missi erant : manus siquidem loco officiorum ponuntur. Et est sensus : Et diuinationes erant in officiis eorum. Ita quòd officia eorum non erant officia consulentium deuotè Prophetam Dei ; sed officia euntium ad diuinationes damnatas diuina lege.

Et venerunt ad Bilham, & narrauerunt ei omnia verba Balac.

Vers. 8. Quibus ille dixit : Manete hîc nocte, & respondebo vobis, quicquid dixerit mihi Dominus.] Nomen est tetragrammaton. quod ideò specialiter annotauerim, vt intelligatur, quòd Bilham profitebatur se à summo Deo reuelationem habere.

Manentibus autem illis apud Bilham.] Iuxta Hebræum habetur : *Et sederunt Domini Moab cum Bilham.* Incertum est, an comprehendantur etiam senes Midian, an (vt Hebræi quidam dicunt) recesserint senes Midian : & propterea scriptum sit, quòd manserunt Domini Moab ad excludendum senes Midian.

Venit Deus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et venit Elohim ad Bilham, & dixit.*

Vers. 9. Quid sibi volunt homines isti apud te?] Deus, vt gubernator, vt director, & distributor actionum describitur aduenisse, & allocutus proculdubiò per modum somnij: apparuit enim dormienti in specie Iudicis supremi, & per modum interrogantis colloquendo.

Vers. 10. Respondit.] Iuxta Hebræum habetur : *Et dixit Bilham ad Elohim.*

Balac, filius Sipor, Rex Moabitarum misit ad me.

Vers. 11. Dicens : Ecce populus, qui egressus est de Ægypto, operuit superficiem terrę : veni, & maledic ei, si quomodo possim pugnans abigere eum.] Colloquium habitum in somnio describitur.

Dixitque Deus.] Iuxta Hebræum habetur : *Et dixit Elohim ad Bilham.*

Vers. 12. Noli ire cum eis, neque maledicas populo : quia benedictus est.] Ratione supradicta nominatur Elohim.

Vers. 13. Qui mane consurgens dixit ad Principes.] Hinc clarè apparet, quòd dormiens nocte habuerat hanc visionem.

Ite in terram vestram : quia prohibuit mihi Deus venire vobiscum.

Vers 14. Reuersique Principes dixerunt ad Balac: Noluit Bilham venire nobiscũ.

Vers. 15. Et rursum ille multò plures, & nobiliores, quàm antè miserat, misit.] Opinatus est Rex, quòd Bilham rogari, & honorari plùs vellet : & propterea honorabiliorem legationem misit.

Vers. 16. Qui cùm venissent ad Bilham, dixerunt : Sic dicit Balac, filius Sipor: Ne cuncteris venire ad me,

Vers. 17. Paratũ honorare te.] Iuxta Hebræũ habetur: *Ne, obsecro, vetaberis ab ire ad me,* quia

---

b Huius populi Madiã situm ignoro planè Crediderim. Madianitas ad Oriẽtem Moab sitos, quorum regio ex Elanitico sinu protendebatur vsque ad Euphratem. Quòd autem Rex Moab Madianitas potiùs, quàm Ammonitas fratres in adiutoriũ vocauerit, eò factum puto, quòd Balaa Madianita esset. Vnde inferius 31. cap. inter Madianitas occisus est. Vt igitur facilius Balaam venire vocatus, voluit Rex Moab, vt à Madianitis vocaretur.

c Non mirandum est, si iste Balaã, qui ariolus erat, & iniquus (teste Iuda Apostolo) Propheta Domini fuerit, futura verè prędixerit, & signa, ac portenta dederit inter gentes. Christus siquidem Matth. 7. testatur, multos in eius virtute, & Dei prophetasse, signa & prodigia dedisse, quos tamen nouerat nunquam. Quo loco voluit cõmemorare Dominus, non tam eximium esse hoc donũ, virtutes & prodigia faciẽdi, vt impiis eũ illud olim dederit; & Ioanni, quo non erat in mulieribus maior natus, non dederit. Nam hic nullũ signum fecit, Ioann. 10. De ea verò parte propheticæ, quæ per omnia sęcula, & apud quaslibet gentes sese exeruit, tum per insomnia, tum per instinctum quendã, & afflatũ diuinum, denique de imposturis & fallaciis in his ti Dæmonum, quã hominũ, præstiterit legere M. Tullij libros de diuinatione.

quia honorando honorabo te valdè. Humiliter loquuntur Legati nobiles, promittendo, tum magnum honorem, tum promptum obsequium, subiungendo:

Et omne, quod dices mihi, faciam.] Nomine enim Regis promittunt obsequium regium. Quòd autem dicunt, *non vetaberis*, vel ad non parcendum labori itineris, vel ad hoc, vt non retrahatur aliquo somnio ab itinere spectat:

Veni, & maledic[d].] Iuxta Hebręum adiungitur: *mihi populum istum.* Petit Rex, vt ad ipsius Regis bonum maledicat populo Israël.

[d] Quantùm Prophetarũ imprecationes, & execrationes valerent, ex igne de cælo misso ad verbũ Heliæ super milites Regis Ochosiæ 4. Reg. 1. & ex vrsis, qui paruulos Hiericho deuorarant ad maledictionẽ Helizei 4. Reg. 2. conijcere poteris.

Vers. 18. Respondit Bilham: Si dederit mihi Balac domum suam plenam argenti, & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, vt vel plùs, vel minùs loquar.] Iuxta Hebræum habetur: *Non potero transgredi os* יהוה *Elohe mei ad faciendum paruum, vel magnum.* Sanctissima verba sunt, profitentis, tum summum Deum gubernatorem suum, alloquentem ipsum: tum firmam, ac fixam promptitudinem ad obediendum verbo Dei. Et in his comprehenditur ipsum esse cultorem summi Dei: alioquin non appellasset *Iehouah Elohe suum.*

Vers. 19. Obsecro, vt hîc maneatis, etiam hac nocte, vt scire queam, quid mihi rursum respondeat Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nunc sedete, obsecro, hîc etiam vos nocte, & sciam, quid addet* יהוה *loqui mecum.* Tanta obsecratio non honoris, sed etiam cupientis morem gerere, Regi signum est. Et dicendo, *etiam vos*, ad priores alludit Legatos, qui ibi nocte manserant: vt expectent isti vna nocte, sicut & illi expectarunt. Et dicendo, *addet loqui*, relatiuè ad priorem allocutionem diuinam dicit, *addet:* nec alium, quàm summum Deum expectare se profitetur.

Vers. 20. Venit ergo Deus ad Bilham nocte.] Iuxta Hebræum nomen habetur Elohim: & ratione iam supradicta in simili specie dormienti apparuit.

Et ait: Si vocare te venerunt homines isti.] Interrogatiuè legendum, sicut in priore allocutione videtur. *An ad vocandum te venerunt viri?* Et facto puncto subiungitur altera oratio.

Surge, & vade cum eis, & tantùm id, quod tibi præcepero facias.] Cupienti ire concedit, vel permittit Deus, vt vadat; salua tamen executione diuini sermonis futuri: non enim malum erat ire qualificatum sic, quamuis petitio regia esset mala.

Vers. 21. Surrexítque Bilham mane: & strata asina profectus est cum Principibus Moab.

Vers. 22. Et iratus est Deus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et iratus est furor Elohim, quòd pergens ipse.* Hinc apparet, quòd permissiuè dictum fuerit à Deo: *Surge, & vade cum eis.* ita quòd sensus fuerit: Si vis ire, vade cum eis, hoc tamen serua, vt non facias, nisi quod loquar tibi. Apparet etiam hinc, quòd cupiebat Bilham morem gerere Regi: & quia ad hoc pronus ibat, ideò Deus iudex cordium iratus apparuit, eò quòd iret Bilham proculdubiò animo prono ad malum.

Stetítque Angelus Domini in via contra Bilham[e].] Iuxta Hebræum habetur: *Et stetit Angelus* יהוה *in via ad odiendum ipsum.* Odium pro effectu odij, qui est aduersari, ponitur: ad aduersandum enim stetit Angelus in specie corporali; quam tamen non videbat Bilham: quia in potestate Angeli erat immutare, vel non immutare visum Bilham: ita quòd corpus illud Angeli aëreum immutabat visum asinæ, & non visum Bilham, & eorum, qui cum ipso erant.

[e] Peccatum Balaam expressit Petrus 1. Petri 2. inquiens, Balaam mercedem iniquitatis amasse.

Et ipse sedebat super asinam, & duos pueros suos habebat secum.

Vers. 23. Cernénsque asina Angelum [f] Domini stantem in via euaginato gladio, auertit se de itinere, & ibat per agrum. Quam cùm verberaret Bilham, & vellet ad semitam reducere.] Parui refert, quòd Hebraïcè reducta significatur asina ad viam: nam scribitur:

[f] Spiritus illi cælestes ideò Angeli vocãtur, quòd nunciorum Dei supremi sint, & præstantissimi: Angelus enim commune vocabulũ est omnibus, qui mãdata Dei perferunt, & à Deo mittuntur, siue illi spiritus cælestes sint, siue Prophetæ, Apostoli, aut Sacerdotes in terra, vt Malachiæ 2. de Sacerdote dicitur: *Quia Angelus est Domini exercituum.* & 1. Corint. *Debet mulier velamen habere super caput propter Angelos*, id est, Ecclesię Ministros. Sic & Ioannes Angelus dictus est. Cæterùm huius Angeli apparitionẽ, tanquàm stupendi miraculi causam, expressit Petrus 2. Canon. c. 2.

Et percussit Bilham asinam, faciendo declinare eam ad viam.] Statimque subiungitur.

Vers. 24. Et stetit Angelus יהוה in semita vinearum, maceria hinc, & maceria hinc:

Vers. 25. Et vidit asina Angelum Iehouah, & fuit impulsa ad parietem, & impulit pedem Bilham ad parietem.] Secundus occursus Angeli describitur cum secunda percussione asinæ.

Vers. 26. At ille iterum verberabat eam: & nihilominus Angelus Domini ad locum angustum transiens, vbi nec ad dexteram, nec ad sinistram poterat declinari, obuius stetit.

Vers. 27. Cúmque vidisset asina stantem Angelum, cecidit sub pedibus sedentis.] Rectiùs scribitur Hebraïcè, *cubauit sub Bilham.* non habens enim asina, quò diuerteret, cubauit.

Qui iratus, vehementiùs cædebat fuste asinam.

Vers. 28. Et aperuit Dominus os asinæ: & locuta est: Quid feci tibi, quòd percutis me iam tertiò?] Vt Petrus Apostolus in secundo capitulo secundæ suæ Epistolæ exponit, disposuit Deus insipientiam Bilham per stolidum animal reprehendi, vt vel sic resipisceret à malo suo affectu. Nec sis adeò rudis, vt putes, per hoc colloquium inter asinam, & Bilham, intellexisse asinam verba, quæ dicebat: angelico siquidem ministerio formabantur verba asinino ore, quæ asina ipsa non intelligebat, quasi asina intelligeret, & rueretur causam propriam.

Vers. 29. Respondit ei Bilham: quia illusisti mihi: vtinam haberem gladium, vt te percuterem.] Peiùs scribitur: *Quia nunc occidi te.* hoc est, quia nunc occidissem te. Nullum enim præteritum habent Hebræi, nisi præteritum Indicatiui.

Vers. 30. Dixítque asina: Nónne animal tuum sum, cui semper insidere consueuisti vsque in præsentem diem? Dic, an simile vnquam fecerim tibi? At ille ait: Non.

Vers. 31. Protinúsque aperuit.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Et detexit Dominus oculos Bilham.* Nam detectio ista nihil aliud fuit, quàm tollere impedimẽtum, quo impediebatur

impediebatur immutatio oculorum Bilham à corpore Angeli : quod fuit extendere immutationem illam ad oculos Bilham.

Et vidit Angelum ſtantem in via, euaginato gladio : adorauitque eum pronus in terram.] Iuxta Hebræum habetur: *Et inclinauit cum occipite, & adorauit in facie ſua.* Non dicitur, quòd in terram ſe proſtrauerit: ſed, quòd caput flexerit, & venerationis ſignum demiſſa facie exhibuerit : ſedebat enim ſuper aſinam.

Verſ. 32. Dixitque ei Angelus Domini : Cur iam ter verberaſti aſinam tuam? Ecce ego veni, vt aduerſarer tibi : quia peruerſa eſt via tua, & mihi contraria.

Verſ. 33. Et niſi aſina declinaſſet à facie mea, te occidiſſem, & illa viueret.] Summat Interpres longiorem Angeli ſermonem de beneficio aſinæ tribus vicibus declinantis in bonum ipſius Bilham.

Verſ. 34. Et dixit Bilham Angelo Domini : Peccaui, neſciens, quòd tu ſtares contra me: & nunc, ſi diſplicet tibi, vt vadam, reuertar.] Ecce fructus apparitionis iſtius : accuſat præteritum, & promptum ſe exhibet ad reuertendum.

Verſ. 35. Aitque ei Angelus Domini : Vade cum iſtis.] Manifeſtè conceditur ire; qualificatum tamen, ad patendum Deo.

Et caue, ne aliud, quàm præcepero tibi, loquaris.] Parui refert, quòd Hebraïcè loco, *præcepero*, habetur, *loquar*. Loqui enim ſuperiorum interpretamur præcipere.

Iuitque Bilham cũ Principibus Balac.

Verſ. 36. Quod cùm audiſſet Balac, egreſſus eſt in occurſum eius in oppidum Moabitarum, quod ſitum eſt in extremis finibus Arnon] Iuxta Hebræum habetur: *Super terminum Arnon, qui in extremo termini.* proculdubiò Moabitarum. Eſt enim ſenſus, quòd venit ad ciuitatem Moab, ſitam ſuper terminum Arnon, qui Arnon eſt in extremo termini Moabitarum; hoc eſt, ad illam partem Arñon, quæ terminat Moabitas.

Verſ. 37. Dixitque ad Bilham : Miſi nuncios, vt vocarent te : cur non ſtatim veniſti ad me? an, quia mercedem aduentui tuo reddere non queo?] Iuxta Hebræum omnes iſti ſermones interrogatoriè ſcribuntur : *An non mittendo miſi ad te vocando te? quare non veniſti ad me? an certè non potero honorare te?* Verba ſunt reprehenſiua, quòd prima vice vocatus non venerit.

Verſ. 38. Cui ille reſpondit: Ecce adſum.] Iuxta Hebræum habetur : *Ecce veni ad te nunc.* Et rationem, quare priùs non venerit ſubiungendo ſimul cum proteſtatione futuri ſui officij dicit: *An aliud loqui potero, quàm quod Deus poſuerit in ore meo?* Prudenter Bilham manifeſtat Regi, quòd non promittit ei, quod petierat; (videlicet, maledicere populo Iſraël;) ſed promittit in genere loqui, quod Elohim, quod Deus gubernator, & director poſuerit in ore eius.

Verſ. 39. Iuitque Bilham cum Balac[g]: & venerunt in vrbem, quæ in extremis regni eius finibus erat.] Iuxta Hebræum habetur, *in ciuitatem Chuſoth.* & nihil aliud dicitur. An autem Chuſoth ſit nomen proprium, an interpretandum ſit, platearum, neſcio.

[g] Illuc diuertit Balac Rex, vnde erant miſſi Legati.

Verſ. 40. Cúmque occidiſſet Balac boues, & oues, miſit ad Bilham, & Principes, qui cum eo erant, munera.] Honoris cauſa ſtatuerat Rex Primates aliquos manere cum Bilham.

Verſ. 41. Mane autem facto duxit eum ad excelſa Balac[h].] Locus ſignificatur, vbi colebatur Bahal in monte ſub diuo.

Et intuitus eſt extremam partem populi.] Non eſt in Hebræo, *partem*, ſed duntaxat, quòd vidit inde extremitatem populi. Sed ſubiuncta teſtantur, quòd ita vidit extremitatem, vt videret populum ſecundùm omnes extremitates illius.

[h] De excelſis idolorũ ſuperiùs nonnihil diximus: ſolebãt enim gentes, iuxta morem Patriarcharum, in locis altis, & móribus fana idolis cõſtruere. Hic autem locus (vt putat Zieglerius) vbi excelſa Baal erant, locus erat vallis Baamoth, vnde intuitus eſt Balaam extremam partem populi, nẽpe, tribũ Rubẽ, Simeõ, & Gad, caſtrametantium ad plagam auſtralem.

CAPVT XXIII.

Vers. 1.

Dixítque Bilham ad Balac: Ædifica mihi hîc ſeptem aras, & para ſeptem vitulos, & ſeptem arietes.

Verſ. 2. Cúmque feciſſet Balac iuxta ſermonem Bilham, impoſuerunt ſimul vitulum, & arietem ſuper aram.] Superfluit, *ſimul*: & eſt ſenſus, quòd ſuper ſingulas aras obtulerunt duo animalia; taurum, videlicet, & arietem.

Verſ. 3. Dixitque Bilham ad Balac: Sta pauliſper iuxta holocauſtum tuũ[a], & vadam : fortè occurret mihi Dominus.] Nomen eſt tetragrammaton : ſemper enim profitetur ſe expectare reuelationem à ſummo Deo.

[a] Dum cõburereretur holocauſtũ, procedebat aliquantulum ad orandũ (vt puto,) ſed, cùm holocauſtũ Regis eſſet, & idololatræ, ſuperſtitio in his immiſcebatur.

Et quodcunque mihi imperauerit.] Iuxta Hebræum habetur : *Et quod faciet videre me, nunciabo tibi.* Quod ideò annotauerim, vt poſſit prudens lector conferre hæc expectata à Bilham: ſperabat enim occurſum Dei obuiam ſibi, ſperabat rurſus viſionem nouam habere. Quæ duo conferendo, apparet, quòd non corporalem, ſed ſpiritualem occurſum ſperabat: nam ad ſpiritualem viſionem habendam tendebat. Ite tamen ipſius Bilham corporale fuit : an autem religioſum, vel ſuperſtitioſum, inferiùs dicetur.

Verſ. 4. Cúmque abiiſſet velociter.] Iuxta Hebræum habetur : *Et iuit fractus.* Siſte tamen : quia dictio interpretata, *fractus*, anceps eſt ad, *fractus*, vel *celſus*, quanuis Chaldaïcè habeatur, *ſolus*. Deſcribitur enim, quòd iuit, vel eleuato in cælum vultu, vel fractus animo; hoc eſt, ad ſimilitudinem attoniti, & quaſi extra ſe hominis poſiti. Et hic vltimus ſenſus, quem Hebraïca ſonant, quadrat diſpoſitioni incantationes exercentium : ac per hoc pro ſenſu literali eſt habendus: quia clarè ſubditur à Moſe, quòd incantando ibat.

Occurrítque illi Deus.] Nomen eſt *Elohim*: quia ſub ſpecie Iudicis videtur apparuiſſe, non corporali occurſu, ſed interno: & proculdubiò, quia ad officium gubernatoris exercendum occurrit. Significanter dicitur, *occurrit*: quia Deus non quæſitus ſe obtulit, vt inferiùs manifeſtatur.

Dixitque

Dixítque ei Bilham:Septem aras erexi, & imposui vitulum, & arietem in ara.] Hinc apparet, quòd non ad sacrificandum Bahal altaria construxerat, & holocausta offerebat: non enim ausus fuisset allegare coram vero Deo has aras cum holocaustis, nisi ipsi vero Deo sacrificaret: citat enim sacrificia, vt merita apud Deum, ad hoc, vt reuelet, quid dicendum, aut agendum.

Vers. 5. Dominus autem posuit verbum in ore eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et posuit* יהוה *verbum in ore Bilham: & ait: Reuertere ad Balac, & sic loqueris.* Summus Deus nominatur, vt indubia adhibeatur fides dictis, quæ subiunguntur, nec quisquam putet illusiones, aut phantasias fuisse Bilham.

Vers. 6. Reuersúsque inuenit stantem Balac iuxta holocaustum suum, & omnes Principes Moabitarum.] Superfluit, *omnes.*

Vers. 7. Assumptáque parabola sua dixit.] Sermo per similitudines significatur, non ad excludendum proprietatem verborum; sed ad insinuandum mixtas similitudines, vt meliùs intelligantur, vel seruentur sententiæ.

De Aram [b].] Quanuis duas legamus Aram, (alteram Syriæ, vocatam Aram Soba: alteram Mesopotamiæ, in qua fuit Iahacob peregrinus annis viginti,) quia tamen tam Septuaginta, quàm Iosephus intellexerunt Aram Mesopotamiæ, & subiunctis Bilham verbis consonare videtur; ideò hinc rationabiliter habetur, quòd Bilham Aramæus fuerit prope Euphratem habitans: nam superiùs dictum est, quòd habitabat super flumen terræ filiorum populi sui.

[b] Aram Syriæ in agro erat Damasci, qui ager anteà terra Hus dictus est, vbi quondam potestatē exercuit Hus, filius Arā, vnde regio nomē accepit, vt in longam vsque posteritatē terra Hus vocaretur. Hic Hus in patris honorem ciuitatem condidit, & de patris nomine Arā vocauit. Sed miraberis, quòd cùm Balaam Huzæus esset, Madianita à nobis asseratur. Verū, si videas Eugubinum in sua Cosmopœia probantem, Madianitas, & Huzæos eosdem esse, cessabit scrupulus. Madianitæ etiam Iudic. 6. dicuntur populus Oriētis. Hic Balaam etiam de Oriente se vocatum testatur. Crediderim igitur, Madianitas populos fuisse Syros Damascenos, & Cœlesyrios Husæos, seu Huzæos. Nam hæc nomina pro eodem accipio.

Adduxit me.] Iuxta Hebræum habetur: *Faciet ducere me Balac Rex Moabitarum.* Futuri temporis verbo vtitur, non relatiuè ad tempus locutionis, (quia prætererat ductio;) sed relatiuè ad quietem suam in Aram Et vtitur hoc loquendi modo, ad insinuandum perseuerantem impulsum Regis ad hoc, vt Bilham veniret. Vtuntur enim sæpè Hebræi futuro, ad insinuandum perseuerantiam: geminauerat enim Rex nuncios ad ducendum Bilham. Et quia vanam intendit manifestare tantam sollicitudinem Regis, tantúmque iter quoad intentum Regis; ideò commemorat eductionem sui à regione distante.

De montibus Orientis.] Quanuis irreprehensibilis sit interpretatio *Orientis*, secundùm tamen proprietatem verborum iuxta Hebræum habetur: *De montibus antiquitatis.* non quòd illi montes antiquiores sint aliis; sed, quia antiquior erat habitatio eorum. Fortè illorum montium iugum erat, in quo habitauit Noach: diuinando enim huiusmodi antiquitatem exponimus: ad commendationem tamen loci sui non est dubium Bilham dixisse hoc, vt genus suum ab antiquitate commendaret.

Veni, inquit, & maledic Iahacob: propera, & detestare Israel. *Vers.* 8. Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus?] Nomen est *El*: significatur enim Deus, quatenus fortis. Ac si apertiùs dixisset: Cur maledicā, cui non maledixit ille, in cuius fortitudine cōsistit benedicere, & maledicere? Agebatur enim de malo eiectionis populi Israël, quod à fortitudine debellantis pendebat: & propterea aptissimè nominauit Deum, *El.*

Et qua ratione detestabor, quem Dominus non detestatur?] Iuxta Hebræum habetur tetragrammaton. Aptè quoque nominatur summus Deus fons essendi circa effectū iræ. Nam, quod Interpres appellat detestari, Hebraïcè ad iram spectat. Quasi diceret: Cur irascar erga quem non est iratus יהוה? vt nec verba maledictionis, nec signa iræ assumenda censuerit: & populus, erga quem fons essendi nullum punitionis signum monstrat, cur me iratum habebit? quum à fonte essendi omnes pendere perspicuum sit.

Vers. 9. De summis silicibus [c] videbo eum.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia de vertice petrarum videbo ipsum, & de collibus intuebor eum.* Amphibologica est constructio: potest enim celsitudo petrarum, & collium referri, vel ad videntem, vel ad populum visum: quanuis modus loquendi, situm ex parte vidētis sonet: & potest ad literam verificari de ipso Bilham conspiciente corporeis oculis populū ex summitate collis petrosi. Quia tamen parabola titulus est huius sermonis, celsa, & firma reuelatio ei facta de populo Israël, per huiusmodi situm intelligi potest ad literam: ita quòd priùs qualitatem luminis, quo videt futura in populo Israël, explicat: & deinde subiungit futura. At si ex parte rei visæ intelligitur celsitudo, & firmitas populi Israël, prophetatur:

[c] De silicibus, &c. Exponit Munsterus Israelē in loco solido constitutū esse. Mihi magis placet, in his verbis significasse Balaam, perseuerantiam possessionis cāpestriū Moab, à qua regione Balac Israelitas expellere volebat. Inquiebat igitur Balaā, quòd si continuè ex silicibus, & excelsis (ad quæ eū duxerat Rex) prospiceret Israëlem, semper videret terram illam, scilicet, possidentem: subdítque, quòd solus, & segregatus semper vnus, hoc est, non dispersus, & victus habitabit Israël, & quasi particulare Dei peculium à cæteris regnis separatus. Quod vero subiunxit, *Quis numerabit quartam partem Israel?* vel eò dixit, quòd solùm quartam partem videbat, nēpe, extrema castrorū, tres Tribus, scilicet, quæ quarta pars castrorum erant; vel, quia quarta pars populi Ruben, Gad, & Manasse campestria Moab erant possessuri.

Populus solus habitabit, & inter gentes non reputabitur.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum præponitur, *ecce*: dicitur enim, *Ecce populus solus castrametabitur.* Et verissimè adimpletur in hodiernum vsque diem: nulla est enim natio non mixta nationibus aliis, nisi Iudaica: sola enim, (hoc est, non mixta aliis,) etiam dispersa vbique gentium perseuerat. Ita quòd non supputatur cum vniuersi mundi nationibus: ad solitudinem enim Israëliticæ gentis explicandam dicitur, quòd non supputatur inter gentes; sed semper erit ab aliis gentibus separata; non locorum interuallis, sed religione, lege, connubiis, & moribus.

Vers. 10. Quis numerauit puluerem Iahacob?] Quanuis solus, innumerabilis tamen futurus describitur, sicut puluis terræ.

Et nouit numerum stirpis Israël?] Iuxta Hebræum habetur: *Et numerauit quartum Israel?* Non solùm vniuersus populus Israël innumerabilis prædicitur; sed etiam quarta pars eius.

Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.

Vers. 11. Dixítque Balach ad Bilham: Quid est hoc, quod agis? Vt malediceres inimicis meis vocaui te, & tu è contrario benedicis eis. *Vers.* 12. Cui ille respondit: An aliud possum, quàm quod iusserit Dominus?] Iuxta Hebræum habetur: *An non, quod ponet* יהוה *in ore meo, custodiam ad loquendum ipsum?* Non citatur impotentia, sed obseruatio, sed obedientia ad exequendum diuinum sermonem.

Vers. 13. Dixítque Balac ad Bilham: Veni mecum in alterum locum, vnde

partem Iſraëlis videas, & totum videre non poſſis: & inde maledicito ei.] Duo hinc habētur. Alterum, quòd hinc inſinuatur, ex priore loco viſum fuiſſe totum Iſraël. Sed ſcito, Hebraïcè non haberi, *partem*, ſed extremitatem, vt in calce præcedentis capituli: ſed hic adiungendo, *& non totum*, manifeſtat, quòd ibi de extremitate omni; hîc verò de extremitate aliqua eſt ſermo. Alterum eſt ſuperſtitio Regis, ſuſpicantis, quòd ex loco, vnde videretur duntaxat pars Iſraël, mutaretur diuina ſententia.

Verſ. 14. Cúmque duxiſſet eum in locum ſublimem ſuper verticem montis Phaſga [d].] Iuxta Hebræum habetur: *Incampum ſpeculatorum ad caput Piſga.* Nomina ſunt locorum.

[d] Paſga, Nebo, & Phegor iuga ſunt montanæ Abarim. Quo loco ſita, non eſt mihi cōpertum. Verùm illud mirandum eſt, quòd ex tam excelſo vertice non integra caſtra viderent in campeſtribus ſedentia.

Ædificauit Bilham ſeptem aras, & impoſuit vitulum, atque arietem in ara.

Verſ. 15. Dixítque ad Balac: Sta hîc iuxta holocauſtum tuum, donec ego pergam obuius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ego occurram ſic.* Eundi modus ſimilis primo ſignificatur.

Verſ. 16. Cui cùm occurriſſet.] Nomen eſt tetragrammaton, vt ſubiuncta non dubitemus eſſe dicta à Deo.

Poſuiſsétque verbum in ore eius ait: Reuertere ad Balac, & hæc loqueris ei.

Verſ. 17. Reuersúſque inuenit eum ſtantem iuxta holocauſtum ſuum, & Principes Moabitarum cum eo: & dixit ei Balac: Quid locutus eſt Dominus?] Et hîc quoque nomen eſt tetragrammaton: ita quòd etiam Rex petebat, quid ſummus Deus dixiſſet.

Verſ. 18. At ille aſſumpta parabola ſua ait: Sta, Balac, & auſculta; audi Sipor:

Verſ. 19. Non eſt Deus, quaſi homo, vt mentiatur.] Sententia benè redditur: & Deus hîc nominatur El: quia de Deo, quatenus fortitudine vtebatur pro Iſraël, eſt ſermo. Et directè confutat expectationem Regis ſperantis mutationem Dei. Primò enim excludit à Deo mendacium, ſubiungendo:

Nec vt filius hominis, vt pœniteat ipſum [e].] Interpres autem genus pro ſpecie poſuit. Nam pœnitentia ſpecies eſt mutationis. Et Bilham quidem loquitur propriè: nam, propriè loquēdo, pœnitentia longè eſt à Deo: quanuis metaphoricè de pœnitentia loquendo ſacra Scriptura quandoque dicat, Deum pœnitere, quemadmodum etiam dicit, Deum iraſci, quatenus effectus facit inſtar irati, ſeu inſtar pœnitentis.

[e] Cùm hic dicatur, Deum nunquā pœnitere, mirū eſt, quod toties alibi in Scriptura dicitur pœnitentia motus, vt Gen. 6. Pſal. 105. Ieremiæ 26. & 18. Verùm in his locis pœnitere dicitur non humano more, vt dolore tangatur, & diſpliceat, quod placuerat prius; ſed mutat factum. Vnde putamus, eum pœnituiſſe, non potentes inſcrutabilia Dei comprehendere, cùm caro ſimus.

Dixit, & non faciet?] Interrogatiuè legenda eſt hæc particula: quaſi dicat, nequaquam. Et ſimiliter particula ſubiuncta:

Locutus eſt, & non implebit?] Quanuis Hebraïcè in futuro tempore ſignificetur: *Et loquetur, & non faciet ſurgere illud?* Quaſi dicat, minimè: quia, & quod dixit, faciet; & quod loquetur, faciet ſurgere; hoc eſt, efficiet, vt ſecundùm rem ſit. Ad ſimilitudinem enim derelictæ, ſeu iacentis rei, quæ eleuatur, dicit, *faciet ſurgere:* vt intelligamus, quòd quāuis ima, quanuis mortua res ſit; ſi tamen Deus dicet, faciet ſurgere illam. Et quadrat propoſito, quoniam de eleuatione populi Iſraël oppreſſi ſeruitute Ægyptiaca tractatur.

Verſ. 20. Ad benedicendum adductus ſum.] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce benedicere accepi.* De ſeipſo loquitur Bilham, quòd accepit à Deo mandatum benedicendi Iſraëlem.

Benedictionem prohibere non valeo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et benedixit, & non faciam reuerti ipſam.* De ſeipſo in tertia perſona dicit, quòd iam benedixit Iſraëli, (benedixerat enim prima vice;) & quòd nunc non reuocabit benedictionem: fatetur enim, per hæc ſe imitatorem Dei, vt quemadmodum Deus proſequitur cœpta, ita & ipſe. Quanuis de Deo poſſit intelligi, quòd benedixit: & eſſet ſenſus, quòd quia Deus benedixit populo, ego non reuocabo benedictionem.

Verſ. 21. Non eſt idolum in Iahacob, nec videtur ſimulacrum [f] in Iſraël.] Iuxta Hebræum habetur: *Non aſpexit iniquitatem in Iahacob, & non vidit laborē in Iſraël.* Cauſa, & effectus, meritum, & præmium reuelata ſcribuntur: ex eo enim, quòd in Iſraël non erat iniquitas, efficiebatur, vt non eſſet in Iſraël labor ad debellandos hoſtes, ad poſſidendum terram promiſſam à Deo. Parui, aut nihil refert, an tertia perſona, *vidit, aſpexit,* intelligatur Deus, qui reuelauit; an Bilham, cui reuelatio facta eſt.

[f] Hoc eſt, non habēt Iſraëlitæ pro adiutore ſimulacra, ſed Deus adiutor, & protector eorum eſt.

Dominus Deus eius cum eo eſt.] Iuxta Hebræum habetur: יהוה *Elohe eius cum ipſo.* Ratio vtriuſque redditur, inchoando à prima radice: quia ſummus Deus gubernator agnitus, & cultus ab ipſo populo, eſt cum eo.

Et clangor victoriæ Regis in illo.] Optimè circunlocutus eſt Interpres clangore victoriæ Hebraïcam dictionem, ſignificantem illam ſoni ſpeciem, in qua exercebantur tubæ ad bellum: & ſignificatur ad literam diuinum adiutorium prælio affuturum Iſraëli: nam & hoc promiſerat Deus, quando inſtituit iſtiuſmodi ſonum faciendum per Sacerdotes in prælio. Et hoc ſpectat etiam id, quod dixerat: *Non vidit laborem in Iſraël.* Regius tamen appellatur clangor iſte: quia regia dignitas futura in Iſraël prophetatur principaliter per hæc verba.

Verſ. 22. Dominus Deus.] Iuxta Hebræum habetur: *El eduxit eos ex Ægypto.* Deo, quatenus forti, attribuitur eductio populi: quia verè tunc apparuit fortitudo Dei, non hominum.

Cuius fortitudo ſimilis eſt rhinocerotis [g].] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut fortitudo rhinocerotis ei.* Populi fortitudo in Deo, ſimilis fortitudini rhinocerotis deſcribitur: vt intelligamus, præcipuam eius fortitudinem ad percutiendum hoſtes, quemadmodum rhinoceros percutit elephantem. Eſt enim animal quadrupes habens duo cornua; alterum in naſo, ex quo nominatur; alterum ſuperiùs, & hoc quidem valdè forte: illud autem exacuere dicitur ad lapidem, & quaſi limare in mucronem ad percutiendum.

[g] Simile animal ex India in Portugalliā delatum eſt ante annos 20. quod dono Emmanuel Rex ad Pontificem tranſmiſit.

Verſ. 23. Non eſt augurium in Iahacob, nec diuinatio in Iſraël [h]: temporibus ſuis dicetur Iahacob, & Iſraël, quid operatus ſit Deus.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia non incantatio in Iahacob, & non diuinatio in Iſraël, ſicut tempus dicetur Iahacob,* &

[h] Docet fortitudinē Iſraël non auguriis innitentem.

& Israëli: quia operatus est El. Ex merito cultus veri Dei absque mixtura non solùm idololatriæ, sed etiam cuiuscunque incantationis, & diuinationis, prophetatur dicendum, vt tempus fecet, (hoc est, tempore congruo,) quòd Deus, quatenus fortis, operatus est in fauorem Israëlis. Quanuis possit construi aliter Litera, videlicet, diceretur Iahacob, & Israëli, quòd Deus fortis operatus est. In fauorem enim Israëlis prophetatur narrandum, quòd Deus fortis fecit; hoc est, quòd non humana fortitudine, sed diuina Israël acquisiuit terram promissam, &c.

Vers. 24. Ecce populus vt leæna.] Iuxta Hebræum habetur: *Vt leunculus consurget.* Assimilatur Israël surgens ad præliandum leunculo, eò quòd minor erat in Ægypto, & exiens de Ægypto non exercitatus in armis. Sed non semper leuneulus: subiungitur enim:

Et sicut leo eleuabit se.] Quod iam inchoatum erat.

Non accubabit, donec deuoret prædam, & occisorum sanguinem bibat.] Perseuerantia subiungitur, quam rei probauit euentus; videlicet, quòd non quiescet, donec deuoret prædam terræ promissionis quoad res, & donec occisorum sanguinem bibat quoad homines; hoc est, donec satietur occisione hostium. Parabolicus enim est sermo. Et prædicitur, quòd non in captiuos, aut tributarios acquisiturus sit homines; sed quòd percussurus est eos gladio.

Vers. 25. Dixítque Balac ad Bilham: Nec maledicas ei, nec benedicas.

Vers. 26. Et ille ait: Nónne dixi tibi, quòd quicquid mihi Deus imperaret, hoc facerem?] Nomen est tetragrammaton: quum autem subduntur verba Regis:

Vers. 27. Et ait Balac ad eum: Veni, & ducam te ad alium locum, si fortè placeat Deo, vt inde maledicas ei.] Nomen est Elohim: adhuc enim dubitat, si Deo gubernatori, & distributori actionum, ex alio loco consultò placebit mutare sententiam.

Vers. 28. Et duxit eum Balac super verticem montis Pehor.] Superfluit, *montis.*

Qui respicit solitudinem [i].] Iuxta Hebræum habetur: *Qui respexit super facies Iesimon.* Descriptio est situs loci.

[i] Hæc solitudo dicta est *Habarim*, ad austrũ montanæ sita contra Orientẽ Moab. Vide Vuolphangum.

Vers. 29. Et dixit Bilham ad Balac: Ædifica mihi hîc septem aras: & para mihi hîc septem vitulos, & septem arietes.

Vers. 30. Fecitque Balac, vt Bilham dixerat: & imposuit vitulum, & arietem in ara.]

CAPVT XXIV.

VERS. I.

Et vidit Bilham, quòd placeret Domino, vt benediceret Israëli.] Nomen est tetragrammaton.

Et nequaquam abiit, vt ante perrexerat, vt augurium quæreret.] Iuxta Hebr. habetur: *Et non iuit, sicut vice in vice, in occursum incantationum.* Quod ideò ad verbum attulerim, quia hinc tam sensus verborum, quæ ex seipso dixit Bilham, quàm ratio gestorum ab eo habetur. Hinc enim patet, quòd tam prima vice, quàm secunda impositis in altaribus holocaustis, iuerat superstitiosè, & non religiosè: iuerat non ad consulendum verum Deum; sed secundùm regulas incantationum suarum iuerat ad occursum habendum alicuius visionis internæ ex vi holocaustorum, & incantationum, quas exercebat etiam in modo eundi. Habetur quoque hinc, quòd fictè Bilham vtebatur nomine summi Dei, quando ex seipso dicebat, se consulturum Deum. Habetur & tertiò, quòd Deus verus non quæsitus à Bilham, sponte occurrit ipsi, præueniẽdo Dæmonem solitum venire per incantationes: nec solùm præueniendo; sed etiam impediendo occursum Dæmonis. Et propterea scriptum est, vtraque vice Deum dixisse ad Bilham: *Reuertere.* vt non expectaret suæ incantationis effectum solitum, Dæmonem. Narratur itaque, quòd videns Bilham incantationes suas vanas, impediente Deo, volente, vt benediceret populo Israël, cessàuit ab incantationis ritu.

Et direxerit contra desertum vultum suum.] Proculdubiò versùs illam plagam, in qua erat Israël.

Vers. 2. Eleuánsque oculos suos vidit Israël in tentoriis commorantem per Tribus suas: & irruente in se Spiritu Dei.] Iuxta Hebr. habetur: *Et fuit super ipsũ Spiritus Elohim.* Spirituale lumen Dei, quatenus gubernantis, & distribuentis vniuersa, describitur infusum Bilham: vt non dubitemus, subiuncta dicta emanasse à vero Deo.

Vers. 3. Et assumpta parabola ait: Dixit Bilham [a].] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Dictum Bilham, filij Behor.* Et similiter, quum subiungitur:

Dixit homo.] Habetur enim: *Et dictum viri.* Nec plenè explicatur Hebraïca dictio nomine *viri:* quoniam significat virum qualificatum, & non virum absolutè: erat enim Bilham persona qualificata.

Cuius obturatus est oculus.] Oppositum scribitur Hebraïcè: *Aperti oculi.* Et est vtrunque genitiuum. Describit enim seipsum, non solùm ex genere, & ex qualitate personæ; sed ex acumine, seu expeditione interni visus. Sicut enim habens oculos corporeos clausos impeditur, ne videat; habens autem oculos apertos expeditus est ad videndum, quæ occurrunt, & apparent: ita expeditos mentis oculos describitur habere, qui dispositam habet mentem ad videndum futura in lumine interno.

[a] Mos est Prophetis admodũ familiaris, titulos propheriis præponere, quibus inserunt Dei personam, vt Prophetarum fastus minùs crescat. Hinc illud: *Ait Dominus. Hæc dicit Dominus. Hæc sunt verba.* & similia identidem inculcant. Sunt igitur ista, prophetiæ describendæ titulus. Et si Dauidis nouissimam prophetiam spectes, videbis illius exordium huic omninò simile. Cęterùm illud: *Qui cadit,* &c. adiunctum est in fidem, & authoritatem huius prophetiæ. Nã illud bonis Prophetis (vt inquit Munsterus) solebat contingere, vt non potẽtes ferre spiritũ Dei, caderent in terram. Simile quid ad suæ authoritatis cumulũ inquit Balaam illi contigisse.

Vers. 4. Dixit auditor sermonum Dei, qui visionem omnipotentis intuitus est: qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius.] Iuxta Hebræum habetur loco Dei, *El:* & loco omnipotentis, *saddai:* & loco, *sic aperiuntur oculi eius*, habetur, *& detectos oculos.* Primùm dixerat, *apertos*; nunc dixit, *detectos oculos.* Sed nihil refert ad sensum: sed cùm priùs depinxisset seipsum Bilham ex interno, tam visu, quàm auditu, (hi enim duo sensus præcipuè seruiunt intellectui, & transferuntur metaphoricè ad partem intellectiuam,) & actionem interni oculi manifestasset videre visionem Dei, declarat postremò modum videndi; videlicet, cadendo ab vsu sensuum exteriorum per ecstasim, vel somnum: hoc enim

enim modo detectos sortiebatur mentis [a] oculos ad superiora videnda. Nominat autem Deum, & Saddaï: quia materia reuelationum harum spectat ad Dei fortitudinem aduersùs hostes, & ad diuinam victoriam, vt patet in progressu.

Vers. 5. Quàm pulchra.] Iuxta Hebræum habetur: *Quàm bona tentoria tua Iahacob, & tabernacula tua Israel.* Commendatur enim bonitas Israëlis.

Vers. 6. Vt valles nemorosæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut torrentes inclinati.* Ab impetu in hostes simili præcipiti aquæ torrentis inclinati, describitur Israël.

Vt horti iuxta fluuios irrigui.] Interpres addidit, *irrigui*: quia subintelligitur. Commendantur enim Israëlitæ, tanquàm horti irrigui ex flumine proximo: & in hoc fœcunditas iucunda populi commendatur.

Vt tabernacula, quæ fixit Dominus.] Rectiùs legitur: *Sicut aromata.* quoniam non, *fixit*, sequitur; sed, *plantauit Iehouah.* Aromaticis virgultis hac tertia similitudine assimilantur Israëlitæ. Et attribuitur aromatum plantatio summo Deo, vt fonti essendi, propter nobilitatem talium virgultorum, tanquàm supra humani ingenij adinuentiones, & vires. Et in hoc pretiositas cum bona fama Israëlitarum commendatur: vtpote vacantium cultui summi Dei, & custodientium legem eius, tanquàm ab ipso Deo plantatorum.

Quasi cedri [b] prope aquas.] Quarta similitudine celsitudo Israëlis commendatur ad instar cedrorũ super loca aquarũ crescentium.

Vers. 7. Fluet aqua de situla eius, & semen eius in aquas multas.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *De situlis eius.* quoniam metaphoricus est sermo, congruè intelligitur, quòd aqua sapientiæ diuinæ legis, tanquàm colando, spargetur è situlis Israël; hoc est, ex libris, seu Prophetis Israël in alias nationes. Et proptereà eadem diuina sapientia nomine seminis subiungitur spargenda *in aquis multis*; hoc est, in populis multis: hoc enim perspicuum est adimpletum fuisse: quoniam ex multis partibus mundi multi redditi sunt colentes verum Deum ex Hebraïca doctrina, quasi stillante extra.

[b] Potentiã Scriptura passim similitudine cedrorum exprimit, vt hic. Aquæ verò nonnunquã populos significant. vt Esai. 8. *Adducet aquas multas Genar Regem, & gloriam eius* & Apocal. 17. *Aquæ, quas vidisti, populi sunt, & gentes.* Significat etiã vox *aqua* copiam; & copiæ symbolum est aqua. Prophetat igitur Balaam Israel fortitudinem, eiusdem in populos multiplicationem, & populorũ copiam, & magnitudinẽ: quod sequitur de Saule intelligo.

Tolletur propter Agag Rex eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et eleuauit se ex Agag regnum eius.* Ex historia primi Regum apparet, impletum hoc, quum eleuatum fuit regnum Israël, Saüle Rege debellante Agag, Regem Hamalecitarum.

Et auferetur regnum eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et eleuabitur imperium eius.* Euectio imperij in Israël deinceps tempore Dauidis, & Salomonis, manifestat hæc impleta.

Vers. 8 Deus eduxit illum de Ægypto] Nominatur Deus *El*, quia fortitudine diuina eductus est Israël de Ægypto.

Cuius fortitudo similis est rhinocerotis.] Corrige vt suprà: *Sicut fortitudo rhinocerotis ei.* Describitur enim iterum fortitudo Israëlis similis fortitudini rhinocerotis ad percutiendum hostes suos. Vnde & subditur:

Deuorabunt gentes hostes illius.] In singulari numero Hebraïcè legitur: *Vorabit gentes.* appositiuè.

Angustatores suos, & ossa eorum exossabit.] De Israële prophetatur, quòd faciet hæc: quæ & fecisse legimus.

Et perforabunt sagittis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et sagittas eorum franget.* Appellatione sagittarum intellige arma vniuersa offensiua.

Vers. 9. Accubans dormiuit, vt leo, & quasi leæna.] Iuxta Hebræum habetur: *Genuflexit, accubuit, sicut leo, & sicut catulus.* Subaudi, leonis. Status Israëlis post subactos hostes describitur quietus, nulli molestus. Quies enim voluntaria significatur per genuflexionem, & accubitum: veruntamen cum fortitudine, & magnanimitate leonina, tanquàm paruulus quiescens. Quod adimpletum legimus tempore Dauidis.

Quam suscitare nullus audebit.] Iuxta Hebræum habetur: *Quis faciet surgere ipsum?* Quasi dicat, nullus sapiens. Et ratio subditur: *Quia benedicentes tibi erunt benedicti, & maledicentes tibi erunt maledicti.*

Vers. 10. Iratúsque Balac contra Bilham, complosis manibus [c] ait: Ad maledicendum inimicis meis vocaui te, quibus è contrario ter benedixisti.

[c] Aduersas manus ad inuicem collidebat, quod fieri solet ad testificandum dolorem, fœminarum more.

Vers. 11. Reuertere ad locum tuum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nunc fuge tibi ad locum tuum.* Indignati verba sunt Regis.

Decreueram quidem magnificè honorare te, sed priuauit te Dominus honore disposito.] Nomen est tetragrammaton. Etiam ipse Rex confitetur, summum Deum priuasse Bilham præparato ei præmio.

Vers. 12. Respondit Bilham ad Balac: Nónne nunciis tuis, quos misisti ad me, dixi:

Vers. 13. Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti, & auri, non potero præterire sermonem Domini Dei mei, vt vel boni quid, seu mali proferam ex corde meo.] In Hebræo non habetur, *Dei mei*; sed solùm nomen tetragrammaton: & idem repetitur subiungendo:

Sed quicquid Dominus dixerit, hoc loquar?

Vers. 14. Veruntamen pergens ad populum meum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nunc ecce ego pergens ad populum meum.* Obedientem se exhibet ad reuertendum.

Dabo tibi consilium.] Iuxta Hebræum habetur: *Et consulam tibi.* Et hîc faciendus est punctus: deinde immediatè sequitur in vulgata quidem editione:

Quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore [d].] Contrarium Hebraïcè habetur: *Quod faciet populus iste populo tuo in fine dierum.* Patet enim in primis manifestus error in vulgata editione. Patet deinde, quòd per hæc verba non significatur materia consilij promissi à Bilham Regi: non enim subest consilio Regis Moab, quod facturus est populus Israël Moabitis in fine dierum. Sensus itaque literæ est: Ego consulam tibi ob id, quod in fine dierũ faciet populus iste populo tuo: ita quòd non materia, sed occasio consilij scribitur. Et hic sensus aptissimè quadrat cõsilio promisso, quod inferiùs cap. 31. explicatur: videlicet,

[d] *Extremo tempore*, hoc est, futuro. Verũ omissum est hic recitari consilium Balaã: nam sequens parabola nullam (vt puto) habet ad hoc colligãtiam, nec sunt hic omnia suo ordine scripta.

videlicet, vt mitterentur mulieres prouocantes Israëlitas ad idololatriam: quod etiam scribitur in Apocal. cap. 2. Bilham enim cupiditate ductus, ne vacuus remitteretur à Rege, obtulit consilium ad impediendum executionem reuelationum sibi factarum à Deo: impediendum autem ponendo obicem Dei erga populum Israël gratiæ; obicem autem peccati idololatriæ: existimauit enim, quòd si populus Israël duceretur ad idololatriam, executioni non mandarentur prophetiæ de felicitate Israëlis: quia populus ipse Israël impedisset seipsum à susceptione diuinæ gratiæ. Sed libra, prudens lector, tempus significatum dicendo in fine dierum. Nam hinc pendet intelligentia subiunctorum, quæ prophetantur de Israël aduersùs Moab. Tempus enim Messiæ in sacra Scriptura significatur per extremitatem, seu finem dierum, quoniam vltimus status est vitæ præsentis relatiuè ad cælestem patriam.

Vers. 15. Sumptáque parabola, tursum ait: Dixit Bilham, filius Behor, dixit homo, cuius obturatus est oculus.

16. Dixit auditor sermonum Dei.] Hæc omnia corrige, & intellige, vt paulò antè correcta, & exposita sunt: eadem enim verba reperiuntur, vna tantùm particula adiecta; videlicet:

Qui nouit doctrinam Altissimi.] Quod iuxta Hebræum habetur: *Et sciens scientiam Altissimi.* Quamuis Hebræi superlatiuo careant.

Visionem omnipotentis videns, cadens, & apertos habens oculos [e].] Expedito mentis suæ oculo ad videndum, & parato auditu ad audiendum sermones fortissimi Dei, reddendo singula singulis fructum auditus profitetur scire scientiam eius, qui est supra omnia: fructum verò aperti oculi profitetur visionem omnipotentis, cuius videre modum posteà subiungit, vt expositum est.

[e] Illud, *Cadens, & apertos habens oculos*, fortè eò dixit Balaam, quia quom ex asina cecidisset, scriptum est, illius oculos apertos esse, vt Dominum nosceret, & reuelationes susciperet.

Vers. 17. Videbo eum, & non modò; intuebor ipsum, & non propè.] Si libramus titulum prænotatum (videlicet, dicendum fore, quòd faciet populus Israël populo Regis Balac in fine dierum, in vltima mundi ætate, in tempore Messiæ) apparebit sensus huius prophetiæ. Et dicendo: *Videbo eum.* pronomen, eum, Messiam demonstrat in fine dierum venturum: & absque proprio nomine demonstratur solo pronomine Messias, propter excellentiam singularem illius: vt non sit dubium, de illo esse sermonem, qui præstat omnibus, cui nullus est comparabilis. Per pronomen autem primæ personæ subintellectum in verbo, *videbo*, demonstratur ipse Bilham, non in seipso, sed in suis filiis, seu sequacibus: adimpletum enim fuit hoc ad literam, quum Magi viderunt Messiam, & adorauerunt. Vnde ad insinuandum, quòd non in propria persona videbit Messiam, excludit, tum tempus præsens, dicendo: *Et non nunc.* tum tempus propinquum, dicendo: *Et non prope.* Fluxerunt enim anni mille quingenti à tempore Bilham vsque ad aduentum Messiæ.

Orietur stella [f] ex Iahacob.] Iuxta Hebræum habetur: *Direxit stellam Dei Iahacob.* Lege Euangelium, & adimpletum cerne ad literam, quòd natus Messias ex Iahacob direxit stellam indicem suæ natiuitatis, ducem Magorum ad videndum, & adorandum ipsum. Et hinc habetur, quòd Magi fuerunt filij, aut discipuli Bilham. Hoc enim signum prophetat hîc Bilham, manifestè aperiendo, quòd ex Iahacob (hoc est, ex populo Iahacob) erit ille demonstratus per verba præcedentia, & quòd ipse diriget stellam. Et verè dixerit indicem nati, & indicem domus, vbi erat puer. Et in hoc potentiam pueri semper humanam naturam, imò diuinam implicitè insinuauit: quoniam dirigere stellam actio est diuina.

[f] Quæ in regno Christi sunt præcipua, nõ tam verbis nobis Pater cælestis promisit, quàm typis quibusdam delineauit, quos in Sanctis suis præmisit. Verùm pleraque de Christo vaticinia sic habent, vt parum de his dicta sint, qui Christi typũ prætulêre. Quos typos Scriptura augustioribus ferè verbis, quã in illis rebus expressum sit, describit, vt mentem Spiritu Dei præditam, ad sublimiora, & in Christi regno completa pulchrè & certò subducat. Nã pauca certè de Christo, & regno eius, sine inuolucris typorum in Scriptura sua Dominus commemorauit, voluitque à typis veteris populi ad regnum Christi fieri transitiones, non tamen, quòd in omnibus vltra typũ nihil illi populo significatum sit. Nam, si quis hoc loco contenderet, nullam aliã stellam fuisse vnquam ex Iacob ortam, de qua hic sit Balaam loquutus, præter Christum, is Iudæis seipsum propinaret ridendũ, & præterea nihil: vbi autem concesserit, eandem stellam Dauidem etiam significasse, qui Moabitas funiculo mensus est, planéque vastauit 2. Reg 8 facilè postmodum, quæ hic de infidelium abolitione à Vate etiam prædicta sunt singula rectiùs, & pleniùs quadrare in infidelitatis destructionem factam per Christum facilè vincet, & probabit illis, qui non vltro cõtendere voluerint, eò quòd tunc demũ vere stellam ortam, & Principem fidelissimum, & radicem illam, & virgam Iesse, quæ stat in signum populorum aduenisse infidelitatẽ aboliturum, Esaiæ 2. Ita ve in hac prophetia per Dauidem (stellam ex Iacob ortam) infidelũ subuersionem sit pollicitus, & in Dauide (typo Filij sui) promisisse Dominum Iesum, qui omnia restauraret, mortem & infidelitatẽ destrueret. Idem si in aliis locis in nouo Testamento per Apostolos adductis feceris, & certiora, & planiora, multa tibi erunt. lõgéque instructior aduersùs Iudæos nostra tueri poterit.

Et consurget virga de Israël.] Statim natus direxit stellam: in progressu verò temporis prophetatur, quòd ipsemet surget ex Israël virga: surrexit enim virga, quum & potestate docuit, miracula fecit, peccata remisit, omnémque potestatem in cælo, & in terra acquisiuit merito passionis, Spiritum sanctum misit, mundum conuertit.

Et percutiet duces Moab, & vastabit omnes filios Seth.] Ecce, quid faciet populus iste populo Moab in fine dierum. An autem hæc intelligenda sint de actionibus Messiæ in secundo aduentu, quando sensibiliter Messias effringet duces Moab, hoc est, omnium idololatrarum, & vastabit omnes filios Seth, quum venerit iudicare viuos, & mortuos, & non inueniet viuos, nisi filios Seth, omnes ferè infideles iuxta euangelicum dictum; an de actionibus spiritualibus in primo aduentu contra peccata, & idololatrarum, & vniuersi generis humani intelligendus sit sermo iste; non facilè patet. Secundo tamen sensui fauet Littera, sonans, *omnes filios Seth:* quoniam à tempore Noë vsque ad iudicium, ex solis filiis Seth constat mundus: filij enim aliorum filiorum Adam perierunt in diluuio, & sola stirps Seth seruata est in Noë, & filiis. In secundo autem aduentu non soli filij Seth, sed & filij Caïn, & reliquorum filiorum Adam comparebunt. Sed parui refert, quouis modo intelligas.

Vers. 18. Et erit Idumæa possessio eius, & hæreditas Schir cedet inimicis suis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erit Edom hæreditas, & erit hæreditas Sehir inimicis suis.* Recole, quòd parabola est titulus sermonis Bilham: & intellige, quòd gens reproba erit hæreditas electorum.

Israël verò fortiter aget.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Israël faciens exercitum.* ita tamen, vt per exercitum intelligas multitudinem, ex qua fit exercitus: quia dictio Hebraïca non significat multitudinem ordinatam; sed potiùs, quæ conuocatur ad construendum exercitum: è regione enim describuntur Edom, & Israël, reprobi, & electi quoad secundum aduentum, vel Christiani veri infideles quoad primum aduentum. Christiani enim veri sunt Israël secundùm spiritum; infideles autem Edom, aut Sehir. Et vtroque modo verificatur: nam & reprobi sunt propter electos, & subdentur electis, vtpote constitutis super omnia bona Dei. Et post missionem Spiritus sancti, veri Christi discipuli fecerunt exercitum ex toto mundo, subactis iugo fidei Idumæis, hoc est, infidelibus.

Vers. 19. De Iahacob erit, qui dominetur.] Quamuis subiectio Hebraïcè significetur futura ex Iahacob: aptissimè enim adiungitur: *facienti exercitum, quod subiiciet.* Fit enim exercitus ad subiiciendum hostes, & quoscunque

que tenitentes. Voti enim compos per hoc significatur futurus vir ex Iahacob, proculdubiò Messias, qui subiiciet mundum.

Et perdet reliquias ciuitatis [g].] Nescio meliùs interpretari ciuitatem hanc, quàm illam descriptã à Ioanne Apocalypsis 18. illius enim ciuitatis reliquias destruet Christus, quæ ibidem appellatur Babylon: & vtinam non sit illa, quam Petrus Apostolus appellauit Babylonem, cum qua fornicari dicuntur omnes mercatores, & negotiatores terræ. Aduerte, prudens lector, quòd apud me nullum est inconueniens in Prophetis intelligere mixtionem: non tamen absque ordinis ratione: existimo enim, quòd Bilham fuerint reuelata extrema duntaxat Messiæ duo, (videlicet natiuitas cum directione nouæ stellæ, & aduentus gloriosus, de quo dicet: *Heu quis viuet*, &c.) reliqua autem spectare ad Messiam non secundùm se, sed secundùm ipsius primum patrem Regem, hoc est, Dauidem, cui soli inter Reges, & cui primùm post tempus Bilham promissus est Messias: ita quòd prophetata natiuitate Messiæ cum directione nouæ stellæ, prophetatur primus Rex ipsius Messiæ pater: vt ex regia stirpe Messias nasciturus intelligatur, dicendo: *Et surget virga de Israel.* videlicet primus Rex, pater Messiæ; & tantò magis, quantò pariter legi potest: *Et surget Tribus de Israel.* Surrexit enim Tribus Iehudæ in potestatem, & dignitatem regiam perpetuam propter generationem Messiæ.

Et percutiet duces Moab.] Lege secundum librum Regum, & inuenies impletum ad literam ab ipso Dauide. Nec obstat, quòd illa percussio non fuit in fine dierum: quoniam finis dierum extensus intelligi potest ad tempus inchoatæ iam domus regiæ, ex qua nasciturus erat Messias constituens propriè finem dierum: *Et erit Edom hæreditas, & erit hæreditas Sehir inimicis suis.* Hoc quoque adimpletum esse tempore Dauidis in eodem libro patet: *Et Israël faciens exercitum.* Lege gesta Dauidis ibidem scripta: & omnia impleta videbis. Et quod in calce dicitur: *Et perdet reliquias ciuitatis*, habes commemoratum 3. Reg. 11. quando Ioab interfecit omnem masculum in Edom post rebellionem: & subegit Dauid toti regno vsque ad Euphratem, vt merito de ipso dictum sit de Iahacob erit subiectio, & totius terræ promissionis, & aliorum qui auxilio fuerunt Hammonitis. Elige, prudens lector, magis quadrantem sensum Literæ.

Vers. 20. Cumque vidisset Hamalec, assumens parabolam, ait: Principium gentium [h] Hamalec.] Hoc est prima gentium insurgentium contra Israël fuit Hamalec: vt patuit in Exodo: & propterea aptissimè subiungitur ipsius pœna propter illud peccatum, dicendo:

Et finis eius sempiterna perditio.] Hanc punitionem comminatus est Deus in Exodo, & executus est per Saülem, Regem Israël, vt scribitur in primo libro Regum.

Vers. 21. Vidit quoque Cenæum: & assumpta parabola ait: Robustum quidem est habitaculum tuum: sed, si in petra posueris nidum tuum,

22. Et fueris electus de stirpe Caïn, quandiu poteris permanere? Assur enim capiet te.] Iuxta Hebræum habetur: *Et pone in rupe nidum tuum: quia, si erit destructioni Caïn, vsquequo Assur prædabitur te.* Lege in 15. capitulo primi Regum, qualiter Saul Rex Israël destructurus Hamalec, monuit, & saluauit Cenæum: & intelliges prophetiam hanc: prædicitur enim hîc futura illa populi Cenæi euasio, & salus, dicendo sub metaphora, quòd ponat in rupe nidum suum, subiungendo de ipso nido: *Quia si erit*; hoc est, perseuerabit, & saluabitur tempore destructionis Caïn. Appellatur Hamalec, *Cain*, propter similitudinem criminis: quemadmodum enim Caïn insurrexit aduersùs suum fratrem Habel; ita Hamalec ex stirpe Hesaü fratris Iahacob, insurrexit aduersùs fratrem suum populum Israël, & in destructione Hamalec seruatus est Cenæus. Subiungitur autem, quòd & ipse Cenæus erit tandem in prædam Assyriis, quod creditur impletum esse, quum Rex Assyriorum subegit etiam terram Israël.

Vers. 23. Assumptáque parabola, iterum locutus est: Heu quis victurus est, quando ista faciet Deus?] Iuxta Hebræum habetur: *Heu quis viuet à ponere ipsum El.* Obscura sententia est, nec abs re separata à præcedentibus: dum præmittitur repetendo: *Et eleuauit parabolam suam, & dixit: Heu quis viuet à ponendo ipsum El?* Tempus secundi aduentus Messiæ describitur, dolendo, & prophetando, quòd à facie Messiæ venientis in fortitudine, omnes tam territi erunt, vt vix inueniatur, qui subsistere possit: tempus enim aduentus ad iudicium significatur ab actione Dei fortis, ponentis (hoc est, locantis) vnunquenque secundùm merita propria: & propterea dicitur: *Heu quis viuet, quando ponet El ipsum*; hoc est, quemlibet, proculdubiò secundùm sua merita: ad differentiam siquidem totius cursus præteriti temporis antecedentis aduentum illum, scribitur actio ista: nam in toto decursu huius mundi homo est, qui ponit vnunquenque viuentem in hoc, vel illo statu, gradu, ordine, &c. tunc autem *ipse El ponet* (hoc est, locabit) vnunquenque viuentem: & propterea dolendo exclamatur: *Heu quis viuet*, hoc est, subsistet. *Cupient enim mori arescentes præ timore eorum, quæ superuenient vniuerso*, paucis existentibus, quibus dicitur: *Leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.*

Vers. 24. Venient in trieribus de Italia.] Iuxta Hebræum habetur: *Et naues de manu Chitthim* [i]. Præcedẽtia secundum aduentum Messiæ prædicuntur *Chitthim*: vt patet Genesis 10. nomen est proprium vnius nepotis Iaphet, filij Noë, à quo insulas quasdam denominatas clarè patet apud Hieremiam cap. 2. & in primo cap. Machab. Græciæ regionem appellari, *Chitthim*, perspicuum est, dum Alexander magnus scribitur egressus de terra Chitthim. Idemque sentit interlinearis Glosa, Esaiæ, 23. Quocirca, si Chitthim hoc in loco est nomen proprium, Græca regio significatur: & quæ hîc prophetantur fortè adhuc adimpleta non sunt: sed paulatim adimplentur in regno Turcarum, quorum sedes est in terra Chitthim. Si autem Chitthim nomen intelligimus appellatiuum, vt sonat *contendentes*, appellatione *Chitthim* Romanum imperium non incongruè intelligitur, quoniam & apud Danielem ferro (quod domat aurum,

[g] Ciuitas more Scripturæ significat multitudinem siue cœpta ædificiorum, per quæ ædificia intelliguntur principatus, regna, dominationes, & quæcunque communitas est. Sic ait Psal. 9. *Nisi Dominus custodierit ciuitatem*, id est, communionem principatus. & iterum *Ciuitates eorum destruxisti*, hoc est, eorum auxilia, & munitiones, in quibus confidebant. Poteris etiam in his verbis intelligere prophetasse Balaam omnimodam desolationem Israël terræ, ita vt non [illegible] bellatores prosternendi essent, sed & qui [illegible] reperirentur in ciuitatibus.

[h] Quòd hîc vocet Principium gentium Amalec, intellige de gentibus quæ [illegible] gionibus nomen dederant: Amalech enim primogenitus fuit Eliphaz primi filij Esaü, à quo gentes illæ descenderant. Gen 36. quòd autem hic Cenæum de Caïm stirpe nominat & antè dixerit Israëlẽ vastaturum Seth filios, puto eò dictum esse, quòd Moabitæ, Ammonitæ, & Amalech gloriarentur ex semine iusto descẽdisse. Numerant enim se omnes esse filios Abrahæ, cæteras verò vicinas gentes, & populos de semine iniquo, & Caïm stirpe mentiebantur. Alluditque fortè Propheta ad eorum communem loquendi modũ.

[i] Differunt hæc duo nomina, *Sethim*, & *Chettim*. Nam Sethim vrbs est Macedoniæ adhuc dicta terra Sethim, de qua in 1. lib. Machabæorum dicitur: *Alexander Philippi Macedo egressus de terra Sethim, percussit Darium.* Chettim verò Italia est. Nam Italus Athlas, vt Berosus in 5. lib. Antiquitatum refert, & tabulæ Sybellariæ, Chettim dictus est, à quo Scriptura Italiam vocat Chittim, & LXX. semper pro Chettim Italiam transtulerũt; & D. Hieronymus Hieremiæ 11. *Ite ad Cedar, & ad insulas Chettim, & videte, quia gens illa non mutauit Deos suos*, &c. Diciturque insula, quia supero, & infero mari ad instar insulæ cingitur, & soli Etrusci, teste Marsil. & Dionysio Halicarnasseo non mutarunt Deos suos vetustissimos. Vide de hac re Ioannem Annium in tabulas Sybellarias. Cæterùm videtur in hac Prophetia, clãdes illa Hierusalem per Titũ facta hoc loco prophetari.

aurum, argentum, æs, &c.) assimilatur. De manu siquidem (hoc est, operatione) Romanorum, classibus itū est ad partes Oriētis, & australes. Et superabunt Assyrios, vastabúntque Hebræos. Historiæ testantur, & Assyrios, & Hebræos afflictos à Romanis. Et ad extremum etiam ipsi peribunt. Quoduis imperium intelligatur, aut iam verificatum est, aut verificabitur, & etiam ipse sempiterna perditio: & si de Romano intelligitur imperio, consonat dictis Pauli Apostoli ad Thessal. scribentis desiturum Romanum imperium, antequàm veniat Antichristus.

Vers. 25. Surrexítque Bilham, & reuersus est in locum suum: & Balac quoque via, qua venerat, rediit.

CAPVT XXV.

VERS. I. Morabatur autem eo tempore Israël in Sittim.] Nomen est loci, vsque ad quem extendebatur castrametatio populi Israël in vltima mansione: vt patet in c. 32.

Et fornicatus est.] Iuxta Hebræum habetur: *Et cœpit fornicari populus cum filiabus Moab.* Ad insinuandum, tum locum initij, tum initium peccati (non in aliquo, sed in populo) tum occursum diuinæ iræ in principio mali serpentis in populo.

Vers. 2. Quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad sacrificia Elohe suorum.* Vt aliàs dictum est, nomen *Elohe* commune erat vero Deo, & Diis secundùm opinionem.

At illi comederunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Et comedit populus, & adorauerunt Deos eorum.* Multitudo enim significatur comedens de sacrificatis idolis: &, quod peius est, adorauerunt Deos earum: & quod pessimum fuit,

Vers. 3. Initiatus quoque est Israël in Baalpehor [k].] Minus malum fuisset, si quasi transeunter adorassent: sed ex eo, quòd initiatus est, professionem incepit facere in cultu idoli Pehor. Hebræa enim dictio benè interpretata est *initiatus*: nec Latinè meliùs interpretari fortè potest: significat enim quasi applicatum.

[k] *Belpheor*, fœdissimū erat Madianitarum idolum, & turpissimo venerabatur cultu: nam scribunt Hebræi de hoc portento, Pheor vocatū esse, eò quòd distenderent in eius venerationem foramen podicis, & cacabant ante conspectum eius. Fortè propter hoc dicitur: *Et comederunt, & adorauerunt Deos eorum.* Vide Mūsterum hoc loco. Sed quod homines in eam deuenerint amentiam, vt tā fœdos Deos haberēt, eò factum est, quod cum iam apud homines in obliuionē venisset diuina prouidentia, vniuersi gubernatio pluribus distribui cœpit; vnde mira Deorum turba traditur exorta. Fingebant ergo, Heroës suos in cælum esse receptos, & à Deorū primo, atque supremo Deos creatos, & huic quidē ignis, illi aeris, & alteri cuipiā maris atque terræ demandatam curā esse. Cœpere demū, & mēsibus præfici Dij nominati, & artibus, & morbis, & omnibus, singulisque hominū membris, imò actionibus mortaliū abiectissimis: videlicet, ne tanta Deorum turba in cælis otiari, vel supremus ille Deus omnium, vel minimarū rerum curā habere crederetur. Hinc prouenerunt pudēdi illi Romanorū Dij, Deæque, Deus Sterculius, Cloacinus, Pauor, Pallor, Rubigo, Febris, Fornax. Mutinus, Virginensis, Māturna, Partunda, & Priapus, similis nostro Pheor idolo turpissimo.

Et iratus Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et iratus est furor Iehouah in Israël.* quo fuerit modo executioni mandatus iste furor, scriptum non est: effectus tamen scriptus inferiùs est, mors vigintiquatuor millium. Et aptè iratus furor describitur, ad significandum, quòd non expectauit Deus vlteriorem progressum tanti sceleris, sed instar statim irati vindictam exercuit. Deinde sequitur in litera:

Vers. 4. Et dixit Iehouah ad Mosen.] Præter hoc, quòd per seipsum Deus vlciscebatur, mandat Mosi, vt etiam fiat per homines punitio.

Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulis.] Etiam Hebraïcè, subobscura quamuis minùs est sententia: *Accipe omnia capita populi, & fac suspendere ea Iehouah contra Solem.* Et proculdubiò, vt subiuncta testantur, sensus est: Manda Principibus, vt suspendant illos, qui adorauerunt Deos: suspendant autem Deo, hoc est, ad honorem Dei: contra Solem verò in detestationem superstitionis; qua venerabantur Solem: *Pehor* enim ab officio aperiendi nominatus, in Solis honorem colebatur: vt hæc innuunt: *Sol enim, & annum aperit, & terram ad fructificandum.*

Vt auertatur furor meus ab Israël.] Vide benignitatem diuinam. Desiderat minùs punire: docet, & mandat modum, quo mereatur populus auersionem iræ.

Vers. 5. Dixitque Moses ad Iudices Israël.] Hæc obedientia manifestat sensum diuini præcepti iam expositum: capita enim populi erant Iudices. Et hinc habes, quòd publica iustitia, meritum est, quo auertitur ira Dei à populo: hanc enim se exigere Deus testatur, & promittit cessationem iræ ob hanc: nam Hebraïcè copulatiuè legitur: *Et auertetur ira furoris Iehouah ab Israël.*

Occidat vnusquisque proximos suos.] Iuxta Hebræum habetur: *Occidite vnusquisque viros suos, qui initiati sunt Bahalpehor.* Distributæ enim erant partes iurisdictionis: alij nanque erant subditi huic Iudici, & alij subditi illi: & propterea dicitur *viros suos*, vt vnusquisque ponat falcem in messem propriam.

Vers. 6. Et ecce vnus de filiis Israël intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitem.] Iuxta Hebræum habetur: *Venit, & fecit appropinquare ad fratres suos Midianitem.* Describitur ad literam audacia Zimri, deducentis mulierem Midianitem per mediam plateam, quæ erat ante tabernaculum diuinum, ad tabernacula Israëlitarum: ita quòd non suffecit huic extra castra conuersari cum mulieribus alienigenis, sed ducebat vnam earum ad fratres suos; hoc est, ad tabernaculum inter Israëlitas.

Vidente Mose, & omni turba.] Iuxta Hebræum non habetur, *turba*, sed *Synagoga filiorum Israël, qui flebant ante fores tentorij adunationis.* Augetur crimen ex eo, quòd deductio ista facta est in oculis, tum Mosis, tum totius Synagogæ filiorum Israël, non absolutè, sed flentium ad ostium tabernaculi diuini: non enim significatur omnis populus congregatus, sed congregatio virorum proborum, qui coram Deo flebant videntes ruinam populi in hoc scelere.

Vers. 7. Quod quum vidisset Phinees filius Elhazari filij Aharon Sacerdotis, surrexit de medio multitudinis.] Corruptum est communiter nomen istius viri: nam Hebraïcè vocatur Pinchas.

Et arrepto pugione.] Iuxta Hebræum habetur: *Et accepit lanceam in manu sua.*

Vers. 8. Et venit post virum Israëlitem ad tabernaculum.] Quod Interpres vocauit, *Lupanar.*

Et perfodit ambos simul.] Non habetur in Hebræo, *simul*: sed duntaxat, quòd transfixit duos ipsos.

In locis genitalibus.] Ad mulierem duntaxat hæc particula refertur iuxta Hebræum: nam dicitur: *Virum Israelitem, & mulierem ad vuluam eius.* Rectiùs tamen intelligitur officium significati, quàm partem percussam: ita quòd sensus est: Transfixit duos ipsos, virum Israëlitem, & mulierem ad vuluam eius; hoc est, officio vuluæ incumbentes.

Cessauítque

Cessauitque plaga à filiis Israël.] Iuxta Hebræum habetur: *Et restricta est mortalitas.* Species mortis non dicitur: hæc enim mortalitas est, quam inferebat ira Dei.

Vers. 9. Et occisi sunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuerunt mortui in mortalitate quatuor & viginti millia.* An inter istos supputentur occisi à Iudicibus, non scribitur: sed ideò nihil dicitur de occisis à Iudicibus, quia non fuerunt Iudices executi iussa: non ex inobedientia, sed ex præuentione placatæ iræ diuinæ ob factum Pinchas: iusserat enim Deus suspendendos idololatras à Iudicibus, vt merito publicæ iustitiæ cessaret ira sua: occurrit interim vnus publicæ iustitiæ tam magnus, & placens Deo actus factus à Pinchas, vt satisfecerit Deo pro omnibus actibus publicæ iustitiæ, quos facturi erant Iudices; vt effectus testatus est, ipso Deo manifestante: nam promissa cessatio iræ ad meritum publicæ iustitiæ per Iudices, concessa est ob iustitiam vnicam ministratam à Pinchas: hæc enim sonant subiuncta Dei verba.

Vers. 10. Dixitque Dominus ad Mosen.

11. Pinchas, filius Elhazari, filij Aharon Sacerdotis, auertit iram meam à filiis Israel.] Ac si apertiùs dixisset: Pinchas solus effecit, quod per cunctos Principes efficiendum erat.

Quia zelo [1] meo commotus est contra eos.] Iuxta Hebræum habetur: *In suo zelari zelum meum in medio eorum, & non delevi ipse filios Israel in zelo meo.* Publicus zelus monstratus à Pinchas, valdè placens Deo significatur.

[1] Zelus hoc loco honestissimum, & accensum amorem significat, quali exarsit Phinees: propter quẽ zelum quidam Hebræorum in Pythagoricorum lapsi errorem, putant, hunc Phinees Eliam esse, quem Scriptura etiã ob Dei zelum laudat. Alij vero dicũt, Phinees vixisse vsque ad illa tempora, quando Dominus mira gessit per Eliam, Eliámque nó alium esse à Phinees.

Vers. 12. Idcircò loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei.

13. Et erit, tam ipsi quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum.] Promittitur, tum quòd ipse, tum quòd semen eius succedet in Pontificatu: ita quòd promittitur perpetua propagatio seminis Pinchas cum iure pontificatus: quanuis de facto non semper successerit in pontificatu propter diuersa accidẽtia.

Quia zelatus est pro Deo suo.] Nomen est *Elohe:* & vtitur hoc nomine, tanquàm è regione opponentium Elohe Midianitarum; vt quemadmodum illi suum Elohe in iniuriã Elohe Israël opponebãt; ita Pinchas zelo Elohe sui, impatientia tantæ iniuriæ cõmotus significetur.

Et expiauit scelus filiorum Israel.

Vers. 14. Erat autẽ nomen viri Israëlitæ, qui occisus est cum Midianitide, Zimri, filius Salu, dux domus patris Simhonitarum.

15. Porrò mulier Midianitis, quæ pariter interfecta est, vocabatur Chozbi, filia Sur, Principis gentium, & domus patris in Midian.

16. Locutúsque est Dominus ad Mosen dicens: *Vers* 17. Hostes vos sentiant Midianitæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Angusta Midianitas, & percutite eos.* Quia vult ab ipso Mose prælium hoc executioni mandari, ideò illi dicitur: *Angusta Midianitas.*

Vers. 18. Quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos, & decepere insidiis per idolum Pehor, & Chozbi filiam ducis Midiam sororem suam.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia ipsi angustatores vestrum in ingeniis suis, quibus ingeniati fuerunt erga vos super rem Pehor, & super rem Chozbi filiæ Ducis Midiam sororis eorum.* Ratio iusti belli redditur, machinatio Midianitarum ad inducendum per mulieres ad cultum Pehor Israëlitas: hîc enim apparet, quòd Midianitæ principales fuerunt in causa huius criminis; Moabitæ autem adiuncti sunt: nihil enim dicitur de bello contra Moabitas, nec de ingenio eorum aduersùs Israël; sed duntaxat, quòd mulieres eorum prouocauerunt Israëlitas ad sacrificia Deorum suorum. Cuius etiam signum est, quòd Bilham, qui hoc consilium dederat, inferiùs narratur interfectus cum Midianitis.

Quæ percussa est in die plagæ pro sacrilegio.] Iuxta Hebræum habetur: *Super rem Pehor.*

CAPVT XXVI.

VERS. 1.

POstquàm noxiorum sanguis effusus est.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit post mortalitatem.* De antedicta morte vigintiquatuor millium est sermo; ita quòd numeratio populi subiuncta, facta fuit purgato populo nouo à crimine idololatriæ nouo, ob amorem mulierum.

Et dixit Dominus ad Mosen, & Elhazarum filium Aharon Sacerdotis, dicens:

2. Tollite omnem summam [a] filiorum Israël à viginti annis, & suprà, per domos patrum eorum, omnium, qui possunt ad bella procedere.

[a] Ex lege, quum populus numerabatur, medium siclum tabernaculo, & postmodum Hierosolymorum templo pendebant, quotquot in censu erant à 20 annis, & suprà, vt habes Exodi 30. Postmodũ illud idem tributum Iudæis indictum fuit ab Augusto, Cyreno præside Nam Augustus censum apud Iudæos primus exegit, de quo Lucas 2. & Iosephus lib. antiq. 18 cap 1. Postmodum, vt refert idem Iosephus lib. 3. c. 26. Vespasianus idem stipendium Iudæis indixit, vbicunque degerent, binásque drachmas, hoc est, medium siclum, quantum, scilicet, ex lege Domini soluebant singulis annis, deferre in Capitolium iussit.

3. Locutique sunt Moses, & Elhazar Sacerdos in campestribus Moab super Iarden contra Iericho ad eos,

4. Qui erant viginti annorum, & suprà, sicut Dominus imperauerat. Quorum iste est numerus.

5. Reuben primogenitus Israël. Filij Reuben Chanoc, à quo familia Chanocitarum: & Phallu, à quo familia Phalluitarum.

6. Et Chesron, à quo familia Chesronitarum: & Charmi, à quo familia Charmitarum.

7. Hæ sunt familiæ Reubenitarum: quorum numerus inuentus est quadragintatria millia, & septingẽti, & triginta.

8. Filij autem Phallu Eliab.

9. Et filij Eliab Nemuel, & Dathan, & Abiram: isti sunt Dathan, & Abiram Principes populi, qui surrexerunt contra Mosen, & Aharon in seditione Corach, quando aduersùs Dominum rebellauerunt:

10. Et aperuit terra os suum, & deuorauit Corach, morientibus plurimis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et deglutiuit eos, & Corach in mori Synagogam in comedere ignem ducentos, & quinquaginta viros.* hoc est, moriente Synagoga, comedente igne quinquaginta, & ducentos viros. Sed aduerte, quòd superiùs cap. 16. scribitur, quòd terra deglutiuit tabernaculum Corach cum omnibus illius: de persona autem eius, qualiter mortuus sit ipse, (vel incendio cum ducentis quinquaginta, vel deglutitus

glutitus à terra, vt hæc litera sonat,) nihil scriptum ibi est. Quamuis posset quis dicere, quòd nomine Corach hîc intelligitur tabernaculum eius: quia personaliter erat cum ducentis, & quinquaginta.

Et factum est grande miraculum,

Vers. 11. Vt Corach pereunte, filij illius non perirent.] Iuxta Hebræum habentur duæ orationes: *Et fuerunt ad miraculum. Et filij Corach non sunt mortui.* Quarum duarum orationum prima refertur ad præcedentia: significando, quòd illi mortui fuerunt in perpetuam admirationem, in rem perpetuo miraculo dignam apud filios Israël: vt deinceps non insurgerent aduersùs principatum Mosis, & sacerdotium Aharon. Altera verò manifestat, filios Corach non fuisse complices patris sui: & propterea non fuisse mortuos cum patre, & familia eius: & hoc non fuerat superiùs narratum. Sed nullo miraculo factum hoc dicitur in Litera Hebraïca: quia reverà exemptio à crimine exemit eos à morte, sicut & reliquos, qui non fuerunt criminis participes.

Vers. 12. Filij Simhon per cognationes suas: Nemuel, à quo familia Nemuelitarum: & Iamin, à quo familia Iaminitarum, & Iachin, à quo familia Iachinitarum:

13. Et Zerach, à quo familia Zerachitarum: & Saül, à quo familia Saülitarum.

14. Hæ sunt familiæ filiorum Simhon: quorum omnis numerus fuit vigintiduo millia, & ducenti.

15. Filij Gad per cognationes suas: Sephon, à quo familia Sephonitarum: & Chaggi, à quo familia Chaggitarum: & Suni, à quo familia Sunitarum:

16. Et Ozni, à quo familia Oznitarum: & Heri, à quo familia Heritarum.

17. Et Arod, à quo familia Aroditarum: & Areli, à quo familia Arelitarum.

18. Istæ sunt familiæ filiorum Gad: quorum omnis numerus fuit quadraginta millia, & quingenti.

19. Filij Iehudæ, Her, & Onam: qui ambo mortui sunt in terra Chenahan.

20. Fuerúntque filij Iehudæ per cognationes suas: Selà, à quo familia Selaïtarum: & Peres, à quo familia Peresitarum: & Zerach, à quo familia Zerachitarum.

21. Porrò filij Peres: Chesron, à quo familia Chesronitarum: & Chamul, à quo familia Chamulitarum.

22. Istæ sunt familiæ filiorum Iehudæ: quorum omnis numerus fuit septuaginta millia & quingenti.

23. Filij Isaschar per cognationes suas: Tholah, à quo familia Tholahitarum; & Phuua, à quo familia Phunitarum.

24. Et Iasub, à quo familia Iasubitarum: & Simron, à quo familia Simronitarum.

25. Hæ sunt cognationes filiorum Isaschar: quorum numerus fuit sexagintaquatuor millia, & trecenti.

26. Filij Zebulun per cognationes suas: Sered, à quo familia Sereditarum: & Elon, à quo familia Elonitarum: & Iachleel, à quo familia Iachleelitarum.

27. Hæ sunt cognationes filiorum Zebulum: quorum numerus fuit sexaginta millia, & quingenti.

28. Filij Ioseph per cognationes suas, Menasse, & Ephraïm.

29. De Menasse ortus est Machir, à quo familia Machiritarum: & Machir genuit Gilhad, à quo familia Gilhaditarum.

30. Gilhad autem habuit filios Ihezer, à quo familia Ihezeritarum: & Chelec, à quo familia Chelecitarum:

31. Et Asriel, à quo familia Asrielitarum: & Sechem, à quo familia Sechemitarum:

32. Et Semidah, à quo familia Semidahitarum: & Cepher, à quo familia Chepheritarum.

33. Fuit autem Chepher pater Selophchad: qui filios non habebat, sed tantùm filias: quarum ista sunt nomina, Malcha, & Noha, & Chogla, & Milcha, & Thirsa.

34. Hæ sunt familiæ filiorum Menasse: quorum numerus fuit quinquagintaduo millia, & septingenti.

35. Filij autem Ephraïm per cognationes suas fuerunt hi: Suthelach, à quo familia Suthelachitarum: & Becher, à quo familia Becheritarum: & Thacan, à quo familia Thacanitarum.

36. Porrò filius Suthelach fuit Heran, à quo familia Heranitarum.

37. Hæ sunt cognationes filiorum Ephraïm: quorum numerus fuit trigintaduo millia, & quingenti.

38. Isti sunt filij Ioseph per familias suas. Filij Binjamin in cognationibus suis: Belah, à quo familia Belahitarum: & Asbel, à quo familia Asbelitarum: & Achiram, à quo familia Achiramitarum:

39. Et Sephupham, à quo familia Sephuphamitarum: & Chupham, à quo familia Chuphamitarum.

40. Filij autem Belah fuerunt Arde, & Nahaman. De Arde fuit familia Arditarum: & de Nahaman familia Nahamanitarum.

41. Hi ſunt filij Binjamin per cognationes ſuas: quorum numerus fuit quadragintaquinque millia, & ſexcenti.

42. Filij Dan per cognationes ſuas: Sucham, à quo familia Suchamitarum: hæ ſunt cognationes Dan per familias ſuas.

43. Omnes fuêre Suchamitæ, quorum numerus fuit ſexagintaquatuor millia,& quadringenti.

44. Filij Aſer per cognationes ſuas: Imna,à quo familia Imnatarum : & Iſui, à quo familia Iſuitarum: & Beriha, à quo familia Beriharum.

45. Filij Beriha fuerunt Cheber, à quo familia Cheberitarum:& Malchiel, à quo familia Malchielitarum.

46. Nomen autem filiæ Aſer fuit Serach.

47. Hæ ſunt cognationes filiorum Aſer: & numerus eorum fuit quinquagintatria millia, & quadringenti.

48. Filij Naphthali per cognationes ſuas: Iachſeel, à quo familia Iachſeelitarum: & Guni, à quo familia Gunitarum:

49. Et Ieſer, à quo familia Ieſeritarum: & Sillem, à quo familia Sillemitarum.

50. Hæ ſunt cognationes filiorum Naphthali per familias ſuas: quorum numerus fuit quadragintaquinque millia, & quadringenti.

51. Iſta eſt ſumma filiorum Iſraël,qui recenſiti ſunt,ſexcenta millia,& mille,& ſeptingenti,& triginta [b].

52. Locutúſque eſt Dominus ad Moſen dicens:

53. Iſtis diuidetur terra in hæreditatem iuxta numerum nominum.

54. Pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus minorem [c]: ſingulis ſicut nunc recenſiti ſunt, tradetur poſſeſſio.] Non vult Deus, terram diuidi in duodecim partes æquales: ſed diuidi quidem iuxta numerum nominum in duodecim partes, ſed non æquales: multis enim multiplicanda pars, & paucis minor danda cenſetur.

Verſ. 55. Ita duntaxat, vt ſors terram Tribubus diuidat, & familiis.] Iuxta Hebræum habetur: *Tantùm in ſorte diuidetur terra: in nominibus Tribuum patrum ſuorum hæreditabunt.* Non explicatur, quod vulgata editio ſonat, de ſorte inter familias; ſed abſolutè diuiſio ſorte ſtatuitur, & quòd quilibet ſub ſua Tribu hæreditet.

Verſ. 56. Quicquid ſorte contigerit, hoc, vel plures accipiant, vel pauciores.] Non aduerſatur ſtatutum hoc ſuperiori decreto, vt multis maior pars, & paucis minor detur: quia ſenſus huius ſtatuti eſt, quòd ante omnia ſorte diuidatur terra, quantùm ad ſitum (verbi gratia, ad ſitum orientalem,vel auſtralem, & huiuſmodi:) & poſtquàm ſorte obtigerit terra ad talem ſitum huic Tribui, & terra ad alterum ſitum illi, & ſic deinceps,tunc habeatur ratio multitudinis, vel paucitatis; ita vt quælibet Tribus in ſitu, quem ſortita eſt, accipiat multum,vel paucum terræ,prout multa,vel pauca eſt.hoc enim hîc ſignificatur.

Verſ. 57. Hic quoque eſt numerus filiorum Leui [d] per familias eorum. Gerſon, à quo familia Gerſonitarum: Cehath, à quo familia Cehathitarum: Merari,à quo familia Meraritarum.

58. Hæ ſunt familiæ Leui: familia Libnitarum, familia Chebronitarum, familia Machlitarum, familia Muſitarum, familia Corchitarum. Et Cehath genuit Hamram.

59. Nomen autem vxoris Hamram fuit Iochebed, filia Leui, quæ nata eſt ei in Ægypto: quæ genuit ipſi Hamram Aharon, & Moſen, & Miriam ſororem eorum.] Hinc clarè habetur, quòd mater Moſis fuit amita mariti ſui:nam fuit filia Leui: ac per hoc ſoror carnalis Cehath aui Moſis. Et ne putaretur vetula, declaratur in litera, quòd iſta genita eſt in Ægypto:vt hinc intelligamus, eam fuiſſe iuuenem, quum nupſit filio fratris ſui,non vterini.vt creditur.

Verſ. 60. De Aharon orti ſunt Nadab, & Abihu, & Elhazar, & Ithamar:

61. Quorum Nadab,& Abihu mortui ſunt, quum offerrent ignem alienum coram Domino.

62. Fuerúntque,qui ex eis numerati ſunt, vigintitria millia generis maſculini ab vno menſe, & ſuprà:qui non ſunt recenſiti inter filios Iſraël, quia non fuit eis data hæreditas inter eos.

63. Hic eſt numerus filiorum Iſraël, qui deſcripti ſunt à Moſe, & Elhazaro Sacerdote in campeſtribus Moab ſuper Iarden contra Iericho.] Hinc apparet,quòd hæc numeratio fuit facta poſt ſubacta regna Sichon, & Hog: nam facta ſcribitur in vltima manſione:prælia autem illa fuerunt antè, vt teſtantur ſupraſcripta.

Verſ. 64. Inter quos nullus fuit eorum, qui antè numerati ſunt à Moſe,& Aharon in deſerto Sinaï.

65. Prædixerat enim eis Dominus, quòd omnes morerentur in ſolitudine: nullúſque remanſit ex eis, niſi Chaleb, filius Iephunæ, & Iehoſuah,filius Nun.

[b] Perpende ſingularem Domini gratiam de ſemine Abrahæ, ſicut ſtellas cœli multiplicando. Nam quum in Ægypto, vbi ducentis & decē annis manſerunt, ad numerum ſexcentorū millium creuiſſent. Exodi 12. hic iā intra annos 40. quibus oberrarunt in ſolitudine,ad eundem numerum ferè multiplicati ſunt.

[c] Huius legis beneficio pluribus maiorē partem dare præcipientis, & paucioribus minorem,renunciarunt poſtmodum ſeptem Tribus Ioſue 18. Nam diuiſa ibidē terra, quæ ſupererat poſſidenda in 7 partes,ſorte illas diuiſerunt coram Domino in Silo. Vide eo loco Authorem.

[d] Hinc D Paulus de miniſtris verbi diuini dicit: *Qui altari ſeruiut, de altari quoque viuat.* Æquiſſimum etiam eſt,vt qui reliquos homines ab amore terrenarū cupiditatum extrahere debent per verbum Dei, ipſi in primis ab illis ſint ſequeſtrati, taléſque voluit eſſe Dominus Leuitas veteris Teſtamenti.

CAPVT

CAPVT XXVII.

VERS. 1. ACcesserunt autem filiæ Selophchad, filij Chepher, filij Gilhad, filij Machir, filij Menasse, qui fuit filius Ioseph. Quarum hæc sunt nomina, Machla, & Noha, & Chogla, & Milcha, & Thirsa.

2. Steterúntque coram Mose, & Elhazaro Sacerdote, & cunctis Principibus populi ad ostium tentorij adunationis: & dixerunt:

3. Pater noster mortuus est in deserto; nec fuit in seditione, quæ concitata est contra Dominum sub Corach, sed in peccato suo mortuus est.] Excusationis verba sunt: est enim sensus, quòd non est mortuus ob communionem in crimine coniurationis Corach, propter quod mereretur priuari hæreditate: sed est mortuus, sicut alij mortui sunt, vnusquisque ob peccatum proprium. Mortui enim erant omnes numerati olim in deserto Sinaï ob peccatum commune omnibus, (videlicet, quia redeuntibus exploratoribus noluerunt progredi:) sed isti non propterea priuati sunt hæreditate in filiis suis.

Et non habuit filios masculos. Cur tollitur nomen illius de familia sua, quia non ei filius?] Dixerat Deus in præcedenti capitulo: *Istis diuidetur terra*, demonstrando nuperrimè numeratos viros à vigesimo anno, & suprà: & quia inter istos nullus erat filius Selophchad patris istarum mulierum; ideò consequenter deficiebat nomen Selophchad cum familia sua.

Da nobis possessionem inter cognatos.] Tam hic, quàm inferiùs habetur: *Inter fratres patris nostri*. Petunt mulieres, vt detur eis pars terræ inter fratres patris sui; hoc est, quòd pater earum supputetur hæres inter fratres suos, & ipsæ succedant loco patris sui: & sic non pereat nomen patris earum; sed seruetur in filiabus hæredibus eius.

Vers. 4. Retulítque Moses causam earum ad iudicium Domini.

5. Qui dixit ad eum.

6. Iustam rem postulant.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur *Rectum loquentes filiæ Selophchad*.

Da eis possessionem inter cognatos patris earum, & ei in hæreditatem succedant.

Vers. 7. Ad filios autem Israël loqueris dicendo.

8. Homo, quum mortuus fuerit absque filio, ad filiam eius transibit hæreditas.] Diuino iudicio recta censetur successio, quòd filia sit hæres patris deficiente filio: & hac occasione subiungitur promulgata lex de tali successione. Vbi benè nota, quòd non censetur rectum, filiam succedere patri absolutè; sed cum conditione, si caret filio: extante enim filio excludebantur filiæ ab hæreditate immobilium bonorum, de quibus est sermo.

Vers. 9. Si filiam non habuerit [a], habebit successores fratres suos.

[a] Hæc lex est ipsamet æquitas. Nā non parum tranquillitatem promouet, si hæreditates impermixtæ maneant, & quælibet familiæ suas possideant.

10. Et si fratres non habuerit, dabitis hæreditatem fratribus patris eius.

11. Si autem nec patruos habuerit, hæreditas dabitur iis, qui proximi sunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dabitis hæreditatem eius propinquo eius: qui prope ipsum ex familia eius hæreditabit eum.* hoc est, qui propior est illi ex propria illius familia, erit hæres eius.

Eritque hoc filiis Israël sanctum lege perpetua, sicut præcepit Dominus Mosi.

Vers. 12. Dixítque Dominus ad Mosen: Ascēde in montem istum Habarim [b], & contemplare inde terram, quam daturus sum filiis Israël.

[b] Abarim, montana sunt secundùm Iordanis tractum ab oriente Hiericho: à Moabitis incipientes versùs Ghilead montes in longum protenduntur, atque suo limite terram Amorræorum, quam duabus tribubus Moses distribuit, ab Ammonitis seiungunt.

13. Cúmque videris eam, ibis & tu ad populum tuum, sicut iuit frater tuus Aharon.] Iuxta Hebræum habetur: *Et congregaberis ad populos tuos, etiam tu, sicut fuit congregatus Aharon frater tuus.* Placidum moriendi modum prædicit dicendo, *sicut frater tuus.*

Vers. 14. Quia offendistis me.] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut rebellastis ori meo in deserto Zin, in lite multitudinis ad sanctificandum me in aquis. in oculis eorum.* Quemadmodum similes fuistis in culpa rebellionis, eritis & similes in pœna mortis ante ingressum terræ promissionis.

Hæ sunt aquę litis in Cades deserti Zin.

Vers. 15. Cui respondit Moses:

16. Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis.] Iuxta Hebræum habetur: *Prouideat* יהוה *Elohe spirituum in omni carne virum, qui sit super multitudinem hanc.*

Vers. 17. Et possit exire, & intrare ante eos, & educere eos, ac introducere, ne sit populus Domini, sicut oues absque pastore.] Non reluctatur Moses (quamuis vt Deuteron. 3 commemorat, humiliter supplicauerit, vt transiret Iordanem, &c. non fuerit exauditus:) sed supplicat exaudiendus pro duce populi, qui succedet ei. Et aptè ad hoc officium nominat Deum, non solùm fontem essendi; sed distributorem, & Iudicem spirituum internorum, non solùm in populo Israël, sed in omni carne; hoc est, in vniuerso genere humano.

Vers. 18. Dixítque Dominus ad Mosen: Tolle Iehosuah filium Nun, virum, in quo est spiritus Dei.] Interpres addidit, *Dei*: Hebraïcè enim dicitur duntaxat, *in quo spiritus.* Sed cùm non sit sermo de spiritu naturali, qui communis est bonis, & malis; appellatione *spiritus* intelligitur proculdubiò spiritus diuinus, sed appellatur *spiritus*, ad insinuandum, quòd in Iehosuah vigebat spiritus ad spiritualia, ad ea, quæ Dei sunt. Et per hoc virtus Principis insinuatur præcipua consistens in spiritu; hoc est, in studio ad spiritualia, ad ea, quæ Dei sunt præferenda omnibus, quæ carnis, & quæ mundi sunt. Hæc enim virtus significatur in Iehosuah, dicendo, quòd in eo est spiritus.

Et pone manum tuam super eum.] Diuino decreto incepit cæremonia imponendi manum super eum, qui promouetur ad publicum officium publicè.

Vers. 19. Qui stabit coram Elhazaro

 Sacerdote,

Sacerdote, & omni multitudine,

20. Et dabis eis præcepta cunctis videntibus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et præcipies ei in oculis eorum.* Præcepto publico compellendum Iehosuah ad principatum censet Deus: nam dicendo: *Et præcipies ei.* & nihil aliud præcipiendum explicando, ad susceptionem officij refert præceptum publicum: vt videant omnes, quòd non vsurpat sibi principatum Iehosuah.

Et partem gloriæ tuæ[c].] Iuxta Hebræum habetur: *Et dabis ex gloria tua super eum.* Insignia gloriæ nescio quæ significantur, quibus dux populi tunc vtebatur: mandatur enim, vt communicet Moses Iehosuæ insignia gloriæ, tanquàm inuestiens ipsum de principatu populi: propter quod aptissimè subiungitur:

c Hic gloria pro honore, vt alibi sæpè, accipitur. Præcipit Deus Mosi, vt Iosue iam quasi suum coadiutorem honoret coram populo, quemadmodum & ipse Moses ab Israële honoratur.

Vt audiat eum omnis Synagoga filiorum Israël.] Hebraïcè tamen non habetur pronomen, *eum*: significatur enim, quòd publica inuestitura audiatur ab vniuerso Israële, & ad omnium notitiam deducatur, quòd Iehosuah institutus est Princeps: non enim omnes poterant videre propriis oculis actiones Mosis præcipientis Iehosuæ, imponentísque manum super eum, & conferentis insignia: sed à videntibus hos actus publicos in notitiam omnium deducebatur principatus Iehosuæ, vt nullus esset sollicitus de futuro Principe.

Vers. 21. Pro hoc, si quid agendum erit, Elhazar Sacerdos consulet Dominum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et coram Elhazaro Sacerdote stabit, & interrogabit eum in iudicio Vrim coram Iehouah.* Descripto principatu Iehosuæ relatiuè ad populum in genere, describitur modò relatiuè ad Pontificem quoad tria. Primum est, quòd Iehosuah Princeps stabit coram Pontifice: & in hoc mandatur, quòd Princeps venerabitur Pontificem, vt prælatum sibi. Secundum est, quòd interrogabit Pontificem in iudicio Vrim coram יהוה, & *Vrim* est numeri pluralis, & casus genitiui: significans (vt dictum est ex Exodi 38.) *illustrationes*, seu aliquid huiusmodi spectans ad lucem. In iudicio ergo dubiarum causarum, quarum illustratio expectanda erat à Deo, debebat Princeps interrogare Pontificem. In huiusmodi ergo iudiciis pendebat Princeps à Pontifice. Tertium autem subiungitur.

Ad verbum eius[d].] Suprema authoritas reseruatur Pontifici per hæc verba: *Super os eius.*

d Hoc si Saül Rex fecisset, ab imperio nõ fuisset deiectus, qui Dominum per Samuelem loquentem audire contempsit.

Egredientur, & super os eius venient, ipse, & omnes filij Israël cum eo, & tota Synagoga.] Pronomen, *eius*, Pontificem demonstrat: & pronomen *ipse*, demonstrat Principem. Et est sensus, quòd egressus Principis ad bellum, & similiter regressus pendebit ex ore Pontificis. Et altiùs considerando, quòd per egressum, & ingressum vniuersæ actiones significantur, reseruatur à Deo per hæc diuina verba Pontifici potestas, tam super Principem, quàm super singulos, & vniuersos filios Israël. Nam mandat Deus per hæc verba, quòd egrediantur, & ingrediantur ad os Pontificis ipse Princeps, & singuli filij Israël cum ipso, & vniuersa Synagoga. Huiusmodi enim obedientia præcepta facultatem imperandi reseruari Pontifici significat.

Vers. 22. Fecitque Moses, vt præceperat Dominus: & tulit Iehosuah, & statuit eum coram Elhazaro Sacerdote, & omni frequentia populi.

23. Et posuit manus suas super caput eius, & cuncta replicauit, quæ mandauerat Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et præcepit ei, sicut præcepit* יהוה *in manu Mosis.* Executio narratur.

CAPVT XXVIII.

DIxit quoque Dominus ad Mosen: *Vers.* 1.

2. Præcipe filiis Israël, & dices ad eos.] Quia sumptibus populi prouidendum est de subiunctis, ideò præceptum dirigitur ad filios Israël.

Oblationem meam, panem meum, & incensa mea odoris suauissimi offeretis mihi per tempora sua.] Quemadmodum in 23. cap. Leuitici scriptus est catalogus festiuitatum; ita in his duobus capitulis scribitur catalogus holocaustorum, sacrificiorum, & munerum, quæ Deo debentur. Et vtriusque capituli litera valde clara est: correctione tamen eget magis, quàm expositione. Et ad tria capita reducuntur omnia; videlicet, oblationem, panem, & incensa. Sub incensis enim comprehenduntur omnia, quæ cremabantur: sub pane verò panes propositionis; sub oblatione autem reliqua.

Et dices ad eos.

Vers. 3. Hoc est incensum, quod offeretis Domino, agni anniculi immaculati duo per diem in holocaustum continuum:

4. Vnum offeretis mane, & alterum ad vesperum.] Iuxta Hebræum habetur: *Agnum vnum facies in mane, & agnum secundum facies inter vesperas.* Vbi duo habes: & quòd sacrificiorum ordo incipiebat mane (alioquin agnus vespertinus non diceretur secundus:) & quòd non post Solis occasum, sed inter vesperas offerebatur sacrificium vespertinum; hoc est, prope Solis occasum.

Vers. 5. Et decimam partem ephæ similæ in munus, quæ conspersa sit oleo purissimo.] Iuxta Hebræum habetur. *Oleo tuso*, ad differentiam olei moliti.

Et habeat quartam partem hin.

Vers. 6. Holocaustum iuge est.] Vt superiùs exposuimus, perseuerabat crematio tota die, ac nocte: & propterea appellatur holocaustum continuum: ita quòd erat non solùm holocaustum quotidianum bis in die; sed erat holocaustum continuum: imò ad hoc mane, & vespere quotidie renouabatur, vt esset holocaustum continuum. Et hoc erat primum, & maximum omnium sacrificiorum, propter quod & subditur:

Quod obtulistis in monte Sinaï in odorem suauissimum incensi Domino.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Quod factum est in monte Sinai in odorem quietis incensum Iehouah.* Ratio redditur à dignitate loci, in quo inchoatum fuit huiusmodi sacrificium. Et hinc insinuatur, quòd Moses hæc præcepta promulgauit in campestribus Moab: ipsa

ipsa enim commemoratio montis Sinaï innuit hoc.

Vers. 7. Et libabitis vini quartam partem hin.] Iuxta Hebræum habetur: *Et colamen eius quarta pars hin per agnos singulos.* Ne hoc frequenter repetere oporteat, intellige, in his capitulis per *libare*, & *libamina*; *colare*, & *colamina*: non enim ad vsum bibendi, sed ad vsum colandi admiscebatur vinum holocaustis, seu similæ, (hoc est, flori farinæ,) quum cremabatur Deo.

In Sanctuario Domini.] Ad mensuram hoc refertur; vt, videlicet, mensura sit mensura Sanctuarij.

Vers. 8. Alterúmque agnum similiter offeretis ad vesperam iuxta omnem ritum sacrificij matutini, & libamentorum eius, oblationem suauissimi odoris Domino.] Et ne hoc etiam sæpiùs repetatur, intellige semper, *odorem quietis*.

Vers. 9. Die autem Sabbathi offeretis duos agnos anniculos immaculatos.] Post holocaustum iuge, de holocausto cuiusque diei septimi agitur.

Et duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificium.] Nec hoc sæpiùs repetatur, quòd Interpres *sacrificij* nomine vtitur pro *munere*. Munus enim floris farinæ in veritate significatur comes holocausti, secundùm diuersam tamen mensuram. Nam holocausto vnius agni respondebat decima pars ephæ: arietis verò duæ decimæ: vituli autem, seu tauri, tres decimæ.

Vers. 10. Et liba, quæ ritè funduntur per singula Sabbatha in holocaustum sempiternum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et super holocaustum iuge, & munus eius.* In omnibus enim constitutis sacrificiis, (siue per singula Sabbatha; siue per singula principia mensium, siue per festiuitates quascunque,) non supputatur, sed præsupponitur iuge holocaustum cum illius munere: & propterea dicitur, *super iuge holocaustum.* Et sic corrige inferiùs, vbi Interpres minùs expressit: quoniam Hebraïcè semper exprimitur claré.

Vers. 11. In Calendis autem (id est, in mensium exordiis) offeretis holocaustum Domino vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos septem immaculatos:

Vers. 12. Et tres decimas similæ oleo conspersæ in munus per singulos vitulos, & duas decimas similæ oleo conspersæ per singulos arietes.] De holocausto Calendarum singulorum mensium claré tractatur.

Vers. 13. Et decimam decimæ similę oleo conspersæ in munus per agnos singulos: holocaustum suauissimi odoris, atque incensi est Domino.] Vbicunque hoc in istis capitulis legis, intellige per *decimam decimæ*, vnam decimam.

Vers. 14. Libamenta autem vini, quæ per singulas fundenda sunt victimas, hęc erunt: media pars hin per singulos vitulos, tertia per arietem, & quarta per agnum: hoc erit holocaustum per omnes menses, qui sibi anno vertente succedunt.

Vers. 15. Hircus quoque vnus pro peccatis Domino super holocaustum continuum fiet, & colamen eius.

Vers. 16. Mense autem primo in quartadecima die mensis Pesah Domino erit.

Vers. 17. Et quintadecima die solennitas: & septem diebus azyma comedentur.

Vers. 18. In die primo erit vocatio sanctitatis: omne opus seruile non facietis.

Vers. 19. Offeretísque [a] incensum in holocaustum Domino vitulos de armento duos, & arietem vnum, & agnos anniculos immaculatos septem.

Vers. 20. Et munera eorum, similę oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, & duas decimas per arietem,

Vers. 21. Et decimam decimæ per vnunquenque septem agnorum:

Vers. 22. Et hircum pro peccato vnum ad expiandum super vos.

Vers. 23. Præter holocaustum matutinum, quod semper offeretis.] Iuxta Hebræum habetur: *Quod in holocaustum iuge, facietis ista.* Declaratur ista esse facienda præter holocaustum matutinum, quod fit in holocaustum continuum.

Vers. 24. Ita facietis per singulos dies septem dierum in fomitem ignis, & in odorem suauissimum Domino, qui surget de holocausto, & de libationibus singulorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut ista facietis per diem septem diebus panem ignitum in odorem quietis* יהוה: *super holocaustum continuum fiet, & colamen eius.* Bis enim fit hic exceptio iugis holocausti: semel statuendo holocaustum primi diei paschalis, & iterum statuendo repetitionem holocausti per singulos dies.

Vers. 25. Dies quoque septimus celeberrimus, & sanctus erit vobis.] Et hoc quoque semper intellige iuxta Hebræum: *Vocatio sanctitatis erit vobis.* Sic enim Hebraïcè describitur sanctitas Dei: *Omne opus seruile non facietis.*

Vers. 26. Dies etiam primitiuorum, quando offeretis nouas fruges Domino, expletis hebdomadibus, vocatio sanctitatis erit vobis: omne opus seruile non facietis.

Vers. 27. Offeretísque holocaustum in odorem suauissimum Domino, vitulos de armento duos, & arietem vnum, & agnos anniculos immaculatos septem:

Vers. 28. Atque in munera eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem,

Vers. 29. Et decimam decimæ per vnunquenque septem agnorum:

Vers. 30. Et hircum vnum ad expiandum super vos, præter holocaustum continuum, & munus eius:

Vers. 31. Immaculata offeretis omnia, & colamina eorum.] De holocausto in festo Pentecostes tractatur satis claré iuxta supradicta.

[a] Propter hæc sacrificia hic præcepta, cū vel quartam diei naturalis partem integram requirerent, vt perfectè cōplerentur, memorat Burgensis, eam obseruationem apud Iudæos in vsu fuisse, vt Paschæ festum nonnunquā de die in diem transferretur. Nam (vt inquit) quando lunatio huius primi mensis contingebat post decimamoctauam diei horam, hoc est, post duodecimam apud nos, Neomenia illa in sequentem diem ordinabatur, eò quòd diei, in qua luminarium cōiunctio euenit, tantum sex horæ superessēt. Nā à sexta apud nos vespertina dies Hebræis incipit. Ex qua obseruatione conciliare vult Euāgelistas, inquiens, & Christum, & Iudæos diuersis diebus Pascha vltimum celebrasse; sed vtrique tempore, quo eis legitimum erat. Verùm hæc longum sermonem requirunt.

CAPVT XXIX.

VERS. 1.

Mensis etiam septimi prima dies venerabilis, & sancta erit vobis.] Consequenter instituuntur sacrificia reliquarum festiuitatum. Vbi cerne differentiam, quòd reliquorum mensium primus dies non erat dies festus, sed sacrificia duntaxat offerebantur in eis: solius autem mensis septimi prima dies erat sancta.

Omne opus seruile non facietis, quia dies clangoris [a] est, & tubarum.] Circunloquitur Interpres Hebraicam dictionem significantem illam soni speciem, quæ fiebat, vel ad bellum, vel ad castra mouendum.

[a] Hic clangor, vt dicût Iudæi, fiebat per corno arietinum in memoriam oblationis Isaac. Sed de his suprà diximus.

Vers. 2. Offeretísque holocaustum in odorem suauissimum Domino, vitulum de armento vnum, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem:

3. Et munera eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem,

4. Et vnam decimam per vnunquenque septem agnorum:

5. Et hircum vnum pro peccato ad expiandum super vos.

6. Præter holocaustum Calendarum, & munus eius, ac holocaustum continuũ, & munus eius, & libamina eorum cum cæremoniis suis: in odorem suauissimum incensum Domino.

7. Decima quoque die mensis huius septimi vocatio sanctitatis erit vobis, & affligetis animas vestras [b]: omne opus seruile non facietis.

[b] Sunt quoque hic Iudæi (vt notat Mũsterus) supra modum superstitiosi, vt putẽt sibi hoc die prohibitum, ea in sacris legere, quæ lætitiam quandam animo adferre possunt, vt est eductio filiorũ Israel de Ægypto, introductio in terrã sanctã, & huiusmodi. Sed tristia legi possunt, vt lamentationes Hieremiæ, increpationes Prophetarum, destructio Hierosolymitana, & alia Nec in hac solẽnitate ieiunium soluunt ab exortu Solis vsq; ad stellarum radiationẽ. Et ne nos cum illis & Sarracenis, qui ad hunc modum ieiunant, conuenire videremur, distinctus ieiunandi ritus in Ecclesia fortè præscriptus est.

8. Offeretísque holocaustum Domino in odorem suauissimum, vitulum de armento vnum, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem:

9. Et munera eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per vitulum, duas decimas per arietem,

10. Decimam decimæ per vnunquenque septem agnorum:

11. Et hircum vnum pro peccato.] De holocausto in sanctissima expiationis die agitur.

Præter ea, quæ offerri pro delicto solent in expiationem, & holocaustum continuum, & munus eius, ac colamina eorum.] Decreta in cap. 16. Leuitici holocausta, & sacrificia in die expiationis cum multis cæremoniis tanguntur. Hæc enim offerenda præcipiuntur, postquàm expiatio facta est, & hircus emissus in desertum, & Pontifex pontificales vestes assumpsit.

12. Quintadecima verò die mensis septimi vocatio sanctitatis erit vobis: omne opus seruile non facietis, sed celebrabitis festiuitatem Domino septem diebus.

13. Offeretísque holocaustum in odorem suauissimum Domino, vitulos de armento tredecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

14. Et munera eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per vnunquenque tredecim vitulorum, duas decimas per vnunquenque duorum arietum,

15. Et decimam decimæ per vnunquenque quatuordecim agnorum:

16. Et hircum vnum pro peccato: præter holocaustum continuum, & munus, ac colamen eius.

17. In die secundo offeretis vitulos de armento duodecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

18. Et munera, ac colamina eorum per vitulos, & arietes, & agnos in numero eorum, vt ratio postulat:

19. Et hircum pro peccato: præter holocaustum continuum, ac munus eius, & colamina eorum.

20. Die tertio offeretis vitulos vndecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

21. Et munera, ac colamina eorum per vitulos, & arietes, & agnos in numero eorum, vt ratio postulat.

22. Hircúmque vnum pro peccato, præter holocaustum continuum, & munus, ac colamen eius.

23. Die quarto offeretis vitulos decem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

24. Et munera, ac colamina eorum per vitulos, & arietes, & agnos in numero eorum, vt ratio postulat:

25. Et hircum vnum pro peccato: præter holocaustum continuum, munus, & colamen eius.

26. Die quinto offeretis vitulos nouem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

27. Et munera, ac colamina eorum per vitulos, & arietes, & agnos in numero eorum, vt ratio postulat:

28. Et hircum vnum pro peccato: præter holocaustum continuum, & munus, ac colamen eius.

29. Die sexto offeretis vitulos octo, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

30. Et munera, ac colamina eorum per vitulos, & arietes, & agnos in numero eorum, vt ratio postulat:

31. Et hircum vnum pro peccato: præter holocaustum continuum, munus, & colamen eius.

32. Die septimo offeretis vitulos septem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

33. Et munera, ac colamina eorum per vitulos, & arietes, & agnos in numero eorum, vt ratio postulat:

34. Et hircum vnum pro peccato: præter holocaustum continuum, munus, & colamen eius.]

De holocaustis in festo tabernaculorum agitur satis clarè.

Vers. 35. Die octauo, qui est celeberrimus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et in die octaua retentio erit vobis.* Vltima legis festiuitas, quæ iuxta communem vsum *collectio* vocatur, si secundùm proprietatem vocabuli nominanda est, *retentio* appellatur: ea fortè ratione, quia retinebatur populus, qui conuenerat ad festa tabernaculorum, pro oblatione ad necessarios sumptus in sacrificiis, & tabernaculo Dei [e]. Vel potiùs, quia pro retinendis per totum annum pro vsu tabernaculi diuini instituta erat hæc dies octaua.

[e] Primum sensum sequitur Munsterus.

Omne opus seruile non facietis.

Vers. 36. Offeretisque holocaustum incensi in odorem suauissimum Domino vitulum vnum, arietē vnum, agnos anniculos immaculatos septem:

Vers. 37. Munera, & colamina eorum per vitulum, & arietem, & agnos in numero eorum, vt ratio postulat.

Vers. 38. Et hircum vnum pro peccato: præter holocaustum continuum, & munus, ac colamen eius.

Vers. 39. Hæc offeretis Domino in solennitatibus vestris: præter vestra vota, & oblationes spontaneas in vestris holocaustis, & muneribus, & colaminibus, & pacificis.

CAPVT XXX.

VERS. 1. NArrauitque Moses filiis Israël omnia, quæ ei Dominus imperauerat:

Vers. 2. Et locutus est ad Principes Tribuum filiorum Israël dicens: Iste est sermo, quem præcepit Dominus.

Vers. 3. Si quis virorum.] Capitulum hoc de executione votorum, quoad viros nullam exceptionem facit: veruntamen appellatione viri non intelligitur puer infra annos pubertatis: quoniam non sui iuris est.

Votum vouerit Domino.] Nomine *voti* in sacris Literis intelligitur promissio facta Deo de bono supererogationis: quamuis hæc vltima particula non sit vsquequaque vera, vel rectiùs loquendo necessaria; sed explicans propriam materiam voti, propter quam oportet fieri vota. Nam propter bona, ad quæ aliàs tenemur, non oportet vouere; sed propter bona, ad quæ aliàs non tenemur. Si quis tamen voto se astringeret ad ea, quæ aliàs tenetur, (putà, ad non fornicandum, ad ieiunandum in ieiuniis Ecclesiæ,) valet votum: quia obligaretur duplici vinculo ad illa met; videlicet, & præcepto Dei, vel Ecclesiæ, & proprio voto. Et quia materia voti est bonum, non est votum, si quis promittat Deo aliquid illicitum, vel indifferens ad bonum, vel malum. Ex hoc autem, quòd votum est promissio, excluditur à voto quicquid non subest potestati promittentis: nemo enim potest promittere factum alienum, sicut nec rem alienam. Ex parte verò actus, quantumcunque aliquis proponat, vel deliberet, non est votum, nisi promittat non cuicunque, sed Deo: nulla enim promissio, quæ fit homini, est votum formaliter: vnde & in Litera dicitur: *Vir, quando vouebit votum Iehouah;* hoc est, Deo fonti essendi.

Aut se astringet iuramento.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Vel iurabit iuramentum ad ligandum ligamen super animam suam.* Modus loquendi Hebraïcus est; sed conferens intelligentiæ votorum; ideò enim adiungitur, *ad ligandum ligamen super animam suam*, vt intelligamus exigi ad rationem, tam mouentis, quàm iurantis, vt cognoscat, & intendat se obligare, imponere sibiipsi vinculum per huiusmodi votum, seu iuramentum: & dicitur hoc, tum ad subueniendum nesciis, non cognoscentibus, se per huiusmodi promissiones obligari; talium enim promissiones non sunt vota, & iuramenta non sunt vincula quoad Deum: tum ad subueniendum illis, qui promittendo Deo non intendunt se obligare; distrahunt enim isti promissionis nomen, appellantes promissionem, quæ verè non est promissio, sed similitudo promissionis: sicut homo mortuus, aut pictus appellatur homo. Et similiter, si iurant Deo non super executione, sed super proposito: iurant enim se habere deliberatum propositum faciendi, sed non obligant se ad faciendum: quia non intendunt inducere super se hanc obligationem.

Non faciet irritum.] Iuxta Hebræum habetur: *Non pollnet* (seu, *non faciet pollutum*) *verbum suum: sed omne, quod promisit implebit.* Ad subueniendum emergentibus inopinatis euentibus impedientibus executionem voti, vel iuramenti, dicitur: *Non polluet verbum suum.* in huiusmodi enim euentibus, quamuis non sequatur executio voti, reus non est, qui vouit: quia ipse non polluit verbum suum, sed superueniens euentus efficit, ne fiat, quod promisit.

Vers. 4. Mulier, si quippiam vouerit, & se constrinxerit iuramento, quæ est in domo patris sui.] Post legem de votis virorum statuitur de votis mulierum in triplici statu; videlicet, nubili, coniugali, & viduitatis.

Et in ætate adhuc puellari.] Non dicitur hoc, ad significandum ætatem inhabilem nuptiis ante annum duodecimum; sed ad differentiam viduæ ad domum patris sui reuersæ: si enim dixisset, mulier in domo patris sui, & non addidisset ætate puellarē, fuisset comprehensa etiam mulier vidua reuersa ad domum patris, vel etiam mulier coniugata manens in domo patris: putà, quia vnica est, & vir eius

habitat cum ea: sed copulando vtrunque (videlicet, quòd *est in domo patris*, & in ætate nubili,) exclusit huiusmodi ambiguitates.

Si cognouerit pater votum, quod pollicita est,& ligamen,quo ligauit animam suam, & tacuerit.] Iuxta Hebræum adiungitur pronomen:nam dicitur: *Et tacebit ei pater eius.* Quæ verba non significant simplex silentium,sed silentium illi:vt per hoc intelligamus, quòd non de quocunque silentio patris,sed de silentio patris requisiti à puella de facultate exequendi votum, lex loquitur. Hoc enim prætendunt verba legis:*Et tacebit ei pater eius.*& hunc esse literalem sensum legis huius, ex eo habetur, quòd lex interpretatur silentium patris,consensum. Et hoc in foro conscientiæ,vt inferiùs explicatur. Alienum autem à ratione legis est, vt silentium patris non requisiti, quamuis scientis votum filiæ, habeatur pro consensu, in foro præsertim conscientiæ: naturalis enim ratio dictat, vt expectet pater se requiri: quum filia secundùm rectæ rationis ordinem teneatur ad requirendum consensum patris, cui subiicitur ad hoc, vt adimpleat votum suum: ipsa enim non iussa à patre fecit votum:& propterea ad ipsam spectat requirere consensum paternum.

Voti rea erit: *Vers.* 5. Quicquid pollicita est, & iurauit, opere complebit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et firma erunt omnia vota eius, & omne ligamen, quod ligauit super animam suam, firmum erit.* Infirma pendere vota puellæ vsque ad consensum patris, hinc habes: nam consensu patris firmari censentur. Et ligamen iuramenta etiam comprehendit.

Vers. 6. Si autem statim vt audierit, contradixerit pater [a].] Iuxta Hebræum habetur: *Et si fregit pater eius eam in die, quo audiuit ipse.* Non dicit lex,statim vt audierit;sed, in die auditionis. Et dicendo,*fregit ipsam*,rationem tangit paternæ potestatis ex parte personę subditæ:ita quòd pater non violat promissiones factas Deo; sed frangit, quod suum est,frangit facultatem filiæ sibi subditæ.

[a] Noluit Dominus, vt veterum obedientia solueret paternam,& publicam.

Vota, & iuramenta eius irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eò quòd contradixerit pater.]Iuxta Hebręum habetur: *Et Iehouah parcet ei,quia fregit pater eius ipsam.* Ad securitatem conscientiæ puellæ dicitur, quòd Deus non imputabit illi peccatum,propter hoc,quia fregit pater eius eam.

Vers. 7. Si maritum habuit,& vouit aliquid.] Post legem de votis mulieris nubilis statuit de votis mulieris nuptæ.

Et semel verbum de ore eius egrediens, animam illius obligauerit iuramento.] Iuxta Hebræum habetur: *Vel apertio labiorum eius ligauit super animam eius.* Significatur enim disiunctiua voti,vel iuramenti. Quam intellige in omnibus huius capituli casibus. etiamsi iuramenti nomen non repetatur: nam nec hic repetitur;sed sufficit in primis legibus explicasse.

Vers. 8. Quo die audierit vir, & non contradixerit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et tacebit ei.* Sicut de patre dixerat relatiuè ad filiam; ita dicit de marito relatiuè ad vxorem: & propterea intellige de silentio mariti requisiti ab vxore ad executionem voti.

Voti rea erit, reddétque, quicquid promiserat.] Ne in hac materia circa Literam per singula moremur, corrige, vt suprà: quoniam iuxta Hebræum nomen firmitatis habetur: & similiter verbum frangendi, vbi vulgata editio verbo contradicendi vtitur:hæc enim non variant sensum in hac materia.

Vers. 9. Si autem audiens statim contradixerit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et si die,quo audit vir eius, rumpet eam, & irritas faciet pollicitationes eius, verbáque, quibus obstrinxerat animam suam, propitius ei Deus.* Idem decernitur de marito, quod fuit decretum de patre eadem ratione:quia vxor subdita est marito, non minùs quàm filia patri.

Vers. 10. Vidua, & repudiata,quicquid vouerint,reddent.]Tertius status mulierum quoad vota tractatur. Idémque statuitur de vidua,& repudiata: quoniam par est viduæ mulier, quæ libello repudij separata est à viro. Duplex autem status,tam viduæ, quàm repudiatæ consideratur à lege. Alter viduitatis, seu repudij:& vota facta in hoc statu decernuntur firma, eò quòd tam vidua, quàm repudiata proprij iuris est. Alter coniugij prioris, quando,scilicet,erat cum marito suo: & de hoc statu subiungitur lex:

Vers. 11. Vxor in domo viri, quum se voto constrinxerit iuramento.] Non sic habetur Hebraïcè:sed legitur:

Et si in domo viri sui vouit, vel ligauit ligamen super animam suam in iuramento:

Vers. 12. Si audierit vir,& tacuerit,nec contradixerit sponsioni, reddet quicquid promiserat.

Vers. 13. Si autem extemplò contradixerit, non tenebitur promissionis rea: quia maritus contradixit: & Dominus ei propitius erit.] Contextus ipse clarè testatur, quòd de vidua, & repudiata loquitur. Nullam enim aliam nominauerat immediatè antè:sed nominata vidua,& repudiata, subiungit: *Et si in domo viri sui vouit.* manifestè per hoc aperiens, quod priùs dixit de votis factis in viduitate, & repudio; nunc autem de votis olim factis tempore coniugij. Et oportuit legem hoc decernere, ne viduæ, vel repudiatæ errarent circa vota, quæ olim fecerant, dum essent coniugatæ. Decernitur enim hac lege, quòd si maritus tacuit in die auditionis, quòd adhuc tenetur ad implendum illud votum: & si maritus fregit in die auditionis, nec etiam viduata, aut repudiata tenebitur: ita quòd semel absoluta, est semper libera à voto: & è conuerso semel ligata ex consensu viri, perseuerat semper obligata ad implendum votum tempore coniugij factum. Literam dicentem extemplò corrige,vt suprà.

Vers. 14. Si autem vouerit,& iuramento se constrinxerit, vt per ieiunium, vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam,in arbitrio viri erit,vt faciat,vel non faciat.] Iuxta Hebræum habetur: *Omne votum, & omne iuramentum ligaminis ad affligendum animam, vir eius firmabit illud,& vir eius franget illud.* Post leges de votis mulierum in genere, traditur lex in specie de voto afflictionis corporalis mulieris nuptæ. Vbi vide differentiam penes hoc,quòd facultas irritandi vota vxoris in genere, arctata est

ad

ad diem auditionis: facultas verò irritandi vota vxoris ad affligendum vitam suam, ad nullum limitatur tempus; sed libera decernitur omni tempore ad irritandum, dicendo: *Vir eius firmabit, & vir eius franget.* & hoc, quia corpus vxoris pleno iure est viri. Spectant autem ad afflictionem animæ ieiunia, abstinentiæ, aspera indumenta, & similia, quæ corporalem vitam affligunt.

Vers. 15. Si autem audiens vir tacuerit, & in alteram diem distulerit sententiam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et si tacendo tacebit ei vir eius de die ad diem.* Post promulgatas leges votorum, soluit lex quæstionem ex verbis legis ortam. Statutum est enim in his legibus, quòd irritatio, vel firmatio voti mulieris nuptæ pendeat à fractione, vel silentio viri in die auditionis. Oriri hinc poterat quæstio, quid iuris, si maritus in die auditionis tacuerit, & altera die fregerit? Hanc quæstionem proponit lex ista in verbis istis. Nec est sensus, quid iuris, si vir in die auditionis suspenderit responsionem, (quoniam dubium nõ est, quòd potest suspendere consensum proprium & responsionem non solùm in alterum diem; sed ad quodcunque sibi beneplacitum tempus:) sed est sensus, quid iuris, si simpliciter, & absolutè vir eius tacuerit à die auditionis vsque ad alium diem? Et hunc sensum testatur Litera iuxta Hebraïcam veritatem subiuncta:

Et firmabit omnia vota eius, vel omnia ligamina eius, quæ super ipsam: firmauit ipsa, quia tacuit ei in die audire sui.] In qua Litera clarè patet duo dici: primum, quòd vir tacendo firmat omnia vota, & vincula, quæ sunt supra vxorem: deinde reddi rationem, quare firmat, resumendo: firmauit ipsa, quia tacuit in die auditionis. Hinc enim clarè habetur, quòd non est sermo de viro suspendente, & differente responsionem; sed de viro, suo silentio firmante. Vbi, vt pleniùs intelligas materiam hanc, scito, quòd vir requisitus de consensu ad vota emissa ab vxore, tacens præsumitur à lege ista consentire: ita quòd legis præsumptione silentium habetur pro consensu. Nec abs re: quoniam communiter silentes, tam patres, quàm mariti requisiti, ideò silent, quia consentiunt in huiusmodi, quæ sunt in fauorem animarum: ita quòd secundùm communem cursum, silentium mariti, vel patris in huiusmodi requisiti, signum est consensus: etsi non explicitè, saltem implicitè. Ad propositam itaque quæstionem respondendo declarat lex efficaciam silentij in die auditionis: & deinde directè respondet quæsito.

Vers. 16. Et si frangendo franget ea post audire suum, & portabit iniquitatem suam [b].] Quod superiùs dixerat, *de die ad diem,* nunc dicit, *post audire suum:* ita quòd sensus est, post diem, quo requisitus audiuit. Respondetur ergo quæstioni, quòd si vir, postquàm silentio firmauit vxoris vota, franget illa, etiam portabit iniquitatem suam; hoc est, peccabit. Et quamuis nihil aliud explicitè dicatur; implicitè tamen innuitur, quòd vxor est excusata: ideò enim lex iniquitatem iacit super virum, vt excuset vxorem: non enim vult lex, vt vxor inuito viro vota persoluat; cùm nec corporis proprij, nec rerum habeat dominium vxor, nec aliquod sit exemptum tempus, quo vir non possit in officio aliquo illa vti. Et hinc habes, quòd etiam in foro conscientiæ silentium requisiti viri habetur pro consensu; & si non ex natura rerum, authoritate saltem legis; ita quòd silentium illud, si secundùm rem manat ex consensu interno, verè significat consensum: ac per hoc ligat in foro conscientiæ. Si autem secundùm rem non manat ex consensu, legis non solùm præsumptione, sed etiam authoritate habet vim consensus: alioquin non diceret lex, quòd ipse portabit iniquitatem suã; sed dixisset, ipse viderit. Veruntamẽ, quantùm ad hoc, lex ista ad ius positiuum spectat: sistendo enim intra limites moralis rectitudinis, silentium requisiti non est sufficiens signum interni consensus. Et propterea hodie quoad hoc, lex ista non ligat; sed maritus, si in veritate non consensit, quantuncunque requisitus siluerit, potest absque peccato aliquo irritare vota vxoris: leges enim istæ de facultate patris, & mariti, absolutè loquendo, sunt morales: & propterea semper durant.

[b] Hoc est, vir tenebitur vota vxoris soluere, ac si ipse vouisset.

Vers. 17. Istæ sunt leges, quas præcepit Dominus Mosi inter virum, & vxorem, inter patrem, & filiam, quę in puellari adhuc ætate est, vel quæ manet in patris sui domo.

CAPVT XXXI.

VERS. 1.

LOcutúsque est Dominus ad Mosen dicens:

Vers. 2. Vlciscere priùs filios Israël de Midianitis, & sic colligeris ad populum [a] tuum.] Iuxta Hebræum habetur: *Posteà congregaberis ad populos tuos.* Intellige iuxta priùs exposita.

[a] Hunc Hebraismum, scilicet, *colligi ad populum suum,* nõnulli ad sepulturam referunt, quod familiæ tunc in eisdem sepeliebãtur sepulcris.

Vers. 3. Locutúsque est Moses populo, & dixit: Armate ex vobis viros ad pugnam, qui possint vltionem Domini expetere de Midianitis.] Midianitæ nocumentum quidem intulerant filiis Israël; iniuriam autem Deo vero: & propterea in littera appellatur vltio, tum filiorum Israël, tum Dei.

Vers. 4. Mille viri de singulis Tribubus eligantur ex Israël, qui mittantur ad bellũ.] Paruus numerus bellatorũ eligitur, & mittitur, vt pugna, & victoria Deo attribuatur.

Vers. 5. Fuerúntque delecti de millibus Israël mille per Tribum, duodecim millia expeditorum ad pugnam.

Vers. 6. Quos misit Moses cum Pinchas, filio Elhazari Sacerdotis: vasa quoque sancta, & tubas ad clangendum tradidit eis.] Nihil dicitur de Iehosuah: cùm tamen rationi consentaneum sit, vt qui fuerat dux in prælio contra Hamaleciias, & institutus, vel statim instituendus erat successor Mosis, caput fuerit istorum duodecim millium: Hebraïcè enim supputatur, tanquàm seorsum exercitus pugnatorum, & Pinchas Sacerdos: nam dicitur: *Et misit eos, & Pinchas filium Elhazari Sacerdotis, in pugnam: & vasa sanctitatis, & tubæ clangoris in manu eius.* Hinc enim insinuatur, quòd Pinchas non fuit missus Dux exercitus, sed superintendens vasis sanctitatis, & tubis, tanquàm Sacerdos primus sub Pontifice patre suo. Per *vasa* autem *sanctitatis* intellige Arcam Dei: quoniam illam filij Israël deferebant præliaturi [b]: in cuius signum superiùs in calce cap. tuli

[b] Sicut & tẽpore Eli Sacerdotis deducta est Arca in castra cõ-

tra Philistæos, à quibus & capta est, 1. Reg 4. Deducta est etiã tẽpore Saulis, 1. Reg 14. & tẽpore Dauidis cõtra Ammonitas, 2. Reg 11. Solebãt etiam gentes idola secum ad prælia deferre, vt habes 2. Reg 5.

capituli 14. euntibus ad præliandum contra imperium Domini, scriptum est, quòd Arca Dei non est mota de loco suo: insinuando ab opposito, quòd si bellum fuisset factum voluntate Dei, Arca fuisset delata ad prælium. Deferebatur autem Arca Dei ad pugnandum pro maximo populi præsidio: tubæ autem argenteæ de mandato Dei, scripto superiùs capitulo 10. ferebantur: & Sacerdotum erat clangere tubis: & propterea dicitur, quòd tubæ erant in manu Pinchas. Nec sis adeò rudis, vt intelligas, *in manu*, hoc est, corporeo membro, quod vocamus *manum*, Sacerdotis delatas fuisse tubas (cùm ridiculum sit, vnum Sacerdotem clangere duabus tubis:) sed intellige, tam Arcam Dei, quàm tubas commissas manui, hoc est, directioni, & curæ Pinchas. Et dictio interpretata, *clangoris*, significat illam soni speciem, quæ fiebat ad prælium.

Vers. 7. Cúmque pugnassent contra Midianitas.] Iuxta Hebræum adiungitur: *Sicut præcepit Iehouah Mosi.* Pugna ex obedientia diuina describitur, vt ex ea causa subiunctus effectus tantæ victoriæ profectus intelligatur.

Omnes mares occiderunt.

Vers. 8. Et Reges eorum.] Iuxta Hebræum adiungitur: *Super occisos eorum.* Ordo significatur interfectionis, quòd priùs occiderunt alios, & deinde Reges: ne putaretur, quòd in prima acie corruissent Reges; & propterea reliqui destituti capitibus, occisi fuerint: fuisset enim minor victoria. Ad magnitudinem itaque victoriæ spectat, quòd occiderunt alios, & super occisos etiam occiderunt eorum Reges, non fugientes, sed superintendentes prælio: nam & hoc significatur dicendo: Et Reges Midian occiderunt super occisos, videlicet, instantes.

Cui, & Recem, & Sur, & Chur, & Rebah, quinque Reges Midian; & Bilham[c], filium Behor interfecerunt gladio.] Hic Bilham proculdubiò est Propheta ille, de quo diffusus est habitus sermo superiùs in multis capitulis: an autem cum Midianitis inuentus interfectus fuerit, an excursione aliqua iuerint aliqui filij Israël inde ad locum, vbi habitabat Bilhã in territorio Aramæorũ, nescitur.

c Madianitę insidiis Israelem ad summum perduxerunt discrimen, exhibendo formosas mulieres, quæ eò adduxerunt miseros homines, vt spurcissimo idolo genua flecterẽt, cuius incendij suffiatorẽ Scripturadicit fuisse Balaam Prophetã. Quare hic merito inter Madianitas occidit. Vnde colligi potest, Madianitam extitisse, quod superius adnotauimus.

Vers. 9. Ceperúntque filij Israël mulieres Midian, & paruulos eorum; ac omnia iumenta, & pecora, & totam supellectilem eorum deprædati sunt.

Vers. 10. Et omnes ciuitates, vicos, & castella eorum flamma consumpsit.

Vers. 11. Tulerúntque prædam, & vniuersa quæ ceperant, tam ex hominibus, quàm ex iumentis:

Vers. 12. Et adduxerunt ad Mosen, & Elhazarum Sacerdotem & ad omnem multitudinem filiorum Israël: reliqua etiam vtensilia portauerunt ad castra in campestribus Moab iuxta Iordanem contra Hiericho.] Non sic habetur Hebraïcè: sed legitur:

Et adduxerunt ad Mosen, & ad Elhazarum Sacerdotem, & ad Synagogam filiorum Israël captiuitatem, prædam, & spolia ad castra: ad planities Moab, quæ super Iarden Hiericho.] Omnia describit: & ad quos, & quæ, & quò (tum quoad castra, tum quoad certum castrorum locum) adduxerint.

Vers. 13. Egressi sunt autem Moses, & Elhazar Sacerdos, & omnes Principes Synagogæ in occursum eorum extra castra.

Vers. 14. Iratúsque Moses Principibus exercitus (Tribunis, ac Centurionibus, qui venerant de bello) ait:

Vers. 15. Cur fœminas reseruastis? Nonne istæ sunt.] Hinc habetur, quòd non puellæ virgines fuerant illæ Midianitæ, quæ prouocauerant ad Deorum sacrificia Israëlitas. Pronomen enim, *istæ*, monstrat mulieres cognitas à viris: vt manifestè testatur subiuncta discretio inter cognitas à viris, & virgines. Istæ enim cognitæ à viris, tanquàm causæ ruinæ populi, mandantur occidi: virgines autem seruantur.

V. 16. Quæ deceperũt filios Israël.] Iuxta Hebræum habetur: *Ecce ipsæ fuerunt filiis Israel in verbo Bilham ad dandum præuaricationem in Iehouah super rem Pehor: & percussus est populus Domini.* Non excusat Moses peccatum Israëlitarum, quòd fuerint decepti: sed accusat illas, quæ fuerunt in causa. Ex hoc autem, quòd dicit, *in verbo Bilham*, habetur, quòd Bilham dederat consilium, vt per mulieres prouocarentur Israëlitæ ad idololatriam.

Vers. 17. Et nunc cunctos mares interficite, etiam in paruulis.] Quamuis innocentes fuerint paruuli; diuina tamen authoritate licuit illos occidere.

Et mulieres, quæ nouerunt viros in coitu, iugulate:

Vers. 18. Puellas[d] autem, & omnes fœminas virgines reseruate vobis.

d Mirũ videtur, quòd puellis solùm pepercerit Dominus: infantes verò masculos, etiam lactantes occidi iusserit.

Vers. 19. Et vos manete extra castra septem diebus: omnis, qui occiderit hominem, vel occisum tetigerit, lustrabitur die tertio, & septimo,

Vers. 20. Ipsi & præda vestra: & omnis pannus, & omne vas corij, & omne opus è pilis caprarum, & omne vas ligni expiabitur.

Vers. 21. Elhazar quoque Sacerdos ad viros exercitus, qui pugnauerant, sic locutus est.] Officium suũ exercet Pontifex instruendo militares viros ea, quæ legis erant, ad illorũ actiones dirigendas tunc, cùm opus erat.

Hoc est præceptum legis, quod mandauit Dominus Mosi.] Quia nullibi nisi hîc legitur hoc præceptum, ex hoc ipso insinuatur, multas speciales cæremonias à Deo fuisse mãdatas, quæ non sunt scriptæ: iste enim modus purgandi per ignem, nisi esset per Elhazarum commemoratus, non esset scriptus: quemadmodum etiam nouiter promulgata cæremonia, iussit Moses manere milites septem diebus extra castra; quod tamen non erat iussum superiùs cap. 19. inter seruanda ab iis, qui mundabantur aqua lustrationis die tertio, & septimo.

Vers. 22. Aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum,

Vers. 23. Et omne, quod potest transire per flammas, igne purgabitur: quicquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur tibi[e].] Litera ista aliter habetur Hebraïcè: quæ, vt iudicari possit, afferenda est ad verbum: *Tantum aurum,*

e Sicut nonnunquam populo strictissimè præcepit Dominus, vt inimicorum spolia, quãtũcunq; pretiosa

ne contingeret quidem ob quā rē Achā, cùm tulisset de anathemate Hiericho, seuerè punitus est Iosuè 7. & Saul, qui boues pingues Amalechitarū Domino reseruauerat. Sic hoc loco præceptum est, vt hostium bona nō cōtingerent, nisi prius repurgata. Credideri̇mque in idololatriæ horrorem hanc cæremoniam Iudæis præscriptā, vt omnia inimicorum immunda arbitrarentur, & ne illis populus afficeretur, spoliis contenti, Dei hostibus parcentes.

aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & stannum, & plumbum, omnem rem, quæ ingredietur ignem, facietis transire in igne, & mundabitur. Et immediatè subiungitur: *Tantùm in aquis elongationis expiabitur.* Deinde immediatè subiungitur: *Et omne, quod non ingredietur ignem, facietis transire in aquis.* Hæc est Hebraica litera, quam intelligo sic, quòd in sufferentia, & non sufferentia ignem decernatur penes hoc, quod sufferentia ignem, mundentur igne; non sufferentia autem mundentur aqua: commune autem sit vtrisque, quòd expientur aspersione aquæ sanctæ.

Vers. 24. Lauabitísque vestimenta vestra die septimo: & purificati posteà castra intrabitis.

25. Dixítque Dominus ad Mosen.

26. Tolle summam eorum, quæ capta sunt ab homine vsque ad pecus, tu, & Elhazar Sacerdos, & omnes Principes vulgi:

27. Diuidésque ex æquo prædam inter eos, qui pugnauerunt, & egressi sunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitudinem.

28. Et separabis partem Domino ab iis, qui pugnauerunt, & fuerunt in bello, vnam animam de quingentis, tam ex hominibus, quàm ex bobus, & asinis, & ouibus:

29. Et dabis eam Elhazaro Sacerdoti oblationem Domini.

30. Ex media quoque parte filiorum Israël accipies quinquagesimum caput hominum, & boum, & asinorum, & ouium, cunctorúmque animantium: & dabis ea Leuitis, qui excubant in custodiis tabernaculi Domini:

31. Feceruntque Moses, & Elhazar, sicut præceperat Dominus.

32. Fuit autem præda, quam exercitus ceperat, ouium sexcenta, & septuagintaquinque millia:

33. Boum septuagintaduo millia:

34. Asinorum sexaginta millia, & mille:

35: Animarum humanarum sexus fœminei, quæ non cognouerant viros, trigintaduo.

36. Datáque est media pars iis, qui in prælio fuerant: ouium trecenta, & trigintaseptem millia, & quingentæ.

37. E quibus in parte Domini separatæ sunt oues sexcentæ, & septuagintaquinque:

38. Et de boum trigintasex millibus boues septuagintaduo:

39. Et de asinorum triginta millibus, & quingentis, asini sexaginta & vnus:

40. Et de animarum humanarum sedecim millibus cesserunt in partem Domini trigintaduæ animæ.

41. Tradidítque Moses numerum primitiarum Domini Elhazaro Sacerdoti, sicut fuerat ei imperatum,

42. Ex media parte filiorum Israël, quā separauerat iis, qui in prælio fuerāt[f].

43. De media verò parte, quæ obtigerat reliquæ multitudini, (id est, de ouium trecentis trigintaseptem millibus, & quingentis,

44. Et de boum trigintasex millibus,

45. Et de asinorum triginta millibus, & quingentis,

46. Et de hominum sedecim millibus,)

47. Tulit Moses quinquagesimum caput: & dedit Leuitis, qui excubabant in tabernaculo Domini, sicut præceperat Dominus.] Non eget expositione litera ista de diuisione prædæ: quoniam clarè valdè describitur. Et sententia est, quòd præda, quantùm ad homines, & animalia, erat communis: quantùm verò ad res alias, vniuscuiusque erat, quod acceperat. Communis autem præda primò diuisa est in partes duas æquales; vnam militibus, qui iuerāt ad bellum; alteram populo, qui remanserat in castris. Et ex portione quidem militum, quingentesimum quodque caput erat Sacerdotum; ex portione autē populi quinquagesimū quodque caput erat Leuitarū.

[f] David 1. Reg 30. instituit, vt æqua pars esset descendentis in prælium, & remanētis ad sarcinas.

Vers. 48. Cúmque accessissent Principes exercitus ad Mosen (Tribuni, & Centuriones) dixerunt:

Vers. 49. Nos serui tui recensuimus numerum pugnatorum, quos habuimus sub manu nostra: & ne vnus quidem defuit.] Plusquàm admiranda fuit hæc victoria cum tanta strage hostium occisorum ab ipsis Israëlitis, vt Textus clarè dixit: sic quòd nullus eorum defuerit, verè diuinum opus fuit.

Vers. 50. Ob hanc causam offerimus in donariis Domini vasa aurea, quę vnusquisque inuenit; periscelides, & armillas, annulos, dextralia, & murænulas.] Aiunt Hebræi, hæc quinque ornamenta sic distingui, quòd primum est ornamentum pedis; secundum, ornamentum manus; tertium, ornamentum digiti; quartum, ornamentum quoddam rotundum; quintum autem nomen ornamentum vuluæ significat, quod periscelidem Græci vocare videntur: nisi quòd appensum aurum periscelidi hîc significatur, non ipsa periscelis; huiusmodi enim ornamenta ex propriis Principes militum obtulerunt.

Vt depreceris pro nobis Dominum.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad expiandum super animas nostras in facie Iehouah.* Pro salute animarum suarum se offerre hæc profitentur vltra officium gratiarum actionis.

Vers. 51. Susceperuntque Moses, & Elhazar Sacerdos ab eis omne vas aureum: fuitque omne aurum à Tribunis, & Centurionibus Domino oblatū,

Vers. 52. Sedecim millia, & septingenti, & quinquaginta sicli:

Vers. 53.

Verſ. 53. Quod enim vnuſquiſque in præda rapuerat,ſuum erat.

Verſ. 54. Et ſuſceptum intulerunt in tentorium adunationis in monimentum filiorum Iſraël coram Domino.] Iuxta Hebræum habetur: *Et recordationem filijs Iſraël coram Iehouah.* Vel tanquàm ſacrificium, ad quaſi continuè reddendum ad recordationem Dei locatum fuiſſe aurum hoc in tabernaculo Dei, vel ad ſucceſſiuè in futuris victoriis monendum filios Iſraël ex memoria huius oblationis,& tanti beneficij, huiuſmodi aurum in tabernaculo Dei locatum, vt memores ſint ſimilia efficere,ſcribitur.

CAPVT XXXII.

VERS. 1. Filij autem Reuben, & Gad habebant pecora multa: & erat eis in iumentis infinita ſubſtantia. Cúmque vidiſſent Iahzer, & Gilhad [a] aptas animalibus alendis terras,

[a] Gilead, mōtes ſunt trans Iordanem,qui à Libano,vt Hieremias 22. habet,ſumētes initium, per duo regna quondam Baſan, & Amorrę (nunc ſortes duarum tribuū Manaſſe,& Gad) ad Rubeniticam vſque protenduntur, ſeparātes ea à reliqua Arabia, paſcuoſi,& odoriferi.

Verſ. 2. Venerunt ad Moſen, & ad Elhazarum Sacerdotem,& ad Principes multitudinis; atque dixerunt:

3. Hataroth,& Dibon, & Iahzer, & Nimra, & Cheſbon, & Elhale, & Seban,& Nebo, & Behon,

4. Terra, quam percuſſit Dominus in conſpectu filiorum Iſraël, regio vberrima eſt ad paſtum animalium: & nos ſerui tui habemus iumenta plurima.

5. Precamúrque, ſi inuenimus gratiam coram te, vt des nobis famulis tuis eam in poſſeſſionem, nec facias nos tranſire Iarden.

6. Quibus reſpondit Moſes: Nunquid fratres veſtri ibunt ad pugnam, & vos hic ſedebitis?

7. Cur ſubuertitis mentes filiorum Iſraël, ne tranſire audeant in locum, quem eis daturus eſt Dominus?

8. Ita egerunt patres veſtri, quando miſi eos de Cades-Barneah ad explorandum terram.

9. Cúmque aſcendiſſent vſque ad vallem botri, & vidiſſent terram, ſubuerterunt cor filiorum Iſraël, vt non intrarent fines, quos eis Dominus dedit.

10. Quibus iratus iurauit dicens:

11. Si videbunt homines iſti, qui aſcenderunt ex Ægypto à viginti annis, & ſuprà, terram, quam ſub iuramento pollicitus ſum Abraham,Iſhac,& Iahacob: quia noluerunt ſequi me.

12. Præter Chaleb, filium Iephunæ Cenezzæum, & Iehoſuah, filium Nun: quia impleuerunt voluntatem Domini.

13. Iratúſque Dominus aduersùm Iſraël circunduxit eum per deſertum quadraginta annis, donec conſumeretur vniuerſa generatio,quæ fecerat malum in conſpectu eius.

14. Et ecce ſurrexiſtis pro patribus veſtris, incrementa hominum peccatorum,vt augeretis furorem Domini contra Iſraël.

15. Qui ſi nolueritis ſequi eum in ſolitudine, populum derelinquet, & vos cauſa eritis necis omnium.

16. At illi propè accedentes dixerunt: Stabula fabricabimus iumentis noſtris,& ciuitates paruulis noſtris:

17. Nos autem ipſi armati, & accincti pergemus ad prælium ante filios Iſraël, donec introducamus eos ad loca ſua, & paruuli noſtri, & quicquid habere poſſumus, erunt in vrbibus muratis propter habitatorum inſidias.

18. Non reuertemur in domos noſtras, vſquequò poſſideant filij Iſraël hæreditatem ſuam:

19. Nec quicquam poſſidebimus trans Iarden: vtpote iam habentes poſſeſſionem noſtrā in orientali eius plaga.

20. Quibus Moſes ait: Si facitis, quod promittitis,& expediti perrexeritis coram Domino ad pugnam,

21. Et omnis vir armatus tranſierit Iarden, donec ſubuertat Dominus inimicos ſuos,

22. Et ſubiiciatur ei omnis terra, tunc eritis inculpabiles & apud Dominum,& apud Iſraël, & obtinebitis [b] regiones,quas vultis coram Domino.

[b] Sicut iſtæ Tribus præ cæteris feſtinarunt ad hæreditatem capeſſendam,ſic primi à ſua terra per Reges Aſſyriorum expulſi ſunt, & trāſlati in exiliū, vt legis in libris Regū,& Eſaiæ.

23. Si autem, quod dicitis, non feceritis,nulli dubium, quin peccetis in Deum: & ſcitote, quoniam peccatum veſtrum apprehendet vos.

24. Ædificate ergo ciuitates paruulis veſtris,& ſtabula pecoribus veſtris: & quod polliciti eſtis, implete.

25. Dixerúntque filij Gad,& Reuben ad Moſen: ſerui tui facient ſicut iubet Dominus noſter.

26. Paruulos noſtros & mulieres & pecora ac iumenta relinquemus in vrbibus Gilhad:

27 Nos autem famuli tui omnes expediti pergemus ad bellum,ſicut tu, Domine,loqueris.

28. Præcepit ergo Moſes Elhazaro Sacerdoti,& Iehoſuah filio Nun,& Principibus familiarum per Tribus Iſraël:& dixit ad eos.

29. Si tranſierint filij Gad,& filij Reuben vobiſcum Iardin omnes armati ad bellum coram Domino, & vobis fuerit

terra

terra subiecta, date eis terram Gilhad in possessionem.

Vers. 30. Si autem noluerint transire armati vobiscum, possessionem habebunt inter vos in terra Chenahan.

31. Responderúntque filij Gad, & filij Reuben: sicut locutus est Dominus seruis tuis, ita faciemus.

32. Ipsi armati pergemus coram Domino in terram Chenahan: & possessionem hæreditatis nostræ iam suscepisse nos confitemur trans Iarden.

33. Dedit itaque Moses filiis Gad & Reuben & dimidiæ tribui Menasse filij Ioseph regnum Sichon Regis Emoræi, & regnum Hog Regis Basan: terram eorum cum ciuitatibus suis per circumitum.

34. Igitur extruxerunt filij Gad Dibon & Hataroth & Haroher,

35. Et Hatroth Sophan & Iahzer & Iogbeha.

36. Et Bethnimra & Betharan ciuitates munitas, & stabula pecoribus suis.

37. Filij verò Reuben ædificauerunt Chesbon & Elhale & Ciriathaim,

38. Et Nebo & Bahalmehon versis nominibus & Sibma: imponente vocabula ciuitatibus, quas extruxerant.

39. Porrò filij Machir filij Menasse perrexerunt in Gilhad, & vastauerunt eam interfecto Emoræo habitatore eius.

40. Dedítque Moses terram Gilhad Machir filio Menasse, qui habitauit in ea.

41. Et Iair filius Menasse abiit, & occupauit vicos eius: quos appellauit Chauoth-Iair, id est vocauítque eam villas Iair.

42. Nobach quoque perrexit & apprehendit Cenath & filias eius, ex nomine suo Nobach.] Capitulum hoc nulla video expositione indigere: & propterea transeundum censeo ad alia.

CAPVT XXXIII.

VERS. I. HÆ sunt mansiones.] Iuxta Hebræum habetur: *Hæ profectiones filiorum Israel.* hoc est capitulum, qui catalogus mansionum appellatur: & supputantur in eo quadragintaduæ profectiones: ac per hoc mansiones in terminis, ad quos profecti sunt ab exitu de Ægypto, vsque ad Iordanem.

Qui egressi sunt de Ægypto per turmas suas.] Iuxta Hebræum habetur, *per exercitus suos.* Ordinata profectio significatur.

In manu Mosis, & Aharon.] Non refertur hoc ad profectiones, sed ad egressum ex Ægypto.

Vers. 2. Quas descripsit Moses iuxta castrorum loca, quę Domini iussione mutabant.] Iuxta Hebræum habetur: *Et scripsit Moses exitus eorum ad profectiones eorum super os Iehouah.* Scriptor præsens singulis profectionibus narratur, & Author profectionum Deus describitur: vt ex his intelligamus, profectiones fuisse, & ordinatas, & à Deo dispositas quoad tempus, & locum.

Vers. 3. Profecti sunt igitur de Rahmeses.] Prima profectio describitur à ciuitate Ægypti, quæ vocatur Rahmeses, tanquàm termino à quo.

Mense primo.] Dicendo absolutè in mense primo, insinuat, quòd mensis ille absolutè erat primus mensis anni. Est autem, vt in Exodo diximus, mensis primus, lunatio illa, cui primo opponitur Sol in Ariete. Et perspicacissimè primus mensis anni, qui secundùm cursum Solis attenditur, ponitur mensis illius lunationis, quam primò replet Sol in Ariete; hoc est, Sol in illo signo, vnde incipit naturaliter motus diurnus: nam secundùm Philosophos negantes motum cæli incepisse, si incepisset motus cæli, incepisset ab Ariete.

Quintadecima die mensis primi altera die Pesach.] Quintumdecimum diem mensis primi appellat diem immediatè sequentem Pascha, eò quòd Pascha erat cœna quartidecimi diei.

Filij Israël in manu excelsa.] Non tanquàm humiliati, & eiecti, sed tanquam potentes, tanquàm victores in celsitudine manus diuinæ, superantes Pharaonem exierunt.

Videntibus cunctis Ægyptiis.] Non clam, velut fugitiui; sed in oculis totius Ægypti exierunt: non quòd vniuersa Ægyptus ibi adesset; sed vsitato loquendi modo describit publicum egressum coram omnibus volentibus videre.

Vers. 4. Et sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus.] Ecce occupatio Ægyptiorum in egressu filiorum Israël.

Nam & in Diis eorum exercuerat vltionem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et in Elohe eorum fecit Iehouah iudicia.* Qualia fuerint huiusmodi iudicia in idolis Ægyptiorum, scriptum non est: fortè quemadmodum occidit omnes primogenitos, ita contriuit idola eorum.

Vers. 5. Et castrametati sunt filij Israël in Succoth.

6. Et de Succhoth venerunt in Ethan, quæ est in extremis finibus solitudinis.

7. Indéque descendentes venerunt contra Pihachiroth, quæ respicit Bahalsephon, & castrametati sunt ante Migdo.

Vers. 8. Profectique de Pihachiroth, transierunt per medium maris in solitudinem, & ambulantes tribus diebus per desertum Ethan, castrametati sunt in Mara:

9. Profectique de Mara, venerunt in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & palmæ septuaginta, ibique castrametati sunt:

10. Et inde egressi, fixerunt tentoria super mare rubrum. Profectique de mari rubro,

11. Castrametati sunt in deserto Sin.

12. Vnde egressi venerunt in Dophca.

13. Profectique de Dophca[a], castrametati sunt in Alus.

14. Egresique de Alus, in Rephidim, fixère tentoria, vbi populo defuit aqua ad bibendum.] Non est hæc aqua contradictionis, sed aqua educta de petra Choreb in hoc loco vndecimæ mansionis: vt diffusè scribitur Exod. 17.

15. Profectique de Rephidim, castrametati sunt in deserto Sinaï.

Vers. 16. Et de solitudine Sinaï egressi, venerunt ad sepulcra concupiscentiæ.

17. Profectique de sepulcris concupiscentiæ, castrametati sunt in Chaseroth.

18. Et de Chaseroth venerunt in in Rithma.

19. Profectique de Rithma[b] castrametati sunt in Rimmon Peres.

20. Vnde egressi, venerũt in Libna.

21. Et profecti de Libna, venerunt in Rissa.

22. Egresique de Rissa, venerunt in Cehelatha:

23. Vnde profecti, castrametati sunt in monte Sepher.

24. Egresique de monte Sopher, venerunt in Cherada.

25. Et inde profecti, castrametati sunt in Macheloth.

26. Profectique de Macheloth, venerunt in Thachath.

27. Indéque profecti, castrametati sunt in Tharach.

28. Vnde egressi, fixerunt tentoria in Mithca.

29. Et de Mithca egressi, castrametati sunt in Chasmona.

30. Profectique de Chasmona, venerunt in Moseroth.

31. Et de Moseroth egressi, castrametati sunt in Beneiahacan.

32. Egresique de Beneiahacan, venerunt in montem Gilgad.

33. Vnde profecti castrametati sunt in Iothatha.

34. *Et de Iothatha venerunt in Hebrona.

35. Egressique de Hebrona, castrametati sunt in Hesiongaber.] Lepra Mariæ cõrigit in quartadecima mansione apud Chaseroth. A quo loco quot profectionibus itum primò fuerit ad Cades-Barneah, nescitur. Certum est enim, tum ex suprascriptis cap. 13. tum ex scriptis Deuter. 1. & 2. quòd populus castrametatus est in Cades-Barneah anno secundo egressionis ab Ægypto: nam inde miserunt exploratores terræ: & tempus trigintaocto annorum, vt dicitur Deuter. 2. fluxit à profectione ex Cades Barneah vsque ad transitum torrentis Zered. Nescitur itaque, quota fuerit illa prima mansio in Cades-Barneah, quæ in isto catalogo sub alio nomine scribitur: quanuis certum sit, quòd vna istarum mansionum, quæ fuerunt in deserto Paran, post quartamdecimam mansionem, Chaseroth fuerit. Profectiones itaque istæ post quartamdecimam vsque ad trigesimamtertiam, intelligendæ sunt distinctæ in eam, vel eas, quæ fuerunt vsque ad Cades-Barneah prima vice (hoc est, in ipso secundo anno progrediendo versùs terram promissionis,) & in eas, quæ fuerunt regrediendo à Cades-Barneah ex mandato Dei irati populo nolenti progredi propter verba exploratorum. Regressi enim tunc sunt, & circumierunt montem Seir: ita quòd trigesimamtertiam mansionem fecerunt iterum in Cades-Barneah. Et hæc in hoc catalogo scribitur dicendo:

Vers. 36. Indéque profecti, venerunt in desertum Zin, hæc est Cades.] Nam, vt scribitur superiùs cap. 20. hoc fuit mense primo anni quadragesimi (vt communiter creditur) vel fortè trigesiminoni: prima enim vice in Cades miserunt exploratores, & expectarunt eos ibi, & peccauit populus, & iratus est Deus, &c. Secunda autem vice, cuius hìc textus meminit, mortua est ibi Maria.

Vers. 37. Egresique de Cades, castrametati sunt in monte Hor in extremis finibus terræ Edom.

Vers. 38. Ascenditque Aharon Sacerdos in montem Hor iubente Domino: & ibi mortuus est anno quadragesimo egressionis filiorum Israël ex Ægypto.] Aduerte, quòd bis etiam iuxta montem Hor fuit populus: semel, cùm pergerent, vt circumirent terram Edom, vt clarè scribitur superiùs in cap. 21. & iterum post circumitum montem Edom in anno quadragesimo, quando mortuus est ibidem Aharon, vt in hoc Textu clarè dicitur.

Mense quinto prima die mensis.] Menses lunares intellige, inchoando à lunatione, quam replet Sol in Ariete.

Vers. 39. Cùm esset annorum centum, & vigintitrium.] Hinc clarè habetur, quòd eodem anno mortuus est Moses: quoniam mortuus est annorum centum & viginti, & in Exodo dictum est Aharon per triennium ante Mosen natum fuisse.

Vers. 40. Audiuitque Chenanæus, Rex Harad, qui habitabat ad Meridiẽ, in terram Chenahan venisse filios Israël.] Historia hæc hac secunda vice accidit, vt in cap. 21.

[a] Dophca, & Alus, nona, & decima castrametationes Israëlis, prima, & secunda requies fuit profectionis ad Raphadim, loca alioquin obscura.

[b] *Rithma*, 15. mansio in deserto Parã fuit, à qua populus per viã maris rubri iussu Numinis retrocessit. In hac mansione imprudẽtiæ pœnas dedisse videtur Israël, quòd contra Dei præceptũ aduersùs Chananæũ pugnaturus ascendit. *Rimmon Peres*, castrametatio 16. est, in qua & sequentibus quibusdã quicquid à 15. in 20 vsque caput huius libri recensentur, cõtigisse certum est. Eáque non vno, sed diuersis temporibus, quæ ad statiua certa redigere haud credo possibile, nisi coniecturis, & nominum interpretationibus potiùs, quàm authoritate feramur. Sicut Rimmon Peres dici putant, quòd sabbati contemptor hic lapidatus sit. *Libna*, mansio est incognita. *Rissa* deserti Paran 4 mansio, à miscendo dictã putant, quod & hic Moses in sacrificiis, quæ facturi erant recipiendo similã, oleũ, & vinum miscere iubet. *Cehelatha*, castrametatio 19. à congregatione Dathã & cõiuratorum, dictã putant Mons *Sepher*. locus obscurus est *Cherada*, mansio 21. ob cuius causam sic dicatur non reperi.

Macheloth, Hieronymus cœtum interpretatur. Fortè in hac mansione cœtũ populi collegit Moses, vt Aharoni, & post eum Sacerdotibus officiũ honorariũ constitueret. *Tachath*, castrametatio 23. est, sicut quidam putant, dicta à cinere vitulæ, quam extra castra cõburendam præcepit Dominus. De sequẽti mansione *Tharach*, nihil cõpertum habeo. *Mithca* mansio est 25. Hieronymus vertit dulcedinem, nullam nominis subdens rationem, sicut nec de *Casmona*, *Moseroth*, *Beneiacan*, & *Gidgad*. *Iethbatha*, mansio 30. nomen ab aquarum, & torrentium abundantia accepisse arbitrãtur, quibus multitudo iã siti viribus exhausta, refocillata sit, vt videtur Deuter. 10 haberi. *Hebrona*, castrametatio 31. transitũ interpretatus Hieronymus, eoque tunc Paran eremum totam trãsierunt. *Hesiongaber*, portus est maris rubri, non procul ab Elana villa in terra Edom. *Salmona*, mansio 35. est, cum ab Edomitis per viã, quæ ducit ad mare rubrũ, diuertebant, vt terra Moab, parte, qua Edomitas contingebat, circuirent. In ea à serpẽtibus populus prostratus est. *Phunon*, mansio videtur iuxta fines extremos Edom constituta. Nam statim hanc campestria Moab sequuntur, nec nomen vnde habeat, iam occurrit. Videtur nonnullis hæsitantis verbum esse, quod iã, antequàm pœnã essent experti sæuissimã, hic de Numinis ita dubitauerint. Sequitur *Obot*. Nomen videtur accepisse a certo rei euentu, mihi tamen incognito. Post hanc est solitudo *Abarim*, quò Israël mansione 41. venit, à montibus Abarim sic nominata. *Iiebarjal*, Mathana dicta Num. 21 mansio est in valle Zared, non longè ab Arnon ibi. Suspicatur aliqui, magnum beneficium habuisse Israëlitas; fortè puteum illum, de quo Num. 21. Post has omnes mansiones sequitur *Halmon Diblathaime*, 40 castrametatio penes Abarim montes, sic dicta, quòd torrentium dulcium aquas in hisce locis nacti fuerint, alioquin in scriptura nõ commemoratas. Hæc suprascripta ex Volphangi tabella, & libro mutuatus sum.

cap. 21. huius libri scriptum est: & propterea mentio illius fit in hac trigesimaquarta mansione.

Vers. 41. Et profecti de monte Hor castrametati sunt in Salmona.

Vers. 42. Vnde egressi venerunt in Phunon.

Vers. 43. Egressique de Phunon, venerunt in Oboth.] Duæ occurrunt hic quæstiones. Altera ex eo, quòd ab ista mansione trigesimaseptima in Oboth vsque ad Iordanē, in hoc catalogo quinque tantùm mansiones supputantur: in cap. verò 21. huius libri supputantur octo. Altera ex eo, quòd in hoc catalogo nulla fit mentio torrentis, seu vallis Zered, nulla mentio Arnon in istis reliquis mansionibus: cùm in cap. 2. tam diffusè descriptus fuerit locus Arnon: & tam ibi, quàm in cap. 2. Deuter. commemoretur vallis, seu torrens Zered. Solutio primæ quæstionis est, quòd in hoc capitulo supputantur profectiones secundùm mansiones fixas, quod ex eo patet, quòd vna profectio supputatur à Sinaï vsque ad sepulcra concupiscentiæ, non supputatis intermediis: & tamen scriptum est cap. 11. intermedium locū nomen sortitum fuisse ab igne diuinitùs immisso: ibi verò, hoc est, in cap. 22. narrantur profectiones, etiam sine mansionibus fixis: & proptereà multiplicantur. Et distinxit illas profectiones Moses exactiùs, ad manifestandum, qua via ex Oboth iuerint ad Iordanem. Suspicor enim, quòd declinationem à recta via descripserit, nominando profectiones illas. In cuius differentiæ signum hîc extensè scribuntur profectiones, dicendo sigillatim: Et profecti sunt quoad terminum à quo, & castrametati sunt quoad terminum ad quem. Ibi verò absque huiusmodi extēsione dicitur: *Et de deserto in Mathana, & de Mathana in Nachaliel, & de Nachaliel in Bamoth:* vt ex ipso loquendi modo via descripta intelligeretur, non fixio mansionum. Solutio verò secundæ quæstionis est, quòd sub aliis nominibus in hoc catalogo hæc loca comprehensa sunt.

Vers. 44. Et de Oboth venerunt in Hiic Habarim in finibus Moabitarum.

Vers. 45. Profectique de Hiic Habarim fixêre tentoria in Dibon Gad.

Vers. 46. Vnde egressi, castrametati sunt in Halmon Diblathaiema.

Vers. 47. Egressique de Balmon Diblathaiema, venerunt ad montes Habarim contra Nebo.

Vers. 48. Profectique de montibus Habarim, transierunt ad campestria Moab supra Iarden contra Iericho:

Vers. 49. Ibique castrametati sunt de Beth Iesimoth vsque ad Belsathim.] Corruptum est vocabulum: legendum est: *Vsque ad Abel Sittim in planioribus locis Moabitarum.* Quod annotauerim, vt hinc perpendat lector, hunc esse locum, in quo morabatur populus, quando fornicatus est cum filiabus Moab. *Sittim* enim appellatus est locus ille in principio cap. 25. vsque enim ad Abel (hoc est, planitiem, seu vallem) Sittim extendebatur vltima mansio.

Vers. 50. Vbi locutus est Dominus ad Mosen, dicens:

Vers. 51. Loquere filiis Israël, & dic ad eos: Quando transieritis Iarden intrantes terram Chenahan,

Vers. 52. Disperdite cunctos habitatores regionis illius, & cunctos titulos cōfringite, omnésque statuas comminuite, & omnia excelsa vastate.] Quanuis subobscura sit Hebraïca litera; parui tamen refert: quoniam omnia, quæ idololatriæ erant, destruenda mandantur, quibusuis nominibus significentur.

Vers. 53. Mundantes terrā.] Iuxta Hebræū habetur: *Et expelletis habitatores terræ.* Reperit Deus expulsionē habitatorum, propter periculū imminens Israëlitis, si non expulerint eos.

Et habitabitis in ea: quia ego dedi vobis illam in possessionem.] Legendum est, *in hæreditatem.* Vult enim Deus, quòd Israëlitæ non occupatores, sed hæredes possideāt terram.

Vers. 54. Quam diuideris vobis sorte per generationes vestras, pluribus dabitis latiorem, & paucis angustiorem: singulis, vt sors ceciderit, ita tribuetur hæreditas, per Tribus patrum vestrorum hæreditabitis.] Repetūtur quatuor præcepta circa diuisionem terræ seruanda scripta superiùs cap. 26. vbi exposita sunt.

Vers. 55. Si autem nolueritis interficere habitatores terræ.] Iuxta Hebræum habetur: *Et si non expelletis habitatores terræ à facie vestra.* Non sat fuit Deo monuisse bis in hac litera expulsionem habitatorum; sed tertiò periculum imminens eis manifestat, tum ex parte remanentium.

Qui remanserint, erunt vobis quasi claui in oculis, & lanceæ in lateribus.] Iuxta Hebræum habetur: *In spinas in oculis vestris, & in sentes in lateribus vestris.* Instar spinarum paruarum molestarum oculis, & spinarum maiorum molestarum lateribus describuntur futuri extranei remanentes: eò quòd & impedient progressum in via Dei, internos mentis oculos abducendo à religione, & angent vtrinque quasi collaterales scindendo, & cruentando Israëlitas.

Et aduersabuntur vobis.] Plùs habetur Hebraïcè: *Et angustabunt vos in terra habitationis vestræ.* non solùm aduersabuntur, sed angustiis afficient vos. Tum ex parte ipsius Dei, dicendo.

Vers. 56. Et quicquid illis cogitaueram facere, faciam vobis.] Maxima comminatio est, vt vel sic territi obediant diuinæ iussioni.

CAPVT XXXIV.

Locutúsque est Dominus ad Mosen dicens: VERS. 1.

Vers. 2. Præcipe filiis Israël, & dices ad eos: Cùm ingressi fueritis terram Chenahan, & in possessionem vobis sorte ceciderit, his finibus terminabitur.] Aptissimè præcepto exterminandi habitatores terræ promissæ, adiungitur præceptum terminorum eiusdem terræ; tum, vt acquirant illam terram totam; tum, vt sciant discernere exterminandos à non exterminandis.

Verſ. 3. Pars meridiana[a].] Parui refert, quòd Hebraïcè terminus,ſeu ora meridiana ſignificatur. Nec immorandum cenſeo in hoc capitulo de terminis terræ, & de diſtributoribus eius: quandoquidem correctione potiùs nominum,quàm expoſitione egere videntur.

[a] Linea diuidens, & determinans auſtrale latus,protenſa,ab angulo auſtraliori maris mortui, vſque ad magnum mare,nō eſt recta linea,ſed alicubi ſe dilatans ad Auſtrum,alicubi ſe contrahēs ad Aquilonē, iuxta locorū capacitatē, quod hic nominatur,ſcilicet, aſcenſus Scorpionis. Verū ex hac litera deſertū Zin confine videtur mari ſalis,cùm tamē, iuxta tabellā Vvolphangi, plurimū diſtēt:quare latus iſtud auſtrale eſt mihi inexploratum,videtúrque omninò aliā formam habere ab illa, quæ eſt in tabella depicta.

Incipiet à ſolitudine Zin,quæ eſt iuxta Edom: & habebit terminos contra Orientem mare ſalis.

Verſ. 4. Qui circumibunt auſtralem plagam per aſcenſum Scorpionis, ita vt tranſeant Zin, & perueniant ad Meridiem vſque ad Cades-Barneah: indéque egredientur confinia ad villam nomine Addar, & tendent vſque ad Haſmon:

5. Ibíque per gyrum terminus ab Haſmon vſque ad torrentem Ægypti: & maris magni littore finietur.

6. Plaga autem occidentalis à mari magno incipiet: & ipſo fine claudetur.

7. Porrò ad ſeptentrionalem plagam à mari magno termini incipient, peruenientes vſque ad montem altiſſimum:

8. A quo venient in Chamath vſque ad terminos Sedad,

9. Ibúntque confinia vſque ad Ziphron, & villam Henam: hi erunt termini in parte Aquilonis.

10. Inde metabuntur fines contra orientalem plagam de villa Henan vſque ad Sepham.

11. Et de Sepham deſcendent termini in Ribla contra fontem: & inde peruenient contra Orientem ad mare Chinnereth,

12. Et tendet vſque ad Iarden: & ad vltimum maris alis claudetur. Hanc habebitis terram per fines ſuos in circumitu.

13. Præcepítque Moſes filiis Iſraël dicens: Hæc erit terra, quam poſſidebitis ſorte, & quam iuſſit Dominus dari nouem Tribubus,& dimidiæ Tribui.

14. Tribus enim filiorum Reuben per familias ſuas, & Tribus filiorum Gad per familias ſuas, & dimidia Tribus Menaſſe,

15. (Id eſt, duæ Tribus, & dimidia) acceperunt partem ſuam trans Iarden contra Iericho ad orientalem plagam.

16. Et ait Dominus ad Moſen:

17. Hæc ſunt nomina virorum, qui diuident vobis terram, Elhazar Sacerdos,& Iehoſuah,filius Nun,

18. Et ſinguli Principes de ſingulis Tribubus.

19. Quorum iſta ſunt nomina. De Tribu Iehudæ Chaleb, filius Iephunæ.

20. De Tribu filiorum Simhon, Semuël, filius Hammihud.

21. De Tribu Binjamin Elidad, filius Chiſlon.

22. De Tribu filiorum Dan,Bucci, filius Iogli.

23. Filiorum Ioſeph de Tribu Menaſſe,Chaniel, filius Ephod.

24. De Tribu filiorum Ephraïm, Cemuël, filius Siphtan.

25. De Tribu filiorum Zebulun, Eliſaphan, filius Parnac.

26. De Tribu filiorum Iſachar,Paltiel,filius Hazzam.

27. De Tribu filiorum Aſer,Achihud, filius Selomi.

28. De Tribu filiorum Naphthali, Pedahel,filius Hammihud.

29. Iſti ſunt, quibus præcepit Dominus, vt diuiderent filiis Iſraël terram Chenahan.

CAPVT XXXV.

Locutúſque eſt Dominus ad Moſen in campeſtribus Moab ſuper Iarden contra Iericho dicens. VERS. I.

Verſ. 2. Præcipe filiis Iſraël, vt dent Leuitis de poſſeſſionibus ſuis,

Verſ. 3. Vrbes ad habitandum, & ſuburbana earum per circumitum: vt ipſi in oppidis maneant, & ſuburbana ſint pro peccatoribus, ac omnibus iumentis eorum.] Significanter dicitur, & repetitur, quòd ad habitandi vſum dabantur vrbes Leuitis: erant enim vrbes illæ,quoad dominium illarum Tribuum, in quarum diſtrictu continebantur:ſed quantùm ad habitationis vſum attribuebantur Leuitis.

Verſ. 4. Quæ à muris ciuitatis forinſecùs per circumitum mille paſſuum ſpatio tendentur.] Rectè interpretata eſt litera, niſi quòd dictio interpretata, *paſſuum*, interpretanda erat, *cubitorum*. Quod ideò annotauerim, vt nullus erret intelligendo diuerſa menſurarum nomina in hac menſuratione ſuburbanorum: nam Hebraïcè quinquies repetitur idem menſuræ nomen, quod ſonat brachium, ſeu cubitum: ſemel hîc, & quater ſubiungendo duo millia ad Orientem, &c. Et eſt ſenſus literalis, quòd linea ſecundùm longitudinem protracta à muro ciuitatis forinſecùs circuncirca, ſit vbique mille cubitorum.

Verſ. 5. Contra Orientem erunt cubiti duo millia:& contra Meridiem ſimiliter erunt duo millia: ad mare quoque, quod reſpicit occidentem,cadē menſura erit:

erit : & septentrionalis plaga æquali termino finietur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et metiemini ab extra ciuitatem angulum Orientis duo millia cubitorum, & angulum Meridiei duo millia cubitorum, & angulum maris duo millia cubitorum, & angulum Septentrionis duo millia cubitorum, & ciuitas erit in medio : hæc erunt eis suburbana ciuitatum.* Et est sensus literalis, quòd quantitas circunferentiæ suburbanorum sit quantitas octo millium cubitorum : ita quòd suburbanum ciuitatis circuncirca secundùm longitudinem distantiæ à muro ciuitatis occupabat spatium mille cubitorum: linea autem circunferentiæ istarum linearum mille cubitorum ambiebat spatium octo millium cubitorum. Et si acutiùs perspexeris, perpendes, huiusmodi mensuram secundùm geometricas proportiones esse institutam. Nam, vt in Litera dicitur, ciuitas in medio huius spatij, tanquàm centrum omnium linearum, quarum quælibet erat mille cubitorum, sita erat : ac per hoc, si conficeretur circulus ducendo à centro lineam longitudinis semidiametri mille cubitorum, consequens est, quòd diameter huius circuli esset linea duorum millium cubitorum. Et hinc sequitur, quòd circunferentia istius circuli esset sex millium cubitorum, & paulò plùs: nam proportio circunferentiæ circularis ad diametrum, est proportio tripla, & paulò plùs.

At si imagineris, centrum huius circuli non esse punctum indiuisibile, sed aliquod patuulum spatium, cresceт quantitas circunferentiæ proportionaliter ad distantiam talis spatij à vero centro. Et quia Moses centrum linearum ponit ciuitatem, & lineas trahit non à centro ciuitatis, sed à muro ciuitatis circuncirca; ideò circunferentiam suburbanorum non sex millium cubitorum, & paulò plùs, sed octo millium cubitorum instituit, siue ciuitas sit magna, siue parua; vt vna esset lex communis de spatio suburbanorum : arbitratus est enim, æquum esse, vt cuiuslibet ciuitatis diameter intrinsecùs haberetur sexcentorum cubitorum: quamuis enim vna ciuitas maior esset alia; pensando tamen maiorem cum minore, & è conuerso, instituit suburbana æqualia : existente enim diametro duorum millium, & sexcentorum cubitorum, æquè secundùm geometricas proportiones circunferentia decernitur octo millium cubitorum secundùm proportionem triplam, & paulò plùs. De linea itaque circunferentiæ suburbanorum est sermo in litera, quòd angulus Orientis erit duorum millium cubitorum, & similiter de angulo Occidentis, Meridiei, & Septentrionis.

Vers. 6. De ipsis autem ciuitatibus, quas dabitis Leuitis, sex erunt ciuitates refugij, vt fugiat ad eas, qui fuderit sanguinem : & præter has dabitis alias quadragintaduas ciuitates. Omnes ciuitates, quas dabitis Leuitis,

Vers. 7. Erunt quadragintaocto cum suburbanis suis.

Vers. 8. Ipsæque ciuitates, quæ dabuntur de possessionibus filiorum Israël, ab iis, qui plùs habent, plures auferentur; & ab iis, qui minùs, pauciores : singuli iuxta mensuram hæreditatis suæ dabunt ciuitates Leuitis.] Non decernitur, vt quælibet duodecim Tribuum det quatuor ciuitates Leuitis, (quod esset æqualiter grauare singulas Tribus ad dandum quadragintaocto ciuitates Leuitis:) sed decernitur, vt Tribus plùs habens, plùs det: sicut etiam superiùs decretum est, vt terra non diuidatur æqualiter, sed proportionaliter.

Vers. 9. Locutusque est Dominus ad Mosen, dicens:

Vers. 10. Loquere ad filios Israël, & dices ad eos : Quando transgressi fueritis Iarden in terram Chenahan,

Vers. 11. Decernite vobis ciuitates refugij, quò confugiant, qui nolentes sanguinem fuderint.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fugiet illuc homicida percutiens animam in errorem.* Sic enim occidentem hominem, non animo occidendi lex appellat : eò quòd propriè non est homicida, qui hominem occidit absque animo occidendi; sed tanquàm errans ab animo suo, ab intentione, & proposito suo occidit hominem : & proptereà lex ciuitates instituit euasionis.

Vers. 12. In quibus quum fuerit profugus, cognatus occisi eum non poterit occidere, donec stet in conspectu multitudinis, & causa illius iudicetur.] Expositio potiùs est, quàm interpretatio : nam secundùm Hebræum, non cognatus, sed redemptor scribitur : & millies in hac materia repetitur : legitur enim hic :

Et erunt vobis ciuitates in receptionem à redemptore : & non morietur homicida vsque ad stare suum coram Synagoga ad iudicium.] Ritus seruandus statuitur, vt confugientem homicidam ad institutam ciuitatem euasionis, suscipiant quidem regentes ciuitatem, protegendo à redemptore vitæ occisi, (qui regulariter consueuit esse propinquus secundùm carnem occiso,) donec cognoscatur iudicialiter, an iste homicida sit occidendus, vel seruandus.

Vers. 13. Sex autem ciuitatum refugij,

Vers. 14. Tres erunt trans Iarden [a], & tres in terra Chenahan:

Vers. 15. Quæ filiis Israël, & peregrinis, atque aduenis erunt in refugium, vt confugiat ad eas, qui nolens sanguinem fuderit.

Vers. 16. Si quis ferro percusserit, & mortuus fuerit; qui percussus est, reus erit homicidij, & morietur.] Propriè sumitur percussio, vt est actio ex intentione percutiendi : percutiens enim ferro saluandus non erat : ad hoc enim traduntur istæ regulæ, vt sciant Iudices discernere inter homicidam seruandum, & homicidam occidendum : datur enim pro prima regula, quòd si vase ferreo percussit, & subsecuta est mors percussi; homicida moriendo morietur. Hebraica autem consuetudine appellatur *vas ferri*, gladius, ensis, lancea, & reliqua arma ferrea. Nulla excusatio admittitur, si ferro percussit: quia suapte natura huiusmodi percussio est illatiua mortis.

[a] Commodè prospexit lex de refugij vrbibus, vt æqualiter distarent intra terrã possessam, ne periclitanti ex casu homicidij obstaret, vel fluuius Iordanis, vel vrbium distantia. Quòd autem ciuitates refugij ex vrbibus Leuitarum assignentur, eò factum est, vt iudiciorum disquisitio, & causarum per Leuitas, iuxta legem Domini (quam scire debebant) legitimè decerneretur.

Vers. 17. Si lapidem iecerit,& ictus occubuerit, similiter punietur.] Non sic habetur Hebraicè: sed continuatur: *Et si in lapide manus,quo morietur in ipso, percussit eum, & mortuus est, homicida ipse: moriendo morietur homicida.* Quod dicitur, *quo morietur in ipso*, Hebraïcæ attribue phrasi: Latinè enim diceremus, *mortifero*: ad differentiam enim lapidis non mortiferi apposita est hæc conditio. Est itaque sensus legis, quòd si percussit hominem, non ferro, sed lapide manus; (hoc est,lapide, tanquàm instrumento extrinseco; & manu, tanquàm instrumento coniuncto, siue lapis sit retentus manu, siue iactus;) ita quòd lapis fuerit suapte natura illatiuus mortis, absque excusatione homicida censetur; & non seruandus,sed occidendus est. Secùs ergo, si percussio per lapidem non fuisset facta manu, vel non fuisset lapis mortifer: in his enim casibus locus erat arbitrio Iudicum, si mors subsecuta fuisset percussi.

Vers. 18. Si ligno percussus interierit, percussoris sanguine vindicabitur.] Iuxta Hebræum habetur: *Vel in vase ligni manus, quo morietur in ipso, percussit eum, & mortuus est, homicida ipse: moriendo morietur homicida.* Similis regula traditur de instrumento ligneo, regulæ de lapide: nam & lignum manus, & mortiferum describitur, & proptereà similiter intellige. Vbi & discerne,inter ferrum, & lapidem, seu lignum: quòd in percussione facta ferro, nulla apposita est limitatio; in percussione autem facta lapide, vel ligno, duæ limitationes apponuntur: ea proculdubiò ratione, quia percussio ferrea suapte natura est mortifera; lapidea autem,vel lignea non sic.

Vers. 19. Propinquus occisi homicidam interficiet: statim vt apprehenderit eum, percutiet.] Iuxta Hebræum habetur: *Redemptor sanguinis* [b] *interficiet homicidam: quum obuiauerit ipse ei, ipse interficiet eum.* Sola impunitas legalis decernitur per hæc verba: non enim conceditur, quòd licitè vltor interficiat homicidam, (cùm nec Iudici licitum censeatur occidere homicidam, nisi post legitimos testes;) sed permittit lex, vt is, ad quem spectat vlcisci occisum, impunis sit, si occidit homicidam, non quæsitum, sed obuium sibi: proptereà nanque scribitur priùs, quòd redemptor sanguinis impunè occidet: & statim adiungitur tempus impunitatis in obuiatione homicidæ, tanquam obuiatio excuset à pœna legali.

[b] Redemptor sanguinis, Hebraïsmus est. Vt enim in elocatis agris, & vineis, propinquus ius habet redemptionis: ita quoque vlcisci permittitur fratrem, aut alium consanguineū interfectum: & vltio ista vocatur hic redemptio.

*Vers.*20. Si per odium quis hominem impulerit, vel iecerit quippiam in eum per insidias.] Deficit hîc,*& mortuus est.* Deinde sequitur:

Vers. 21. Vel in odio percussit ipsum manu sua, & mortuus est, moriendo morietur percussor, homicida ipse.] Tribus antedictis casibus adiunguntur alij tres casus, in quibus similiter non est seruandus, sed occidendus homicida. Et quoniam casus clari sunt,immorandùm non est.

Cognatus occisi, statim vt inuenerit eum, iugulabit.] Iuxta Hebræum habetur: *Redemptor sanguinis interficiet homicidam, obuiante ipso ei.* Repetitio est priùs dictæ sententiæ:& est intelligenda,vt suprà.

Vers. 22. Quod si fortuitu, absque odio,

Vers. 23. Et inimicitiis, quicquam horum fecerit.] Summauit Interpres diffusè scripta Hebraïcè: *Et si repentè, sine odio impulit ipsum, vel iecit super ipsum quodlibet vas sine insidiis, vel in omni lapide, quo morietur in ipso, in non videre, & fecit cadere super eum, & mortuus est, & ipse non inimicus ei, & non quærens malum eius.* Vide, quot Interpres vno verbo pertransiuit: tanguntur enim hîc casus, tam impulsus, quàm iactus cuiuscunque instrumenti, (ac per hoc etiam ferrei, & lapidis mortiferi,) absque odio, absque insidiis, absque inimicitia, & repentè: huiusmodi enim conditiones excusatoriæ ab intentione homicidij, tanguntur. Vbi aduerte, quòd non excipitur, si quis repentè occidit percutiendo gladio, vel aliquo huiusmodi coniuncto instrumento; sed, si impulsione, vel iactu, cum tot circunstantiis: repentina enim percussio voluntaria, manifestè est violentia suapte natura occisiua: repentina autem impulsio non est ex se mortifera: & multò minùs ex voluntate mortifer est iactus tot conditionibus vallatus.

Vers. 24. Et hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem, & propinquum sanguinis quæstio ventilata,

Vers. 25. Liberabitur innocens de vltoris manu: & reducetur per sententiam in vrbem, ad quam confugerat.] Iuxta Hebræum habetur: *Et iudicabunt Synagoga inter percutientem, & inter redemptorem sanguinis, secundùm iudicia ista: & facient euadere Synagoga homicidam è manu redemptoris sanguinis, & facient reuerti ipsum Synagoga ad ciuitatem receptionis suæ, ad quam fugit.* Duo hinc habentur. Alterum, quòd sententia intercedebat ad liberandum, vel damnandum homicidam: sententia autem secundùm leges supradictas. Alterum, quòd Iudices in hac causa non erant senes ciuitatis, ad quam homicida confugerat: vt patet ex hoc, quòd si iudicatur seruandus, mandatur reduci ad ciuitatem, ad quam confugerat. Oportebat igitur homicidam, ex ciuitate, ad quam confugerat, ire ad locum iudicij,vt personaliter compareret. Et quoniam regulare est, quòd actor sequitur forum rei; ordinarius Iudex videtur fuisse Senatus ciuitatis, in qua commissum erat homicidium; ille enim Senatus vocatur hîc Synagoga,& iudicans, & liberans,& reducens.

Manebitque ibi, donec moriatur Sacerdos magnus, qui oleo sancto vnctus est.] Nullus certus principatus erat decretus in populo Israël super vniuersum populum, nisi summi Sacerdotis: & proptereà exilij pœna temporalis vsque ad obitum summi Sacerdotis extendebatur: quemadmodum in obitu Principis aperiuntur carceres.

Vers. 26. Si autem interfector extra fines ciuitatis, ad quam confugit,

Vers. 27. Fuerit inuentus, & percussus ab eo,qui vltor est sanguinis [c]; absque noxa erit,qui eum occiderit.

[c] In hoc casu(vt conicio) intelligitur potestas concessa vltori sanguinis occidendi homicidam.

Vers. 28.

Vers. 28. Quia in ciuitate refugij sui habitabit vsque ad mortem Sacerdotis magni: postquàm autem Sacerdos magnus obierit, reuertetur homicida in terram possessionis suæ.

Vers. 29. Eruntque hæc vobis in statutum iudicij generationibus vestris in cunctis habitaculis vestris.

Vers. 30. Homicida sub testibus punietur.] Iuxta Hebræum habetur: *Quocunque percutiente animam, secundum testes occidet homicidam.* Ecce lex legitimæ occisionis homicidæ; videlicet, quòd quouis modo, quocunque percutiente vitam, (proculdubiò hominis,) nec Iudex occidat homicidam, nisi secundùm testes. Et vt fiat vis in numero plurali, subiungitur:

Et testis vnus [d] non testificabitur in animam ad moriendum.] Propterea enim dixit, *testes*, in plurali numero. Significanter autem dicitur, *ad moriendum*, vt intelligamus, quandoque sufficere vnum testem omni exceptione maiorem in iis, quæ nulli nocent. Vnde & in Ecclesia Christi solus Antonius sat fuit ad testificandum de sanctitate Pauli primi Eremitæ, vt catalogo Sanctorum adscriberetur, & veneratione publica coleretur.

[d] Ad hoc fortè allusit Christus Matt. 18. inquiens: *In ore duorum, vel trium stet omne verbum.*

Vers. 31. Non accipietis pretium ab eo, qui reus est sanguinis: statim & ipse morietur.] Iuxta Hebræum habetur: *Qui ipse impius ad moriendum: quia moriendo morietur.* Contra hanc legem vtinam non sæpissimè fieret: crebrò enim obtenta pace à parte, redimit vitam suam à Curia homicida.

Vers. 32. Exules, & profugi, ante mortem Pontificis, nullo modo in ciuitates suas reuertentur.] Iuxta Hebræum habetur eadem prohibitio; videlicet, non esse accipiendum pretium pro redimendo exilio vsque ad mortem Pontificis.

Vers. 33. Nec polluatis terram habitationis vestræ, quæ insontium cruore maculatur: nec aliter expiari potest, quàm per eius sanguinem, qui alterius sanguinem fuderit.] Ratio legum prohibentium redemptionem homicidæ redditur ex pollutione terræ: quia, videlicet, terra polluitur sanguine innocentis hominis occisi, nec aliter expiatur, quàm sanguine occisoris. Et significanter dicitur, *terra, in qua habitatis:* quoniam non terra secundùm se; sed, quatenus habitaculum est iustorum, polluitur effusione sanguinis innocentis: nefas est enim in habitatione iustorum hoc fieri, & facta sufferre.

Vers. 34. Atque ita emundabitur possessio vestra, me commorante vobiscum: ego enim sum Dominus, qui habito inter filios Israël [e].] Oppositum habetur Hebraicè: *Et non polluetur terra, in qua vos habitantes, in cuius medio ego habitans: quia ego* יהוה *habitans inter filios Israël.* Rationem alteram adiungit non polluendæ terræ ex parte ipsius Dei habitantis in ea: ita quòd prima ratio sumitur ex terra, quatenus est habitatio iustorum: secunda autem ex eadem, quatenus est habitatio Dei. Qualiter autem ipse Deus habitet ibi, manifestatur dicendo: *Quia habitat inter filios Israël.* quod verificatur; tum quoad habitationem internam in mentibus filiorum Israël per fidem; tum quoad habitationem externam secundùm tabernaculum diuinum, in quo erat Arca Dei, & sedes Dei super Cherubinos.

[e] Peculium certè fuit Deo hic populus: promiserat siquidē, se habitaturū in medio eius. Hinc quamlibet graviter identidem ipsum offenderent, vt tamen declararet, quàm firma esset sua electio, sēper mira illi beneficia præstitit præ aliis populis. Vnde sub tēpora Christi, cùm nihil magis perditum esset hac gente, habebant tamen intra Hierusalem, quæ omni scelere famosa erat, Angelum, qui in piscinam descēderet, vt fieret cunctis salutaris lacus commotio, Ioan. 5.

CAPVT XXXVI.

VERS. 1.

Accesserunt autem Principes familiarum Gilhad, filij Machir, filij Menasse, de stirpe filiorum Ioseph: locutique sunt Mosi coram Principibus Israël, & dixerunt.] Verè humano more (quamuis à Deo) datas esse leges populo Israël, vel hinc manifestè patet: lex enim de successione filiarum scripta superiùs cap. 27. moderatione indigebat: & propterea isti, quorum intererat tunc, consuluerunt Mosen, manifestantes inconueniens, quod ex illa lege sequi facilè poterat.

Vers. 2. Tibi domino nostro [a] præcepit Dominus, vt terram sorte diuideres filiis Israël, & vt filiabus Selophchad fratris nostri dares possessionem debitam patri.

[a] Notatur ex hac litera, ad quantam authoritatem peruenerit Moses iam morti proximus.

Vers. 3. Quas si alterius Tribus viri vxores acceperint, sequetur possessio eorum: & translata ad aliam Tribum, de nostra hæreditate minuetur.] Hinc habes, quòd ante moderationem istius legis, liberum erat connubium cuiusque, cum quocunque ex populo Israël.

Vers. 4. Atque ita fiet, vt quum Iobeleus (id est, quinquagesimus annus remissionis) aduenerit, confundatur sortium distributio, & aliorum possessio ad alios transeat.] Ecce inconueniens; videlicet, quòd anno Iobelei non redibit integra terra Tribus Menasse ad suam Tribum [b]. Ac si apertiùs dixissent: Tolerabile esset, si vsque ad Iobelei annum hæreditas aliquorum ab alia Tribu possideretur: sed intolerabile est, quòd in Iobeleo non redeat integra terra ad Tribum, cui sorte contigit in principio diuisionis terræ.

[b] Certabant passim Tribus Israël pro connubio harū puellarum, quatenus hæreditatem earum in sortes suas traherēt.

Vers. 5. Respondit Moses filiis Israël: & Domino præcipiente ait.] Vt intelligamus, diuina authoritate moderationem subiunctam fieri.

Rectè] Lege, *rectum Tribus filiorum Ioseph locuta est.* Non modum loquendi, sed rem dictam commendat.

Vers. 6. Istud est verbum, quod præcepit Dominus filiabus Selophchad dicens: Ad beneplacitum oculorum suorum erunt in vxores, tantùm vt suæ Tribus hominibus.] Iuxta Hebræum habetur: *Tantùm in familia Tribus patrum suorum erunt in vxores.* Non solùm statuitur, vt infra Tribum suam; sed etiam, quòd in familia patrum suorum nubant.

Vers. 7. Et non vertetur hæreditas in filiis Israël de Tribu in Tribum.] Minùs dicitur, & plùs significatur: dicitur enim, quòd hæreditas filiorum Israël non vertetur de

de Tribu in Tribum seruata hac moderatione: significatur autem, quòd nec vertetur de familia in familiam: hoc enim manifestè sequebatur. Et hoc statutum fuit superiùs in cap. 25. Leuit. videlicet, vt in anno Iobelei integra terra redeat non solùm ad Tribum; sed ad familiam, cui in prima terræ diuisione obtigerat.

Omnes enim viri ducent vxores de Tribu, & cognatione sua [c].] Non habetur hæc clausula in Textu Hebraico: sed legitur: *Quia vnusquisque in hæreditate Tribus patrum suorum adhærebunt filÿs Israel* Ratio manifestè redditur, quare non vertetur hæreditas de Tribu in Tribum, seruata hac moderatione: ratio siquidem est, & redditur; quia vir quilibet inter filios Israël adhærebit hæreditati Tribus patrum suorum, & in nuptiis filiarum hæredum, & in Iobeleo: & sic nunquam sequetur deuolutio terræ de Tribu in Tribum.

[c] Leuitæ, quia hæreditates non capiebāt, vxores sibi de aliis Tribubus sumpsisse non semel leguntur, vt patet: de Aharon, qui vxorem duxit de Tribu Iudæ, Exod. 6.

Vers. 8. Et cunctæ fœminæ de eadem Tribu maritos accipient, vt hæreditas permaneat in familiis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et omnis filia hæreditans hæreditatem ex Tribubus filiorum Israel, vni ex familia Tribus patris sui erit vxor: vt hæreditent filÿ Israël vnusquisque hæreditatem patrum suorum.* Vide, quot, & quales conditiones legis siluit Interpres. Non traditur lex de qualibet filia; sed de filia hærede: imò & adiungitur, *hærede*, non cuiuscunque hæreditatis, sed hæreditatis ex Tribubus filiorum Israël, ad differentiam hæreditatis alibi: putà, si pater eius habuisset agrum extra terram datam à Deo filiis Israël: talis enim hæreditas non impediebat filiam nubere viro alterius, & familiæ, & Tribus. Et quia secundùm legem, extante filio masculo, nulla filia erat hæres; ideò ex hac lege non prohibentur mulieres nubere viris alterius Tribus, nisi essent hæredes: sicut nec masculis ex hoc capitulo lex aliqua imponitur ducendi vxores ex Tribu sua: tota enim ratio legis huius capituli est, ne filiæ hæredes transferant hæreditatem terræ in aliam Tribum, & in aliam familiam; sed maneant portiones terræ diuisæ, vt à principio diuisæ sunt. Vnde & Hebraïcè repetuntur supradicta verba.

Vers. 9. Et non vertetur hæreditas de Tribu ad Tribum aliam: quia vnusquisque in hæreditate sua adhærebunt Tribubus filiorum Israël.] Nec habetur in Hebraïco Textu, quod legitur in vulgata editione: sed, *ita maneant, vt à Domino separatæ sunt*: immediatè enim post hæc verba subiungitur:

Vers. 10. Sicut præcepit יהוה Mosi, sic fecerunt filiæ Selophchad.] Executio enim scribitur.

Vers. 11. Et nupserūt Machla, & Thirsa, & Chogla, & Milcha, & Noha filię Selophchad filiis patrui sui.] Iuxta Hebræum habetur, *filiis patruorum suorum.*

Vers. 12. De familia Menasse filij Ioseph: & hęreditas, quę illis fuerat attributa, mansit in Tribu cognationis patrum earum.] Hinc patet, decreuisse Deum, vt non solùm infra Tribum, sed etiam infra familiam suam nuberent mulieres hæredes: alioquin non fuisset euitatum inconueniens sequens tempore Iobelei.

Vers. 13. Hæc sunt mandata, atque iudicia, quæ pręcepit Dominus per manum Mosis ad filios Israël in campestribus Moab super Iarden contra Iericho.] Ad differentiam præceptorum Dei, tum in monte Sinaï, tum in tabernaculo, quando tabernaculum erat in deserto Sinaï, tum alibi reuelatorum, scribitur hæc suprascripta præcepta, atque iudicia fuisse reuelata Mosi in campestribus Moab super Iordanem contra Iericho: vt intelligamus, diuinæ legis præcepta non fuisse integrè data ante annum quadragesimum egressus ex Ægypto, quo populus fuit in campestribus Moab iuxta Iordanem Iericho. Et sic finit liber Numeri.

THOMÆ

THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS S. XISTI, IN DEVTERONOMIVM COMMENTARII.

CAPVT I.

VERS. 1.

HÆc ſunt verba, quæ locutus eſt Moſes ad omnem Iſraël trans Iordanem, in ſolitudine campeſtri, contra mare rubrum, inter Pharan, & Tophel [a], & Laban, & Aſeroth, vbi auri eſt plurimum.] Iuxta Hebræum habetur: *Hæc verba, quæ locutus eſt Moſes ad omnem Iſraël, in tranſitu Iarden, in deſerto, in planitie, in fronte Suph, inter Paran, & inter Tophel, & Laban, & Chaſeroth, & Dizahab.* Hæc vltima dictio, quia interpretatur *ſufficientia auri*, ideò interpretata eſt, vt nomen appellatiuum, dicendo: *Vbi eſt auri plurimum:* quum tamen contextui quadret, vt ſit nomen proprium loci, quemadmodum & reliqua, quibus iungitur. Scito itaque, quòd Hebraïcè nulla eſt interciſio librorum: ſed à principio Geneſis vſque ad finem Deuteronomij vnicus eſt liber: & propterea quum immediatè antè ſcripſiſſet Moſes hæc mandata, atque iudicia, quæ mandauit Deus in campeſtribus Moab, ad differentiam illorum ſubiungit iſta verba, quæ locutus eſt Moſes. Ac ſi apertiùs dixiſſet: Prædicta mandata, atque iudicia locutus eſt Deus in manu Moſis, quemadmodum & reliqua hactenus ſcripta mandata à Deo: quæ autem ſubiunguntur, ſunt ea, quæ Moſes inſtruendo populum locutus eſt: ita quòd ſignificatur primùm diſparitas loquentis: nam hactenus Deus locutus eſt, & Moſes, tanquàm Dei Interpres fuit: in ſubiunctis verò, quæ apud nos quinto libro continentur, Moſes tanquàm doctor loquitur: & propterea ſignificantiùs in prima demonſtratione dicitur: *Hæc, quæ præcepit* יהוה *in manu Moſis:* in hac autem ſecunda demonſtratione dicitur: *Hæc verba, quæ locutus eſt Moſes.* Rurſus in prima demonſtratione dictum eſt, *mandata, & iudicia:* hîc verò dicitur, *verba:* quoniam Doctoris non eſt præcipere, ſed declarare.

[a] Quanuis topographia iſta regionum relinquenda eſſet incolis locorum, ne fruſtrà laboremus in incertis; pro illis tamẽ, qui iſta deſiderant, libuit ſentẽtiam Ziegleri adnotare, quæ mihi multùm placet: inquit enim, hæc loca Moſen poſuiſſe pro illis omnibus deſerti, quibus commoratus fuit populus, adeò huius libri conciones non videntur vnius loci eſſe, aut tẽporis. Cæterùm *Tophet* fortè idem eſt, quod *Tophel*, ob viciniam vocum, qui locus erat, in quo Moloch Iſraëlitæ ſacrificarunt, & pueros idolo combuſſerunt. Fuitque fortè locus in deſerto alioqui in ſcripturis obſcurus, vbi illa ſacrificia populus egit, cõtra quæ datæ ſunt leges Leuitici 18.

Vnum autem, atque eundem locum in prima demonſtratione vocatum, *planities Moab ſuper Iordanem Hiericho*, in hac demonſtratione nominat quatuor nominibus: videlicet, *in tranſitu Iordanis; in deſerto, in planitie, in fronte Suph.* ad manifeſtandum qualitatem loci, in quo caſtrametatus erat populus; videlicet, *iuxta Iordanem*, quoad commodum aquæ; *in ſolitudine*, quoad indemnitatem aliorum; *in planitie*, quoad commoditatem ſitus; *in fronte Suph*, ad ſignificandum magnitudinem planitiei extenſam vſque ad paludem cannis plenam: Suph enim cannas ſonat: & inde apud Hebræos mare rubrum appellatur mare Suph, (hoc eſt, cannæ:) quia canneto adiacet, vel cannas parit. Nec ſat fuit deſcribere à qualitatibus; ſed pingit eandem planitiem, deſcribendo illam inter quinque montes ſubiunctos: árduus ſiquidem ſermo, ac prolixus inſinuatur futurus ex tam diligenti deſcriptione loci. Quòd autem dicitur, *ad omnem Iſraël*, intellige non per ſeipſum; ſed, quia Moſes publicè loquutus eſt in capitibus omnium, & Tribuũ, & familiarum, vt per illos ad notitiam omnium deducerentur, quæ dicebat.

Verſ. 2. Vndecim diebus de Oreb per viam montis Seir vſque ad Cades Barne [b].] Iuxta Hebræum habetur: *Vndecim dies à Choreb via montis Sehir, vſque Cades Barneah.* Lege cap. 34. libri Numeri: & inuenies, inter terræ datæ à Deo filiis Iſraël terminos in plaga meridionali ſupputari Cades-Barneah: & intelliges, quare Moſes viam à monte Choreb (qui pars dicitur montis Sinaï,) vſque ad Cades-Barneah duntaxat ſupputauerit: quia, videlicet, ibi incipiebat terra data à Deo filiis Iſraël. Et hoc quidem ſcribi oportuit, vt ſciremus, quantùm diſtat terra data filiis Iſraël à monte Sinaï. Annexum eſt autem huic ſermoni; quia conſentaneum rationi eſt, vt deſcripto loco, vbi Moſes ſubiuncta locutus eſt, tam longæ, latæque vaſtitati locorum annecteretur diſtantia hæc iam modica à monte Dei, vſque ad terram Iſraël: vt & hinc perpendamus, quàm magnam iacturam fecerint, qui noluerunt ex Cades-Barneah progredi ſecundo anno. Quòd autem dicitur, *via montis Sehir*, ad manifeſtandum à notioribus iter diſtantiæ ſpectat: via enim de monte ad montem manifeſtior omnibus eſt, quàm via de monte ad ciuitatem aliquam; tum, quia montes ſunt perpetui; tum, quia montes ſunt manifeſtiores. Cades autem erat ciuitas conterminá Idumeæ: vt clarè ſcriptum eſt in 20 cap. Numeri:

[b] Si *Cades-Barneah* locus certus, non deſerti nomen commune ſit, mirum videtur, quòd die vndecima illuc applicuerint de Choreb nam poſt triduum venerunt ad ſepulcra concupiſcẽtiæ, Num. 10. duobúſque diebus ibidẽ ſuſceperunt coturnices, per menſemque illas populum comeſturum promiſerat Dominus, quod puto factum. Poſt hæc in Caſeroth manſerunt, ſeptem diebus, quouſque Maria mundaretur à lepra. Inde etiam ſunt mediæ profectiones vſque ad locum, ex quo miſſi ſunt exploratores; quæ omnia videntur probare, poſt duos menſes ferè ad Cades-Barneah veniſſe, & non intra vndecim dies. Hæc ſtudioſus conciliet, nã hic ſolum officio monitoris fungi volumus. Munſterus hoc iter ſic intelligit, quod, ſcilicet, à Choreb, ad Cades ſpatio vndecim dierum confici poſſit: ſed non vt aſſerat Iſraëlitas intra illud ſpatium confeciſſe: quæ expoſitio mihi placet.

Numeri:ciuitas autem (vt creditur) destructa:& propterea distantia à monte Choreb ad ciuitatem conterminam monti Sehir, describitur penes viam, quæ itur à Choreb ad Sehir.

Vers. 3. Et fuit, quadragesimo anno.] Descripto loco, describitur tempus subiunctorum sermonum Mosis ad populum. Et est sermo de anno quadragesimo ab egressu ex Ægypto.

Vndecimo mense, primo die mensis locutus est Moses ad filios Israël.] In extremo tempore vitæ Mosis fuisse hunc sermonem significatur: nam in fine illius anni mortuus est. Nec intelligas, vnico die sermonem, qui subiungitur, factum esse: sed, quòd primo die vndecimi mensis incœpit hic sermo.

Omnia, quæ præceperat illi Dominus, vt diceret eis.] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut omne, quod præcepit Iehouah ei ad ipsos*. Ne putaretur, quòd subiunctus sermo Mosis ad populum, esset noua doctrina, & prodiret ex proprio ingenio Mosis; sollicitus fuit ad explanandum, quod dixerat, (videlicet, hæc verba, quæ locutus est Moses:) manifestando, quòd locutus est conformiter ad vniuersum id, quod præcepit Iehouah ei mandandum filiis Israël. Loquitur itaque Moses in hoc libro, tanquàm Doctor consonus sibi priùs reuelatis à Deo: & non tanquàm Interpres nouiter reuelatorum, quemadmodum locutus est in libris præcedentibus.

Vers. 4. Postquàm percussit Sichon Regem Emoræorum, qui habitabat in Chesbon; & Hog Regem Basan, qui habitabat in Hastaroth [c] in Edrehi.] Non sat fuit describere tempus subiuncti sermonis ab anno, mense, & die, relatiuè ad egressum ex Ægypto; sed describitur etiam tempus eiusdem relatiuè ad subacta regna Sichon, & Hog: vt intelligamus, Mosen nacta temporis opportunitate instruxisse populum: tunc enim, cum populus, experientia teste, videbat se victorem, & Deum dare illis plùs, quàm promiserat; tempus erat instruendi ipsum circa ea, quæ diuini cultus, & legis sunt diuinæ.

[c] *Hastaroth*, ea dicitur vrbs, in qua olim gigantes habitauerant, occisi ab Amraphel Rege Sinhear, & aliis Regibus, quando venerunt pugnaturi contra Sodomitas, & excurrerunt tota mõtana Seir, cæde ac præda vastantes. Cuius prælij occasione liber proponere lectori, quæ antea omiseramus, nempe, Abraham ipsum, qui in agro Hebron tabernaculum habebat, & Philisthæos, qui vicinam regionem montibus Seir tenebant, non extra terrorem fuisse hostis, nec securos à bello quieuisse; sed à primo tempore hostis venietis, habuisse Abraham paratum militem, vt si quæ iniuria fuisset illata, arceret. Hoc nobis ipsius Abrahæ belli euentus, & promptum bellum subindicant.

Vers. 5. In transitu Iarden in terra Moab; cœpitque Moses.] Superfluit coniunctio copulatiua: legendum est: *Cœpit Moses declarare legem istam dicendo*. Libra, prudens lector, tantum apparatum omni ex parte præmitti subiuncto sermoni: nam repetit locum, ad manifestandum tria: primum, quòd ibi fuit initium huius sermonis die supradicto: secundum, quòd sermo iste, qui subiungitur, est declaratio legis: & tertiò, quòd est declaratio legis istius: vt hinc intelligamus, quòd non protulit Moses nouam, seu alteram legem; sed legem istam, proculdubiò in hoc libro scriptam, (vnus est enim liber, vt dictum est:) istam proculdubiò, quam Deus dederat populo; istam, quam vt Interpres Dei, Moses promulgauerat; istam denique, quàm populus acceperat, quæ in subiunctis declaratur sermonibus. Liber ergo iste, declaratio legis est: quam declarationem ipse Moses proprio ore instruendo populum nouum protulit, & scripsit, vt inferiùs patet.

Vers. 6. Dominus Deus noster.] Iuxta Hebræum habetur: *Iehouah Elohe noster locutus est ad nos in Choreb dicens*. Initiũ declarationis legis, à præcepto proficiscitur diuino, vt populus iret à monte Sinaï ad terram promissam. Et nomina quidem Dei sunt solita. Et ne oporteat sæpè repetere, intellige, vbique in hoc libro scribi nomen Dei tetragrammaton, nisi aliud annotauerimus.

Sufficit vobis, quòd in hoc monte mansistis.] Iuxta Hebræum habetur: *Multum vobis sedere in monte isto*. Fuerant enim ibi ferè per annum: & videbat Deus animos eorum, quòd magna videbatur eis mora: & propterea dicit, *multum vobis*: quasi dicat: Quamuis non sit multùm absolutè; vobis tamen videtur multùm.

Vers. 7. Reuertimini, & venite ad montem [d] Emoræorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Vertite, & proficiscimini vobis, & venite ad montem Emoræorum, & ad omnia, quæ ei vicina sunt, (campestria atque montana, & humiliora loca,) ad Meridiem, & ad littus maris; terram Chenanæorum, & Libani vsque ad flumen magnum Euphratem*. Nisi declinassent à via recti itineris castrametando iuxta montem Sinaï, non diceretur, *Vertite, & proficiscimini vobis*. ac si apertiùs dixisset: Et proficiscimini iuxta desiderium vestrum: hic enim morati estis ex præcepto meo. Adiungit autem, *& venite*, vt seipsum ducem patefaciat. Meminit verò montis Emoræorum; tum ad manifestandum primum locum illis dandum; tum ad manifestandum locum, in quo futurum erat initium prælij. Subiunguntur autem consequenter, tum loca vicina, tum terra promissionis, ad manifestandum, quòd quantùm erat ex parte Dei, ducturus erat eos tunc ad terram promissionis. Propter quod explicitè manifestandum subiungitur:

[d] *Mons* in Scripturis, pro tota terra, in qua varij montes sunt, accipitur. Hinc sæpe legimus: *In monte Ephraim. In monte Iuda. In monte Amorræo*, pro, in regione Amorræorum, &c. Sic Chanaam, quia montuosa est terra, montem sanctum Domini vocat Esaias cap. 2. Et Daniel. 2. etiam mons pro regione ponitur, & Babylon mons opulentus dicitur, quã in plano sitam fuisse constat.

Vers. 8. En, inquit, tradidi vobis.] Iuxta Hebræum habetur: *Vide, dedi ad facies vestras terram*. Hoc est perpende, popule, quòd vniuersam dictam terram dedi ad præsentiam vestram illic: nihil deest nisi quòd conferatis vos illuc. Hoc si mentis oculis populus vidisset, non fuissent quadraginta annis in deserto: sed tunc seipsos contulissent ad loca, ad quæ destinabantur à Deo: ob hoc enim Deus præmonet. Vide, quòd dedi terram ad facies vestras in illa. Vnde & subditur:

Ingredimini, & possidete eam.] Iuxta Hebræum habetur: *Venite, & hæreditate terram, quam iurauit Iehouah patribus vestris* (Abraham, Ishac, & Iahacob) *vt daret illam eis, & semini eorum post eos*. Inuitat eos ad accipiendum possessionem hæreditatis promissæ patribus: ad hoc, vt confidant, & securi progrediantur sub fide iurisiurandi diuini.

Vers. 9. Dixique vobis illo in tempore.] Demonstratur tempus moræ in deserto Sinaï.

Vers. 10. Non possum solus sustinere vos [e].] Non aduersatur sententia hæc scriptis Exod. 18. videlicet, quòd socer eius monuit eum circa hoc: nam vtrunque verum fuit: & quòd socer eius priùs monuit eũ, & quòd ipse posteà dixit populo: Nõ possum solus ferre vos. Inter tot autem gesta in deserto Sinaï, postquàm declarauit Moses diuinum præceptum de progressu, commemorat institutionem Iudicum, quam ipse fecerat: quia ad essentiam ordinis iustitiæ populi spectat huiusmodi distributio Iudicum: vt quemadmodum ex primo commemorato

[e] Dixit hoc Exod. 18. suggerente Iethro, antequàm legem accepissent. Ideò hic locus narrando sequitur, qui tamen reuerà præcessit priorem.

commemoratio finis, & dux itineris manifestatur; ita vt secundò ordinatus iam populus intelligatur.

Quia Dominus Deus vester.] Iuxta Hebræum habetur: יהוה *Elohe vester multiplicauit vos.* Solita sunt nomina.

Et estis hodie sicut stellæ cæli plurimi.] Iuxta Hebræum habetur: *Ad multitudinem.* Assimilantur enim quoad multitudinem stellis cæli.

Vers. 11. Dominus Deus patrum vestrorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Iehouah Elohè patrum vestrorum.* Solita similiter sunt nomina.

Addat ad hunc numerum multa millia.] Iuxta Hebræum habetur: *Addet super vos, sicut vos mille vicibus.* Non solùm multiplicationem tantam, sed qualitatem addendorum explicat, dicendo, *sicut vos.*

Et benedicet vobis, sicut locutus est.

Vers. 12. Non valeo solus vestra negotia sustinere, & pondus, ac iurgia.] Iuxta Hebræum habetur: *Quomodo feram solus laborem vestrum, & onus vestrum, & litem vestram?* Quod superiùs dixerat in genere, *vos*, modò explicat per partes, *labores, onera, & lites.* Multitudo enim iudiciorum fert secum tria hæc; laborem magnum audiendo; onus magnum ad diffiniendum; & difficultatem magnam ad sedandum lites.

Vers. 13. Date ex vobis viros sapientes, & gnaros, & quorum conuersatio sit probata [f].] Iuxta Hebræum habetur: *Sapientes, intellectuales, & scientes per Tribus vestras.* Tres Iudicum partes tanguntur. Prima, vt sint naturaliter boni iudicij: secunda, vt sint etiam naturaliter bonæ intelligentiæ ad penetrandum, in quo consistit difficultas: tertia, vt sciant iura. Quodcunque enim horum defuerit, ineptus est Iudex.

Et ponam eos vobis Principes.

Vers. 14. Et tunc respondistis mihi: Bona res est, quam vis facere.

Vers. 15. Tulique de Tribubus vestris viros sapientes, & nobiles.] Iuxta Hebræum habetur: *Et scientes.* Eadem enim est dictio, quæ suprà interpretata est, *scientes.*

Et constitui eos Principes super vos, Tribunos.] Rectè interpretatur, si Tribuni nomine, Præfectum mille intelligis.

Et Centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui docerent vos singula.] Iuxta Hebræum habetur copulatiuè: *Et præfectos Tribubus vestris.* Fitque copulatio ad verbum, *Principes*: ita quòd ordo Literæ est: *Et constitui eos Principes super vos, & Præfectos Tribubus vestris, Tribunos, & Centuriones* &c. Vt intelligamus annexas simul curas extraiudiciales fuisse istis Iudicibus.

Vers. 16. Præcepítque eis dicens: Audite illos.] Iuxta Hebræum habetur: *Audite inter fratres vestros.* Ne prælati aliis eleuentur, proponit subditos eis sub nomine fratrum.

Et quod iustum est, iudicate inter virum, & inter fratrem eius, [g] & inter peregrinum eius.

Vers. 17. Nulla erit distantia personarum.] Iuxta Hebræum habetur: *Non agnoscetis facies in iudicio.* hoc est, non fauebitis in iudicio amico, consanguineo, &c.

Ita paruum audietis, vt magnum: nec accipietis cuiusquã personam.] Iuxta Hebræum habetur: *Non timebitis à facie viri.* Tria vitia Iudicis prohibet; videlicet, habere rationem sanguinis, amicitiæ, & huiusmodi: discernere audiendo inter magnum, & paruum diuitiis, potentia, statu, & huiusmodi: & demum timere à potentia cuiuscunque viri. Et omnium ratio subditur:

Quia Dei iudicium est.] Et scribitur hîc nomen *Elohim*, in casu datiuo. Et est sensus: Quia iudicium ipsum supremo Iudici; supple, famulatur. Debet enim Minister [h] supremi Iudicis conformare se in iudicio summo, à quo tam aliena sunt hæc vitia, vt illius dispositioni etiam aduersentur.

Et si difficile vobis aliquid visum fuerit, referte ad me, & ego audiam.

Vers. 18. Præcepique omnia, quæ facere deberetis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et præcepi vobis in tempore illo omnia verba, quæ facietis.* Annota, prudens lector, hanc literam: quoniam clauis est aperiens sensum inferiùs subiunctorum: ex eo enim, quòd hinc perspicuum est, Mosen in campestribus Moab anno quadragesimo alloquentem populum, per pronomen, *vos*, demonstrare populum, qui fuerat in deserto Sinaï ante annos ferè quadraginta, quem allocutus fuerat, qui interim erat defunctus secundùm omnes à viginti annis, & suprà, manifestè habetur, quòd Moses in hoc sermone vtitur pronomine, *vos*, potiùs secundùm demonstrationem simplicem, quàm personalem; hoc est, non penitùs demonstrat illasmet personas; sed, quæ sunt loco illarum. Significanter autem dico, *non penitùs*: quia aliquo modo demonstrantur illæmet personæ: nam inter auditores, aliqui viri erant penitùs iidem, saltem Iehosuah, & Chaleb, & Elhazar, & alij fortè Leuiticæ Tribus: quia non comprehendebantur sub numeratis à viginti annis, & suprà. Erant quoque illimet ex diuersis Tribubus Israël, qui tempore numerationis non erant viginti annorum; & tamen erant doli capaces, & audierant in deserto Sinaï Mosen loquentem publicè vniuersis. Non solùm itaque commemorat se instituisse, & instruxisse Iudices; sed etiam docuisse populum omnia, quæ facere deberent, antequàm progrederentur.

Vers. 19. Profectique de Choreb, transiuimus solitudinem magnam, & terribilem, quam vidistis, per viam montis Emoræi.] Hoc est, via tendente ad montem Emoræi. Vnde & subditur:

Sicut præceperat Iehouah Elohe noster nobis: & venimus in Cades-Barneah.] Paulò enim superiùs relatum est diuinum præceptum: *Venite ad montem Emoræorum.* Et hinc habes, quòd eadem erat via à Choreb ad montem Schir, & ad montem Emoræorum: Cades-Barneah enim contermina Idumææ, erat etiam prope montem Emoræorum; & populus venit (vt par est credere) recto tramite à Choreb vsque ad Cades-Barneah.

Vers. 20. Dixique vobis: Venistis ad montẽ Emoræi [i], quem Dominus Deus noster daturus est nobis.] Iuxta Hebræum habetur: *Quem Iehouah Elohe noster dans nobis.*

[f] Sicut enim Magistratus Deum in terris refert, quum Dei ordinatio sit, ita ex sapientissimis, & inculpatæ vitæ hominibus constare debet; & qui in omnibus studeant ex voluntate Dei, & viuere, & imperare: meminitque Moses primo de sapientia: nam bestiæ reguntur viribus, & arte: homines verò regi oportet sapientia.

[g] Hæc est summa & difficillima virtus Principum, æquitas & simplicitas iudicij. Ideò toties hæc sententia in prophetis repetitur, vbi arguuntur Principes oppressionis & iniustitiæ in orphanos, & viduas.

[h] Quum magistratus non suam rem, sed diuinam gerat, vocat eos Paulus, ad hunc locum alludens, Ministros Dei.

[i] Diuersa est terra Emorræorum, & Amorræorum: nam Emorræi in terra Chanaam; Amorræi verò in campestribus Moab vltra Iordanẽ sedebant. Sed hæc nomina nonnunquam confunduntur.

bis. Mons iste Emoræorum non est pars terræ promissionis: sed tanquam superadditum donum à Deo promissum populo in monte Sinaï.

Vers. 21. Vide terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi.] Iuxta Hebræum habetur: *Vide, dedit Iehouah Elohe tuus, ad facies tuas terram.* Monentis verba sunt, & confortantis, vt confidant in diuina promissione, qua Deus promisit, quòd terra esset populi ad facies populi; hoc est, ad præsentiam populi. Vnde & accendendo eorum animos subiungit:

Ascende, hæredita, sicut locutus est Iehouah Elohe patrum tuorum tibi. Non dicit: Sicut locutus est patribus nostris: (quoniam non promiserat patribus hanc portionem terræ:) sed, sicut locutus est tibi populo per meipsum in monte Sinaï.

Noli timere, nec quicquam paueas.] Iuxta Hebræum habetur: *Non timebis, & non te franges.* proculdubiò animo.

Vers. 22. Et accessistis ad me omnes, atque dixistis: Mittamus viros [k], qui considerent terram, & renuncient.] Desunt duæ dictiones: *Nobis verbum*, seu *rem*: viam, per quam ascendemus; & ciuitates, ad quas ibimus: tria enim volebant scire, qualitatem terræ, viam, & vrbes.

Vers. 23. Cúmque mihi sermo placuisset, misi è vobis duodecim viros, virum vnum de qualibet Tribu.] Recole, quòd Numer. 13. scriptum est, Deum dixisse Mosi, vt mitteret exploratores: & conferendo hæc cum illis intellige, quòd origo mittendi exploratores non à Deo, sed à populo profecta est; sed quòd consensus diuinus accessit permissiuè, vt rei probauit euentus. Magna enim ex parte diffisi sunt petentes mitti exploratores, quum haberent Deum ducem, qui promiserat, quòd ad præsentiam eorum illic daret eis terram.

Vers. 24. Qui cùm perrexissent, & ascendissent montana, venerunt vsque ad vallem botri: & considerata terra,

25. Sumentes de fructibus eius, vt ostenderent vbertatem, attulerunt ad nos, atque dixerunt: Bona est terra, quam Dominus Deus noster daturus est nobis.] Iuxta Hebræum habetur: *Quam Iehouah Elohe noster dans nobis.* Primam partem relationis exploratorum refert cum contrario effectu.

Vers. 26. Et noluistis ascendere, sed increduli fuistis ad sermonem Domini Dei nostri.] Iuxta Hebræum habetur: *Et rebelles fuistis ori Iehouah Elohe vestri.* Audientes bonam esse terram, vt Deus dixerat.

Vers. 27. Et murmurastis in tentoriis vestris, atque dixistis: Odit nos Dominus.] Nomen est tetragrammaton.

Et ideò eduxit nos de terra Ægypti, vt traderet in manus Emoræi ad delendum nos.] In Deum intorquent: & amorem in odium, beneficium in maleficium vertunt. Sententia est clara, iuncta dictis cap. 13.

Vers. 28. Quò ascendemus? Nuncij terruerunt cor nostrum dicentes: Populus magnus est, & nobis in statura procerior, ciuitates magnæ, & ad cælum vsque muratæ, & etiam filios Hanacim vidimus ibi.

29. Et dixi vobis: Nolite metuere, nec timeatis eos:

30. Dominus Deus, qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit.] Iuxta Hebræum habetur: Non vos frangetis, & non timebitis ab eis: Iehouah Elohe vester, ambulans ante vos, ipse pugnabit vobis; sicut fecit in Ægypto in oculis vestris.

Vers. 31. Et in solitudine ipse vidisti, quòd portauit te Dominus Deus tuus, sicut solet homo gestare paruulum filium suum, in omni via, per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum. Exhortatio olim facta commemoratur satis clarè. Et Hebraïcè habentur solita nomina, *Iehouah Elohe tuus*, vbi in nostro Textu dicitur: *Dominus Deus tuus.*

Vers. 32. Et nec sic quidem credidistis Domino Deo vestro.] Iuxta Hebræum habetur: *In Iehouah Elohe vestro.* incredulitas enim pro diffidentia sumitur.

Vers. 33. Qui præcessit vos in via, & metatus est locum, in quo tentoria figere deberetis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ad explorandum vobis locum ad faciendum castrametari vos.* Res gesta clara est ex superioribus.

Nocte ostendens vobis iter per ignem, & die per columnam nubis.] Nisi quandoque etiam nocte iter egissent, non dixisset Moses, quòd in igne monstrata esset via, qua irent.

Vers. 34. Cúmque audisset Dominus vocem sermonum vestrorum, iratus iurauit, & ait.] Ad immobilitatem sententiæ diuinæ subiunctæ insinuandam scribitur, quòd Deus iurauit, ne putaretur simplex comminatio.

Vers. 35. Non videbit.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Si videbit quispiam de hominibus generationis huius praua terram bonam, quam sub iuramento pollicitus sum patribus vestris.* quoniam sensus est, quem Interpres expressit; sed irati more Hebraïcè scriptus.

Vers. 36. Præter Chaleb, filium Iephunæ; ipse videbit eam, & ipsi dabo terram, quam calcauit, & filiis eius: quia secutus est Dominum.

37. Nec miranda indignatio [l] in populum, cùm mihi quoque propter vos indignatus sit Dominus dicens.] Non tot habentur Hebraïcè: sed legitur: *Etiam in me iratus est Iehouah in propter vos dicendo.* Si dixisset, *propter vos*, significasset, quòd vos fuistis causa iræ Dei in me: sed dicendo, *in propter vos*, significat, quòd Deus iratus est etiam in me, in mea actione propter vos; in meo agere pro vobis, dum agerem causam vestram: Deus enim non propter populi peccatum, sed propter peccatum ipsius Mosis iratus est, agente Mose causam populi petentis aquam: eò quòd diffisus est, vt scriptum est Numer. 20. Et scriptum est hoc, vt perpendamus, quòd præfecti aliis, quamuis secundùm proprias curas rectè se habeant; secundùm tamē curam aliorum Deum quandoque offendunt.

Etiam tu non venies illuc.] Confer, prudens lector, dicta à Deo cum rebus gestis: & comperies distinguendum esse inter terram promissam patribus, (Abrahæ, Ishac, & Iahacob,) & portionem terræ posteà promissam populo Israël in monte Sinaï: nam illa hîc manifestè demonstratur contextu attestante dicendo: *non venies illuc:* Et facto comprobatū est hoc:

[k] Sic habet vniuersa Scriptura, vt collatis vndique locis velit seipsam interpretari, & se sola magistra intelligi. Estque omnium tutissimus modus scrutandi Scripturas, si ex locorum collatione & obseruatione ad verum sensum contendas. Sic suprà dixit Moses, se dixisse, velut proprio consilio: *Date ex vobis viros, quos me iuuent*, &c. quum Exod. 18. hoc suggerente Iethro dixisset: ita & hic certum est exploratores esse, exigente populi multitudine missos, & Dominum ipsorum infirmitati indulsisse. & cessisse, ac si dixisset ad Mosen: *Mitte viros*, &c. quæ habentur Num. 13. Verùm peccauit populus hac trepidatione: nam consilio humano cœperunt niti, non solo verbo Dei. Ideo tanta ruina sequuta est modicū hoc dubium.

[l] Iuxta historiam hęc sic intelligo, quòd Moses occasione regendi tam morosi, & increduli vulgi, tandem lapsus sit, & hoc vocat hic iram Dei propter illos sibi inflictam.

hoc: in istam verò venit Moses post hanc diuinā sententiam latam ad aquas contradictionis, tempore, quo adhuc viuebat prima illa progenies egressa ex Ægypto: quæ progenies nec ad hanc portionem venit; sed tota extincta est, priusquàm Moses possideret hanc portionem terræ.

Vers. 38. Iehosuah, filius Nun, stans in facie tua, ipse intrabit: hunc exhortare, & robora, quia ipse sorte terram diuidet Israëli.

39. Paruuli vestri, de quibus dixistis, quòd captiui ducerentur, & filij vestri, qui hodie boni, ac mali ignorant distantiam ipsi ingredientur.] Aduerte, quòd copulatiua est: nam & paruuli infra vigesimum annum, & infantes, ac puelli infra discretionis annos comprehenduntur.

Et ipsis dabo terram, & possidebunt eā.

Vers. 40. Vos autem reuertimini, & abite in solitudinem per viam maris rubri.

41. Et respondistis mihi: Peccauimus Domino: ascendemus, atque pugnabimus, sicut præcepit Dominus Deus noster.] Nomina sunt solita: *Iehouah Elohe noster.* quæ pluries exposita sunt.

Quúmque instructi armis pergeretis in montem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et armauit se vnusquisque, & voluistis ascendere in montem.* Significatur enim, quòd armati volebant ascendere.

Vers. 42. Aitque mihi Dominus: dic ad eos: non ascendatis, neque pugnetis, (non enim sum vobiscum:) ne cadatis coram inimicis vestris [m].] Miranda valdè diuina benignitas, sollicita, ne populus (quanuis rebellis) corruat gladio inimicorum, simúlque tria eis insinuat: primum, quòd ipse Deus non est cum eis ad adiuuandum in huiusmodi progressu propter rebellionem eorum. Secundum, quòd ipsi solis propriis viribus pugnando succumbent hostibus: vt & rei probauit euentus. Tertium, quòd diuinus erga eos amor perseuerat ad monendum, & manifestandum, ne pugnent, ne corruant hostili gladio.

[m] Vide iudicia Dei inscrutabilia, populo suo de propriis viribus præsumenti nihil finit esse prosperum; finit eum vinci, & cædi quasi non esset Deus eorum; hostes verò Emorręos, etiam viribus suis fidentes, vult prosperari, & vincere. Vt scias, hoc esse magis metuendum, atque euidens signum iræ Dei perpetuæ, si prosperetur, scilicet, impius in impietate sua.

Vers. 43. Locutúsque sum, & non audistis: sed aduersantes imperio Domini, & tumētes superbia ascēdistis in montē.

44. Itaque egressus Emoræus qui habitabat in montibus, & obuiam veniens, persecutus est vos, sicut solent apes persequi.] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut facient apes.* Res olim gesta, & scripta Num. 14. repetitur: & assimilantur persequentes tunc Israëlem apibus molestis, & improbis, quum multitudine nos vexando pungunt.

Et concidit de Seir vsque Chorma.] Iuxta Hebræum habetur: *Et contriuerunt vos in Sehir vsque Chorma.* Conterminæ erant patriæ istæ Emoræorum, & Idumæorum: & propterea fugientes versùs Sehir, contriti sunt vsque ad Chorma. Hic est locus, in quo post annos ferè quadraginta Israël victoriam habuit, & loco nomen hoc imposuit, vt scriptum est Num. 21.

Vers. 45. Quúmque reuersi ploraretis coram Domino, non audiuit vos, nec voci vestræ voluit acquiescere [n].] Vana pœnitentia quoad aliquē temporalē effectum obtinendum à Deo, hinc manifestè insinuatur.

[n] Num. 13. præcepit Dominus, postquàm prauæ generationi maledixerat, vt sequenti die mouerent castra ad interiora deserti, sed obedire noluerunt, imò præpararunt sese contra Arad Chananæum pugnaturi. Cúmque ab hoste primò vincerentur, & demum vice versa Israëlitæ postmodū vincerent, reuersi ad castra in Cades miserunt ibidem (vt hoc loco habes) multo tempore. Sunt qui dicant integros 19 annos ibidem stetisse, & aliis 19 variè per desertum oberrasse. Vide Munsterum hoc loco.

Vers. 46. Sedistis ergo in Cades-Barneah multo tempore.] Iuxta Hebræum habetur: *Et sedistis in Cades diebus multis, sicut diebus, quibus sedistis.* Non illatiuè, sed copulatiuè reuertitur ad historiam progressus. Et moram quidem in Cades-Barneah anno secundo non definit, sed audientium notitiæ relinquit: vtpote, qui fuerant ibi, dicendo, *diebus multis*, iuxta dies, quibus fuistis; hoc est, secundùm dies, quos vos scitis, qui fuistis ibi.

CAPVT II.

VERS. 1.

PRofectíque inde, venimus in solitudinem, quæ ducit ad mare rubrum [a].] Iuxta Hebræum habetur: *Et vertimus, & profecti sumus ad desertum via maris Suph, sicut dixerat Dominus mihi.* Quia vsque ad Cades-Barneah ierant progrediendo ad terram promissam, & post reuersos exploratores non progrediendo versùs promissam terrā; sed redeundo ibant à Cades-Barneah; ideò dicitur: *Et vertimus, & iuimus ad desertum versùs mare canna*; hoc est, mare rubrum.

[a] Hæc via ad mare rubrum non ea est, per quam venerant; sed quæ à Palæstina in sinum Elanticum ducit, hoc est, à latere Melanorum montiū, quorū est pars Sina.

Et circumiuimus montem Sehir longo tempore.] Iuxta Hebræum habetur: *Diebus multis.* Paulò inferiùs explicabitur quantitas huius temporis. Recole, prudens lector, scriptum esse Num. 20. cap. quòd de Cades-Barneah Moses misit nuncium ad Regem Edom petendo transitum: & quòd Rex Edom negauit transitum, & armauit se contra Israël, si attentaret transire per terminos eius. Duæ itaque causæ concurrerunt ad circumitum istum: altera, (quæ præcipua fuit) ira Dei: altera paratus exercitùs Idumæorum: in hoc circuitu euenerunt, quæ scripta sunt, tam Num. 20. de aqua contradictionis, quàm 21. de serpentibus, & de morte omnium numeratorum à viginti annis, & suprà.

Vers. 2. Dixítque Dominus ad me:

3. Sufficit vobis circumire montem istum [b].] Iuxta Hebræum habetur: *Multùm vobis circumire montem istum.* Hęc diuina verba anno quadragesimo protulit Deus iā extincta vniuersa illa multitudine numeratorū: vt testantur subiuncta paulò pòst verba. Dicit autē, *multùm vobis circumire*, ac si apertiùs dixisset: Si viueret adhuc illa praua natio, non esset multùm adhuc circumire; sed vobis innocentibus multùm esset ampliùs circumire montem Idumææ.

[b] Erat iam populus in extremis finibus Edom ad littus ferè maris, erántque in fine viæ, quam iussi erant facere Dei maledictione ad mare rubrum. Vide Num. 20.

Ite contra Aquilonem [c].] Iuxta Hebræum habetur: *Vertite vobis ad sinistram.* Septentrionalis plaga sinistra vocatur, & meritò relatiuè ad nos habitantes in hac terræ quarta: eò quòd, quemadmodum in homine dextra pars calidior est sinistra, ita habitatio nostra versùs meridiem calore abundat, ad Septentrionem verò est frigida. Fuit autem reuelatio hæc facta Mosi in Cades-Barneah, quando mense primo anni quadragesimi iterum populus castrametatus est ibi: iuxta scripta in principio 20. c. Num. completo enim semel circumitu montis Schir, noluit Deus, quòd iterū circumirent; sed quòd verterent iter suum versùs Septentrionē: terra enim promissionis septentrionalis est relatiuè ad Cades-Barneah: nam Cades-Barneah inter

[c] Iubentur trāsire per mediam Idumæam, quæ via recta erat (vt puto) ad terram promissam relinquentes ad dexteram mare salis. Nonnulli dicunt recta ad campestria Moab Amoręorum terram proficisci iussos esse.

int et terminos plagæ meridionalis terræ filiorũ Iſraël ſupputatur in 34.cap.Num.

Verſ. 4. Et populo præcipe dicens: Tranſibitis per terminos fratrum veſtrorum filiorum Heſaü, qui habitant in Sehir [d].] Per viam rectam, qua à principio progrediendum fuerat, tranſeundum ſignificatur. Et ſiletur hoc in loco noua legatio miſſa ad Idumæos,petendo tranſitum : ſubintelligitur enim huiuſmodi legatio, vtpote ſolita,& (vt in hoc eodem capitulo explicatur) miſſa ad Regem Chesbon:pari enim ratione inſinuatur miſſa ad Regem Edom,& poſteà ad Regẽ Moab.Quamuis enim ante annos ferè quadraginta Rex Edõ negauerit tranſitum;quadrageſimo tamen anno ille, vel ſucceſſor illius Regis tranſitum conceſſit:clarè enim dicitur in litera hac: Vos tranſeuntes in termino fratrum veſtrorum filiorum Heſaü habitantium in Sehir.

[d] Quum populus verbis his Dei non credidiſſet, qui eos ad Aquilonem aſcendere iuſſerat, per mediam Idumæam, ſcilicet, adhuc cogitatũr mittendos legatos, qui viam ſecurã poſtularent Vnde factũ eſt Domini permiſſione in punitionem eorum diffidentiæ,vt Idumæus illis negaret tranſitum,coactique ſint ab eo diuertere & adhuc Idumæã ex latere Orientis circumire In qua profectione, quæ hic dicuntur, illis præſcripſit Dominus.

Et timebunt vos.]Ratio timoris in promptu erat victoria tunc habita à filiis Iſraël contra Regem Harad, ſcripta Num.21.& 33. tunc enim vrbes eius deſtruxerant,&c. Et huiuſmodi timor induxit Idumæos ad concedendum tranſitum per terminos ſuos Iſraëlitis : vt in hoc eodem capitulo inferiùs clarè ſubditur.

Verſ. 5. Videte ergo diligenter.] Iuxta Hebræum habetur: *Et cuſtodietis vos valdè.* Illi quidem timebunt à vobis malũ ſibi;vos autem veſtras cuſtodias habete, ne incauti offẽdamini.

Ne moueamini contra eos.] Prohibet Deus vltionem, eò quòd olim negauerint illis tranſitum.

Neque enim dabo vobis de terra eorũ, quantùm eſt vnius pedis veſtigiũ,quia in poſſeſſionẽ.]Iuxta Hebræum habetur : *Quia hereditatem Heſaü dedi mõtem Sehir.* Ex his verbis,& ſimilibus docet Scriptura ſacra,quòd diuina diſtributione dantur dominia omnia.

Verſ. 6. Cibos emetis ab eis pecunia, & comedetis : & aquam etiam emptam haurietis,ac bibetis.

7. Dominus Deus tuus.] Iuxta Hebræum habetur:*Quia Iehouah Elohe tuus benedixit tibi in omni opère manuũ tuarum, nouit iter tuum per ſolitudinem hanc magnam.* Ratio redditur facultatum, ex quibus poſſint emere omnia ad victum neceſſaria : multiplicatio enim opum ſignificatur per benedictionem in opere manuum. Et ne ſæpiùs oporteat repetere idem, vbicunque ſubiungitur, *Dominus Deus tuus,noſter,*aut *veſter*, ſeu *patrum noſtrorum* ; intellige hęc nomina,*Iehouah Elohe tuus,meus,veſter,*&c.

His quadraginta annis fuit Dominus Deus tuus tecum, & nihil tibi defuit.] Hinc clarè habetur,quòd reuelatio iſta fuit anno quadrageſimo,perfecto circumitu mõtis Schir, extincta vniuerſa illa praua generatione.

Verſ. 8. Cúmque tranſiſſemus.] Parui refert, quòd Hebraicè clarior eſt contextus: *Et tranſiuimus fratres noſtros filios Heſaü, qui habitabant in Sehir,per viam campeſtrem de Elath, & de Heſiongaber.* Tranſitus per terminos filiorum Heſaü perfectus deſcribitur, non per viam montanam,ſed per viam cãpeſtrem,cuius termini deſcribũtur duo, *Elath*,& *Heſiongaber*.

Venimus ad iter, quod ducit in deſertum Moab [e].] Iuxta Hebræum habetur: *Et vertimus, & tranſiuimus via deſerti Moab.* Clarè deſcribitur progreſſus itineris apud habentes notitiam ſitus Idumææ, relatiuè ad Moabitas.

[e] Moab in finibus Arabiæ petreæ ſita eſt ad ortiuum latus terræ Edom,atque inde ſuper Aſphaltitem protenſa vſque ad fluuium Arnon. Hãc Iudæorum gens totam,ſicut & Edõ circuiuit, quòd Dominus prohibuiſſet penitus à Moabitis abſtinere. Sic dicitur populum in ſolitudinẽ, quæ Moab contra Orientis plagam reſpicit,veniſſe, antequàm Zared contingerent:& Iephte Iudicum 11.inquit : *Circumiuit Iſraël ex latere terram Edom,& Moab.* quòd vterque negaret tranſitum. Sequitur igitur, Iſraëlitas Moab ad occiduum reliquiſſe:vnde facilè conuincimus,non inter Moab, & Edõ(vt opinantur plerique) ſed inter Moab, & Amon campeſtria Iordanis obtinuiſſe.

Verſ. 9. Dixitque Dominus ad me: Non oppugnes Moabitas, nec ineas aduersùs eos prælium:non enim dabo tibi quicquam de terra eorum,quia filiis Lot tradidi Har in poſſeſſionem.

10. Emim primi habitarunt in ea:populus magnus, & multus,& excelſus vt Hanacim.] Non vanè Moſes interſerit hiſtorias priſcas, vt apparet,impertinentes, (affertur enim hiſtoria expulſionum antiquarum gentium ex terra Moab, & ſimiliter ex monte Sehir,& poſteà ex terra Hammon:)ſed tum ad teſtificandum, quòd Deus dedit regna illa Moabitis,Idumæis,& Hammonitis,expellendo inde habitatores eorum:tum ad confortandum animos Iſraëlitarum ab exemplo, vt confidant in Deo, nec timeant relata olim ab exploratoribus de proceritate gentis trans Iordanem, quòd quemadmodum contriuit Deus gentes iſtas, (quanuis & multitudine, & magnitudine corporum eſſent validæ;) multò magis conteret propter Iſraël gentem fortem,& magnam trans Iordanem.

Verſ. 11. Rephaïm reputabantur etiam ipſi ſicut Hanacim : & Moabitæ appellant eos Emim.] Hoc eſt,formidandos.

Verſ. 12. In Sehir autem priùs habitauerunt Chorim, quos filij Heſaü expulerunt, & deleuerunt à facie ſua,& habitarunt pro eis:ſicut fecit Iſraël in terra poſſeſſionis ſuæ, quam dedit ei Dominus.] Deleuerat enim tunc Iſraël regna Sichon, & Hog.

Verſ. 13. Surgentes igitur, vt tranſiremus torrentem Zered [f], venimus ad eum.]Iuxta Hebræum habetur: *Nunc ſurgite,& tranſite vobis vallem Zered, & tranſiuimus vallem Zered.* Redit Moſes ad continuandum verba Dei ad eum, quum eſſent tranſituri per Moabitas. Interceperat enim ea narrando expulſiones gentium olim factas à Moab, & Sehir,ad verificandum verba Dei: Dedi montem Sehir Heſaü,& dedi filiis Lot,&c.

[f] *Zared*,vallis eſt iuxta montes Habarim, in hac migratione recitata, præterea nuſpiam.Tempus autem iſtud 30.annorũ, de annis abſolutis intellige.Nam erat iã ſextus, aut ſeptimus menſis anni quadrageſimi, quum Zared tranſirent.quinto ſiquidem menſe quadrageſimi anni venerunt in montẽ Hor, indéque circuierunt Moab vſque ad Zared,quod ſpatiũ ferè intra menſem abſoluerunt, reliquiſque menſibus quinque vſque ad menſem vndecimum expugnarũt terrã Amorræorũ,& Madianitarum.

Verſ. 14. Tempus autem, quo ambulauimus de Cades Barneah vſque ad trãſitum Zered,trigintaocto annorum fuit: donec conſumeretur omnis generatio hominum bellatorum de caſtris,ſicut iurauerat Dominus eis.] Non eſt dubium, ſermonem eſſe de manſione in Cades-Barneah prima vice ; hoc eſt, anno ſecundo egreſſus ex Ægypto, quando inde miſerunt exploratores iuxta ſcripta cap.13.Num. ab illo enim tempore ſupputantur anni trigintaocto vſque ad tranſitum Zered : qui fuit anno quadrageſimo egreſſus ex Ægypto.

Verſ. 15. Cuius manus fuit aduersùs eos.]Iuxta Hebræum clatiùs habetur: *Et etiam manus Domini fuit contra eos ad perdendum eos de medio caſtrorum,quouſque conſumerentur.* Vt intelligeremus,quòd non ſolùm morte naturali ; ſed etiam diuina plaga conſumpta eſt infra tempus illud vniuerſa illa generatio ; ita quòd nec vnus remanſit ex eis. Quales autem fuerint plagæ iſtæ, neſcimus in ſpecie,niſi plagam ſerpentum, & plagam occiſorum in bello ab Emoræis, quando contra voluntatem Domini voluerunt pugnare.

Verſ. 16.

Vers. 16. Postquàm autem vniuersi ceciderunt pugnatores,

17. Locutus est Dominus ad me dicens:

18. Tu transibis hodie terminos Moab vrbem nomine Har.] Iuxta Hebræum habetur: *Tu transiens hodie terminum Moab Har.* Exposuit enim Interpres, *Har* esse nomen vrbis.

Vers. 19. Et accedens è regione filiorum Hammon, non oppugnes eos, nec mouearis ad prælium contra eos: non enim dabo tibi de terra filiorum Hammon in possessionem, quia filiis Lot dedi eam in possessionem.] Clarè patet ex Genesi, tam Moab, quàm Hammon fuisse filium Lot:& propterea vtrunque eximit Deus à bello filiorum Israël.

Vers. 20. Terra gigantum reputata est etiam ipsa: & in ipsa olim habitauerunt gigantes, quos Hammonitæ vocant Zommin.] Legendum est, *Zamzummim*, hoc est, abominabiles.

Vers. 21. Populus magnus, & multus, & proceræ longitudinis [g], sicut Hanacim: quos deleuit Dominus à facie eorum, & fecit illos habitare pro eis.

[g] Hunc locum fusè satis interpretatur Zieglerus in descriptione Arabiæ. Vide ibidem.

22. Sicut fecit filiis Hesaü habitantibus in Sehir, delens Choreos, & terram eorum illis tradens, quam possident vsque in præsens.

23. Heuæos quoque.] Legendum est: *Et Hauuim habitatores in Chaserim vsque Ghazam, Cappadoces egressi de Cappadocia deleuerunt eos, & habitauerunt pro eis.* An adiuncta nomina Ghazæ, & Cappadociæ respondeant Hebræis nominibus, nescio: difficile est enim, hæc hodie scire.

Vers. 24. Surgite, & transite torrentem Arnon: vide, tradidi in manum tuam Sichon Regem Chesbon Emoræum, & terram eius, incipe possidere, & gere bellum aduersùs eum.

25. Hodie incipiam mittere terrorem, & formidinem tuam super populos, qui habitant sub omni cælo: vt audito nomine tuo paueant.] Iuxta Hebræum habetur: *Qui audient nomen tuum.* Non dicit Deus, territurum se populos sub omni cælo absolutè; sed populos sub omni cælo, qui audient nomen tuum.

Et in morem parturientium contremiscant, & dolore teneantur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et trement, & dolebunt à facie tua.* Dolorem enim exposuit Interpres in morem parturientium.

Vers. 26. Misitque nuncios de solitudine Cedemoth ad Sichō Regem Chesbon, verbis pacificis dicens:

27. Transibo per terram tuam, publica via gradiar: non declinabo, neque ad dexteram, neque ad sinistram.

28. Alimenta pretio vendes mihi, & comedam, aquámque pecunia mihi tribues, & bibam: tantùm concedas mihi transitum.] Hinc certum sumitur argumentum, quòd similiter miserat nuncios ad Regem Edom, & ad Regem Moab. Vbi & aduerte, quòd quamuis Deus præscius futuræ negationis transitus à Rege Sichon, reuelauerit Mosi, committendum esse prælium contra Sichon Regem; noluit tamen priùs exequi punitionem, quàm Rex peccaret; noluit, vt Moses moueret bellum priùs, quàm requisitus Rex negaret trāsitum: vt iusta esset causa belli aduersùs refutantem æquissimas conditiones transitus.

Vers. 29. Sicut fecerunt mihi filij Hesaü [h] habitantes in Sehir, & Moabitæ habitantes in Har: vsquequò transiuero Iarden ad terram, quam Dominus Deus noster daturus est nobis.] Ab exemplo Idumæorum, & Moabitarum securi redduntur Emorræi, vt omninò sint inexcusabiles negando transitum. Et hinc clarè habetur, quod suprà diximus; videlicet, quòd quamuis anno secundo Idumæi negauerint transitum filiis Israël; anno tamen quadragesimo timentes concesserunt eis transitum, & alimenta; pretio tamen: similiter enim petebant Israëlitæ fieri à Rege Chesbon.

[h] Numer. 20 narratur Edomitas prohibuisse Israelem à transitu per eorum regnū. Hic contrarium scribi videtur. Verum ex hac litera, si rectè attendas, nihil aliud colliges, quàm Idumæos, & Moabitas alimenta, & necessaria Israelitis vendidisse, postquàm illos in terminis suis viderunt indemnes, quod multum verisimile est. Cæterùm habes hic, quomodo iuxta præscriptum Domini omnibus pacem offerre debebant; quam qui recusarent, perderentur; qui verò se dederent, tributarij fierent. Quare vulgus malè murmurabat contra Iosue, quòd cum Gabaonitis fœdus composuisset.

Vers. 30. Noluitque Sichon, Rex Chesbon, dare nobis transitum: quia induraverat Dominus Deus spiritum eius.] Deus dimittendo hominem sibiipsi, negatiuè indurat ad id, quod est malum ipsi homini.

Et obfirmauerat cor eius.] Vtranque hominis partem (spiritum, & cor; hoc est, superiorem, & inferiorem) malè dispositam à Deo intellige negatiuè penes dona gratuita; positiuè autem quoad iudicium, inclinationem, & prosecutionem boni sensibilis: ita quòd Deus spiritum Regis durum (hoc est, non cedentem petitionibus) reddidit; & non dando ei gratiam acquiescendi, & cooperandi eidem ad affectum securitatis & boni proprij. Et similiter roborauit cor ad affectum boni victoriæ, & huiusmodi. Cor enim animum, vt est efficiendi principium; spiritus autem eundem, vt rationes scrutatur, & secundùm eas iudicat, significat.

Vt traderetur in manus tuas, sicut nūc vides.] Iuxta Hebræum habetur: *Vt daret eum in manum tuam, sicut dies iste.* subaudi, testatur. Tam negatio gratuiti auxilij, quàm cooperatio diuina in internis motibus Regis ad sensibile bonum, ordinata ad dandum eum in manum Israël, ad diuinam gloriam significatur.

Vers. 31. Dixitque Dominus ad me: Ecce incepi tradere tibi Sichon, & terram eius, incipe possidere eam.

32. Egressusque est Sichon obuiam nobis cum omni populo suo ad prælium in Iahes.

33. Et tradidit eum Dominus Deus noster nobis: percussimúsque eum cum filiis, & omni populo suo,

34. Cunctásque ciuitates eius tempore illo cepimus, interfectis cunctis habitatoribus earum, viris, ac mulieribus, & paruulis: non reliquimus in eis quicquam.

35. Tantùm iumenta diripuimus nobis, & spolia vrbium, quas cepimus.

36. Ab Aroher (quæ est super ripam torrentis Arnon) oppido, quod in valle situm est.] Deficit, *&*, ante dictionem, *oppido*. Non exponitur Aroher, sed adiungitur alius terminus. Et similiter adiungenda est coniunctio copulatiua subiungendo:

Et vſque Gilhad.] Tertius enim terminus deſcribitur.

Non fuit ciuitas, quæ noſtras effugeret manus: omnes tradidit Dominus Deus noſter nobis.

Verſ. 37. Tantùm ad terram filiorum Hammon non acceſſimus: omnem manum [i] torrentis Iabboc, & ciuitates montanas,& omnes,quas prohibuit Dominus Deus noſter.

[i] *Manus* hoc loco pro viribus, & fortitudine, facultatibus & potentia, vt Num 6. *Excepto, quæ inuenerit manus tua*,&c.

CAPVT III.

VERS. I.

ET conuerſi aſcendimus per iter Baſan, egreſſúſque eſt Hog Rex Baſan contra nos cum populo ſuo ad bellandum in Edrehi.

2. Dixitque Dominus ad me: Ne timeas eum: quia in manum tuam tradidi eum cum omni populo, ac terra ſua: facieſque ei, ſicut feciſti Sichon Regi Emorrçorum,qui habitabat in Cheſbon.

3. Tradiditque Dominus Deus noſter in manus noſtras etiam Hog Regem Baſan, & totum populum eius: percuſſimúſque eos vſque ad internecionem.

4. Et vaſtauimus cunctas ciuitates eius illo tempore: non fuit oppidum, quod non ceperimus:ſexaginta ciuitates, totam regionem Argob regni Hog in Baſan.

5. Omnes iſtæ ciuitates erant munitæ muris altis, portiſque, & vectibus:præter ciuitates multas valdè, quæ non habebant muros.

6. Et deleuimus eos, ſicut feceramus Sichon Regi Cheſbon: deſolantes omnem ciuitatem,viróſque, & mulieres, ac paruulos:

7. Iumenta autem,& ſpolia ciuitatum diripuimus.

8. Tulimúſque illo in tempore terram de manu duorum Regum Emorræorum,qui erant trans Iarden,à torrente Arnon,vſque ad montem [a] Chermon:

9. Quem Sidonij vocant Sarion, & Emoreſanir.] Annotanda ſunt hæc ad intelligendum Scripturam,quum hæc leguntur nomina, ne vnum montem multos credamus. Corruptè tamen ſcribuntur hæc nomina: legendum enim eſſet,*Sirion*,& *Senir*.

[a] *Hermon* mons, alioqui Libanorum montium pars, limes ſeptentrionalis terræ Iſraëliticæ, trans Iordanem fuit, quondã regionis Heuæorum, quorum terra Maſpa dicebatur Ioſue 11. Tantæ (vt aiunt) eſt altitudinis, vt medio æſtatis niuibus ſit coopertus, quæ Solis ardoribus liquatæ in proxima deſfluunt arua,ſicque in rorem in modum paſc roſa reddunturt, quòd per rorem Hermon,cui cohabitatio iucunda fratrum in Pſalmo comparatur, ſignificari non dubito. Eſt etiam illius montis ros in animalium pinguedine,quæ illic ſaginata in templo cremabantur. per Metaphoram intellectus Quare in eodem Pſalmo in montem Sion deſcendere dictus eſt.

Verſ. 10. Omnes ciuitates, quæ ſitæ ſunt in planitie, & totum Gilhad, & totum Baſan vſque Salcha,& Edrehi,ciuitates regni Hog in Baſan.] Solus enim Rex Baſan reſtiterat de ſtirpe gigantum. Non aduerſatur ſententia hæc de remanſione ſolius Hog dictis cap.13.Num. *Vidimus gigantes filios Hanac.* tum, quia hic eſt ſermo de gigantibus trans Iordanem: exploratores verò dicebant,ſe vidiſſe gigantes in terra Chenahan: tum(quod verius crediderim,)quia Moſes loquitur de verè gigantibus,dicendo,quòd ſolus Hog remanſerat: exploratores verò de hominibus proceræ ſtaturæ, quorum origo fuerat ex ſemine giganteo, locuti ſunt: cuius ſignum eſt,quòd indefinitè multos ibi vidiſſe ſe tales dixerunt. Et affertur iuxta contextum Hebraïcum hoc,ad reddendum rationem, quare omnes ciuitates planitiei,& totus Gilhad, & totus Baſan erant ſub imperio Hog:nam ſcribitur.

Verſ. 11. Quia tantùm Hog, Rex Baſan,remanſit ex reſiduo Gigantum.]Et dicit, *ex reſiduo*, quia dixerat in præcedenti capitulo, quòd in terra filiorum Hammon habitauerant gigantes.

Monſtratur lectus eius ferreus, qui eſt in Rabbath filiorum Hammon, nouem cubitos longitudinis habens, & quatuor latitudinis, ad menſuram cubiti virilis manus.]Iuxta Hebræum habetur: *In cubito*,(ſeu *brachio*)*viri.* Nec aliter deſcribitur, quanta ſit menſura brachij,ſeu cubiti:ad differentiã ſiquidem cubiti Mathematici declaratum eſt, quòd nouem dicti cubiti,ſunt cubiti ſecundùm cubitum viri.

Verſ. 12. Terrámque hanc poſſedimus in tempore illo ab Haroher (quæ eſt ſuper ripam torrentis Arnon) vſque ad dimidiam partem montis Gilhad: & ciuitates eius dedi Reubenitis, & Gaditis.] Aduerte, quòd hinc incipit noua oratio:deſcribitur enim terra data Reubenitis, & Gaditis ab Haroher, &c.

Verſ. 13. Reliquam autem partem Gilhad & totum Baſan regni Hog tradidi dimidiæ Tribui Menaſſe, omnem regionem Argob.]Legendum eſt:*Omnis regio Argob in vniuerſo Baſan vocabatur terra gigantum.* Deſcribitur ſiquidem pars illa appellata, *terra gigantum.*

Verſ. 14. Iahir,filius Menaſſe,cepit totam regionem Argob vſque ad terminos Geſurei, & Mahachathæi: vocauítque ex nomine ſuo Baſan Chauot Hiair, (id eſt, villas Iair) vſque in præſentem diem.

15. Machir quoque dedi Gilhad.

16. Et Reubenitis, ac Gaditis dedi à Gilhad vſque ad torrentem Arnon,medium torrentis, & confine. & vſque ad torrentem Iabboc, terminum filiorum Hammon.

17. Et planitiem ſolitudinis.] Non eſt in Hebræo, *ſolitudinis.*

Atque Iordanem, & terminos Cenereth vſque ad mare deſerti, quod eſt ſalſiſſimum ad radices montis Phaſgæ contra Orienrem.] Legendum eſſet: *Et Iarden, & terminum, à Chinnereth vſque ad mare planitiei mare ſalis, ſub effuſionibus collis Aſzracha.* Nomina ſunt propria locorum mihi ignotorum: niſi quòd *mare ſalis* intelligo mare mortuum in terra Sodomorum; & Chinnereth nomen eſt maris Galilææ, quod appellatur Geneſareth.

Verſ. 18. Præcepíque vobis in illo tempore dicens.] Ad Reubenitas, Gaditas, & medietatem Menaſſe conuertitur ſermo. Commemorantur enim ſcripta Num.cap.32.

Dominus Deus veſter dedit vobis terram hanc in hæreditatem: expediti præcedite fratres veſtros filios Iſraël,omnes filij exercitus.

*V.*19. Tantùm vxores, & paruuli,ac armenta veſtra, (noui enim,quòd multùm habetis

habetis armenti,) remanebunt in ciuitatibus, quas tradidi vobis:

Verſ. 20. Donec requiem tribuat Dominus fratribus veſtris, ſicut tribuit vobis, & poſſideant etiam ipſi terram, quam daturus eſt eis trans Iarden: & reuertimini quilibet in poſſeſſionem, quam dedi vobis.

Verſ. 21. Iehoſuah quoque in illo tempore præcepi dicens: Oculi tui viderunt, quæ fecit Dominus Deus veſter his duobus Regibus, ſic faciet omnibus regnis, ad quæ tranſiturus es.

Verſ. 22. Ne timeas ab eis: quia Dominus Deus veſter pugnabit pro vobis.

Verſ. 23. Precatúſque ſum Dominum in tempore illo dicens:

Verſ. 24. Domine Deus.] Iuxta Hebræum habetur: *Adonai* יהוה. Tanquàm familiari, blandóque nomine inuocat ſummum Deum Adonaï; hoc eſt, *Domini mei*, ſeu noſtro loquendi modo, *Domine mi*.

Tu cœpiſti oſtendere ſeruo tuo magnitudinem tuam, & manum tuam fortiſſimam.] Ecce alius locus ad impetrandum; videlicet, à perfectione cœptorum. Inceperat enim Deus, delendo hæc duo regna, monſtrare Moſi cum effectu magnitudinem, & fortitudinem ſuam in executione promiſſæ terræ.

Neque enim eſt alius Deus, vel in cælo, vel in terra.] Iuxta Hebræum habetur: *Quis enim El in cælis, & in terra, qui poſſit facere, ſicut opera tua, & comparari fortitudini tuæ?* Multiplicat Moſes loca orationis ab incomparabilitate cuiuſcunque ſpiritualis ſubſtantiæ, tam in cælo, quàm in terra. Nomen enim El (à fortitudine ſumptum) applicat ad ſpiritualem quancunque ſubſtantiam diſtinctam à Deo, ſiue in cælo, ſiue in terra; hoc eſt, in toto vniuerſo: longè enim maior eſt fortitudo ſpiritualis ſubſtantiæ, quàm corporeæ.

Verſ. 25. Tranſibo igitur, & videbo terram hanc optimam.] Iuxta Hebræum habetur: *Tranſibo, obſecro, & videbo terram bonam, quæ eſt trans Iarden.* Ecce petitio procedens ex ſpe impetrandi, eò quòd neſciebat, Deum diffinitiuè dixiſſe, quòd ipſe Moſes non eſſet ingreſſurus terram promiſſam Abrahæ, Ishac, & Iahacob, exiſtimans enim, quòd comminatoriè Deus dixiſſet illa verba, ſupplicabat petens oppoſitum.

Et montem [b] iſtum egregium.] Iuxta Hebræum habetur, *montem iſtum bonum, & Lebanon.* Quis mons monſtretur dicendo, *montem bonum iſtum*, non facilè dixerim: quis ſcit, an mons Thabor, an mons Carmeli monſtretur? Quanuis propter excellentiam factorum intelligi congruè poſſit mons Moriiah, in quo Abraham obtulit Ishac, in quo Ihacob vidit ſcalam Angelorum, qui appellatus eſt *mons diuinæ viſionis*: hic enim mons propter hæc meritò dicitur *bonus*. Et demonſtratur pronomine; tum ob vicinitatem ad Iordanem, tum, quia electus, & approbatus à Deo, cum quo loquebatur Moſes. Mons autem Libani ſcrupulo quæſtionis caret.

[b] Hoc loco, *mons*, fortè pro tota illa regione accipitur, ſicut frequenter alibi. Quod ſuperiùs monuimus.

Verſ. 26. Iratúſque [c] eſt Dominus mihi propter vos, nec exaudiuit me.] Perſeuerantia diuinæ iuſtitiæ aduersùs Moſen deſcribitur ratio non exaudiendi eum. Quòd autem dicit, *propter vos*, intellige vt ſuprà; hoc eſt, propter rem veſtram. Et repetit hoc, ad manifeſtandum, quòd ob ipſorum curam deterioris effectus eſt conditionis, quàm Iehoſuah, & Chaleb. Ac ſi apertiùs dixiſſet: Si curam veſtri non egiſſem, cùm eſſem innocens, ſicut Iehoſuah, & Chaleb; non eſſem priuatus tranſitu ad terram promiſſionis; ſed propter cauſam veſtram agendam incurri hanc iram Dei.

[c] Hæc ſuperiùs iam expoſuimus.

Dixitque Dominus mihi: Sufficit tibi.] Iuxta Hebræum habetur: *Multum tibi, non vltrà loquaris de hac re ad me.* Vel ad rem, vel ad ſupplicationem refertur. Et ſi ad rem, ſenſus eſt, multùm tibi collatum eſt plùs quàm meruiſti: viderat enim Moſes proſtrata regna duo, quod non viderat Aharon pari detentus crimine. Si autem ad ſupplicationem, ſenſus eſt: plùs ſupplicaſti, quàm oportuerit, ne addideris ampliùs de re hac loqui.

Verſ. 27. Aſcende cacumen Piſga, & ibi oculos tuos circunfer ad Occidentem, & ad Aquilonem, & ad Auſtrum, & ad Orientem, & vide oculis tuis: quia non tranſibis Iarden hunc.

Verſ. 28. Præcipe Iehoſuah, & corrobora eum, atque conforta: quia ipſe præcedet populum iſtum, & diuidet eis terram, quam viſurus es.

Verſ. 29. Manſimúſque in valle contra domum Pehor.

CAPVT IV.

Vers. 1.

Et nunc, Iſraël, audi præcepta, & iudicia, quæ ego doceo te.] Expedita prima parte ſui ſermonis Moſes tranſit ad ſecundam. Hactenus enim progreſſum à monte Sinai vſque ad Iordanem tot beneficiis diuinis comitatum narrauit: in hac autem ſecunda parte ad legis obſeruationem in genere monet populum per totum hoc capitulum.

Vt faciens ea viuas, & ingrediens poſſideas terram, quam Dominus Deus patrum veſtrorum daturus eſt vobis.] Ad obſeruandum legem in genere, monet primò à præmio, quod tenet locum finis: & quod Leuit. 18. ſcriptum fuerat: *Quæ faciens homo, viuet in eis.* repetitur, & declaratur: nam hîc manifeſtatur, quòd præmium obſeruationis legis eſt vita præſens, dicendo: *Quæ ego doceo vos ad faciendum, vt viuatis. & ingrediamini, & hæreditetis terram, quam* יהוה *Elohe patrum veſtrorum dat vobis.* Temporalis itaque vita præmium eſt iuſtitiæ legalis.

Verſ. 2. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor [a].] Iuxta Hebræum habetur: *Præcipio: nec auferetis ex eo.* Iuxta Hebræum adiungitur: *Ad cuſtodiendum mandata Iehouah Elohe veſtri, quæ ego præcipio vobis.* Secundus locus monitionis à perfectione legis ſumitur. Vbi aduerte, quòd duo hîc inſinuantur. Alterum, quòd lex iſta perfecta eſt: vtpote, cui nec addendum, nec ſubtrahendum eſt. Alterum, quòd per modum inhibitionis ſignificatur perfectio legis, inhibendo additionem, vel diminutionem, etiam prætextu cuſtodiendi mandata Dei. Et per hoc ad literam inhibetur, vt non

[a] Huius præcepti obſeruantiſſimos inter omnes ſeſe iactabant Sadducæi, hoc nomine dicti, quaſi iuſtitiarij Solum enim legis Moſi corticē ſequebātur, ita viſi ſibi ſeuerè iuſtitiā ſectari. Fuit etiam inter Iudęos aliud hominū genus, iſtis non multum diſſimile, Phariſæi dicti, quaſi expoſitores & legis interpretes Erāt & Scribę, quaſi Librarij dicti, ab euoluendis libris ſacris, qualis Eſdras

fuit, de quo legimus: *Emphe Scriba, vel Lebarius velox*, id est, dexter & scitus in lege Mosi. Huius instituti tẽpore Christi multi in populo erant: sed nequaquã huius pietatis, vel dexteritatis. Abstulerant clauem scientiæ, vt Dominus illis opprobrat, suffundẽtes sibi, & aliis in lege lucidas tenebras, tam seipsos, quã alios à regno Dei alienabant. Vnde imposturas illorum, & falsas legis interpretationes, imo potiùs deprauationes Dominus non vno loco taxat. Fuerunt & alij, Essæi dicti, hoc est, operarij, manibus enim sibi victũ quærebant. Sed quum hæ omnes sectæ sine Deo essent, contra Christum, & Verbum eius semper conuenerunt, iustitiam suam ex legis obseruantia metientes, multa ad eam addebant, & diminuebant. Contra quos quasi prophetico spiritu videtur Mosen hoc præceptũ scripsisse. Harum sectarum meminit Ioseph lib. 2. belli Iud. c. 7. & lib. Antiq. 16. cap. 8. In varios enim errores homines illi desipuerunt. Nã Pharisæi fatum, cum libertate tamen nostræ voluntatis agnoscebant, animam credẽtes immortalẽ. Sadducæi, nec fatum, nec animarum immortalitatem recipiebant, moribus quoque erãt incultioribus, & ab humanitate alienioribus. Essæi omnia fato tribuebant mirã continentiam profitentes, prorsus similes veteribus Eremitis, nisi quod quædã mala dogmata sectarentur. Surrexerunt etiam alij tempore eorum, prorsus Pharisæis similes, nisi quod nefas asserebãt præter Deum Principem agnoscere, & cẽsum, quem Augustus imposuerat, affirmabant esse solidã seruitutem, Deumque, illis, ni testificentur, nequaquam auxiliaturum. Quibus pollicitationibus populũ mirè deuinciebant. Si placet de his legere, vide Iudam Gaulonitam.

non fingamus contineri in lege, quod in ea non continetur: & similiter non subtrahamus à lege, quod in ea continetur, ducti hac ratione, vt custodiantur mandata Dei: quia nõ eget lex Dei nostris mendaciis, nec vult Deus adminicula figmentorum.

Vers. 3. Oculi vestri viderunt, quæ fecit Dominus contra Bahalpehor: quia contriuit omnes cultores eius de medio vestri.

Vers. 4. Vos autem, qui adhæretis Domino Deo vestro, viuitis vniuersi vsque in præsentem diem.] Manifestat ipse Moses ab experientia præmium iustitiæ legalis esse vitam præsentem: quia vidistis, inquit, paulò antè omnes cultores Bahalpehor occisos à Deo; vos autem obseruatores legis seruatos viuos. Aduerte, prudens lector, quòd ex hac declaratione habetur ad literam vita corporalis, & scribitur præmium iustitiæ legis per euasionem pœnæ mortis, vt superiùs exposuimus: manifestè enim declarat hîc Moses propositum vitæ præmium per euasionem mortis inflictæ violatoribus legis.

Vers. 5. Scitis, quòd docuerim vos.] Iuxta Hebræum habetur: *Vide, docui vos præcepta, & iudicia, sicut mandauit mihi Dominus Deus meus.* Tertius monitionis locus à diuina sumitur authoritate. Ego quidem docui vos; sed non ex me; sed, quemadmodum præcepit mihi Deus meus.

Sic facietis ea in terra, quam possessuri estis.] Rectiùs habetur Hebraicè: *Ad faciendum sic in medio terræ, ad quam vos proficiscentes ad hæreditandum eam.* Quartus monitionis locus, à tempore, & loco congruo docendi sumitur: ex eo enim, quòd lex data erat seruanda in terra promissionis, & iam erat tempus ingrediendi terram illam, & erant in confinio illius, tempus & locus quadrabant doctrinæ.

Vers. 6. Et obseruabitis, atque implebitis opere: hæc est enim vestra sapientia, & intellectus coram populis.] Quintus monitionis locus, à gloria spargenda in populis omnibus audientibus populum Israël obseruatorem diuinorum præceptorum sumitur: clarè enim Hebraicè scribitur: *In oculis populorum, qui audient omnia ista præcepta, & dicent.* Non est vana gloria (quamuis sit gloria humana) complacentia, quòd populus diuinis vacans, clara cum fama laudetur. Sed vide prudentiam Mosis: monet ad custodiendum, & faciendum secundùm diuinam legem, quia ipsa est sapientia vestra, & intellectus vester, etiam in oculis populorum. Clauditur enim hîc alius locus; videlicet, ab eminentia legis: inducitur enim eminentia legis cum annexa sibi gloria populi seruantis ipsam. Et excluditur per hæc in primis vilitas legis: ex hoc enim, quòd ipsa est sapientia, & intellectus, in supremo locatur ordine perfectionum mentis. Adiungitur autem pronomen, *vestra*, ad insinuandum specialem gratiam ipsis indultam: ac si apertiùs dixisset: quia hæc est sapientia vobis specialiter, & similiter intellectus vobis specialiter diuina reuelatione traditus. Excluditur etiam & vanitas gloriæ ex hoc ipso, quòd fundata significatur super opus secundùm sapientiam, & intellectum. Et per hoc, quòd additur, *in oculis populorum*, excluditur seductio: ex hoc enim, quòd non solùm in oculis vestris, sed in oculis populorum audientium legem vestram, habebimini sapientes, & intelligentes, viuendo secundùm hanc legem; perspicuum est, quòd non seducemini, quum prouoco vos ad obseruationem legis. Affirmaturque demum per hoc, quòd lex ista collatiua est. & intelligentiæ, & iudicij diuinarum rerum, regularum, & operum, etiam coram nationum aliarum populis: vt multiplex probauit euentus in successu temporum.

Vt audientes vniuersa præcepta hæc dicant: En populus sapiens, & intelligens, gens magna.] Iuxta Hebræum habetur: *Tantum populus sapiens, & intelligens, gens magna ista.* Verba sunt laudis in persona populorum dicentium de Israël, non solùm, quòd est populus sapiens, & intelligens; sed etiam quòd est solus sapiens, & intelligens, non absolutè solus, sed inter gentes tam magnas; hoc est, quòd quamuis inueniatur aliquis homo, aliqua familia, aliqua ciuitas sapiens, & intelligens extra Israël; non tamen inuenitur gens aliqua tam magna sapiens, & intelligens. Et hunc esse literalem sensum, testantur subiuncta verba in persona Mosis.

Vers. 7. Nec est alia natio tam grandis, quę habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia quæ gens magna, cui Elohim propinqui, sicut* יהוה *Elohe noster in omni vocare nostro ad eum?* Manifestè hinc patet, quòd comparatio fit gentis Israëlitæ ad gentes æquales in quantitate. Et per hæc sextus locus monitionis à propinquitate Dei ad populum singulari sumitur. Inferiùs autem manifestatur in specie, in quibus apparuit propinquitas[b] hæc: hîc enim in genere dicitur propinquitas Dei, quandocunque inuocatus est: deficiunt siquidem gentibus aliis Dij earum sæpè inuocati: verus autem Deus nunquam defuit inuocatus ab Israële: vt testantur gesta ab Ægypto vsque ad Iordanem.

[b] Gloria & iactantia huius populi præ omnibus aliis fuit, quòd Deus eorũ esset illis propè: planè pulchra, & iucunda consolatio, & fidelis promissio Deum habere propè. Ob id celebrauit Dauid hunc locum in Psalmis, & passim alij Prophetæ. Cæterùm, quantum splendoris, vel decoris ex propriis legibus cuique genti accrescat, vel ex eo constat, quòd & ethnici omnes ex legibus gentem iudicandam & æstimandam esse dixerunt.

Vers. 8. Quę enim est alia gens sic inclyta, vt habeat cęremonias, iustáque iudicia.] Iuxta Hebræum habetur: *Et quæ gens grandis, cui statuta, & iudicia iusta, sicut in vniuersa lege ista, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?* Septimus locus monitionis, à singulari iustitia legis sumitur. Singularem autem intellige (vt dictum est) relatiuè ad gentes magnas. Et hanc literam valdè notabis: quia in tota lege fatetur Moses, statuta, atque iudicia esse iusta: quoniam hinc habetur, quòd lex vetus nullum iniustum concessit; quamuis non omne iniustum punierit: hoc enim diuino reseruatur iudicio in alia vita.

Vers. 9. Custodi igitur teipsum, & animam tuam sollicitè.] Iuxta Hebræum habetur: *Tantum caue tibi, & custodi animam tuam valdè.* Propositis excellentibus conditionibus legis, octauus, ac supremus locus ab ipsa legis traditione (quæ à Deo ore proprio facta est, coram, & audiente populo vniuerso) sumitur: introducit autem traditionem legis sub ratione memorabilis semper: & propterea, vt materiam mandati sub periculo vitæ proponit, quòd hoc duntaxat superest, vt tui ipsius, & vitæ tuæ curam

curam habeas valdè. Lex quidem habet omnes has excellentes conditiones; & nihil aliud exigitur, nisi vt tu curam habeas tuiipsius, Quum debuisset dicere: Hoc solùm superest, vt curam habeas seruandæ legis, dixit, Vt curam habeas seruandi teipsum,& animam tuam, monendo à proprij mali periculo: quemadmodum enim in principio proposuerat præmium obseruationis legis, vitam præsentem, per euasionem à mortis merito; ita nunc ad traditionem legis descendens, ex eodem capite monet, vt caueant sibi à morte: animam enim pro vita ponit.

Ne obliuiscaris verborum, quæ viderunt oculi tui.] Ad generalem obseruationem legis spectat mandatum non obliuiscendi visa propriis oculis, quando Deus ipse legem tradidit. Nam hinc pendent & excellentes conditiones legis, quæ priùs sunt propositæ; & ipsa legis traditio. Quòd autem dicitur, oculos vidisse verba, rectiùs interpretatum fuisset, ne obliuiscaris rerum, quas viderunt oculi tui. Dictio enim Hebraïca, quamuis verbum significet; sæpè tamen pro re sumitur, Hebraïca consuetudine extendente dictionem illam ad rem.

Et ne excidant de corde tuo, cunctis diebus vitę tuę.] Continetur in hoc mandato, vt in parte animæ memoratiua non interueniat obliuio, & in parte affectiua non interueniat casus: nisi enim illa visa, & in memoria seruentur, & in affectu vigeant, facilè periculum vitæ incurritur.

Docebísque ea filios tuos, & filios filiorum tuorum.

Vers. 10. Die quo stetisti coram Domino Deo tuo in Choreb.] Explicatur tempus visionis: dixerat enim, quæ viderunt oculi tui; & non dixerat, quando. Subiungendo ergo tempus, dicit, die, quo stetisti: steterant enim & isti tunc adolescentes coram Deo sub monte Sinai.

Quando Dominus locutus est mihi dicens: Congrega ad me populum.] Eundem diem describit à iussa congregatione vniuersi populi.

Et audient sermones meos, quos discent ad timendum me omni tempore, quo viuent in terra, docebúntque filios suos.

Vers. 11. Et accessistis ad radices montis, qui ardebat vsque ad cęlum.] Hyperbole est, magis patens iuxta Hebraïcum: *Et mons ardens in igne vsque ad cor cælorum.* Tanquàm immensus in excelsum ignis significatur.

Eràntque in eo tenebræ, & nubes, & caligo [c].] Non ignis duntaxat, sed obscuritas, sed nubes, sed caligo in monte apparebat, vt inuolucrum quoddam videretur: vt in Exodo scriptum est.

[c] Ad hoc fortè allusit Propheta regius, dum caligine vndiq; septum Dominum prædicat, éaque tãta, vt nihil in illo peruestigando, aut cognoscẽdo valeat humanorum oculorum acies. Sic in Psalm 7. vbi maiestatem Dei omnibus formidabilem, & inaccessam describit, *Caligo*, (inquit) *sub pedibus eius*. Et Psal 96 hac caligine ostendit Dominus diuina mysteria nulli esse penetrabilia, & prorsus excedere captum humanũ. Quod Paul Rom.11. clarè edocuit.

Vers. 12. Locutúsque est Dominus ad vos de medio ignis.] Exod. 19. & 20. hæc tractata sunt: hoc est enim, quod primò mandat Moses retinendum, & docendum filios, & nepotes, quòd Deus ipse per seipsum locutus est ad vos: hæc est enim legis traditio, hic est supremus locus admonitionis. Et verè supremus, & sufficientissimus: vt, videlicet, vniuersus populus audiret Deum dantem sibi legem.

Vocem verborum eius audistis.] Non dicit, *vocem eius*, sed vocem verborum, ad significandum, tum quòd non audistis vocem eius, (tanquàm Deus sit res corporea,) sed vocem verborum eius; hoc est, vocem verborum formatorum ab eo tum, quòd non audistis vocem confusam, sed vocem verborum distinctæ prolationis.

Et formam penitùs non vidistis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et similitudinem non vos videntes nisi vocem.* Ad loquentem refertur vniuersa hæc negatio: est enim sensus, quòd similitudinem Dei loquentis non vidistis, sed vocem tantùm ad sensum percipiebatis inde proficisci ad vos.

Vers. 13. Et ostendit vobis.] Meliùs habetur iuxta Hebræum: *Et annunciauit vobis fœdus [d] suum, quod præcepit ad faciendum, decem verba.* Appositiuè dicitur, decem verba, exponendo pactum præceptum, vt fieret. Vbi scito, quòd substantia pacti inter Deum, & populum, consistit in decem præceptis, vt hîc habes: sed inter decem præcepta consistit principaliter in primis præceptis de cultu solius veri Dei, vt inferiùs in hoc eodem capitulo manifestatur: hoc enim pactum locutus est Deus, non qualitercunque, sed cum authoritate, præcipiendo ad hoc, vt executioni mandaretur: finis enim fœderis præcepti est operari secundùm contenta in fœdere.

[d] *Fœdus*, pactũ illud significat, quo populum Deus in fidem suam recepit, & populus illum in Deũ. De quo Psal. 80. *Incidi fœdus cum electis meis*, &c.

Et scripsit ea super duas tabulas lapideas.] Non sat fuit ore proprio dicere; sed ad perpetuum testimonium scripsit ea in duabus tabulis lapideis.

Vers. 14. Mihíque mandauit in illo tempore, vt docerem vos præcepta, & iudicia, quæ facere deberetis.] Vide differentiam. Decem præcepta Deus per seipsum promulgauit, & verbo, & scripto; reliqua autem præcepta legis per Mosen dedit.

In terra, quam possessuri estis.] Ecce alia differentia: nam decem præcepta seruanda erant vbique; reliqua verò seruanda erant in terra promissionis.

Vers. 15. Custodite igitur sollicitè animas vestras: quia non vidistis aliquam similitudinem [e] in die, qua locutus est Dominus vobis in Choreb de medio ignis.

Vers. 16. Ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem cuiuslibet figuræ: imaginem masculi, vel fœminæ:

Vers. 17. Imaginem omnium bestiarum, quę sunt super terram, vel auium in cęlis volantium:

Vers. 18. Imaginem omnium reptilium, quę mouentur in terra, vel piscium, qui morantur in aquis sub terra.

Vers. 19. Et ne fortè oculis eleuatis ad cęlum, videas Solem, & Lunam, & omnia astra cęli, & errore deceptus adores ea, & colas.] Prosequitur Moses supremum locum à traditione legis, declarando ipsam legis traditionem: & ex ipsa monendo ad obseruationem primi, ac præcipui, virtualitérque continentis vniuersam legem præcepti; de cultu, scilicet, solius veri Dei: hoc enim ad generalem obseruationem legis spectat, tanquàm à quo pendent omnia reliqua, vtpote

[e] Idolum, seu simulacrum à simulãdo nomen accepit. Concipiebat enim Deũ aliquis sibi in mente, quem colendum existimabat, & illũ mox imitamento quodàm foris exprimebat, vel statua posita, vel monumento aliquo cõsecrato. In plerísque tamen statuis Deum, & virtutes eius, & id, quod significabatur, non signum, colebant olim nõnullæ gentes, ita vt nõnulla simulacra consecrata habuerint Deo vero, alia Diis falsis, alia verò astris, & creaturis aliis. Et licèt maximè incertũ sit, quis primus apud gentes simulacra posuerit; hoc tamẽ certissimũ est, quòd vsus simulacrorum est antiquissimus, vt constat de Laban, qui ex maioribus (vt refert Stephanus) simulacra suscepit. Antiquior tamen parum error illorum videtur, qui astra primò coluerũt. Et vt refert La-

ctant. in 1. Institut. omnium primi fuerunt Ægyptij. Nam quum domicilijs nō vterentur propter aëris qualitatem, cursus syderum notauerunt, & adorarunt primi. Postmodum quibusdam prodigijs inducti portentificas animalium figuras, quas colerent, in cælis esse commenti sunt.

vtpote consequenter se habentia ad hoc. Prosequitur autem tali ordine, quòd primò monet ex visis in ipsa legis traditione: deinde ex auditis tunc ex ore Dei. Ex eo igitur, quòd nulla Dei similitudo visa est, quando Deus locutus est, monet, vt nullum idolum colatur, nulla similitudo cuiuscunque rei naturalis, nec vlla res corporea, Sol, Luna, & astra.

Quæ creauit Dominus Deus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Quæ diuisit* יהוה *in omnibus populis sub omnibus cælis.* Lege principium Genesis; & inuenies, quòd Deus primò fecit lucem; deinde diuisit lucem in Solem, & Lunam, & stellas ad hoc, vt essent in signa, & tempora, & annos: & intelliges, quare hîc scribitur, quòd Deus diuisit Solem, & Lunam, & stellas ad hoc, vt essent omnibus populis, qui sub omnibus cælis sunt, in tempora, signa, &c.

Vers. 20. Et vos tulit Dominus.] E regione omnium populorum sub cælo locantur Israëlitæ: vtpote specialiter electi à Deo: Sol siquidem, Luna, & stellæ communicantur omnibus populis; diuina autem electio tibi vni populo est propria.

Et eduxit vos de fornace ferrea de Ægypto, vt essetis ei populus hæreditarius, vt in præsenti die.] Ad literam seruiebant fornaci coquendo lateres: sed appellatur fornax ferrea à similitudine effectus: quia dura, & domans valdè velut ferrum erat oppressio illa. Ex hoc igitur, quòd Deus dedit astra communia omnibus populis, & ipsemet elegit te, non illa colenda sunt; sed ille, qui ea diuisit, & te elegit.

Vers. 21. Iratúsque est Dominus contra me propter sermones vestros.] Iuxta Hebræum habetur: *Super verba vestra.* hoc est, super causam petitionis vestræ petendo aquam.

Et iurauit, quòd non transirem Iarden, nec ingrederer terram bonam, quam daturus est vobis in hæreditatem.

Vers. 22. Quia ego morior in hac terra, non ego transibo Iarden: vos autem transibitis, & possidebitis terram istam bonam.] Tertiò repetit Moses, seipsum, ob curam eorum, incurrisse iram Dei, ad testificandum electionem diuinam præferentem eos Mosi: quoniam vos elegit ad possidendam terram promissionis; me autem reiecit. Vndique ergo debetis Deum colere, qui & omnibus populis, & mihi vos prætulit.

Vers. 23. Cauete, ne quando obliuiscamini pacti Domini Dei vestri, quod pepigit vobiscum.] Postquàm monuit ex visis, monet ex auditis in ipsa legis traditione ad idem: & propterea dicit: *Ne obliuiscamini pacti.*

Et faciatis vobis sculptam similitudinem eorum, quæ Dominus prohibuit.] Ecce præcipuum, in quo consistit pactum. Sed aduerte, quòd in duo secatur hoc præcipuum: in negatiuam, videlicet, & affirmatiuam hoc est, in cultum veri Dei, & non cultum alterius. Et Moses quidem priùs prosequitur partem negatiuam, quam ipse Deus tradendo legem clarè explicauerat in prima parte fœderis: vt patet Exod. 20.

Vers. 24. Quia Dominus Deus tuus ignis [f] consumens est, Deus æmulator.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia* יהוה *Elohe tuus ignis vorans ipse, El zelator.* Lege 20. cap. Exodi, & inuenies tunc à Deo dictum, quòd ipse est El zelator: additque Moses, quòd est ignis vorans, ex similitudine ignis visa, ex cuius medio proficiscebatur vox decem præceptorum. Est itaque Deus propriè El; hoc est, fortis: est & zelator; hoc est, impatiens consortij in honore diuino: quemadmodum enim naturæ eius incompossibilis est natura æqualis; ita voluntati eius contrariatur æqualis honor exhibitus alteri, tanquàm Deo. Est & secundùm similitudinem ignis consumens, seu vorans eos, qui diuinum honorem alteri exhibent.

[f] Celebratur Deus his nominibus, etiam in epist. ad Hebræos, ad terrendos, & humiliandos impios. Sic ignis vocatur Deus, quòd prorsus deuoret, & nihil reliquū faciat impiis, nec sit qui resistere possit iræ eius. Eadémque ratione vocatus est à gentibus æther, fulgurans, altitonans, & fulminator. Chaldæi etiā sub specie ignis Deum coluerunt; sed alia vt videtur ducti ratione, nempe, quòd intelligerent, ignem nonnihil referre puritatem, & lucē æterni Numinis.

Vers. 25. Si genueritis.] Legendum est: Quando generabitis filios, & filios filiorum, & morati fueritis.] Legendum esset, *& senescetis in terra.* Monet enim etiam futuro tempori senectutis, in qua solet iuuentus filiorum insolescere.

Deceptique.] Iuxta Hebræum habetur: *Et destruetis vos, & facietis vobis aliquam similitudinem, & facietis malum coram Domino Deo vestro, vt eum ad iracundiam prouocetis.*

Vers. 26. Testes inuoco hodie cælum, & terram, citò perituros vos esse de terra, quam transito Iarden possessuri estis: non habitabitis in ea longo tempore: sed delebit vos Dominus,

Vers. 27. Atque disperget in omnes gentes; & remanebitis pauci in nationibus, ad quas vos ducturus est Dominus.

Vers. 28. Ibique seruietis Diis, qui manu hominum fabricati sunt [g], ligno, & lapidi: qui non vident, nec audiunt, non comedunt, nec odorantur.] Malum enim proprium repetit, fore huiusmodi peccatū idololatriæ: effectúmque ignis, ac punitionem Dei zelantis prædicit eis, inuocatis cælo, & terra, iuxta audita in traditione legis: dixit enim tunc Deus, se visitare iniquitates odientium ipsum vsque ad quartam generationem.

[g] Mirum videbitur, quod homines tam vecordes essent priscis temporibus, vt existimarent, meras statuas Deos suos. quemadmodum & sæpius admiratus sū, quod Iudæi in deserto vi, & beneficio vituli nuper fusi putarent se & dicerent, à tyrannide Ægyptiorum liberatos. Quare crediderim, quod mens vitulo acclamantium, eum respiciebat, cui signum vituli erat positum; ita quòd Deum verū colere voluerunt sub bouis specie, non simulacrum mutum; quod verba Aharon testantur dicentis: *Cras solemnitas Domini est.* satis cōstat enim, Israelē ad Ægyptiorum exemplum tauri simulacrum sibi posuisse, atq; nec Ægyptij, nec qui inter gentes emunctiori erant iudicio, celebant simulacra, id est, ligna, & lapides; sed eos magis, quorū nomina præstabant simulacra, vt Ægyptij sub bouis specie Apim celebant, quem, vt nonnulli referunt, Deum verū intelligebant, vel, vt aliis placet, Tauri astrum, quod Ægyptus Tauri syderi subiecta videatur.

Vers. 29. Quærésque ibi Dominum Deum tuum, & inuenies eum, si in toto corde, & tota anima tua quæsieris eum in tribulatione tua.

Vers. 30. Quum te inuenerint omnia, quæ prædicta sunt, nouissimo tempore reuerteris ad Dominum Deum tuum, & audies vocem eius.] Et hoc etiam ex auditis in traditione legis procedit: nam & ibi dixit Deus, quod hîc subditur:

Vers. 31. Quia Deus misericors Dominus Deus tuus est.] Iuxta Hebræum habetur nomen, *El: Quia El misericors Iehouah Elohe tuus non dimittet te, nec omninò delebit: neque obliuiscetur pacti patrum tuorum, quod iurauit eis.* Vnus, atque idem El (hoc est, summè fortis) est & zelator, ignisq; consumens osores Dei; & misericors erga eos, qui conuertuntur ad cor.

V. 32. Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, ex die, quo creauit Deus hominem super terrā, & à summo cæli vsque ad sūmū eius, si facta est aliquādo huiusmodi res, aut vnquam cognita est.]

Magnificat

omnésque gentes in simulacris Deos adorabāt. Hos autem in cælis esse, & proinde cælestes; partim verò in terris agere, ac ideò inferos appellabant. Verum, cum reuerà hi omnes, nō essent Dij, sed Dæmonibus mancipati homines, aut nuda quędam hominum nomina, vanis è fabulis nata, ipsa idola vanitates, & mēdacia, sed & dæmonia vocauit Scriptura: nimirum, quod vel damnatorū nebulonum, vel rerū non existentium, & instinctu Diaboli parata essent signa & cum hanc ob rē constaret, idola aliud iā non esse, quàm lignū, & lapides, Scriptura non semel dixit, gentes lapides, & ligna colere: nam deluli ibi nihil aliud habebāt quàm enim illa existimabant signa absentium, fallebantur: nam absentes illi Superi, quos illis repræsentare volebant, vel non vixerant vnquā, vel si vixerant, nō Dij erant, sed Dæmonum socij.

Magnificat consequenter Moses beneficium traditionis legis ex hoc, quòd est singularissimum: vt patet discurrendo per omnia tempora à principio creationis humanæ, & per omnia loca vniuersi ab extremo vsque ad extremum cælorum.

Vers. 33. Si audiuit populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti, & vidisti.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vixit*. Refertur enim ad populum. Et exaggeratur beneficium, dum auditioni diuinæ vocis adiungitur vita: vulgatum enim erat, quòd moreretur, cui vigilanti appareret Deus. Et scito, quòd in hac Litera nominatur Deus *Elohim*; tum, cùm dicitur: *Creauit Elohim hominem*, tum, cùm dicitur: *Si audiuit populus vocem Elohim loquentis de medio ignis*. Et ratio primi est: quia sub nomine *Elohim* scripta est creatio rerum in Genesi: ratio verò secundi legislatio est: legem enim tulit loquendo de medio ignis.

Vers. 34. Si fecit Deus.] Iuxta Hebræum habetur: *Vel si mira fecit Elohim, vt veniret ad capiendam sibi gentem de medio nationum*. Dixerat superiùs, non esse aliam gentem, quæ haberet Elohim propinquos sibi, sicut Deus propinquus est Israël in omnibus inuocationibus eius: manifestauitque propinquitatem hanc primò in ipsa traditione legis: manifestat modò in eductione de Ægypto in tot mirabilibus effectibus, quibus affuit cunctis inuocationibus populi.

Per tentationes, per signa, atque portenta.] Gesta in Ægypto à Deo per Mosen multis nominibus nominantur ob multiplices eorum conditiones. Nam quatenus examinauerunt Pharonis, & Ægyptiorum animos erga Israël, appellantur tentationes: quatenus verò testimonia erant diuinæ legationis iniunctæ Mosi, appellantur signa: quatenus autem supra naturalem cursum naturæ, appellantur mirabilia, seu portenta.

Et per pugnam, & manum robustam, extentúmque brachium.] Tria hæc ad gesta in mari rubro spectant, cùm Deus pugnauit pro Israël Angelo intermedio, submersione Ægyptiorum, & libera eductione Israëlis per mare.

Et horribiles visiones.] Iuxta Hebræum habetur: *Et in timoribus (seu terroribus) magnis*. Fuit enim timor tam in mari rubro, quàm in Ægypto: vt patet in Exodo.

Iuxta omnia, quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester in Ægypto in oculis tuis?

Vers 35. Vt scires, quoniam Dominus ipse est Deus, & non est alius præter vnum.] Iuxta Hebræum habetur: *Tu fuisti visus ad sciendum, quòd Iehouah ipse Elohim: non adhuc ab in solo ipso*. Phrasis est Hebraïca significans, quòd ipse est Deus solus sic, quòd nullus alius est Deus. Postquàm prosecutus est Moses partem negatiuam (videlicet, non esse colendum idola, &c.) prosequitur partem affirmatiuam; videlicet, esse colendum vnum verum Deum: hæc enim fuit prima pars fœderis diuini: *Ego Iehouah*, &c. Propter hoc enim per modum beneficij proponit: quia verè magnum beneficium est esse populum electum à Deo, ad sciendum, quòd ipse fons essendi est solus Deus, est El; hoc est, summè fortis, potens omnia efficere: & ipsemet est Elohim, distributor omnium rerum, & Iudex vniuersorum. Significanter autem dicit, *ad sciendum*; & non dicit, ad credendum: quia vere electus est populus ille tunc ad sciendum hæc ab effectibus manifestissimis eis: vt facilè patet discurrendo. Et verè Moses officium declarandi exercet, aperiendo eis, quòd hæc mirabilia facta sunt in oculis eorum: vt ex his agnoscant, se esse electos ad sciendum, quòd solus fons essendi est, qui gubernat mundum.

Vers. 36. De cælo te fecit audire vocem suam, vt doceret te: & in terra ostēdit tibi ignem suum magnum.] Vide prudentiam Doctoris. Cùm dixisset, quòd Iehouah ipse El Elohim, singulorum trium nominum effectus proprios affert: & quoad Iehouah fontem essendi affert in primis primas vniuersi partes, cælos, & terram: affert autem, vt seruientes Deo ad officium erudiendi Israël; vt & hic intelligant, Deum ad hoc hæc fecisse, & dixisse, vt Israël sciret, quòd ipse Iehouah est Deus solus.

Et audisti verba illius de medio ignis.] Ad nomen Elohim spectat, non solùm vocem, sed etiam verba Dei audita fuisse: quia loquens Deus legem dederat, nominans etiam se Elohim.

Vers. 37. Quia dilexit.] Iuxta Hebræum præponitur coniunctio: *Et pro eo, quòd dilexit patres tuos, & elegit semen eorum post eos*. Ad persuadendum, quòd electus esset populus à Deo, ad hoc affert Moses officium Elohim inchoatum in Patribus, Abraham, Ishac, & Iahacob: distribuendo siquidem mundi nationes Deus dilexit patres tuos, ac elegit semen eorum.

Eduxítque te ante se in virtute sua magna ex Ægypto,

Vers. 38. Vt deleret gentes maiores, & fortiores te à facie tua, & introduceret te, darétque tibi terram earum in possessionem, sicut cernis in præsenti die.] Ad nomen El spectat officiū eductionis de Ægypto in fortitudine magna ad debellandas gentes, &c. Si tamen non admittitur in hoc contextu nomen El, quia non inuenitur in aliquibus Hebraïcis libris hic, nisi quòd Iehouah ipse Elohim, parui refert.

Vers. 39. Scito ergo hodie, & cogitato in corde tuo, quòd Dominus ipse est Deus in cęlo sursum, & in terra deorsum, & non est [b] alius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et scies hodie, & facies redire ad cor tuum quòd Iehouah ipse Elohim in cælis desuper, & super terram deorsum: non adhuc*. supple, est alius Elohim. Conclusio principaliter intenta continens internum Dei cultum secundùm vtranque animi partem (intellectiuam, & affectiuam significatam nomine cordis) infertur.

[b] Ex Orpheo, Trismegisto, Sibyllis, Sophocle, Platone, Pythagora, Aristotele, Cicerone, Seneca, & aliis, tam Poëtarum, quàm Philosophorū testimoniis, quæ hic adferre non possumus, ob chartę angustiam, constat, planè vnū, verúmque Deū, & cultum eius verū, gētes priscas cognouisse. Quòd vero tot extent in Poëtarū libris Deorum nomina, attributa veri Dei certè sunt, & non in hoc inuenta, vt significarent plures Deos; sed, vt illis Dei infinitas virtutes exprimerēt. Vnde Orpheus (vt est apud Iustinū)

Vers. 40. Custodi.] Lege: *Et custodies præcepta eius, atque mandata, quæ ego præcipio tibi hodie, vt benè sit tibi, & filiis tuis post te*. Non sufficit internus cultus, si tempore opportuno deficit externa obseruatio mandatorum Dei.

Et permaneas longo tempore super terram, quam Dominus Deus tuus daturus

turus est tibi.] Deficit, *omnibus diebus*. Iunge hæc duo (quòd Deus dat terram populo cunctis diebus; & quòd in præmium seruandæ legis promittitur populo diuturna mansio ibidem,) vt ex his collatis intelligas, Deum, quantùm est ex se, non limitare tempus manendi in terra, sed bonitati, vel malitiæ eorum responsuram breuem, vel longam mansionem in terra promissionis.

Vers. 41. Tunc separauit Moses tres ciuitates trans Iarden ad ortum Solis:

42. Vt confugiat ad eas, qui nolens occiderit proximum suum, nec fuerit inimicus ante vnum, & alterum diem: fugiétque ad vnam harum ciuitatum, & viuet.

43. Beser in solitudine, quæ sita est in terra campestri de Tribu Reuben: & Ramoth in Gilhad, quæ est in Tribu Gad, & Golan in Basan, quæ est in Tribu Menasse.] Per seipsum executus est Moses statutum de ciuitatibus refugij scriptum in libro Numeri cap. 35. quoad regionem trans Iordanem, quam possidebant.

Vers. 44. Ista est lex, quam proposuit Moses coram filiis Israël.

45. Hæc testimonia, & statuta, atque iudicia, quæ locutus est ad filios Israël, quando egressi sunt de Ægypto:

46. Trans Iarden in valle contra domum Pehor, in terra Sichon Regis Emoræi, qui habitabat in Chesbon, quem percussit Moses, & filij Israël in exitu suo ex Ægypto.

47. Possederúntque terram eius, & terram Hog Regis Basan, duorum Regum Emoræorum, qui erant trans Iarden ad ortum Solis:

48. Ab Aroher, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, vsque ad montem Sion, qui est Hermon,

49. Et omnem planitiem trans Iarden ad Orientem vsque ad mare solitudinis, sub radicibus montis Pisga.

Iupiter, Pluto, & Phœbus vnũ est. Vocarant siquidem Deũ Mercuriũ, quòd medius inter homines intercurrat, & vbique præsens sit. Vocarunt Neptunum à nando: ipse enim fundauit maria. Vocatus est & Pluto ob diuitias, quas liberali manu omnibus creaturis distribuat. Saturnus, quod omnes creaturas exsaturet. Apollo, quasi aspellens, quòd solus omnia mala aspellat. Vulcanus, quasi artificiosus, & bonorum omnium inuentor. Osiris, id est, multioculus, ob eius diuinam prouidétiã: & infinitis aliis pene nominibus, quæ prisci sapientes, non vt Deos diuersificarent, sed vt illius magnalia nobis exprimerent, depinxerũt. Sic similiter Deo attribuerũt vocabula fœminina, non propter sexũ in Deo significandum, discriminandumve; sed ad exprimendum Domini potentiam, quã sub nomine fœminino nominamus. Vnde maiestas illa Iuno vocata est, quòd virtute sua iuuet. Venus, quod vi sua ad omnia veniat, & penetret per omnia Ceres, quasi geres à proferẽdis fructibus. Minerua à minis: nam meruenda est diuina potentia. Vocarũt & iidem priscam æternitatẽ notantes: Dianam, quod diem diei efficiat Lucinã, quòd in lucem edat partũ: Vestam, quod vi sua stet, & nullius ope, & sustentatione indigeat. Sic etiam illud, quod erat à Deo natum, resque omnes, in quibus aliqua vis, & Dei similitudo erat, nominibus Dei vocabant. Sic fruges Cererem, & vinum Bacchum appellarũt. Fuerũtque apud Romanos Fidei, Virtutis, Honoris, Salutis, & Concordiæ tẽpla, & aræ. Hæc omnia Deos nominantes, quò à illorum ea esset vis, vt sine vero Numine regi nõ possent. Cúmque illi prisci sapientes vocabulorum copia aliquo modo Dei potẽtiam & virtutem adũbrare cogitarent, posteri istarum rerũ imperiti tot existimarunt esse Deos, quot in sapientum libris reperẽrũt Dei vocabula, ab illorum instituto cælo toto aberrantes.

CAPVT V.

Vers. 1.

VOcauitque Moses omnem Israëlem: & dixit ad eum.] Tanquàm aliud principium scribitur hoc, ad insinuandum, quòd alio die termonem hunc habuit ad populum Moses. Priorem enim sermonem prima die vndecimi mensis absoluit: tum narrando progressum à monte Sinaï vsque ad Iordanem: tum declarando conditiones legis, & traditionem eius, adiuncta monitione de cultu vnius Dei, generalíque obseruatione legis.

Audi, Israël, cæremonias.] Iuxta Hebræum habetur: *Statuta, & iudicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie.* Incipit declarare legis præcepta in specie.

Discite ea.] Iuxta Hebræum habetur: *Et docete ea, & opere complete.* Mandat enim, vt & faciant ipsi, & doceant filios.

Vers. 2. Dominus noster pepigit nobiscum fœdus in Choreb.] A decem præceptis incipit inchoando ab Authore. Et quia per modum fœderis dignatus est Deus legem decem præceptorum dare; ideò dicit, quòd pepigit fœdus nobiscum. Et librando, *nobiscum*, subiungit:

Vers. 3. Non cum patribus nostris iniit pactum.] Quamuis mortua esset vniuersa illa generatio numeratorum in deserto Sinaï, tempore, quo Moses dicebat hæc verba: quia tamen magna multitudo eorum, qui præsentes fuerunt sermoni diuino, viuebat; ideò dicit, non cum patribus nostris. Et verificatur: quia sensus literalis est, quòd non mediantibus patribus nostris, sed per nosipsos audiuimus Deum loquentem: non accepimus à patribus nostris, quod Deus pepigit cum eis fœdus hoc decem præceptorum, sed nobiscum Deus pepigit hoc fœdus. Et cum hac veritate stat, & quòd patres ferè omnium illorum iam mortui etiam interfuerint pacto; & quòd multi audientes tunc Mosen, acceperint à patribus suis, antequàm morerẽtur, quòd Deus pepigit cum eis fœdus hoc: vt patet de iis, qui loquente Deo erant infra annos discretionis; & iis, qui nati erant posteà: quadragesimus enim agebatur annus à sermone Dei.

Sed nobiscum, qui impræsentiarũ sumus, & viuimus[e].] Summauit Interpres: nam iuxta Hebræum habetur: *Non cum Patribus nostris pepigit* יהוה *pactum istud: quia cum nobis, nobis istis, hic hodie omnibus nobis viuentibus.* Dicit, *pactum istud*, ad differentiam pacti circuncisionis, quod pepigit Deus cum Abraham: illud enim fecerat Deus cum Patribus, & non cum eis, nisi mediantibus Patribus: & propterea hoc magis explanando, subiungit: *Quia cum nobis.* Et quia multi inter nos non interfuerunt diuino sermoni; ideò adiungitur, *nobis istis:* demonstrando per pronomen, *istis*, innumeram multitudinem, quæ cum ipso Mose interfuerat diuino sermoni: erant enim ibi præsentes: & propterea adiungitur, *hic*, quantùm ad locum; *hodie*, quantùm ad tempus: & ad differentiam mortuorum, qui interfuerant etiam diuino sermoni, subiungitur, *omnibus nobis viuentibus.* Pro demonstratis enim distribuit *omnibus*. Et dixit hæc, vt innumera multitudo testium præsentium induceretur ad eos, qui non viderant; quorum magna quoque erat multitudo.

e Arbitror, nulla re alia adeò pulchrè exprimi Dei bonitatem ineffabilem, quã fœdere isto; nẽpe, quod æterna illa virtus Deus omnium Deorum, qui nutu concutit orbem, qui sibi solus sufficit, nullius indiget, qui cælum, & terram implet, pactũ componat cum lõge corruptissimo, miserrimo, & calamitosissimo mortalium genere, adeo & cũ ipso homine, quo nullũ est animal ærumnosius (vt inquit Homerus) Dauid certe illa aud[illegible] expendens, exclamat: *Domine, quid est homo, quod agnoscis eum?* & quæ sequuntur. Hoc ipsum hic Moses proponit populo expendendum.

Vers. 4. Facie ad faciem locutus est nobis.] Legendum est: *Vobiscum Iehouah in monte de medio ignis.* Non aduersatur sententia hæc dictis in præcedenti capitulo: *Non vidistis aliquam similitudinem Dei loquentis.* Quia non est hic sermo de facie Dei, seu de aliqua similitudine faciei diuinæ; sed est sermo de modo loquendi. Non describitur, quòd Deus faciem monstrauerit populo, (nam non dicitur: Facie ad faciem visus est vobis.) sed describitur modus loquendi, dicendo, *facie ad faciem locutus est.* Et est sensus, quòd non per internuncium, sed per seipsum locutus est

eſt vobiſcum: iſte enim loquendi modus ſignificatur per *loqui facie ad faciem.* Et hoc quidem veriſſimum fuit: nam prima Dei verba ad populum fuerunt: *Ego Iehouah*, &c. hæc enim ſignificant, quòd per ſeipſum Deus loquebatur. Nec obſtat, ſi obiiciatur, quòd miniſterio angelico Deus loquebatur: nam modus loquendi erat per ſeipſum: cum tali enim loquendi modo ſtat intercedere miniſterium angelicum.

Verſ. 5. Ego ſequeſter, & medius fui inter Deum, & vos tempore illo.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Ego ſtans inter Iehouah, & inter vos in tempore ipſo, vt annunciarem vobis verba eius.* Declaraturus Moſes, & decem præcepta, & alia legis præcepta, præmittit authorem præceptorum omnium, Deum fuiſſe; diuerſimodè tamen diuerſorum. Quia enim decem præcepta per ſeipſum Deus promulgauit populo; reliqua verò per Moſen; ideò hunc diuerſum modum declarat Moſes populo: ad ſecundum enim modum ſpectat hæc ſententia.

Timuiſtis enim ignem, & non aſcendiſtis in montem.] Rationem reddit huius diuerſi modi, timorem populi inferiùs magis explicandum in hoc eodem capitulo.

Verſ. 6. Et ait: Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſeruitutis.

7. Non habebis Deos alienos in conſpectu meo.

8. Non facies tibi ſculptile, cuiuſuis figuræ eorum, quæ in cælo ſunt deſuper, & quæ in terra deorſum, & quæ verſantur in aquis ſub terra.

9. Non adorabis [d] ea, & non coles: quia ego ſum Dominus Deus tuus, Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum ſuper filios, & ſuper tertios, & ſuper quartos iis, qui oderunt me,

10. Et faciens miſericordiam in milleſimos diligentibus me, & cuſtodientibus præcepta mea.] Initium eſt diuini ſermonis ad populum, ſcripti Exod. 20. & ibidem declarati: & propterea pertranſibimus, ſignificando, quòd Deus nominatur *El*, cùm dicitur Deus æmulator, vt ſuperiùs expoſitum eſt.

Verſ. 11. Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum: quia non erit impunitus, qui ſuper rem vanam nomen eius aſſumpſerit.

Verſ. 12. Obſerua diem Sabbathi, vt ſanctifices eum: ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus.] Verba Moſis quædam inſeruntur in hac recitatione: quia ad declarandum recitantur.

Verſ. 13. Sex diebus ſeruies, & facies omnia opera tua,

Verſ. 14. Et dies ſeptimus Sabbathum (id eſt, requies) eſt Domino Deo tuo: non facies in eo quicquā operis, tu, & filius tuus, & filia tua, & ſeruus tuus, & ancilla tua, & bos tuus, & aſinus tuus, & omne iumentum tuum, & peregrinus, qui eſt intra portas tuas, vt requieſcat ſeruus tuus, & ancilla tua, ſicut tu.

Verſ. 15. Et memento, quòd & ipſe ſeruieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento.] Aptè ad inducendum populum, vt quietem dent ſeruis, monet à propriæ olim ſeruitutis oppreſſione, vt vel hinc miſereantur ſeruorum.

Idcircò præcepit tibi, vt obſeruares diem Sabbathi.] Iuxta Hebræum habetur: *Super ſic præcepit tibi Iehouah Elohe tuus ad faciendum diem Sabbathi.* Cauſa, ſine qua non redditur mandati, vt celebretur Sabbathum, libertas populi: quandiu enim populus ſeruitute Ægyptiaca premebatur, non erat capax præcepti ſeruandi Sabbathum; (oportebat enim, inuitos operari:) ſed, vbi eductus eſt de ſeruitute, diſpoſitus fuit ad celebrandum Sabbathum. Et propterea dicit Moſes, quòd ſuper ſic (hoc eſt, modo viuendi liberè) præcepit tibi Deus obſeruationem Sabbathi: vt gratus Deo de beneficio libertatis, etiam ſeruos tuos facias ſeruare Sabbathum: hoc enim in tua eſt libertate.

Verſ. 16. Honora patrem tuum, & matrem tuam, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus: vt longo viuas tempore, & benè ſit tibi in terra, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi.

17. Non occides,

18. Et non mœchaberis,

19. Et non furaberis:

20. Nec loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

21. Non concupiſces vxorem proximi tui, non domum, non agrum, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, & vniuerſaliter quæ illius ſunt.

22. Hæc verba locutus eſt Dominus ad omnem multitudinem veſtram in monte de medio ignis, & nubis, & caliginis voce magna.] Magnitudinem vocis diuinæ intellige ſeruata proportione intelligibilis ſermonis ab omnibus, tam propè, quàm à remotè aſſiſtentibus.

Nihil addens ampliùs.] Hoc eſt, quòd non eſt proſecutus ſermonem promulgando alia præcepta; ſed tacuit his decem verbis dictis.

Et ſcripſit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi.] Hoc fuit factum poſt dies quadraginta, quamuis Moſes ad complendum officium Dei circa decem præcepta immediatè ſcribat:

Verſ. 23. Vos autem, vt audiſtis vocem de medio tenebrarum, & montem ardere vidiſtis, acceſſiſtis ad me omnes Principes Tribuum, & maiores natu.] Declarat Moſes cauſam diuerſi modi traditorū præceptorū Dei, (quare, ſcilicet, alia præcepta Deus non promulgauit per ſeipſum; ſed per Moſen,) proſequendo diffusè timorem populi.

Atque dixiſtis:

Verſ. 24. Ecce oſtendit nobis Dominus Deus noſter maieſtatem.] Iuxta Hebræum habetur: *Honorem ſuum, & magnitudinem ſuam, & vocem eius audiuimus de medio ignis.* Apparuerat enim honorabilis cum tot tonitruis, & tuba, &c.

Hodie

[d] Artes Satanæ, ſerpentis tortuoſiſſimi, & verſutiſſimi, denique & hominū quorundam impia temeritas, & ambitio diabolica, errorem circa multos Deos inuenerūt, & propagarūt in mundo: nam diuinitatē ambientes, diuina, & quæ gentes priſcæ Deo vero nomina impoſuerāt, impia temeritate ſibi vſurparunt: nam tales quoque mentiti, ne ſcio quas fabulas de generatione cæli, terræ, ac fluminum, impij & mendaces cōmentabātur. Quibus ſimilē quendam Elimā legimus in Actis Apoſtolorum, qui ſe appellare voluit Bariehu, hoc eſt, Iouis filium. Verum dignè tractatus ab Apoſtolo Paulo, ſtultitiæ ſuę pœnas pendit. Simile quid refert Euſebius libro eccleſiaſticæ hiſt. 2. c. 13. de Simone Mago. Hincque factum eſt, vt quæ priſci dixerant de Ioue, Saturno, & Apolline, (hoc eſt, Deo vero,) id poſteri priſcæ veritatis ignari, dictū crederent de impuris illis nebulonibus, qui inuima Dei nomina ſibi impoſuerunt, & Dei loco ſe ſe ſtatuerunt. Iam plurimum iuuit errorem ſuperbia illorum, qui ſuccedebant: nam, vt diuina ſtirpe nati viderentur, diuinos honores parentibus detulerunt, vt apud Maronem Æneas: *precibus vocare Anchiſem genitorem* Acceſſerunt & Poetæ compoſitis ad voluptatē carminibus naturales res fabulis contexentes, ex qua ratione magna fluxit erroris vis, & Deorum multitudo, ſuperſtitionéſque penè animales. Poſt Poëtas propagarunt hunc errorem Sacerdotes miniſtri Deorū, homines nequiſſimi, vani, iuxta ac auari: qui non Deorum, ſed ventris ſui negotium agebant; qui quidem ſibi authoritatē conciliarūt ex ementitis oraculis, ex ſignis mēdacibus, & arte magica, in qua extiterūt artifices abſolutiſſimi. Occultabant ſe præterea impuri, & vagi ſpiritus in templis, in ſimulacris, & ſacrificiis, & portentoſa exercebant ludibria, quibus ſtupefacti ſtolidi homines fidem magis, ac magis errori accommodabāt. Iam & opinio vetuſtatis, & felicitas idololatrarum plurimū errorē promouit, quia veram credebāt religionem, quòd eā veteres tradiderant, atque cuſtodierant. Hæc libuit adnotare, vt expreſſius huius peſtis, idololatriæ, ſcilicet, originem agnoſceres.

Hodie vidimus, quòd loquetur Deus cum homine [a], & viuet.] Nomen est *Elohim.* Pluries dicta est ratio huius sententiæ.

[a] Nō potest homo viuēs Deū videre. Hinc, cùm Moses maiestatem Domini videre postularet Exod. 33. dixit illi Dominus, vt ascenderet in montē, ibique designato loco, in cauerna, scilicet, petræ staret, ibique poneret manum suam super illū, cùm transiret gloria Domini, postmodumque remoueret manum, vt videret posteriora. Fuit certè hæc locutio mutuata ab hominum consuetudine, qui manum vultui iniiciunt, ac oculos veluti contegūt, cùm rem aliquā, ne penitus videatur, occulere volunt. Dixit igitur Dominus Mosi in his verbis, quod nō permitteret videre Domini faciem: nā appositurus erat manum, hoc est, ipse Moses oculos ad illā cōrectos erat habiturus. sed remoueretur manus ad vidēda posteriora, hoc est, illud nō habebet impedimētū post transitū Domini. Qui transitus est etiā à communi loquendi modo mutuatus. Nā eos dicimus penitissimè nouisse, quos versa facie nouimus: sed per posteriora, quando rem cognoscimus in transitu, nō planè sicuti reuera habet. Hæc circa illū locum Exod. 33. non puduit hic adferre, etiamsi superius aliter interpretati simus.

Vers. 25. Cur ergo.] Iuxta Hebræum plùs habetur: *Et nunc, ad quid moriemur, & deuorabit nos ignis hic magnus?* Si vltrà audierimus vocem Domini Dei nostri, moriemur. Experti sumus, quòd euasimus mortem hac vice: sat sit audisse semel Deum: vt quid exponemur iterum periculo mortis, si prosequitur Deus sermonem ad nos.

Vers. 26. Quid enim est omnis caro, vt audiat vocem Dei viui de medio ignis loquentis, sicut nos audiuimus, & possit viuere?] Dupliciter terrebatur populus: exteriori siquidem vsu terrebatur ab igne, ne extensus consumeret eos: interno autem sensu terrebatur, audiendo vocem Dei, multò magis quàm quicunque insolitus audiendo vocem Regis cum maiestate loquentis. Et huc tendit citatio naturæ carneæ, vtpote fragilis, & quæ opprimitur à maiestate loquentis.

Vers. 27. Accede tu, & audi cuncta, quæ dixerit Dominus Deus noster: & tu loqueris ad nos cuncta, quæ locutus fuerit Dominus Deus noster ad te, & nos audientes faciemus ea.

Vers. 28. Quod cùm audisset Dominus, ait ad me: Audiui vocem verborum populi huius, quę locuti sunt tibi: benè omnia locuti sunt.

Vers. 29. Quis det talem eos habere mentem.] Legendum esset: *Tale cor, vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore, vt benè sit eis, & filiis eorum in sempiternum.* Dicendo, *quis det*, manifestat Deus seipsum instar cupientis, vt in populo perseueret hoc cor omnibus diebus. Et explicatur qualitas cordis intus, & extra: intus quidem ad timendum Deum: extra autem ad custodiendum mandata Dei.

Vers. 30. Vade, & dic eis: reuertimini in tentoria vestra.

Vers. 31. Tu verò hìc sta mecum, & loquar tibi omnia mandata, & cæremonias.] Iuxta Hebræum habetur: *Et statuta, atque iudicia.* Nihil enim exprimitur de cæremoniis in specie.

Quæ docebis eos, & facient ea in terra, quam dabo eis in possessionem.

Vers. 32. Custodite igitur, & facite ea, quæ præcepit Dominus Deus vester vobis.] Hactenus recitata sunt verba Dei concedentis populo, vt reliqua præcepta per Mosen promulgentur: hæc autem verba sunt Mosis monentis populum.

Non declinabitis, neque ad dextram, neque ad sinistram.] De actibus virtutum præcepta data sunt, consistentium in medio: & proptereà, nec hinc, nec inde declinari potest; sed oportet via recta per medium ire: alioquin virtutis præceptum non impletur.

Vers. 33. In omni via, quam præcepit vobis Dominus Deus vester, ambulabitis: vt viuatis; & benè sit vobis, & protelentur dies vestri in terra possessionis vestræ.

CAPVT VI.

VERS. 1.

HÆc sunt præcepta, & cæremoniæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Et hoc preceptum, statuta, & iudicia, quæ precepit Dominus Deus vester, vt docerem vos ad faciendum in terra, ad quam vos possidendam transitis.* Repetit diuinum mandatum sibi factum ad docendum illos, vt adiungat rationem seruandi diuina præcepta.

Vers. 2. Vt timeas Dominum Deum tuum, ad custodiendum omnia mandata, & præcepta eius, quę ego præcipio tibi, & filiis, ac nepotibus tuis cunctis diebus vitæ tuæ.] Ecce ratio exacta custodiendi legem, timor Dei: ex timore enim fontis essendi, ac Iudicis reddentis vnicuique secundùm opera sua, insertum est animis hominum seruare diuinas leges adiunctis præmiis: quæ & hîc subiunguntur.

Et vt prolongentur dies tui.

Vers. 3. Audique, Israël, & obserua, vt facias, & benè erit tibi, & multiplicaberis valdè: sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte, & melle manantem.] Legendum esset, *in terra manante lacte, & melle.* Refertur enim ad præmia antedicta: videlicet, vt prolongentur dies tui, vt benè sit tibi, & multiplicetis: hæc enim præmia promittuntur, non absolutè; sed in terra lacte, & melle manante.

V. 4. Audi, Israël, Dominus Deus vester, Deus vnus [a] est.] Iuxta Hebræum habetur: *Iehouah Elohe noster, Iehouah vnus.* Explanat Moses prima Dei verba ad populum: *Ego Iehouah Elohe tuus.* & tanquam explanet pronomen, *Ego Iehouah*, dicit: Audi, Israël, Iehouah, Elohe noster non distinguitur in multos Iehouah; sed est Iehouah vnus. Hoc enim spectat ad explanationem pronominis, *ego Iehouah.* Non enim dixit, nos Iehouah; sed, *ego Iehouah*: vt vnus intelligeretur fons essendi, à quo pendet esse omnium. Vnitatem itaque Dei Moses declarauit, quam ipse Deus promulgauerat.

[a] Ita increuit olim Deorum numerus inter gentes, vt Oenomaüs tradiderit, triginta millia Deorum in orbe fuisse culta: nam apud gētes nulla fuit regio, prouincia, aut insula, & ciuitas, quātumuis vilis, quæ non haberet Deum tutelarem, vt Babylonij, & Assyrij Belum, Ægyptij Osirim & Isidem, Afri Neptunū, Mauri Iubā, Rhodij, & Massagetæ Solem usque omnem vitæ suæ fortunam miseri tribuebant, adeò vt Diis tutelaribus nondū euocatis suas crederent oras inexpugnabiles, &, vt est apud Macrobium, tutelarium Deorum nomina arcana erant, paucisque cognita, timentes, ne apertis nominibus euocarentur, ipsique caperentur, Diis absentibus. Cœpêre demum mensibus præfici Dij nominatim, artibus, & morbis, singulisque hominum membris, imò actionibus mortalium abiectissimis: vnde Dij turpissimi Romanorū, & gētiū, Moloch, & Pheor antiquitus prodierunt. Procreati autē huiusmodi Deorū numerositas, quid rerum minimarū curam à Deo vero, & magno, gētes submouebāt. Hinc cùm ita crederēt, Reges suos in cælū receptos, ...

Vers. 5. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et diliges Iehouah Elohe tuum in toto corde tuo & in tota anima tua, & in tota virtute tua.* Ad declarationem primi præcepti: *Ego Iehouah Elohe tuus.* hoc spectat: declarauit enim illud præceptum priùs ex parte vnitatis diuinæ agnoscendæ; declarat consequenter ex parte summæ bonitatis amandæ. Et quia, Saluatore teste, hoc est primum, & maximum mandatum in lege, vtrinque habes, quòd cùm Deus dixit: *Ego Iehouah, Elohe tuus.* seipsum acceptandum Deum vnum, amandum, atque timendum vt Deum præcepit. Hoc est enim, quod modò Moses declarat. Et cor quidem pro voluntate, (quæ est appetitus intellectualis;) anima verò, iuxta solitum Hebraïcæ linguæ morem, pro vita, quæ in corpore exercetur: virtus autem ad circunloquendum aduerbium, *valdè*, ponitur: nam dictio Hebraïca à *valdè* deriuatur: tanquàm si liceret dicere, in toto valdè tuo. Quod ideò annotandum

quàm Deos à supremo Deo creatos, ne faterentur eos in cælo otiari, credebant, illis demādatam curā esse singulariū, & minimarum rerum. Alij vero hanc pluralitatem Deorum introductam dicunt, quod antiquitas nihil aliud existimaret Deū, quā prodesse hominibus: vnde legum, vini, & frugum authores, & quæcunque ad vitæ cōmoditatem aliquid contulerunt, eos pro Diis habuēre, adeo vt belluas pro Diis colerent, vt Ægyptij ciconiam, quod serpentes arceat, atque conficiat. Ad hoc etiā facit, quod antiqui, vt libentius reipublicæ causa periculum adiret optimus quisque virorum fortiū, eorū memoriam Deorum immortalium honore consecrabant, qua ratione Romani (vt di unt) suos Cæsares consecrarūt, & Mauri Reges suos itaque paulatim religiones, & peruersa Deorum pluralitas à verfuto serpente excogitata esse cœperunt.

annotandum duxi, vt intelligatur, quòd prima duo (*cor*, & *anima*) significant res; tertium autem significat modum, scilicet, *valdè*: & distribuitur, vt concurrat totum valdè tuum, sicut exigitur, quòd concurrat cor tuum totum, & anima tua tota ad diligendum Deum. Et est sensus, vt in toto, quod est nostri, diligamus secundùm totum modum nostrum Deum; sic quòd in nulla hominis parte sit aliquid contrarium dilectioni Dei. Diligere enim Deum in corde toto, est diligere Deum sic, quòd in nulla cordis parte aliquid contrarium dilectioni Dei habeatur: & similiter diligere Deum in tota anima, est diligere Deum sic, quòd nihil animæ aliquid contrarium dilectioni Dei admittat: & similiter diligere Deum in omni valdè, seu virtute, est diligere Deum sic, quòd in nulla parte totius modi nostri magni, sit aliquid contrarium diuinæ dilectioni. Et verè hoc est primum & maximum mandatum in lege Dei: quia amor est ratio reliquorum actuum liberorum: & magnitudo modi amandi, ratio est quantificans reliquas affectiones, & actiones: vt experientia continua testatur.

Sed occurrit quæstio non dissimulanda, quo pacto cum hoc legis præcepto verificatur doctrina Pauli Apostoli ad Rom. tradentis, legem Mosis esse legem factorum, & neminem iustificare, &c. cùm dilectio Dei, quæ hìc præcipitur, sit maximè iustificatiua, iuxta verbum Domini: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Solutio est, quòd lex vetus, quanuis præciperet dilectionem Dei, non tamen conferebat gratiam diligendi Deum: & propterea appellatur lex factorum absque iustificatione: ita quòd, nec fides, nec dilectio Dei sufficiunt ad iustificandum absque gratia, quæ per Iesum Christum facta est: sed inter facta supputantur fides acquisita, & dilectio acquisita: sola enim fides formata, & similiter dilectio formata, (quam nostri Theologi charitatem soliti sunt appellare,) est, quæ distinguit inter filios regni, & perditionis. Iudæus enim diligit dilectione acquisita Deum vnum in toto corde suo, & in tota anima sua, & in toto modo magno suo: ita quòd non deficit diligendo; sed deficit agnoscendo mysterium Verbi incarnati. Lex verò noui Testamenti est lex spiritus vitæ, est ipsa gratia Spiritus sancti, formans dilectionem, & fidem, quæ scribitur (iuxta Hieremiæ vaticinium) in mentibus hominum. Et hæc est differentia inter veterem, & nouam legem, quam docet Apostolus ad Rom. penes hanc siquidem differentiam verificatur hinc, & inde dicta. Lex itaque hæc de dilectione Dei lex scripta est: & sicut aliæ leges scriptæ, (quarum nulla iustificat,) intelligenda est. Primum tamen tenet locum inter leges scriptas: & propterea Moses subdit:

Vers. 6. Erúntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo.] Maximum studium adhibendum seruando huic præcepto significatur Nam retentio huius præcepti præcipitur, non in tabulis, aut pergamenis; sed in corde.

Vers. 7. Et narrabis ea filiis tuis] Iuxta Hebræum habetur: *Et dices ea assiduè filiis tuis.* Frequentem repetitionem horum præceptorum, (videlicet, de vnitate Dei, & de amore eiusdem,) faciendam filiis mandat.

Et meditaberis.] Bene sensum expressit Interpres verbi Hebraïci.

Et loqueris in eis.] Quanuis ad sermonem exteriorem extendi possit hoc tertium studium, (videlicet, vt tam sedendo, quàm eundo; tam accumbendo, quàm surgendo delectetur loqui de istis;) rectus tamen sensus est, vt meditetur in istis, quacunque accidente diuersitate.

Sedens in domo tua, & ambulans in via, dormiens.] Legendum esset, *accumbens.* Est enim sermo de tempore, quo homo it cubitum, & non quando dormit.

Atque consurgens.

Vers. 8. Et ligabis ea in signum super manum tuam.] Quartum studium non est, vt Litera sonat, accipiendum, vt scripta hæc duo præcepta gestanda sint ligata super manum in signum recordationis, seu excitationis ad diligendum vnum Deum, vt multi Hebræorum intellexisse dicuntur: & ex iis, quæ scribuntur Matthæi 23. apparet, dum dicitur: *Dilatant enim phylacteria sua.* quod non voluntariè dicimus; sed ex sequenti præcepto accipimus: nam subditur:

Eruntque, & mouebuntur inter oculos tuos.] Quod iuxta Hebræum habetur: *Et erunt in duo ornamenta inter oculos tuos.* Si, vt sonat Litera, de corporeis signis, & ornamentis esset sermo, ridiculum videretur præceptum: vt non sufficeret gestare signum scriptum alligatum manui; sed etiam duo alia signa in fronte. Quocirca metaphoricè [b] est sermo iste intelligendus: vt tantùm adhibeatur studij ad hæc duo præcepta, vt habeantur tanquàm signa alligata in manu frequenti excitatione, & habeantur inter mentis oculos, vt valdè chara, ac pretiosa, quemadmodum ornamenta inter oculos. Et hæc sint dicta iuxta sonum Literæ. Si quis tamen hæc duo intellexerit pro vnico mandato, nihil incurrit absurdi: intelligendo ad literam mandari, vt hæc duo præcepta scripta alligentur, alterum in vno brachio, & alterum in altero: quæ sint tanquàm duo ornamenta inter oculos versanda iugiter ad excitandam dilectionem vnius Dei ex visione: nam simile quid mandatum est de fimbriis in angulis vestium, ad excitandum obseruationem omnium mandatorum Dei in genere, similiter ex visione fimbriarum, vt patet Num 15. Et sic intellexisse videntur Iudæi antiquo tempore: nam hæc sola commemorari videntur Matthæi 23. *Dilatant phylacteria, & magnificant fimbrias.* Istæ enim erant pro recordatione mandatorum in genere. illa verò pro recordatione horum duorum præceptorum in specie: quia enim in his duobus, & ex his duobus pendet vniuersa lex diuina, ideò tot similitudinibus obseruationem horum iugem commendauit. Et propter hoc etiam addidit sexto loco:

[b] Mos est communis Scripturæ, nonnunquā metaphoris exaggerare quæ proponit, vt hoc loco vides. Simile est illud Luc. 10. cùm discipulos Christus ad prædicādum misit, vt neminē in via salutarent.

Vers. 9. Scribésque ea in limine, & ostiis domus tuæ.] Iuxta Hebræum habetur: *Et scribes ea in postibus domus tuæ, & in portis tuis.* Nec hoc, vt sonat Litera, intelligo, propter annexionem cum præcedentibus metaphoris. non est tamen absurdum intelligere hoc ad literam. Si tamen metaphoricè intelligatur, sensus est, quòd præcepta hæc scribantur (hoc est, firmentur) in

in postibus, & in portis, vt nihil contrarium ingrediatur tam in domum, quàm in ciuitatem.

Vers. 10. Cúmque introduxerit te Dominus Deus tuus in terram[c], pro qua iurauit patribus tuis (Abraham, Ishac, & Iahacob,) & dederit tibi ciuitates magnas, & bonas, quas non ædificasti;

Vers. 11. Et domos plenas cunctarum opum, quas non extruxisti; & cisternas, quas non fodisti; vineásque, & olíueta, quæ non plantasti;

Vers. 12. Et comederis, & saturatus fueris:

Vers. 13. Caue diligenter, ne obliuiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo seruitutis.] Lege prima Dei verba Exod. 20. & inuenies, subiunxisse Deum, se esse, qui eduxit Israël de terra Ægypti: & propterea Moses non egrediendo limites primi præcepti, vt compleret monitionem de iugi recordatione primi præcepti, simul monet, vt tanto beneficio non abutantur, obliuioni tradendo tantum benefactorem, cùm assecuti fuerint ciuitates magnas, domos plenas, & cisternas, &c. sciebat enim periculum obliuionis post adepta beneficia.

Dominum Deum tuum timebis[d].] Post præceptum amoris diuini congruè subditur præceptum timendi Deum: nam & timor ex amore nascitur. Tantùm timemus mala, quantùm amamus bona contraria. Et spectat timor Dei ad primum præceptum: *Ego* יהוה *Elohe tuus.* ordinatè enim progreditur: nam ex pronomine, *ego*, vnitatem Dei; ex nomine, *Iehouah*, dilectionem Dei; ex nomine verò, *Elohe*, timorem Dei declarat. Timendus est autem Deus, non vt obiectum timoris, (quoniam obiectum timoris malum est:) sed, vt potens infligere mala: quod *Elohe* nomen à iudicio sumptum præ se fert. Præcipitur enim, vt timeatur Deus, tanquàm summus Iudex.

Et illi soli seruies.] Superfluit, *soli.* Præceptis internorum actuum (agnoscendi vnum Deum, amandi, & timendi illum,) adiungitur præceptum seruiendi eidem: vt intelligamus, ad primum spectare præceptum exteriorem cultum Dei, indeterminatè tamen. Præcepta enim colendi Deum tali, vel tali exteriori cultu, non spectare ad primum præceptum, ipse Deus testatus est Hierem. cap. 7.

Ac per nomen illius non iurabis.] Iuxta Hebræum habetur affirmatiuè: *Et in nomine eius iurabis.* Vbi aduerte, quòd præceptum hoc affirmatiuum est: & secundùm germanum sensum non præcipitur iurare; sed quando iurandum est iurare in nomine יהוה. Et hoc præceptum etiam spectat ad prima Dei verba: *Ego* יהוה *Elohe tuus.* Iurare enim est religionis actus inuocans Deum in testem. Manifestatur autem, hunc esse literalem sensum ex differentia inter iurare, & alios actus virtutum, qui præcipiuntur. Nam alij virtutum actus (purà, diligere Deum, honorare parentes, tribuere vnicuique, quod suum est,) actus boni sunt, etiamsi perfecti non sint: iurare autem actus malus est, nisi sit actus perfectus iudicio, iustitia, & veritate. Est enim iurare actus bonus, quemadmodum potio medicinalis bona est, non simpliciter, sed præsupposita ægritudine; & propterea non cadit sub præcepto iurare, nisi in euentu iudicij, iustitiæ, & veritatis. Quocirca si quis contendat vtrunque præcipi (& iurare, & in nomine Iehouah,) sed præcipi non absolutè, sed vestitum circunstantiis iudicij, iustitiæ, & veritatis; noli contentionibus vacare: quoniam sensus in idem redit quoad rem. Prima tamen expositio quadrat, tum euangelicæ doctrinæ prohibenti iurare, tum contextui præceptorum Dei. Aliud enim præceptum promulgatur de iuramento, dicendo: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.*

Vers. 14. Non ibitis post Deos alienos cunctarum gentium[e], quæ in circumitu vestro sunt.] Iuxta Hebræum habetur nomen, *Elohim*, bis. Legitur enim: *Post Elohe alios, ex Elohe populorum, qui in circumitu vestro.* Ad secundum transit præceptum negatiuum, quod ex primo affirmatiuo pendet: ex eo enim, quòd Iehouah vnus est colendus, manifestè sequitur, quòd nullus alius colendus est Deus. Sed intentio Mosis declarantis legem tendit ad obuiandum periculis: & propterea applicat ad Deos populorum in circumitu: periculum enim imminebat Israëlitis declinandi ad cultum Deorum propinquorum populorum: facile est enim homines conformare se iis, cum quibus conuersantur.

Vers. 15. Quoniam Deus æmulator.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia El Zelotes* יהוה *Elohe tuus in medio tui.* Hæc ratio ab ipso Deo reddita fuit in secundo præcepto: sed adiungit Moses hanc particulam, *in medio tui*, ad exaggerandum iniuriam, quæ fieret Deo habitanti in medio tui, proculdubiò per tabernaculum suum, in quo erat diuina sedes super Cherubim.

Ne quando irascatur furor Domini Dei tui contra te, & auferat te de superficie terræ.

Vers. 16. Non tentabis Dominũ Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis.] Parùi refert, quòd pluraliter Hebraïcè habetur: *Non tentabitis Iehouah Elohe vestrum, sicut tentastis in Massa*, hoc est, in tentatione. Lege 17. cap. Exodi, & inuenies locum Rephidim appellatum Massa (hoc est, tentationem;) eò quòd ibi populus tentauit Deũ, dicendo: *Estne Deus in nobis?* ille enim locus hic significatur, in quo populus, deficiente aqua, tentauit Deum, antequàm venirent ad montẽ Sinaï. Est autem propriè, & formaliter tentare Deũ, dicere, vel facere aliquid intentione experiendi diuinũ posse, vel scire, vel velle: & propterea peccatũ est, vtpote actus contra debitam Deo reuerentiã: dehonorat siquidẽ Deum studens ad experimento nouo explorandum, quæ sunt diuinæ perfectionis, seu libertatis: multò magis quàm seruus dehonorat Principẽ, si auderet facere, aut dicere aliquid, ad experimentũ sumendũ de Principe suo. Et quia in hoc formaliter cõsistit peccatum tentandi Deũ; ideò etiã in necessitatis articulo peccatũ est tẽtare Deũ. Et ad hoc insinuãdum, in Litera dicitur: *Non tentabitis Dominum Deũ vestrũ, sicut tentastis in Massa*; hoc est, in loco, in quo, deficiẽte aqua, tentastis Dominũ. Erat siquidem tunc necessitas aquæ: & tamen peccatũ declaratur fuisse tentare Deũ, petendo aquam:

[c] Inde sumptum est illud Psalmi: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Cor enim humanum præsentibus bonis fidit, absentibus diffidit.

[d] *Timebis*, id est, coles. Videtur linguæ Hebraicę proprium esse, vt timorem Dei vocet id, quod nos cultum Dei, seu pietatem vocamus. Estque insignis declaratio primi præcepti, scilicet, cũ omnia adsint abũdè, & tuta & secura, nullísque timori locus, tunc maximè timeamus. Est enim hæc fidei virtus, & primi præcepti vis, vt in prosperis pauidi, & Deũ timentes simus; rursum in aduersis (vt sequitur) securi, & tuti, fidentes in Deo, vtroque tempore parè in Deo hærẽtes, semperque Deo seruiẽtes. Sic & Paulus docet, seruos heris subdi, sed tanquam Domino; & mulieres viris subiici, sed in Domino; & ipse seruũ vult Philemone, sed in Domino; & virginẽ nubere vult, sed in Domino; & virũ per mulierem sanctificari, sed in Domino; sẽper vnam illã & simplicem seruitutẽ Domini super omnia extollens, & per omnia dilatans. Cæterum hunc locum asserunt nonnulli non illum esse, quem Christus Satanę obiecit Matthæi 4. sed ex præcedenti cap. desumptũ, mutata negatiua in affirmatiuam.

[e] Ne idola Ægypti renouaret populus, vel sibi reseruaret aliqua ex incendio, & depopulatione vrbium, videntur hæc hoc loco Israëlitis præcepta legimus enim ex Amorræorum, & Madianitarum præda simulacra sibi reseruasse. Nam Iosue ante mortem suam populo in concionem vocato suadet, vt sublatis idolis, quæ in medio illorum erant, nẽpe, quæ abstulerãt ab inimicis, soli Deo seruirent mutuati siquidem superstitionem illam à Gẽtibus, Deũ verum venerandi in simulacris. Sunt enim, qui dicant, Iudæos vsque ad Achab tempora Deum verũ coluisse, licèt superstitiosè, & cõtra Domini præscriptum in idolis, ac statuis. Quod probant ex illo Iudicum 17. nã cum mater Micha Iehu pecuniam Domino cõsecrasset, nil aliud ex illa fieri voluit, quàm sculptile, hoc est, simulacrum Dei. Id postquam esset paratum, mox Micha collocat in priuatas ædes, simulacro Sacello, vel Sacrario constructo, addita omni vestimentorum (pro cultu) supellectili. Videbat, nimirum, vir religiosus cessaturum Dei in Silo ergo cogitabat sibi, & domui suæ consulere. Vnde constat, eo tẽpore Deũ simulacris veneratum. Nam verisimile est vulgo receptũ fuisse, quod hic de Micha legimus: siquidẽ eo tẽpore non erat Rex in Israel; sed vnusquisq; quod placitũ sibi esset, faciebat. Ad hunc etiam modum, Rege Hieroboam authore extructa sunt in Israele idola Dei, vt dicũt isti. Nam hoc indicat illa Hieroboam acclamatio, constructis vitulis: *Hi sunt Dij tui Israël, qui te eduxerunt de Ægypto.* Nolebat enim Rex impostor, videri aliquid instituisse nouum, & inusitatum, aut nouum Deũ proponere colẽdum, sed Deũ verum. Nã negotiũ populo ita proponere videtur, vt diceret se de modo colendi cõmodiorẽ tradere ratione, non Deum nouũ, aut religionem aliam. Verùm Achab tempore turba iis Deorum, quam vicinæ gentes venerabãtur, introducta est, ita vt qui in Israël idololatriã gẽtiũ introduxerit, primũ dicãt fuisse contemptorem illiũ Dei, & omnis impietatis Principem, Prophetarum & omnium bonorum virorum parricidã Achabe qui fecit malũ super omnes Reges, qui ante eum fuerunt. 3. Reg 16. Nam, licet Hieroboam tempore, erexerint Israëlitæ statuas, & templa, offerréntque illegitima sacrificia, colebãt tamen semper Deum Israël, licet nõ eo modo, quo Dominus se coli volebat.

aquam: debebant enim petere non tentando, hoc est, non animo experiendi diuinum opus: huiusmodi enim animus semper est peccatum. Et hinc oritur, quòd petens signum à Deo, non animo experiendi diuinum miraculum, sed ob aliquam necessitatem, aut piam vtilitatem, alienus est à tentatione Dei.

Recole tamen, prudens lector, quòd, quemadmodum in aliis peccatis redit actus materialis quandoque in naturam suæ speciei; ita & in hoc vitio. Si quis enim absque necessitate, seu pia vtilitate aliquid facit, aut dicit suapte natura exigens miraculum, quanuis non intentione tentandi Deum id faceret; rediret tamen actus in speciem tentationis Dei: eò quòd actus talis cum dictis circunstantiis suapte natura proficisceretur ab animo tentandi Deum: & propterea conuincitur sic dicens, aut faciens, quòd implicitè intendit tentare Deum. Et hoc modo Saluator Matth. 4. vsus est hac lege: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Mittere enim se deorsum absque necessitate, aut rationabili vtilitate, (vt tunc erat;) fuisset actus ex suo genere tētans Deum. Et hoc præceptum declarauit Moses reduci ad prima Dei verba: *Ego Iehouah Elohe tuus.* Et directè præcepta hæc (de iuramento, & de non sequendo Deos propinquarum gentium, nec tentandi Dominum) hoc in loco tractantur à Mose ratione illius pronominis, *tuus*: dicente Deo: *Ego Iehouah Elohe tuus.* Intendit enim ex hoc, quòd Deus dixit, quòd sum Deus tuus, deberi ei, quòd quando iurandum est, iuretur in nomine illius: nam quælibet gens iurat per Deū suum: & similiter quòd non declinent in Deos proximarum gentium; sed stent in Deo suo, qui est in medio vestri: & similiter, quòd non dehonorent ipsum tentando eum.

Vers. 17. Custodi præcepta Domini Dei tui.] Quia dixerat, *sicut tentastis in Massa*, deficiente aqua; ad obuiandum tacitæ quæstioni, quid faciendum est nobis necessitate vrgente, si tentare est peccatum; subiungit Moses remedium; custodire, videlicet, præcepta Dei.

Ac testimonia, & cæremonias.] Legendum est, *& statuta, quæ præcepi tibi.* Remedium est, curam habere, & statutorum, & præceptorum, & testimoniorum: vt præcepta referantur ad moralia; statuta autem ad ea, quæ sunt quasi positiui iuris; testimonia verò ad facta, & dicta testimonium perhibentia Dei.

Vers. 18. Et fac, quod placitum est, & bonum in conspectu Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Et facies rectum, & bonum in oculis Iehouah.* Non sufficit curam gerere prædictorum; sed oportet facere, tum rectum, tum bonum, non iudicio tuo, aut iudicio hominum; sed in oculis Dei. Ex his duobus integratur remedium sufficiens in quolibet articulo necessitatis, & piæ vtilitatis. Cum his enim recurrendum est ad Deum, & non tentando eum. Vnde & fructus subiungitur:

Vt benè sit tibi, & ingressus possideas terram bonam, de qua iurauit Dominus patribus tuis,

Vers. 19. Ad delendum omnes inimicos tuos à facie tua,

Vers. 20. Sicut locutus est Dominus] Et in genere, & in specie explicantur fructus.

Cúmque interrogauerit te filius tuus cras, dicens: Quid sibi volunt testimonia hæc, & statuta, atque iudicia, quæ præcepit Dominus Deus noster nobis?

Vers. 21. Dices ei: Serui eramus Pharonis in Ægypto, & eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti:

Vers. 22. Fecítque signa, & prodigia magna, & mala in Ægypto contra Pharonem, & omnem domum eius in conspectu nostro,

Vers. 23. Et eduxit nos inde, vt introductis daret terram, super qua iurauit patribus nostris[f].] Cerne prudentiam Doctoris, vniuersa legis præcepta subordinantis præcepto timendi Deum: ad hoc enim tendit documentum hoc, quo patres debent instruere filios: nam infertur:

Vers. 24. Præcepítque nobis Dominus, vt faciamus omnia legitima hæc, & timeamus Dominum Deum nostrum: vt benè sit nobis cunctis diebus vitæ nostræ, sicut est hodie.] Lege iuxta Hebræum: *Et præcepit nobis Iehouah ad faciendum omnia statuta ista timendo Iehouah Elohe nostrum: in bonum nobis omnibus diebus, vt viuamus nos, sicut die ista.* Dictio interpretata, *timendo*, si verbum verbo reddere licet, interpretanda esset, *in timere.* Patres ergo debent instruere filios, quòd Deus ad hoc præcepit, quæcunque præcepit, vt seruentur statuta timendo: ad excludendum siquidem religionē fictam (qua homines exteriorē cultum absque interno Dei timore, imò quandoque nihil credentes de diuina prouidentia) dicitur, quòd Deus præcepit seruari statuta legis, timendo fontem essendi Iudicem nostrum: & in timore cointelligitur omnis actus spectans ad internum cultum Dei; putà, diligere Deum, confidere in Deo, & huiusmodi. Meminit autem potiùs timoris, quàm dilectionis: quia timor Dei, & communior, & prior, (vtpote introductorius amoris,) & congruus magis pueris, atque adolescentibus est: timendo enim Deum, discunt amare illum. Et ne timor Dei vanus reputetur, aptissimè subiungitur fructus eius in genere, dicendo, *in bonum nobis.* Ac si apertiùs dixisset: Non indiget Deus bono aliquo, ob cuius indigentiā præceperit nobis hæc: sed præcepit facere hæc timendo ipsum, propter bonum nostrum. Et statim subiungit bonum corporeum, dicendo: *Vt viuamus, sicut die ista*, hoc est, in opulentia terræ lacte, & melle manantis. Deinde subiungit bonum spirituale dicendo:

Vers. 25. Eritque nostri misericors.] Iuxta Hebræum habetur: *Et iustitia erit nobis.* Non solùm in bonum nobis corporeum, sed etiam in bonum nobis spirituale præcepit Deus seruare legem in timore Dei: quia erimus iusti seruando sic legem.

Si custodierimus, & fecerimus omnia præcepta hæc coram Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis.] Quod dixerat, *in timere*, modò dicit, *coram Domino Deo nostro*: actus enim interni, soli Deo patent. Et pro eodem accipit seruare legem in timore Dei.

[f] Moses licèt rudē illum populū formandum accepisset, vnde & in vrgendo leges, minitandoque crebrior fuit; nullā tamen seriam admonitionem ad populum habuit, vbi non prius admonuisset beneficiorum Dei, qui ex Ægypto multis signis illos eduxerat, qui terrā Chanaā Patribus promiserat, & aliis innumeris modis suam illis bonitatem exhibuerat.

Dei, & seruare legem coram Deo. Vtrunque enim dicitur ad excludendum fictionem, ad damnandum externum cultum absque interno, iuxta illud: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.*

CAPVT VII.

VERS. I. Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus graderis, & deleuerit gentes multas coram te (Hithæum, & Girgasæum, & Emoræum, & Chenanæum, & Perizæum, & Hiuæum, & Iebusæum, septem gentes maioris numeri, quàm tu es, & robustiores te)

Vers. 2. Tradideritque eas Dominus Deus tuus tibi, percuties eas vsque ad internecionem: non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum:

3. Neque sociabis cum eis coniugia [a]: filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo.

4. Quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & seruiant diis alienis.] Intendit Moses prosequendo declarationem primorum præceptorum Dei, (videlicet, de cultu vnius Dei solius,) ex illis reddere rationem præceptorum diuinorum scriptorum Exod. 23. illa enim hîc repetuntur, & declarantur: eorúmque ratio ex primis Dei præceptis redditur, tum ratione periculi, tum ratione beneficij. Et periculum quidem subiungitur idololatriæ, propter quam cum his septem nationibus inhibetur omne fœdus, omnis miseratio, omnéque coniugium.

Irascetúrque furor Domini, & delebit te citò.] Ne confideret populus in diuina patientia.

Vers. 5. Quin potiùs sic facies eis: aras eorum subuertite, & statuas [b] eorum confringite, lucósque succidite, & sculptilia comburite.

Vers. 6. Quia populus sanctus es Domino Deo tuo: te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram.] Ecce ratio beneficij. Sanctitas siquidem populi non ex seipso erat populo, sed ex beneficio electionis diuinæ, qua præ cunctis populis elegerat populum Israël ad hoc, vt esset populus sanctus, hoc est, dicatus, & mundus ad cultum vnius Dei.

Vers. 7. Non, quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, & vos elegit; cum cunctis populis sitis pauciores:

Vers. 8. Sed, quia dilexit vos Dominus, & custodiuit iuramentum. Iuxta Hebræum habetur, non verbum præteriti temporis, sed præsentis infinitiui: ac si dicere liceret: *Quia ex amare Iehouah vos, & ex custodire ipsum iuramentum, quod iurauit patribus vestris, eduxit vos in manu forti: & redemit de domo seruitutis, de manu Pharaonis Regis Ægypti.* Ratio primæ electionis redditur dilectio. Contrario siquidem modo procedimus nos: nos enim eligimus, quem diligamus. Deus autem, quia diligit, ideò eligit. Vbi, prudens lector, considera duo. Alterum, quod primùm Dei erga nos beneficium, radix omnium reliquorũ beneficiorum, est dilectio, qua Deus nos diligit. Et quamuis generalis dilectio diuina communis sit omnibus creaturis, (diligit enim omnia, & nihil eorum, quæ fecit, odio habet;) specialis tamen dilectio ad tale bonum, non est communis omnibus, sed specialis amor gratuitus: & de huiusmodi amore est hîc sermo: dilexit enim Deus populum Israël ad tale bonum, (videlicet, ad hoc, quòd esset populus mundus deditus cultui vnius Dei,) ad quod nõ dilexerat cæteros populos: & ideò elegit ipsũ: & ideò custodiuit pactum cum Abrahã, Ishac, & Iahacob, & eduxit filios Israël de Ægypto. Alterum est, quòd cùm in præcedenti capitulo mandatum fuerit: *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. & debitum colendi vnum Deum ex hoc, quòd Deus est Deus vnus Iudex, declaratum fuerit, modò prudentissimè declarat simul & debitum colendi Deum, & rationem præceptorum, ex hoc, quòd Deus speciali amore diligit populum Israël: ad insinuandum, quòd diligere debent Deum, timere, & colere ipsum duplicato iure: hoc est, & quia Deus est, & quia diligit vos: primum enim conuenit Deo ex natura; secundum ex libertate. Et hæc omnia afferuntur à Mose ad primorum præceptorum Dei declarationem, vt penetret mentes populi, quantùm ex parte Dei debeant Deo.

Vers. 9. Et scies, quia Dominus Deus tuus ipse est Deus fortis, & fidelis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et scies quòd Iehouah Elohe tuus ipse Elohim: El fidelis custodiens pactum, & misericordiam diligentibus se, & iis, qui custodiunt præcepta eius.* Multiplex bonum, ad quod Deus diligit populum Israël, manifestatur: est enim sensus, quòd non solùm elegit te Deus, vt sis ei populus peculiaris; sed etiam vt scias ex diuinis operibus concomitantibus te, quòd ipse est Elohim, (hoc est, gubernator, seu Iudex,) quòd ipse est El, (hoc est, summe fortis,) quòd ipse est verax, seu fidelis, faciens, quod dixit, ac per hoc custodiens pactum, & misericordiam diligentibus se: & demum, quòd est reddens osoribus sui, quod merentur: ad hæc enim omnia sciendum ex operibus diuinis concomitantibus, dilectus, & electus est populus Israël.

In mille generationes.] Numerus finitus pro infinito ponitur: & dicitur hoc ad differentiam iustitiæ vindicatiuæ: declarat enim Moses disparitatem inter diuinam misericordiam relatiuè ad diligentes Deum, & diuinam iustitiam relatiuè ad osores Dei. De iustitia siquidem dixerat Deus in primis suis præceptis, se visitare iniquitatem patrum vsque ad quartam generationem: de misericordia autem ex verbis eiusdem Dei ibidem declaratur, quòd extenditur, non ad quartam, sed ad millesimam generationem, vt eminentia misericordiæ perpendatur.

Vers. 10. Et reddens odientibus se statim.] Iuxta Hebræum non habetur, *statim*; sed, *In faciebus suis ad perdendum eum.* Et immediatè subiungitur:

Non tardabit osori sui: in facie ipsius reddet ei.] Nec caret quæstionis scrupulo sententia

[a] Propter hanc legẽ, qua inhibita erãt connubia cũ alienigenis, separare fecit Esdras filios transmigrationis à propriis vxoribus, connubia illa, vtpote illegitima, dirimenda censens. Vide Authorem Esdræ 10. cap. Verum non erat hac lege prohibitum coniugium cum gentibus vniuersaliter; sed duntaxat cũ septem nominatis nationibus, vt legimus, Dauidem in coniugẽ accepisse Thalmai filiam Regis Gessur, 2. Reg. 3. & Salomonem filiam Regis Pharaonis 3. Reg. 3. Vide Authorem in illis locis.

[b] Varia traditur apud Historicos classicos de primis idololatris in mũdo. Sunt, qui principium simulacrorũ referant ad Prometheum, Iapeti filium; alij ad Herculẽ. Plinius libro 34. de statuis, quæ hominibus consecrabãtur, differens, nihil certi de earum origine tradit, sicut nec de picturæ initiis. Sed vtcunque de his res habeat, nõ existimandũ est; idololatriam protinus apud omnes inoleuisse, cùm simulacra fieri cœperunt: nam ad tempus habita sũt pro memoraculis, per quæ immodico amicorum, & Principum desiderio languentes, imaginibus solatium quoddam quærebãt, & illis quodammodo oculis suis repræsentabant. Nam priscæ gentes Deum sine huiusmodi instrumentis coluerũt, (vt tradunt,) nõ nõ defuerunt, qui dãnarẽt & proiicerent nã testibus Herodoto & Strabone, Persæ contra statuarũ, ararum, & templorum hostes, solũmodo sacrificas se in loco excelso, & mundo, cum imprecationibus. Et Xerxes, magnus ille Persarum Rex, Græca templa inflammasse legimus, quòd nefas duceret includere parietibus Deos. Plutarchus etiam in vita Numæ Pompilij inquit, Numam Romanis prohibuisse, ne inter eos facta, aut picta Dei species esset, inquiens, nefas esse deterioribus meliora assimilari, cum non aliter quàm intelligẽtia percipi possit Deus. Cùm igitur in principio memoracula essent idola & instramenta virtutis, testimoniaque gratitudinis, succedẽtibus sibi sæculis ad religionem trãslata sunt. Accesserunt aræ, sacrificia, delubra, & luxuriosus Deorum cultus, quo auitus ille expulsus est. Cumque idola apud priscos toga facta fierẽt, honestaque, (vt est apud Pliniũ,) demum non nuda tantùm, sed obscœnissima inducta sunt, & illorum sacra impura, profana, & nefanda. Ita propter idola spurca fœdera, & execranda impietas triumphaunt, victore Satana in mundo. Quare non mirãdum, si toties Scriptura simulacra abominetur.

sententia hæc: quandoquidem experientia teste apparuit, non solùm in nationibus aliis, sed etiam in populo Israële, differre Deum vindictam: clarè enim apparet, tempore Ieroboam peccasse decem Tribus idololatria iugi; & tamen non fuisse tunc populum punitum, vt ista Litera sonat. Solutio est, quòd iuxta contextum Literæ, cùm hæc dicantur scienda ab ipso populo, (proculdubiò ex factis Dei,) & ad populum Israël non spectet scire opera specialia Dei, nisi facta circa eos, vel propter eos; consequens est, quòd de iudiciis Dei circa eos specialiter sit sermo iste: iuxta interpretationem Authoris secundi libri Machab. cap. 6. dicentis, penes hoc differre populum Dei ab aliis nationibus, quòd populus Dei castigatur; aliæ autem nationes permittuntur diutiùs impunes. Et si considerarentur facta Dei, etiam Ieroboam in facie puniri cœpit: nam & aruit manus eius, & filium amisit. Sed non sunt scriptæ omnes punitiones: & propterea non apparet verificatio huius sententiæ semper: ex frequenti tamen verificatione scripta in libro Iudicum, colligendum est verificatam semper fuisse.

Sed aduertendum, quòd non habetur ex litera ista, quòd Deus quemlibet osorem sui perdet in illius facie absolutè: quoniam Moses declarando sensum suæ sententiæ subiungit: *Non tardabit osori sui: in facie eius reddet ei.* Per hoc enim, quòd adiungit, *non tardabit*, manifestat, quòd non differet vltra tempus congruum punitionem: ita quòd reddet osori sui in facie eius, non absolutè, sed non differendo vltra tempus congruum secundùm diuinum iudicium. Dicitur enim hoc ad differentiam iustitiæ humanæ, quæ quandoque non fit, & quandoque differtur vltra debitum tempus. Et iuxta hunc sensum vniuersalis est hæc sententia, vt Litera sonat. Et dixit hæc Moses specialiter populo illi tunc præsenti, ad insinuandum illis, quòd iam erat tempus puniendi illas septem gentes; iam venerat tempus expectatum à Deo, de quo dixerat ad Abraham: *Nondum completæ sunt iniquitates Emoræorum.* Et quadrat verbis Mosis, dicentis populo illi: *Et scies, quod Deus est reddens osoribus sui in faciebus suis absque tarditate.* statim enim vt congruum tempus vindictæ aduenit, videntes iudicia Dei contra illos, sciuerunt, quòd Deus nunquam tardus est. Hic sensus videtur complectendus tanquàm literalis.

Vers. 11. Custodi ergo præcepta, & cæremonias, atque iudicia, quæ ego mando tibi hodie, vt facias.] Propositis bonis, ad quæ diligit, & elegit Deus populum Israël, declarat modum assequendi illa: manifestando medium ad illa assequendum esse obseruationem istorum præceptorum diuinorum.

Vers. 12. Si postquàm audieris.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erit vsque audietis iudicia hæc, & custodietis, ac facietis ea.* Declaratur, quòd tandiu habebunt hæc bona, quandiu obedient diuinis præceptis. Et hinc habes, quòd diuina dilectio, & electio nostram exigit obedientiam ad sui executionem.

Custodiet Dominus Deus tuus tibi pactum, & misericordiam, quæ iurauit patribus tuis.] Exequitur singula proposita scienda, incipiens ab illa particula, custodiens pactum. Declarat enim, quod quandiu obedieritis, Deus custodiet pactum, & gratiam iuratam patribus.

Vers. 13. Et diliget te.] Intellige, dilectione subsequente. Dupliciter enim diuina consideratur dilectio. Vel vt præueniens: & sic est absque nostris meritis; & est primum donum, & radix omnium donorum. Vel vt subsequens: & sic respondet nostris meritis: & sic de ea est hîc sermo.

Et benedicet, ac multiplicabit.] Deficit, *te.* Ecce pactum cum gratia promissa Patribus, multiplicatio populi, quasi stellarum, & arenæ maris cum opulentia, quæ subiungitur in benedictione fructus ventris, & terræ, &c.

Benedicétque fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ, (frumento, & musto, & oleo tuo,) armentis, & gregibus ouiũ tuarum super terram, pro qua iurauit Patribus tuis ad dandum eam tibi.

Vers. 14. Benedictus eris inter omnes populos: non erit apud te sterilis vtriusque sexus, tam in hominibus, quàm in gregibus tuis.

Vers. 15. Auferétque Dominus à te omnem languorem: & infirmitates Ægypti malas, quas nouisti, non inferet tibi.] Quales fuerint ægritudines istæ malæ, nescimus.

Sed cunctis hostibus tuis.] Transit ad declarandum aliam particulam; videlicet, ad sciendum, quòd Deus est El: manifestando fortitudinem, qua vtetur Deus pugnando pro eis aduersùs hostes eorum, & monendo ad magnanimitatem ab exemplo diuinæ fortitudinis monstratæ pro eis aduersùs Ægyptios.

Vers. 16. Deuorabis omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus est tibi: non parcet eis oculus tuus: nec seruies Diis eorum, quia in ruinam tuam erit.

Vers. 17. Si dixeris in corde tuo: Plures sunt gentes istæ, quàm ego; quomodo potero delere eas?

Vers. 18. Noli timere; sed recordare, quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharoni, & cunctis Ægyptiis,

Vers. 19. Plagas magnas, quas viderunt oculi tui, & signa, atque portenta, manúmque robustam, & brachium extentum, vt educeret te Dominus Deus tuus: sic faciet cunctis populis, quos metuis.

Vers. 20. Insuper & crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos.] Non est dubitandum, quòd effecerit Deus, quod hîc promittitur, seruante populo legem eius: verùm nescimus, vbi, & quando in specie hoc fuerit impletum; nisi quòd commemorando scribitur Iehosue 24. factum quidem; sed contra quos, & quando obscurè: vt ibi discutietur.

Donec deleat omnes, atque disperdat, qui te fugerint, & latere non potuerint.] Iuxta Hebræum habetur: *Quousque perdet remanentes, & abscondentes se à facie tua.* Nescimus enim, si huiusmodi remanétes, & occultantes se Deus persecutus fuerit huiusmodi animalibus, quæ crabrones

à quibusdam, vespæ autem ab aliis vocantur.

Vers. 21. Non timebis à facie eorum: quia Dominus Deus tuus in medio tui est, Deus magnus, & terribilis.] Iuxta Hebræum habetur, *El magnus, & terribilis.* Hæc enim omnia ad Deum, quatenus fortis, & magnus est magnitudine virtutis, & incutiens timorem factis suis, spectant.

Vers. 22. Ipse consumet gentes has à conspectu tuo paulatim, atque per partes: non poteris delere [c] eas pariter, ne fortè multiplicentur contra te bestiæ terræ.] Ad tertiam transit partem; videlicet, ad sciendum, quòd ipse est Elohim. Nam ad suauem gubernationem spectat, quòd Deus non consumet omnes gentes terræ illius simul; sed paulatim propter rationem subiunctam; videlicet, ne in terra destituta habitatoribus, & cultoribus multiplicentur bestiæ contra ipsum populum Israël. Ipse enim populus Israël non erat tantæ multitudinis, vt sufficeret ad habitandum, & colendum vniuersam terram hostium.

[c] Duæ aliæ rationes assignantur Iudic 2. & 3. quare Dominus non simul illas gẽtes deleuerit.

Vers. 23. Dabitque eas Dominus Deus tuus in conspectu tuo] Etsi differet, attamen tradet illas gentes Deus tibi.

Et interficiet illas, donec penitùs deleantur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et reddet attonitas eas stupore magno vsquequò destruentur.* Dictio interpretata, *stupore*, ob penuriam vocabuli est sic interpretata: Hebraïcè enim sonat (si dicere liceret) attonitionem. Est enim nomen illius verbi, quod significat facere attonitum. Et promittitur per hoc, quòd gentes illæ, quæ destruendæ paulatim relinquentur, non insurgent aduersùs Israëlitas interim: quia Deus faciet illas attonitas non parum; sed valdè, vsque ad tempus, quo destruentur. Et disponitur hoc à suauissimo Gubernatore, vt omni ex parte electus populus tutus sciat, quòd ipse est Elohim suauiter gubernans omnia.

Vers. 24. Tradétque Reges earum in manus tuas, & disperdes nomina earum de sub cælo: nullus stabit in facie tua, donec conteras eas.

Vers. 25. Sculptilia [d] Deorum ipsarum igne combures: non concupisces argentum, & aurum, ex quibus facta sunt, & accipies tibi.] Et hoc ad suauem gubernationem spectat. Prohibetur argentum, vel aurum, quod est materia idoli, in humanos vsus conuerti. *Ne offendas propter ea.* Legendum est, ne offendas in ipsum. Sonat enim litera Hebraïca, ne ad similitudinem cespitantis offendas in huiusmodi aurum, & argentum: & cadas consequenter à rectitudine. *Quia abominatio est Domini Dei tui.* Prima ratio peccati appropriantis sibi materiam idoli redditur ex eo, quòd in iniuriam veri Dei materia illa formata est in idolum: & propterea abominabilis directè est Deo: ac per hoc destruenda est igne, & Deo, in cuius iniuriam posita erat, danda est.

[d] Plin. in 14 libro asserit, ex Asia delatam esse luxuriam in tẽpla, & simulacra. Nã horum materia pretiosa, & ornatus elegans, idolis maiestatẽ addebant, ipsaq; reddebant veneranda, & tremenda. Inuentũ certè fuit Satanæ, & sacrificulorum, qui sciebãt, hac vanitate, & idolorum pompa plurimùm delectari vulgum, adeóq; capi, & in errore detineri. Quod conqueritur Lactant. contra gẽtes de tanto idolorum ornatu. Sic legimus auream Nabuchodonosor statuam. Legimus & apud Herodotum multa alia, supra quàm dici possit magnifica, quæ de Belo Ioue, & eius tẽplo refert prorsus incredibilia.

Vers. 26. Non inferes ex idolo quippiam in domum tuam, ne fias anathema, sicut & illud est.] Altera ratio peccati redditur: quia materia illa est anathema. Et dictio interpretata, *anathema*, significat, *destructionem*: in Leuitico enim diximus, ab Hebræis appellari *destructionem*, quod Græcè dicimus *anathema*: quia destructionis periculum imminet vsurpanti illud. Et hæc pœna hîc significatur dicendo: Ne sis destructio, sicut illud: hoc est, ne sis destructioni obnoxius, sicut & illud.

Quasi sputitiam detestaberis, & velut inquinamentum, ac sordes abominationi habebis, quia anathema est.] Priùs dixerat: *Non concupisces.* modò declaratis conditionibus eius, (quia, videlicet, res abominabilis est Deo, quia anathema est;) infert, quòd coram te etiam erit tanquàm abominabile, ita vt nec velis videre illud.

CAPVT VIII.

OMne mandatum, quod ego præcipio vobis hodie, custodietis ad faciendum: vt viuatis, & multiplicemini, & ingrediamini, & possideatis terram, pro qua iurauit Dominus Patribus vestris. VERS. 1.

Vers. 2. Et recordaberis cuncti itineris, per quod duxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum.] Non recedit Moses à declaratione contentorum in primis Dei mandatis: continetur enim in eis inter alia etiam hoc, videlicet: *Qui eduxit te de terra Ægypti.* Ad eductionem enim Israël ex Ægypto spectat vniuersa via vsque ad terram promissam: quia ad hoc eductus est, vt induceretur in terram promissam Patribus primis. Tractans itaque pleniùs verba Dei in primis præceptis Moses, declaraturus gesta in via, incipit rationem reddere, quare Deus multas afflictiones populo dederit in via.

Vt affligeret te, atque tentaret [a], & nota fierent, quæ in tuo animo versabantur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et nota fierent.* sed habetur verbum actiuum: *Ad sciendum, quæ in corde tuo, vtrum custodires mandata illius, an non.* Ratio afflictionis prima redditur, *tentatio*, ad experimento noscendum in opere exteriore dispositionem cordis. Et est sermo iste metaphoricus: Deus enim nouit corda hominum absque extrinseca tentatione: sed humano more facta Dei declarat Moses ad instar hominis affligentis aliquem, vt exploret cor afflicti in tempore afflictionis; an, videlicet, murmuret; an patiens sit, & mansuetudinem seruet. Simili siquidem modo describitur Deus, quòd afflixerit populum in via, multipliciter tentando ad sciendum experientia operis cor populi relatiuè ad mandata Dei; an, scilicet, in afflictione seruaret mandata Dei, an non: cor enim rectè dispositum, & erga Deum integrum, atque perfectum, non recedit à mandatis eius tempore afflictionis: sicut nec verus amicus afflictus recedit ab amico. Vbi aduerte, prudens lector, quòd, quemadmodum Deus dicitur irasci secundùm similitudinem effectus, (quia operatur instar irati:) ita dicitur tentans ad sciendum, quia operatur ad similitudinem tentantis

[a] Tentat nanque, id est, explorat Deus homines varie. Hinc est tẽtatio à dextris, & à sinistris. A dextris, quum abundant carnis felicitates, sanitas, diuitiæ, &c. Tentamur & à sinistris, cruce, afflictione, & id genus malis. Sic tentauit Abrahã, eãque tẽtatione protulit in lucem, quę in corde ipsius latebãt, fidem certam, & obedientiã pronam. Non aliter tentauit Iob, tentátque Sanctos quoslibet. De qua tẽtatione Petrus in priore epist. c. 1. Tentauit etiam variis afflictionibus Israëlitas in deserto, & sic effecit, vt bona pars suam, quam corde tenebant, etiam ipsis absconditam diffidentiam, & Dei contemptum proderent, vt hoc loco habes. Sed contrarium his videtur illud Iacobi *Deus, vt tentari non potest, ita ipse neminem tentat.* In qua sententia voluit Iacobus, ne quis ita tentationis authorẽ Deum faceret, vt suã in ipsum culpam reiiceret, atque transferret, seu Deo, & nõ

ipsi peccanti debeat peccatum imputari, quod impij facere solent. Vel de ea tentatione loquitur, qua quotidie Sancti ad peccandum, & indulgentissimum patrem offendendum rapiuntur in hoc mūdo agentes. Nam caro nostra non infirma tātùm ad bonum, sed etiam pertinax incitatrix est ad malum; Diabolus quoque in morem rugiētis leonis circuit quærens, quem deuoret. Cōtra quam tentationē est petitio orationis Dominicæ. Quod verò de hac tentatione loquatur Iacobus, ipse exprimit, inquiens: *Vnusquisque tentatur, dum a propria concupiscentia abstrahitur, & inescatur.* Exponunt alij, Deum neminem tentare, vt perdat; sed magis vt probet, & seruet. Satanas è contrario.

tentantis ad sciendum cor. In Deo tamen non inuenitur ira secundùm proprietatem, nec tentare ad sciendum cor: hæ enim similitudines, vt nos intelligamus, more nostro assumuntur in sacra Scriptura.

Vers. 3. Afflixit te penuria] Iuxta Hebræum habetur: *Et afflixit te, & fecit esurire te.* Explicatur in specie afflictio famis ob defectum panis in via.

Et dedi tibi cibum manna, quod ignorabas tu, & Patres tui.] Quamuis afflixerit, non tamen in afflictione deseruit; sed fecit te comedere manna ignotum tibi, & Patribus tuis. Loco communis panis prouidit Deus manna tantò diuinius, quantò nec tibi, nec Patribus tuis antè fuerat notificatum: quamuis hoc etiam ad excellentiam mannæ spectare possit, vt tantò intelligatur excellentius pane communi, quantò rarius: vtpote nec tibi, nec Patribus tuis anteà datum.

Vt ostenderet tibi.] Finis proprius huius prouisionis manifestatur communicatio notitiæ, vt hinc, quod Deus sciebat, scires & tu, experientia teste, videlicet,

Vt ostenderet tibi, quòd non in solo pane viuit homo.] Communis enim humano generi substantia cibi est panis: & communiter absque pane non viuit homo vita proportionata vegete, & robusta: experientia autem quadraginta annorum tantus populus assuetus vesci pane, vixit absque pane generando, & multiplicando corporibus vegetis, & robustis ex alimento mannæ loco panis.

Sed in omni verbo, quod egreditur ex ore Dei [c].] Iuxta Hebræum habetur: *Quia in omni egressione ex ore* יהוה *viuet homo.* Sed quoad sensum nil refert: quoniam Hebraïcæ linguæ consuetudine verbum non solùm sumitur pro sermone; sed etiam pro re, quæ sermone proferri potest: & propterea licuit Interpretibus loco egressionis ex ore (quod est commune verbis, & rebus) ponere verbum: vt Matth. etiam 4. scribitur. Ex ore siquidem Dei egreditur omne, quod fit: quoniam ipse dixit, & facta sunt. Nec est sensus, quòd homo viuet in omni, quod egreditur ex ore Dei absolutè, (cùm homo non possit viuere ex ferro, & aliis eiusmodi factis à Deo ineptis ad esum;) sed est sensus, quòd in omni egressione ex ore Dei, ad hoc vt homo viuat, homo viuet. Et per hoc insinuatur, quòd manna illud non naturale opus erat: sed mixtura diuinitùs facta ad alendum loco panis, suauiùs quàm panis alit.

[c] *Verbum egrediens de ore Domini*, phrasi Hebraïca virtus est, & Domini potentia, qua sustentamur æquè sine solito cibo, atque per cibum; siue in locū cibi substituat aliud quippiā, vt huic populo Man ministrauit; siue nihil: vt Mosen, Heliā, ac Christū sine omni cibo seruauit. Hunc textum satis interpretatus est Christus Matth. 4.

Vers. 4. Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit.] Iuxta Hebræum habetur: *Vestimentum tuum non veterauit desuper te.* Non solùm non defecit vetustate, sed nec deterius effectum est. Hoc enim potiùs significat Hebraïca dictio: nam ad literam significatur, quòd vestimenta ex vsu quadraginta annorum non effecta sunt deteriora Vide benignitatem Dei in via: quamuis paululùm afflixerit fame panis; prouidit tamen non solùm de manna loco panis; sed & de vestitu, ne vsu deterior efficeretur. Et quod amplius est:

Et pes tuus non est subtritus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et pes tuus non tumuit istis quadraginta annis.* Magna gratia, vt itinere quadraginta annorum, de victu, de vestitu, déque incolumitate prouideret Deus. Ex hoc enim, quòd pes non tumuit, insinuatur, quòd nullam aliam ægritudinem incurrerunt. Exceptione tamen subintellecta percussionis peccatorum, qui infra illos annos damnati fuerant à Deo ad mortem.

Vers. 5. Vt recogites in corde tuo.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et scies cum corde tuo, quod sicut erudit vir filium suum, sic Dominus Deus tuus erudit te.*

Vers. 6. Vt custodias mandata Domini Dei tui, & ambules in viis eius, & timeas eum.] Ecce quorsum Deus affligit, & tentat ad sciendum cor; videlicet, ad exercendum officium paternæ eruditionis; hoc est, ad hoc, vt vos homines humano more ab ipso erudiamini, vt filij à patre, ad effectum obseruationis mandatorum Dei, & profectus in viis eius, (quæ sunt virtutes,) & ad timendum ipsum.

Vers. 7. Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam; terram torrentium aquarum, fontium, & abyssorum, erumpentium in vallibus, & in montibus;

Vers. 8. Terram frumenti, & hordei, & ficus, & vitis, & granati; terram oliuæ, olei, & mellis;

Vers. 9. Terram, vbi absque penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris.] Manifestat paternum officium castigando ab effectu; videlicet, quia Deus introducet te in terram bonam, &c. ex hoc enim, quòd Deus præparauit tibi tot bona, nosse potes, quòd ad erudiendum te, affligendo quandoque tentat paternæ.

Cuius lapides ferrum sunt, & de montibus eius metallum æris foditur.] Petrosam aiunt esse terram feracem ferri: terra enim habens mineras ferri, & æris significatur.

Vers. 10. Et comedes, & saturaberis: & benedices Domino [d] Deo tuo propter terram bonam, quam dedit tibi.

Vers. 11. Caue tibi, ne quando obliuiscaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius, atque iudicia, & cæremonias, quæ ego præcipio tibi hodie:

Vers. 12. Ne postquàm comederis, & satiatus fueris, domósque pulchras ædificaueris, & habitaueris in eis,

Vers. 13. Habuerísque armenta boum, & ouium greges, ac argenti, & auri, cunctarúmque rerum copiam,

Vers. 14. Eleuetur cor tuum, & obliuiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti de domo seruitutis.] Facilè est, opulentiam parere eleuationem cordis, & obliuionem beneficiorum: & propterea Moses declarando viam, præmonet, ne adueniente opulentia obliuiscantur beneficiorum diuinorum, quæ receperunt in via.

[d] *Domino benedicere*, est ipsum magna cū celebritate vbique, & semper prædicare, & magnificare, officiū certè omnium Sanctorum Dei, siue in prosperis, siue in aduersis. Sic Iob omnibus destitutus: *Dominus* (inquit) *dedit, Dominus abstulit. Sit nomē Domini benedictum.* Nec aliud orare nos docuit Christus, nisi sanctificaretur, & benediceretur nomen Dei. Cæterùm, quum multi spiritus opus sit florentibus rebus Domino benedicere, & , vt iuxta Paulū est, diuitiis vti tanquam non vtaris, sciens humiliari, & sublimari; ideò monet Moses, vt caueant. Cæterùm Münsterus multa de traditionibus cōmemorat, quas Iudęi ante Christi tempora adinuenerunt occasione huius textus. Vide hoc loco.

Vers. 15. Et ductor fuit in solitudine magna, atque horribili: in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio, ac dipsas.] Iuxta Hebræum habetur: *Serpens ardens, & scorpio.* Nihil dicitur, quòd flatu aduret; sed sermo est de serpentibus scriptis Num. 21. de

quibus, nec hîc, nec ibi ſcribitur, quòd flatu adurerent: ſed ibi ſcribitur, quòd mordendo lædebant: vbi & declaratum eſt, quare dicantur ardentes. Quod autem dicitur de ſcorpionibus, nouum eſt: nec ſcimus, quando iſta afflictio à ſcorpionibus fuerit. Nec ex contextu habetur, quòd ſimul fuerit cum ſerpentibus: quia eodem contextu immediatè ſubiungitur: *Et ſiccitas, qua non aqua.* Huiuſmodi enim penuria aquæ pluries fuit (vt patet Exod 17. & Num. 20.) in diuerſis locis; ſed nunquam ſcribitur, quòd fuerit in loco ſerpentum.

Qui eduxit tibi aquas de petra duriſſima.

Verſ. 16. Qui cibauit te manna in ſolitudine, quod neſcierunt patres tui: & poſtquàm afflixit, ac probauit te, ad extremum miſertus eſt tui.] Iuxta Hebræum habetur: *Vt affligeret te, & vt tentaret te, ad benefaciendum tibi in fine tuo.* Primùm dixerat, Deum affligere, & tentare ad ſciendum cor, relatiuè ad mandata Dei: poſteà adiunxit, quòd hoc fecit Deus paterno officio erudiendo, tanquam filium. Modò dicit, quòd vniuerſum hoc officium refert Deus ad benefaciendum tibi in fine viæ tuæ, ad dandum tibi opulentiam terræ promiſſæ.

Verſ. 17. Ne diceres in corde tuo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dices in corde tuo.* Continuatur enim litera longa conſtructione cum præcedentibus: *Ne quando comedes, & ſaturaberis,* &c. *Et eleuabit cor tuum,* &c. Huic enim continuatur hæc particula: *Et dices in corde tuo.* explicatur ſiquidem cogitatio eleuati cordis.

Fortitudo mea, & robur manus meæ hæc omnia mihi præſtiterunt,[c].] Arrogare propriis viribus diuinum beneficium inhibetur.

[c] Sic ſentit impium hominis cor, vbi affluxerunt diuitiæ, nō aduertens eſſe metas benedictiones Dei.

Verſ. 18. Et recordaberis Domini Dei tui: quia ipſe vires tibi præbuit.] Quanuis de beneficio naturalium virium loquendo, hoc verum ſit in vniuerſo, (quia opus naturæ eſt beneficium diuinum;) hîc tamen eſt ſermo de ſpeciali beneficio gratuito, quo Deus vires animi, & corporis dedit populo, vt teſtantur ſcripta.

Vt impleret pactum ſuum, quod iurauit Patribus tuis, ſicut præſens indicat dies.

Verſ. 19. Si autem oblitus fueris Domini Dei tui, & ſecutus fueris Deos alienos, colueriſque illos, & adoraueris, ecce nunc prædico tibi, quòd omninò diſpereas.] Iuxta Hebræum habetur: *Teſtificor vobis hodie, quod pereundo peribitis.* Verum teſtimonium, quòd Deus gratuitò dat vires, perhibetur ab effectu, ex hoc, quòd relinquentibus vobis Deum, peribitis: hinc enim manifeſtatur, quòd Deus eſt, qui roborat vos.

Verſ. 20. Sicut gentes, quas delebit Dominus in introitu veſtro; ita & vos peribitis, ſi inobedientes fueritis.] Iuxta Hebræum habetur: *Vſque non audietis voci Domini Dei veſtri.* Augetur manifeſtatio teſtimonij ex eo, quòd tandiu perſeuerabit veſtra ruina, quandiu non obedietis voci Iehouah Elohe veſtri.

CAPVT IX.

VERS. 1.

Audi, Iſraël: tu tranſis hodie [a] Iardē, vt hæredites gentes maiores, & fortiores te, ciuitates ingentes, & ad cælum vſque muratas:

[a] *Hodie, & cras,* plures dies ſignificant, quēadmodū, & familiari ſermone cōſueuimus dicere: Hodie, & cras fiet hoc. Sic Chriſtus dicens: *Sanitates perficio hodie, & cras, & tertia die conſummor.* non intra tam breue temporis interuallum mortem circunſcripſit; ſed breui venturam declarauit. Vſurpatur & *hodie* pro toto tempore præſentis ſæculi, poſt aduentū Domini, vt Paulus ad Hebræos: *Hodie ſi vocē eius audieritis,* &c. quandoque Diuinitatis æternitatem deſignat, vt Pſalm. 2. *Ego hodie genui te.*

Verſ. 2. Populum magnum [b], atque ſublimem, filios Hanacim, quos tu noſti, & audiſti, quibus nullus poteſt ex aduerſo reſiſtere.] Iuxta Hebræum habetur: *Quis ſtabit in faciebus filiorum gigantis.* Refert Moſes verba audita à populo: fuerunt enim hæc verba dicta ab exploratoribus.

[b] Nec hic prætermittere volo, quod nonnulli recenſent, Noë, & Dauidem, ſcilicet, gigantes, & immani magnitudine fuiſſe. De Noë illud refert Beroſus. De Dauide autem Scriptura ipſa innuit, non fuiſſe multò proportione minorem Goliath, qui gladium illius ſibi datum ab Achimelech Sacerdote ſuſcepit, 1 Reg 21. ſi ergo gladius tam mōſtruoſus poterat Dauidi eſſe vſui, poterátque eum mutare, & deferre, non erat multùm diſtans corporis proportio. Idē etiam patet 1 Reg 17. nam, quū eſſet puer, in tantam iam ſtaturam creuerat, vt ferè Saüli æquari poſſet, & comparari; quum tamen Saül altior eſſet omni populo ab humeris, & ſuprà: nō enim Saül Rex Dauidem ſuo proprio apparatu induiſſet, etiam vſque ad cinctuam enſis, niſi illi fuiſſet idoneus: erat igitur Dauid totus in armis Saüli ſimilis.

Verſ. 3. Scies ergo hodie, quòd Dominus Deus tuus ipſe tranſibit ante te ignis deuorans, atque conſumens.] In Hebræo non habetur, *& conſumens.* Proſequitur Moſes diuina beneficia in via, quæ ſupereſt; promittendo, quòd Deus ad ſimilitudinem ignis deuorantis præcedet populum.

Qui conterat eos, & deleat, atque diſperdat ante faciem tam velociter.] Iuxta Hebræum habetur: *Ipſe deſtruet eos, & ipſe humiliabit eos coram te, & hæreditabis eos, & perdes eos citò, ſicut locutus eſt Dominus tibi.* Iſti ſūt effectus Dei præcedentis inſtar ignis vorantis.

Verſ. 4. Ne dicas corde tuo, quum deleuerit eos Dominus Deus tuus à facie tua: Propter iuſtitiā meā duxit me Deus ad poſſidendum terram iſtam.] Priùs monuit, ne arrogarent ſibi potentiam, ſed diuinam agnoſcerent potentiam pugnantē pro eis: modò monet, ne pro propriis meritis arrogent diuinum beneficium. Contingit enim quandoque agnoſcere benefactorem, ſed errare in hoc, quòd propriis meritis deberi huiuſmodi beneficium creditur.

Quum propter impietates ſuas iſtæ gentes deletæ ſint.] Aliud eſt debitum alienæ impietati, & aliud eſt debitum tuis meritis.

Verſ. 5. Neque enim propter iuſtitiam tuam, & æquitatem cordis tui ingredieris, vt poſſideas terras earum: ſed propter impietatem gentium iſtarum Dominus Deus tuus expellit eas à facie tua, & vt compleat verbum, quod ſub iuramento pollicitus eſt Dominus Patribus tuis, Abraham, Iſhac, & Iahacob.] Rationem monitionis reddit triplicem. Prima eſt negatiua: quia, neque propter iuſtitiam tuam in exteriori opere, neque propter rectitudinem cordis tui in intimis, Deus introducit te in terram promiſſam. Secūda autē eſt affirmatiua, & ſimiliter tertia; videlicet, quòd propter impietates ſuas gentes iſtę deſtruentur, & propter fidē ſeruandā patribus Deus dat tibi terrā iſtarum gentiū. Et iunxit has rationes, ad inſinuandum, quòd Deus, vt benefaciat populo Iſraël, ſeu vt ſeruet pactum cum Patribus, non nocet aliis; ſed expectat tempus, quo iuſtitia exigente humiliandi, ſeu delendi ſunt alij; & ſic bona illorum tradit iis, quibus vult benefacere.

Verſ. 6. Scito igitur, quòd non propter iuſtitiam tuam Dominus Deus tuus dederit tibi terrā hanc bonam in poſſeſſionem, quum duræ ceruicis ſis [c] populus.] Longo ſermone manifeſtare intendit primam rationē; videlicet, non propter iuſtitiam tuam.

[c] Paulus Rom. 11. hoc argumento vetat gētes extolli aduerſus ruinam Iudæorum.

Ad

Ad hoc enim primùm affert conditionem populi valde malam, metaphorico sermone significatam per duritiem ceruicis: inflexibilitas siquidem significatur: habentes enim ceruicem mollem, flectuntur, & perseuerant in ceruice flexa: habentes autem ceruicem duram, resistunt flexioni, & ceruicis cum capite simul inclinationem potiùs, quàm ceruicis flexionem patiuntur. Et propterea modico tempore perseuerant humiliato capite; hoc est, subiecto diuinis traditionibus. Hæc populi conditio (tanquam omnium rebellionum, quas Deo fecerunt, radix) præponitur, & pluries repetitur.

Vers. 7. Memento, & ne obliuiscaris [d], quomodo ad iracundiam prouocaueris Dominum Deum tuum in solitudine: & ex eo die, quo egressus es de Ægypto vsque ad locum istum semper aduersùs Dominum contendisti.] Manifestat Moses ab effectu hanc malam populi conditionem, ex eo, quòd in toto itinere ab exitu ex Ægypto, vsque ad Iordanem, prouocauerit iram Dei rebellando: nam, vbi legitur: *Aduersùs Dominum contendisti*. iuxta Hebræum habetur; *Rebelles fuistis* יהוה. Sufficiens enim testimonium internæ ceruicis duræ habetur ex tam crebra tanto tempore recidiua rebellione.

[d] Iubet hic Moses, Israëlitas suorum peccatorum meminisse, & illud in mõte Sinaï peccatum vituli adorati præ cæteris magna vi verborum vrget. Nil enim præsentiùs mederi potest præsumptioni humanæ, quã recordari præteritarum impietatum, & scelerum. Sic Paulus Ephesiis delicta præterita proponit inquiens: *Quem fructũ habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis!* & Petrus 2. canon. c. 2. acriter eos taxat, qui præteritorum remissionem obliuiscentes, securi, & frigidi, deinde perfracti, & superbi fiunt.

Vers. 8. Nam & in Choreb prouocasti eum, & iratus delere te voluit.] Non est in Hebræo, *nam*: incipiendum enim fuisset à ripa maris rubri: sed omissis illis incipit commemorare in specie rebelliones eorum à monte Sinaï.

Vers. 9. Quando ascendi in montem, vt acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti, quod pepigit vobiscum Deus: & perseueraui in monte quadraginta diebus & quadraginta noctibus panem non comedens, aquam non bibens.] Tempus rebellionis significatur; tempus, quo Moses fuit in monte ex præcepto Dei ad accipiendum duas tabulas lapideas, vt scriptum est Exod. 34.

Vers. 10. Deditque mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei, & continentes omnia verba, quæ vobis locutus est in monte de medio ignis [e], quando concio populi congregata est.] Dictio interpretata, *Dei*, est nomen Elohim quadrans Scripturæ: legislatoris enim officium est scribere leges.

[e] Legis maiestatem, & pretium præmissis, & sequentibus magnis signis, & portentis orbi commendauit Dominus: nec sine maiestate admirabili voluit legẽ suã dare: nouerat enim omnia eius opera huiusmodi signis apud homines admirabiliora videri, nã sublimia, & rara semper stupet caro ideò auditæ sunt voces, tonitrua, & sonitus buccinæ, visa sunt fumus, nubes, coruscationes, pluuiæ ac fulgura super montem.

Vers. 11. Cùmque transissent quadraginta dies, & totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas fœderis:

12. Dixitque mihi: Surge, descende hinc citò.] Ex hoc, quòd dicitur ad Mosen, *surge*, insinuatur, quòd non stabat Moses coram Deo; sed vel genuflexus, vel prostratus erat: reliqua in Exodo exposita sunt.

Quia populus tuus, quem eduxisti ex Ægypto, deseruit citò viam, quam monstrasti eis: feceruntque sibi conflatile.

13. Rursùmque ait Dominus ad me: Cerno, quòd populus iste duræ ceruicis sit:

14. Dimitte me, vt conteram eum, & deleam nomen eius de sub cælo, constituámque te super gentem, quæ hac maior, & fortior sit.

15. Cùmque de monte ardente descenderem.] Iuxta Hebræum habetur: *Et verti me, & descendi de monte, & mons ardens in igne: & duæ tabulæ fœderis in duabus manibus meis.* Dicendo, *verti*, insinuat, quòd versus ad cacumen montis fuerat loquens cum Deo. Vertit enim se versùs montis descensum. Ardentem autem igne montem suspicor, non vero igne, sed ignis specie, qualis ignis fuit, qui ardebat in rubo: & propterea absque speciali miraculo Moses in monte ardente igne fuit incombustus.

Vers. 16. Respexíque, & ecce peccaueratis Domino Deo vestro, feceratis vobis vitulum conflatilem, defeceratis citò de via, quam præceperat vobis Dominus: & proieci tabulas.] Deficiunt quinque dictiones: *Et apprehendi in duabus tabulis.* Deinde sequitur:

Vers. 17. Et proieci eas de manibus meis, confregíque eas in conspectu vestro.] Non est sensus, quòd depositas iterum apprehenderit tabulas; (nam descripsit se descendentem cum duabus tabulis in duabus manibus suis:) sed est sensus, quòd tabulas, quas in manibus habebat, ad mutuam collisionem apprehendit, vt altera alteram frangeret. Et hoc significatur dicendò, quòd apprehendit in duabus tabulis; hoc est, in percussione mutua duarum tabularum. hinc enim secuta est fractio, & proiectio è manibus.

Vers. 18. Et procidi ante Dominum.] Clariùs habetur Hebraïcè: *Et ieci me coram Iehouah, sicut prius.* Et hinc haberi potest, quòd non genuflexus, sed prostratus ante Deum stetit Moses vtraque vice, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Vbi aduerte, quòd non diuino præcepto; sed proprio spiritu describitur iste secundus ascensus ad Deum, tam hîc, quàm Exodi trigesimosecundo: ibi enim scribitur, Mosen post peccatum populi dixisse: Ascendam ad Dominum, si quo modo quiuero eum deprecari pro scelere vestro, &c. Hîc quoque dicitur: *Et ieci me coram Domino, sicut prius.*

Quadraginta diebus, & quadraginta noctibus panem non comedens, & aquam non bibens.] Hoc, quod fuit tacitum in Exodo, supplendo narratur hîc: videlicet, quòd in hoc ascensu moratus fuerit Moses in monte quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunus.

Propter omnia peccata vestra, quæ gessistis contra Dominum, & eum ad iracundiam prouocastis.] Parui refert, quòd singularis numeri scribitur peccatum Hebraïcè: sed multùm refert inter causam, & causam. Nam prima vice ascendit in montem, & ieiunauit ad accipiendum tabulas de manu Dei: secunda autem hac vice ascendit, & ieiunauit ad placandum Deum iratum pro scelere populi.

Vers. 19. Timui enim indignationem, & iram eius, qua aduersùm vos concitatus delere vos voluit.] Ex magnitudine iræ Dei ad perdendum populum, timẽdi rationẽ habebat, ne maior pars populi destrueretur propter peccatum illud, post obtentã gratiam, ne totus consumeretur, vt primò dixerat.

Et

Et exaudiuit me Dominus etiam hac vice.] Lege paulò ſuperiùs ſcripta,& ſimiliter ſcripta Exod.32. & inuenies, prima vice oraſſe Moſen pro populo poſt acceptas tabulas primas,reuelante ei Deo, quòd populus peccauerat: & tunc exauditus fuit quoad hoc, quòd Deus non conſumeret tunc populum: relatiuè enim ad illam vicem dicitur: *Et exaudiuit me Dominus,etiam vice ipſa.* Exauditus autem fuit hac ſecunda vice quoad multa, quæ ſcribuntur in Exodo, in calce trigeſimiſecundi capituli, & in trigeſimotertio capitulo: & hîc etiam ſcripta inſinuant,quòd exauditus eſt quoad hoc,quòd Deus non deſtrueret populum quoad magnam valdè partem. Scribitur autem in calce trigeſimiſecundi capituli, quòd Dominus percuſſit populum propter hoc peccatum, poſtquàm prima vice placatus dixerat,ſe non conſumpturum populum.

Verſ. 20. Aduersùm quoque Aharon vehementer iratus [f] voluit eum conterere, & pro illo ſimiliter deprecatus ſum.] Ne putares, Deum iratum contra populum,qui fuit cauſa peccati, & non contra Aharon prouocatum à populo ad peccatum,deſcribitur ira Dei aduersùs Aharon.

[f] Vide manifeſtiſſimè Aharon in vituli cõflatione peccaſſe.

Verſ. 21. Peccatum autem veſtrum, quod feciſtis, vitulum accepi,& ipſum igne combuſſi] Ipſum aureum vitulum appellat peccatum: quia eſt non ſolùm effectus peccati; ſed factus ad peccandum: huiuſmodi enim loquendi modò ſæpè vtitur Scriptura.

Et in fruſta comminuens,omninóque in puluerem redigens.]Iuxta Hebræum habetur: *Et contriui ipſum molendo benè vſquequò tenuis in puluere.*ſubaudi,eſſet.

Proieci in torrentem.]Legendum eſt,*& proieci puluerem eius ad torrentem deſcendentem è monte.* Quæſtio occurrit ex eo, quòd Exodi 32. ſcribitur de puluere huius vituli,quòd Moſes ſparſit illum ſuper aquas, & bibere fecit filios Iſraël: quomodo itaque proiecit illum in torrentem, ſi potauit ex eo filios Iſraël? Solutio eſt, quòd vel partem pulueris in potum dedit filiis Iſraël, & partem proiecit in torrentem:vel (quòd rationabilius videtur) appellatione torrentis intelligit aquam torrentis. Ita quòd hîc declaretur,quòd non in aqua qualicunque(purà maledicta) ſed in pura aqua torrentis potandum dedit populo puluerem vituli.

Verſ. 22. In incendio [g] quoque.] Proſequitur Moſes commemorando peccata populi in via.Et nomine incendij intelligitur peccatum ſcriptum Num. 11. in prima profectione ex monte Sinai, quando accenſus eſt ignis conſumens extremitatem caſtrorum.

[g] Vt oſtendat grauitatem horum delictorum Moſes puniciones anteà factas præmiſit: grauiùs enim delinquit, qui aliorum exemplis nõ emendatus peccat, quàm qui nullum apteà corripi viderit. Hinc eſt,quòd interfectori ipſius Caïm decernitur pœna ſeptuplum grauior,interfectori autem Lamech ſeptuageſies ſepties maior.

Et in tentatione.] An ſit ſermo de tentatione in Rephidim, an ſit ſermo de tentatione ad aquas contradictionis,incertum habeo:vtrobique enim fuit quæſtio de aqua.Primus tamen locus ſolus ſortitus eſt nomen tentationis, vt paulò ſuperiùs declarauimus.

Et in ſepulcris concupiſcentiæ prouocaſtis Dominum.]Nulla eſt quæſtio de loco huius peccati,ſicut nec de ſubiuncto in Cades-Barneah.

Verſ. 23. Et quando miſit vos Dominus de Cades Barneah, dicens: Aſcendite,& poſſidete terram quam dedi vobis: contempſiſtis imperium Domini Dei veſtri,& non credidiſtis ei,neque vocem eius audire voluiſtis.

24. Semper rebelles fuiſtis Deo à die, qua noſſe vos cœpi.

25. Et iacui coram Domino quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: quibus eum ſuppliciter deprecatus ſum, ne deleret vos, vt fuerat comminatus.] Regreditur Moſes ad narrandum interceſſionem ſuam pro peccato populi, vt adiungat orationem,quam tunc pro populo fudit.

Verſ. 26. Et orans dixi:Domine Deus.] Iuxta Hebræum habetur: *Adonai Iehouah.* Ac ſi dicerem:Domine mi, fons eſſendi. Tali enim familiari, ac blando loquendi modo pluries vſus eſt Moſes, quaſi ad placandum Deum humano blandientis more teneritudinem affectus inſinuando.

Ne diſperdas populum tuum,& hæreditatem tuam, quam redemiſti in magnitudine tua:quam eduxiſti de Ægypto in manu forti.

Verſ. 27. Recordare ſeruorum tuorum, Abraham, Iſhac, & Iahacob: non reſpicias ad duritiam populi huius, & ad impietatem,atque peccatum eius.

28. Ne fortè dicant habitatores terræ,de qua eduxiſti nos: non poterat Dominus introducere eos in terram, quam pollicitus eſt eis, & oderat illos, idcircò eduxit illos, vt interficeret eos in ſolitudine.

29. Qui ſunt populus tuus.]Rectiùs habetur Hebraïcè: *Et ipſi populus tuus,& hæreditas tua:quos eduxiſti in fortitudine tua magna,& in brachio extento.* Ac ſi apertiùs diceret:Conſidera,quòd ipſos ſemel elegiſti,& effeciſti populum tuum, & hæredem tuum,& redemiſti: vt quanuis ipſi non mereantur; tua tamen opera erga eos mereantur,vt miſerearis eorum.

CAPVT X.

VERS. I.

IN tempore illo dixit Dominus ad me.] Certum eſt demonſtrari tempus, quo populus morabatur iuxta montem Sinaï: & (vt ſcripta hîc,& in Exodo inſinuant, hoc fuit,vel poſtquàm Moſes ſecundò deſcendit de monte annuncians populo, Deum quidem placatum, quantùm ad pœnas poſitiuas;non autem quantùm ad pœnas negatiuas: vt enim ſcribitur in cap.33.Exodi, Deus pepercerat populo;ſed nolebat ire in medio eorum; hoc eſt, nolebat tabernaculum ſuum eſſe in medio eorum,ſed extra caſtra: priuauerat Aharon ſacerdotio decreto, & ſimiliter populum Arca decreta,&c. ita quòd Moſes cum populo exiſtens, adhuc inſtitit viſa populi pœnitentia apud Deum: & ibidem mandatum hoc accepit à Deo placato: vel(quod rationabilius videtur)hoc mandatum accepit Moſes in fine ſecundæ quadragenæ peractæ in monte, ita quòd vniuerſa illa ſupplicatio ſcripta Exodi 33.facta fuit in monte in ſecunda quadragena, ſed propter effectus in populo ſubſecutos ſcribi videtur aliter: vt ibidem etiam declarauimus. Sed reuerà ideò ſic ibidem ſcribitur: quia Moſes manifeſtauit populo

pulo pœnas negatiuas durare: & verum dixit; quia expetebant populi pœnitentiam subsecutam, & peracta pœnitentia manifestauit Deum placatum, etiam quoad pœnas negatiuas: quia tunc fuit placatus secundùm effectum. Tempus itaque illud met, quo Moses adhuc erat in monte secunda vice, significatur dicendo, *in tempore ipso*.

Dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, & ascende ad me in montem.] Mandat Deus Mosi, vt dolet priùs tabulas, & deinde ascendat in montem cum tabulis.

Faciésque tibi Arcam ligneam.] Placatus Deus redintegrat decretam thecam simul cum tabulis.

Vers. 2. Et scribam in tabulis verba, quæ fuerunt in iis, quas antè fregisti: ponésque eas in Arca.

3. Feci igitur Arcam de lignis Sittim: cumque dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem habens in manibus.

4. Scripsitque in tabulis iuxta id, quod priùs scripserat, verba decem, quæ locutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus est: & dedit eas mihi.

5. Reuersúsque sum, & descendi de mõte, & posui tabulas in Arca, quam feceram.] Non propriis manibus, sed artificum: quemadmodum & marmoreas tabulas, non per seipsum, sed per artifices dolauerat.

Et fuerunt ibi, sicut præceperat mihi Dominus.

Vers. 6. Filij autem Israël mouerunt castra ex Beeroth filiorum Iahacan in Mosera: vbi mortuus est Aharon, & sepultus ibi, pro quo functus est sacerdotio Elhazar filius eius.] Multæ occurrunt circa literam quæstiones. Prima, quia ista profectio ex Beeroth in Mosera, non habetur in catalogo mansionum Numeri 33. Secunda, quia Mosera longe distat à loco, vbi est mortuus Aharon. Nam in catalogo mansionum multæ profectiones describuntur à Moseroth vsque ad montem Hor, in quo mortuus est Aharon. Tertia, quia extra propositum inseri videntur istæ profectiones huic loco: apparent enim impertinentes. Solutio primæ est, quòd locus ille iuxta montem Hor, in quo fuit trigesimaquarta mansio, appellabatur Mosera; sed in catalogo mansionum tacetur nomen eius, & denominatur à monte Hor; ita quòd mors Aharon describitur in monte Hor, tanquàm in loco proprio, in quo mortuus, & sepultus est, & in Mosera tanquàm in loco communi vniuerso populo in mansione illa trigesimaquarta. Similiter locus deserti Zin iuxta Cades-Barneah vocabatur Beeroth, quamuis in catalogo taceatur. Et hinc patet solutio secundæ: quia Mosera non est idem locus, qui vocatur Moseroth, in quo fuit mansio vigesimaseptima. Tertiæ autem quæstionis solutio est, quòd profectiones istæ commemorantur hoc in loco ad commemorandum tempus, & locum mortis Aharon: erat autem impertinens, sed opportunum, vt recensendo peccata populi in via, recenseretur quoque peccatum Aharon in illius pœna; morte, scilicet, quam in via incurrit propter peccatum in via ad aquas contradictionis.

Vers. 7. Inde venerunt in Gudgoda: & de Gudgoda in Iotbatha[a], terram torrentium aquarum.

8. Eo tempore.] Certum est demonstrari tempus mansionis moræ populi iuxta montem Sinaï.

Separaui.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Separare fecit Iehouah Tribum Leui, vt portaret Arcam fœderis Domini: & staret coram Domino in ministerio eius, ac benediceret in nomine illius vsque in præsentem diem.* Et commemoratio hæc ad peccatum vituli spectat. Nam separatio ista Exodi 32. scripta est ex merito, quo Leuitæ iuncti sunt Mosi, & occiderunt eundo per castra de porta ad portam ferè tria millia hominum. Nihílque extraneum recensetur, sed spectans ad pœnam peccati, & ad meritum redintegrationis Tribus Leuiticæ, ad decretum sibi priùs à Deo ministerium.

Vers. 9. Quamobrem non habuit Leui partem, & possessionem cum fratribus suis: quia ipse Dominus possessio eius est, sicut locutus est ei Dominus Deus tuus.

10. Ego autem steti in monte, sicut priùs.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ego steti in monte, sicut diebus primis, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Narrauerat Moses, se cum tabulis dolatis ascendisse in montem, & descendisse; sed non narrauerat moram suam in monte; & propterea narrat modò illam dicendo: *Ego steti in monte quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Nec dicit, *sicut prius* (vt anteà dixerat,) sed, *sicut diebus primis*, ad significandum, sicut duabus aliis vicibus: dictio enim, *primis*, non est superlatiuum apud Hebræos, sed nomen positiuum. Ita quòd hinc habetur, quòd Moses tres quadragenas exegerit in monte; primam, ad suscipiendas tabulas de manu Dei; secundam, ad placandum Deum pro scelere populi; tertiam, ad hoc, vt Deus scriberet in tabulis decem præcepta, & ad reuelationem illam magnam, ac præcipuam inter omnes, quas vnquam habuit Moses scriptam Exodi 34. habendam. Rursus primam, & tertiam, iubente Deo; secundam autem interno charitatis spiritu accensus aggressus est. Et si perscrutatus fueris scripta Exodi 32. 33. & 34. manifeste inuenies, quòd post confractas tabulas ante dolatas alias tabulas, (hoc est, inter duas extremas quadragenas in Exodo scriptas,) Moses ascendit in montem ad placandum Deum, & descendit referens populo Deum semiplacatum. Sed ibi non scribitur mora Mosis in monte ex illo spontaneo ascensu: hoc autem in loco, quum commemoratur ille spontaneus ascensus in præcedenti capitulo, explanatur mora, dicendo: *Et ieci me ante Dominum, sicut prius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Nullum igitur dubitationi relinquit locum liber iste Deuteronomij, quòd mora ex illo medio ascensu fuerit quadraginta dierum, & quadraginta noctium. Perspicuum itaque, ac ab omni hæsitatione alienum relinquitur, quòd tres quadragenas Moses exegerit in monte. Et ad hoc etiam confert, quod subiungitur:

Exaudiuitque me Dominus etiam hac

[a] Quum hic manifestissimè describatur post mortem Aharõ venisse populum in Iotbatha, quæ mansio in catalogo Num. 33. præcedit Hebrona, & Heziongaber, portum sinus Elanitici, videtur apertissimè, quòd in monte Hor aliquando prius extiterint, quàm in Heziongaber venerint. Quod etiã Num. 21. videtur haberi. Nam scribitur, quòd profecti de monte Hor proficiscebantur per viam maris rubri, vbi videtur hæc profectio ad mare rubrum alia ab illa, quam secundo anno inceperunt: quæ difficultas, tabellas omnes Vuolphangi & Ziegleri, totamque illam viam per desertum, quam nobis magna industria depinxerunt, pessundat & euertit. Mihi certè quum anteà videretur viam illam omninò esse assequutos, in hunc locum incidens, necessum fuit sententiam mutare. Si autem hic optares videre, quid de hac via sentiam, profectò non habeo, quid proferam, adeò mihi videtur (loca Scripturæ adinuicem conferendo) certam illius viæ normam tradi non posse, quum loca obscura sint, & remotissima. Vnde non possunt ob eorũ antiquitatem, nisi multis defectibus explanari. Cæterùm, quod in his locis scribitur, factam esse institutionem Leuitarum, vel eò est, quod hic exequutus est Moses in Leuitis, quod in mõte Sinai mandatum fuerat: vel, quod magis credo, post mortẽ Aharon instituto nouo Pontifice Elehazaro, Leuitarum ministeria denuò, & iterum correcta sunt, & instaurata, vt fieri solet in rebus humanis quotidie labentibus, & variantibus.

hac vice.] Nisi enim tertiam vicem significaret, quum in secundo ascensu dixerit: *Et exaudiuit me Dominus etiam ipsa vice.* non dixisset modò: *Et exaudiuit me Dominus etiam vice ipsa.*

Et te perdere noluit.] Non caret quæstione, quomodo effectus tertiæ intercessionis scribatur, quòd Deus perdere noluit populum: quum iam hoc obtentum fuisset, antequàm Moses ascenderet in montem cum dolatis tabulis. Solutio est, quòd vnum adhuc remanserat non obtentum, valdè periculosum; videlicet, quòd si Deus per tabernaculum suum in medio populi habitaret, irritatus recidiuis peccatis populi duræ ceruicis perderet populum: hoc enim inter alia scriptà Exodi 33. dixerat Deus: & quoad hoc exauditus fuit Moses hac tertia vice. Lege capitulum trigesimumquartum Exodi: & inuenies, Mosis petitionem ad hoc tendere. Pondera verba subiuncta hîc.

Vers. 11. Dixitque mihi: Vade, & præcede populum.] Iuxta Hebræum habetur: *Surge, vade per profectionem ante populum, vt ingrediatur, & possideat terram, quam iuraui patribus eorum ad dandum eis.* Mandat enim, (vtpote totaliter placatus,) vt per profectiones ducat populum ad hæreditandum terram iuxta iuramentum patribus factum: hoc enim claudit in se relaxationem antedictæ comminationis ex futura in itinere irritatione, quæ pluries accidit.

Vers. 12. Et nunc, Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, vt ambules in viis eius, & diligas [b] eum, ac seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua.

[b] *Diligere Deum toto corde, toto viribus*, &c. nihil aliud est, quàm vt cunctam naturam, omnésque vires tuas amor eius peruadat, & possideat, mens cũ ente omnia cogitet, voluntas in eo tota delectetur, cunctæque vires ad placita ipsius rapiantur Quò verò hanc dilectionis Dei vim magis explicaret mentem adiecit Christus Matt. 22. Cæterũ anima hic pro virtute sensibili accipitur, vt Genes. 34 dicitur de Sichem filio Hamor: *Adhæsit anima eius*, &c. Item 44. *Anima Iacob colligata est animæ Benjamin.*

13. Custodiásque mandata Domini, & cæremonias eius, quæ ego præcipio tibi hodie, vt bene sit tibi?] Redit ad principale intentum: postquàm enim declarauit, quòd non propter iustitiam suam populus introducitur in terram promissam, ad obseruationem primorum mandatorum (quod est principale, & quod præcipuè intendit) reuertitur: monendo, ad timendum, amandúmque Deum, ac seruandum mandata eius a duobus: tum ex eo, quòd Deus conferens tibi tot, & tanta, nihil aliud à te exigit; tum ex eo, quòd hoc exigit propter bonum tuum: hæc enim duo motiua continet prima hæc ratio.

Vers. 14. En Domini Dei tui cæli sunt, & cæli cælorum; terra, & omne, quod in ea est.] Secunda ad idem ratio affertur ex singulari amore Dei ad eligendum semen patrum tuorum vos Israëlitas. Quod est valdè magnipendendum ex eo, quòd vos vix minima pars estis eorum, quæ sunt Dei. Nam ipsius sunt. & cæli inferiores, & cæli cælorum, (hoc est, superiores,) & terra, & quicquid in ea est.

Vers. 15. Et tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, & amauit eos.] Iuxta Hebræum habetur: *Tantùm in patribus tuis voluit* יהוה *ad amandum eos, elegitque semen eorum post eos in vobis de cunctis gentibus, sicut hodie comprobatur.* Et est sermo de amore ad eligendum populum ex eis colentem ipsum: dilexit enim Deus etiam alios viros; sed non ad hoc. Et significanter dicitur, quòd elegit semen eorum in vobis, ad differentiam seminis eorum in aliis filiis, putà, Hesau, Ismahele, Midian, &c.

Vers. 16. Circuncidite igitur præputium cordis vestri [c].] Dictio interpretata, *præputium*, significat hîc, sicut & vbique, *clausuram:* sed alibi dicitur, *clausuram carnis vestræ*; hîc verò, *cordis vestri.* Et est sermo metaphoricus: appellatur enim *clausura cordis*, tegmen, seu velum appetitus: quod proculdubiò est superflua appetitio, seu delectatio, tum delectabilium secundùm sensum, tum delectabilium secundùm animum, vt honor, & gloria: hæc enim præcidenda mandantur ab animo, relatiuè ad appetibilia bona: relatiuè autem ad parendum Deo subiungitur aliud mandatum.

[c] *Cordis præputium* duritiès est, ac cæcitas, qua cor impeditur, ne verum perspiciat: vt etiã apud nos per Baptismum demonstratur, ac fit animi potius quàm corporis expiatio, sic Hebræis circuncisio docebat, resecandam esse cordis duritiem, ac cæcitatem. Hinc cor præputiatum, quod obesum, crassum, affectibus terrenis oppressum est: & carne præputiata is est, qui prauæ voluntati obsecundat, malumque animo destinatum opere perficit.

Et ceruicem vestram ne induretis ampliùs.] Iuxta Hebræum habetur: *Et occiput vestrum non indurabitis adhuc.* Ac si apertiùs dixisset: Quamuis sitis duræ ceruicis; nolite tamen vti duritia capitis vestri, sed humiliamini sub potenti manu Dei. Et rationem subdit, in qua consistit hæc tertia ratio.

Vers. 17. Quia Dominus Deus vester ipse est Deus Deorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Ipse Elohe Elohim, & Dominus Dominorum: El, magnus, potens & terribilis.* Ratio humiliandi caput animi sub Deo excellentia diuina, qua eminet supra omnes affertur: Elohim enim est genitiui casus hoc in loco: & perinde dicitur, *Elohe Elohim*, ac si diceretur, Iudex Iudicum, seu Deus Deorum: Iudex enim, gubernator, & dominus omnium Iudicum, & Dominorum, summè fortis, magnus virtute, & summè potens describitur: vt omni ex parte agnoscant deberi ei subiectionem animi nostri.

Qui personam non accipit, nec munera.

Vers. 18. Qui facit iudicium pupillo, & viduæ.] Diuina gubernatio relatiuè ad rationales creaturas describitur, tum quoad ea, quæ sunt iustitiæ; tum quoad ea, quæ sunt gratuitæ collationis: vt in his duobus vniuersum regimen summariè intelligatur: iustitia enim describitur clarè priùs: & deinde liberalitas, subiungendo:

Amátque peregrinum, & dat ei victum, atque vestitum.] Et vt hæc essent populo, tanquàm regulæ, & exempla imitanda, adiungit Moses monitionem communem omnibus (vt exemplo Dei ament peregrinos) præter rationem, quam aliàs dixerat; videlicet *quia & vos peregrini fuistis.*

Vers. 19. Et vos ergo amate peregrinos: quia & ipsi fuistis peregrini in terra Ægypti.

20. Dominum Deum tuum timebis, ei seruies, ipsique adhærebis, & in nomine illius iurabis.] Ad adiungendum subiunctam rationem repetit mandatum timendi, adhærendi, colendíque Deum, ac iurandi in nomine illius. Omnia enim hæc spectant ad primum mandatum.

21. Ipse laus tua, & ipse Elohe tuus: qui fecit tibi hæc magnalia, & terribilia [d], quæ viderunt oculi tui] Ecce ratio. Et est sensus: Quia ipse talem se tibi exhibet factis, vt habeas, vnde laudes ipsum; non qualitercunque,

[d] Mirũ videtur, quòd pro gloria huius populi adducat Moses prodigia, quæ pro illo operatus est Dominus: nam gentes maxima miranda pro assertione idololatriæ suæ etiã proferebant. Videre id licet apud Lact. lib. 2. c. 7. & D. Augustinum de vnitate Ecclesiæ. c. 16. cæteræque historiæ plenæ huiusmodi stupendis, sicut est illud,

quòd serpens Romā à peste liberauerit Epidauro accersitus; & quòd Claudię manum nauis sequuta est. de his etiam impostutis testatur Dominus in Euangelio, venturos Prophetas, qui ea darent signa, & prodigia, vt in errorem aducerent, si fieri posset, etiam electos. Paulus itidem 2. ad Thessalonicenses de Anti Christi regno, & virtutibus prophetans scribit: *cuius aduētus cum omnipotentia Satanæ, signis, atque prodigiis mendacibus.* Verum, etsi sinens ista fieri permittat in vltionem incredulitatis; semper tamen rectis corde spiritum dedisse legimus, talia præstigia à veris miraculis dignoscendi, sicut Matt. 24. monuit Non enim permittit Dominus suos in ea re labi: nā cum Magi Pharaonis exercerent mirabilia, astitit Dominus, ne vnius Dei fides periclitaretur, ostendens manifeste portentosa esse ludibria.

que, sed vt rationem omnis, quod in te laudabile est. Et hoc manifestat duobus generibus factorum. Alterum est in magnis, & terribilibus signis. Alterum in admirabili multiplicatione populi in tam breui tempore, dicendo:

Vers. 22. In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Ægyptum: & nunc multiplicauit te Dominus Deus tuus, sicut astra cæli.] Et in hoc etiam aperit, verè Deum esse eorum: quia adimpleuit, quod promisit Abrahæ de huiusmodi multiplicatione.

CAPVT XI.

1. AMa itaque Dominum Deum tuum.] Non satiatur Moses repetitione præcepti amandi Deum: quia inde videbat pendere vniuersam legem.

Et obserua custodias eius, & cæremonias, & iudicia, atque mandata omni tempore.

Vers. 2. Cognoscite hodie, quæ ignorant filij vestri.] Longa constructio fecit Interpretem mutare litteram: nam Hebraïcè habetur: *Et scietis hodie, quòd non filij vestri, qui non cognouerunt, & qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri.* Et pendet hæc sententia vsque ad illam Textus particulam, *Oculi vestri viderunt.* est enim sensus, quòd considerabitis hodie, quòd non filij vestri, (qui non viderunt subiuncta opera Dei,) sed vos, qui oculis vestris vidistis vniuersa Dei opera, &c. monemini. Prosequitur adhuc Moses narrationem gestorum in via, relatiuè ad prima præcepta Dei: & quoniam multitudo magna populi audientis tunc ipsum iuxta Iordanem, in ætate adolescentiæ, constituta fuerat in Ægypto, exierat de seruitute, viderat, atque perceperat mirabilia Dei opera, tum in Ægypto tum in mari rubro, tum in via deinceps facta; ideò Moses alloquēdo eos dicit, quòd non filij vestri, qui non viderunt hæc monentur; hoc est, non tantùm filij vestri, qui non viderunt, sed credunt hæc Dei opera; sed vos, qui vniuersa hæc vidistis, monemini. Suadet enim à conditione propriarum personarum, quæ sunt testes de visu tot mirabilium operum Dei, vt ex hac disparitate inter filios eorum, & ipsos, & conuincantur, & accendantur ad amandum Deum, & seruandum mandata eius.

Magnalia eius, manum eius fortem, & extentum brachium eius:

Vers. 3. Signa, & opera eius, quæ fecit in medio Ægypti Pharoni Regi Ægypti, & vniuersæ terræ eius:

4. Et quæ fecit exercitui Ægyptiorum, equis, & curribus eius, inundare faciens aquas maris rubri super eos, quum vos persequerentur: & deleuit eos Dominus vsque in præsentem diem:

5. Et quæ fecit vobis in solitudine, donec veniretis ad locum istum:

6. Et quæ fecit Dathan, atque Abiram filiis Eliab, filij Reuben, quos aperto ore suo terra absorbuit cum domibus, & tentoriis eorum, & vniuersa substantia eorum, quam habebant in medio Israelis.

7. Oculi vestri viderunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia oculi vestri videntes omnia opera Domini magna, quæ fecit.* Ratio siquidem redditur eius, quod dixerat: *Et scietis hodie, quòd non filij vestri*, subaudiendo, sed, *vos: quia oculi vestri videntes vniuersa, quæ fecit Dominus.* Quod autem subditur:

Vers. 8. Vt custodiatis.] Hebraïcè habetur: *Et custodietis omnia mandata eius, quæ ego præcipio vobis.* Custodire enim Dei mandata consequens est ad dilectionem eius.

Et possitis introire, & possidere terram, ad quam ingredimini.] Iuxta Hebræum habetur: *Vt inualescatis, & ingrediamini, & hæreditatis terram, ad quam vos transitis ad hæreditandum eam.*

Vers. 9. Et vt longo tempore viuatis super terram, quam sub iuramento pollicitus est Dominus patribus vestris, & semini eorum, terram lacte, & melle manantem.] Præmium enim obseruationis mandatorum Dei adiungitur.

Vers. 10. Terra enim, ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti [a], de qua existi.] Non sat fuit Mosi laudasse terram promissam secundùm seipsam; sed commendat eam à disparitate inter ipsam, & terram Ægypti, penes hoc, quòd terra Ægypti, etiam in agris, eget cultura humanæ irrigationis, quemadmodum consueuerunt horti irrigari vbique tempore æstiuo. Hæc enim conditio annexum habet, tum laborem irrigationis agrorum omni tempore anni; tum, quòd terra tantùm campestris potest seri: ac per hoc, aut ibi non esse montes, aut sine frugibus. Et ratio est: quia ibi nunquam pluit: quò contrà terra promissa & montosa est, & campestris, & cælesti pluuia irrigatur.

[a] Hinc desumptū est illud, quod in Prophetia passim reperies, qui regna mūdi opulenta per Ægyptum, Æthiopiam, & Libyam (quæ ad Meridiem, & Occidentē Hierosolymis sunt) designant.

Vbi iacto semine, in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ.] Sententia benè redditur ab Interprete: quamuis Hebraïcè labor humanus consignificetur dicendo:

Et irrigabis in pede tuo, vt hortum oleris.] Significauit enim Moses artificialem irrigationem ex hoc, quòd oportet homines pedibus ire ad irrigandum agros, deducendo per riuos aquam fluminis. Et fortè ad literam alludit ad ligonem, seu sarculum, quod pede figitur in terra, tanquàm instrumento pedis officio agitato apud Ægyptios, claudatur meatus aquæ, & aperiatur, vt in singulis portis hortorum fit.

Vers. 11. Sed montosa est, & campestris, de cælo expectans pluuiam:

Vers. 12. Quam Dominus Deus tuus semper inuisit, & oculi illius in ea sunt à principio anni vsque ad finem eius.] Ad similitudinem agri frequenter visitati à Domino suo describitur terra promissa, & quoad visitationem, & quoad inspectionem. Dicitur enim, quòd Deus quærit ipsam visitando per singulas partes, & quòd continuè oculi eius prospiciunt à principio anni vsque ad finem, prouidendo singulis temporibus de pluuia opportuna. Et dicuntur hæc ad disparitatem terræ,

terræ Ægypti, quæ nunquam derelicta à Deo non visitatur pluuiis; sed humanæ industriæ vtendi deriuatione fluminis commissa agnoscitur. Et per hæc insinuat Moses, quod Philosophi tradunt; videlicet, quòd Ægyptum carere pluuia, pertinet ad defectum regionis, non ad bonitatem: huiusmodi nanque defectum manifestat Moses, describendo Deum non visitare terram Ægypti.

Vers. 13. Si ergo obedieritis [b].] Iuxta Hebræum habetur: *Et erit, si audiendo audietis mandata mea.*

[b] Quòd in easdē adhortationes totiens venit Moses, non debet imperitiæ tractādi sermonis imputari ab his, qui illas perpetuo contextu, & in vnum librum congestas legunt: nam, si has in omnia loca, quibus castrorū statiuæ fuerunt, & in totum 40. annorum tēpus distribuas, nouas omnes, & minimè inculcatas iudicabis.

Quæ ego hodie præcipio vobis ad diligendum Dominum Deum vestrum, & seruiendum ei in toto corde vestro, & in tota anima vestra,

Vers. 14. Dabit pluuiam terræ vestræ in tempore suo, primitiuam, & serotinam, vt colligatis frumentum, & vinum, & oleum:

15. Dabítque herbam ex agris ad pascenda iumenta, comedetísque, & saturabimini.

16. Cauete vobis, ne fortè decipiatur cor vestrum, & recedatis à Domino, seruiatísque Diis alienis, & adoretis eos:

17. Iratúsque Dominus claudat cælum, & pluuiæ non descendant, nec terra det germen suum, pereatísque velociter de terra bona, quam Dominus daturus est vobis.] Quanuis Deus, quantùm est ex parte sua, sicut dictum est, & requirat, & prouideat terræ promissæ, scitote tamen, quòd si audieritis vocem Dei ad amandum ipsum, & colendum, sequetur effectus pluuiæ primitiuæ, & serotinæ, cum opulentia; & è conuerso, si recessceritis à Deo, & seruieritis aliis Elohim, iratus Deus tollet pluuiam, &c. Aduerte tamen in hac litera duo. Alterum, quòd Hebraïcè Moses loquitur in persona Dei, dicendo: *Et dabo pluuiam.* Et similiter dicendo: *Et dabo herbam in agro tuo.* Alterum, quòd, quanuis assertiuè promittatur pluuia colentibus Deum; non tamen assertiuè prædicitur priuatio pluuiæ, si non coluerint Deum: vt intelligamus, Deum esse pronum magis ad benefaciendum bonis, quàm ad puniendum malos.

Vers. 18. Ponite hæc verba mea in cordibus, & in animis vestris, & ligate ea in signum in manibus vestris, & inter oculos vestros collocate,

19. Docetéque ea filios vestros, vt illa meditentur, quando sedebis in domo tua, & ambulabis in via, & accumbes, atque surges:

20. Scribésque ea super postes, & ianuas domus tuæ.] Iterum Moses præcepta data de recordatione iugi primorum præceptorum in capitulo sexto repetit: nec est opus repetere expositionem. Isthæc tamen repetitio insinuare videtur, quòd ad literam intelligenda sunt hæc consilia, secundùm sensum tamen superiùs in cap. 6. intellecta. Dico autem, *consilia:* quia nullum inconueniens est, in lege Mosis multa contineri consilia: & hæc, quæ scientibus legere, duntaxat congruunt, non omnibus mandata intelligo.

Vers. 21. Vt multiplicentur dies tui, & filiorum tuorum in terra, quam iurauit Dominus patribus tuis, ad dandum eis, quandiu cælum immineret terræ.] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut dies cælorum super terram.* hoc est, tandiu terra sit vestra, quandiu durant dies cælorum super terram. Quod intellige, nisi peccata vestra impediant: vt de facto millies impedierunt.

Vers. 22. Si enim custodieritis mandata, quæ ego præcipio vobis ad faciendum ea, vt diligatis Dominum Deum vestrum, & ambuletis in omnibus viis eius, & adhæreatis ei,

23. Disperdet Dominus omnes gentes istas ante faciem vestram: & possidebitis eas, quæ maiores, & fortiores vobis sunt.

24. Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit: à deserto, & Libano, & flumine magno Euphrate vsque ad mare occidentale, erunt termini vestri.

25. Nullus stabit contra vos: terrorem vestrum, & formidinem vestram dabit Dominus Deus vester super omnem terram, quam calcaturi estis, sicut locutus est vobis.] Ad persuadendam dictā sempiternitatem sub conditione amoris, cultúsque diuini intelligendam, procedit ab imminenti sub simili conditione victoria multarum, & fortiorum gentium; & extensione imperij ab Euphrate vsque ad mare magnum: vt omnia intelligant pendere ex amore, cultúque Dei.

Vers. 26. En propono in conspectu vestro hodie benedictionem, & maledictionem?

27. Benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodie præcipio vobis:

28. Maledictionem, si non audieritis mandata Domini Dei vestri, sed recesseritis de via, quam nunc ego ostendo vobis, & ambulaueritis post Deos alienos, quos ignoratis.] Exaggerando manifestat in libertate eorum poni benedictionem, & maledictionem; vt vel sic accendantur ad amandum, colendúmque Deum.

Vers. 29. Quum verò introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, ad quam pergis, habitandam, pones benedictionem super montem Gerizim, & maledictionem super montem Hebal [c].] Non sat fuit Mosi, per seipsum proponere populo benedictionem, & maledictionem; sed statuit, vt transito Iordane super duos mōtes cum solenni apparatu proponerentur benedictiones, & maledictiones: prout inferiùs c. 17. explicatur.

[c] *Hebal*, iugū est mōtis, à Gazarino mōte tā parū distās, vt legentis, & respondentis voces inter sese audiantur: & hunc Hieronymus sequutus Græcos, Gebal vocat. In eo lapidibus calce oblitis lex Dei, ducis Iosue præcepto, scribitur.

Vers. 30. Qui sunt trans Iarden post viā, quæ vergit ad Solis occubitum in terra Chenahanæi, qui habitat in campestribus, contra Gilgad, quæ est iuxta vallem tendentem, & intrantem procul.] Iuxta Hebræum duntaxat habetur: *Contra Gilgad iuxta arbores Moreh.* Nomen est loci, seu syluæ, cuius mentio facta est Genesis 12. narrando progressum Abrahæ, quum primò venit in terram Chenahan, quòd transiuit vsque ad locum Sechem, vsque ad quercum Moreh: querceetum enim erat notissimum, quod hîc appellatur *arbores Moreh.*

Vers. 31. Vos enim transibitis Iarden, vt possideatis terram, quam Dominus Deus

Deus vester daturus est vobis: & possidebitis eam, & habitabitis in ea.

32. Videte ergo, vt impleatis cæremonias, atque iudicia, quæ ego hodie ponam.] Iuxta Hebræum habetur: *Quæ ego do coram vobis hodie.* Non futura, sed præsentia præcepta seruanda monet.

CAPVT XII.

VERS. I.

HÆc sunt præcepta, atque iudicia, quæ facere debetis in terra, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi: vt possideas eam cunctis diebus, quibus super terram gradieris.] Hactenus prædicauit Moses populo prima Dei præcepta: hinc autem incipit declarare præcepta, & cæremonialia, & iudicialia; & propterea determinatur locus, in quo seruari debent, videlicet, in terra promissa: inchoat autem à præcepto diuino promulgato Leuit. 17. de vnico sacrificij loco: ad hoc enim tendit hoc capitulum, vt in vno duntaxat loco sacrificia, & oblationes offerantur Deo: sed ad hoc diuersa argumenta affert.

Vers. 2. Subuertite omnia loca in quibus coluerunt gentes, quas hæreditaturi estis, Deos suos [a]: super montes excelsos, & colles, & sub omni ligno frondoso.

3. Dissipate aras earum, & confringite statuas earum, lucos earum igne comburite, & idola earum comminuite: disperdite nomina eorum de locis illis.] Ad instituendum vnum duntaxat locum diuini cultus; destruere priùs oportet multitudinem locorum cultus diuini exhibiti aliis Diis.

Vers. 4. Non facietis ita Domino Deo vestro:

5. Sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis Tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis.

6. Et offeretis ibi holocausta, & victimas vestras, & decimas vestras, & primitias manuum vestrarum, & vota, atque donaria vestra, & primogenita boum, & ouium vestrarum.

7. Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri, ac lætabimini in cunctis, ad quæ miseritis manum vos, & domus vestræ, in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester.] Primum argumentum ad vnitatem loci diuini cultus assumitur à disparitate Ethnicorum: illi enim tot diuersa loca ad colendum Elohe suos habent, non ita facietis vos יהוה *Elohe vestro.*

Vers. 8. Non facietis ibi, quæ nos hîc facimus hodie.] Parui refert, quòd legendum est: *Non facietis, sicut omnia, quæ nos facimus hîc hodie, quilibet quod sibi rectum videtur.* Aliud argumentum ad idem affertur à loco: videlicet, ab ipsa terra promissionis. Et in hoc monentur, vt discernant inter locum, & tempus illud ex vna parte; & locum, tempúsque præsens ex altera: ne tunc, ibi imitentur, quæ nos hodie hîc facimus, sacrificantes, vbi meliùs occurrit. Et oportuit hoc declarari, ne posteà ab exemplo gestorum tempore Mosis dicerent aliqui licere in diuersis locis sacrificare Deo.

Vers. 9. Neque enim vsque in præsens tempus venistis vsque ad requiem,

10. Et possessionem, quam Dominus Deus vester daturus est vobis: vt requiescatis à cunctis hostibus per circumitum, & absque vllo timore habitetis.

11. In loco, quem elegerit Dominus Deus vester, vt ponat nomen suum in eo. Illuc omnia, quæ ego præcipio vobis, conferetis: holocausta, & hostias, & decimas, & primitias manuum vestrarum, & quicquid præcipuum est in muneribus, quæ vouistis Domino.

12. Ibi epulabimini coram Domino Deo vestro, vos, & filij, ac filiæ vestræ, & famuli, ac famulæ vestræ: & Leuita, qui in vrbibus vestris commoratur, quia nõ habet partẽ, & hæreditatẽ inter vos.

13. Caue tibi, ne offeras holocausta tua in omni loco [b], quem videris:

14. Sed in eo, quem elegerit Dominus, in vna Tribuum tuarum offeres holocausta tua, & facies omnia quæcunque præcipio tibi.

15. Si autem comedere volueris, & te esus carnium delectauerit, macta, & comede iuxta benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi in vrbibus tuis: siue immundum fuerit, (hoc est, maculatum, & debile,) siue mundum, (hoc est, integrum, & sine macula, quod offerre licet,) comedes.] Aliud argumentum ad idem à pœna (non tamen explicata hîc, sed Leuit. 17.) assumitur dicendo: *Caue tibi.* Et in hoc distinctè procedit: priùs tractando de animalium sacrificiis, & deinde de oblationibus. Vbi circa animalium sacrificia aduerte, quòd mos erat celebrando conuiuia, sacrificare: & propterea in locis conuiuiorum sacrificabatur. Hunc morem nititur Moses abolere: declarando, quòd sacrificia quæcunque & similiter oblationes eorum, quæ debemus Deo, in vno duntaxat loco offerantur: conuiuia autem propria celebrent, vbi volunt; absque sacrificio tamen: hoc enim significatur dicendo:

Sicut capream, & ceruum.] Est enim sensus, quòd ita celebrabis conuiuia extra locum illum vnicum, perinde ac si animalia essent non immolabilia Deo, vt ceruus, & caprea. Et scito, quòd Interpres in vulgata editione fungitur officio expositoris, ponens textum, & glossam: nam Hebraïcè non habetur, nisi: *Immundum, & mundum comedes ipsum, sicut capream, & sicut ceruum.* Timens autem Interpres, ne minùs eruditi intelligerent nomine, *immundi*, animalia, quorum esus prohibitus est in lege, declarationem interposuit; ad literam siquidem est sermo de animali immundo,

[a] Hîc adnotandũ duxi, quòd sub Baal, & Astarot nominibus haud dubiè totũ examen Deorum, omnemque gentium in peruersa religione abominationem complectitur Scriptura. Dicitur enim Baal commune vocabulũ fuisse Hebræis, Syris, & Phœnicibus, significans idẽ, quod dominus, maritus, siue magister. Idem refert August. lib. 7. quæst. c. 16. Plurale Baal, est *Baalim*, imitamenta Dei significãs, id est, idola pluratiuè. Sunt qui dicant, verisimile esse, vt veteres Chananæi, & Phœnices verum Deum hoc vocabulo nuncuparent. Quod posteri religionis priscæ ignari deinde tribuerunt aliis, quos crediderunt Deos esse, atque etiã per synecdochen, & metonymiam idolis. Idem referunt de Astarot, seu Astarte, quem dicunt nomen habere à robore, & forma, quasi quis dicat, fortis formatio, intelligentes vetusta tem Deum ipsum vocasse Astarot, quòd fortis ac potens ad effectum, possit producere, quæ sapientia sua formauit, concepitque, putántque in fœmineo genere, & numero pluratiuo poni, quòd ad vim, & potentiã Dei referatur. Putauit verò Lucianus in Syria Deã Astartẽ priscis fuisse Lunam; Augustinus Iunonem credidit. Ex historia tamen Regum constat, Deã fuisse Sidonorum. Sunt alij, qui dicant, *Baal*, & *Baalim*, nomina, ideò Diis, Deorũque signis fuisse imposita, quòd ipsi Baal, seu Belo traditur prima apud Assyrios statua posita tãquàm Deo: vnde postmodum veluti à principio Dij, Deæque omnes, eorúmque signa appellari cœperunt *Baal*, & *Baalim*.

[b] Locus à Deo electus erat, vbicunque Arca fœderis, & tabernaculũ manebat, loquendo de loco generali, & perpetuo pro sacrificio iugi totius populi: alioquin sæpiùs ad diem vnum, vel horam aliũ locũ elegit, vt patet de Samuele, Helia, Gedeone, Manoa & aliis. Sed neque hoc ipsum sine reuelatione singulari, vel per Angelum, vel per Prophetam.

mundo, non ad esum, sed ad sacrificium.

Vers. 16. Tantùm sanguinem non comedes: super terram quasi aquam effundes ipsum.] Non cum cæremonia, aut religiositate aliqua;sed tanquàm aquam, quæ proiicitur, fundendum sanguinem mandat animalium pro conuiuiis.

Vers. 17. Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, & vini, & olei tui, & primogenita boum, & ouium tuarum, & omnia, quæ voueris, & quæ sponte offerre volueris; & primitias manuum tuarum.

Vers. 18. Sed coram Domino Deo tuo comedes ea in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, tu & filius, ac filia tua, & seruus, ac ancilla tua, & Leuita, qui manet in vrbibus tuis; & lætaberis coram Domino in cunctis, ad quæ extenderis manum tuam.] Pronomen, *ea* (dicendo, *& comedes ea*,) ad votiua, & spontanea refertur sacrificia: & non ad primogenita debita Sacerdotibus, nec ad decimas debitas Leuitis. Vnde Hebraïcè pronomen est numeri singularis: & refertur ad vltimò dictam eleuationem manuum tuarum continentem spontanea, & votiua.

Vers. 19. Caue, ne derelinquas Leuitam in omni tempore, quo versaris in terra tua.

20. Quando dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut locutus est tibi, & volueris vesci carnibus, quas desiderat anima tua, iuxta omne desiderium animæ tuæ comedes carnem.

21. Quando autem procul erit à te locus, quem elegerit Dominus Deus tuus ad ponendum nomen suum ibi, & mactabis de bobus, & ouibus, quas dedit Dominus tibi, sicut præcepit tibi; comedes in oppidis tuis, vt tibi placet:

22. Tantùm sicut comeditur caprea, & ceruus; ita vesceris eis: mundus, & immundus in commune vescentur.] Repetit Moses præceptum de sacrificando in vnico loco, ita quòd sacrificium non trahatur ad loca conuiuiorum, vt adiungat rationem ex dispari effusione sanguinis sacrificij, & conuiuij: quia sanguis sacrificij fundendus est super altare, quod est ante tabernaculum diuinum: sanguis verò animalium pro conuiuio fundendus est absque cæremonia, vt dictum est. Et quanuis Moses tantum adhibuerit studium ad hoc, vt seruaretur præceptum hoc; vix tamen aliquanto modico tempore seruatum est: nam frequenter legimus, & ante ædificatum templum, & post, sacrificia Deo alibi oblata fuisse, etiam à viris sanctis.

Vers. 23. Hoc solùm caue, ne sanguinem comedas: sanguis enim eorum pro anima [c] est: & idcircò non debes animam comedere cum carnibus.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia sanguis ipse anima: & non comedes animam cum carne.* Hebraïca consuetudine *vita* nominatur *anima*: & perinde est dicere: Non comedes animam, ac si diceretur: Non comedes vitam. Quia enim vita animalis sanguine seruatur, (nam animal sanguine alitur, tanquàm alimento proximo;) ideò vita animalis, sanguis dicitur: vnunquodque enim animal non plùs viuit, quàm alitur. Nec te fallant animalia exanguia: quoniam proportionali alimento seruantur.

[c] Hic *anima* vitā naturalē significat, quæ est in sanguine, quo effuso, vel infecto moritur. Sēsus igitur literæ est: Animaliū sanguis ad nullum alium vsum est ordinatus, nisi ad vitam animalium: non igitur eo abuti debes ad esum, vel aliter. Si sanguis est animalis vita, sanguine vescēs vitam comedere videberis.

Vers. 24. Non comedes [d] ipsum, sed super terram, tanquàm aquam, effundes eum. Non comedes ipsum,

[d] Hinc phrasis illa desumpta est apud Hieremiam 5. cap. *Comedere fructū ventris, comedere filios*, hoc propter dolorē animæ patrum, quando in oculis eorum filij immolabantur.

25. Vt benè sit tibi, & filiis tuis post te, quum feceris, quod rectum est, in conspectu Domini.

26. Tantùm, quæ sanctificaueris, & voueris Domino, tolles, & venies ad locum, quem elegerit Dominus.

27. Et offeres holocausta tua, carnem, & sanguinem super altare Domini Dei tui: sanguinémque hostiarum tuarum fundes in altari; carnibus autem ipse vesceris.

28. Obserua, & audi omnia, quæ ego præcipio tibi: vt benè sit tibi, & filiis tuis post te in sempiternum, quum feceris, quod bonum est, & placitum in conspectu Domini Dei tui.

29. Quando disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingrederis possidendas, & hæreditaueris eas, atque habitaueris in terra earum.] Ad aliam transit materiam, similem tamen præcedenti.

Vers. 30. Caue tibi, ne imiteris eas, postquàm fuerint subuersæ à facie tua: & ne requiras cæremonias earum dicens: Sicut coluerunt gentes istæ Deos suos; ita & ego colam.] Quemadmodum, quantùm ad locorum multitudinem, inhibita est imitatio Ethnicorum; ita inhibetur quoad ritus, & cæremonias cultus diuini: & præcipitur ad literam, vt non colant Deum similibus cæremoniis, & ritibus, quos seruarunt Ethnici colentes Elohe suos. Vnde & subiungitur:

Vers. 31. Non facies similiter Domino Deo tuo.] Et ratio subiungitur: quia ritus eorum abominabiles sunt Deo.

Omnes enim abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt Diis suis, offerentes filios, & filias, & comburentes igni.] Legendum est: quia etiam filios suos, & filias suas comburent in igne Elohe suis. Ad manifestandum exosas esse Deo cæremonias similes cæremoniis Ethnicorum, affert manifestissimè impium: videlicet, innocentes filios comburere. Et scribitur verbo futuri temporis, ad significandum perseuerantiam in huiusmodi ritu.

Vers. 32. Omne, quod ego præcipio tibi, hoc facies: non addes quicquam super illud, nec minues ex eo.] Vtrunque superstitionis vitium inhibetur: religionis enim virtus in medio consistit: & quædam ei contrariantur ex parte excessus, & quædam ex parte defectus: & propterea prohibetur additio constituens excessum, & diminutio constituens defectum religionis.

CAPVT

CAPVT XIII.

VERS. I.

a Mirũ videtur, quod prohibeat Dominus credere Prophetæ facienti signa, & prędicenti, quæ venient: cùm tamen cap 18. dicat, *in hoc dignosces verbum Dei, si venerit id, quod Propheta dixerit*. Sed dicendum est, hic loqui de verbo Dei præterito, quod iam receptum est, signisque satis confirmatum. Aduersúsque tale verbum nõ sunt admittẽdi Prophetæ vlli, etiamsi pluerent signa, & prodigia, neque Angelus de cælo, vt Paulus ad Galatas inquit Hic autem scribitur Propheta daturus signa ad hoc, vt alios Deos introducat aduersùs verbum acceptum de vno Deo colẽdo; ideo non audiendus. Cap. verò 18. loquitur de verbo nondum accepto; & talis Propheta non est admittendus sine signis. Sicut Christus Euangeliũ signis firmauit, cum esset vltra Mosen prædicandum. Non enim reuelat Deus aliquod verbũ nouũ, nisi illud signis confirmet.

SI surrexerit in medio tui Propheta [a], aut somniator somnij, & prædixerit tibi signum, vel portentum.] Iudicia exercenda contra auertentes à cultu Dei, declarantur in hoc capitulo.

Vers. 2. Et euenerit, quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis:

Vers. 3. Non audies verba Prophetæ, aut somniatoris illius.] Non est sermo de Propheta falso, sed de Propheta malo, qui verum prædicit, sed malum suadet.

Quia tentat vos Dominus Deus vester.] Ratio redditur, quare Deus dat malo vito donum prædicendi verum: quia, videlicet, Deus ad similitudinem tentantis exercet vos.

Vt palam fiat.] Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Ad sciendum, vtrùm diligatis eum, an non in toto corde, & in tota anima vestra.* Similia enim superiùs dixit, & eodem modo intelligenda sunt: videlicet, metaphoricè, quòd Deus se habet ad similitudinem tentantis, ad sciendum in opere constantiam animi vestri; an, videlicet, prouocati ab huiusmodi Prophetis relinquatis eum, an ametis ipsum in toto corde vestro; ita quòd nullam cordis vestri partem ingredi possit amor Dei alterius.

Vers. 4. Dominum Deum vestrum sequimini, & ipsum timete: mandatáque eius custodite, & audite vocem eius; ipsi seruite, & ei adhærete.

Vers. 5. Propheta autem ille, aut fictor.] Non est in Hebræo, *fictor*, sed, *somniator somnij interficietur.* Ecce iudicium exercendum. Et causa subiungitur valdè manifesta:

Quia locutus est, vt auerteret à Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Ægypti, & redemit de domo seruitutis, vt errare te faceret de via, quam præcepit tibi Dominus Deus tuus ad eundum in ea: & auferes malum de medio tui.

Vers. 6. Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, siue vxor sinus tui, aut amicus, quem diligis, vt animam tuam.] Post cautelam & iudicium, occurrente Propheta malo, subiungitur similis cautela cum simili iudicio, occurrente quocunque suasore ad cultum alterius Dei, etiamsi ille fuerit vterinus frater, aut filius, aut filia, aut vxor, aut socius charus, sicut anima. Si quæris, cur nulla fit mentio patris, responderi potest; vel, quia non præsumitur huiusmodi scelus suasionis in parentibus; Vel, quia maior est amor ad filium, quàm ad patrem, & in lege non miserendi filij clauditur lex non miserendi patris.

Clam dicens.] Ergo multò magis sæuiendum est, si publicè prouocet: *Eamus, & seruiamus Diis alienis, (quos ignoras tu, & patres tui.)*

Vers. 7. Ex diis gentium, quæ sunt in circuitu vestro propinquæ tibi, vel remotæ à te, ab initio vsque ad finem terræ,

Vers. 8. Non acquiescas ei, nec audias eum: neque parcat ei oculus tuus, nec miserearis eius, nec occultes eum.] Intellige hæc seruato rectæ rationis ordine; videlicet, si probari potest, si monitus non est conuersus. Nam, si fuisset conuersus, vel si probari non posset; non essem reus, non procedendo ad interfectionem illius suasoris.

Vers. 9. Sed statim interficies.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia occidendo occides eum.* Præceptum est affirmatiuum: in quo subintelliguntur debitæ circunstantiæ seruandæ.

Sit primùm manus tua super eum.] Deficit, *ad faciendum mori ipsum.* Hinc ritus apud Hebræos seruatus legitur, vt primus testis manum ponat in reum ad hoc, vt occidatur.

Et posteà manus totius populi.

Vers. 10. Lapidibus obrutus necabitur.] Species mortis decernitur.

Quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo seruitutis.

Vers. 11. Et totus Israël audiens timebit, & non addet, vt faciat quicquam huic rei simile in medio tui.

Vers. 12. Si audieris in vna vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes.] Tertio loco decernitur iudicium exercendum à populo Israël aduersùs ciuitatem aliquam, quæ coluerit alium Deum.

Vers. 13. Egressi sunt filij Beliiahal [b] de medio tui.] Pronomen, *tui*, vniuersum Israël demonstrat.

b *Belial*, dictio in Scripturis frequens, Hebræis dicitur significare malitiam: vnde *filij Belial*, id est, malitię, lud 9 Nã per Belial Hebræi hominem peruicacem, & qui est perfricta frõte. quasi absque iugo legis diuinæ intelligunt, inde impositũ est Diabolo nomen *Belial*.

Et auerterunt habitatores vrbis tuæ.] Iuxta Hebræum habetur, *vrbis suæ.* Eadem enim ciuitas est totius Israël, vt pars regni; & est ciuium illius, vt proprij populi.

Atque dixerunt: Eamus, & seruiamus Diis alienis, quos ignoratis.

Vers. 14. Quære sollicitè, & diligenter rei veritate inspecta.] Iuxta Hebræum habetur: *Et quæres, & scrutaberis, & interrogabis benè.* Præcipitatio inhibetur inuestigando, an verum sit, quòd dictum fuerat: & immediatè subiungitur:

Et ecce veritas, rectum verbum, facta fuit abominatio ista in medio tui.] Effectus inquisitionis subiungitur dicendo: *Et ecce veritas*, subaudi, comperta est. Relatiuè autem ad famam auditam subditur, *rectum verbum*, subaudi, compertum est. Ex eo enim, quòd fuit dictum verum de tanto scelere commisso, appellatur verbum rectum: quia non solùm habuit rectitudinem veritatis; sed etiam rectitudinem diuini zeli. Et materia explicatur dicendo, *facta fuit abominatio hæc.*

Vers. 15. Statim percuties.] Iuxta Hebræum habetur: *Percutiendo percuties habitatores ciuitatis illius in ore gladij delebísque eam, & omnia, quæ in illa sunt, & pecora eius in ore gladij.* Ecce iudicium exercendum.

Vers. 16. Et totã supellectilem eius congregabis in medio plateę eius, & cõbures igne

igne ciuitatem, & totam supellectilem eius Domino Deo tuo.] Igne consumendas res illius ciuitatis censet in detestationem sceleris.

Et erit tumulus sempiternus: non ædificabitur ampliùs.

Vers. 17. Et non adhærebit de anathemate [c] quicquam in manu tua.] Aliàs dictum est, Hebraïcè scribi, *destructionem*, quod Græcè dicimus, *anathema*: vniuersa enim illa ciuitas sub anathemate constituitur ad exemplum aliorum.

Vt auertatur Dominus ab ira furoris sui, misereaturque tui, & multiplicet te sicut iurauit Patribus tuis.

Vers. 18. Quia audies vocem Domini Dei tui, custodiens omnia præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodie, ad faciendum, quod placitum est in conspectu Domini Dei tui.]

[c] D. Hieron. ait, anathema vocem peculiarem esse Iudæis, & extremã detestationẽ significare, ab exterminio nomen habẽs, quasi dicas excidiũ, aut si malis internecio: nostri excõmunicationem, maledictionẽ, & execrationem dixerunt. Paul. ad Gal. & 1. Cor. vlt.. *Qui non diligit Dominum Iesum, sit anathema, maranatha*, execrationis vltimæ nomen. Hæc vox frequens est in Mose, vocatúrque etiã apud Hebræos anathema, quæ ex aliqua maxima causa Deo deuouentur, nec licebat cuique ea cõtingere. Sic apud Græcos, homines sacri, quorum capita Diis inferis deuota erant, dicti sunt anathemata. Vide Budæum in Comment. ling. Græcæ.

CAPVT XIV.

VERS. I.

Filij estote Domini Dei vestri.] Iuxta Hebræum habetur: *Filij vos Iehouah Elohe vestro.* A ratione inchoat inhibitionem luctus defunctorum similis luctui Ethnicorum: à gradu, & dignitate adoptionis diuinæ monet, vt agnoscant se filios per adoptionem iam esse Dei; vt hinc dedignentur imitari Ethnicos in luctu mortuorum.

Non vos incidetis.] Hebraïcè scribitur, *lacerabitis*. Et significat Hebraïca dictio cum lacerandi modum, qui fit vnguibus: qualem lacerationem vsque in tempus præsens à mulieribus fieri patet.

Nec facietis caluitium super mortuo [a].] Iuxta Hebræum habetur: *Et non ponetis depilationem inter oculos vestros mortuo.* Quia ignotus est nobis mos Ethnicorum circa hoc, obscurus redditur sensus: potest enim particula illa, *inter oculos vestros*, referri ad mortuum: & sic sensus esset clarus, quòd mortuo existente inter oculos vestros, non depilabitis vos. Si verò particula, *inter oculos vestros*, refertur ad depilationem, sensus videtur, quòd non sit depilanda pars anterior capitis, quæ respondet situi inter oculos; siue depilatio fieret rasorio gladio, (quod credibilius est;) siue quomodolibet aliter.

[a] Olim tondere barbam, & abradere comam inter luctus signa erãt: barba enim ornamentũ erat viri, sic Esa. 15. *In omnibus capitibus caluitium, & omnis barba rasa.* vnde cum Paulus se voti reum simularet, etiã tõsus est. Hodie apud nos lugentes fouent barbam, & comam negligunt. Cæterum, quos olim in planctu ritus obseruarent Iudæi, videre licet in Munstero hoc loco.

Vers. 2. Quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo, & te elegit, vt sis ei in populum peculiarem de cunctis populis, qui sunt super faciem terræ.] Quod dixerat, *filij vos*, modò manifestat à munditia communi toti populo, relatiuè ad diuinum cultum. Et huiusmodi munditiam non ex seipsis, sed ex diuina electione consecutos fuisse commemorat, vt omninò se agnoscant prælatos reliquis omnibus populis: ac per hoc non degenerent in mores aliorum.

Vers. 3. Ne comedatis, quæ immunda sunt.] Aptè separationi à similibus cæremoniis, & luctibus adiungitur separatio ab esu animalium immundorum, diffusè tractata Leuitici 11.

Vers. 4. Hoc est animal, quod comedere debetis, bos, ouis, & capra.

Vers. 5. Ceruus, & caprea, & bubalus, & tragelaphus, & pygargus, & oryx, & camelopardalus.] Circa nomina animalium non ero solicitus: quoniam & hodie parui refert, & incertus scriberem.

Vers. 6. Omne animal, quod in duas partes findit vngulam, & ruminat.] Iuxta Hebræum habetur: *Et omne animal findens vngulam, & findens fissuram duarum vngularum, ruminans in animali, ipsum comedetis.* Repetuntur enim tres conditiones scriptæ Leuit. 11. quas ibi declarauimus: nec repetenda censemus dicta, exponendo huiusmodi immunda animalia.

Vers. 7. Tantùm hæc non comedetis de ruminantibus, & de findentibus vngulam diuisam: camelus, & lepus, & chyrogylius: quia ruminant, & vngulam non diuidunt, immundi erunt vobis.

Vers. 8. Porcus quoque, quoniam diuidit vngulam, & non ruminat, immundus erit vobis: carnibus eorum non vescemini, & cadauera eorum non tangetis [b].

Vers. 9. Hæc comedetis ex omnibus, quæ sunt in aquis: quæ habent pennulas, & squamas comedite.

Vers. 10. Omnia autem, quæ non habent pennulas, & squamas, non comedetis, immunda erunt vobis.

Vers. 11. Omnes aues mundas comedite.

Vers. 12. Immundas ne comedatis; aquilam, scilicet, & gryphem, & halyæetum,

Vers. 13. Et ixionem, & vulturem, ac miluum iuxta genus suum,

Vers. 14. Et omne coruini generis,

Vers. 15. Et struthionem, & noctuam, & larum, & accipitrem iuxta genus suum,

Vers. 16. Herodium, & cygnum, & ibin,

Vers. 17. Et mergulum, & porphyrionem, & nycticoracem,

Vers. 18. Et onocrotalum, & charadrion iuxta genus suum, & vpupam, & vespertilionem.

Vers. 19. Et omne reptile volatile, immundum erit, nec comedetur.

Vers. 20. Omne, quod mundum est, comedite.

Vers. 21. Quicquid autem morticinum est, nec vescamini ex eo.] Repetitur & ibidem promulgatum præceptum de morticino non edendo.

[b] Tradunt historiæ, gentes olim, præsertim Ægyptios, abominanda in esum, & summas delicias habuisse, à qua feritate volens Dominus abstrahere populũ suũ, illi in hac lege ciborum delectum præscripsit: in ea verò corporis munditiam, & iustam affectus moderationẽ, & totius vitæ, rerumque externarum modum simul præcipiens. Dicunt etiam nonnulli, hanc legẽ ideò datam, vt assuesceret populus in tam multiplicibus cæremoniis voci parere Domini, eoque tantam cæremoniarum farraginem illis præscripsisse, vt onus visum sit quasi importabile, Petro teste Actor 15. Spiritu etiam pueri erant, eò plus illis erat cæremoniarum indulgendum; nos verò cùm Spiritu ditiores simus, accepimus paucissimas, aliquas tamen quia nondum toti spirituales sumus.

Peregrino, qui intra portas tuas est, da, vt comedat, aut vende ei, quia tu populus sanctus Domini Dei tui es.] Hoc adiungitur, vt ei, qui licitè vesci potest, dono, aut pretio detur.

Non coques hœdum in lacte matris suæ.] Præceptum scriptum Exod. 23. repetitur: vide ibi.

Vers. 22. Decimam partem separabis de cunctis frugibus tuis.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Decimando decimabis omnem prouentum seminis tui, qui*

exit

exit de agro per annos singulos.

Vers. 23. Et comedes in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit, vt habitet nomen suum ibi, decimam frumenti tui, & vini tui, & olei tui, & primogenita de bobus, & ouibus tuis.] Aduerte, prudens lector, quòd, quia decima hoc in loco scripta comedenda decernitur in loco tabernaculi diuini ab ipsis offerentibus, (vt contextus manifestè significat;) ideò non est hîc sermo de decima, quam debebant filij Israël Leuitis, iuxta scripta Numer. 18. Similiter non est hîc sermo de primogenitis debitis à filiis Israël Sacerdotibus eadem ratione: quia, videlicet, hæc, quæ hîc scribuntur, comedenda mandantur ab offerentibus; illa autem erant Sacerdotum. Est itaque nouum statutum hoc, quod Moses declarando legem promulgat; videlicet, vt præter decimam Leuitis debitam, & primogenita Sacerdotibus debita offerant aliam decimam, & alia primogenita. Sed inter decimam, & decimam; inter primogenita, & primogenita; inter statutum, & statutum discernendum est: decima enim Leuitis debita erat verè decima pars: & similiter primogenita debita Sacerdotibus erant vera primogenita. Hæc autem noua decima non erat verè decima pars; sed arbitraria quædam portio appellata decima, quemadmodum & Iahacob vouit offerre decimas. Et similiter appellatione primogenitorum non intelliguntur vera primogenita; sed eximia animalia; vt, videlicet, oprima offerrent. Statutum quoque illud, debitum legale decernit: statutum autem hoc decernit debitum morale. Ad soluendas namque decimas Leuitis poterant compelli; ad offerenda autem hæc non poterant compelli, sed inter spontanea sacrificia hæc supputabantur: vniuscuiusque enim conscientiæ committebatur huiusmodi decimarum, & primogenitorum oblatio, iuxta facultates proprias. Erátque huiusmodi statutum medium inter consilia, & præcepta iudicialia; vtpote spectans ad debitum duntaxat morale, in cuius signum finis huius statuti scribitur.

Vt discas timere Dominum Deum tuum omnibus diebus.] Disciplina quędam timendi Deum iugiter erat huiusmodi oblatio: tū, quia viuidus seruabatur timor Dei frequentibus oblationibus in honorem Dei: tum, quia eundo ad locum tabernaculi diuini cum domo sua, discebant ibidem à Sacerdotibus, quæ ad timorem Dei spectant.

Vers. 24. Quum autem longa fuerit via, & remotus à te locus, quem elegerit Dominus Deus tuus ad ponendum nomen suum ibi, tibíque benedixerit, nec potueris ad eum hæc cuncta portare,

Vers. 25. Vendes omnia, & in pretium rediges: portabísque manu tua, & proficisceris ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus:

Vers. 26. Et emes ex ea pecunia quicquid tibi placuerit in bobus, & ouibus, & in vino, & sicera, & omni, quod desiderat anima tua; & comedes ibi coram Domino Deo tuo; & epulaberis tu, & domus tua.

Vers. 27. Et Leuitam, qui intra portas tuas est, non deleres: quia non habet aliam partem, & hæreditatem tecum.

Vers. 28. Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ nascuntur tibi eo tempore.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Ex fine trium annorum proferes omnem decimam prouentus tui in anno ipso: & repones in portis tuis.*

Vers. 29. Veniétque Leuita, qui non habet partem, & hæreditatem tecum; & peregrinus, ac pupillus, & vidua, qui intra portas tuas sunt; & comedent, ac saturabuntur.] Intelligo & hoc nouum statutum tertiæ huius decimæ, quemadmodum & præcedens; videlicet, tanquàm statutum debiti non legalis, sed moralis ad exhibendum pauperibus tertio quoque anno non veram decimam partem, sed aliquantam portionem. Nam & recta ratio dictat, vt præter ea, quæ legaliter debemus, (ad quæ, scilicet, possumus compelli;) offeramus in honorem Dei portionem aliquam, & communicemus indigentibus portionem aliquam rerum nostrarum: hæc enim duo in his duobus statutis decernuntur. Et istius secundi fructus in litera scribitur:

Vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, quæ feceris.] Benedictio ad multiplicationem spectat in sacra Scriptura. Multiplicatio itaque bonorum in omnibus operibus fructus eleemosynariæ largitatis promittitur.

CAPVT XV.

Vers. 1. SEptimo anno.] Iuxta Hebræum habetur: *A fine septem annorum.* Et est sermo de septem annis supputandis ab ingressu in terram promissionis, inchoando annum quoad hoc à principio culturæ terræ, quæ incipit ab æquinoctio autumnali: sex enim annis colenda erat terra, & anno septimo erat quies terræ iuxta scripta Leuit. 25. Finis itaque annorum septem septimus significatur annus: nam relatiuè ad septenarium numerum, vltima vnitas est terminus, & finis septenarij: ita quòd finis septem annorum vltimus est annus annorum septem. Præpositio autem præposita dicendo, *a fine septem annorum,* ad significandum integritatem septimi anni posita est. Et est sensus: Ab initio finis septem annorum; hoc est, ab initio vltimi, (hoc est, septimi,) anni. Subintelligitur enim vsque ad finem eiusdem.

Facies remissionem.] Dictio interpretata, *remissionem*, non significat remissionem, hoc est, condonationem; sed significat remissionem, hoc est, quietem ab exactione: & hoc est valdè notandum hîc, ne fallaris intelligendo statui donationem mutui anno septimo: quoniam non decernitur hac lege donatio; sed quies ab exigendo. Hebraïca siquidem dictio hoc manifestè sonat. Latinus autem Interpres vsus est remissionis vocabulo secundùm eam significationem, qua negationem operis, remissionem significamus: appellantes

annum remissum, & hominem remissum eum, qui non intendit negotio.

Vers. 2. Quæ hoc ordine celebrabitur [a].] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Et hoc verbum remissionis.* Pronomen, *hoc*, demonstrat, quod subiungitur:

[a] Pulcherrima sane & æquissima erat hæc lex à sapientissimo Deo data, eo, scilicet, vt rectores minus haberēt quæstionum, vbi lites, iurgia, debita, acta, pacta, iura, sigilla, literas scirent homines septimo anno tandē siue is propè, vel longe abesset, simul esse omnia tollenda, & extinguenda, & non in infinitas quæstiones propaganda, & seruanda. simul vt cauti esse homines cogerentur, ne tantā summam mutuo darent, quam desperarent ante septimum annum posse reddi. Hac lege etiam mederatur prodigis, & perditis, ne haberent sibi alienis opibus per debita, & pacta mutuatis.

Cui debetur aliquid.] Iuxta Hebræum habetur, *remittere omnem mutuantem manum suam.* Ecce verbum remissionis, videlicet, omnem hominem, qui mutui est creditor, remittere manum suam ab exigendo mutuum. Vnde & hoc clariùs manifestando subiungitur:

Qui mutuabit socio suo, non exiget à socio suo, & fratre suo.] Sola negatio exigendi mutuum præcipitur anno septimo: vt, quemadmodum non exigitur à terra fructus anno septimo, ita non vexetur illo anno debitor mutui: & quemadmodum ad vniuersam terram promissionis extenditur quies illius anni; ita ad vniuersos Israëlitas debitores mutui extenditur hæc quies, absque discretione aliqua dicendo: *Non exiget à socio suo, & fratre suo.* Proselytos enim appellat socios, & Israëlitas fratres.

Quia annus remissionis est Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia vocauit remissionem Iehouah.* In casu datiuo: hoc est, ideò non vexabis debitorem, quia beneficio gaudet appellationis quietis dicatæ summo Deo fonti essendi. Et hinc insinuatur ratio huius statuti; videlicet, in memoriam, & venerationem, quòd fons essendi quieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat: decretum siquidem diuina est lege, vt non solùm septimus dies, sed septimus mensis, septimúsque annus in memoriam tanti beneficij, (scilicet, creationis mundi) sanctificaretur.

Vers. 3. A peregrino, & aduena exiges: ciuem & propinquum repetendi non habes facultatem [b].] Iuxta Hebræum habetur: *Ab alienigena exiges: & quod erit tuum, fratri tuo remittes manum tuam.* Ad declarandum, quod dixerat: *Non exiges à socio tuo, & fratre tuo.* dicit, *ab alienigena exiges*; manifestam ponendo differentiam penes hoc, quòd etiam anno septimo licitum erat exigere mutuum ab alienigena, hoc est, nec Israëlita, nec proselyto. Vt intelligamus, legem hanc conditam esse, non ad inhibendum actionem exigendi à creditoribus, non ad quietem creditorum; sed ad quietem, & beneficium fidelium colentium Deum Israël debitorum. Et dicendo, *quod tuum erit, fratri tuo*, nisi restringatur ad materiam mutui, extendit legem ad debitum non solùm ex causa mutui, sed ex quacunque causa: latissima enim sunt hæc legis verba. Nec alienum à ratione est, vt lex de quiete ab exactione mutui, extensa sit ad quietem omnis debiti ex quacunque causa, si debitor est Israëlita.

[b] Ratio iusta est publicæ politię vt ciues aliquo priuilegio honorentur præ exteris, & peregrinis, ne confusa, & æqualia sint omnia. Sic etiam Romani aliquibus oppidis suis, vel coloniæ, vel Romanæ vrbis dederunt nain has formas, quamuis iniquitatis speciem habere videantur in politia, necessarias habet mundus, qualis est, & seruorum, & ancillarum conditio, & aliorum; & hoc ipsum ideò, vt mali arceantur, & pax publica constet, quę sub æqualitate, & indifferentia personarum constare non potest.

Vers. 4. Et omninò indigens, & mendicus non erit inter vos [c], vt benedicat tibi Dominus Deus tuus.] Iuxta Hebræum habetur: *Profectò quod non erit in te pauper, quia benedicendo benedicet tibi Jehouah in terra, quam Iehouah Elohe tuus dat tibi hereditatem.* Verba sunt Mosis, non præcipientis; sed promittentis, & prænunciantis inter alios fructus obseruandi diuinam legem, fore fructum hunc, quòd non erit ex eis quisquam pauper valdè. Dictio enim interpretata, *pauper*, non propriè significat mendicum (vt contextus paulò pòst testatur;) sed significat plusquàm pauperem: quem circunloquimur dicendo, *valdè pauperem.* Et dixit hoc Moses in hoc loco, ne grauis videretur lex ista creditoribus: nam, si nullus eorum erit valdè pauper ex eo, quòd seruant diuinam legem, consequens erit, quòd nullus beneficio remissionis anni septimi vtetur; sed absque exactione reddet, quod debet, tempore suo.

[c] Hanc legem iā tempore Christi apud Iudæos obliteratam fuisse constat Matth. 20. de illis cæcis, qui sedebant secùs viam mendicantes. Cæterum, de huius legis æquitate, vide libellū doctissimum Ludouici Viues.

Vers. 5. Tantùm si audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris vniuersa, quę iussit, & quæ ego hodie præcipio tibi: quia Dominus Deus tuus benedixit tibi, vt locutus est ad te,

Vers. 6. Fœnerabis gentibus multis & ipse à nullo accipies mutuum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et mutuabis cum pignore gentibus multis, & tu non pignorabis.* Copia facultatum promittitur: nihilque de vsura dicitur.

Dominaberísque nationibus multis, & tui nemo dominabitur.

Vers. 7. Si vnus de fratribus tuis intra portas ciuitatis tuæ in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum tuam pauperi.] Dictio interpretata, *paupertatem*, & *pauperi*, eadem est, quæ superiùs interpretata est *valdè pauper.*

Vers. 8. Sed aperies ipsam ei, & dabis mutuum, quo cum indigere perspexeris.] Iuxta Hebræum habetur: *Et mutuando cum pignore mutuabis ei sufficientiam defectui eius, quod deficiet ei.* Appositiuè ad sufficientiam dicitur, *quod deficiet ei.* Et hinc apparet, quòd appellatione valdè pauperis, non intelligitur mendicus, sed pauper, qui tamen habet, quod pignoret.

Vers. 9. Caue, ne fortè surrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo: Appropinquat septimus annus remissionis, & auertas oculos tuos à paupere fratre tuo, nolens ei, quod postulat, mutuum commodare [d].] Iuxta Hebræū habetur: *Et malignabitur oculus tuus in fratrem tuum pauperem, & non dabis ei.* Et dictio interpretata, *pauperem*, est illamet, quæ significat *valdè pauperem.* Dicitur autem *malignari* per oppositum ad *benignum esse.* Benignus enim ferax est boni: malignus autem ferax mali. Negans enim mutuum valdè indigenti, ferax est malorum omnium inde prouenientium.

[d] Ita habet cursus mūdi, vt posita lege, mox inuenta sit & fraus in legem: eo hic Moses præuenit dolum, quod futurū erat in remissionis lege septimo anno.

Ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum.] Hoc est, & puniaris pro peccato. Comminatur enim pœnam, clamante necessitate pauperis ad Deum, non ipsum peccatum, quod committitur ante clamorem.

Vers. 10. Dando dabis ei, nec ages quippiam callidè in necessitatibus eius subleuandis.] Clariùs scribitur Hebraïcè: *Et non malignabitur cor tuum in dare tuo ei.* Priùs monuit, vt non malignetur ad negandum; modò monet, vt non malignetur mutuando, hoc est, vt non aliqua mala intentione mutuet, vt sæpè fit: plura ad vtendum obsequiis pauperis, ad munera habenda, ad

vxorem fortè violandam, &c.

Vt benedicat Dominus Deus tuus.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia vice rei istius benedicet tibi Iehouah Elohe tuus in omni opere tuo, & in cunctis, ad quæ manum miseris.* Deum promittit retributorem mutuanti gratis pauperi.

Vers. 11. Quia non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ [e], idcircò ego præcipio tibi, vt aperias manum tuam fratri tuo egeno,& pauperi in terra tua.] Eadem dictio significans *valdè pauperem*, bis hîc repetitur. Nec aduersatur sententia hæc paulò superiùs assertioni: *Profectò non erit in te valdè pauper.* quoniam illud affirmatum est cum conditione, si seruauerint omnia præcepta Dei: hoc autem asseritur præuidendo, quòd non seruabunt diuina præcepta. Et oportuit hoc explicari, ne interpretaretur lex in hoc capitulo promulgata de septimo remissionis anno, tanquàm lex fundata super præsumptione non futurorum inter eos valdè pauperum: ad tollendum siquidem hunc errorem oportuit subiungere, quòd non deerunt valdè pauperes, quibus mutuandum, &c.

[e] Sic Christus Mat. 31. inquit: *Semper pauperes habebitis vobiscum.* voluit siquidem Dominus, vt mundus nō careret miseria, ne tolleretur ab hominibus misericordia.

Vers. 12. Cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, & sex annis seruierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum.] Præceptum scriptum Exodi 21. repetitur, ad addendum, seu declarandum idem de Hebræa, quod ibi decretum est de Hebræo.

Vers. 13. Et quem libertate donaueris, nequaquam vacuum abire patieris:

Vers. 14. Sed dabis viaticum.] Iuxta Hebræum habetur: *Onerando onerabis eum de ouibus tuis, & de area tua, & de torculari tuo.* Largum enim donum significat.

Quæ Dominus Deus tuus benedixerit tibi, dabis ei.

Vers. 15. Memento, quòd & ipse seruieris in terra Ægypti, & liberauerit te Dominus Deus tuus: ideò ego præcipio tibi hoc in die isto.

Vers. 16. Si autem dixerit tibi: Nolo egredi: quia diligo te,& domum tuam, quia benè est ei apud te.

Vers. 17. Assumes subulam, & perforabis aurem eius in ianua [f].] Clariùs Hebraïcè habetur: *Et capies subulam, & dabis in aure eius, & in ianua.* Est enim sensus, quòd eadem subula perforabitur auris simul cum ianua; ita quòd auris applicabitur ianuę, & vtraque simul perforabitur.

[f] Huius legis rationem, qua Dominus serui aurem iussit per herum ostio, vel posti adfigi, in signum seruitutis perpetuæ Exodi 21 exposuimus. Hic tamen nō ineptè aurium pertusione, plena addictio in seruitutem significari voluit Psaltes, dū dixit: *Aures autem perforasti mihi*, id est, addixisti me in seruum perpetuum. Psal. 40.

Et seruiet tibi in æternum.] Hoc est, vsque ad Iobeleum.

Ancillæ quoque similiter facies.] Propter ancillas enim hoc repetitum est.

Vers. 18. Non auertes ab eo oculos tuos, quando dimittes eum liberum, quia iuxta mercedem mercenarij per sex annos seruiuit tibi, & benedicet tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus, quæ agis.

Vers. 19. Omne primogenitum masculum, quod nascetur in bobus, & ouibus tuis, sanctificabis Domino Deo tuo: non operaberis in primogenito bouis, & non tondebis primogenitum ouis.] Præceptum de primogenitis scriptum Exodi 13. repetitur ad declarandum, quòd intacta primogenita sunt offerenda Deo: ita quòd non est detrahenda lana primogeniti, nec fructus aliquis laboris eorum.

Vers. 20. In conspectu Domini Dei tui comedes ea, per annos singulos, in loco, quem elegerit Dominus, tu, & domus tua.] Repetitur præceptum paulò superiùs (hoc est c. 12. de eximiis offerendis Deo scriptum,) ad declarandum, quòd singulis annis hoc facere debet.

Vers. 21. Si autem habuerit maculam, & vel claudum fuerit, vel cęcum, aut in aliqua parte deforme, vel debile, non immolabitur Domino Deo tuo.

Vers. 22. Intra portas tuas comedes illud: tam mundus, quàm immundus similiter vescentur eo, sicut caprea, & ceruo.] Loco dictionis, *similiter*, legendum esset, *simul*: ad differentiam conuiuiorum sacrorum, à quibus excludebantur immundi.

Vers. 23. Hoc solùm obseruabis, vt sanguinem eius non comedas, sed effundas in terram quasi aquam.

CAPVT XVI.

OBserua mensem nouarum frugum [a], & verni primùm temporis.] Iuxta Hebræum habetur duntaxat: *Obserua mensem primitiuum.* qui proculdubiò est mensis primus, hoc est, primæ Lunæ plenæ à Sole in Ariete: illo enim mense primitiæ frugum in spicis erant: & consequenter aliorum fructuum.

VERS. I.
[a] Mensis nouarum frugum, *Abib* vocabatur, sed post captiuitatem Babylonicā, cœpit vocari *Nisan*, eràtque mensis, in quo fruges incipiunt maturescere, quem Iudęi editis canonibus sic cursui Lunæ per embolismos (qui septem in cyclo lunari numerātur) motui Solis adaptarunt, vt non posset, vel pręuenire, vel sequi naturæ ordinem, & primæ maturitatis iustum tempus, saltem in terra promissionis.

Et facies Pesach Domino Deo tuo: quoniam in mense primitiuo eduxit te Dominus Deus tuus de terra Ægypti nocte.] Repetitur præceptum festi paschalis; scriptum in primis Exodi 12. repetitum autem pluries, & Leuit. 23. & Num. 28 Repetitur autem ad declarandum, rum locum; videlicet, quòd non vbique in terra promissionis, sed in loco, vbi est tabernaculum Dei, immolandùs est agnus paschalis: tum tempus morandi in illo loco, videlicet, quòd immolato vespere agno paschali, liberum erit sequenti mane redire in domum suam: ita quòd non oportebit morari in illo loco diebus septem: tum ad declarandum, panem infermentatum esse panem paupertatis: tum ad declarandum septimum diem fore diem collectionis; hæc enim quatuor hîc adiunguntur.

Vers. 2. Immolabísque Pesach Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus in loco, quem elegerit Dominus, vt habitet nomen suum ibi.] More suo Moses priùs in genere, deinde in specie tractat paschalem solennitatem: dicendo enim: *Et sacrificabis Pascha de ouibus, & bobus.* in genere comprehendit sacrificanda tunc, posteà in specie dicit: *Immolabis Pesach* (hoc est, agnum paschalem) *vespere ad Solis occasum.*

Vers. 3. Non comedes in eo panem fermentatum: septem diebus comedes in eo azyma, panem afflictionis.] Legendum est: *Panem paupertatis.* Azymus panis est paupertatis: quoniam pauperum est carere

commoditate

commoditate fermentandi panem, vtendo pane subcinericio, qui statim fit, & coquitur. Ad paupertatem tamen temporis refertur causa: nam subiungitur:

Quoniam in pauore.] Legendum est: *Quia in festinatione existi de terra Ægypti, vt recorderis diei egressionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ.* Penuria enim temporis (vt dicitur Exodi 12.) coëgit eos ad coquendum panes azymos. Et dixit hoc, ne erraretur, putando, quòd propter paupertatem rerum vsi fuerint azymis. Et causa redditur huius anniuersariæ afflictionis, memoria egressionis ex Ægypto: quia tunc contigit ex festinatione vesci azymis.

Vers. 4. Non apparebit tibi fermentatum in omnibus finibus tuis septem diebus, & non remanebit de carnibus eius, quod immolatum est vespere in die primo vsque mane.

Vers. 5. Non poteris immolare Pesach in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi;

Vers. 6. Sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen suum ibi, immolabis Pesach vespere ad Solis occasum.] Non intelligitur restrictus locus ad ambitum circa tabernaculum Dei; sed tota ciuitas, in qua esse contingebat tabernaculum Dei, intelligitur hîc nomine loci: vt patet ex statuto paschalis cæremoniæ Exodi 12. quilibet enim in domo sua immolabat paschalem agnum.

Quando egressus es de Ægypto.] Iuxta Hebræum habetur: *Præparationem egressus tui de Ægypto.* Refertur enim appositiuè ad Pesach: ipse enim agnus paschalis fuit præparatio ad egressum populi de Ægypto. Et hoc est clarum. Falsum autem est, quòd occidente Sole, quando iugulabatur Pascha, exierit populus de Ægypto, vt patet Exodi 12.

Vers. 7. Et coques, ac comedes in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, manéque consurgens vades ad tentorium tuum.] Ecce libertas redeundi ad propria, immediatè post immolatum agnum paschalem.

Vers. 8. Sex diebus comedes azyma.] Non ad excludendum septimum diem à lege azymorum dicitur: *Sex diebus comedes azyma.* sed ad declarandum, quòd dies immediatè sequens sex dies azymorum, est dies strictionis; ne intelligeretur, quod de die septima absolutè est sermo.

Et in die septima, quia collecta [b] est Domini Dei tui, non facies opus.] Interpres addidit, *quia:* nec affirmare, nec negare ausim, decerni alteram collectionem: ita quòd altera septimo mense, altera primo mense statuta sit, præsertim cùm nullum alium in Scriptura habeatur de hac testimonium: & Hebraïca dictio, non propriè significat collectionem pecuniarum, aut rerum; sed potiùs retentionem, quæ frequentem conuentum in die illo septimo (vtpote celebri) in quo non licebat operari, significare fortè posset.

Vers. 9. Septem hebdomadas [c] numerabis tibi.] Repetitur præceptum de festo Pentecostes, ad declarandum, tum oblationem spontaneam secundùm quantitatem frugum à quolibet faciendam: tum conuiuium sacrum in loco tabernaculi diuini celebrandum tunc.

Ab ea die, qua falcem in segetem miseris.] Tempus Paschæ significatur, quo primùm oblatio ex spicis fiebat iuxta scripta Leuit. 29.

Vers. 10. Et celebrabis festum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ: quam dabis iuxta benedictionem Domini Dei tui.

Vers. 11. Et epulaberis coram Domino Deo tuo tu, & filius tuus, & filia tua, & seruus tuus, & ancilla tua, & Leuita, qui est intra portas tuas, & aduena, & pupillus, & vidua, qui morantur vobiscum, in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen suum ibi:

Vers. 12. Et recordaberis, quòd seruus fueris in Ægypto: custodiésque, ac facies statuta hæc.

Vers. 13. Solennitatem quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de area, & torculari fruges tuas:

Vers. 14. Et epulaberis in festiuitate tua, tu, & filius tuus, & filia tua, & seruus tuus, & ancilla tua, & Leuita, ac aduena, & pupillus, & vidua, qui intra portas tuas sunt.

Vers. 15. Septem diebus festa celebrabis Domino Deo tuo in loco, quem elegerit Dominus: quia benedicet tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis, & in omni opere manuum tuarum, erísque tantùm in lætitia.] Repetitur & festum tabernaculorum, ad declarandum conuiuium etiam sacrum celebrandum tunc in loco tabernaculi diuini.

Vers. 16. Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit: in solennitate azymorum, & in solennitate hebdomadarum, & in solennitate tabernaculorum.] Repetitur præceptum Exodi 23. scriptum, ad declarandum, quæ sint illa festa tria, quibus apparere debet quisque vir in loco tabernaculi Dei.

Et non apparebit ante Dominum vacuus.

Vers. 17. Vnusquisque offeret, secundùm quod habuerit, iuxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei.] Repetitur præceptum ibidem scriptum, vt nullus appareat coram Deo vacuus; ad declarandum, quod quilibet offerat secundùm facultates suas.

Vers. 18. Iudices, & magistros.] Dictio interpretata *magistros*, sonat *Prælatos*, seu *Senatores.* & ad literam significare videtur Patres conscriptos, cum quibus Iudices tractare, & definire debent causas.

Constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per singulas Tribus tuas.] Non est sensus, quòd in singulis portis ciuitatis habentis plures portas, constituantur Iudices; sed, quòd in singulis

[b] Cœtus concionem, Synodum, & conuentum significat. Populus Dei, cum per totum festum Phase coluisset Deum sacrificiis, & epulari esset in loco à Deo electo, die septimo conueniebant in locú vnú, vt in atrium, & ibi legebatur lex Dei, & mandata, quæ ad ipsú pertinebant, ideò appellat eam concionē Domini Dei, quòd ad audiendam legē Dei ibi conuenirent.

[c] Festum Pentecostē vocat hebdomadarū ab illis septē hebdomadibus. Sed à quo die sint incipiendæ, hic exprimit hac periphrasi; à die, scilicet, qua falcem in segetem miseris, quæ licèt optimè exponatur ab Authore, nonnulli illud sic intelligunt; vt, videlicet, cū circa tempus Pentecostes fueris; præsertim, cū in calidis illis regionibus solēt primi fructus inueniri, numerabis retrò, scilicet, septem hebdomadas, computando vsque ad Phase nam Hebræis mos est retrò legere, scribere, & fortè sic numerabant à festo Pentecostes, scilicet Exod etiam 23. cùm dicitur de hoc festo: *Cum primos fructus messueris.* fortè idem innuitur.

ſingulis vrbibus inſtituantur Iudices proprij, miniſtraturi iuſtitiam in porta ciuitatis. Locus enim portæ tunc temporis erat celebrior ciuitatis locus.

Et iudicem populum iuſto iudicio.] Iuxta Hebræum habetur: *Et iudicabunt populum iudicio, iuſtitia.* Phraſi Hebraïcæ tribue loquendi modum. Appoſitiuè iuſtitia additur iudicio, vt iudicij authoritas iuſtitiæ ſit iuncta.

Verſ. 19. Nec in alteram partem declinent.] Iuxta Hebræum habetur: *Non inclinabis iudicium.* Duo dixerat; videlicet, iudicium, & iuſtitia: tractat ſingula incipiens à iudicio: inclinatio enim rectitudini opponitur, & propterea rectitudo iudicij præcipitur.

Non agnoſces perſonam, & non accipies munus.] Duæ occaſiones præcipuè tollunt rectitudinem iudicij ex parte Iudicis: altera eſt acceptio perſonarum; altera acceptio munerum: & propterea ambæ inhibentur. Et ſubditur ratio:

Quia munus excæcat oculos ſapientum, & torquet verba iuſtorum.] Perpende vim munerum contra vtranque partem animi; intellectum, ſcilicet, & affectum; &, quod amplius eſt, intellectum perfectum ſapientia, & affectum præditum iuſtitia: ſi enim ſapientes, & iuſti mutantur ex muneribus, quis Iudex, ſeu Princeps poteſt tutè accipere munera. Et magnipende hanc ſententiam non eſſe Moſis, ſed Dei, cui nota ſunt corda hominum, qui ſcit inſtabilitatem animi humani, animi etiam virtute præditi: Exodi enim 23. ex ore Dei eadem habetur ſententia.

Verſ. 20. Iuſtè, quod iuſtum eſt, perſequeris.] Iuxta Hebræum habetur: *Iuſtitiam iuſtitiam ſequeris.* Proſequitur alterum propoſitorum. Hebraïco more conduplicatio eiuſdem dictionis diſtributionem omnia comprehendentem ſignificat: quemadmodum enim dicendo, *die die*, intelligunt quotidie; & *vir vir* intelligunt ſingulos viros, & *tribus tribus*, per ſingulas tribus; ita dicendo *iuſtitiam iuſtitiam ſequeris*, intelligunt, quòd de iuſtitia in iuſtitiam abſque laſſitudine procedunt, quòd in ſingulis cauſis nulla prætermiſſa iuſtitiam ſequantur.

Vt viuas, & poſſideas terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

Verſ. 21. Non plantabis lucum[d], & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui, nec facies tibi.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Non plantabis tibi lucum cuiuſlibet arboris, ad latus altaris Iehouah Elohe tui, quod facies tibi.* Repetuntur præcepta quædam circa cultum diuinum, vt adiungatur in hoc, quòd facilè declinare poterant propter conuiuia ſacra ſub vmbra arborum. Inſeruntur autem hæc inter tractandum de Iudicibus, ne authoritate Iudicum permittatur huiuſmodi arborum plantatio prope altare Dei. Huius tamen contrarium ſæpè factum videtur populo ſacrificante in excelſis.

Verſ. 22. Nec eriges tibi ſtatuam, quam odit Dominus Deus tuus.] Ideò tam hoc præceptum de ſtatua, quàm ſequens de non immolando animali maculato hic repetitur, vt ſimile crimen intelligatur eſſe plantare lucum iuxta altare Dei, & erigere ſtatuam, ſeu offerre animal habens maculam. Et verè ſic eſt, formaliter intelligendo, (hoc eſt, idololatriæ more plantare lucum, perinde eſt ac erigere ſtatuam, qua adoretur Deus more idololatrarum: plantare autem ibidem propter conuiuia abominabile eſt Deo, tanquam ſi offeratur animal habens maculam. Excuſabatur autem fortè ſacrificatio in excelſis à tanto, quanuis non à toto: quia non plantabant ipſi arbores apud altare, ſed iuxta inuentas arbores altaria conſtruebant.

d *Lucus*, nemus erat arboribus denſum, dictum lucus per antiphraſim, eò quòd nō luceat, quoniam cùm nullæ illic arbores propter religionē cęderentur, opacus, & ſine luce erat, vt ait Valla; vel alicui Deo, vel alicuius cineribus cōſecratus. Ioan. Annius inquit, vocē *lucus*, ab Hetruſca lingua deriuari ſcilicet, à luca, id eſt, ſene: vnde lucus, idē quod ſenatorius locus, ſenatoria curia. vt Virgilius 7 Æneid. *Templum augustum ingens centum ſublime columnis, Horrēdum ſyluis, & religione parētum. Hinc ſceptra accipere, & primos attollere faſces, Regibus omen erat.* Non enim niſi in augurato loco poterat Senatus curiam tenere, vt ait Seruius. In huiuſmodi lucis altaria ſua erigebant gētes, ſicut & in excelſis, vnde lucos, & excelſa toties abominatur Scriptura: crediderim tamen ritum iſtū à Patriarchis mutuatum: nam de Abraham legimus, plantaſſe hortulum, & lucū in Berſabe, aram erexiſſe, & ibidem Dominum inuocaſſe: ſicut enim in montibus orabant Sancti, vt mens ad rerum omnium opificē eleuaretur ex mōtibus præclarè apparentium; ſic in lucis, & locis opacis, & frondoſis, quæ animū eleuant, Deum colere voluerunt.

V. 1. Nō immolabis Domino Deo tuo bouem, & ouem, in qua eſt macula, aut quippiam vitij: quia abominatio eſt Domino Deo tuo.

CAPVT XVII.

Vers. 2.

CVm repertus fuerit apud te intra vnam portarum tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir, aut mulier faciens malum in conſpectu Domini Dei tui.] Non eſſe habendam rationem ſexus in huiuſmodi crimine manifeſtat.

Et transgrediens.] Clariùs habetur Hebraïcè: *Ad transgrediendum pactum eius.*

Verſ. 3. Et iuit, & ſeruiuit Diis alienis, & adorauit eos, & Solem, & Lunam, & omnē militiam cæli, (quæ nō præcepi;)

Verſ. 4. Et hoc tibi fuerit nunciatum, audienſque inquiſieris diligenter, & verum eſſe inueneris, quòd abominatio iſta facta eſt in Iſraël,

Verſ. 5. Educes virum, & mulierem, qui rem hanc ſceleratiſſimam perpetrauerunt ad portas ciuitatis tuæ, & lapidibus obruentur.] Species mortis ſignificatur.

Verſ. 6. In ore duorum, aut trium teſtium peribit, qui interficietur; & non occidetur vno contra eum dicente teſtimonium.] Superiùs in cap. 13. dictum fuerat, quòd inquirenda eſſet diligentiſſimè veritas: modò declaratur numerus teſtium neceſſarius ad damnandum aliquem ad mortem. Et ne tertius teſtis neceſſarius crederetur, ſubiungitur, non quòd duo teſtes non ſufficiant; ſed quòd vnicus teſtis non ſufficiat ad damnandum hominem ad mortem.

Verſ. 7. Manus teſtium erit in eum prima ad interficiendum ipſum, & deinde manus totius populi: vt auferas malum de medio tui.] Ratio occidendi hominem malum redditur purgatio populi: & eſt rectæ rationi conſona.

Verſ. 8. Si difficile & ambiguum.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Si occultum.* in idem enim redit ſenſus.

Apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem.] Subaudi, fundendum eſſe, vel non eſſe fundendum.

Cauſam, & cauſam.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Et inter iudicium, & iudicium.* hoc eſt, quod duorum iudiciorum ſit approbandum.

Lepram, & non lepram.] Hebraïcè habetur: *Et inter plagam, & plagam.* Perſonales

nales percussiones dubiæ insinuantur: vt per hæc tria vniuersæ causæ ambiguæ significentur: in sanguine enim causa mortis; in plaga verò causa corporalis afflictionis; in iudicio autem causa rerum comprehenditur.

Et Iudicum intra portas tuas videris verba variari.] Iuxta Hebræum habetur: *Verba litium in portis tuis.* Benè Interpres exposuit: porta enim erat locus iudicij: & nihil aliud est, esse verba litis in portis, quàm remanere litem indecisam: quia occultum est apud Iudices, quid agendum.

Surge, & ascende ad locum[a], quem elegerit Dominus Deus tuus.

[a] Sanxit lex, vt particulares vrbes ad summum, & rudiores ad perfectiores in causis ambiguis irent. Cum certum esset, illic Deû præsidere, & Sacerdotes semper tales ibidem esse, qui legem Dei nossent: id, quod nullo alio loco præstiterat Deus nã, quia ciuilis erat populus, ciuili etiam loco eû prouidit, & corporali sacerdotio, in quo spiritus certò maneret. Hinc Dominus de propitiatorio per Sacerdotem respôdebat, vt Saul, 1. Reg. penultimo, queritur sibi nô esse respôsum à Deo, neque per Prophetas, neque per Sacerdotes.

Vers. 9. Veniésque ad Sacerdotes Leuitici generis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et venies ad Sacerdotes Leuitas, & ad Iudicem, qui erit in diebus illis, quæréſque ab eis: qui annunciabunt tibi verbum iudicij.* Non dicit, vel ad Iudicem: intellexisses enim, quòd secundùm causæ materiam eundum fuisset ad Sacerdotem, vel Iudicem supremum. Dicendo itaque, *Et ad Iudicem*; decernit, quòd ad vtrunque simul eatur. Et in hoc manifestatur intentio legis, vt Pontifex, & Iudex simul regant populum. Dicit autem *Sacerdotes*, pluraliter: quia in rebus arduis consilium multorum debebat concurrere Sacerdotum. Et adiungit Leuitas, (hoc est, ex Tribu Leui,) ad insinuandum, quòd subiuncta authoritas non conceditur Sacerdotibus, qui ex abusu fierent ex alia Tribu: vt tempore Ieroboam Regis Israël factum est.

Vers. 10. Et facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et facies super os verbi, quod annunciabunt tibi ex eo loco, quem eliget Iehouah.* Supremam authoritatem iudicij in ambiguis decernit ex loco tabernaculi diuini: quia locus ille erat locus diuini nominis, hoc est, diuinæ notitiæ. Et in hoc insinuatur, quòd in huiusmodi ambiguis consulendus erat Deus: ideò enim ex loco annunciationem describit, vt ex consulto ibidem Deo procedendum intelligamus. Ob cuius consultationis defectum tempore Iehosuæ errauerunt, pactum ineuntes cum Gabaonitis, inconsulto Domino; dubitando tamen de fraude.

Et docuerunt te iuxta legem eius.] Pondera conditiones tres. Prima est ex parte supremi officij (sacerdotij, scilicet,) & supremi Iudicis. Secunda est ex parte loci electi à Deo pro tabernaculo suo. Tertia autem ex parte legis diuinæ; vt, videlicet, conformis sit doctrina eorum diuinæ legi. Vnde & Hebraïcè habetur:

Vers. 11. Super os legis, quod docebunt te, & super iudicium, quod dicent tibi, facies.] Nisi enim diuinæ legis ori congruat, tam quod docent, quàm quod iudicant Sacerdotes, & Iudex in ambiguis, diuina non est fultum authoritate. Et hic est Textus, super quem fundatur regula, quòd in ambiguis, tam naturalis, quàm diuini iuris, ad summi spectat Sacerdotis officium interpretatio, seu declaratio: imò (vt verbis Literæ vtamur) docere, & iudicare: docere, inquam, authoritatiuè, & similiter iudicare. Et benè nota, quòd nullus actus voluntarius describitur, sed vterque rationis actus; videlicet, & iudicare, authoritatiuè tamen: & ideò parendum sancitur.

Non declinabis à verbo, quod annunciabunt tibi ad dexteram, & ad sinistram[b].] Simpliciter, & absolutè parendum in ambiguis doctrinæ, & iudicio primorum Sacerdotum, & Iudicis secundùm legem decernitur. Et scito, quòd in ambiguis præsumitur secundùm legem, quod legi congruere diffinitur, nec manifestè apparet contrarium.

[b] Hoc idẽ Magistratibus, & regnis concessit Deus, vt in ipsis sit mirus dignitatis fulgor, & potestatis terror; quo consolationem boni, merita, aut supplicia mali recipiant.

Vers. 12. Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo.] Dictio interpretata, *superbia*, studiosam (vt aiunt) impietatem sonat: ita quòd omnis se opponens ex proposito, includi significatur.

Et decreto Iudicis.] Interpres mutauit: nam Hebraïcè habetur: *Vel Iudici.* Disiunctiuè enim dicitur, non obediendo Sacerdoti, vel Iudici. Vbi, prudens lector, aduerte, quòd diffinitio ambiguæ causæ non ab vno, sed à multis Sacerdotibus, & Iudice describitur, & ex loco sancto secundùm legem: præcipere autem executionem diffinitorum attribuitur Pontifici, vel Iudici, prout vel materia, vel tempus, vel aliqua alia circunstantia suadebat. Et par pœna decernitur opponentis se Sacerdoti, vel Iudici: nam subditur:

Morietur homo ille, & auferes malum de Israël,

Vers. 13. Cunctúsque populus audiens timebit, & nullus deinceps intumescet superbia.] Ecce vna, eadémque pœna; cum duplici fructu; videlicet, purgationis Israël, & cautelæ deinceps attentandi similia.

Vers. 14. Cùmque ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaueriſque in illa, & dixeris: Constituam super me Regem[c], sicut habent omnes per circumitum nationes;

[c] Olim Abrahæ, & Isaac promissum erat, fore, vt Regem haberent filij Israël, dicẽte Domino Genes. 17. *Reges ex te erunt, &c.*

Vers. 15. Eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.] Prima in constitutione Regis conditio seruanda, est vt consulatur Deus, & ipsi Deo electio Regis committatur: quod est dicere, quòd Deus dignetur, vel signò aliquo, vel reuelatione, vel sorte monstrare, quem elegerit.

Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.] Facultas adimitur eligendi in Regem hominem non Israëlitam.

Vers. 16. Tantùm non multiplicabit sibi equos.] Huius oppositum manifestè fecit Salomon. Ratio tamen præcepti huius ad literam videtur, ad tollendum commercium Israëlitarum cum Ægyptiis: subiungitur enim iuxta Hebræum: *Et non faciet reuerti populum in Ægyptum, vt multiplicet equos.* ita quòd non dicitur, (vt vulgata habet editio) quòd subleuatus equitatus numero non reducat populum in Ægyptum ad præliandum: sed dicitur, quòd ad habendum equorum copiam non faciat reuerti populum in Ægyptum. Nec sis adeò rudis, vt intelligas reuersionem vniuersi populi: sed iussionem inhiberi, qua populus prouocetur ad eundum in Ægyptum pro huiusmodi commerciis. Et ratio subditur inhibitio diuina:

Præsertim cùm Dominus præceperit vobis.] Hebraïcè habetur coniunctio copulatiua:

copulatiua: *Et Iehouah dixit vobis.*

Non ampliùs per istam viam reuertamini.] Altera insinuatur ratio sermo diuinus; altera (quæ tacetur) pronitas fortè populi erat ad mores Ægyptios, quos Moses extirpare nitebatur.

Verſ. 17. Non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animum eius.] Optimè sensum reddidit Interpres: & effectus malus prædictus à Mose, subsecutus in Salomone conspicitur.

Neque argenti, & auri immensa pondera.] Iuxta Hebræum habetur: *Et argentum, & aurum non multiplicabit sibi valdè.* Pondera verbum, *sibi*: & non reprehendes Reges multiplicantes valdè argentum, & aurum, non sibi, sed reipublicæ, ne opprimatur populus tempore publicæ necessitatis.

Verſ. 18. Postquàm autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in libro[d].] Iuxta Hebræum habetur: *Et scribet sibi emendationem legis huius, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ Tribus.*

[d] Ex hac lege desumpta est cæremonia, qua ex libro legis in manu posito coronabatur, 2. Paralip. 24.

Verſ. 19. Et habebit secum, legétque illam omnibus diebus vitæ suæ: vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire omnia legis huius, & statuta ista ad faciendum ea.

Verſ. 20. Nec eleuetur cor eius super fratres suos, neque declinet in partem dextram, vel sinistram.] Dictio interpretata, *emendationem*, significat *exemplum*[e] *optimè etiam punctis, & lineamentis emendatum*: ad differentiam vulgarium librorum, in quibus lex non exactè scribitur, vt deberet. Et vt ad amussim scriberetur, exemplar à Sacerdotibus habendum censetur. Primum præceptum affirmatiuum datum Regi est, vt habeat apud se volumen diuinæ legis, & legat in eo, non semel aut bis, sed omnibus diebus vitæ suæ: vt ex frequenti lectione legis diuinæ quatuor fructus consequatur: primus est, timere Deum: secundus, seruare præcepta legis omnia: tertius, non eleuare cor suum super fratres suos filios Israël: quartus, prorogare imperium suum, & filiorum suorum.

[e] Exemplar istud, ex quo conscribendus erat liber legis, crediderim manu Mosi scriptum fuisse, & à Sacerdotibus in templo seruatum: fortè illud, quod inuentū est in domo Domini tempore Iosiæ Regis anteà per multū tēpus neglectum, 2. Paralip. 34.

Vt longo tempore regnet ipse, & filij eius super Israël.] In hoc insinuatur quòd si constituerent Regem, per successionem, regnum ad Regis filios spectaret.

CAPVT XVIII.

VERS. 1.

Non habebunt Sacerdotes Leuitæ, & omnes qui sunt de Tribu Leui, partem, & hæreditatem cum Israël: sacrificia Domini, & oblationes eius comedent.

Verſ. 2. Et hæreditatem non habebunt apud fratres suos: Dominus ipse est hæreditas eorum[a], sicut locutus est illis.

[a] *Deus ipse hæreditas eorum.* Phrasis est idē significās, ac ipse eos compensabo pro hæreditate, dum cūctas illis decimas donandas decreuero. Sic Genesis 15. *Ne timeas, Abraham: ego merces tua magna nimis.*

Verſ. 3. Et hoc erit iudicium Sacerdotum à populo, ab eo, qui offert victimas, siue bouem, siue ouem: dabit Sacerdoti armum ac ventriculum.] Repetitur statutum Num. 18. ad declarandum quædam, & ibi, & Exodi 29. tacita. Et iuxta Hebræum habetur: *Et dabit Sacerdoti brachium, maxillas, & ventrē.* In præcedentibus enim nihil de maxillis, (hoc est, de capite;) nihil de ventre dictum est, decernendo portionē Sacerdoris ex sacrificiis pacificis; sed duntaxat de armo, & pectore: quorum vtrunque sub brachij nomine comprehenditur, extendendo brachij nomen ad partem quartam anteriorem animalis: vt consueuerunt hœdi præcipuè, & agni diuidi.

Verſ. 4. Primitias frumenti, vini, & olei, & lanarum partem ex ouium tonsione.] Iuxta Hebræum habetur: *Et primitias tonsuræ ouium tuarum dabis ei.* Et hoc etiam nouiter declaratum est contineri sub primitiis debitis Sacerdoti.

Verſ. 5. Quia ipsum elegit Dominus Deus tuus de cunctis Tribubus tuis, vt stet, & ministret nomini Domini, ipse, & filij eius in sempiternum.

Verſ. 6. Et quando exibit Leuita ex vna vrbium tuarum ex toto Israël, in qua habitat, & volet venire desiderans locum, quem elegerit Dominus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et veniet in toto desiderio animæ suæ ad locum, quem elegerit* יהוה. Scribitur hoc, ad declarandum, quòd non est sermo de Leuitis, qui cupiditate, aut leuitate, seu ambitione aliqua; sed de iis, qui integra deuotione ad diuinum tabernaculum mouentur.

Verſ. 7. Ministrabit in nomine Domini Dei sui: sicut omnes fratres eius Leuitæ, qui stabunt ibi coram Domino.

Verſ. 8. Partem ciborum eandem accipiet, quam & cæteri[b].] Iuxta Hebræum habetur: *Partem, sicut partem, comedent.* Obscurum est, quid significetur per huiusmodi partem. Nam vniuersa lege prospecta nulla pars sacrificiorum, aut oblationum, decreta est Leuitis ministrantibus in domo Domini: sed ex decimis duntaxat viuebant, sicut & alij Leuitæ. Potest dici, (quia libet iste supplet tacita in præcedentibus libris,) ex hac litera haberi, quòd Leuitis ministrantibus in domo Domini prouidebatur de cibo ex ærario domus Domini; & propterea scriptum hîc esse, quòd comedent partem, sicut partem, hoc est, comedent partem, quemadmodum datur pars aliis ministrantibus: vt intelligamus, Leuitas ministrantes, quemadmodum laborem ministerij, ita & portionem sibi præ aliis Leuitis non ministrantibus habuisse.

[b] Voluit Dominus, vt Leuitæ, qui vellent studio verbi ediscendæ legis ad locū tabernaculi conuenire, certam haberent prouisionem suam.

Excepto eo, quod in vrbe sua ex paterna ei successione debetur.] Iuxta Hebræum habetur: *Præter à venditionibus suis super patres.* Duo rerum genera habent Leuitæ: quædam non venalia, lege prohibente vendi; vt suburbana: quædam venalia; vt acquisita ab ipsis, vel eorum patribus. Et ad differentiam non venalium dicitur in litera, præter id, quod ex venditionibus (hoc est, venalibus rebus) suis habent super patres: hoc est, etiamsi habeant à patribus illas res venales: istis enim rebus non priuabatur Leuita ministrans in domo Domini, quamuis non vteretur rebus non venalibus in ciuitate sua.

Verſ. 9. Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi,

non

non disces facere abominationes illarum gentium.

Vers. 10. Non inuenietur in te, qui transire faciat filium suum, aut filiam suam per ignem: aut qui ariolos sciscitetur.] Iuxta Hebræum habetur: *Diuinator diuinationum.* Quod autem sequitur:

Et obseruet somnia atque auguria.] Iuxta Hebræum habetur: *Obseruator temporum, & augur, & maleficus.*

Vers. 11. Et incantator, & consulens Pythones, & magus, & quærens à mortuis[c].] Hæc tamen non sic affirmauerim, vt omninò proprietatem crediderim seruari vocabulorum: certum tamen id est, diuinationum genera omnia inhiberi.

[c] Vltima diuinationis species est necromātia, quę fit noctu iuxta sepulcra mortuorum Nā necromantici, postquàm se ieiuniis macerauerūt, vadūt noctu ad cœmeterium, & illic iuxta ossa mortuorum sopore oppressi mira in sōnis se videre prædicant.

Vers. 12. Quia abominatur Dominus omnes facientes ista: & propter istiusmodi abominationes delebit eos Dominus in introitu tuo.

Vers. 13. Perfectus eris, & absque macula cum Domino Deo tuo.] Iuxta Hebræum habetur: *Immaculatus eris cum Iehouah Elohe tuo.* Nisi enim hæc omnia macularent animam, nequaquam subiungeretur, vt immaculati essent cum summo Deo.

Vers. 14. Quia gentes istæ, quarum possidebis terram, augures, & diuinos audiunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Obseruatores temporum, & diuinos audiunt.* Et scito, quòd dictio interpretata, *obseruatores temporum*, penuria vocabulorum sic interpretatur: sonat enim (si dici liceret) temporatores: quales sunt doctores temporum obseruandorum ad quælibet attentanda, quos Mathematicos vocant.

Tu autem à Domino Deo tuo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et tu non sic.* Deinde immediatè sequitur:

Dedit tibi Iehouah Elohe tuus.] Inhibetur auditio Mathematicorum, & diuinorum (qui minùs mali videntur aliis supradictis) dicendo; *& tu non sic.* Subiungitúrque ratio, quia non intercedente officio Mathematicorum, diuinorum, &c. consecutus es tot bona: sed Iehouah Elohe tuus dedit tibi bona istarum gentium, quæ audiunt Mathematicos, & diuinos.

Aduerte hîc, prudens lector, quòd consulere, & audire Mathematicos ad obseruandum tempora secundùm cursus syderum, contingit dupliciter: vel relatiuè ad actiones corporales totaliter subditas elementaribus, & cælestibus dispositionibus, vt agricultura, nauigatio, medicina, & id genus reliqua: & sic obseruare tempora, nullum peccatum esse manifestum est. Vel quoad actiones voluntarias: & hîc periculum est peccandi: quoniam actiones voluntariæ directè sunt exemptæ ab influxu corporum cælestium, eò quòd voluntas libera est: imò, quia mens vniuersa immaterialis est, & nulli corpori subditur. Indirectè autem (hoc est, ratione corporis) potest corporalis actio, siue cælestium, siue inferiorum corporum, mutare voluntatem: vt testantur corporales passiones iræ, & venereorum: veruntamen huiusmodi indirectè posse, non est tantæ vis, vt compellere possit voluntatem: sed *sapiens dominabitur astris*, quemadmodum & passionibus propriis. Quocirca, quia cōmuniter consulentes Mathematicos consulunt eos, vt regulas operum habeant, tanquam leges agendorum, ac per hoc profitentur facto voluntaria opera directè subiici cælestibus dispositionibus, vt regulis; ideò peccant maculando animam suam: & ideò prohibetur diuina lege huiusmodi consultatio. Et propterea, si quis sapiens hæc nolle vellet ad cauendum à dispositionibus cælestibus, sicut ab internis passionibus; vel ad vtendum prudenter cælestibus dispositionibus, quemadmodum vtitur propriis membris, & aliorum; nullum ex proprio genere peccatum incurrit. Dico autem, *ex proprio genere*, ne ratione scandali, aut suo exemplo peccet apud ignorantes huiusmodi sapientiam eius: vel apud minùs timentes Deum qui prouocarentur ad similia faciendum absque simili sapientia.

Vers. 15. Prophetam de gente tua[d], & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies:

[d] Sūt qui dicāt, quòd licet potissimum in his verbis Christus promissus sit, si tamē literam diligenter obserues patebit de aliis etiam Prophetis, qui populo de Domini voluntate responderent, factam esse promissionem. Nā, cum interdiceret Moses, cùm in promissam terrā venissent, cōsulere diuinos, subiicit: *Prophetam de medio tui, & de fratribus tuis suscitabit tibi Dominus.* quasi diceret, non à diuinis, sed à Domini Prophetis de voluntate illius rogabitis. Et ne causā habeatis diuinos cōsulendi, excitabit vobis Dominus semper de medio vestri Prophetas, à quibus de sententia ipsius possitis rogare. Quare vtt, qui inobediens fuerit, is, vt verbi mei contemptor pœnas dabit. Ita vt hæc sit sūma promissionis dominicæ, secundum quam semper ferè Prophetas suos semper populus ille habuit vsque ad Christum. Vnde Psaltes 74. tanquam de suprema calamitate queritur: *Signa nostra non vidimus, iam non est Propheta, nullus nobis cognoscens reliquus.* Si igitur, vt dicunt isti, de Christo præcipuè hæc promissio fuit vt Petrus eā in Actibus Apostolorum adducit. Verū nō solū de eo, sed de Prophetis, quotquot à Mose vsque ad Christum Iudęi habuerūt. Putantque nō esse acclamādum, si hæc sic intelligas, inde gloriæ Christi aliquid detrahi, aut quod Iudæis secundùm carnē, per hæc nimium concedatur nam prophetię de Christo spiritu, non litera, & persuadentur, & creduntur.

Vers. 16. Vt petisti à Domino Deo tuo in Choreb, quando concio congregata est, atque dixisti.] Iuxta Hebræum habetur: *Prophetam de medio tui ex fratribus tuis, sicut me, firmabit tibi Iehouah Elohe tuus: ad ipsum audietis: sicut omne, quod petisti ex cum Iehouah Elohe tuo in Choreb in die adunationis dicendo: Non vltrà audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc magnum non videbo ampliùs, & non moriar.* Libra, prudens lector, hanc circunstantiam Prophetæ huius, de quo est sermo, (videlicet, quòd est ille Propheta, qui promissus est à Deo, quando dedit legem ore proprio in monte Sinaï, vniuerso audiente populo:) huc enim tendit vniuersa hæc commemoratio dictorum à populo in die, quo adunatus est populus ad audiendam ex ore Dei legē:) vt hinc haurias, quòd non de Propheta in genere; sed de Propheta vice Dei latore legis, est sermo: Deum siquidem timebant audire ad vlteriora legis procedentem, vt contextus manifestat: & nisi desipere liceat, ad huiusmodi causā referenda est promissio Prophetę: alioqui Moses non citasset populi petitionem describturus huius Prophetæ promissionem tunc reuelatam sibi.

Vers. 17. Et ait mihi Dominus.] Præterita Dei locutio recitatur.

Benè omnia locuti sunt.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Fecerunt bonum, quod locuti sunt.* Superiùs in cap. 5. hoc idem commemoratum est. Laudat Deus, tum factum, tum sermonem populi verentis audire ampliùs Deum per seipsum in maiestate loquentem: sed ideò repetit hæc Moses, vt manifestet diuinam promissionem de Messia tunc factam: & tamen hactenus non scriptam.

Vers. 18. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum.] Ecce diuina promissio Messiæ, sub nomine Prophetę aptissimè facta post data decem præcepta populo timenti audire Deum ampliùs in maiestate loquentem: aptissimè siquidem ex tunc promittitur ipsemet Deus in natura humana allocuturus populum humanissimè, non maiestate, sed officio Prophetæ prædicantis verbum Dei, & manifestantis arcana Dei. Si verba librare studes, scito, Hebraïcè haberi, non, *suscitabo*; sed, *faciam surgere*, seu, *faciam firmare*: dictio enim Hebraïca anceps est ad vtráque significationem,

significationem, tam hîc, quàm paulò antè. Impleuit enim Deus vtrunque: nam & fecit Messiam surgere Prophetam, dum ex fabro absque disciplina literarum surrexit ad officium prædicandi, &c. & firmatus est affluentissima copia innumerabilium miraculorum.

Similem tui.] Iuxta Hebræum habetur: *Sicut te.* Et hinc apparet, quòd de Messia est sermo: tum, quia non surrexit vlterà Propheta in Israël, sicut Moses, (vt dicitur in calce istius libri,) nisi Messias nouus legislator cum tanta multitudine miraculorum, &c. tum, quia extra propositum erat, tunc Deum reuelare Mosi futurum Prophetam similem ipsi Mosi, nisi de Propheta legislatore loqueretur: hæc enim causa, (scilicet, ferendæ legis,) quadrat vniuersis commemoratis hîc à Mose: nam quadrat petitioni populi horrentis vlteriorem legislationem ex ore Dei in maiestate: quadrat materiæ, quæ tractabatur tunc: quadrat similitudini Mosis: quadrat pœnæ subiunctæ illis, qui non audierint vocem illius Prophetæ: quadrat imperfectioni legis veteris perficiendæ per Messiam: quadrat & singularitati, ac excellentiæ illius Prophetæ, cum tanto apparatu, tali tempore reuelati Mosi, & in hac litera descripti.

Et ponam verba mea in ore eius: loqueturque ad eos omnia verba, quę præcepero illi.

Vers. 19. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Ego requiram à eum eo.* Diuinum iudicium imminere non credentibus Messiæ decernitur: iuxta id, quod ipse in Euangelio dicit: *Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Hic est textus, ratione cuius Iesus in Euangelio dicit: *De me Moses scripsit.*

Vers. 20. Propheta [a] autem, qui arrogantia deprauatus.] Studiosus ad malum animus Hebraïcè significatur: repetitur enim illa dictio pluries superiùs habita, & interpretata, *superbia.*

[a] Sensus est. Attamē quoniam & falsi Prophetæ surgent, vestrū erit dispicere qui à me missi fuerin & qui à seipsis venerint Id in eo deprehenderis, si quid non eueniat, quod euenturum prędixit Hinc de Samuele, puer Saul volens illum probare verum Prophetā, dicebat. *Est vir in ciuitate: quicquid loquetur, certò eueniet* 1. Reg 8. Verùm, cùm fieri possit, vt volente Domino populum suum tentare, eueniat, quod etiā Pseudo-Propheta prædixisset, altera nota veri Prophetæ adiuncta est, Deuter. 13. nempe, *si eum ab vno Deo colendo auocaret.*

Voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi ei, vt diceret & qui locutus fuerit in nomine alienorum Deorū, interficietur.] Considera hic, quòd inter tractatum inhibentē diuinationes, & tractatum punientem falsos Prophetas, mediā locauit Moses promissionem Messiæ; ad insinuandum, quòd futurus erat hostis vtrorūque.

Vers. 21. Et si dixeris in corde tuo: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus?

Vers. 22. Hoc habebis signum. Quod in nomine Domini Propheta ille prędixerit, & nō euenerit; hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit: & idcircò non timebis ab eo.] Aduerte, prudens lector, quòd Moses non dat signum affirmandi; sed negandi: non dat signum cognoscendi, quod Deus dicit per hominem; sed dat signum cognoscendi, quod Deus non dicit. Nam ex non euētu rei prædictæ cognoscendum docet non esse à Deo missum Prophetam: non autem dicit, quòd si euenerit fuisse illum missum à Deo. quoniam in hoc fallax est, vt in c. 31. ipse Moses dixit. Sed aduerte circa signum datū non euētus, quòd intelligitur mānentibus immutatis dispositionibus hominum. Nam, sicut promissiones bonorum intelliguntur, vt lex testatur, nisi declinauerint à Deo; ita comminationes malorum intelliguntur, nisi pœnitentia agatur, vt clarè testatur Deus apud Hierem. cap. 18. Et propterea nec Esaïas, nec Ionas arguendus est: quia euentus, quos prædixerunt, pœnitentiæ Ezechiæ, & Niniuitarum impediuerunt.

CAPVT XIX.

VERS. 1.

CVm exciderit Dominus Deus tuus gentes, quarum terram tibi traditurus est, & hæreditaueris eas, habitauerisque in ciuitatibus, & domibus earum,

Vers. 2. Tres ciuitates separabis tibi in medio terræ tuæ, quam Dominus Deus tuus dat tibi in possessionem;

Vers. 3. Sternésque diligenter viam, & in tres partes æquales totam terræ tuæ prouinciam diuides: & [illegible], illuc fugiet omnis homicida.] Statutum inchoatum Exodi 21. & scriptum Num. 35. repetitur, ad declarandum multa ibidem tacita.

Vers. 4. Et hæc est lex homicidæ, qui fugiet illuc, & viuet. Qui percusserit proximum suum nesciens, & qui heri & nudiustertius [a] nullum contra eum odiū habuisse comprobatur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ipse non odiens eum ab heri, & nudiustertius.* Non describitur alius casus à primo: sed primus casus (videlicet, occidentis hominem ignoranter ignorantia facti, putà emittendo sagittas aduersùs feras percussit hominem,) fulciri debet testimonio non præcedentis odij erga illum percussum. Si enim præcessisset odium, non crederetur dicenti se nescisse, quòd homo erat ibi: sed præsumeretur ex industria patratum homicidium.

[a] *Heri, & nudiustertius* Hebraïco schemate pro hactenus & anteà ponitur Exod 3 *Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri, & nudiustertius*, id est, hactenus. Genes etiam 31. *animaduertens Iacob faciē Laban, quòd non esset erga se sicut heri, & nudiustertius*, id est, anteà Cæterum inquisitio ista, qua de homicida explorabatur, si sciens, vel ignorans, data opera, vel per casum proximum suū occidisset, vocata est apud Matthæū cap 5 iudiciū Inquiebat enim Christus: *Quisquis occiderit, reus erit iudicio.* iudiciū pro illa exploratione sumens nam in lege tale adiunctū non legitur.

Vers. 5. Sed abiisse cum eo simpliciter in syluam.] Iuxta Hebræum habetur: *Et qui ibit cum socio suo in syluam ad cædendum ligna, & impelletur manus eius in securim cædendo lignum, ferrúmque lapsum de manubrio proximum eius percutiet, & morietur.* Alter casus describitur homicidij inuoluntarij: primus enim penes ignorantiam existentis ibidem hominis: alter autem penes casualem euentum actionis inuoluntariæ attenditur: vt ex his duobus casibus reliqui discerni possint.

Hic ad vnam supradictarum ciuitatum confugiet, & viuet.

Vers. 6. Ne fortè proximus eius, cuius effusus est sanguis, dolore stimulatus insequatur homicidam, & apprehendat eum, si longior via fuerit, & percutiat animam eius, qui non est reus mortis: quia nullum contra eum, qui occisus est, odium priùs habuisse monstratur.] Aliàs dictum est in hac eadem materia Hebraïcè non scribi, proximum eius, cuius effusus est sanguis; sed redemptorem sanguinis: qui quanuis communiter sit

sit propinquus secundùm carnem : lex tamen non arctatur ad propinquum secundùm carnem : posset enim redemptor sanguinis esse amicus.

Vers. 7. Idcircò præcipio tibi dicendo: Tres ciuitates separabis [b] tibi.

[b] Epiicheiam in legibus requirit Deus, vt non secundùm facta solum, sed secundùm voluntatem iudicetur. Ita vt quicquid peccatū fuerit, animi est potius, quam manus spectetur. Certum summa iustitia est legis rigorē æquitate remittere, vt ne scienter id à cōsequatur, quæ similis quidem est malo, & nocenti & tamē nec malus, nec nocēs est, qui nolens & inuitus fecit. Iuste igitur hic mandantur separari ciuitates refugij pro homicidis inuoluntariis.

Vers. 8. Cùm autem dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut iurauit patribus tuis, & dederit tibi cunctam terram, quam eis pollicitus est,

Vers. 9. (Si custodieris mandata eius, & feceris, quæ ego præcipio tibi hodie, vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius omni tempore,) addes tibi adhuc tres alias ciuitates super istas tres:

Vers. 10. Et non effundetur sanguis innocens in medio terræ tuæ, quam Dominus Deus tuus dat tibi in hæreditatem, & erit super te sanguis.] Dictum superiùs fuerat, quòd Deus non in primo ingressu daturus erat vniuersam terram promissionis, (quia populus, qui tunc erat, non sufficiebat ad habitādum, & colendum eam,) sed, quòd paulatim, multiplicato populo, daret totam : & proptereà Moses decernit, vt in primo ingressu definiant tres ciuitates refugij ; & quando Deus dabit totam terram promissam, definiant alias tres ciuitates refugij : vt sanguis innoxius possit commodè saluari. Erant ergo legis decreto nouem ciuitates refugij : tres trans Iordanem in regnis Sichon, & Hog, (quas ipse Moses definiuit :) & sex in terra promissionis cis Iordanem versùs Ierusalem.

Vers. 11. Si quis autem odio habuerit proximum suum, & insidiatus fuerit ei, & surrexerit contra eum, & percusserit eum, & mortuus fuerit, fugeritque ad vnam de supradictis ciuitatibus:

Vers. 12. Mittent seniores ciuitatis illius, & capient eum inde.] Pronomen, *illum*, occisum demonstrat. Decernitur enim, quòd inter senes vtriusque ciuitatis causa tractetur : ita quòd cùm Iudices ciuitatis occisi manifestauerint Iudicibus ciuitatis refugij, quòd homicidium fuerit per insidias, mittent viros, qui vinctum accipiant homicidam.

Tradentque in manum proximi, cuius sanguis effusus est : & morietur.] Ne intelligas tradendum esse homicidam in manus redemptoris sanguinis, vt ipse sit carnifex; sed tradendum iustitiæ petitæ à redemptore sanguinis ad hoc, vt occidatur.

Vers. 13. Non misereberis eius : & auferes noxium sanguinem de Israël.] Iuxta Hebræum habetur : *Et auferes sanguinem mundi ab Israel : & bene erit tibi.* Sanguis occisi ab homicida per insidias, appellatur sanguis mundi : qui tandiu adiacet Israëli, quandiu non fit vltio puniendo homicidam : & proptereà mandatur : *Non misereberis homicidæ, & auferes sanguinem mundi occisi per mortem vini homicidæ ab Israel :* ne, scilicet, imputetur Israëli omissio vindictæ : est enim vindicta iustitiæ species.

Vers. 14. Non assumes, & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua.] Iuxta Hebræum habetur : *Non addes confinium socij tui, quod definierant primi in hæreditate tua, quam possidebis in terra, quam Dominus Deus tuus dat tibi ad hæreditandum eam.* Vsurpatio partis agri contigui prohibetur : fit enim hoc adiungendo proprio agro partem agri propinqui : quod est adiicere confinium socij agro meo. Significanter autem meminit primorum statuentium confinia agrorum : quoniam seruanda erat distinctio primò facta in diuisione terræ inuiolata, vt vnusquisque tempore Iobelei rediret ad propria.

Vers. 15. Non stabit testis vnus contra aliquem, quicquid illud peccati, & facinoris fuerit.] Superiùs in causa occisionis decretus fuit numerus testium in cap. 17. hîc autem extenditur prædictus numerus testium ad omnem causam criminalem : Hebraïcè enim dicitur : *Non affirmabit testis vnus in virum in omni iniquitate, & in omni peccato.* & immediatè subiungitur:

In omni peccato, quod peccabit super os duorum testium, vel super os trium testium, affirmabit rem,] seu *verbum.* Vbi clarè patet, solas & omnes causas criminis comprehendi.

Vers. 16. Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum præuaricationis.] Iuxta Hebræum habetur : *Quando affirmabit testis iniquus in virum ad respondendum in eo declinationem.* De teste loquitur lex, qui cùm deberet veritatem testificari, respondet loco veritatis declinationem à recto in eum, qui est innocens.

Vers. 17. Stabunt ambo, quorum causa est ante Dominum.] Libra locum diuini tabernaculi.

In conspectu Sacerdotum, & Iudicum, qui erunt in diebus illis.] Et diuini reuerentia loci, & Sacerdotum, & Iudicum authoritas concurrit ad discutiendum falsum testem.

Vers. 18. Cúmque diligenter perscrutantes inuenerint.] Iuxta Hebræum officium inquirendi attribuitur Iudicibus : nam legitur: *Et inquirent Iudices benè.* Potiùs enim ad iudices maleficij, quàm ad Sacerdotes spectat huiusmodi discussio.

Falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium.] Iuxta Hebræum habetur : *Et ecce testis falsitatis testis, falsum testificatus est in fratrem suum.*

Vers. 19. Facietisque ei, sicut cogitauit facere fratri suo [c] : & auferes malum de medio tui.

[c] Lex melior nulla est, quàm necis artifices arte perire sua. Habesque ex hac lege apertum textū, quod conatus puniendus sit, etiamsi factū non impleatur, cùm testē occidi mādat. Sed hic quæstio reliqua est de illo innocente, & inuolūtario homicida. Si innocens est, cur tali pœnæ subijcitur, vt exulare cogatur in vrbe refugij, donec Sacerdos magnus moriatur, Num. 35? Respōdetur, sicut is, qui fortè occisus est, vnà cū suis coguntur hoc malum vicinitatis, & cohabitationis ciuilis ferre, ita ille suum exilium eodem iure tanquam malū, quod illi ex vicinitate contingit. Ita enim habent res mortalium, vt cuilibet à proximo sit expectandum incommodum. Lex autem tā rigidè hoc sanxit, vt ab homicidio voluntario magis absterreat, & iniuriā, quamuis inuito animo illatam, tamen amicis molestam vtcunque penset, & mitiget, velut iniuria contraria.

Vers. 20. Et remanentes audient, & timebunt : & non addent, vt faciant ampliùs sicut malum hoc in medio tui.

Vers. 21. Non misereberis eius : sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.] Pœnam talionis decernit infligendam falso testi.

CAPVT

CAPVT XX.

VERS. I.

QVum exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equos & currus & maiorem quàm tu habeas aduersarij exercitus multitudinem, non timebis eos: quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Ægypti.] Dispositio populi relatiuè ad bellum scribitur, consistens præcipuè in confidentia diuina. Quanuis enim aggredi bellum iustum contra fortiorem, sit absolutè stultum, & criminosum (vtpote tentantis Deum) aggredi tamen illud promittente Deo se pugnaturum pro eis, seu cum eis, vt promissum est Israëlitis, virtutis est spei, imò fiduciæ in Deo: & propterea præcipitur, vt non timeant.

Vers. 2. Appropinquante enim iam prælio, accedet Sacerdos, & sic loquetur ad populum.

Vers. 3 Audi Israël, vos hodie acceditis ad pugnam contra inimicos vestros, non mollescat cor vestrum, non timeatis, & non paueatis, nec formidetis à facie eorum:

Vers. 4. Quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra aduersarios vestros dimicabit [a].

Vers. 5. Duces quoque loquentur ad populum dicendo: Quis est vir qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam, vadat & reuertatur in domum suam: ne fortè moriatur in bello, & alius dedicet illam.] Dictio interpretata, dedicare, initium habitandi cum quadam (vt opinor) solennitate significat.

Vers. 6. Et quis est vir qui plantauit vineam, & nondum fecit eam esse communem, & de qua vesci omnibus liceat.] Interpres circunlocutione huiusmodi vnicam Hebraicam dictionem significantem contrarium eius quod est sanctificare, significat. Et sensus est. qui non fructum vineæ illum qui non Deo sanctificatus est, percepit: vt enim superiùs statutum est Leuit. 19. de arboribus fructiferis, vineæ fructus tribus annis erat immundus, quarto sanctificabatur Deo, quinto autem erat ad vsum domini vineæ. Est ergo sensus quòd si quis plantasset vineam, & ad quinti anni fructus non peruenisset, reuertatur. Prouidit siquidem lex, vt homines obligati ad eundum ad bellum carerent manifestis passionibus impedientibus virilitatem animi ad pugnandum: & propterea tam affectus ducendæ vxori, quàm percipiendo fructui plantatæ vineæ, aut habitationi ædificatæ domus, aut timidus liber erat à progressu ad bellum. Et in his casibus intelliguntur similes.

Vadat & reuertatur in domum suam: ne fortè moriatur in bello, & vir alius faciat eam communem.

Vers. 7. Et quis est vir qui desponsauit vxorem, & non accepit eam, vadat, & reuertatur in domum suam: ne fortè moriatur in bello, & vir alius accipiat eam.

[a] Ex hac Domini lege, & promissione fluxerunt illæ gloriationes Prophetarum. Non in arcu meo gloriabor, nec gladius meus saluabit me. & iterum: Non in tibiis viri beneplacitum erit ei. Nec in fortitudine equi voluntatem habebit. & illud, Fallax equus ad salutem. & rursus, Benedictus Deus qui docet manus meas ad prælium. ipse enim dat salutem Regibus. Statuit igitur hic Dominus legē victoriosissimam, si eam seruassent, quā quum obseruarūt, nihil mali passi sunt, quoties verò sine huius legis fide solo numero, & copia bellauerunt, cæsi sunt.

Vers. 8. Et addent duces vt loquantur ad populum, & dicent: Quis est vir formidolosus & corde tenero, reuertatur in domum suam: ne dissoluat cor fratrum suorum sicut suum.

Vers. 9. Quumque siluerint duces exercitus, & loquendi finem fecerint, vnusquisque suos cuneos ad bellandum præparabit.

Vers. 10. Quando accedes ad ciuitatem, vt expugnes eam, offeres ei primū pacem [b].] Sancta lex, vt quanuis iustum sit bellum, offeratur tamen pax ad saluandam vitam & libertatem singulorum, & res eorum à præda.

Vers. 11. Et si pacem responderit tibi, & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea inuenietur, erit tibi tributarius, & seruiet tibi.

Vers. 12. Si autem pacem non fecerit tecum, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam.

Vers. 13. Quumque tradiderit illam Dominus Deus tuus in manum tuam, percuties omne, quod in ea est generis masculini in ore gladij.

Vers. 14. Tantùm mulieres & infantes, & iumenta & cætera quæ erunt in ciuitate, omnem supellectilem eius prædaberis tibi: & comedes spolia hostium tuorum quæ Dominus Deus tuus dederit tibi.] Acre valdè ius decernitur, præsumendo vniuersos mares illius ciuitatis esse in culpa, solásque mulieres cum pueris excipiendo: quanuis vulgata editio habeat infantes. Et libertatem intellige concessam occidendi omnes mares supra pueritiam, non præceptum vt occidant. Non enim est interpretanda lex cum obice clementiæ. Nam intentio legis non tendit ad exterminium huiusmodi ciuitatum, quæ sunt extra terram promissionis: imò manifestam disparitatem decernit inter ciuitates terræ promissionis, & alias quoad exterminium, vt clarè patet in litera.

Vers. 15. Sic facies cunctis ciuitatibus, quæ procul valde à te sunt: & non sunt de iis ciuitatibus, quas in possessionem accepturus es.

Vers. 16. De iis autem ciuitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omninò permittes viuere.] Quanuis Hebraicè habeatur, non viuificabis omnem animam, seu spirantem.

Vers. 17. Sed perdendo perdes eas, Hithæū, & Emorræum, & Chenahanæum, & Ferezæum, & Hiuæum, & Iebusæum.] Ad homines duntaxat refertur non viuificatio omnis spirantis: & non extenditur ad animalia, sed ad mulieres & paruulos. Vnde & subditur:

Sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus.] Exod. 23. & 34. repetitúmque est in hoc libro cap. 7. Et quanuis sex duntaxat gentes hîc numerentur, intelliguntur tamen omnes septem, quæ in prædictis locis supputantur.

Vers. 18. Ne fortè doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt diis suis: & peccetis in Dominum Deum vestrum.

[b] Legem præscribit Dominus, vt pacem prius offerant hostibus, id quod & gētes quædam obseruauerunt, vt poëta de Romanis dicit: Parcere subiectis, & debellare superbos. Augustus etiam pacē semper bello prætulit, nec nisi necessitate vrgente bellandum esse dixit, bellúmq; simile esse aureo hamo, vbi sumptus maior est quàm fructus, & ferè in icem præsentem Deū videmus omnium bellorū, ita vt regna mūdi bello parta bello perierint, & Monarchiæ quæ omnia perdomuerūt, factæ sint postmodū rapinæ omnium gētium. Bellabāt siquidem illi, vt latissimè quisque imperaret, & harpiis suis pararet ampliorem prædam.

Vers. 19. Quando obsederis ciuitatem multo tempore pugnando aduersùs eam, vt capias ipsam, non perdes arbores eius, impellendo super eas securim [c], quia ex fructibus earum comedes, & ipsas non succides: quoniam lignum est, & non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum.] Circunloquitur Interpres sensum Hebraïcæ literæ, habentis: *Quia homo arbor campi ad veniendum à facie tua in angustiam.* Et est literalis sensus, quia homo est illa campi arbor, quam tu angustare quæris, quæ est à facie tua deducenda in angustiam. Ratio siquidem manifestè redditur, non succidendi fructiferas arbores ex eo, quòd non contra arbores, sed contra homines existi ad bellum: quia non ad angustandum arbores, sed ad angustandum homines tendit bellum: propterea enim dicit, quòd homines sunt illæ campi arbores, ad quas angustandas tendit bellum: humana siquidem est valdè lex, & vtinam seruaretur.

[c] Videntur hæc à Domino præscripta, vt semper fide bellarent, vtque Inimicorũ possessiones tãquàm securè iam suas tractarent. Non solet siquidem ager ciuitatis obsessæ ab inimico deuastari, nisi quum incertus est belli euentus.

Vers. 20. Arbores autem, quas nosti non esse fructiferas, perdes, & succides: & instrues machinas contra ciuitatem, quæ contra te dimicat, donec dominceris ei.

CAPVT XXI.

VERS. I. **Q**Vando inuentus fuerit occisus in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi in hæreditatem, iacens in agro, nec scitum fuerit, quis percusserit eum:

2. Egredientur seniores tui, & metientur à loco occisi singularum per circumitum spatia ciuitatum.

3. Et erit: Seniores ciuitatis vicinioris occiso, capient vitulam de armento [a], quæ non traxit iugum, nec terram scidit vomere:

4. Et ducent eam ad vallem asperam, quæ non arata est, nec sementem recepit; & frangent in ea ceruicem vitulæ.

5. Accedéntque Sacerdotes filij Leui: quia eos elegit Dominus Deus tuus, vt ministrent sibi, & benedicant in nomine Domini: & ad verbum eorum omne negotium pendet, & quicquid mundum, vel immundum est iudicatur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et super os eorum erit omnis lis, & omnis plaga.* Tria, seu quatuor Sacerdotum officia summantur: videlicet, ad ministrandum Deo, ad benedicendum in nomine Dei, & ad definiendum, tum omnem litem, tum omnem plagam. Legis enim decreto nullus institutus est vniuersalis Iudex, nisi Sacerdos: & propterea officium diffiniendi ambigua, tam in litibus, quàm in plagis, tam in ciuilibus, quàm criminalibus, attribuitur Sacerdotibus, tanquàm electis à Deo ad hoc.

[a] Ponitur hæc lex de sacrificio expiationis pro interfecto in agro, ad terrendũ eudem populũ legis æterna illa tristitiæ pompa, cui quum nocens occultus esset, videbatur tota communitas obnoxia, quæ tale intra se sustineret membrum, nec satis super gregẽ inuigilauerat. Estq; alia etiã huius legis commoditas: nam hãc publicam expiationem summa in inquirendo facinoroso diligentia præcedere debebat, vt populo Magistratus satisfaceret.

Vers. 6. Et omnes seniores ciuitatis illius, quæ propinqua est occiso, lauabunt manus suas [b] super vitulam fractam habentem ceruicem in valle.] Quamuis facilè sit intelligere rationem abluẽdi manus in signum innocentiæ (quemadmodum & Pilatus fecit;) non tamen perspicua est ratio omnium, quæ in hac iustificatione fiebant: Sacerdotes enim, & Iudices adhibebantur, vt senes ciuitatis coram eis profiterentur ciuitatis suæ innocentiam: sed quorsum vitula talis in valle tali occideretur, perspicuum non est.

[b] Allusit fortasse Dauid ad hoc factum, inquiens: *Lauabo innocentia manus meas.* Psalm. 62. Hinc fortè in manuum lotione vitæ innocentia, & puritas apud antiquos profiteri cœpta est. Obuenit & fortè apud Romanos illa Magistratuum consuetudo, vt manuum lotione rei innocentiam testificarentur, quod in Pilato legimus. Vel quòd Romani eam consuetudinem obseruarent, vel quòd Iudæis hoc ritu tanquam ex lege sua Christi innocentiam indicare vellet.

Vers. 7. Et respondebunt, ac dicent: Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi nostri viderunt.] Pronomen demonstrat omnes personas ciuitatis illius: in persona enim omnium senes loquuntur, profitentes se, nec fecisse, nec sciuisse.

Vers. 8. Propitius esto populo tuo Israël, quem redemisti, Domine, & non reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israël.] Non solùm alloquendo homines, sed alloquendo Deum iubentur senes profiteri ciuitatem innocentem. Nec habetur Hebraicè, *propitius esto*; sed dictio interpretata *expiare*: ita quòd legendum esset: *Expia populum tuum Israël, quem redemisti* יהוה, *& non dabis sanguinem mundum in medio populi tui Israël.* Supplicatio execratiuè intelligenda est: alioquin Sacerdotibus præsentibus attribueretur supplicare Deo. Petunt igitur senes à Deo, vt quod ipsi nequeunt expiare, Deus expiet puniendo, ne Israëli imputetur omissio vindictæ occisi hominis.

Et auferetur ab eis reatus sanguinis.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Et expiabitur eis sanguis.* Non est perspicuum, an hæc sint verba Mosis, an sint pars supplicationis senum: effectus enim, qui est expiari sanguinem Israëlitis, potest ad vtrunque referri.

Vers. 9. Tu autem alienus eris ab innocentis cruore, qui effusus est, quum feceris, quod præcepit Dominus.] Vniuersus conuentus Sacerdotum, Iudicum, & senum ad discussionem huius causæ demonstratur per pronomen, *tu*.

Vers. 10. Quum egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manus tuas, captiuósque duxeris,

Vers. 11. Et videris in ter captiuos mulierem pulchram forma, & adamaueris eam, cœperísque in vxorem:

Vers. 12. Introduces eam in medio domus tuæ: quæ radet cæsariem [c].] Non intelligo per rasuram capitis Hebraïcè scriptam, totum caput radendum, (turpis nanque redderetur mulier, cuius gloria est coma:) sed aliquid radi pro cæremonia quadam absque indecentia, ob mutationem ritus Iudaïci, ad quem transit.

Et circuncidet vngues.] Iuxta Hebræum habetur: *Et faciet vngues suos.* Suspicor tam rasum

[c] Hi ritus præscripti sunt, vt mitigaretur asperitas facti, nẽpe, quod gentilis duceretur in populo Dei: decuitq;, vt iis velut lustrationibus sanctificaretur, & populo sancto misceretur oblita gentis & cognationis suæ. Munsterus inquit, hæc omnia præcipi, ne fortè Iudæus ob vestiũ & crinium ornatum temerè mulierem adamasset, vtq; per horũ ablationem probaretur, an vanus amor esset, & qui ad perpetuum cõiugij vinculũ minus idoneus esset.

rasum capitis pilum, quàm incisionem vnguium igne comburi debuisse: & propterea dici, *faciet vngues suos.* Vtuntur enim verbo faciendi ad victimas: vt intelligamus, mulierem debere per huiusmodi superfluitatum adustionem profiteri à se vanitates pristinas abdicare. Propter quod & vestes etiam pristinas iubetur deponere.

Vers. 13. Et deponet vestem, in qua capta est, sedénsque in domo tua flebit patrem suum, & matrem suam vno mense:& posteà intrabis ad eam, erísque maritus eius,& ipsa vxor tua.

Vers. 14. Si autem posteà non complacueris in ea, dimittes eam liberam, & vendendo non vendes eam pecunia, nec negotiaberis de ea: quia humiliasti eam.

Vers. 15. Si habuerit vir vxores duas, (vnam dilectam, & alteram exosam,) genuerítque ex vtraque liberos, & fuerit filius primogenitus exosæ:

Vers. 16. Die, qua hæredes constituet filios suos bonorum suorum, non poterit primogenitum constituere filium dilectæ ante filium exosæ primogenitum:

Vers. 17. Sed primogenitum filium exosæ agnoscet, dabitque ei de iis, quæ habuerit cuncta duplicia: iste est enim principalium liberorum eius.] Iuxta Hebræum habetur non *liberorum*, sed *fortitudinis.* Et potest fortitudo referri, vel ad vim generandi, eò quòd ex fortitudine seminis virilis prouenit generatio masculi: ac per hoc primogenitus est initium fortitudinis paterni seminis: vel ad huius sæculi potentiam, roboratur enim pater filiis, & fortis redditur filiorum armis: & propterea primogenitus appellatur principium fortitudinis patris.

Et huic debentur primogenita.

Vers. 18. Si genuerit vir filium contumacem, & rebellem.] IuxtaHebræum habetur, *declinantem, & rebellem, voci patris, & matris non obedientem.* Similiter,quod subditur:

Et coërcitus obedire contempserit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et castigabunt eum, & non audiet eos.*

Vers. 19. Apprehendent eum pater, & mater eius: & educent eum ad seniores ciuitatis eius, & ad portam loci ipsius,

Vers. 20. Dicéntque ad eos: Filius iste noster proteruus, & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ, atque conuiuiis.] Iuxta Hebræum habetur: *Filius noster iste declinans, & rebellans, non audiens vocem nostram, epulo, & potator.* Hæc sunt crimina,quæ recitantur de filio.

Vers. 21. Lapidabúntque eum omnes homines ciuitatis eius, & morietur, & auferes malum de medio tui: & omnis Israël audiet, ac timebit.] Durum præ se fert ius lex ista: quoniam nihil apparet morte dignum in adolescente adhuc subiecto disciplinæ parentum: nam, neque peccata gulæ, neque domestica rebellio, tam verbis, quàm factis inobedientiæ morte digna videtur. Solutio est, quòd in crimine rebellionis includitur transgressio diuini præcepti Leuit. 20. *Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.* Quemadmodum enim honor parentum non consistit in solis signis venerationis, sed & in officiis, & subsidiis: ita maledicere parentibus non solùm consistit in verbis opprobrij; sed & in rebellionibus manifestis, adiecta incorrigibilitate adolescentis: hanc enim præcipuè considerasse videtur lex, indignum censens, membrum perniciosum reipublicæ nutriri. Magna enim præsumptio est,quòd qui rebellis est parentibus, nec blanditiis, nec castigatione emendatur, sed deterior efficitur; futurus sit rebellis Rectoribus ciuitatis: præsumit quoque lex enormes valdè rebelliones post tam blandas, quàm sæuas parentum monitiones esse, quæ inducant animos parentum ad proprij filij deductionem ád iudicium mortis. Et ad declarandum illam Leuitici legem videtur lex ista, tanquàm illius declaratio promulgata.

Vers. 22. Et quando commiserit vir peccatum iudicij mortis, & adiudicatus morti suspensus fuerit in ligno,

Vers. 23. Non permanebit cadauer eius in ligno, sed eadem die sepelietur: quia maledictus [a] à Deo est, qui pendet in ligno.] Parui refert,quòd Hebraicè habetur: *Quia maledictio Elohim suspensus: & non contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dat tibi hereditatem.* Ratio sepeliendi occisum pro crimine in ligno redditur, ne terra contaminetur tali cadauere pendente:pendens enim mortuus in ligno, & maledictionem mali culpæ quoad meritum,& maledictionem mali pœnæ (videlicet, suspensionis à Iudice inflictæ,) in seipso continet: & propterea tanquàm res immunda tollenda est sepeliendo eum.

Vbi, prudens lector,aduerte primùm,quòd suspensio morte digni, quatenus necessaria actio iustitiæ est, se tenet ex parte boni,& non polluit, sed purgat potiùs terram: mora autem iam mortui in ipso suspendio vltra tempus congruum, (quod limitatur ad diem mortis,) pollueret terram: quia se teneret ex parte mali,quod ille fecit, & quod meruit; & propterea ex ratione maledictionis redditur ratio polluendæ terræ.

Aduerte secundò, quòd quia suspendium in ligno est id, quod clamat, & malum culpæ, & malum pœnæ; ideò si suspensus sepeliatur, tollitur maledictio: ideò singulariter dicitur de suspenso, & non de decapitato, quòd maledictio est, & quòd sepeliatur ipso die, ne polluat terram: decapitatio enim non durat, sicut suspensio.

Aduerte tertiò, quòd, quia *Elohim* significat *Iudices,* & nulla circunstantia literæ, aut actionis, vel passionis significatæ trahit Elohim hoc in loco ad supponendum pro Deo; idcirco legendum est: *Quia maledictio Iudicum suspensus,* sæpè enim in Scriptura *Elohim* supponitur pro *humanis Iudicibus.* Et perspicuum est, quòd suspensus est maledictus à Iudice suspensionis malo & ipsa suspensio est maledictio; hoc est, à maledictione Iudicis emanans. Sententia enim Iudicis est dicere malum pœnæ: dicere autem imperatiuè.

[a] *Maledictum* hic pro execrabili accipio: volebat siquidē Dominus huiusmodi facinorosos omninò deleri de terra, adeò vt nec eorū cadauera superessent in pœnā: vt constat de illis, qui flammis dantur: id enim fit, non ob solā pœnæ acerbitatem, sed etiam ad omnimodam deletionem. Cæterùm illud: *Ne terra contaminaretur,* explicatio præcedentium est. quemadmodū enim malis hominibus terram contaminari passim Scriptura dicit: ita cùm aliquid illorum supersit, vt sunt eorū cadauera, adhuc inexpiata terra existimatur. Quæ omnia in horrorem maleficij hic præcipiuntur, vt cruel appensum velut abominabile facinoris spectrum tollāt, ne visu spectati cadaueris vilescat, aut tepescat horror occidendi. Verùm, si opponas, nonnunquam cadauera in pœnæ augmentū in patibulo relinqui, vt etiam legimus de cadaueribus filiorum Saül, 2 Reg 21, qui in cruce pependerunt vsque ad pluuiam: ad hoc dicerem, vt notat Munsterus, Iudæis nō fuisse visum suspendendi, nisi antè lapidatum, vel mortuū, hocque vt crimē fieret manifestius: Christum verò egerunt viuum in crucem, ex consuetudine Romanorum. Volebátque Dominus, vt huiusmodi malefactores famosi, cùm iam lapidati essent, nō ampliùs ab hominibus viderentur. Videtúrque Iudæos, ob hanc legem petiuisse à Pilato, vt corpus Christi, & aliorum crucifixorum tollerentur ob diem Sabbathi Matth 27 in hoc impiè indicantes, se illius mortis actores, secundumque legem punire voluisse.

imperatiuè. Si tamen legitur: *Maledictio Dei.* non mutatur sensus: quia intelligitur maledictio Dei mediante officio Iudicis: sunt enim Iudices ministri Dei summi Iudicis.

CAPVT XXII.

VERS. 1.

NOn videbis bouem, aut ouē fratris tui errantem, & præteribis [a]: sed reduces fratri tuo,

[a] Hoc idem videbis doceri à Paulo ad Philipp 2. *Considerate, quæ aliorum sunt*, &c. Quod vtique propriū est charitatis, non quærentis, quæ sua sunt. Verùm Euangelium legem hãc plenius explicans, id etiam inimicis fieri docet.

Vers. 2. Etiamsi non est propinquus frater tuus.] Repetuntur præcepta multa scripta Exod. 23: ad declarandum quædam ibi tacita: & errore Scriptorum legitur, *etiam*: legendum est enim: *Et si non appropinquans frater tuus tibi, & non nouisti eum.* Multos enim comprehendit casus. Primum, vt inuentum animal reducat fratri suo propinquo, & noto: deinde, si frater sit distans, vel si sit ignotus, vt ducat errans animal in domum propriam, vsquequò frater requirat animal: præsumitur enim, quòd qui perdidit, quærat rem suam.

Duces eam in domum tuam, & erit apud te, donec quærat ipsam frater tuus, & recipiat.] Non dicitur; Quærat ipsam à te, sed dicitur absolutè, *quærat ipsam*: quia inquisitio ad eum, qui amisit, directè spectat, & publica præsumitur inquisitio facienda ab eo, qui perdidit, vt ad notitiam possit venire cuiusque, qui inuenisset. Hæc est lex Mosis de omnibus inuentis (vt clarè subiungitur) valdè æqua, vt onus inquirendi incumbat ei, qui perdidit.

Vers. 3. Sic facies de asino, & de vestimento, & de omni re fratris tui, quæ perierit ab eo, & inueneris eam: ne negligas quasi alienam.] Iuxtà Hebræum habetur: *Non poteris occultare.* Illicitum censet lex, quòd is, qui inuenit rem alienam, occultet se inuenisse.

Vers. 4. Si videris asinum fratris tui, aut bouem eius cecidisse in via, non absconderis ab eis: sed subleuabis cum eo.

Vers. 5. Non inducetur mulier veste virili [b], nec vir vtetur veste fœminea.] Iuxta Hebræum habetur: *Non erit vas viri super mulierem, & non induet vir vestem mulieris: quia abominatio Domini Dei tui est omnis faciens hæc.* Vbi scito, quòd dictio interpretata, *vir*, sonat Hebraïcè *virum virilem*. Et appellatione *vasis*, arma, quibus viri vtuntur, intelliguntur. Ritus siquidem idololatrarum ad literam interdicitur, quo in sacris quibusdam, & mulieres arma assumebant virilia, & viri fortes habitum muliebrem. Et propterea vtrunque abominatio dicitur apud Deum.

[b] Nil aliud hic præcipitur, quàm vt viri, & mulieres distinctas habeant vestes, vt occasio tollatur multorum malorum.

Vers. 6. Si ambulans per viam, in arbore, vel in terra nidum auis inueneris [c], & matrem super pullos, vel oua cubantem, non capies matrem cum filiis:

Vers. 7. Sed matrem abire patieris, & capies tibi filios, vt benè sit tibi, & longo viuas tempore.] Idem intellige de ouis, quod de pullis: his enim in Textu Hebraïco repetuntur disiunctiuè, *pulli*, vel *oua*. Et nisi hoc ad detestationem alicuius superstitionis decretum sit, mystico sensu intelligendum est præceptum hoc iuxta doctrinam Pauli Apostoli: *Nunquid Deo cura est de bobus.* Non est enim fas, quòd Deus legem hominibus statuat propter animalia irrationalia: sed quemadmodum non esse alligandum os boui trituranti metaphoricè præceptum est, ita sub metaphora matris, & pullorum, clementia præcipitur, vt quãuis homo iustè possit; non tamen totum malum, quod potest, inferat hominibus aliis in suam redactis potestatem; sed benignitate temperet ius potentiæ suæ.

[c] Humana ratio hæc fortasan minima existimabit, quæ tamen reuerà sunt præcepti de diligẽdo proximo quædam ceu explanationes. Dilectio enim illud exigit, quòd ita rebus præsentibus vtare, vt & aliis aliquid relinquas, hocque lex ista docet.

Vers. 8. Quum ædificaueris domum nouam [d], facies murum tecti per circumitum, & non pones sanguinem in domo tua, si quis ceciderit ex eo.] In regione illa suprema domorum tecta sunt plana, quemadmodum pauimenta, & crustata, quemadmodum cisternæ, ne pluuialis aqua illa penetret; & nisi fierent pectorales muri circuncirca, inhabilia essent domestico vsui: experimur enim non paruo commodo habitantium esse talia tecta. Et vulgariter huiusmodi muri appellantur pectoratæ: eò quòd vel pectore innititur super illum murum homo inde prospiciens extrà; vel, quia vsque ad pectus ascendit: & propterea præseruat ambulantes super ipsa tecta, (& præcipuè pueros) à periculo casus mortiferi. Testatur autem, in quo ambulabat Dauid, prospiciens Bathsabah lauantem se, talia fuisse tecta in regione illa.

[d] Plana tecta eo tempore habebant domus, velut plateæ lapidibus stratæ: vnde in Euangelio paralyticum effosso tecto per tegulas demissũ legimus: & super tecta prædicandum Euangelium dicit Christus: ibi enim olim conueniebatur, edebatur, & ludebatur, sicut apud nos in vestibulis: ideò lex ædificãti domum præcipit, vt circunducat muro tectum, in hoc docẽs, vt omne à proximo periculum pro tua virili submoueas.

Vers. 9. Non seres vineam tuam altero semine [e], ne & sementis, quam seuisti, & quæ nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur.] Iuxta Hebræum habetur: *Non seres vineã tuã in mixtura: ne quando polluas plenitudinẽ semen, quod seminabis, & fructũ vineæ.* Duo sunt hîc ambigua. Alterum, quòd dictio interpretata, *polluas*, directè significat, *sanctificabis*; sed vsurpatur quandoque ad significandũ cõtrarium, videlicet, polluere. Et quia hîc non apparet, vnde seminata mixtura in vinea pariat sãctificationẽ vtriusque (videlicet, fructus vineæ, & fructus mixturæ) ideò sanctificatio trahitur ad pollutionẽ: nam seminatio mixturæ in agro absq; vinea, prohibita erat in lege Leuitic. 19. & consequenter immũda habebatur. & hinc polluendi etiã fructum vineæ periculũ imminere dicitur. Alterum, quod nõ perspicuum est huiusmodi pollutionis periculũ: si enim fieret ex contactu inter vites, & culmos; non scriberetur pollutio ambigua: in contactu igitur fructuum (videlicet, granorũ, & vuarum) qui potest euenire, & non euenire, videtur consistere periculum pollutionis. Et hoc videtur significatum dicendo: *Ne quando polluas plenitudinem*, appositiuè adiungendo, *semen*: vt granum ipsum fructum seminis intelligeremus nomine plenitudinis: sunt enim grana plenitudo spicæ.

[e] Illud notãdum est, Mosen vulgo esse locutum, eoque vulgari item sermone vsum, qui tropis maximè redũdat, metaphoris, & hyperbolis. Est simul probè tenendum, quis scopus harum legum sit, nimirum, vt omnem vitam in demerendis proximis informas, atque illis totis viribus tete accõmodes: quæ si teneas, nil penitus in his legibus scrupi, nil obscuritatis offendes: sunt enim hæ prouerbiales doctrinæ. Significabatque in boue, & asino arare, proximum defraudare callidè: habebant enim Iudæi aliquando boues conductitios. quòd si cũ asino proprio bouem alienũ iugo superponebant, boui quasi totũ onus imponebãt, nec alieno iustè vtebantur: simili modo in aliis intelligas, vt vineam diuerso semine seminare, veste lanea & linea indui: erant enim huiusmodi leges prouerbiales.

Vers. 10. Non arabis cum boue, & asino pariter.] Et hoc præceptum metaphoricè intelligendũ est, vt dispares vires hominum non æquè grauentur, nec exigantur æqua ab imparibus: optimè enim sub hac metaphora præceptum hoc morale memoriæ commendatur.

Vers. 11 Non indueris vestimẽto, quod ex lana, linoque contextum est.] Et hoc morale

morale quoque præceptum metaphoricum crediderim: sacerdotalia enim ex lana, & lino fuisse Hebræi aiunt. Sed quemadmodum circa onera, æqua exigere ab imparibus inhibitum est sub metaphora arandi in boue & asino; ita in rationibus viuendi, atque agendi inhibemur sub metaphora vestis ex lana & lino incongruis inter se se rationibus vti, consonæ debent esse rationes rationibus: tanquam vestitus enim animi sunt rationes viuendi, & agendi.

Vers. 12. Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallij tui, quo operiris.] Iuxta Hebræum habetur: *Appendices facies tibi super quatuor alas operimenti, quo operieris in eo.* Repetitur præceptum de fimbriis, scriptum Numeri 15. & propterea vide ibi.

Vers. 13. Si duxerit vir vxorem, & ingressus fuerit ad eam, & odio habuerit eam,

14. Quæsieritque occasiones, quibus dimittat eam, & obiecerit ei nomen malum, & dixerit: Vxorem hanc accepi, & ingressus ad eam, non inueni in ea virginitatem:

15. Tollent eam pater, & mater eius, & ferent signa virginitatis eius ad seniores ciuitatis ad portam:

16. Et dicet pater puellæ ad seniores: Filiam meam dedi viro huic in vxorem, quam quia odit,

17. Imponit ei nomen malum dicens: Non inueni in filia tua virginitatem: & ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. Et expandent vestimentum [d] coram senioribus ciuitatis.] Camisia filiæ significatur ad literam, in qua erat virginitatis signum.

[d] Cōsueuerant Iudæi vestimentum expandere, dum rem clarā, perspicuam, ac manifestam volebant facere: sicut solebāt excutere vestimentum, dum minas darent, vt Nehemias fecit 7.c. scindebant etiam vestimentum, dum indignarentur, vt passim legis. Cæterum incertum est, quis fuerit iste ritus explorandæ virginitatis.

Vers. 18. Apprehendéntque senes ciuitatis illius virum, & verberabunt illum:

19. Et condemnabunt eum centum siclis argenti, & dabunt patri puellæ: quia emisit nomen malum super virginem Israël: habebítque eam in vxorem, non poterit dimittere eam toto tempore vitæ suæ.] Quæstio occurrit, eò quòd secundùm legem falsus accusator, seu testis pœna talionis mulctabatur: ac per hoc iste calumniator occidendus erat: quoniam puella occidenda erat, si non fuisset inuenta virgo, vt in hoc eodem subiungitur capitulo. Solutio est, quòd iste vir, nec accusauit, nec fuit testis in iudicio; sed diffamauit puellam, vt Textus ipse manifestè sonat: & propterea non punitur pœna talionis; sed parentibus vxoris trahentibus causam ad iudicium, & actione iniuriarum agentibus, & vincentibus, diffinitur hæc pœna.

Vers. 20. Et si verum fuerit verbum hoc: Non est inuenta virginitas in puella.

21. Educent eam ad portam domus patris sui.] Vt ex paterna eiiciatur domo, quam fœdare ausa est.

Et lapidibus obruent ipsam homines ciuitatis eius, & morietur, (quoniam nefas fecit in Israël fornicando in domo patris sui:) & auferes malum de medio tui.] Quæstio oritur: quoniam nec Exodi 22. seducta virgo rea censetur mortis, sed diffinitur vxor eius, qui violauit eam, si pater puellæ consenserit: nec in hoc eodem capitulo (vbi de violata virgine non desponsata agetur) rea mortis puella dicitur; sed decernitur vxor violatoris: quomodo ergo nunc dicitur, quòd rea est mortis, eò quòd in paterna domo perdidit virginitatem. Solutio est, quòd simpliciter, & absolutè rea erat mortis puella liberà in paterna domo consentiens stupro: vt in hoc loco clarè lex decernit, ex hoc ipso, quòd non est inuenta virgo, definiendo pœnam mortis absque discretione temporis, an perdiderit virginitatem ante discretionis annos, an ante desponsationem, vel post. Sed lex in Exodo promulgata, de puella loquitur, quæ prætextu futurarum nuptiarum consentit stupro, rationem habens seductionis puellæ: lex autem inferiùs subiuncta violentiam præsumit: ita quòd præsens lex est ad declarandum, quòd nisi præsumatur violatam fuisse puellam, vel seductione futuri coniugij, vel quasi violentia, (quorum neutrum præsumitur in puella, quæ ad nuptias transiit reputata virgo, & tamen stuprata;) mortis pœna afficiatur.

Vers. 22. Si dormierit vir cum vxore alterius, vterque morietur, (adulter, & adultera,) & auferes malum de Israël.

23. Si fuerit puella virgo desponsata viro, & inuenerit eam vir in ciuitate, & iacuerit cum illa,

24. Educes vtrunque ad portam [e] ciuitatis illius, & lapidibus obruentur: puellam, quia non clamauit in ciuitate.] Arma puellæ solo clamore definiuntur: ita quòd clamor, etiamsi ei subuentum non fuerit, (quia testis est mundi cordis,) liberet eam à pœna mortis.

[e] Hebræus per *portas* aliquando ciuitatem, & omnem munitionem intelligit, vt Genes. 22. *Possidebit semen tuum portas inimicorū*, id est, ciuitates, & munitiones. Hinc nimirum, quod circum portas omnia sunt munitissima. Huic tropo Christus respexit, cùm ait Matt. 16. *Portæ Inferorum non præualebunt aduersus eam*, id est, omnes munitiones, machinæ, artes, ac robur. Est idem Hebraismus, *portas ciuitatis ingredi*, pro eo, quod est, vrbē colere. Genesis 23. *Omnium, qui ingrediūtur portas ciuitatis*, id est, omnes ciues, & qui in ciuitate habitant. *Portæ* etiam aliquando dicuntur loca publica, conuētus populi, vbi vel iudicia, vel cōciones aliæ agebantur nam olim in portis publica fora, & comitia habitá sunt. Genesis 34. *Et venit Hamor, & Sichem filius eius ad portam ciuitatis, & locuti sunt ad ciues.* Hinc etiam pro administratione ciuitatis nonnunquam ponuntur, *portæ*, vt Deuter. 22.

Et virum, quia humiliauit vxorem proximi sui: & auferes malum de medio tui.

25. Si autem in agro repererit vir puellam, quæ desponsata est, & apprehenderit eam vir, & iacuerit cum ea, morietur vir solus.

26. Puella autem nihil patietur, nec est rea mortis: quia, sicut vir consurgit contra proximum suum, & occidit animam eius, sic est res ista:

27. Sola erat in agro: clamauit, & nullus affuit, qui liberaret eam.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia in agro inuenit eam, clamauit puella arrhata, & non saluator ei.* Considera circunstantias, quòd si in agro clamans puella potuisset opem sperare, non esset excusata à pœna mortis: sed quando clamor non potest audiri, etiamsi puella non clamasset, præsumitur ipsam clamasse, & vi oppressam.

Vers. 28. Si inuenerit vir puellam virginem non desponsatā, & apprehenderit eam, & iacuerit cū ea, & inuenti fuerint,

29. Dabit,

Vers. 29. Dabit, qui iacuit cum ea, patri puellæ quinquaginta ſiclos argenti, & habebit eam in vxorem: quia humiliauit ipſam: non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ ſuæ.] Apprehenſio violentiã facit præſumere: & propterea puella non eſt rea mortis: & vir, quia poteſt repenſare iniuriam coniugio, pecunia, & coniugio mulctatur indiſſolubili per libellum repudij.

Vers. 30. Non accipiet vir vxorem patris ſui: nec reuelabit oram patris ſui.

CAPVT XXIII.

VERS. 1.

a Eſt hic *intrare in Eccleſiam*, nihil aliud, quam officio, aut publico Magiſtratu fungi. Prohibentur igitur iſti ob vitiũ corporis, ne vileſcat, & opprobrio ſit officiũ. Deinde, quod Eunuchi effœminato quoque animo ſint, & muliebres.

Non intrabit [a] eunuchus attritis, vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro.] Parui refert, quòd Hebraïcè duo tantùm ſpadonum genera ſcribuntur: *Fractus contritus, & inciſus teſticulis.* ita quòd fractus contritus circunloquitur vnum in textu Hebraïco, fractum contritione, vel attritum fractione; & inciſus alterum. Sed quoniam in his duobus comprehenditur omne genus euiratorum, ideò parui refert.

Eccleſiam Domini.] Ambiguum eſt, quid in hoc tractatu ſonet Eccleſia, ſeu adunatio Iehouah; id tamen perſpicuum eſt, quòd non ſignificat commixtionem connubiorum, ex hoc ipſo, quòd huiuſmodi adunatio inhibetur ſpadonibus: ſuperflua eſſet enim huiuſmodi inhibitio, ac per hoc aliena à lege. An autem ſignificet adunationem ad ſacra, an collegium Patrum conſcriptorum, in quæſtionem vertitur. Si quis tamen decretum legis Exodi 12. De extraneis volentibus concelebrare Paſcha conſiderauerit, perpendet, quòd non eſt hîc ſermo de adunatione ad ſacra: decernitur enim ibidem, licitum alienigenis, poſtquàm circunciſi fuerint, celebrare Paſcha ſimul cum filiis Iſraël. Pari ergo ratione admittebantur proſelyti omnes ad reliqua ſacra: quum ſacrificium Paſchale fuerit primum ſacrificium inſtitutum in Iſraël. Et ipſum ſolum ſacrificabatur immediatè ab omni populo: reliqua enim ſacrificia per Sacerdotes immolabantur, & populus minùs ſacrè concurrebat ad illa. Si enim ad ſacrificandum per ſeipſos proſelyti admittebantur cum reliquo populo, multò magis admittebantur cum eodem populo ad ſacra, quæ fiebant per Sacerdotes. Relinquitur itaque, quòd in hoc tractatu de eunuchis, & alienigenis, relatiuè ad adunationem, ſeu Eccleſiam Domini, appellatione Eccleſiæ Domini intelligitur collegium Patrum conſcriptorum, qui præerant in qualibet vrbe gubernando populo. Excluduntur enim in primis ab hoc collegio omnes euirati, tanquàm ſemimulieres.

b *Mamzer* ſimiliter à munere Magiſtratus prohibetur ob deſpectum, & ignominiã originis & natiuitatis, etiam poſt decimam generationem, hoc eſt, in perpetuũ: quia hoc dedecet in honeſtate publica, ne coniugium nihil præſtet ſtupro, & honor indigno datus licentiam præbeat ſtupra parui ducere, & coniugia deſpicere.

Vers. 2. Non ingredietur mamzer [b] (hoc eſt, de ſcorto natus) in Eccleſiam Domini.] Hebraïca dictio eſt, *mamzer*, & propriè ſignificat natum ex adultera, vt Hebræi aiunt: talem enim filium duntaxat ex vitio originis excludit lex à collegio Patrum conſcriptorum. In cuius ſignum filij Iehudæ, quamuis ex inceſtuoſo concubitu, non ſunt excluſi vſque ad decimam incluſiuè generationem à collegio aliquo.

Vſque ad decimam generationem.] Hebraïcè habetur: *Etiam generatione decima non ingredietur Eccleſiam Domini.* Vt incluſiuè intelligas decimam generationem.

Vers. 3. Non ingredietur Hammonita, & Moabita Eccleſiam Domini, etiam decima generatione: non ingredietur Eccleſiam Domini in æternum.] Intellige per hoc genitos ab Hammonitis, vel Moabitis viris: nam de viris duntaxat eſt ſermo. Genitos enim ab Iſraëlitis viris ex quacunque vxore (ſiue Moabitide, ſiue Idumæa, ſiue vndecunque) non excludit lex.

Vers. 4. Quia noluerunt vobis occurrere cum pane, & aqua in via, quando egreſſi eſtis ex Ægypto [c].] Iuxta Hebræum habetur: *Super re, qua non præuenerunt vos in pane, & in aquis in via in exitu veſtro de Ægypto.* Sed ſtatim occurrit quæſtio, eò quòd in cap. 2. huius libri Moſes dixit, Moabitas dediſſe eis tranſitum, & vendidiſſe alimenta, tam cibi, quàm potus. Solutio eſt, vel quòd Moabitæ non per ſeipſos, ſed per mulieres vendiderunt alimenta, vt tradunt Hebræi, Moabitis viris armatis ad ſui defenſionem, ſi Iſraëlitæ moleſti forent tranſeundo. Et hæc ſolutio ſufficeret, ſi eſſet certa. Vel quòd aliqui duntaxat Moabitæ (videlicet, habitantes in Har) fuerunt benigni Iſraëlitis; alij autem, ſicut & Hammonitæ, nec malum, nec bonum fecerunt, vtpote remotiores à via. Et hæc ſolutio fulcitur ex litera dicti ſecundi capituli, dum nominantur Moabitæ, habitantes in Har, benigni Iſraëlitis tranſeuntibus. Vel modus culpatur hoc in loco, dicendo: *Super re, qua non præuenerunt.* ita quòd in ſecundo capitulo narratur res tandem geſta, (videlicet, quòd Moabitæ vendiderunt eis alimenta:) hîc autem narratur, quòd cum difficultate & tardè hoc fecerunt, dicendo: *Super re, qua non præuenerunt.* Inſinuatur enim per hoc, multas interceſſiſſe difficultates, tardámque fuiſſe venditionem alimentorum, retardando eos ab itinere ob huiuſmodi difficultates. Et hæc ſolutio complectenda videtur, vtpote quadrans, tum literæ, tum negotio. Et hinc inſinuatur, quòd hactenus non fuerat ſcriptum, Hammonitas, ſimul & Moabitas conueniſſe in huiuſmodi difficultatibus.

c Præuidebat Dominus mortale odium, quo iſti nunquã erãt cat̃ituri, ſicut & poſteà hiſtoriæ teſtantur: conſtituere autẽ ducem, aut Magiſtratum, quem ſcias naturali odio perditionem tuam quærere, nõ modò inhoneſtũ, & ineptum, ſed ſtultum, & temerarium eſt.

Et quia conduxit contra te Bilham, filium Behor, de Meſopotamia Syriæ.] Iuxta Hebræum habetur: *E Pethor Aram fluuiorum, vt malediceret te.* Et hinc apparet, quòd non tam clarè ſcriptum eſt Num. 23. de patria Bilham: manifeſtè enim ſcribitur *Aram fluuiorum*: hoc eſt, Aram inter Euphratem, & Tigrim, vnde Ribca oriunda fuit.

Vers. 5. Et noluit Dominus Deus tuus audire Bilham vertitque maledictionem eius in benedictionem tuam, eò quòd diligeret te.] Superfluunt pronomina, *eius*, & *tuam*. Et eſt ſenſus, quòd vertit Deus maledictionem non factam, ſed intentam, & procuratam in benedictionem: vt teſtantur ſupraſcripta in libro Numeri.

Vers. 6. Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona [d].] Iuxta Hebræum habetur: *Non quæres pacem eorum, & bonum eorum omnibus diebus tuis in ſæculum.* Minùs ſonat

d Dauid Regem Hammonitarum Hanon conſolatus eſt, & pacem cum patre illius habuit. Prohibetur igitur in hac lege pax publica, & bonũ publicum exhiberi, ne natio illa ſuperior aliquando fiat, & dominetur verùm priuata beneficia in priuatas perſonas conferre nõ prohibet, imo præcipit aliquando.

nat Hebraïca litera, quàm vulgata editio: nam non inhibetur assensus oblatæ paci, sed quærere pacem.

Vers. 7. Non abominaberis Edomæū, quia frater tuus est; nec abominaberis Ægyptium quia peregrinus fuisti in terra eius.] Antiqui beneficij tempore Ioseph, memoria commendatur. Et hinc insinuatur, quòd alienigena fuerit Rex nouus, qui posteà oppressit in Ægypto Israëlitas.

Vers. 8. Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabunt Ecclesiam Domini.

9. Quando egressus fueris aduersùs hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala.

10. Quando erit in te vir, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra.

11. Non ingredietur castra: & erit, quum declinauerit vespera, lauabit se aqua, & post Solis occasum regredietur in castra [e].] Quia militia solet esse licentia ad multa mala perpetranda, ideò generale mandatum præmittitur, ordinando militarem statum. Et quia absque vxoribus, imò absque fœminis (cùm meretrices inhibitæ sint à lege) militaria castra progrediebantur; ideò de nocturna pollutione militantium sollicitus fuit Moses: & ad corporalem fœditatem purgandam, statuit pollutum morari per diem extra castra, & ablutum redire. Fœdantur enim huiusmodi pollutionibus præcipuè dormientes vestiti: qualiter dormire milites, Vriæ Ethæi verba ad Dauidem testantur.

[e] Paruæ, & viles planè sunt duæ res istæ, imò naturales: sed eas vrget hæc lex, & magnifi at optima & iustissima ratione Nam cùm bellum res sit per se turbulentissima, nihil minùs quā legis, aut vllius honesti patiens, (cùm nihil ibidē nō liceat quodlibet,) voluit Dominus suum populum summa reuerentia, summaque honestate bellum gerere, ideóque hæc parua, & naturalia statuit, vt horū vsu & exemplo multò magis caueant à verecundioribus impudentiæ, & licentiæ in aliis: qui enim pollutus reueretur Dominum, & exit castra, non maneret certè, si conscientia fornicationis, aut alterius peccati laboraret: & qui naturalem egestionē tanta reuerentia etiā extra castra, abscondit, planè nihil impudenter in castris, vel facere, vel dicere auderet Omitto, quòd charitas corporis sordes à fratrum oculis summouere dictat.

Vers. 12. Habebis locum extra castra, & egredieris illuc foras,

13. Gerens paxillum in baltheo]Parui refert, quòd Hebraïcè describitur paxillus super arma; hoc est, quòd quilibet vltra arma habeat paxillum annexum ipsis armis; putà hastili lanceæ, vel vaginæ gladij. Hoc enim sonat præpositio, *super*.

Quūmque sederis, fodies per circumitum, & egesta humo operies,

14. Quo releuatus es.] Iuxta Hebræum non habetur *releuatio*, sicut nec habetur *fodere per circumitum*: sed legitur: *Et erit, sedente te foris, & cauabis in eo, & vertes, & operies egestionem tuam.* Sensus est planus, sessione describens situm egerentis.

Dominus enim Deus tuus ambulat per medium castrorum tuorum, vt eripiat te, & tradat inimicos tuos coram te, vt sint castra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis, nec derelinquat te.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erunt castra tua sancta, & non videbit in te detectionem rei, & reuertetur post te.* Præceptum hoc de munditia castrorum, ad castra duntaxat militaria extenditur, in quibus non erant vxores, & paruuli. Et ad similitudinem Principis discurrentis per castra militaria describitur Deus, vt ob honorem discurrentis Principis munda seruentur castra. Et propterea ad similitudinem Principis retrocedentis, si reperit viam fœdatam, describitur Deus, si fœdatus fuerit locus castrorum immunditiis egestorum, quanuis extrà positis, detectis tamen: offendunt enim visum transeuntium huiusmodi immunditiæ detectæ.

At, si quæris, quid significetur relatiuè ad Deum per huiusmodi ambulationis diuinæ parabolam. Respondetur, quòd quanuis Deo, secundùm seipsum, ita pateant fæces opertæ, sicut detectæ: ad Deum tamen in ministris suis, vel etiam in Arca sua, quæ in castris militaribus vehebatur, non eodem modo se habent fæces tectæ, vel detectæ: quoniam detectæ dedecent: vtpote ad quandam inhonorationem pertinentes. Pro quanto igitur corporeæ immunditiæ secundùm rectæ rationis ordinem non disponuntur, pro tanto etiam displicent Deo: ita quòd tota displicentia relatiuè ad Deum consistit in declinatione à morali ordine. Et huiusmodi displicentia diuina per hanc parabolam significatur.

Vers. 15. Non trades seruum [f] domino suo, qui ad te confugerit.] Pronomen, *te*, populum Israël demonstrat. Et est sensus, quòd si ad ritum Israëliticum fugiens seruus à dominis suis confugerit, non restituatur dominis impedientibus eius conuersionem ad Israëliticum ritum: sed fiat proselytus, & liber habitet cum populo Israël, vbi sibi bonum videtur.

[f] Nōnulli hoc intelligunt de domino feroci: nam aliàs sicut bos, & asinus inuēti restitui debent; sic & seruus, cùm sit res proximi Igitur de hero, qui ad mortem quærit seruum, & cui pro vita saluanda licuit fugere, & liberū fieri, lex intelligenda est, cùm etiam pro oculo excusso seruo libertas donanda sit Exodi 21. sicque decet, bonam rempublicam seruis vitam, & victum permittere.

Vers. 16. Habitabit tecum in loco, quem elegerit in vna portarum tuarum, in bono sibi: nec contristes eum.] Iuxta Hebræum habetur: *Non decipies eum.* Fideliter agendum cum fugitiuo seruo mandatur.

Vers. 17. Non erit meretrix de filiabus Israël.] Illicitam diuina lege esse fornicationem simplicem, ex hoc textu perspicuum est.

Nec scortator [g].] Iuxta Hebræum habetur: *Nec meritorius de filiis Israël.* idem enim nomen repetitur variato genere fœminino in masculinum. Et propterea, sicut priore præcepto inhibetur fœmina meretrix; ita altero præcepto inhibetur masculus meritorius: quæ abusio, nisi fuisset publica apud Ethnicos, nequaquam Moses meminisset illius in specie.

[g] Hæc publica inuerecundia, & licentia malorum, non decebat rempublicā sanctam, & benè institutam, quam oportebat honestis coniugiis, & prole liberali augeri. Præterea lex repudij in hoc populo permissa, poterat consultiùs adulteriis subuenire, quā scorta. Concedit tamen Moses scorta de aliis gentibus, de illísque intelligitur illud: *Non offeres mercedem meretricis.*

Vers. 18. Non offeres mercedem fornicationis.] De oblatione ad sacra est sermo, non eleemosyna: indignum siquidem est turpe lucrum, vt transferatur ad sacra. Et quod dicitur de pretio fornicationis, idem intellige de quolibet turpi lucro. Vtinam tanti faceremus diuina, vt huiusmodi oblationes nequaquam admitteremus.

Et pretium canis in domum Domini Dei tui pro voto aliquo: quia abominatio est vtrunque apud. Dominum Deū tuum.] Intelligo per canem, non solùm canem; sed quodlibet aliud animal immundum paris vilitatis: ita quòd nec primogenita huiusmodi animalium digna censentur commutatione propter eorum vilitatem. Indigna ergo diuino voto, indigna diuina dedicatione censentur à lege huiusmodi vilia.

Vers. 19. Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem,

20. Sed alieno: fratri autem tuo absque vsura id, quo indiget, commodabis.] Litera ista reddenda est, vt iacet in Hebræo, vt inde perpendatur, quàm exosa fuerit vsura Mosi ex vocabulis, quibus vtitur: *Non*

facies

facies mordere fratrem tuum morsu argenti, morsu cibi, morsu omnis rei quæ mordebit: extraneum facies mordere, & fratrem tuum non facies mordere, vt benedicat tibi Iehouah Elohe tuus in omnibus, ad quæ mittes manus tuas super terram, ad quam ingrederis ad hæreditandum eam. Vbi, prudens lector, considera, quòd *fænerari* appellat *mordere*; & *fænus*, seu *vsuram* appellat *morsum*, vt ex ipsis vocabulis manifestet iniquitatem vsuræ [h]: est enim vsura per se praua, vtpote contra rectitudinem rationis naturalis: nam iniustum manifestè est, vt rei non fructiferæ exigatur fructus. Vnde & Philosophi naturalis rationis lumine fulti, iniustum lucrum fœnoris definierunt. Et si vniuersam Mosis legem scrutatus fueris, nihil in ea aduersùs rectæ rationis ordinem decretum inuenies, nisi hoc, quòd Israëlita fœneretur extraneo. Quod etiã esse contra legem decem præceptorum ab ipso Deo promulgatam, ex eo conuincitur, quòd vltimo præcepto inhibetur cupido rei alienæ: certum est enim, quòd illud, quod inhibemur concupiscere, inhibemur etiam mordere: inhibendo ergo cupidinem rei alienæ inhibuit morsum rei alienæ.

Nec potest dici, quòd ibi est sermo de re aliena, hoc est, fratrum Iudæorum, & proselytorum: tum, quia verba Dei sunt intelligenda de re alterius, cuiuscunque sit: tum, quia idem ibidem datur præceptum de cupidine alienæ vxoris, & rei: & propterea, sicut cupere alienam vxorem non restringitur ad vxorem Iudæi; ita cupere rem alienam non restringitur ad rem Iudæi. Vniuersaliter itaque Deus inhibuit cupere rem alienam; & multò magis mordere rem alienam. Omni ergo ex parte vsura est praua: & hæc contra Hebræos vsuram tuentes. Quocirca, cùm scriptum sit: *Lex Domini immaculata*, intelligendum est, quòd non concedendo, sed permittendo in lege Domini continetur, quòd Israëlita fœneretur extraneo: permissio enim peccati non maculat legem, nec legislatorem, quamuis permissione vtens maculetur. Nec tacuit diuina lex, vsuram esse peccatum in specie: quoniam in Psal. 15. inter alias conditiones viri iusti, supputatur: *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.* absque discretione fratris, vel extranei. Et mentiuntur Hebræi vsurarij tuentes prauitatem suam præcepto Mosis: quoniam non verbo Imperatiui modi, sed futuri Indicatiui dicit: *Extraneum mordebis*, seu, *facies mordere*: quod permitti, ne morderent fratres suos, ex hoc ipso, quòd in medio repetiti præcepti non mordendi fratres locatur, patet. Vallatur enim hinc, & inde præcepto non fœnerandi fratribus, vt hinc intelligerent omnes, rationem permittendi peccatum illud, ne fratribus (quos tenentur plùs diligere) damnum vsuræ inferrent.

[h] Abhorrēt nonnulli, quòd aliquid in lege Mosis decretū sit, quod non ipsissimam æquitatem sapiat, quare contendunt, vsuram non semper cum iniquitate coniungi: quoniam contra id *prout vultis, vt vobis faciant homines*, &c. nō pugnat, & ideo nec peccatum (inquiunt) est. nam, si non ita proximus egeat, quin possit, & creditum fœnos aliquod cum suo commodo reddere, quis prohibebit illum esse gratum benefactori, aut huic oblatam citra fratris incommodum gratiam recipere. Denique vt recipere, ita & stipulari, modò nullam is, qui cum alio stipulatur, proximo fraudem meditetur, nec vsuram iniquè exigat, imò nec recipiat quidem, si iacturam faciat, & hoc tantùm accipiat, & exigat, quod bona fide, & cum æquitate vellet à se accipi in simili necessitate deprehenso: non enim accipere vsuram, sed cum damno fratris (inquiunt isti) dilectioni repugnat; addúntque, Iustinianū Imperatorem, qui admodum religiosus habitus est, legem sanciuisse in Codice, titulo *de vsuris*, vt illustres quocunque contractu possent tertiam, aut mediam partem centesimæ vsuræ stipulari; centesima autem vsura apud veteres præmissa erat, cum pro centum dragmis quolibet mense vna recipiebatur; ita centesimo mense vsurā fortè exæquante; quare cē tesima fuit dicta. Verùm opinio nostri Authoris multò securior, & verior est: sed Dominus id in hac lege spectauit, vt Israelitæ inter sese adeò essent beneuoli, vt omnes mutuum concederent, nihil inde sperantes.

Vers. 21. Quum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere illud: quia requirendo requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.

22. Et si nolueris polliceri, non erit in te peccatum.

23. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, obseruabis, & facies: sicut promisisti Domino Deo tuo propria voluntate, quod ore tuo locutus es.] Duo declarantur præcepta circa voti obseruationem ordine præpostero: alterum reddendi, quod promissum est Deo: alterum non tardandi ad reddendum. Et appellatur tarditas, sola illa mora, quæ est vltra definitum à vouente tempus: nam circumstantia temporis, ex vouentis pendet intentione, quando votum emisit: vtrunque ergo est infidelitatis peccatum; si vel penitùs non fit, quod promissum est, vel non fit tempore debito: non enim est in potestate eius, qui vouit, postquàm vouit, differre, sicut nec auferre.

Vers. 24. Si ingressus fueris vineam proximi tui, cómede vuas, quantùm tibi placuerit, vsque ad satietatem [i]: in vase autem tuo non pones.

25. Si intraueris segetem proximi tui, decerpet spicas manus tua; falcem autem non extendes in segetem proximi tui.] Humanæ valdè sunt ambæ leges istæ, necessitati esurientium condescendentes absque iniuria proximi. Sed aduerte, quòd non datur licentia frangendi sepem: sed est sermo de ingrediente per ostium.

[i] Ciuilis beneuolentiæ hæc lex est, significans alterum alteri Commodo & vsui esse debere, velut amicorum omnia velit docere, ex hácque lege credo exortum prouerbiū illud, nō mittendam esse falcem in messem alienam.

CAPVT XXIV.

Vers. 1.

CVm acceperit vir vxorem, & habuerit eam, si non inuenerit gratiam in oculis eius propter aliquam fœditatem.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia inuenit in ea detectionem rei.* Eædem dictiones hic scribuntur, quæ scriptæ sunt in præcedenti capitulo tractando de operiendis egestis, dicendo de Deo: *Et non videbit in te detectionem rei.* Causa itaque dandi libellum repudij, obscura valdè scribitur dicendo: *Quia inuenit in ea detectionem rei.* non explicando cuius rei. Hinc enim duntaxat conditiones tres rei detectæ insinuantur: prima, quòd sit in ipsa muliere: secunda, quòd sit nouiter patens viro: & tertia, quòd sit res suapte natura exosa; hanc enim conditionē insinuat detectio, secundam inuentio, & primam pronomen. Fuisse autem olim ambiguam rem hanc, testatur quæstio mota à Pharisæis in Euangelio Matthæi.

Scribet libellum repudij [a].] Iuxta Hebræum habetur: *Et scribet ei librum repudij & dabit in manus illius.* In fauorem itaque mulieris scribi libellum testatur assignatio libri in manu mulieris: & proculdubiò erat in testimonium libertatis eius à coniugio; vt iam non coniux, sed soluta mulier esset, & haberetur.

Et dimittet eam de domo sua.] Non patitur lex repudiatam retineri domi propter scandalum, & periculum.

Vers. 2. Quúmque egressa perrexerit, alterúmque maritum duxerit,

3. Et ille quoque oderit eam, dederítque ei libellum repudij, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit.]

[a] Vtrunque propter duritiā cordium malorum lex hæc repudij data sit; Iudæis tamen salutaris hactenus fuit, quòd ea periclitantibus aliàs grauiùs vxoribus, subueniebatur: vt si quis ob cordis duritiam nollet commodum maritum vxori exhibere, dato libello repudij eam dimitteret, quo illa posset nubere alij, ne, scilicet, duplici iniuria miseram afficeret, ipse officium mariti illi negans, & prohibens simul, ne ab alio ipsum percipere possit, perpetuam illi addens carnificinam. Lex ergo ista, cùm in duris corde separatio in potiore parte (animo, scilicet) facta esset, simul atque execrari, & odire vxorem maritus cœperat, eximens odio, & sæuitia mariti mali vxorem innocentem & permittens illi diuortium; non sanè separabat à Deo coniunctos; sed animo iam repudiatam, & separatam seruabat à periculo grauiori. Fuerunt etiam inter gentes repudij leges, vt constat de lege Medorum, & Persarum sub Assuero contra Vasthi Reginam. Idem etiam de socero Samsonis, Iudicum 15. qui cùm existimasset primam filiam Samsoni exosam, tradidit vicino suo. Extant etiam in Codice Iustiniani lib. 5. titulo *de repudiis*, leges Imperatorum Theodosij & Valentiniani. Extant & Platonis leges, repudium concedentes. Verùm cùm hæc citra authoritatem Dei fierent, omninò inualida erant.

Ex hoc

Ex hoc, quòd repudiata liberè poterat nubere alteri, clarè patet, solutum fuisse vinculum prioris coniugij: alioquin adulterij rea esset nupta alteri. Nullum ergo peccatum repudiata committebat nubendo alteri: quum mulier soluta à lege viri, liberè possit nubere.

Vers. 4. Non poterit prior maritus recipere eam in vxorem.] Perpende hinc, non solùm solutum fuisse primum coniugium ex diuortio; sed etiam fuisse inde ortam inhabilitatem inter eos, vt non possint iterum connubio iungi: & hoc in pœnam mariti insinuat lex, dicendo: *Non poterit maritus eius prior, qui emisit ipsam, reuerti ad accipiendum ipsam in vxorem.* Quod autem immediatè subiungitur:

Quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino.] Hebraicè habetur: *Postquàm fuit polluta, quia abominatio ipsa coram* יהוה. Pollutam mulierem appellat, quæ alterius mariti semen suscepit. Et dicendo, *postquam*, insinuat pœnitentiæ locum relictum vsque ad secundas nuptias: ita quòd inhabilitas iterum iungendi seipsos connubio, non oriebatur ex libello repudij immediatè, sed post transitum mulieris ad secundas nuptias. Ratio autem (videlicet, *quia abominatio ipsa coram Deo,*) non significat, quòd mulier sit abominatio Deo: sed quòd connubium prioris viri cum ipsa iterum, est abominatio apud Deum: hoc enim directè rationem reddit, quare primus non potest iterum eam accipere in vxorem.

Si quæris, vnde nascitur huiusmodi abominatio coram Deo, in promptu causa est: quia reditus ad priorem virum post secũdas nuptias, speciem præ se fert adulterini concubitus secundarum nuptiarum; appareret enim tanquàm fucatum fuisse diuortium: & facilis pararetur via diuortiis, si licitum esset post secundas nuptias iterum redire ad primas.

Ne peccare facias terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi in hæreditatem.] Non est sensus cauendum esse, ne terra peccet, committendo peccatum, (quum terra peccare non possit:) sed ne terra polluatur peccato, ne Deus imputet peccatum terræ, puniendo terram plaga aliqua.

Vers. 5. Quum acceperit vir vxorem nouam, non procedet ad bellum [b], nec ei quippiam necessitatis iniungetur publicæ: sed vacabit absque culpa domui suæ, vt vno anno lætetur cum vxore sua.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non transibit super eum in nulla re: mundus erit domui suæ anno vno, & lætificabit vxorem suam, quam accepit.* Perspicuum est, exemptionem significari à quibuscunque exigentibus recessum à domestica conuersatione: alioquin non esset mundus domui suæ anno vno. Et quoniam ad hoc tendit beneficium huius legis, non quadrat, vt intelligatur exemptus ab oneribus, & officiis in ciuitate; quæ, videlicet, non exigebant recessum à ciuitate.

[b] Lex æquitatis, & vtilitatis ciuilis est, vt vno anno nouus maritus liber sit ab omni onere publico, vt res publica augeatur prole, & familiis: quod non fieret, si statim à nuptiis maritus bello, & periculis omnibus obijceretur, multáque coniugia intermitterentur. Erat enim tempus illud lætitiæ, ad quod Christus alludens Matth. 9. inquiebat: *Quandiu filij sponsi cum sponso sunt, lugere non possunt,* &c.

Vers. 6. Non accipiet in pignus inferiorem, & superiorem molam: quia animam suam apposuit [c] tibi.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia animam ipse accipit in pignus.* Inhibetur hoc præcepto sumi in pignus omne id, quod necessarium est ad vitam debitoris: sub exemplo enim vtriusque partis molæ necessariæ ad molendum triticum pro pane, sine quo homo non alitur, comprehendit omne necessarium ad ducendam vitam.

[c] *Animam suã ponere,* Hebraismus est significans vitam in discrimen adducere, vt primi Reg. vlt. Pythonissa Sauli; *Animam meam posui in*

manibus tuis. Docet igitur lex ista, generali prouerbio ob debita nulli esse artificium suum, vnde alitur, & sustentatur suspendendum: cùm enim artificio quærendum ei sit, quo debitum exoluat, crudele & iniquum erit illud suspendere. Nempe, quòd duplo damno debito simplici cogatur satisfacere, imò quòd mola eius interim otiatur, aliò alicunde noua debita coaceruat, vel sua vendere cogitur miser, vt soluat.

Vers. 7. Si inuentus fuerit vir sollicitans fratrem suum de filiis Israël.] Iuxta Hebræum habetur: *Furans animam è fratribus suis è filiis Israël.* Clarè enim est sermo de furto, non rerum, sed hominum, non quorumcunque, sed Israëlitarum.

Et vendito eo acceperit pretium.] Iuxta Hebræum habetur: *Et negociabitur in eo, & vendet eum.* Finis furti manifestatur negotiatio, non qualiscunque, sed seruilis: talem enim negotiationem sonat Hebraica dictio. Est itaque sermo de furto hominis ad negotiandum de eo, vt seruo: quæ negotiatio exponitur subiungendo venditionem: negotiatio siquidem seruilis, ad vendendum homines in seruos, directè ordinatur.

Interficietur.] Desunt duæ dictiones, *fur ipse.* Pœna mortis huiusmodi fur afficiendus decernitur.

Et auferes malum de medio tui.

Vers. 8. Obserua in plaga lepræ, vt custodias diligenter, & facias iuxta omnia, quæ docebunt te Sacerdotes Leuitici generis: iuxta id, quod præcepi eis, custodietis ad faciendum.

9. Mementote, quæ fecerit Dominus Deus vester Miriam in via, quum egrederemini de Ægypto.

10. Quum repetes à proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi.] Iuxta Hebræum habetur: *Quando mutuabis socio tuo mutuum.* Non agitur de repetitione debiti, vt vulgata sonat editio; sed de pignore pro mutuo.

Non ingredieris domum eius, vt pignus auferas.

11. Foris stabis: & ille, cui mutuasti, efferet tibi pignus [d].] Species enim vexationis esset ingredi domum.

[d] Nisi repetitio propriorum fieret, aleretur otiosorum nequitia, & exhaurirentur piorum, & bonorum facultates, quorum vtrunque etsi ferat pius in fide, ferre tamen non debet lex & Magistratus. Permittit igitur hæc lex repetere sua, licet arceat violentiam.

Vers. 12. Et si vir pauper fuerit, non pernoctabit apud te pignus eius:

13. Sed statim post Solis occasum reddes ei: vt dormiens in vestimento suo benedicat tibi, & habeas iustitiam coram Domino Deo tuo.] Ex eo, quòd me minit panni, in quo dormitur, clarè apparet, quòd de necessariis ad dormiendum est sermo: ita quòd quemadmodum inhibuit necessaria pro alimento sumi in pignus; ita modò prohibet necessaria pro quiete nocturna accepta in pignus retineri nocte. Singulis itaque diebus hora vespertina reddendum erat huiusmodi pignus pauperi reportanti illud mane.

Vers. 14. Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, siue aduenæ [e].] Iuxta Hebræum habetur: Non fraudem facies mercenario pauperi, & egeno, de fratribus tuis, vel de peregrinis tuis, qui sunt in terra tua intra portas tuas. Quia facilè homines fallunt pauperculos mercenarios, minùs, vel malè soluendo, ne paruipendatur huiusmodi fraus, lex mandat.

[e] Ista quoque, & mox præcedens lex simul docent, quòd in necessitate oporteat, & debita remitti pauperibus, & ipsis succurrere in republica benè instituta, vt actio repetundarum locum habeat solùm contra otiosos, & nequam.

Vers. 15. In die eius dabis ei pretium laboris eius ante Solis occasum: quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam.] Præceptum scriptum Leuit. 19. *Non morabitur*

morabitur opus mercenarij tui apud te vsque mane, declaratur præcipuè intelligi de pauperibus, quorum vita quotidiana mercede sustentatur: tales enim non possunt expectare vsque ad finem hebdomadæ.

Et non clamabit contra te ad Dominum, nec reputabitur tibi in peccatum.] Quanuis Hebraïcè habeatur: *Et erit in te peccatum*, quoad pœnam tamen intelligitur: peccatum enim ante clamorem pauperis erat.

Vers. 16. Non morientur patres pro filiis, nec filij pro patribus [f]: sed vnusquisque pro peccato suo morietur.] Sanctissima lex aduersùs Ethnicorum leges, occidentes filios pro peccatis patrum: extensio enim occisionis ad innocentes pro aliorum criminibus, Deo reseruata est, qui solus est actor vitæ: homini enim, quantuncunque supremo Iudici, non licet occidere innocentem: hoc enim directè prohibetur, dicente Deo: *Non occides*. & hîc declaratur intelligi etiam de Iudicibus.

[f] Etsi in crimine læsæ maiestatis lex hæc obseruanda decernitur, 2. Paralip. 25.

Vers. 17. Non peruertes iudicium aduenæ, & pupilli.] Quia facilè infertur iniuria huiusmodi personis, ideò in specie repetitur ministranda iustitia istis.

Et non capies in pignus vestimentum viduæ [g].] Vnicum viduæ vestimentum viduale præsumit lex: & propterea illud, tanquàm necessarium ad operiendum viduam, prohibet sumi in pignus: vt intelligamus de similibus idem iudicium.

[g] *Vestimentum viduæ*, generaliter secum significat omnem, quo opus habet pro vita. Super enim omnia debita, & iusta stat ista lex, quòd pauperi debetur victus, & vestitus necessarius, quem non debet relinquere, vt soluatur exactor; sed exactor concedere & dare, vt viuat pauper. & subdit causam: *Memento, quod & ipse seruieris*. quasi dicat: Sicut tibi velis fieri, ita & facias aliis, tuóque exemplo disce, quid proximo debeas.

Vers. 18. Memento, quòd seruus fuisti in Ægypto, & redemit te Dominus Deus tuus inde: idcircò præcipio tibi, vt facias hanc rem.] Ad commiserandum personas miseratione indigentes, (pupillos, viduas, peregrinos,) multùm prodest memoria sui ipsius olim in miseria constituti: vt talem se exhibeat illis, quales desiderauerat olim alios esse sibi.

Vers. 19. Quando messueris messem in agro tuo, & oblitus fueris manipuli in agro; non reuerteris, vt tollas eum; sed aduenam, & pupillum, & viduam auferre patieris: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum.

20. Quum excusseris oliuas tuas, quicquid remanserit in arboribus, non reuerteris, vt colligas: sed relinques aduenæ, pupillo, & viduæ.

21. Quum vindemiaueris vineam tuam, non colliges remanentes racemos: sed cedent in vsus aduenæ, pupilli, & viduæ.] Præceptis datis Leuit. 19. de messe, & vindemia, adiungitur, quòd oblitus manipulus relinquatur pauperibus: & quòd simile seruetur in olиueto de oliuis remanentibus, quod præceptum est in vinea de remanentibus racemis.

Vers. 22. Et memento [h], quod seruus fuisti in terra Ægypti: idcircò præcipio tibi, vt facias hanc rem.]

[h] Hæc confirmant, quæ superius diximus, quod pauperibus, nō solum victus, & vestitus necessarius est relinquēdus, sed etiam de superfluo nostro illis adiiciendus: memores quid nobis vellemus fieri in simili necessitate.

CAPVT XXV.

Vers. 1. Qvum fuerit lis inter aliquos, & accesserint ad Iudices, & iudicabunt: iusto tribuent palmam iustitiæ, & impium condemnabunt impietatis.

2. Et si impius dignus fuerit plagis, prosternet eum Iudex, & coram se faciet verberari: pro mensura peccati erit & plagarum modus.] Interpres expositoris officio pulchrè functus est: Hebraïcè enim habetur: *Sicut sufficientia impietatis eius in numero*. Et verè sensus est, quem Interpres manifestauit: numerus enim percussionum decernitur proportionatus iniquitati: citra tamen excessum numeri quadragenarij, vt subiungitur:

Vers. 3. Ita duntaxat, vt quadragenarium numerum non excedat [a]: ne fœdè laceratus ante oculos tuos obeat frater tuus.] Iuxta Hebræum habetur: *Quadraginta verberibus cædet eum, non addet: ne quando addet ad percutiendum ipsum super hac percussione multa, & vilescet frater tuus in oculis tuis*. Nihil scribitur in litera de morte; sed de vilitate duntaxat. Præsumit lex, quòd vir potest sustinere verbera vsque ad quadragesimum ictum, & abire: & si nimis verberaretur, caderet semiuiuus: ac per hoc fieret similis personis vilibus semiuiuis publicè iacentibus destitutis: huiusmodi enim vilitatem horret lex incurri ab Israëlitis coram Iudice: & propterea definit numerum percussionum, obuiando huic periculo.

[a] Hinc puto, ne hanc legem transgrederētur Iudæi, illis in vsu fuisse, dum aliquem verberarent, semper minus quadraginta ictibus percutere. quod Paulus testatur 2. Corinth. 11. dicens: *Quinquies quadragenas vnâ minus accepi*. Quòd verò vnam minus darent, vel in irrisionem illius factum credo, vel vt rigorosè hanc legem viderentur impij obseruare.

Vers. 4. Non ligabis os bouis triturantis [b].] Paulus Apostolus declarat hoc præceptum metaphoricè intelligendum: quia nefas est, quòd Deus legem statuat scriptam pro bobus. Sub metaphora itaque triturantis bouis, minister officium suum exequens significatur non priuandus victu.

[b] Lex hęc prouerbialis est de omnibus laborantibus (vt Paulus asserit) intelligenda, vt labore suo viuant; sicut & Christus dicit: *Dignus est operarius mercede sua* cumque haberent Iudæi nonnunquam conductitios boues, docet, qualiter circa eos se exhibere deberent, vt mansuetudine erga bestias exercitati, magis erga homines beneuoli fierent; in boum tamen tritura mercedem mercenarij simul intelligens.

Vers. 5. Quando habitauerint fratres simul.] Recole, prudens lector, Leuit. 18. inhibitum connubium cum relicta fratris, fuisséque punitum Leuit. 20. sed (vt ibidem dictum est) ibi est sermo de connubio inter leuirum, & fratriam in genere: hoc autem in loco sermo est de connubio inter leuirum, & fratriam in vno duntaxat euentu; & propterea lex ista non aduersatur legibus illis. Illicitum siquidem erat in lege Mosis connubium inter leuirum, & fratriam, absolutè loquendo: licitum autem, imò præceptum in euentu, quo frater defunctus fuisset sine filio: quia leuir ad exercendum officium fratris sui defuncti, tanquàm vices eius gerens, iungebatur fratriæ: ac per hoc non solùm cessabat ratio legis promulgatæ in Leuitico, (iniuria, videlicet, defuncti fratris;) sed officium præstabatur fratri defuncto. Fit autem mentio de fratribus cohabitantibus: quia frater cohabitans priùs obligabatur ad hoc officium, quàm frater non cohabitans, tanquàm maiori vinculo iunctus defuncto.

Et mortuus fuerit vnus ex eis absque liberis.] Iuxta Hebræum in singulari numero habetur: *Et filius non ipsi*. proculdubiò fratri defuncto. Nec dicitur, & filius non

ipsi

ipsi ex illa; sed absolutè, *& filius non ipsi*: si enim haberet filium ex alia muliere, non esset locus huic legi.

Vxor defuncti non nubet alteri.] Iuxta Hebræum habetur: *Non erit uxor mortui foris viro extraneo.* Negatur viro extraneo à consanguinitate defuncti: & negatur foris, hoc est, extra domum habitanti, quamuis consanguineo.

Sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui [c].] Iuxta Hebræum habetur: *Leuir eius veniet super eam, & accipiet eam sibi in vxorem, & leuirabit eam.* Dictio interpretata, *leuirabit*, coëgit ad fingendum verbum à nomine leuir, vt redderetur Hebraïca dictio ad verbum. Officium enim leuiri erga fratriam significat, quod antiquus Interpres interpretatus est, *suscitare semen fratris sui*: quia ad hoc directè ordinabatur officium leuiri.

Vers. 6. Et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erit, primogenitum, qui nascetur, firmabit super nomen fratris sui defuncti, & non delebitur nomen eius ex Israël.* Vetustissimus mos fuit, filios nominare ex patribus, (putà, filium Israël, filium Leui, & sic de aliis;) vsque adeò vt propria nomina aliquorum virorum illustrium ignotemus, eò quòd sunt inscripti filiatione patrum, tanquàm filij essent seruantes nomen patris. Et quoniam ad hoc præcipuè studuit antiquitas; ideò filius primò natus ex fratria, nomen defuncti firmare decernitur ad seruandum illius nomen; quemadmodum etiam erat illius hæres. Et dicitur primogenitus: quia lex exigit, vt primogenitus sit hæres defuncti, & illius legalis filius: reliquos autem filios ex eadem susceptos liberum erat patri, an sibi, an fratri arrogaret.

Vers. 7. Si autem noluerit accipere vxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam ciuitatis, & interpellabit maiores natu: dicétque: Non vult frater viri mei suscitare semen fratris sui in Israël, nec me in coniugium sumere.] Iuxta Hebræum habetur: *Et si noluerit vir accipere fratriam suam, & ascendet fratria eius ad portam ad senes: & dicet: Renuit leuir meus firmare fratri suo nomen in Israël, noluit leuirare me.* Sententia clara est ex declaratis.

Vers. 8. Vocabúntque eum seniores ciuitatis eius, & interrogabunt ipsum: & stabit, & dicet: Nolui accipere eam.

9. Accedétque fratria eius ad eum coram senioribus, & soluet calceamentum de pede eius, spuétque in faciem illius: & respondebit, ac dicet: Sic fiet viro, qui nõ ædificauerit domum fratris sui.] In duabus extremis partibus (pede, scilicet, & facie) ignominiæ signa statuit lex, vt totus homo turpis haberetur. Nec sputum in faciem intelligo sic, quòd sputum attingeret faciem viri; sed quòd versùs faciem viri spueret fratria.

Vers. 10. Et vocabitur nomen eius in Israël, domus discalceati calceum [d].] Non sat est legi momentanea pœna: sed perpetuam adiicit, vt vel ad hoc, quòd careant tot ignominiis, fraternæ pietatis officium exerceant.

Vers. 11. Si rixati fuerint inter se homines, vir, & frater eius, & accesserit vxor vnius, vt eripiat virum suum de manu percutientis, miserítque manum suam, & apprehenderit verenda eius,

12. Abscides manum illius: non flecteris super eam vlla misericordia.] Horret lex, vt membra viri directè ad perficiendum muliebrem sexum producta, audeat mulier lædere.

Vers. 13. Non habebis in sacculo tuo diuersa pondera, maius, & minus:

14. Nec erit in domo tua modius, & modius; maior [e], & minor.

15. Pondus perfectum, & iustum erit tibi: & modius perfectus, & iustus erit tibi: vt multo viuas tempore super terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi:

16. Abominatio enim Domini Dei tui est omnis, qui facit hæc, omnis faciens iniustitiam.] Non sis ita rudis, vt diuersa pondera, diuersásque mensuras inhiberi intelligas; sed diuersas ad fallendum; putà, maiorem ad recipiendum, minorem ad dandum.

Vers. 17. Memento, quæ fecerit tibi Hamalec in via, quando egrediebaris ex Ægypto.] Inter alias iustitias mandatur vindicta Hamalecitarum.

Vers. 18. Qui occurrit tibi, & extremos agminis tui, qui lassi residebant cecidit, quando tu eras fame, & labore confectus.] Iuxta Hebræum habetur: *Et decaudauit in te omnes debiles post te, & tu lassus & fatigatus: & non timuit Elohim.* Quæ tacita fuerunt Exodi 17. supplentur: & quæ narratur læsio, exaggeratur, tum ex qualitate læsorum, tum ex qualitate populi Israël, tum ex diuini iudicij timore non habito.

Vers. 19. Quum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem ab omnibus inimicis tuis in circumitu in terra, quam tibi pollicitus est, delebis nomen Hamalec de sub cælo: caue, ne obliuiscaris [f].] Huius præcepti memor Samuël monuit Saülem primum Regem Israël, vt deleret Hamalec, 1. Reg 15.

CAPVT XXVI.

VERS. 1.

Qvumque intraueris terram, quã Dominus Deus tuus dat tibi in hæreditatem, & obtinueris eam, atque habitaueris in illa,

2. Tolles de primitiis omnis fructus terræ, quem afferes è terra tua, quam Dominus Deus tuus dat tibi, & pones in cartallo: pergésque ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen suum ibi.

3. Accedésque ad Sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum: Profiteor [a] hodie coram Domino Deo tuo,

[c] Huius legis æquitates, & rationes plures sunt. Prima, ne interirent familiæ, sed multiplicarentur: quod pertinet ad extollendam rempublicam. Prouidebatur etiam hoc modò viduis, & misero sexui, vt susciperentur & alerentur, cum mulier sit infirmum, & miserum vasculum, vidua præsertim, quæ simul derelicta, & despecta est. Assignat & aliam rationem D. Chrysostomus in Matth. homil. 49. quòd intolerabilis esset luctus, atque inextinguibilis defuncto, qui se sine liberis decedere videbat, cùm liberi tamen maxima mortis consolatio sint. Quare legum conditor illud solamen excogitauit, & nasciturum fratris filium mortui nomine vocari præcepit, ne bonorum memoria periret funditùs: nam quàm naturale, quantúmve olim fuerit prolis desiderium in Abraham, Sara, Rebecca, Rachele, & aliis, videlicet, discedere sine familia extrema, fuit olim certè mœstitia vnde lex hæc inter gentes multo ante legem obseruata est.

[d] Cogebat lex ad charitatem dictam summo opprobrio, vt discalceatus vocaretur, & expueretur in eius faciem: quod verò pes discalceatus nota esset ignominiæ, & causa opprobrij, ex illorum temporum consuetudine processit, sicut & nunc sunt aliæ notæ iniuriæ apud nos. Significabant fortè in eo ritu, vt nudus fieret familia, & subditis, (qui per calceamentum nonnunquam in Scriptura significantur, eoque illa, sicut & calceos pedibus nostris, id est, nostro regimini subiicimus.

[e] Incredibiles nequitias, & artes in mercibus mutandis, corrumpendis, fingẽdis, componendis, nouit auaritia. Vult ergo lex, vt magistratus hic prospiciat reipublicæ.

[f] Occasione legum prædictarum, quibus charitas cum proximo, & afflicto summè commendatur, voluit Dominus non addiscere, quantùm è contrario harum legum violatio sibi displiceret: ita vt propter illud hic addat præceptum de non parcendo Amalechitis, quos ob violentiam charitatis, etiã in filiis, hic puniri præcipit.

[a] Professio ista, gratiarum actio, agnitio, & collaudatio erat pro datis beneficiis; non aliter ac censuarius suo censu confitetur Domino suo, sese habere agrum gratia illius.

tuo, quòd ingressus sum in terram, pro qua iurauit patribus nostris, vt daret nobis.

4. Suscipiétque Sacerdos cartallum de manu tua: & ponet illud ante altare Domini Dei tui.

Vers. 5. Et loqueris.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Et propones, & dices coram Domino Deo tuo.* Instruit Moses idiotas offerentes primitias fructuum terræ, non solùm, vt offerendo profiteantur ore accepisse se promissam à Deo Patribus terram; sed etiam, vt post oblationem morentur ibidem, reuocando ad mentis oculos, & secum meditando diuina beneficia collata Patribus, inchoando à beneficio liberationis Iahacob à persecutione Laban soceri sui.

Syrus persequebatur patrem meum.] Iuxta Hebræum habetur: *Arameus perditor patris mei.* Iniquitas omnis Laban, & filiorum eius aduersùs Iahacob comprehenditur sub *perditoris* nomine: erant enim Aramæi, non Syri: Aram enim in Mesopotamia est, non in Syria. Et in his verbis meditatio beneficiorum diuinorum ad reducendum Iahacob cum vxoribus, & filiis, & opulentia multa, comprehenditur.

Qui descendit in Ægyptum, & ibi peregrinatus est in pauco numero: creuitque ibi in gentem magnam, robustam, & multam.

Vers. 6. Et malefecerunt nobis Ægyptij, & afflixerunt nos, & posuerunt super nos seruitutem duram,

7. Et clamauimus ad Dominum Deum Patrum nostrorum, & exaudiuit Dominus vocem nostram; & vidit afflictionem nostram, & laborem nostrum, & oppressionem nostram.

8. Et eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti, & brachio extento, & ingenti terrore, & in signis, atque portentis;

9. Et introduxit nos ad locum istũ; & tradidit nobis terram istam, terram lacte, & melle manantem.] Summatiè tanguntur beneficia collata Israëliis à descensu in Ægyptum, vsque ad possessam terram promissam, reuocanda ad memoriam coram Deo ibidem.

Vers. 10. Et ecce nunc attuli primitias fructus terræ, quam dedisti mihi, Domine.] Ne idiotæ, tanquàm ex quadam consuetudine absque notitia eius, quod opere implent, primitias offerant, instruuntur meditari, & agnoscendo intra se dicere, quòd ad gratias agendum Deo de antedictis beneficiis offerunt primitias fructuum terræ Deo.

Et dimittes eas in conspectu Domini Dei tui, & adorabis Dominum Deum tuum.

Vers. 11. Et epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi, & domui tuæ, tu, & Leuita, & aduena, qui est in medio tui.

Vers. 12. Quum compleueris decimationem omnis fructus tui anno decimarum tertio.] Iuxta Hebræum habetur: *Anno tertio, anno decimæ, dabis Leuitæ, aduenæ, pupillo, & viduæ, & comedent intra portas tuas, & saturabuntur.* Quanuis singulis annis decima daretur Leuitis; tertius tamen quisque annus dicebatur annus decimæ: quia tertio quoque anno dabatur decima pauperibus, iuxta legem decretam superiùs cap. 14.

Vers. 13. Loquerísque in conspectu Domini Dei tui.] Quemadmodum instruxit idiotas ad meditandum, quare offerunt primitias; ita instruit eosdem ad agnoscendum diuinum beneficium in hoc, quòd concessit eis seruare legem decimarum absque violatione.

Attuli, quod sanctificatum est.] Legendum est: *Abstuli sanctificationem de domo, & etiam dedi illam Leuitæ, & aduenæ, pupillo, & viduæ, sicut præcepisti mihi: non præteriui mandata tua, nec sum oblitus.* Decima [b], tam Leuitis, quàm pauperibus debita, *sanctificatio* appellatur: quia dicata est Deo ad vsum Leuitarum, & pauperum. Et non retenta domi significatur, sed distributa Leuitis, &c.

[b] Colligebantur tales decimæ pro pauperibus, velut in bursam, aut capsam communem.

Vers. 14. Non comedi in tristitia mea [c] ex ea.] Tres modos abutendi decima declarat Moses sub specie agniti beneficij diuini in meditatione mea, quòd nullo illorum modorum violaui decimam, ita quòd simul docet gratitudinem, & integritatem. Primus autem modus erat, quòd ipse, qui recondiderat decimam pro pauperibus, in euentu tristitiæ tanquàm tristis vteretur illa, vtpote similis pupillis, viduis, &c.

[c] Profitetur se hilariter decimas attulisse, nec in illis quoquo modo Sacerdotẽ defraudasse, vel ex peioribus collegisse, aut quicquam illarũ in vllo opere etiam minimo (vt erant mortui funebria) expendisse.

Nec separaui eam in qualibet immunditia.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non abstuli ex ea in immundo.* Secundus quoque modus quasi licitus violandi decimam, erat auferre ex illa decima ad dandum immundis pauperibus: quia decima illa pauperum dicata erat ad pauperes, Leuitas, viduas, pupillos, & aduenas, non quoscunque, sed intra portas, ac per hoc mundos.

Nec expendi ex ea quicquam in re funebri.] Tertius quoque quasi licitus modus abutendi decima, erat, dare ex ea in luctu defuncti. Sunt enim lugentes defunctum tanquàm pupilli, & viduæ: huiusmodi enim abusus vitatus significatur, dicendo: Et non dedi ex ea in defuncto.

Obediui voci Domini Dei mei: feci omnia, sicut præcepisti mihi.

Vers. 15. Respice de Sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo.] Legendum est: *Respice de habitaculo sanctitatis tuæ è cælis, & benedic populo tuo Israël, & terræ, quam dedisti nobis: sicut iurasti Patribus nostris, terræ lacte, & melle mananti.* Instruuntur etiam idiotæ seruatis mandatis legis, orare etiam domi pro vniuerso populo, & communi bono.

Vers. 16. Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi, vt facias statuta [d] hæc, & iudicia: custodiésque, & facies ea ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.] Annotandum, diem illum, quo Moses declarauit legem nouo populo, tanquàm præcepti diuini ad seruandum vniuersa legis mandata duxit, vt intelligant, & commemorent deinceps, quòd

[d] Statuta hic accipiunt nonnulli pro cæremoniis cæremoniæ verò quid sint, satis constat, sed de vocis etymologia variant Authores. S. Th. 1. 2. q. 99 ait dixisse quosdam, cæremonias perinde significare, ac [illegible] cris

dona: nam Cererem frugũ Deam, & primitus ex frugibus Deo litatum esse cõstat. Vnde demum illa vox omni cultui adaptata videtur. Aulus Gellius cæremonias putat dictas à carendo, quem insequitur Aug. lib. retract. 11. c. 34. qui cæremonias putat dictas quasi caremonias, eò quòd obseruantes carẽt multis, quibus abstinent. Verisimiliùs tamen loquuntur, qui vocabuli originem ducunt à Cærete oppido Tusciæ: nam tradit Strab. lib. de situ orbis, Cæretenses, capta vrbe Roma, redeũtes Gallos spoliis onustos, in agro Sabino, & fudisse, & spoliis exonerasse: præterea Romanos, qui ad se capta vrbe confugerant, benignè excepisse, simulque æternum ignem, Sacerdotésque Vestales summo protexisse studio. Hic autem apparet, Romanos in eius beneficij, & pietatis memoriam, voluisse, vt omnis diuinus cultus à Cærete vocaretur cæremonia.

quòd vice Dei alloquitur eos Moses.

Vers. 17. Dominum elegisti hodie, vt sit tibi in Deum.] Iuxta Hebræum habetur: יהוה *exaltasti hodie, vt sit tibi in Elohim.* Humano more loquitur: ad instar siquidem exaltati habetur, qui colitur vt Deus supremus, gubernator, & Iudex populi: Deus enim, qui est fons essendi omnibus, in seipso non exaltatur: sed apud hominum notitiam exaltatur in hoc, quòd agnoscitur, & colitur supremus gubernator, & Iudex hominum.

Vt ambules in viis eius, & custodias statuta, & mandata, atque iudicia eius, & obedies voci eius.

Vers. 18. En Dominus elegit te hodie.] Iuxta Hebræum habetur: *Et Iehouah exaltauit te hodie, vt sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, & custodias omnia præcepta eius.* Mutua manifestatur exaltatio, quamuis dispar: quia à populo Deus non exaltatur in seipso; sed in notitia hominum: à Deo autem exaltatur populus in seipso: magnificatur enim, & eleuatur præ aliis populis per hoc, quòd est populus cultui Dei addictus, & obsequens vniuersis præceptis diuinæ legis. Eleuantur enim animæ in veram perfectionem, & appropinquationem vero Deo.

Vers. 19. Vt faciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas creauit in laudem, & nomen & gloriam suam.] Iuxta Hebræum habetur: *In laude, & in nomine, & in gloria.* Nec subiungitur pronomen aliquod: quia hæc non referuntur ad Deum: non enim referuntur ad verbum, *creauit*: sed referuntur ad celsitudinem populi supra reliquas omnes gentes. Et est sensus, quòd Deus exaltauit te ad dandum te excelsum supra omnes creatas gentes; excelsum, inquam, in his tribus, videlicet, in laude, & nomine, & gloria: vt laus eius cuiuscunque populi laudem, & nomen nomen, & gloria gloriam superet.

Et vt sis populus sanctus Domino Deo tuo, sicut locutus est.

CAPVT XXVII.

VERS. 1.

Præcepitque Moses, & seniores Israël populo, dicens: Custodite omne mandatum, quod ego præcipio vobis hodie.] Adhibet Moses senes ad maioris authoritatis vim, vt mandata Dei per eum sint etiam mandata Principum populi.

Vers. 2. Quúmque transieris Iarden.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erit in die, quo transibitis Iarden, ad terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi.* Dicendo, *in die*, insinuat præceptum subiunctum non perpetuum, sed ad tempus; videlicet, pertransito Iordane.

Eriges tibi ingentes lapides, & linies eos calce.] Lapides isti magni erigendi mandantur, statim transito Iordane, in monte Hebal, in signum, quòd diuina lex acceperat possessionem terræ promissæ Abrahæ, Ishac, & Iahacob. Et propterea liniendi erant calce, vt habiles essent ad hoc, vt scribatur in eis.

a Hoc Iosue 8. post captam vrbem Haï impletum legimus, censuitque Moses,

Vers. 3. Vt possis in eis scribere [a].] Iuxta Hebræum habetur: *Et scribes in eis omnia verba legis istius, quum transieris.* Intelligo, vel decẽ legis præcepta, vel illa duo præcepta de vnitate, & dilectione Dei (scripta superius cap. 6. & scribenda in postibus, & in portis, ligandáque in manibus) scribenda esse in his duobus lapidibus: ex eo enim, quòd plurali numero scribuntur lapides, nec determinatur numerus, intelligitur binarius numerus.

hac externa pompa rudem populum ad memorandam legem prouocandum: cessit tamen hoc altare postmodum in magnum scandalũ, cum populus ibidem exẽplo Patrum sacrificaret: nam mulier Samaritana idem Christo obiecit Ioan. 4.

Vt introeas terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi, (terra lacte, & melle manantem,) sicut locutus est Dominus Deus Patrum tuorum tibi.

Vers. 4. Et erit, quum transieritis Iardẽ, erigetis lapides istos, quos ego præcipio vobis hodie in monte Hebal: & linies eos calce.

Vers. 5. Et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo; altare de lapidibus: non eleuabis super eos ferrum.] Ne intelligas altare ædificandum ex dictis duobus lapidibus, sed de lapidibus impolitis, provt ædificatur quilibet murus.

Vers. 6. Et de saxis informibus & impolitis.] Iuxta Hebræum habetur: *Lapidibus perfectis ædificabis altare Domini Dei tui: & offeres super ipsum holocausta Domino Deo tuo.*

Vers. 7. Immolabísque hostias pacificas, & comedes ibi: epulaberísque coram Domino Deo tuo.

Vers. 8. Et scribes super lapides omnia verba legis huius.] Ordo inter erectionem lapidum, & ædificationem altaris scribitur: vt priùs completum sit opus erectorum lapidum cum inscriptione legis, & deinde ædificetur altare: vt priùs figant quasi vexilla possessæ terræ, & deinde in terra tanquàm iam diuina ædificent altare.

Planæ, & lucidæ.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Declarando benè.* Modus scribendi in lapidibus calce linitis, manifestatur, vt sint characteres clari, & benè formati.

Vers. 9. Locutúsq; est Moses, & Sacerdotes Leuitici generis ad omnem Israël, dicendo.] Nihil omittit authoritatis Moses: nam & adhibuit Senes, adhibuit & Sacerdotes: vt mandata legis ab eo promulgatæ, omni ex parte authoritatem haberent.

Attende, & audi, Israël: hodie factus es in populum Domino Deo tuo.

Vers. 10. Audiésque vocem Domini Dei tui, & facies mandata, ac statuta eius, quæ ego præcipio tibi hodie.

Vers. 11. Præcepitque Moses populo in die illo dicens.] Eodem contextu peragenda esse subiuncta de benedictionibus, & maledictionibus, in duobus montibus, & antedicta de erectione duorum lapidum, & ædificatione altaris, insinuatur, & ex tempore præcepti, & ex contextu præceptorum.

Vers. 12. Hi stabunt ad benedicendum Domino.] Hebraïcè habetur: *Ad benedicendum populum.* Hoc est, ad assistendum Sacerdotibus benedicentibus populo: Sacerdotum enim officium erat benedicere populo publicè: vnde & posteà subiungitur: *Et pronunciabunt Leuitæ*, &c.

Super montem Garizim, quum transieritis Iarden: Simhon, & Leui, & Iehuda, & Isaschar, & Ioseph, & Binjamin.

Verſ. 13. Et iſti ſtabunt ad maledicendum in monte Hebal, Reuben, & Gad, & Aſer, & Zebulum, & Dan, & Naphthali.

Verſ. 14 Et pronunciabunt Leuitæ, dicéntque ad omnem virum Iſraël excelſa voce.] Non eſt ſermo de Leuitis, vt eſt nomen gradus diuerſi à ſacerdotio; ſed, vt eſt nomen Tribus comprehendentis, & Sacerdotes, & Leuitas. Et dicitur pluraliter *Leuitæ*: quia duo erant; alter ad maledicendum, alter ad benedicendum: & vtrique mandatur, vt excelſa voce reſpondeat quaſi alter alteri.

Verſ. 15. Maledictus vir, qui facit ſculptile, & conflatile, abominationem [b] Domini, opus manuum artificis.] Ad differentiam ſculptilium, & imaginum, quæ ſine diuina fiebant iniuria, apponitur, *abominationem Domini*: licitum enim erat ſtatuas ad humanos vſus facere; non autem ad colendum.

[b] Abominationes per contemptum ſæpe Scriptura idola, ſeu Deos gentium appellat, vt oſtendat, nihil niſi calamitatē ab illis referri, cùm eam ſtulti homines ſalutem ab illis ſperent, Pſal. 106.

Et ponet in abſcondito.] Diſcurre, & conſidera, prudens lector, duodecim iſtas maledictiones, quòd circa peccata occulta (hoc eſt, quæ communiter ſunt peccata elongata à foro iudiciali) verſantur: vt quilibet à Sacerdotibus, & Principibus Tribuum vniuerſarum, vice totius populi, nouerit ſe maledictum, etiam in iis, in quibus Iudex maledictionem pœnæ non infligit.

Et reſpondebit omnis populus, & dicet: Amen] Non ſat fuit decernere, quòd ad has maledictiones authoritas Sacerdotis, & Principum Tribuum concurreret; ſed totius populi affirmatione firmari ſtatuitur: vt ipſimet etiam à ſeipſis execratos agnoſcerent. Et vide diſparitatem, quòd in maledictionibus decernitur à lege affirmatio populi; non autem in benedictionibus: quia vnicuique placere propriam benedictionem perſpicuum eſt: imprecari autem ſibiipſi maledictionem horridum eſt.

Verſ. 16. Maledictus, qui non honorat.] Iuxta Hebræum habetur: *Faciens vilipendere patrem ſuum, & matrem ſuam.* Occultè enim ſolent filij procurare, ſeu incitare aliquem, ad huiuſmodi vilipenſionem.

Et dicet omnis populus: Amen.

Verſ. 17. Maledictus, qui transfert terminum proximi ſui.] Vſurpatio confiniorum (quæ & clam fieri ſolet) ſignificatur.

Et dicet omnis populus: Amen.

Verſ. 18. Maledictus, qui errare facit cæcum in via.] Metaphoricus eſt ſermo de præbentibus mala conſilia neſcientibus, & cupientibus recta via incedere.

Et dicet omnis populus: Amen.

Verſ. 19. Maledictus, qui peruertit iudicium aduenæ, pupilli, & viduæ. Et dicet omnis populus: Amen.

Verſ. 20. Maledictus, qui dormit cum vxore patris ſui: quia diſcooperuit oram patris ſui: Et dicet omnis populus: Amen.

Verſ. 21. Maledictus, qui dormit cum omni beſtia. Et dicet omnis populus: Amen.

22. Maledictus, qui dormit cum ſorore ſua, filia patris ſui, vel matris ſuæ. Et dicet omnis populus: Amen.

Verſ. 23. Maledictus, qui dormit cum ſocru ſua. Et dicet omnis populus: Amen.

Verſ. 24. Maledictus, qui clam percutit proximum ſuum. Et dicet omnis populus: Amen.

Verſ. 25. Maledictus, qui dormit cum vxore proximi ſui. Et dicet omnis populus: Amen.] Tota hæc vltima clauſula ſuperflua eſt.

Maledictus, qui accipit munus, vt percutiat animam ſanguinis innocentis. Et dicet omnis populus: Amen.

Verſ. 26. Maledictus [c], qui non permanet in ſermonibus legis huius, nec eos opere perficit.] Iuxta Hebræum habetur: *Maledictus, qui non firmabit verba legis huius, ad faciendum ea.* Ad differentiam aſſentientium verbis legis, non opere, ſed ſermone, adiungitur, *ad faciendum ea.* Et quoniam valdè ampla eſt hæc maledictio, ſcito, quòd tantùm maledictionis quiſque incurrebat, quantùm declinabat à lege: & propterea Paulus Apoſtolus ad Galatas ſcribit, *omnes ſub lege ſubiici maledicto.* Nullus enim erat, qui non aliqualiter declinaret à lege.

[c] Vide qualiter Paulus hunc locum, *Maledictus*, &c. interpretetur ad Galatas 3.

Et dicet omnis populus: Amen.

CAPVT XXVIII.

VERS. 1.

SI autem audieris vocem Domini Dei tui, vt cuſtodias, & facias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus, quæ verſantur in terra.

2. Veniéntque ſuper te vniuerſæ benedictiones iſtæ, & apprehendent te, ſi audieris vocem Domini Dei tui.

3. Benedictus tu in ciuitate, & benedictus tu in agro.

4. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, & fructus iumenti tui, armenti boum tuorum, & gregis ouium tuarum.

5. Benedictum caniſtrum tuum, & reliquiæ tuæ.

6. Benedictus tu ingrediens, & benedictus tu egrediens.

7. Dabit Dominus inimicos tuos, qui conſurgunt aduersùm te, corruentes in conſpectu tuo, per vnam viam egredientur contra te, & per ſeptem vias fugient à facie tua.

8. Emittet Dominus benedictionem ſuper

ſuper cellaria tua, & ſuper omnia opera manuum tuarum, benedicétque tibi in terra, quam dat tibi.

9. Eleuabit te Dominus ſibi in populum ſanctum, ſicut iurauit tibi, ſi cuſtodieris mandata Domini Dei tui, & ambulaueris in viis eius.

10. Videbúntque omnes populi terræ, quòd nomen Domini [a] inuocatum ſit ſuper te, & timebunt.

[a] *Nomen Domini inuocari* ſuper aliquem populum, idem eſt, ac vocari populus Dei, tropo Hebræo.

11. Abundare te faciet Dominus bonis, fructu ventris tui, & fructu iumenti tui, & fructu terræ tuæ, ſuper terram, quam iurauit Dominus Patribus tuis, vt daret tibi.

12. Aperiet Dominus tibi theſaurum ſuum bonum, cælum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore ſuo, & benedicet cunctis operibus manuum tuarum, fœnerabíſque gentibus multis, & ipſe à nullo fœnus accipies.

13. Conſtituet te Dominus in caput, & non in caudam; eriſque ſemper ſupra, & non ſubter, ſi audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, vt cuſtodias, & facias,

14. Et non receſſeris ab omnibus verbis, quæ ego præcipio vobis hodie ad dexteram, & ad ſiniſtram, eundo poſt Deos alienos, vt colatis eos.

15. Quòd ſi audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt cuſtodias, & facias omnia mandata, & ſtatuta eius, quæ ego præcipio tibi hodie, venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ, & apprehendent te.

16. Maledictus tu in ciuitate, & maledictus tu in agro.

17. Maledictum caniſtrum tuum, & reliquiæ tuæ.

18. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ: armenti boum tuorum, & gregis ouium tuarum.

19. Maledictus tu ingrediens, & maledictus tu egrediens.

20. Mittet Dominus in te maledictionem, & perditionem, & increpationem in omnibus operibus tuis, quæ tu facies, donec deleat is, & pereas velociter à facie malitiæ operum tuorum, quibus reliquiſti me.

21. Adiunget tibi Dominus peſtilentiam, donec conſumat te de terra, ad quam ingredieris, vt poſſideas eam.

22. Percutiet te Dominus frigore, & febre, & ardore, & æſtu, & gladio, & percuſſione venti orientalis, & rubigine; & perſequentur te, donec pereas.

23. Eruntque cæli, qui ſunt ſupra caput tuum ænei; & terra, quæ ſubter te eſt, ferrea.

24. Dabit Dominus pluuiam terræ tuæ cinerem, & puluerem, de cælis deſcendet ſuper te, donec deleaiis.

25. Tradet te Dominus corruentem ante hoſtes tuos, per vnam viam egredieris contra eos, & per ſeptem vias fugies coram eis, & diſpergeris per omnia regna terræ.

26. Erítque cadauer tuum in eſcam cunctis volatilibus cæli, & beſtiis terræ, & non erit, qui abigat.

27. Percutiet te Dominus vlcere Ægypti, & hęmorrhoïdibus, & ſcabie, & prurigine, à quibus non poteris curari.

28. Percutiet te Dominus amentia, & cæcitate, ac furore cordis.

29. Et palpabis in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris, & non diriges vias tuas, eríſque tantùm calumniam ſuſtinens, & oppreſſus omnibus diebus: & non erit liberator.

30. Vxorem deſponſabis, & vir alius dormiet cum ea: domum ædificabis, & non habitabis in ea: vineam plantabis, & non vindemiabis eam.

31. Bos tuus mactabitur coram te, & non comedes ex eo: aſinus tuus rapietur à conſpectu tuo, & non reddetur tibi: oues tuæ dabuntur inimicis tuis, & non erit tibi liberator.

32. Filij tui, & filiæ tuæ tradentur populo alteri, videntibus oculis tuis, & deficientibus propter eos tota die; & non erit fortitudo in manu tua.

33. Fructum terræ tuæ, & omnem laborem tuum comedet populus, quem non nouiſti; eríſque tantùm calumniam ſuſtinens, & contritus omnibus diebus.

34. Et obſtupeſces propterea, quæ videbis oculis tuis.

35. Percutiet te Dominus vlcere malo in genibus, & in ſuris, à quibus non poteris curari, à planta pedis tui vſque ad verticem tuum.

36. Traducet te Dominus, & Regem tuum, quem conſtitues ſuper te, in gentem, quam non nouiſti tu, & Patres tui; & ſeruies ibi Diis alienis, ligno, & lapidi.

37. Et eris in perditionem, in prouerbium, ac fabulam omnibus popu-

 lis,

lis, ad quos introducet te Dominus.

38. Semen multum iacies in terram [b]: & modicum congregabis; quia consumet illud locusta.

39. Vineas plantabis, & coles: & vinum non bibes, nec colliges; quia comedet illud vermis.

40. Oliuas habebis in omnibus terminis tuis: & non augeris oleo; quia decidet oliua tua.

41. Filios, & filias generabis: & non erunt tibi; quoniam ducentur in captiuitatem.

42. Omnes arbores tuas, & fructum terræ tuæ rubigo consumet.

43. Aduena, qui est in medio tui, ascendet supra te, supra supra: & tu descendes subter subter.

44. Ipse fœnerabit tibi, & tu non fœnerabis ei: ipse erit in caput, & tu eris in caudam.

45. Et venient super te omnes maledictiones istæ, & persequentur te, & apprehendent te, donec intereas: quia non audisti vocem Domini Dei tui, nec seruasti mandata, & statuta eius, quæ præcepit tibi.

46. Et erunt in te in signum, & in prodigium, & in semine tuo vsque in sempiternum.

47. Eò quòd non seruieris Domino Deo tuo in lætitia, & bonitate cordis, propter rerum omnium abundantiam.

48. Et seruies inimicis tuis, quos immittet tibi Dominus in fame, & siti, & nuditate, & penuria omnium: & ponet iugum ferreum super collum tuum, donec te conterat.

49. Adducet Dominus super te gentem de longinquo (de extremis terræ finibus) in similitudinem aquilæ [c] volantis; gentem, cuius non intelliges linguam.

50. Gentem fortem facie [d], quæ non eleuabit faciem ad senem, & puero non parcet.

51. Et comedet fructum iumenti tui, & fructum terræ tuæ, donec intereas, quæ non relinquet tibi triticum, vinum, & oleum, armentum boum, & greges ouium tuarum, donec te perdat.

52. Et coarctabit te in omnibus portis tuis, donec deiiciatur muri tui alti, & firmi, in quibus cōfidis in tota terra tua: & coarctabit te in omnibus portis tuis, in tota terra tua, quam dedit Dominus Deus tuus tibi.

53. Et comedes fructum ventris tui [e], carnem filiorum tuorum, & filiarum tuarum, quos dederit tibi Dominus Deus tuus, in coarctatione, & oppressione, qua opprimet te inimicus tuus.

54. Viri teneri in te, & delicati valdè, malignabitur oculus in fratrem suum, & in vxorem sinus sui, & in residuum filiorum, quod remanserit,

55. Non dando vni ex eis de carne filiorum suorum, quam comedet, ne non remaneat ei quicquam in coarctatione, & oppressione, qua opprimet te inimicus tuus in omnibus portis tuis.

56. Teneræ in te, & delicatæ (quæ non tentauit plantam pedis sui figere super terram præ deliciis suis, & teneritudine,) malignabitur oculus in virum sinus sui, & in filium suum, & filiam suam,

57. Et in secundinas suas, quæ egrediuntur de inter pedes eius, & in filios suos, quos pariet: quia comedet eos propter defectum omnium clam in coarctatione, & oppressione, qua opprimet te inimicus tuus in portis tuis.

58. Nisi custodieris, & feceris omnia verba legis huius, quæ scripta sunt in libro hoc, timendo nomen hoc gloriosum, & terribile, (Dominum Deum tuum,)

59. Augebit Dominus plagas tuas, & plagas seminis tui, plagas magnas, & perseuerantes, & infirmitates malas, ac perseuerantes:

60. Et reducet in te omnes infirmitates Ægypti, à quarum conspectu timuisti, & adhærebunt tibi.

61. Insuper omnes infirmitates, & plagas, quæ non sunt scriptæ in libro legis huius, inducet Dominus super te, donec te conterat.

62. Et remanebitis pauci numero, qui priùs eratis, sicut astra cæli in multitudine, quoniam non audistis vocem Domini Dei vestri.

63. Et sicut antè lætatus est Dominus super vos benefaciendo vobis, & multiplicando vos, sic lætabitur Dominus super vos perdendo, ac delendo vos: & auferemini de terra, ad quam possidendam ingredimini.

64. Dispergétque te Dominus in omnes populos ab extremo terræ vsque ad extremum eius: & seruies ibi Diis alienis [f], quos non nouisti tu, & patres tui, lignis, & lapidibus.

65. In

[b] In Esaia cap. 59. infrugiferos labores. vt hic Israëlitis, Dominus comminatus est, sub scita admodum allegoria telę aranearum, opere, nimirum laborioso, parúmque frugifero: atque adeò si quis impiorum sudores, quos in congerendis opibus, & infinita vanitate alia profundunt, rectè secum contempletur, inueniet, impium veluti araneum labore inani defluere, & in ipso suo conatu totum perire.

[c] Monarchia Babyloniorum describitur, quæ aquilæ grandi, etiam apud Ezech. cap. 17. comparatur.

[d] *Fortem facie*, idē est ac mirè audacem ad quoduis malum patrandum: eodémque tropo vtitur Daniel. c. 8. Cæterùm lingua hæc Chaldæa solis Babyloniis peculiaris erat, sicut Hebræa Iudæis, erátque valdè ignobilis, neque aliis gentibus communicata: constat enim, quòd Babyloniæ sapientes, nō Chaldaïcè proprio Regi loquebantur; sed Syriacè, Daniel. 2. vnde fit manifestum, linguam Syriacam, quæ ibidē Aramea dicitur, valdè fuisse nobilem; Chaldaïcam verò minus & paucis notam.

[e] Vide hoc adimpletum 4 Reg 6. in mulieribus illis, quæ in obsidione Samariæ alterius filio comesto de alio comedendo coram Rege disceptabant.

[f] Dij alieni in Scripturis vocātur, quæcunque alia sibi colenda vltra verum Deum stultitia hominum fingit.

Vers. 65. In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies plantæ pedis tui: & dabit tibi Dominus ibi cor pauidum, & deficientiam oculorum, mœrorem animi.

66. Et erit vita tua quasi pendens ante te, & timebis nocte, ac die, & non credes vitæ tuæ.

67. Mane dices: Quis dabit vesperam. & vespere: Quis dabit mane? propter cordis tui terrorem, quo terreberis, & propter ea, quæ videbis oculis tuis.

68. Et reducet te Dominus nauibus in Ægyptum per viam[f], de qua dixi: Non addes ad videndum eam, ibique vendes te inimicis tuis in seruos, & ancillas, & non erit, qui emat.]

[f] Hinc videtur, quòd cum Ægyptiorũ Reges Iudæam debellabant, & armis petebát, illuc semper per mare accessisse, quod multum est verisimile: non poterant siquidem per vastas illas solitudines, quæ inter Ægyptum, & Iudæam mediant, militum copias commodè ducere.

In hoc capitulo, quanuis multa corrigenda essent; quia tamen ad materiam parui refert (benedictiones enim, & maledictiones temporales explicantur,) nihil scribendum occurrit: nisi cautum reddere lectorem, quòd nulla fit in hoc capitulo mentio fœnoris; sed Interpres *mutuare* vertit in *fœnerare*, tam in benedictionibus, quàm in maledictionibus. Et hoc ideò annotauerim, ne errares audiendo, quòd inter benedictiones populi supputaretur fœnerari aliis, quod peccatum esse contra diuini, naturalisque iuris præcepta perspicuum est.

CAPVT XXIX.

VERS. 1.

HÆc sunt verba fœderis, quod præcepit Dominus Mosi, vt feriret cum filiis Israël in terra Moab.] Pronomen, *hæc*, subiuncta demonstrat; comprehendentia tamen suprascriptas maledictiones, & benedictiones, tanquàm conditiones fœderis inter Deum, & populum.

Præter illud fœdus[a], quod pepigit cum eis in Choreb.] Tum, quia multæ transgressiones post fœdus initum iuxta montem Sinaï intercesserant; tum, quia magna pars populi noua erat; iterum Moses fœdus inter Deum, & populum pepigit iuxta Iordanem paulò pòst moriturus.

[a] Fœdus suum nobile sequentibus temporibus nõ semel, sed singulis propemodũ sæculis renouauit Deus; præcipuè autẽ Abrahæ sęculo; huic enim prior ipse, multis ad hoc Abrahæ meritis prouocatus fœdus offert, imò se totum quantus quantus est. Ideò enim illi exposuit quis esset, nimirum Deus fortis, omniumque rerum sufficientia confœderatis hominibus exposita atque parata. Vnde inuenies, quòd isti tres, Abraham, Isaac, & Iacob, viri fœderis vocantur in Scripturis, quòd vni Deo fideliter adhæserint. Vnde Deus illorum ob hoc fœdus voluit appellari, quod iterum in monte Sinaï, & denuò hic sua clementia renouauit.

Vers. 2. Vocauitque Moses omnem Israël, & dixit ad eos: Vos vidistis omnia, quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti, Parhoni, & omnibus seruis eius, & toti terræ eius.] Magna enim pars populi viuebat tunc, quæ iam discretionis annos attigerat, nec ad vigesimum peruenerat ætatis annum, qui viderant gesta in Ægypto.

Vers. 3. Tentationes[b].] Iuxta Hebræum habetur: *Percussiones magnas, quas viderunt oculi tui.* De plagis enim Ægypti est sermo.

[b] Tentatio Hebræis non modò probationem quandam significat, verum etiã afflictionem, & vexationem, vt habes Deut 7. tentationes magnas, &c.

Signa, & portenta illa magna.

Vers. 4. Et non dedit vobis Dominus.] Inter tot tanta, & talia externa dona collata populo à Deo, testatur Moses negata eis dona interna tria, videlicet,

Cor ad sciendum, & oculos ad videndum, & aures ad audiendum, vsque ad diem istum.] Relatiuè ad diuina intellige non datum Israëlitis cor ad sciendum; hoc est, voluntatem propensam ad sciendum diuina, ad applicandum intellectum, vt scirent, quæ Dei sunt. Et similiter intellige negatos oculos mentis ad videndum in tot mirabilibus id, quod Dei erat; & demum non solùm voluntatis, & intellectus dona, quibus seipsos agerent ad diuina; sed etiam donum suscipiendi disciplinam ab alieno negatum significatur per negatas aures ad audiendum: quanuis enim docuisset eos Moses, docuissent & septuaginta, quibus communicatus fuerat Spiritus Mosis; donum tamen suscipiendæ intùs eruditionis negatum dicitur. Testantur crebra populi peccata huiusmodi negationes. Carnalis itaque manifestatur hinc populus ille, & sensibilis, ac externis tantummodo bonis affectus.

Vers. 5. Duxit vos quadraginta annis per desertum[c], non sunt attrita vestimenta vestra.] Deficit, *super vos.* Et similiter subiungendo:

[c] Non prætermittendum puto, quòd cùm tot annis filij Israël in deserto vagati sint, vbi incredibilis est arenarum copia, ita vt ventorum vi agitatę ad modum marinæ aquæ tumultuẽtur; hac tamen peste nullos Israëlitarum periisse legimus: cũ tamen multa hominũ atque camelorũ agmina, arenarum multitudine in hoc deserto operiantur, in quo certè nobis admiranda diuina virtus proponitur.

Nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt.] Legendum est: *Et calceus tuus non veterauit super pedem tuum.* Explicatur enim, quòd vtendo vestibus, & calceis, nihil vetustatis incurrerunt vestes, & calcei: quod erat continuum miraculum per annos quadraginta. Et repetitur, quod scriptum est cap. 8. ad supplendum tacita ibidem.

Vers. 6. Panem non comedistis, & vinum, ac siceram non bibistis: vt sciretis, quia ipse est Dominus Deus vester[d].] Hebraïcè habetur: *Quod ego* יהוה *Elohe vester.* Mutatur enim persona loquentis.

[d] Adiunxit his beneficiis Propheta in Psalmis, quòd non erat in Tribubus eorum infirmus. Vnde suspicari potest, omnem illam multitudinem, & prauam generationẽ morte violenta interiisse. Vide de hac re Nehem. 8. cap.

Et venistis ad hunc locum,

Vers. 7. Egressusque est Sichon Rex Chesbon, & Hog Rex Basan in occursum nostrum ad pugnam, & percussimus eos.

Vers. 8. Et cœpimus terram eorum, ac tradidimus eam in hęreditatem Reubenitis, & Gaditis, & dimidiæ Tribui Menasse.] Summat Moses in hac præfatione fœderis diuina beneficia ad tria tempora; primum in Ægypto; secundum in via; & tertium in termino, citra tamen Iordanis transitum.

Vers. 9. Custodite ergo verba pacti huius, & facite ea.] Ad fœdus ipsum venit.

Vt intelligatis vniuersa, quæ facitis.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Facietis*, ac si apertiùs dixisset: Non sit hoc fœdus, quemadmodum primum absque intelligentia: sed curate, vt intelligatis, quæ facturi estis, ad quæ vos obligatis ex hoc fœdere.

Vers. 10. Vos statis hodie omnes vos coram Domino Deo vestro, Principes vestri, Tribus vestræ, & seniores vestri.] Quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, ideò Moses explicat omnes adesse.

Et Doctores.] Legendum est, *& Senatores vestri.* Significantur enim Patres conscripti, prælati aliis.

Omnis vir Israël,

Vers. 11. Paruuli vestri, vxores vestræ, & aduenæ tui, qui tecum morantur in

in castris, exceptis lignorum cęsoribus, & iis, qui comportant aquas.] Oppositum habetur Hebraïcè: *Ab incisore lignorum tuorum vsque ad haurientem aquas tuas.* Non enim excipiuntur, sed comprehenduntur præsentes, etiam peregrini vilissimæ conditionis.

Vers. 12. Vt transeas in fœdus Domini Dei tui, & in iusiurandum eius: quę Dominus Deus tuus percutit tecum hodie.] Ecce ad quid præsentes erant omnes, ad firmandum fœdus iuramento cum Deo.

Vers. 13. Vt suscitet te sibi in populum, & ipse sit Deus tuus.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Vt leuet te hodie sibi in populum, & ipse sit tibi in Elohim, vt sicut locutus est tibi, & sicut iurauit patribus tuis, Abraham, Ishac, & Iahacob.* Ecce materia fœderis hinc, & inde satis clara ex suprà declaratis.

Vers. 14. Nec vobis solis.] Hebraïcè scribitur: *Et non cum vobis, solis vobis ego ferio fœdus hoc, & iuramentum hoc.* Emphasis enim quædam est idiomatis.

Vers. 15. Sed cunctis præsentibus, & absentibus.] Latior est Hebraïca litera.

Quia cum eo, qui est ipse hîc nobiscum stans hodie coram Iehouah Elohe nostro, & cum eo, qui non ipse hîc nobiscum hodie.] Comprehendit enim sermo iste etiam nasci turos.

Vers. 16. Vos enim nostis, quomodo habitauerimus in terra Ægypti, & quomodo transiuerimus per medium nationum, quas transeuntes,

Vers. 17. Vidistis abominationes, & sordes[e] (id est, idola,) eorum, lignum, & lapidem, argentum, & aurum, quæ colebant.] Interpres ad claritatem sensus apposuit, *id est, idola.*

Vers. 18. Ne fortè sit inter vos vir, aut mulier, familia, aut Tribus, quæ cor suum auertat hodie à Domino Deo vestro, vt vadat, & seruiat Diis gentium istarum.] Ratio redditur exactæ præsentiæ omnium, & sit inter vos radix germinans fel, & amaritudinem. Hebraïcè prima dictio interpretata, *fel*, significat *venenum*: altera autem in genere interpretatur *amaritudo*; in specie autem *absynthium*, vel aliquid huiusmodi. Sed parui refert: quoniam sententia clara est.

Vers. 19. Cúmque audierit verba iuramenti huius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et erit audiente illo verba iuramenti huius, benedicet sibi in corde suo dicens.* Ad excludendum erroneam opinionem alicuius maligni non præsentis huic fœderi, (impossibile enim erat tantam multitudinem virorum, ac mulierum, præsentem realiter fuisse audiendo & intelligendo verba fœderis;) tendunt hæc verba: manifestando, quòd si quis cuiuscunque sexus, vel conditionis talis fuerit, ita quòd, cùm audierit posteà verba, & sensum iurati fœderis cum tot execrationibus, putet se exemptum à vinculo huius fœderis, & consequenter à maledictionibus, & benedicat sibiipsi in corde suo; hoc est, promittat sibiipsi bona, dicendo:

Pax mihi erit.] Appellatione pacis exclusio omnium maledictionum suprascriptarum intelligitur.

Et ambulabo in prauitate cordis mei.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia in visione cordis mei ibo.* Hoc est, quia liber sum ab huius fœderis obligatione, & faciam, quod secundùm cor meum videbitur faciendum.

Et assumat ebria[f] sitientem.] Iuxta Hebræum habetur: *Vt addat* (seu, addam) *satiatam cum sitiente.* Anceps est Hebraïcus sermo ad primam, vel tertiam personam: est enim infinitiui modi. Et potest hic sermo intelligi, vel quòd sit Mosis, vel quod sit illius maligni putantis se exemptum. Vtrouis autem intelligas modo, prouerbium sonat metaphoricum, quemadmodum apud nos describi solet libertas hominis ad malum prouerbio faciendi ex omni herba fascem: sic enim tunc consueuerat libertas ad malum describi prouerbio addendi satiatam cum sitiente: significatur enim per huiusmodi prouerbia, propensio ad iungendum sibi, quæcunque inter sese dissonant. Et propterea, si in prima persona leguntur, ipsemet malignus explicat libertatem suam ad malum: si autem leguntur in tertia persona, Moses hoc prouerbio explicat malam illius maligni libertatem.

Vers. 20. Et Dominus non ignoscat ei.] Iuxta Hebræum habetur: *Non volet Iehouah parcere ei.* Recitata opinione putantis se exemptum ab hoc fœdere, & propterea impunem posse agere, quod libebit, subiungit Moses falsitatem huiusmodi opinionis, manifestando, quòd Deus non parcet ei.

Quia tunc fumabit furor Domini, & zelus eius in virum talem.] More humano Deus describitur iratus, ad significandum, quòd valdè Deo displicet huiusmodi opinata exemptio. Et hæc omnia ideò explicauit Moses, vt nullus, nullàve falleret se, putando, se non astringi huiusmodi fœdere, se non subiici huiusmodi maledictionibus: quia intelliguntur omnes consensisse fœderi, qui non manifestè contradixerunt.

Et accubabit in eo omnis maledictio, quę scripta est in libro isto:

Vers. 21. Et delebit Dominus nomen eius de sub cælo, & separabit eum Dominus in malum ex omnibus Tribubus Israël, iuxta omnes maledictiones fœderis scripti in libro legis huius.

Vers. 22. Dicétque sequens generatio: Filij vestri, qui surgent post vos; & peregrinus, qui de longinqua terra veniet: & videbunt percussiones terrę huius, & infirmitates eius, quibus eam afflixit Dominus.] Perpende contextum: declarato consensu omnium, & singulorum ad fœdus, statim subiungitur pœna populi violantis fœdus, & noua adiungitur punitio: videlicet, similis exustioni quatuor ciuitatum tempore Abrahæ. Quæ tamen pœna adhuc executioni mandata non apparet: qua autem ratione, non est nostrum scrutari.

Vers. 23. Sulphure, & Solis ardore[g] comburens.] Iuxta Hebræum habetur: *Sulphur, & salis combustio.* Mutauerunt enim fortè Scriptores salem in Solem. Vrit enim sal cum sulphure vstione pessima.

Ita vt vltrà non seratur, nec virens quippiam germinet.] Hebraïcè habentur tria; videlicet: *Omnis terra eius non seretur, & non florebit, & non ascendet in ea omnis herba.* Sensus est clarus.

[e] Sub sordis nomine simulacra, idola, imagines, icones, titulos, vel picturas, prohibet scalpere, incidere, fundere, fingere, vel pingere. Cæterùm tituli, quarum sæpius mentio est in Scripturis, columnæ erant mirę celsitudinis, in quibus ponebant simulacra, vt à remotis cõspicerentur, adorarẽtur, & venerarentur, appareréntque idola honorabiliora ex columnæ celsitudine.

[f] Ebrium vocat idololatrã, falsis opinionibus plenum: sitiẽtem verò, qui auidus noscendæ pietatis quodlibet pro quolibet accipit, & bibit; ebriúmque hunc seducere, est ebrium sitientem assumere.

[g] Hanc vltionem minatus est Esaias Babyloniis, Hier. 49. Idumæis, Amos 4 Israëlitis, Sophoniæ 2. Moabitis: sacris enim Scriptoribus is mos solennis fuit, vt per antonomasiam quandam siue allegoriam, Sodomorum euersione quamlibet duriorem Dei vltionẽ significarent. Sic Psalmographus Psal. 12.

Iuxta

cùm vellet plusquam ditam vltionem sumendam de suis persecutoribus prædicere, Sodomorum euersionem iis imminere cecinit, eamque per partes suas explicauit.

Iuxta subuersionem Sedom, & Hamorę, Admę & Seboim, quas subuertit Dominus in furore suo, & in ira sua.

Vers. 24. Et dicent omnes gentes: Quare sic fecit Dominus terrę huic? quæ est ira furoris huius magni? Et respondebunt:

Vers. 25. Quia dereliquerunt pactum Domini Dei Patrum suorum, quod pepigit cum eis, quando eduxit eos de terra Ægypti.

Vers. 26. Et iuerunt, & seruierunt Diis alienis, & adorauerunt eos: Deos, quos non nouerant, & quibus non fuerant attributi.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non partitus est eis.* De alienis diis nominatis, *Elohim.* in litera est sermo, exaggerando, quòd huiusmodi Deos, ad quos declinauerunt, nec ipsi Israëlitæ nouerunt, nec ipsi Dij partiti sunt Israëlitis terram: vt omni ex parte magnificetur eorum crimen.

Vers. 27. Et iratus est furor Domini in terram istam: vt induceret super eam omnem maledictionem, quæ in hoc libro scripta est.

Vers. 28. Et eiecit eos Dominus de terra ipsorum in ira, & in furore, & in indignatione magna; proiecitque in terram alienam, sicut hodie comprobatur.

Vers. 29. Abscondita à Domino Deo nostro[b].] Iuxta Hebræum habetur: *Abscondita Domino Deo nostro: & detecta nobis, & filiis nostris vsque in sæculum.* Absque verbo loquitur Moses, subintelligendo verbum substantiuum. Et est sensus, quòd diuina iudicia suprascripta non sunt ratione naturali cognita; sed sunt in genere, & ordine reconditorum apud diuinam notitiam: excedunt enim non solùm lumen rationis humanæ, sed etiam naturale lumen cuiuscunque creaturæ diuina iudicia: & propterea tantò maius est beneficium nobis, & filiis nostris collatum à Deo, in hoc, quòd manifestauit nobis iudicia sua. Et dixit hoc Moses, vt populus audiens tot maledictiones, & iudicia, non putaret esse minas, & agnosceret beneficium diuinum in hoc, quòd recondita apud Deum reuelantur ei.

b Pertinēt & hæc ad actimoniam admonitiones, quasi diceret, secreta illa, quæ Deus cogitat super nos, vt maledicat, & benedicat, nobis, & nō aliis gentibus reuelantur; sed non frustra: ac si diceret: ideò timete eū, qui talia reuelat: nam eo reuelat, vt terreat vos, & certi sitis ventura ea omnia, si non seruaueritis statuta legis huius.

Vt faciamus omnia verba legis huius.] Ecce fructus diuinæ reuelationis: ad hoc enim tendit, vt seruemus verba legis diuinæ.

CAPVT XXX.

VERS. 1.

CVm ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio, & maledictio, quam proposui in conspectu tuo.] Iuxta Hebræum habetur: *Benedictio, & maledictio, quas dedi in facie tua.* Tractat enim de tempore futuro, quo vtranque experti fuerint, benedictionem priùs, & deinde maledictionem. Tempus enim illud futuræ pœnitudinis intendit describere, vt clarè testantur subiuncta.

Et ductus pœnitudine cordis tui.] Iuxta Hebræum habetur: *Et reuerteris*[a] *ad cor tuum in omnibus gentibus, in quas eiecerit te Dominus Deus tuus.* Primum hominis motum rediturі ad Deum, describit reditum ad cor proprium: significatur enim insinuando per hoc, quòd recedendo à lege Dei, receditur à proprio corde, elongatur homo à seipso.

a Ad cor redire, dicunt Hebræi, quomodo Latini ad bonā mentem. Esa. 46 *Considerate illud, & animum resumite, redite ad cor, ô præuaricatores.*

Vers. 2. Et reuersus fueris ad eum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et reuerteris vsque Iehouah Elohe tuum.* Vide progressum. Priùs redit ad cor proprium, & inde redit vsque ad Deum. Idcircò enim annotaui hæc, vt Hebraice habentur: quia vniuersa peccatoris conuersio hîc relucet. Et ne quid desit, subiungitur promptitudo ad parendum diuinæ legi.

Et obedies voci eius iuxta omnia, quę ego præcipio tibi hodie cum filiis tuis.] Legendum est: *Tu, & filij tui, in toto corde tuo, & in tota anima tua.* Et est sensus, quòd huiusmodi conuersio communis est, tam tibi, quàm filiis tuis: vt perpenderetur, quòd, siue tempore ipsorum, siue tempore filiorum eorum hæc euenient, pœnitudinis gratiæ locus erit, dummodo reuersio sit ad Deum in toto corde, & in tota anima.

Vers. 3. Reducet Dominus Deus tuus captiuitatem tuam[b], & miserebitur tui: & reducet, ac congregabit te de omnibus populis, in quos te dispersérit Dominus Deus tuus.

b Est hic vnus ex potioribus Scripturæ locis, quem Iudęi pro se citant, & Christianis perpetuò obiiciunt, nempe, quòd iam sint in vltima captiuitate in quatuor dispersi mūdi plagas, vbi expectant Messiā, qui illos iterum in vnum congreget, Scripturā inquientes non adimpletam in captiuitate Babylonica, cū non in quatuor plagas tunc fuerint dispersi, nec nisi duę tribus eo tēpore in terrā Israel redierint, aliis decem in Assyria manētibus. Verū Nehemias, cap. 1 hūc locū in captiuitate Babylonica impletū intellexit. Idem Esdras 1. ex quibus manifestè, conuincitur Iudæorum obstinata perfidia.

Vers. 4. Si ad extremum cæli fueris eiectus, inde congregabit te Dominus Deus tuus, & inde accipiet te.

Vers. 5. Et venire faciet te Dominus Deus tuus ad terram, quam possederunt patres tui: & obtinebis eam, & benefaciet tibi, & multiplicabit te magis, quàm patres tuos.

Vers. 6. Et circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui.] Verè describit Moses gratiam conuersionis peccatoris ad Deum: nam vbi actiones ex parte hominis pœnitentis descripsit, ascendit ad actiones ex parte Dei concurrentes ad veram hominis pœnitentiam: huiusmodi enim diuina actio significatur dicendo, quòd circuncidet cor tuum: circuncisio enim cordis est abscissio vitiorum, vtpote tegentium cor in immunditia eius: impossibile est enim conuerti hominem ad fructuosam pœnitentiam absque Deo circuncidente cor.

Vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, propter vitam tuam.] Ecce fructus diuinæ actionis. Vbi, prudens lector, perpende, quòd vna atque eadem actio (videlicet, diligere Deum toto corde, & vita,) describitur actio quidem nostra, sed pendens à gratia circuncisionis spiritualis.

Vers. 7. Et dabit Dominus Deus tuus omnes maledictiones istas super inimicos tuos, & super odio habentes te, qui persecuti sunt te.

Vers. 8. Et tu reuerteris, & audies vocem Domini, faciésque omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie.

Vers. 9. Et abundare faciet te Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum, in fructu ventris tui, & fructu iumenti tui, & in fructu terræ tuæ in bonum: quia reuertetur Dominus, vt gaudeat super te in bonum, sicut gauisus est super patres tuos.

Vers. 10.

Verſ. 10. Quia audies vocem Domini Dei tui,ad cuſtodiendum præcepta,& ſtatuta eius, ſcripta in libro legis huius: quia reuerteris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo , & in tota anima tua.

Verſ. 11. Quia mandatum hoc, quod ego præcipio tibi.] Ad differentiam innumetabilium præceptorum legis ſcriptæ dicit, *mandatum hoc*, videlicet, internæ conuerſionis ad Deum : ante hoc ſiquidem capitulum tractauit Moſes de præceptis externis; adiunctis tamen internis : modò autem de acquiſitione internorum præceptorum, (quibus anima iuſtificatur apud Deum iuſtitia fidei, ſpei, & dilectionis diuinę,) tractat:propoſuerat enim ſuperiùs ſæpè diligendum eſſe Deum ex toto corde, & hoc eſſe præcipuum requiſitum à Deo: ſuperetat, vt conditiones huiuſmodi interni præcepti manifeſtaret.

Non ſupra te eſt.]Iuxta Hebræum habetur : *Non ſeparatum ipſum à te, neque procul poſitum.*

*V.*12.Nō in cælo eſt,vt dicas:Quis aſcēdet nobis in cælum,& capiet illud nobis, & audire faciet nos illud , & faciemus ipſum[c].] Ad differentiam præceptorum externorum de ſacrificiis, & aliis exterioribus in lege mandatis, negantur quatuor de hoc interno præcepto. Et primùm tria ſimul : videlicet,quòd non eſt in cælo ſitum,nec procul poſitum, nec eſt ſeparatum à te:quemadmodum lex ſcripta eſt à quolibet ſeparata,& procul poſita ab iis, qui diſperſi erunt.

c Vide Paulum Rom. 10. qualiter locum iſtum citet, & interpretetur.

Verſ. 13. Et non trans mare eſt, vt dicas : Quis tranſibit nobis mare,& capiet illud nobis, & audire faciet nos illud, & faciemus ipſum.] Quartum negatum ſubiungitur,ad differentiam etiam legis ſcriptæ.

Verſ. 14. Sed iuxta te eſt ſermo valdè.]Parui refert,quòd Hebraïcè habetur:*Quia appropinquauit verbū ipſū tibi valdè , in ore tuo, & in corde tuo ad faciendū ipſum.* Poſt quatuor negationes ſubiūgitur affirmatio propinquitatis huius mādati cuilibet homini,vbicūque fuerit:propinquitatis autem non modicæ,ſed valdè,vtpote & in ore tuo, & in corde tuo : tam ſiquidem ſpiritualis circuncìſionis gratia,quàm reuerſio ad cor proprium vſque ad Deum cum diſpoſitione animi ad parendum Deo;propinqua valdè eſt internis animæ viribus,ita vt propinquior eſſe non poſſit. Et fit etiam mentio oris : quia *corde creditur ad iuſtitiam , & ore fit confeſſio ad ſalutem.*Hoc eſt mandatum , à quo nullus excuſare ſe poteſt.*Hoc eſt mandatum*(vt ſcribit Paulus ad Rom.) *quod prædicamus in lege euangelica.*

Verſ. 15. Vide, dedi coram te hodie vitam, & mortem , bonum , & malum. Qui præcipio tibi hodie,

Verſ. 16. Vt diligas Dominum Deum tuum,ambulando in viis eius , & cuſtodiendo mandata , ac ſtatuta, & iudicia eius : & viues,ac multiplicaberis , & benedicet tibi Dominus Deus tuus in terra,ad quam poſſidendam ingrederis.

Verſ. 17. Si autem auerſum fuerit cor tuum , & non audieris, atque errore deceptus adoraueris Deos alienos , & ſeruieris eis,

Verſ. 18. Prædico vobis hodie, quòd pereundo peribitis : non prolongabitis dies [d] ſuper terram , ad quam tranſis Iarden , vt ingrediaris ad poſſidendum eam.

d Impij,etiam Neſtoreos annos viuentes, dimidium annorum non attingunt : nam quando mortis prorſus ſunt immemores, multa moliūtur,multa proponunt animo, & machinantur in bonorum virorū perniciem : itaque mors inopinata ſemper opprimit multa cogitātes,& nondum paratos , quippe multas technas etiam nunc ſtruunt, quæ aliquot annorum cēturias deſiderent,quo pleniùs abſoluantur. Hoc eſt, quod Spiritus ſacer, Pſal 54 his verbis explicat *Viri ſanguinum non dimidiabunt dies ſuos.*

Verſ. 19. Teſtes inuoco vobis hodie cælum, & terram :] Hoc eſt , habitantes in cælis , & in terra : vel quatenus teſtificari poſſint factis bonis , vel malis, non ſecundùm ſe, ſed ſecundùm quod regimini angelico ſubduntur : nam ſic & cæleſtia,& terreſtria corpora poſſunt inuocari in teſtes.

Vitam, & mortem dedi coram te, benedictionem , & maledictionem : elige vitam, vt viuas tu, & ſemen tuum.

Verſ. 20. Vt diligas Dominum Deum tuum, obediendo voci eius, & illi adhærendo : quia ipſe eſt vita tua , & longitudo dierum tuorum , vt habites ſuper terram , quam iurauit Dominus Patribus tuis(Abraham Iſhac, & Iahacob,) ad dandum eis.] Intellige hæc de vita , & longitudine dierum , non formaliter , ſed effectiuè : hoc eſt , ipſe eſt largitor , tum vitæ tuæ , id eſt , ſingulorum ; tum longitudinis dierum populi ad habitandum in terra promiſſa patribus.

CAPVT XXXI.

VERS. 1.

ABiit itaque Moſes.] Iuxta Hebræum habetur : *Et iuit Moſes,& locutus eſt verba iſta ad omnem Iſraël.* Aliud ſermonis initium inſinuatur alio die factum.

Et dixit ad eos:

Verſ. 2. Filius centum, & viginti annorum ſum hodie : non poſſum vltrà egredi[a],& ingredi.]Hebraïcè habetur : *Non potero*.ita quòd non negat præſentem , ſed futuram potentiam : rationem ſiquidem reddit futuræ impotentiæ ex ætate , quanuis tantæ incolumitaris,vt nec caligauerit oculus eius , nec fugerit viror eius : vt in vltimo huius libri capitulo dicitur. Et more Hebraïco per *ingredi*, & *egredi* ſignificatur vniuerſitas actionum,quę communiter indigent corporali exercitatione egrediendi ad prouidendum, & regrediendi, viciſſitudines frequentando.

a *Egrediendi* verbo Hebræi vtuntur pro habitandi, & conuerſandi. *Omnes*, inquit,*qui ex ea vrbe egrediuntur*, pro omnes,qui in ea vrbe viuunt. Eſa 55. *Quia in lætitia egrediemini*,&c.

Præſertim cùm & Dominus dixerit mihi.] Hebraïcè habetur : *Et Iehouah dixit mihi : Non tranſibis Iarden iſtum.* Futuræ ex ætate impotentiæ adiungitur ratio imminentis ei mortis ex diuina reuelatione.

Verſ. 3. Dominus Deus tuus ipſe tranſibit ante te , ipſe diſperdet gentes iſtas à facie tua, & hæreditabis eas. Iehoſuah ipſe tranſibit ante te , ſicut locutus eſt Dominus.[b]] Ad hoc tendunt verba omnia hæc Moſis : ad ſubrogandum, videlicet,Iehoſuah in ducem populi, loco ipſius Moſis.

b Hinc Pſal. 60. memoratur Sanctorum querela, Deum nō egredi in exercitibus ſuis:*egredi* autem *Dominum ante populum ſuum* , eſt ipſum pro illo ſuam exercere virtutem.

Verſ. 4. Facietque Dominus eis, ſicut fecit Sichon , & Hog Regibus Emorræorum , & terræ eorum,quos diſperdidit.

Verſ. 5. Et dabit eas Dominus ante faciem veſtram : & facietis eis iuxta omne præceptum,quod pręcepi vobis.

Verſ. 6.

Verſ. 6. Viriliter agite, & confortamini: non timeatis, & non paueatis à facie eorum: quia Dominus Deus tuus ipſe ibit tecum, non deſeret, nec derelinquet te.

Verſ. 7. Vocauítque Moſes Iehoſuah, & dixit ei coram omni Iſraël: Confortare, & eſto robuſtus: quia tu introduces populum iſtum in terram, de qua iurauit Dominus Patribus eorum, quòd daret eis.] Priùs declarauit populo ſucceſſorē ſuum fore Iehoſuah: deinde coram vniuerſo populo accerſitum ipſum conſtituit ſibi ſucceſſorem, ne poſt mortem Moſis quæſtio oriatur de ſucceſſore.

Et tu eam ſorte diuides.] Iuxta Hebræum habetur: *Et tu facies hæreditare ipſam eos.* Nihil dicitur de diuiſione, aut diuiſionis modo: ſed prædicitur, quòd ipſe executurus eſt diuinam promiſſionem factam patribus.

Verſ. 8. Et Dominus ipſe vadit ante te, ipſe erit tecum, non deſeret, nec derelinquet te: non timeas, nec paueas.

Verſ. 9. Scripſitque Moſes legem hanc: & tradidit eam Sacerdotibus filiis Leui, qui portabant Arcam fœderis Domini, & omnibus ſenioribus Iſraël.] Non caret quæſtione, quomodo verificatur, quòd Sacerdotes Leuitæ portantes Arcam fœderis Domini dicuntur: quia Num. 4 ſcriptū eſt, quòd Sacerdotum officium eſt, inuoluere contenta in Sancto Sanctorum: Cehathitarum autem officium erat portare illa. Solutio eſt, quòd hoc in loco ſuppletur, quod in libro Numeri tacitum fuit: portare ſiquidem Arcam Dei, pertinebat ad Sacerdotes ex officio, & hoc hîc manifeſtatur: portare autem eandem, ſpectabat ad Leuitas in articulo neceſſitatis; & hoc fuit ſcriptum Num. 4. Patet autem hæc eſſe vera ex geſtis: nam Iehoſuæ cap. 3. clarè patet, Sacerdotes portaſſe Arcam: & ſimiliter 3. Reg. 8. tempore Salomonis. Habenda ſiquidem eſt ratio temporum: nam tempore, quo portanda fuit Arca per deſertum, duo tantùm erant Sacerdotes ſimplices: & propterea Leuitis incubuit onus ferendi Arcam: tempore autem, quo Moſes hæc verba dixit prope mortem propriā, multiplicati erant Sacerdotes ex ſemine Aharon: & ideò Sacerdotes Leuitæ (hoc eſt, de Tribu Leui) ſcribuntur portantes Arcam Dei.

Verſ. 10. Præcepitque eis Moſes dicens: Poſt ſeptem annos.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *A fine ſeptem annorum.* hoc eſt, anno ſeptimo: nam ſeptimus annus eſt vltimus numeri ſeptenarij annorum.

In tempore remiſſionis in ſolennitate tabernaculorum,

Verſ. 11. Quando veniet omnis Iſraël, vt appareat coram Domino Deo tuo, in loco, quem elegerit, leges legem hanc coram omni Iſraël in auribus eorum,

12. Congrega populum virorum, & mulierum, & paruulorum, & peregrinorum tuorum, qui ſunt intra portas tuas: vt audiant, & vt diſcant, & timeant Dominum Deum veſtrum, & cuſtodiāt faciēdo omnia verba legis huius.

13. Et filij eorum, qui non cognouerunt, audiant, & diſcant timere Deum veſtrum, omnibus diebus, quibus viuitis ſuper terram, ad quam tranſitis, vt poſſideatis eam.] Intellige hoc præceptum, quoad vinculum debitæ præſentiæ omnium vtriuſque ſexus: ſingulis enim annis legebatur (vt patet) lex in feſto tabernaculorum; ſed non tenebantur omnes intereſſe: ſeptimo autem quoque anno tenebantur intereſſe omnes lectioni legis.

Verſ. 14. Et ait Dominus ad Moſen: Ecce propè ſunt dies mortis tuę. Voca Iehoſuah, & ſtate in tentorio adunationis, & pręcipiam ei.] Non ſat fuit, conſtitui populi ducem Iehoſuah a Moſe; ſed ab ipſo Deo approbari deſcribitur, admittendo eum ad diuinum colloquium.

Iuitque Moſes, & Iehoſuah, & ſteterunt in tentorio adunationis.

Verſ. 15. Et apparuit Dominus in columna nubis, quæ ſtetit ſupra introitum tentorij.] Mediante ſigno ſenſibili, quod ab omni populo videri poterat, approbat Deus ducatum Iehoſuæ.

Verſ. 16. Et dixit Dominus ad Moſen: Ecce tu dormies [c] cum patribus tuis: & ſurget populus iſte, & fornicabitur poſt Deos alienos terræ, ad quam vadit in medium eius, derelinquétque me, & franget pactum, quod pepigi cum eo.

[c] Si vlla eſt in Scripturis diuinis conſolatio, quæ hortetur, nō modò terū iacturam ob Dei amorem leuem eſſe, ſed vitam hanc parui æſtimare, ea potiſſimùm in hoc conſiſtit, quòd finē, & periodum noſtrā, non mortē, ſed ſomnum paſſim ſolēt appellare: hinc *dormire*, pro *mori* accipi, Hebræis non infrequens eſt, idque propter corpus, quod olim excitandum eſt. Sic Paulus mortuos *dormiētes* vocat 1 Theſſ. 4. propter futuram reſurrectionem, velut euigilationem. Et in ſæcularibus literis multa reperies, vbi mors ſomno comparatur, quæ Ethnici ex ſacris Literis deſumpſēre.

17. Et iraſcetur furor meus contra eum in die illo, & derelinquam eos, & abſcondam faciem meam ab eis, & erit in deuorationem; inueniéntque eum mala multa, & anguſtiæ: & dicent in die illo: Nónne quia non eſt Dominus mecum, inuenerunt me mala hæc?

18. Ego autem abſcondendo abſcondam faciem meam in die illo, propter omnia mala, quæ fecit: quia conuerſus eſt ad Deos alienos.] Apparens Deus Moſi, & Iehoſuæ, priùs alloquitur Moſen, reuelando ei futuram populi idololatriam in terra promiſſa cum adiecta pœna: reuelat enim ei materiam cantici ſcribendi.

Verſ. 19. Nunc itaque ſcribite vobis canticum iſtud, & doce illud filios: pone illud in ore eorum, vt ſit mihi canticum hoc in teſtimonium contra filios Iſraël.

20. Introducam enim eum in terram, pro qua iuraui Patribus eius, lacte, & melle manantem. Cúmque comederit, & ſaturatus, craſſúſque fuerit, conuertetur ad Deos alienos, & ſeruiet eis, irritabítque me, & franget pactū meum.

21. Et erit, cùm inuenerint eū mala multa, & anguſtiæ, reſpondebit canticū iſtud coram eo in teſtimonium, quia non tradetur obliuioni ab ore ſeminis eius]

Non solùm materiam cantici reuelat: sed etiam mandat, vt conditum canticum scribatur,& communicetur populo, vt cantet illud passim, & perseueret testimonium diuinum prædictæ iniquitatis populi,& pœnæ.

Scio enim cogitationes eius, quas facturus sit hodie, antequàm introducam eum in terram,quam ei pollicitus sum.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia sciui creationem eius,quam ipse faciens hodie, antequàm faciam venire ipsum ad terram, quam iuraui.* Et est sensus: quia hodie, antequàm introducam populum in terram promissam, sciui creationem eius; non quam ego Deus feci, sed quam ipse populus sibiipsi facit. Conditionem populi ad declinandum à Deo ad idololatriam, appellat creationem populi, quam ipsemet populus sibiipsi facit: quia voluntaria est, & non à Deo, qui non est causa, quod nos peccemus.

Vers. 22. Scripsitque Moses canticum istud in die illa: & docuit illud filios Israël:

Vers. 23. Præcepitque Dominus Iehosuah,filio Nun.] Postquam Deus allocutus est Mosen, alloquitur consequenter Iehosuah,constituendo ipsum ducem populi.

Et ait: Confortare, & esto robustus.] Parui refert, quòd Hebraïcè repetitur Imperatiuum fortitudinis; putà, inualesce: vt prima fortitudo referatur ad signa miraculorum; secunda autem ad vires armorum: vtroque enim modo fortis fuit, & præualuit Iehosuah.

Quia tu introduces filios Israël in terram, quam iuraui eis, & ego ero tecum.

Vers. 24. Cùmque complesset Moses scribere verba legis huius in libro,

Vers. 25. Præcepit Leuitis, qui portabant Arcam fœderis Domini dicens.] Dictio, *Leuitis*, nomen est Tribus,non gradus: Sacerdotibus enim præcipiebatur, quibus incumbebat ingredi tabernaculum.

Vers. 26. Tollite librum legis huius, & ponite in latere Arcæ fœderis Domini Dei vestri.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ponetis eum è latere Thecæ fœderis Iehouah Elohe vestri.* Non dicitur, quòd locetur liber intra Thecam, sed à latere eius: vt enim dicitur 3. Reg. 8. in Arca nihil aliud erat, nisi duæ tabulæ lapideæ decem præceptorum: sed volumen hoc locatum fuit in Sancto Sanctorum prope latus Arcæ.

Vt sit ibi contra te.] Hebraïcè habetur: *Et erit ibi in te in testimonium.* Tanquàm ad perpetuum testimonium fœderis initi de seruanda lege seruabatur ibi.

Vers. 27. Ego enim scio contentionem tuam, & ceruicem tuam durissimam.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Quia ego noui rebellionem tuam,& occiput tuum durum.*

Ecce adhuc me viuente vobiscum hodie rebelles estis Domino, quantò magis post mortem meam:

Vers. 28. Congregate ad me omnes seniores Tribuum vestrarum, atque Doctores.] Vt superiùs dictum est, Patres conscripti significantur per dictionem interpretatam Doctores.

Et loquar audientibus eis sermones istos, & contestabor in eos cælum, & terram.

Vers. 29. Noui enim, quòd post mortem meam corrumpemini, & declinabitis de via, quam præcepi vobis: & eueniet vobis malum in extremo tempore, cùm feceritis malum in conspectu Domini, irritando eum per opera manuum vestrarum.

30. Locutúsque est Moses, audiente vniuerso cœtu Israël, verba carminis huius,& ad finem vsque compleuit.

CAPVT XXXII.

VERS. 1.

AVdite[a].] Hebraïcè verbum ab aure deducitur, putà, *Auriculate, cæli.* Inuitantur enim cæli ad præbendum attentas aures.

Quę loquar.] Iuxta Hebræum habetur: *Et loquar,& audiet terra eloquia oris mei.* Quadrat calci præcedentis capituli, vt cæli, & terra inuocentur in testes dicendorum: ita quòd Moses, antequàm sermonem proponat, testes rogat cælos,& terram. Et in hoc arduam sermonis materiam significat, adhibendo in testes cælos, & terram: siue per cælos, & terram intelligas corpora cælestia, & terrestria, (vt in 30. cap. exposuimus,) siue habitantes in eis: totum enim vniuersum citat in testem.

Vers. 2. Concrescat in pluuiam.] Iuxta Hebræum habetur: *Effundetur, sicut pluuia, doctrina mea.* Modus, quo descendit pluuia vehemens significatur, videlicet, tanquàm cum impetu: sed sensus per metaphoram intentus est, quòd doctrina subiuncta est è Superis emanãs, necessaria, ac vtilis, sicut pluuia, & sicut ros.

Pluat vt ros.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Stillabit, vt ros, eloquium meum.* Modus enim, quo descendit ros, significatur.

Quasi imber super herbam.] Iuxta Hebræum circunlocutione opus est: quoniam significatur pluuia subtilis instar capillorum. Nec dicitur, *super herbam*; sed significatur potiùs herbarium, locus herbarum quasi promiscuè germinantium, desiderans pluuiam subtilem, quæ non spargitur; sed figitur, & penetrat. Legi itaque posset: *Sicut pluuia subtilis super germen.* proportionata enim doctrina incipientibus in via Dei significatur.

Et quasi stillæ super gramina.] Iuxta Hebræum circunlocutione opus est: quia aqua grandis super herbam significatur: ita quòd legi posset: *Et sicut pluuia super herbam.* significatur enim doctrina Mosis proportionata proficientibus in via Dei, quemadmodum herbis vtilis est magna pluuia: magnam autem hic intellige pluuiam, relatiuè ad pluuiam tenuem: significatur enim regularis pluuia, quæ dicitur magna respectu tenuis.

Vers. 3. Quia nomen Domini inuocabo[b].] Ecce manifesta ratio ardui sermonis, *nomen Iehouah*, qui dat esse omnibus.

[a] Optat auditores Moses, in quibus fructificet verbũ optat, doctrinã suã stillare, & fluere, sicut pluuiã, & rorẽ, sicut stillas, & imbrẽ super herbam, & gramẽ, hoc est, vt efficax & fructifera sit, ne frustrà canat, & surdo fabulã narret, cũ de rebus magnis, & necessarijs differat; hoc est, de vero Deo colendo, & de periculo Deum derelinquentium, & ad idola conuersorum: luculẽterque doctrinã Dei pluuiæ cõparat: nam, sicut ros, & pluuiæ irrigãt terrã, vt proferãt fructũ, sic doctrina hominẽ irrigat, vt iustitiã operetur. Hinc pluuiam Esaias pro doctrina accipit 5. cap. Et alibi: *Pluuiam voluntariam segre, abit* [illegible] de tollenda à Iudæis doctrina intelligens.

[b] *Nomen Domini inuocare*, est, Dei maiestatem colere, & lauda-

Date

te, illique religiosè seruite. Hinc intelliges illud Gen. 5 tēpore Enos esse inceptū inuocare in nomine Domini: hoc enim perinde est, ac si dixisset: Hactenus per Cainitatum impietatem factum erat, vt nomē Domini, id est, majestas Dei, veraq; religio parū coleretur: nunc verò, cùm Dominus ipsi Seth daret liberos, cœpit in his restaurari verus Dei cultus hactenus collapsus.

Date magnificentiam.] Iuxta Hebræum habetur: *Date magnitudinem Elohe nostro.* Hactenus velut proœmium cantici fuit: hinc verò incipit doctrina cantici: & primùm monet referre in Deum magnitudinem; hoc est, agnoscere Deum, qui colitur ab Hebræis, (qui vocatur Iehouah, qui est fons essendi,) esse antonomasticè magnum, non mole, sed virtute.

Vers. 4. Dei perfecta sunt opera.] Iuxta Hebr. habetur: *Sur perfectum opus eius.* Agnoscendus mandatur Deus, non solùm magnus, sed etiam Sur, (hoc est, fortis, id est, summè fortis,) & opus eius agnoscendum est perfectum: *Vidit enim cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Ipsum itaque vniuersum appellat opus eius perfectum: nihil enim illi deest, nec aliquid superflui continet. Et est verè opus Dei; vtpote ab ipso solo creatum: quanuis possit hoc intelligi de quolibet Dei opere, quatenus est à Deo, quicquid sit de opere operato in seipso: cum hoc enim, quòd res facta est in seipsa imperfecta (qualis est homo cæcus) stat, quòd quatenus est à Deo, sit perfecta: quia actio diuina perfecta est; sed factum aliunde habet imperfectionem.

c *Viæ Domini* sūt eius consilia, instituta, & opera, quibus suis consulit tam amātèr, benefacit largiter, defendit præpotēter. Inquit ergo, vt magnificentiam dent Domino, id est, vt nihil majestatis, aut potestatis tribuant, nisi vni Deo, cuius solius est majestas, magnitudo, & potestas: omnes verò alij Dij vani, mendaces, nihil sunt.

Et omnes viæ [c] eius iudicia.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia omnes viæ eius iudicium.* Redditur enim ratio perfectionis vniuersi, seu cuiusque diuinæ operationis, ex hoc, quòd omnes viæ Dei sunt iudicium; hoc est, sunt ius dicentes, sunt rationabiles, non declinantes à iure; sed rationes iudiciorum apud Deum latent, nec sunt nobis in specie manifestæ. Ex hoc enim, quòd omnes viæ Dei, quibus regit mundum, iudicium sunt, (hoc est, iuri innituntur,) manifestè sequitur, quòd nihil imperfectionis admiscetur diuinæ operationi. Nec eximuntur à iudiciis diuinæ miserationes: quoniam iuri diuinæ dispositionis innituntur omnia misericordiæ opera.

Deus fidelis, & absque vlla iniquitate, iustus, & rectus.] Sensus benè redditur: quanuis Hebraïcè legatur in abstracto: *El veritas, & non iniquitas; iustus, & rectus ipse.* Quia El diuinum nomen, commune erat vero Deo & Diis secundùm opinionem; ideò declarat conditiones veri El, qui colitur ab Hebræis, quòd est ipsa fidelitas, quòd aliena est à Deo omnis iniquitas: ad differentiam Dæmonum, qui colebantur pro Diis, qui sunt fallaces & iniqui. Et adiungitur, quòd est iustus, & rectus: ad manifestandum cum summa fortitudine seruare iustitiam cum vera rectitudine, quæ sunt rarissimæ conditiones eorum, qui valdè fortes, potentésque sunt: rarus est enim fortis, qui vel non iniquus, aut fallax quandoque sit, qui ius suum vnicuique reddat, qui in omnibus rectitudinem seruet.

d Prophetat Moses, qualiter non erant mansuri in vero cultu Dei, erantq; optimo patri peccaturi; ita vt iam non vt filij propter vitiosā religionem; sed vt generatio praua, vt spurij, & aduersarij habendi essent.

Vers. 5. Peccauerunt ei, & non filij eius in sordibus [d].] Iuxta Hebræum habetur: *Destruxit ei, non filij eius, macula eorum; generatio praua, & peruersa.* Quemadmodum conditiones Dei scripsit; ita describit summariè conditiones populi Israël, ad quatuor capita colligendo eas. Primum est destructio eorum, quæ ad Deum sunt; hoc est, destructio diuini cultus, diuinæque legis. Et hinc sequitur secundum, quòd priuati sunt filiatione, & hæreditate Dei: ex eo enim, quòd ipsi non innixi sunt diuinæ legi, reddiderunt se indignos adoptiua filiatione; & consequenter hæreditate Dei. Tertium verò (videlicet, *macula eorum*) significat, quòd ipsimet faciunt sibi hanc maculam: verè eorum est macula: quoniam liberè ex seipsis se maculant peccatis auersionis à Deo. Quartum autem manifestè sonat genus illud Hebræorum, tanquàm inditas habere duas conditiones; videlicet, obliquitatem, & versionem: hoc est, quòd pronum est ad declinandum à recto, & auertendum cultum diuinum in cultus Deorum gentium. Istas quatuor conditiones populi non ea ratione dicit, quòd tunc fuerint, sed prophetando, & prædicendo futura: nam in præcedenti capitulo reuelauerat ei hoc Deus.

Vers. 6. Hæcne reddis Domino, popule stulte, & insipiens [e]?] Dirigit Moses sermonem ad populum, arguendo illum.

e Hic incipit exprobrare ingrato populo quod beneficentissimum Patrem, & qui tot illos cumulauerat beneficiis, derelinquerent.

Nonne ipse est Pater tuus, qui possedit te.] Iuxta Hebræum habetur: *Emptor tuus.* Commemoratur enim beneficium redēptionis ex seruitute Ægyptiaca; non pretio pecuniæ, sed miraculorum.

Ipse fecit te, & creauit te.] Iuxta Hebræum habetur: *Et direxit te?* Quatuor siquidem beneficia commemorantur: paternitatis adoptiuæ, de qua scriptum est Exod. 4. *Primogenitus meus Israel.* redemptionis ex seruitute Ægyptiaca: efficientiæ, qua, videlicet, effecit ipsum populum liberum: & demum directionis quadraginta annis in columna nubis per desertum, & per legem [f] instruendo, &c.

f Hinc habes, nulla tempora suis Doctoribus, monimentis, & Scripturis caruisse, ad quæ hic illos remittit Moses.

Vers. 7. Memento dierum antiquorum.] Quanuis Hebraïca dictio sonet *perpetuitatem*, (quam Hebræi *sæculum* interpretantur,) Interpres videtur benè sensum reddidisse: quoniam subiuncta non remittunt ad æternitatem, sed ad tempora post diluuium.

Cogita generationes singulas.] Iuxta Hebræum habetur: *Intelligite annos generationis, & generationis.* Annos proculdubiò multarum generationum præteritarum considerandos monet.

Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur, *senes tuos:* in idem enim redit sensus.

Et dicent tibi.

Vers. 8. Quando diuidebat [g].] Iuxta Hebræum habetur: *Quando faciebat hæreditare Excelsus gentes.* Tanquā iure hæreditario quælibet gens terram accepit, vt suam, quam occupauit in principio diuisionis terræ.

g Incipit ex ordine numerare beneficia in populum ingratū sparsa, & perdita, scilicet, quòd cùm in turri Babel dispergerentur homines ad populandam terram, solos duodecim in vnaquaque lingua relinquebat, ita vt duodecim vnum populum conficerent, quæ superiùs iam exposuimus.

Quando separabat filios Adam.] Non te fallat nomen Adam, & putes, sermonem esse de diuisione terræ ante diluuium tempore primi parentis factæ: quoniam Adam apud Hebræos nomen est commune, sicut apud nos homo. Et hic est sermo ad literam de diuisione terræ facta post diluuium: illa enim scripta est, & illam senes annunciare poterant filiis, quam ex Genesi didicerant.

Constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israël.] Iuxta Hebræum habetur: *Faciet stare terminos populorum in numero filiorum Israel.* Sententia obscura est: & oportet sensum intelligere

fultum non ambiguis, sed Scripturæ sacræ testimoniis. Considera, prudens lector, contextum: & perpendes singulare quoddam beneficium à Deo decretum filiis Israël tempore, quo diuisa est terra, significari: ad hoc enim planus sensus literæ contextus suauiter ducit, hunc sensum verbum futuri temporis, *faciet stare* (seu, *statuet*) insinuat. Modus itaque singularis prouidendi filiis Israël de terra propria, describitur dicendo, quòd quando Deus diuisit terram gentibus, decreuit futuros terminos temporis, & locorum populis multis relatiuè ad numerum filiorum Israël constituentem perfectum populum regni. Et significatur per hoc magna Dei cura ad prouidendum filiis Israël de terra propria: nam hinc habetur in primis, quòd ex quo Deus diuisit terram, decreuit locum terræ proprium filiis Israël. Habetur secundò, quòd singulari quodam modo Deus tunc decreuit locum proprium filiis Israël: nam aliis gentibus diuisit terram per familias: vnaquæque enim familia appropriauit sibi aliquam terræ partem, & propagando filios extendit habitationem: filiis autem Israël non sic dedit terram propriam, nec reseruauit eis aliquam partem terræ inhabitatam & incultam: sed decreuit eis terram Chenahan, statuendo terminos locorum, & temporum, infra quos populi alij habitarent, & colerent terram illam, ita vt filij Israël habituri essent terram habitatam, & cultam. Habetur tertiò, quòd modus iste singularis prouidendi filiis Israël de terra, consistit in constitutione terminorũ, locorum, & temporum relatiuè ad numerum filiorum Israël; hoc est, relatiuè ad tempus, quo filij Israël erunt in numero sufficienti ad constituendum regnum: hoc enim significatur dicendo: *Statuet terminos populorum in numero filiorum Israel.* Statuti sunt enim à Deo multorum populorum termini relatiuè ad multitudinem filiorum Israël: vsque adeò vt superiùs scriptum sit, quòd non simul delebit Deus populos terræ promissæ filiis Israël: quia multitudo filiorum Israël non est tanta tempore Iehosuæ, vt sufficere possit ad habitandum, & colendum vniuersam terram promissam. Lege, prudens lector, & libra perspicaciter scriptas in Genesi promissiones diuinas ad Abraham de multiplicatione in gentem magnam, de peregrinatione quadringentorum annorum, de terra Chenahan: & percipies (ni fallor) hunc sensum quadrare huic literæ: præter id, quod contextus citat, & complectitur ipsum. Vnde & ratio tanti beneficij statim subiungitur.

Vers. 9. Pars autem Domini [b] populus eius: Iahacob funiculus hæreditatis eius.] Legendum est: *Quia pars Iehouah populus eius: Iahacob sors hæreditatis eius.* Cernis profectò, quàm quadret ratio hæc exposito sensui.

[b] Ecce primum beneficium: cùm enim diuisisset Moses, totius orbis populos initio per duodenũ numerum diuisos, cumq; in orbe tot essent populi, & duodenæ, nullam tamen ex illis elegit sibi in populũ Dominus, cuiusũ peculiariter esset Deus; sed pars & dos sena Domini filij Iacob fuerunt, ita vt Iacob fieret funiculus, id est, mensura, diuisiones, & limites, quibus diuisa est Domini hæreditas à cæteris gentibus: omne enim Iacob semen, & nullum aliud in hæreditatem suscepit. Funiculus vsu Scripturæ limites hæreditatis significat, metaphora sũpta à re corporea: nam funiculis olim metiebantur agri: vnde funiculus nonnunquam pro ipsa hæreditate: *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* Psal. 15 & Ps. 77. *Sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis.* Cæterùm, quod sequitur: *Inuenit populum,* &c. de acquisitione illa loquitur, qua Dominus in monte Sinai per suũ fœdus populum accepit: verbũ enim inuenire, pro acquirere, accipere, merere, & reddere accipitur frequenter.

Vers. 10. Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis.] Dictio interpretata, *inuenit*, anceps est ad inuenire, vel sufficere. Et quia minùs quadrat historiæ inuentio populi Israël in deserto (quoniam Deus non inuenit eũ in deserto, sed duxit eum in desertum: vt clarè scribitur Exod. 13.) ideò altera significatio eligenda est. Et quia futuri est temporis, legendum est:

Sufficiet ei in terra deserti, & vacui, vlulatus desolationis.] Testatur historia scripta à Mose, quòd Deus prouidit populo ad sufficientiam victus, & vestitus annis quadraginta; quamuis fuerit in terra deserta, & vacua frugibus, digna mœrore, desolatáque hominũ cultura, & habitatione: huiusmodi enim diuina beneficia hîc commemorantur. Et futurũ, sufficiet, non ad tempus conditi cantici, sed ad tempus decreti statuti de terminis refertur.

Circunduxit eum, & docuit, & custodiuit eum, quasi pupillam oculi sui.] Iuxta Hebræum omnia hæc verba sunt futuri tẽporis; *circumibit eum; intellectificabit eum; custodiet eum, vt pupillam oculi sui.* Diuinæ actiones erga populum Israël annis quadraginta in deserto describuntur: declarando, tempus illud fuisse tempus, tum custodiæ, tum instructionis. Et intelliguntur actiones istæ relatiuè ad adolescentes, & succedẽtes patribus extinctis in deserto, instar siquidem circumeuntis vigilando super aliquos describitur Deus respectu illorum. Fictum est autem verbum, *intellectificabit*, ad reddendũ Hebraicam dictionem: describitur enim Deus faciẽs eos intelligentes. Et omnia describuntur verbis futuri temporis, ad insinuandum perseuerantiam diuinam in istis actionibus.

Vers. 11. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, super eos volitãs.] Optimè sensus redditur, intelligendo per volitare volatum absque agitatione alarum, quasi alis immotis; vt sæpè videmus huiusmodi aues rapaces volare. Et vt perspicias optimè Interpretẽ reddidisse sensum Hebraïcæ literæ, subiungo literam Hebraïcam ad verbum: *Sicut aquila faciendo mouere nidum suum supra pullos suos mouebit.* Et dictio interpretata, *mouebit*, (vt aiunt Hebræi in lingua illa doctissimi,) significat motum alarum absque earũ agitatione, qui est volare expansis alis, non concutiendo, non agitando eas; sed tanquam alis quiescentibus. Quod autem dicitur, *faciendo mouere nidum suum*, perspicuum est significare prouocationẽ pullorum ad volandum: neque enim aliũ motũ pullorũ procurat aquila, quàm motũ volatus, ad quem excitat pullos, faciendo eos surgere, & alis gestire, tanquàm volationẽ inchoantes.

Expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.] Et hæc quoque futuri sunt temporis: *Expandet alas suas; accipiet eum; portabit eum super alam suam.* Modus, quo aquila dicitur vehere pullos suos, (vel ad animæquiores reddendum ad volatum; vel, vt quidam dicunt, ad transferendum aliò,) describitur. Futurum autem tempus relatiuè ad antecedentem actionem describitur; ita quòd significatur, quòd respectu actionis excitatiuæ ad gestiendum, futura est actio volitationis supra eos: & respectu istius futura est expãsio alarum sic disposita, vt super eas possit assumere pullum: & sic deinceps intellige alias actiones.

Vers. 12. Dominus solus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus.] Iuxta Hebræum habetur: *Iehouah solus ducet eum: & non cum eo El extraneus.* Applicat similitudinem aquilæ actionibus diuinis: & vtitur tempore futuro ad significandum (vt dictum est)

est) perseuerantiam quadraginta annorum. Quum autem dicitur: *Et non cum eo*, pronomen, *eo*, demonstrat *Iehouah*: declaratur enim illa particula *solus*, per hoc, quòd Iehouah perseuerauit ducendo populum absque auxilio alicuius Dei extranei.

Vers. 13. Constituit eum super excelsam terram [i].] Iuxta Hebræum habetur: *Faciet equitare eum super altitudines terræ.* De terra Emorræorum, quam possidebat tunc Israël, est sermo: quia enim sita est in loco eminenti respectu terræ Ægypti, vnde eduxerat Deus populum; ideò ascensionis progressum significat per equitationem super celsitudines terræ. Et futurum, *faciet*, refertur ad ducatum per desertum: relatiuè enim ad illum describitur futura acquisitio terræ Sichon, & Hog Regum.

i Chanaan terra, mõtuosa est, ob idque mõs sanctus Dei vocatur ab Esaia. & Ps. 77 *mons sanctificationis, quem acquisiuit dextera eius.* Quare hic etiã *terra excelsa* nominatur.

Vt comederet.] Iuxta Hebræum habetur: *Et comedit fructus agri.* Res iam gesta, vt gesta narratur. Et similiter præteriti temporis verbum subdirut:

Et fecit sugere eum mel de petra [k].] Hoc est, de terra petrosa. Conditio terræ illius significatur, fructifera etiam in partibus lapidosis.

k Hyperbole est incomparabilis fœcunditatis, adeò vt in saxis proueniant, quæ aliàs vix in miti solo prouenire solent: magnam siquidẽ oportet eius soli felicitatem esse, vbi apes in petris mellificant. Et melle quidem abundasse regionẽ Israëlis, id sanè indicat, quòd Ionathas, Saul filius, in Salin mel reperisse legitur, 1. Reg 14. Illud verò *oleum de saxo* figuratiuè dicitur: siquidẽ & oliuæ gaudent petrosis, & sterilibus locis. *Arietes filiorum Basan*, scilicet, qui in monte Basan erant nutriti, cuius pascua supra modum saginabant pecora.

Oleúmque de saxo durissimo.] Hebraïcè habetur, *de saxo forti*. Sed sensus in idem redit: olieta enim inter loca duri saxi significantur.

Vers. 14. Butyrũ de armento.] Hebraïcè habetur: *Butyrum boum.* Non in genere, sed in specie explicatur butyrum ex bobus.

Et lac ouium cum adipe agnorum, & arietum.] Hebraïcè habetur, *arietum, & veruecum filiorum Basan.* Inuenerant & castratos, & non castratos pingues in Basan.

Et hircos cum medulla tritici.] Iuxta Hebræum habetur, *cum adipe renum tritici.* Metaphoricus est sermo laudans triticum, tanquam adipem renum. Ego autem legendum existimo, *& hircos cum adipe.* & facto puncto, *renes tritici.* vt grana tritici illius magna, tanquam renes laudentur: hyperbole enim ad excellentiam significandam inuenta est.

Et sanguinem vuæ biberent meracissimum.] Iuxta Hebræum habetur: *Bibes meracum.* Apostrophat ad populum: fortè quia adhuc non venerat tempus vindemiæ, dixit, *bibes*: alioquin ad perseuerantiam spectat futurũ.

Vers. 15. Incrassatus est.] Legendum est: *Et impinguatus est.* non de grossitudine, sed de pinguedine est sermo.

Dilectus.] Vitio scriptorum corrupta est litera: nam Hebraïcè habetur, *directus*, seu *rectissimus*. Et significatur status impinguationis; videlicet, quãdiu rectissimus, seu directus perseuerauit populus, proculdubiò à lege diuina.

Et calcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus.] Iuxta Hebræum legendum est in secunda persona, *impinguatus es, incrassatus es, operuisti.* Conuertit sermonem ad populum: prophetando tamen describit futura tanquam præterita, & progressus impinguationis describitur: priùs enim impinguatur homo; deinde incrassatur; & demum operit seipsum abdominis magnitudine.

Dereliquit.] Deficit coniunctio, *Et dereliquit.* Iterum redit ad loquendum de populo in tertia persona, fortè ratione meriti: vel (quod rationabilius est) emphasis quædam interiecta est ad secundam personam quasi parenthesis, & statim redit ad prosequendum sermonem cœptum in tertia persona.

Deum factorem sui.] Dictio interpretata, *Deum*, est nomen *Eloha*.

Et recessit à Deo salutari suo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et despexit Sur saluationem suam.* quod longè peius est, quàm recedere. Reliquit ergo Iudicem, qui fecit eum, & fortem Saluatorem suum despexit: quid peius? Et tamen peiora prophetantur.

Vers. 16. Prouocauerunt eum in Diis alienis.] Iuxta Hebræum habetur: *Faciet inuidere ipsum extraneis.* Non solùm relinquent Deum, sed colent Deos alios extraneos ab ipsis, & eorum Patribus: & hoc est (humano more loquendo) ingerere Deo inuidiam, hoc est, tristitiam de honore proprio ablato ab ipso, & exhibito extraneis.

Et in abominationibus ad iracundiam concitauerunt.] Deficit, *eum*. Et est futuri, non præteriti tẽporis oratio: prophetatur enim, quod verè futurum erat. Et certum est, abominationum nomine, idola, seu idololatriam significari: naturali enim sequela tristatus concitatur ad vindictam.

Vers. 17. Immolauerúntque Dæmoniis [l], non Deo.] Sensus clarus est: & nomen *Eloha* habetur, vbi legimus, *Deo*. Et est sensus, non Iudici, non gubernatori, qui & suapte natura est Iudex, & gubernator vniuersi, & eorum: exaggerando enim crimen, adiungit hæc Moses.

l Cùm traditi essent homines in reprobũ sensum, quorundam stultitia inuenit Dæmones, quos Apuleius animalia ingenio rationabilia, & animo passiua; corpore verò aërea, tempore æterna dixit, eósque Romani veteres Medoxumos nuncuparunt, quod veluti intercessores Deo minores, homine autem natura sint maiores. Hos. existimabant concepta à nobis vota ad Deum deferre, & illius nobis diuina munera conferre, & ob hoc ab hominibus venerati sunt. Postularet hic locus multa de geniis addere: verùm hæc aliam chartam postulant. Si lubet, vide Erasmum de his alioqui nõ indigna lectu disserentem in opere adagiorum, adagio 72. Genius malus.

Diis, quos non nouerunt.] Nomen est, *Elohim*. Exaggeratio est, quòd sacrificauerint, vt Diis, Iudicibus, & gubernatoribus, quos nesciebant.

Noui, recentésque venerunt, quos non coluerunt Patres eorum.] Iuxta Hebræum habetur: *Noui è propinquo venerunt, non audierunt eos patres vestri.* Ad populum conuertit sermonem: & non solùm noui secundùm tempus, & de propinquo secundùm locũ, sed etiam alieni à Patrum timore, & cultu dicuntur Dij isti, vt omni ex parte enormitas peccati luceat.

Vers. 18. Deum, qui te genuit, dereliquisti: & oblitus es Domini Creatoris tui.] Iuxta Hebræum habetur: *Sur genuit te, oblitus es: & oblitus es parturitoris tui.* Dixerat, Deum Patrem Israëlis: modò dicit Deum matrem eiusdem: parturire enim matris est. Et significatur per hoc, non solùm vtrunque Dei erga Israël officium (patris, videlicet, & matris;) sed etiam diuinus olim amor ad efficiendum Israëlem populum instar matris cupientis partum edere: hoc enim quadrat antiquo decreto terminorum populorum, quousque esset Israël in numero perfecto.

Vers. 19. Viditq; Dominus, & ad iracundia concitatus est: quia prouocauerunt eum filij sui, & filiæ.] Iuxta Hebr. quamuis irregularis sit sermo causans varias interpretationes, propinquiùs tamen redderetur litera legendo: *Et exacerbatus est præ ira in filios suos, & filias suas.* Vt intelligamus describi Deũ valdè cõmotum ita aduersùs filios suos, & filias suas.

*Verſ.*20. Et ait.] Attende, prudens lector, & perſpecto contextu ſubiunctorũ intellige hoc diuinũ dicere non eſſe comminari, aut diſponere ſe hæc facturum: ſed eſt manifeſtare pœnas, quas merentur peccata filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum. Diſpoſitio itaque diuina, non in ſeipſa, ſed in ordine meritorum peccantis populi ſignificatur:

Abſcondam faciem meam [m] ab eis.] Prima pœna, quam merentur, humano more deſcribitur, ad ſimilitudinem patris irati nolentis videre miſerias filiorum, & filiarum, ne ad commiſerandum moueatur.

[m] *Deum faciem abſcondere* tropus eſt, pro vindictam & calamitates immittere. ſicut etiã Dominus aliquẽ reſpicere dicitur, dũ eius miſeretur Exod. 2. *Reſpexit Dominus filios Iſrael, & liberauit eos.* Minatur igitur Dominus, ſe permiſſurum eos affligi, & torqueri, nec cõſideraturum, ſeu oſtenſurum faciem, illiſque opem laturum, niſi nouiſſimè, id eſt, cum diu iam afflicti eſſent: idque eſt conſiderare nouiſſima, vt puto.

Et conſiderabo nouiſſima eorum.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Videbo, quis finis eorum.* Inſtar hominis occultantis faciem ſuam non miſerabor, non ignorans euentum malorum, ſed præuidens, quis futurus ſit eorum finis. Et ad differentiam humanorum patrum hoc dicitur: neſciunt enim, quis finis filiorum, à quibus auertunt faciem: ſed Deus ſic auertit faciem, vt videat clarè, quis illorum finis futurus erit.

Generatio enim peruerſa eſt, & infideles filij.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia generatio viſionum ipſi, filij non firmitas in eis.* Verſatiles relatiuè ad diuinum cultum deſcribuntur Iſraëlitæ ex ſuo genere, & conſequenter filij inſtabiles dicuntur.

*Verſ.*21. Ipſi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus.] Iuxta Hebræum habetur: *Ipſi fecerunt me inuidum in non El.* Metaphoricè attribuitur Deo inuidia, ſignificando, quòd populus de colendo non Deum, reddiderunt Deum tanquàm inuidum in non Deũ. Et in hoc maior triſtitiæ ratio ſignificatur, quòd cultus vero Deo debitus exhibitus ſit non forti: ſi enim exhibitus eſſet forti, minor triſtitiæ ratio eſſet.

Et irritauerunt me in vanitatibus ſuis.] Propriè legendum eſſet, *in vacuitatibus.* Vacuitates appellantur, tam idola, quàm idololatriæ, quoniam vacuæ erant religionis.

Et ego prouocabo eos in eo qui non eſt populus.] Legendum eſt: *Et ego faciam inuidere eos in non populum.* Directè redditur par pari: Ipſi fecerunt inuidere me in non El, & ego faciam inuidere eos in non populum: faciam, vt inuideant non populo; vt deterioris ſint conditionis, quàm non populus.

In gente ſtulta irritabo illos.] Proportionale redditur: Irritauerunt me in vacuitatibus ſuis; ego irritabo eos in gente ſtulta; hoc eſt faciam, quòd inter gentes ſtultas ſic tractentur, vt habeant, vnde iraſcantur.

Verſ. 22. Quia ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad Inferni [n] nouiſſima.] Iuxta Hebræum habetur: *Et combuſſit vſque ad Infernum inferiorem.* Et dictio interpretata, *Infernum, foueam* ſignificat. Ratio pœnarum Hebraicè redditur: nam habetur: *Quia ignis inflammatus eſt in furore meo, & combuſſit vſque foueam inferiorem.* Et manifeſtatur per hoc paruitas pœnæ priùs deſcriptæ: quia merita eorum exigunt pœnam ignis, tanquàm ſic excanduerim, vt ignem emittam.

[n] *Ad infernũ Inferiorẽ deducere*, hyperbole eſt per ſequentẽ clauſulam explicata nam ſequitur, *& comedet terrã.* Prædicit igitur Moſes ignem illum, ſic terram deuaſtaturum, vt et à profunda terræ loca ſterilitate afficiantur. ita vt non ſola ſuperficies, ſed & foueæ, & antra intra ipſam ardeant ſint. Infernus enim inferior, foueæ terræ ſunt in Scripturis, vt in Pſal. *Eruiſti animã meam ex Inferno inferiori.*

Cuius effectus deſcribuntur quatuor. Primus eſt, comburere vſque ad foueam inferiorem: vt non intelligatur ignis ſuperficialis; ſed radices etiam arborum, & vſque ad infimas foueas comburens. Secundus eſt:

Et comedit terram.] Tertius eſt:

Et fructum eius.] Quartus eſt:

Et inflammauit fundamenta montium.] Has enim omnes pœnas exigere illorum merita ſignificatur.

*Verſ.*23. Congregabo.] Rectiùs diceretur: *Addam ſuper eos mala.* Non ſat ſunt dictæ pœnæ, ſed additio malorum exigitur.

Et ſagittas meas complebo in eis.] Ad ſimilitudinem hominis emittentis vniuerſas ſuas ſagittas, dicit Deus: *Complebo,* ſeu *conſumam ſagittas meas aduerſus eos.*

*Verſ.*24. Conſumentur fame.] Iuxta Hebræum habetur: *Combuſti fame* exiccat enim fames, & proptereà aduritur corpus ab intrinſeco igne.

Et deuorabunt eos aues.] Hebraïcè habetur: *Et debellati calore intenſo.* Vt calor internus ex fame comburat, & calor externus debellet coactos ſub intenſis caloribus manere ad ſeruitia dominorum ſuorum.

Morſu amariſſimo.] Iuxta Hebræum habetur: *Et inciſionem amaram, & dentem beſtiæ mittam in eos.* Non eſt perſpicuum, quæ pœna in ſpecie ſignificetur per inciſionem amaram, an ſæuitiæ brutalis, an humanæ incidendo.

Cum furore trahentium ſuper terram [o], atque ſerpentium.] Iuxta Hebræum habetur: *Cum ira trahentium pulueris.* Et ſignificantur ad literam, vel genus animalium gradientium trahendo ſeipſa ſuper terram; & proptereà appellata *tractores pulueris,* vipore quæ trahendo ſe, trahunt ſecum puluerem. Vel, ſiue homines, ſiue feræ, trahentes in ira homines ſuper puluerem. Et hunc ſecundum ſenſum ſonat litera, mentionem faciens iræ trahentium; imò eorum, qui tractores ſunt. Et quòd de hominibus iratis ſit ſermo, nonnihil inſinuant ſubiuncta.

[o] Poëtica eſt periphraſis pro more carminis, & *tractores in puluere* dicuntur ſerpentes. Cæterùm has plagas in Prophetis ſæpè reperti videbis, ſi rectè attendas.

Verſ. 25. Foris vaſtabit eos gladius.] Genus pro ſpecie Interpres poſuit: nam Hebraicè habetur verbum ſignificans priuare filiis, quod interpretatus eſt, *vaſtabit:* ſignificatur enim, quòd egredientes filij occidentur gladio.

Et intus [p] pauor.] Iuxta Hebræum habetur: *Et à cubiculis timor.* Et hinc habetur, quòd foris appellatum eſt extra domum.

[p] *Intus,* hoc eſt, intra ciuitatum mœnia exanimabit eos terror, & horror mortis, vt deſtructis eorũ omnibus inſultetur eis. *Vbinam ſunt,* &c. Vbi eſt regnũ illorũ. Nam *ceſſare faciã memoriã eorum,* hoc eſt, nihil ampliùs de eis iactabitur, ſicut anteà, quod ſint, aut poſſint aliquid, more aliorum populorum.

Etiam iuuenem, etiam virginem, lactentem cum viro ſene.

*Verſ.*26. Vbinam ſunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Dixi, faciam angulare eos, ceſſare faciam ex homine memoriam eorum.* Fingitur verbum, *angulare,* ad reddendum verbum Hebraïcum: & ſignificatur ad literam ſeparatio reliquiarum à ſupradictis plagis; ita vt non audeant in plateis, & publicis locis comparere; ſed in angulis morentur: & ſic ceſſet memoria populi Iſraël ex humano genere.

*Verſ.*27. Sed propter iram inimicorum diſtuli.] Iuxta Hebræum habetur: *Si non irã inimici timebo.* Hactenus manifeſtauit Deus pœnas, quas ſecundũ merita peccatorũ populi illaturus

illaturus esset: modò subiungit alias causas secundas retrahentes ab huiusmodi illatione pœnarum.; negationem, videlicet, diuinæ iustitiæ ab arrogantibus sibi se deleuisse Israëlitas, & non diuina vindicta Israëlitas deletos esse. Significat autem loquens Deus, tanquàm homo, humano more huiusmodi causam, describendo seipsum, tanquàm timentem iram inimici sæuientis in Israëlitas: tanquàm enim homo dicit: *Si non timebo iram inimici.* Quod dupliciter exponitur: vel, nisi timebo iram inimici, vel an non timebo iram inimici? Et vtrouis legas modo, sensus est ad instar hominis, in quo perseuerat timor iræ inimici se habere. Attribuitur autem Deo timor secundùm similitudinem effectus; quia, videlicet, facit timentis effectum, qui est cauere: vnde & subditur:

Ne fortè superbirent hostes[q] eorum.] Iuxta Hebræum legendum esset: *Ne quando extrariabunt angustiatores eorum, ne quando dicent: Manus nostra celsa, & non fecit totum hoc.* Diuinam iustitiam trahere in extraneum, est hominem arrogare sibi opus diuinæ iustitiæ.

[q] Tollit hoc versu iactantiam Iudæorum: nam etsi millies miraculosè liberati sũt, id fecit, vt nomini suo consuleret in illis indignissimis.

Vers. 28. Gens absque consilio est, & sine prudentia,

29. Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent.] Hebraïcè habetur: *Quia gens perdens consilia, & ipsi non in eis intelligentia: vtinam sapient, intelligent hoc, intelligent in fine suo.* Altera redditur ratio omittendi punitionem, quam merentur peccata populi idololatriam committentis; videlicet, desiderium pœnitudinis populi ex consideratione diuinorum beneficiorum, imò ex collatione operum Dei cum operibus aliorum Deorum. Quocirca hanc rationem inducit, describendo conditionem populi Israël quoad duo, videlicet, consilium, & intelligentiam: relinquit enim bona consilia, & perit malis consiliis, caretque intelligentia penetrante in operibus Deum causantem opera Et propter has conditiones ad instar cupientis expectationem resipiscentiæ subiungit Deus: Vtinam quandoque sapiant rectis consiliis, & intelligant hoc, opus, videlicet, diuinum, quod subiungitur, intelligántque, quid eos manet in fine eorum.

Vers. 30. Quomodo persequeretur vnus mille[r], & duo fugarent decem millia.] Iuxta Hebræum habetur: *Quomodo persequetur vnus mille, & duo fugabunt decem millia.* Futuri temporis sunt, & diuinum opus, diuinúmque beneficium conferendum Israëlitis, antequàm peccent, derelinquendo Deum suum, prophetatur. Et est opus diuinum demonstratum per pronomen, *hoc*, quum dictum est: *Vtinam sapient, intelligent hoc*, videlicet, quòd vnus Israëlita persequetur mille, & duo fugabunt decem millia Et est locutio hyperbolica, significans, quòd paucissimi fugabunt immensam multitudinem hostium: quod impletum esse patet legenti sacras Historias. Hoc opus considerandum, & intelligendum cupit Deus, vt ex eo conferant ipsum verum Deum cum aliis Diis: & propterea subiungit:

[r] Hoc est adimpletũ in ipsa captiuitate Babylonica, & Romana, cum vnus gentilis mille fugaret Iudæos, vbi antè è cõuerso fieret, Leuit. 26. Deberent igitur experientia cognoscere, quòd deserti essent adeo, quod Dominus tradidit eos; quo non tradente, nemo populum Israël superare potuit. Id enim Ægyptij confessi sunt inquientes *Fugiamus Israëlem; Dominus pugnat pro eis contra nos.* Exodi 14. Idē & dixerunt, cum Area Domini venisset in castra, 1 Reg 4. Rectè igitur Moses inimicos suos testes esse asserit, quòd non poterant Israëlitæ debellari, nisi à Deo derelicti.

Nónne ideò.] Nihil refert, an legatur, *nisi quia*; vel, *an non quia*.

Sur eorum vendidit eos, & Iehouah fecit resignare eos.

Vers. 31. Quia non sicut Sur noster, Sur eorum.] Ecce, quid in antedicto opere intelligendo penetrandum cupit Deus, videlicet, quòd causa talis facti, quòd vnus persequatur mille, est, quia Deus fortitudo hostium vendidit suos: hoc est, tanquàm venditor eorum reliquit eos accepto pretio cultus: quod est dicere, quòd Deus eorum non amat eos; sed negotiatur de eis tanquàm de seruis, dummodo ipse colatur, non curat de salute eorum.

Considera hîc, prudens lector, quòd inter alias disparitates, quæ sunt inter Deum verum, & Deos gentium, manifestatur ista, quòd Dij gentium non amant eos, qui colunt ipsos; sed tanquàm negotiatores vtuntur eis: & propterea hîc dicitur, quòd fortis eorum vendidit eos. Alia autem disparitas penes potentiam manifestatur, dicendo: *Et Iehouah fecit resignare eos*; significatur enim per hoc, quòd ipse fons essendi verus Deus, tanquàm Dominus Deorum omnium fecit restituere illos, dandos in prædam populo Israël, ita quòd in prima disparitate mala voluntas, in secunda subiectio Deorum significatur: & vtriusque ratio redditur; quia Deus eorum non est sicut Deus noster: & hæc verba vltima non sunt verba Dei, sed Mosis interiecta cum subiunctis.

Et inimici nostri sunt Iudices.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum sine verbo scribitur hæc oratio. Et est sensus, quòd disparitas inter Deum Hebræorum, & Deos alios, iudicatur, asseritur, & approbatur ab inimicis nostris: vt clarè patet de Bilham Propheta inimico Israël, & propterea occiso. Patet etiam de Moabitis, & Midianitis, qui Deo miserunt mulieres suas ad seducendum ad idololatriam Israëlitas: quia sciebant, quòd Deus Israël non offensus à suis erat insuperabilis in populo suo. Inimici itaque Israël iudicabant, quòd non est Deus eorum, sicut Deus Israël.

Vers. 32. De vinea Sodomorum[s], vinea eorum, & de suburbanis Gomorræ: vua eorum, vua fellis, & botri amarissimi.

[s] *Vinea Sodomorum*, hoc loco pro fructibus, & operibus Sodomorum accipitur, quibus huius populi opera assimilabãtur. Vnde certum erat, nihil exprimi posse, nisi venenum aspidum, & serpentum.

Vers. 33. Fel draconum, vinum eorum; & venenum aspidum insanabile.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia de vite Sedom vitis eorum, & de vitibus Hamora: vua eorum, vua veneni, botri amaritudinis eis. Venenum draconum, vinum eorum; & venenum aspidum crudele.* Prosequitur Deus cœptum sermonem suæ cupiditatis: dixerat enim in primis: *Vtinam saperent.* Huiusmodi enim imprudentiam modò manifestat, consistentem in hoc, quòd non conferunt bona tempore diuini cultus, cum malis tempore cultus Deorum. Describuntur siquidem mores Israëlitarum tempore cultus Deorum sub metaphora vineæ quoad tria: tum, quoad vites, tum quoad vuas, tum quoad vinum: vt principia, media, & fines morum describantur pessima. Vt per hoc manifestetur, quòd non solùm peccabunt contra Deum per idololatriam, sed peccabunt in moralibus in malis principiis, in malis mediis, & in malis finibus. Signum autem, quòd de morali materia est sermo, est crudelitas in calce explicata.

Vers. 34.

Verſ. 34. Nonne hæc recondita ſunt apud me, ſigillata in theſauris meis [t]?] Dixerat futura peccata populi, tam aduersùs Deum,quam in moralibus:dixerat,ſe abſtinere à pœnis,quas merentur:dicit nunc conſequenter, quòd non ſic abſtinet à punitione, vt obliuioni tradat peccata eorum;ſed recondita apud ſe tenet, & ſigillata in theſauris ſuis,hoc eſt,in locis ſeruatoris.

[t] Quaſi dicat: Eò ſitentius os amaros fructus proferſi iſti, qui me putant hoc ignorare, aut non aduertere; cùm tamen nihil horum ſit non reconditum in theſauro meo, etiamſi diſſimulem.

Verſ. 35. Mea eſt vltio [u], & ego retribuam in tempore, vt labatur pes eorum.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Mihi vindicta, & retributio in tempore, quo labetur pes eorum.* Non ſolùm peccata, ſed etiam pœnas peccatis debitas ſeruari apud ſe dicit: imò ſibi reſeruari vindictam,& retributionem pro meritis,à qua nunc abſtinet. Tempus autem, quando exercebit Deus vindictam, & retributionem, manifeſtatur tempus lapſus pedis eorum;hoc eſt,tempus mortis. Tempus, quo non ampliùs ſubſiſtere poſſent in hac vita, deſcribitur ad ſimilitudinem hominis impotentis ſubſiſtere in terra,labentibus pedibus: tunc enim labuntur ab hominibus peccatoribus affectus omnes humani: qui per pedes metaphoricè in ſacra Scriptura ſignificantur. Vnde & ſubiungitur:

[u] Id eſt, mihi ſoli pertinet vlciſci, vt ſcriptum eſt; *Mihi vindictam,& ego retribuam.* ad Rom. 2.

Iuxta eſt dies perditionis.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia propinquus dies ruinæ eorum.* Ne putares, in longum protrahi vindictam,manifeſtatur prope eſſe:& ſimul declaratur,quid ſignificet lapſus pedis eorum: tempus enim lapſus pedis coincidit cum tempore ruinæ eorum.

Et adeſſe feſtinant tempora.] Iuxta Hebræum habetur: *Et accelerabit ventura eis.* De ſeipſo Deo in tertia perſona loquitur, quòd quanuis in præſenti vita non puniat,non tardat tamen, ſed celeriter efficiet, quæ diſpoſita,ac præparata ſunt malis peccatoribus. Vnde & ſubiungitur iuxta Hebræum:

Verſ. 36. Quia iudicabit Iehouah populum ſuum.] Vbi, & modus vindictæ manifeſtatur,non per modum prælij; ſed per modum iudicij: tunc enim ius dicet populo ſuo, qui dereliquit eum, & tot malis moribus inuolutus eſt.

Et in ſeruis ſuis miſerebitur.] Iuxta Hebræum habetur: *Et ſuper ſeruos ſuos conſolabitur ſe.* Dictio interpretata, *conſolabitur ſe*,quanuis Hebraïce à conſolatione deriuetur,ſignificare tamen conſueuit pœnitudinem: ea fortè ratione,quòd poſt conſolationem vſque ad plenam ſatietatem facti venit pœnitudo diuina:ex hoc enim Deus inſtar hominis, qui ſe ſatiauit de aliquo facto, pœnitere ſignificatur; & non niſi metaphoricè hæc Deo attribui inſinuatur. Duo itaque dicit Deus de ſeipſo: alterum relatiuè ad peccatores toleratos, quòd iudicabit eos. Et hic eſt finis,de quo dixerat: *Vtinam intelligant in fine eorum.* Alterum relatiuè ad partem populi ſui ſeruientem ei, dicendo: *Et ſuper ſeruos ſuos pœnitebit eum.* ſignificatur enim per hoc, quòd multitudine populi peccante, & quanuis non plenè; aliqualiter tamen punito populo vniuerſo in hac vita, inſtar pœnitentis Deus benefaciet ſeruis ſuis.

Videbit, quòd infirmata ſit manus [x]; clauſi quoque defecerunt,& reſidui conſumpti ſunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia videbit, quòd iuit manus, & non retentus,& relictus.* Ratio redditur diuinæ pœnitudinis, ſeu miſerationis in hac vita: quia videbit, hoc eſt, ad ſimilitudinem nouiter videntis ſe habebit videndo hæc tria. Primum quòd abiit manus; hoc eſt, quòd receſſit poteſtas à ſeruis ſuis,& perdiderunt imperium. Secundum,quòd nullus eſt retentus,hoc eſt,tam penitùs extincta eſt eorum poteſtas,quòd nec fuit poteſtas retinendi vnum. Tertium, quòd nec fuit relictus ab hoſtibus aliquis liber. Viſio iſtarum trium miſeriarum ratio redditur diuinæ miſerationis. Vt intelligamus tempus diuinæ miſerationis, quo ſcripta ſunt hæc.

[x] Manus,hoc loco pro poteſtate accipitur, vt Iahacob dixit ad Iudam: *Manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum.* Clauſi verò, potentes viri, & bellicoſi intelliguntur. Vnde ſæpe legis in libris Regum: *Vir clauſus dextera ſua.* dictum in laudem roboris,& fortitudinis viri.

Verſ. 37. Et dicent [y]: Vbi ſunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dicet.* de Deo enim in tertia perſona eſt ſermo: *Vbi Elohe eorum, Sur ſperauerunt in eo.* Verba ſunt veri Dei iudicantis peccatores populi ſui in morte per modum inſultantis ſcripta ad manifeſtandum Iſraëlitis finem eorum; ad declarandum, quòd in morte eorum nuſquàm comparebunt. Dij eorum, quos tanquàm gubernatores coluerunt; neque Deus eorum, in quo tanquàm fortitudine eorum confiſi ſunt.

[y] Id eſt, ſic inſultabit,& conſcientia,& perſecutor.

Verſ. 38. De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum.] Hebraïcè ſcribitur verbis futuri temporis: *Qui pinguedinem ſacrificiorum eorum comedent,bibent vinum colaminis eorum.* ad ſignificandum perſeuerantiam;videlicet, quòd cum affectu comedendi, & bibendi ſacrificia Deorum mortui ſunt, quòd impœnitentes mortui ſunt.

Surgant, & opitulentur vobis: in neceſſitate vos protegant.

Verſ. 39. Videte, quòd ego ſum ſolus, & non ſit alius Deus præter me.] Iuxta Hebræum habetur: *Videte nunc, quòd ego ego ipſe,& non Elohim mecum.* Poſt inſultationem, & non comparitionem aliorum Deorum, confutatio manifeſtatiua vnius duntaxat Dei ab ipſomet Deo ſubiungitur, experimento comprobata in morte: tunc enim peccatores videbunt,quòd Deus illemet, qui dedit legem,eſt ita Deus, quòd non eſt cum eo alius Deus Iudex,& gubernator.

Ego occidam, & ego viuere faciam.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Ego faciam mori,& viuificabo.* Subiunguntur hæc ad tollendum errorem putantium duo principia; alterum malorum; alterum bonorum. Ego,inquit Deus, inferam malum mortis, & bonum vitæ.

Percutiam.] Hebraïcè habetur in præterito: *Fregi,& ego ſanabo.* Non ſolùm extrema mala,& maxima bona; ſed etiam mediorum, tam malorum, quàm bonorum ſe authorem Deus manifeſtat.

Et non eſt, qui de manu mea poſſit eruere.

Verſ. 40. Leuabo [z] enim ad cælum manum meam.] Leuare ad cælos manum,erat aſſerentis aliquid iureiurando: ad inſtar enim hominis ſic aſſerentis loquitur Deus.

[z] Mos erat antiquus iurantis, leuare manus.

Et dicam:Viuo ego in æternum.] Ecce quid affirmat;videlicet,quòd ipſe viuit in æternum.

num. Quod potest dupliciter exponi. Primum relatiuè ad Deos, & esset sensus: Viuo solus ego Deus in æternum. Perspicaciùs autem intelligitur relatiuè ad omnes creaturas, etiam viuentes in æternum; ad significandum, quòd ipse solus potest asserere: Viuo ego in æternum. aliæ autem creaturæ, etiam incorruptibiles, non possunt asserere: *Viuo ego in æternum.* quoniam viuere earum pendet ex potestate, & voluntate Dei, qui potest, si vult, redigere eas in nihilum.

Vers. 41. Si acuero, vt fulgur.] Iuxta Hebræum habetur: *Si acui in fulgore gladium* [a] *meum.* Humano more arma Dei describuntur, fulgentes gladij à nobis acuuntur; ita quòd primùm fiunt fulgidi, & posteà acuuntur, vt perfectè præparati gladij significentur. Et coniunctio, *si*, non est nota ambiguitatis; sed ad excludendum, tam rubiginem, quàm hebetudinem diuini gladij dicitur per modum confutantis, *si acui*, quasi dicat, proculdubiò acui: solemus enim tali modo loquendi & affirmare, & negare. Hactenus enim manifestauit Deus vindictam in populum suum, partim inferendam in hac vita, & partim reseruandam in aliam vitam, cum pœnitudine commiserante erga seruos suos: ab isto autem cantici loco manifestat vindictam erga alienigenas oppressores populi Israël. Subiunxit autem hoc Moses, tum ad manifestandum diuinam iustitiam relatiuè ad alias gentes: tum præcipuè ad manifestandum, quòd quamuis Israelitæ peccatores meruerint puniri, & dari in prædam; oppressores tamen eorum non excusantur: sed & ipsi peccata peccatis accumularunt, suos Deos, & proprias passiones secuti: & propterea Deus puniet eos, vindicando iniurias illatas populo suo: ad hoc enim tendunt subiuncta omnia.

[a] Gladium suum vibrare, arcum tendere, & parare, phrasis est, qua vindicta Dei impijs proxima tectè depingitur.

Et arripuerit iudicium [b] manus mea.] Subaudi, ad exequendum illud.

Reddam vltionem hostibus meis.] Hostes suos appellat Deus hostes populi sui.

Et iis, qui oderunt me, tribuam.

Vers. 42. Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnem, de cruore occisorum, de captiuitate nudati inimicorum capitis.] Iuxta Hebræum habetur: *Et præda de capite in vltiones inimici.* Et iungitur sententia præcedentibus: & est ordo literæ. Gladius deuorabit carnes de sanguine occisorum tanquàm in prælio, & prædæ de capite, hoc est, non solùm de sanguine occisorum in prælia, sed etiam de sanguine prædæ hominum, seu etiam animalium: talis enim præda significatur per prædam de capite. Tantæ cladis ratio subiungitur in vltiones inimici: magnitudo siquidem vindictæ significatur.

[b] *Iudicia*, pro vindicta, & vltione frequenter vtuntur Hebræi, sicut iudicare, pro vlcisci, & vindictam sumere. Gen. 15. Verùmtamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo, id est, vindicabo. Cæterùm illud, *nudati capitis inimicorum*, tropus est, deletam tyrannidem inimici designans: caput enim nonnunquam pro potentia, & tyrannide accipitur, vt Gen. 3. *Ipse conteret caput serpentis.*

Vers. 43. Laudate, gentes [c], populum eius.] Pariter legi potest: *Cantate, gentes populus eius.* nullum enim est signum accusatiui casus in Hebræo. Et secunda lectio magis quadrat, vt in calce cantici inuitentur Israëlitæ dispersi, & iam diuersarum nationum effecti, (ex eo, quòd nati sunt in diuersis regionibus, constituentes tamen populum Israëlitticum,) ad cantandum. Et ratio cantandi subiungitur:

[c] Inuitat gentes, vt populum laudet, qui talem habeat Deum, qui possit protegere, cum velit, populum suum.

Quia sanguinem seruorum suorum vlciscetur, vindictam reddet hostibus eorum.] Verba sunt Mosis prophetantis dispersis Israëlitis gaudium ob diuinam vindictam in hostes eorum.

Et propitius erit terræ populi sui.] Legendum est: *Terra sua, populo suo.* Duo siquidem prophetantur: & quòd propitius erit populo Israël, & quòd propitius erit terræ promissionis; ita quòd reddet eam populo Israël.

Vers. 44. Venit ergo Moses, & locutus est omnia verba cantici huius in auribus populi, ipse, & Iehosuah filius Nun.] Consentaneum rationi est, vt Mosis tam senis vox minùs audiretur: & propterea Iehosuah adiutor eius, tanquàm eius Interpres connumeretur.

Vers. 45. Finiuítque Moses loqui omnia verba ista ad totum Israël,

46. Et dixit ad eos: Ponite cor [d] vestrum ad omnia verba mea, quæ ego testificor vobis hodie, quæ præcipietis filiis vestris, vt custodiant, & faciant omnia verba legis huius.

[d] *Cor ponere ad verba*, Hebraismus est, pro, mente tractare, reputare, & rependere: sic Esa. 47. *Non posuisti super cor tuum, nec recordata es nouissimi tui.*

47. Quia non in cassum præcepta sunt vobis, sed vt singuli in eis viuerent.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia non verbum vacuum ipsum de vobis, quia ipsum vita vestra, & in verbo hoc prolongabitis dies super terram, ad quam vos transitis Iarden, vt possideatis eam.* Declarat non vacuitatem verbi, ex eo, quòd plenum est vitæ singulorum, & longitudinis dierum populi in terra promissionis.

Vers. 48. Locutúsque est Dominus ad Mosen in eadem die, dicens:

49. Ascende in montem istum Habarim, montem Nebo, qui est in terra Moab, qui est contra Hierico, & vide terram Chenahan, quam ego do filiis Israël in hæreditatem.

50. Et morere in monte, quem tu conscendis, & iungaris populis tuis, sicut mortuus est Aharon frater tuus in monte Hor, & appositus populis suis:

51. Eò quòd præuaricati estis in me in medio filiorum Israël ad aquas contradictionis Cades, deserti Zin, eò quòd non sanctificastis me in medio filiorum Israël.

52. Quia è regione videbis terram, & non ingredieris terram, quam ego do filiis Israël.] Modus, & causa mortis Mosis ante ingressum terræ promissionis describitur satis clarè ex parte mandati diuini.

CAPVT XXXIII.

Vers. 1.

[a] Hæ benedictiones non nisi imprecationes erant, seu orationes, in quibus Domini timorem, & fidem sancti Patriarchæ filiis suis commendabant.

ET hæc est benedictio [a], qua benedixit Moses vir Dei filiis Israel antequàm moreretur.] Dictio interpretata, *Dei*, est nomen, *Elohim*, & est genitiui casus *Elohim*. Sectator, ac minister summi Iudicis describitur per hoc Moses: & hinc inoleuit, vt tanquàm epitheton Mosis habeatur vir Elohim: ita quòd quandocunque dicitur Moses vir Elohim, non alius intelligatur Moses, quàm ille legislator.

Vers. 2. Et dixit: Dominus de Sinaï venit.] Præteriti temporis est, *venit*, & nomen scribitur tetragrammaton. Res gesta commemoratur scripta Exodi 24. apparitio siquidem Dei in specie regia coram Mose, Aharon, & filiis eius, septuagintáque viris ibidem scripta, hîc ampliùs manifestatur, supplendo ibidem tacita. Suppletur enim in primis modus apparendi; declarando, quòd Deus non apparuit, tanquàm subitò ibi apparens; sed tanquàm descendens ex summitate montis Sinaï; hoc est, ex aëre supra montem Sinaï, tanquàm à loco proximo.

Et de Schir ortus est nobis.] Iuxta Hebræum habetur, *eis*: & dictio interpretata, *ortus est*, significat ortum similem ortui Solis. Postquàm enim descripsit, quòd apparuit veniens tanquàm de summitate Sinaï, declarat plagam (ex qua, videlicet, cæli parte incepit venire) dicendo, quòd ortus est è Schir; hoc est, ex plaga cæli, in qua est mons Schir relatiuè ad montem Sinaï.

Apparuit de monte Pharan.] Iuxta Hebræum habetur: *Illuxit ex monte Paran*. alterius montis meminit ex eadem cæli plaga: instar enim Solis incipientis diluculum ex hoc monte, & ex altero quasi collaterali Orientis, describitur aduentus Dei apparentis. Primùm illuxit ex monte Paran; & clariùs de monte Schir ortus est, quamuis præpostero ordine narrentur in litera.

Et cum eo Sanctorum millia.] Iuxta Hebræum habetur: *Et venit è millibus sanctitatis*. Descriptis locis vnde venit Deus apparens, describitur comitiua eius; videlicet, quòd apparebat veniens, tanquàm egrediens, non ex loco solitario, sed ex innumerabilibus angelicis spiritibus: quia à sanctitate (hoc est, à munditia) decente diuinam curiam describuntur. Et significatur per hoc, quòd Deus apparuit, non solùm ipse in forma visibili Elohim, (vt in Exodo scribitur;) sed etiam, quòd apparuit tanquàm stipatus innumerabilibus Angelis in forma visibili comitantibus sic eum, quòd ex ipsis videbatur egredi: quod dicitur, ad denotandum immensam eorum multitudinem omni ex parte comitantem.

[b] Varia est legis nomenclatura. Deut. 6. dicitur lex, ignis maximus. Quare non mirandum, quòd ignea etiam appelletur cōmemoratúrque hîc lex, non immeritò, quòd insigne fuerit beneficium, huic populo credi legem, & eloquia Dei.

In dextera eius ignea lex [b].] Iuxta Hebræum habetur: *A dextera eius ignis, lex eis.* Non dicit, quòd in manu dextera gestaret ignem, aut legem; sed quòd à dextera eius erat tam ignis, quàm lex: in specie siquidem Principis apparebat, ad cuius dexteram à ministris gestabatur lex, gestabatur & ignis: lex quidem ad docendum, dirigendum, &c. ignis verò ad puniendum: imperfectus enim status veteris Testamenti non sinit ignem ad generandum amorem interpretari.

[c] Videtur amoris Dei pignus, erga Israel, in hoc commemorare: nam etsi multos populos dilexerit, omnésque Sancti, cuiuscunque gentis sint, sub illius sint tutela: qui tamen propiùs ad pedes Domini accesserunt, acceperunt doctrinam, & legem eius.

Vers. 3. Dilexit populos [c], omnes Sancti in manu illius sunt, & qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.] Iuxta Hebræum habetur: *Etiam dilexit populos, omnes Sancti eius in manu tua, & ipsi fuerunt associati pedibus tuis, recipiet ex verbis tuis.* Hæc est litera iuxta Hebraïcam veritatem, subobscura propter varietatem pronominum, & ambigua quoad sensum, an clausula hæc sit pars apparitionis descriptæ, an sit narratio alterius apparitionis diuinæ. Sed varietas pronominis, quoad numerum, nihil officit: quia propter vnitatem populi mutatur plurale in singulare: ita quòd pronomen, *eius*, demonstrat populum Israël. Quoad sensum autem, si clausula hæc est pars præscriptæ apparitionis, describitur apparuisse sub Deo multitudinem populorum, tanquàm sub pedibus eius manentem, sub protectione eius audientem verba Dei. Et ex hoc, quòd sic apparuit Deus, dicit Moses, quòd etiam dilexit populos, hoc est, quod apparuit etiam, tanquàm diligens populos. Et apostrophando ad Deum, dicit: *in manu tua*, (hoc est, in protectione tua) omnes Sancti eius; hoc est, populorum, quos dilexisti: & consequenter describit, quomodo apparuerunt; videlicet, associati pedibus tuis, ita quòd quilibet recipiet ex verbis tuis, non vacuus redibit ex verbo tuo; sed perseuerabit fructus ex verbis tuis. Si verò altera apparitio diuina commemoratur, tangitur diuina apparitio scripta Exodi 26. quando Deus ore proprio allocutus est vniuersum populum, promulgando eis decem præcepta: descripta siquidem apparitione in forma Principis facta, non omni populo, sed septuaginta electis, commemorat Moses, quòd Deus non solùm dilexit quosdam electos, quibus apparuit, sed etiam dilexit populos, Israëlitas, scilicet, & diuersarum nationum innumerabile vulgus mixtum Israëlitis. Et declarando signum dilectionis subdit, quòd omnes sancti, (hoc est, mundi) populorum præsentium olim in deserto Sinaï, sub protectione tua, supple, vitam duxerunt: & illimet appropinquauerunt pedibus tuis, (hoc est, pedibus montis Sinaï,) ad recipiendum ex verbis tuis: Deus enim ipse tunc loquebatur, & populus non per Mosen recipiebat legem ex verbis Dei. Et in hoc plus datum populo, quàm septuaginta significatur: quoniam septuaginta non est allocutus Deus in antescripta apparitione. Elige, prudens lector, quem malueris sensum: cum vtroque enim stant subiuncta.

[d] Hic vt legem commendet, de seipso loquitur Moses, qualis, scilicet, fuerit officio, quòd scilicet legem attulerit; secundo, quòd fuerit in plenitudine Regis, & Authoritate, & loco Dei inter illos.

Vers. 4. Legem præcepit nobis Moses, hæreditatem multitudinis Iahacob [d].] Commemoratis beneficiis diuinarum apparitionum, tanquàm præcipuis signis diuinæ benedictionis, relatiuè ad vniuersum populum, commemoratur consequenter beneficium quoque commune à Deo per Mosen exhibitum populo. Et seipsum in tertia persona Moses dicit legislatorem. Vbi & perspice, quòd non dicit, præcepit vobis, sed *præcepit nobis*; supputando seipsum inter subditos legis. Talis enim debet esse legislator, vt seruet legem, quam fert: talis debet esse lex, vt communis sit legislatori, &

& aliis. Et appellatur lex Mosis hæreditas congregationis Iahacob:tum,quia, vt filio Dei primogenito, tanquàm hæreditas data est;terra siquidem promissionis est hæreditas Iahacob quoad bona corporis, facultatúmque cæterarum:lex verò hæreditas est eiusdem quoad bona animi,vitæque moralis. Tum,quia debet Israëlitis sic chara esse,vt hæreditas.

Vers. 5. Erit apud rectissimum Rex.] Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit in rectissimo Rex congregatis Principibus populi cum Tribubus Israel.* Dictio interpretata,*rectissimo*, est illa, cuius superiùs meminimus in cantico Mosis: *Incrassatus est dilectus* hinc enim clarè apparet, antiquum Interpretem transtulisse ibi, *directus*. Putant tamen Hebræi significare plusquàm rectum;putà rectissimum: carent enim ipsi comparatiuis, & superlatiuis nominibus. De lege itaque Mosis dicitur,quòd fuit *Rex in rectissimo*,adunatis Capitibus populi simul, & Tribubus Israël: quod est dicere quòd quandiu Capita populi, & Tribus Israël vnanimiter conuenient in id, quod est valdè rectum; lex ipsa sat erit,& pro lege,& pro Rege; ita quòd non erit opus Rege. Significatur autem hoc in præterito,ad insinuandum, quòd ad hoc fuit data, vt sufficeret etiam pro Rege, stante huiusmodi vnanimitate.Et dixit hoc,vt perpendat populus liber ab oneribus regiis;vt ponderent Primates, quòd eorum discordia, seu casu à rectitudine, necessitas nasceretur creandi Regem,

Vers. 6. Viuat Reuben, & non moriatur, & sit paruus in numero[e].] Iuxta Hebræum habetur: *Viuet Reuben,& non morietur,& erit gens eius numeri.* Descendit Moses ad singularum Tribuum benedictiones, inchoans à Tribu Reuben primogeniti Iahacob.Duo autem bona prædicit Alterum perpetuæ durationis, dicendo: *Viuet Reuben*, hoc est,Tribus Reuben,) *& non morietur*;hoc est,non deficiet in successione. Alterum multitudinis, dicendo: *Et erit gens eius numeri.* Ne intelligeretur,quòd perpetua erit in paucis hominibus, dicit, quòd eius gens erit numeri.

[e] Id est, non moriatur penitùs,ob peccatum in patrem, verum paruus sit numero. Illud idem etiam Iacob prædixit Genes. 49. *Non crescas*, &c.

Vers. 7. Et hæc est Iehudæ benedictio: Audi,Domine,vocem Iehudæ,& ad populum suum facies venire ipsum[f].]Deprecando fontem essendi, benedictionem Tribus Iehudæ profert propter expectationem Messiæ promissi ex Tribu Iehudæ. Supplicat itaque Moses pro aduentu Messiæ dicendo: *Audi, Iehouah, vocem* (hoc est, desiderium) *Iehudæ: & fac venire ipsum Iehudam* (id est,Messiam ex Iehuda) *ad populum suum.*

[f] Id est, similis est benedictio Iudæ, vt dictinat, sicut Reuben: Audi,Domine, vocē Iudæ, quando ad bellum procedit, & reducet eum in pace ad populum suum:equidem manus eius satis instructa est,nec aliò quàm Dei benedicti eget auxilio contra hostes suos.

Manus eius pugnabunt pro eo.]Dictio interpretata,*pugnabunt*, non est verbum,sed nomen anceps ad litem,vel multum:ita quòd Hebraica litera est: *Manus eius lis* (vel *multum*) *ei*. Et vtraque lectio congruit Messiæ:nam de ipso verificatur: *Manus eius lis ei.* opera enim eius fuerunt occasio litis aduersùs ipsum: ex eo enim, quòd curabat in Sabbathis. ex eo, quòd diuinis miraculis conuertebat ad se animos populorum, insurrexerunt Pontifices aduersùs eum,&c. Rursus de ipso verificatur: *Manus eius multum ei.* sufficientia enim propriarum manuum Messiæ significatur:vtpote non puri hominis,sed etiam Dei.

Et adiutor illius contra aduersarios eius erit.] Iuxta Hebræum habetur: *Et auxilium ab angustatoribus suis erit.* Angustatores Messiæ hostes populi Israël intellige:prædicitur enim,quòd manus Messiæ non solùm sat erunt populo gubernando;sed etiam,quòd erunt auxilio aduersùs hostes populi: *Ipse enim* (vt Angelus dixit) *saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Ipse auxilium populi describitur: quoniam, qui creauit te sine te,non saluabit te sine te.

Vers. 8. Leui [g] quoque ait: Perfectio tua, & doctrina tua à viro sancto tuo, quem probasti in tentatione:& iudicasti ad aquas contradictionis.] Iuxta Hebræum habetur: *Tummeca,& vreca* (hoc est,perfectiones tuæ, & illustrationes tuæ) *viro misericordi tuo:quem tentasti ipsum in Massa* (hoc est,in tentatione:) *litigasti eum super aquas litis.* Subiuncta insinuant, quòd sermo iste dirigitur ad Deum: & prima Leuiticæ Tribus benedictio Pontificatus significatur, intuitu ipsius Mosis concessus à Deo Tribui illi:nam,vt ex Exodo, & Leuitico habetur,tummim & vrim pectorali Pontificis dabantur:à pectorali itaque Pontificis Pontificatum describit. Et est sensus: Perfectiones tuæ, & illustrationes tuæ. Deus, datæ Tribui Leuiticæ in Pontificatu viro misericordi tuo, hoc est, Mosi: de seipso enim loquitur in tertia persona. Et appellatur ad propositum misericors, quoniam magna commotus misericordia supplicauit, pro venia populi, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus non comedens, neque bibens: vt ipsemet retulit in hoc eodem libro, cap.9. & pro Aharon in specie se orasse retulit. Ita quòd non est dubium ipsi Mosi dono datum Pontificatum in Tribu Leuitica: priuauerat enim Deus Aharon Pontificatu propter peccatum vituli: & reliquos filios Leui abiecerat à tabernaculo, subrogato eis Iehosuah, vt scribitur Exodi 33. Quòd autem de ipso Mose sit hîc sermo, restantur adiunctæ conditiones; videlicet, *quem tentasti in Massa.* Lege Exodi decimumseptimum: & inuenies locum Rephidim appellatum, *Massa* (hoc est, *tentationem*:) quia ibi tentauerunt Deum petendo aquam: nullàque fit ibi mentio Aharon, sed solius Mosis vexati à populo petente aquam. Et quoniam *non est malum in ciuitate, quod non faciat Dominus*, attribuit Moses Deo actionem populi, dicendo, *quem tentasti.* Altera autem conditio subiungitur: *Et litigasti eum super aquas litis.* Res gesta scripta Num.20. quum iterum deficeret aqua,tangitur. Et appellatæ sunt aquæ litis:tunc enim diffidentia quædam fuit in Mose,& proptereà Deus tunc litigauit cum Mose;hoc est,ad similitudinem litigantis eiecit eum à gratia ingrediendi in terram promissionis. In primo miraculo aquarum fuit duntaxat tentatus;sed confidens in Deo nihil aduersùs Deum commisit in secundo autem, quia diffisus est, contrarium quid egit aduersùs Deum:propter quod meruit litem Dei aduersùs se.

[g] Apud Leui erant oracula diuina, officium sacerdotale, & legis interpretatio, idque nulla alia ratione, quàm quòd in omni tentatione mãsit firma & pia erga Deum,& non inuenta in eo labes criminis, nisi solum iuxta aquas contentionis. In aliis verò, vt in adoratione vituli, tã zelosi pro Domino, vt quisque in strage, quam fecerunt, non respexerit patrem, matrem,aut filios.

Vers. 9. Qui dixit patri suo, & matri suæ: nescio vos.] Iuxta Hebræum habetur: *Dicens patri suo, & matri suæ: Non vidi eum;& fratres suos non agnouit, & filios suos non cognouit.* Dixerat, Pontificatum Mosi misericordia Deo datum: verùm, quia non in persona pro-

pria accepit pontificatum Moses, sed pro Aharon,& successione eius; ideò Pontificem ipsum describit, singulari conditione Pontificis scripta Leuit. 21. videlicet, quòd non legeret patrem, matrem, filium, fratres, vt penitùs esset alienus a cuiusque defuncti luctu: hac enim singularissima conditione describitur Pontifex, describendo eum dicentem, quòd non vidit patrem, & matrem; & quòd non cognouit fratres, & filios. Qui enim non luget patrem, matrem, filiósque, perinde ac si nesciret illos, se habet. Vnde & subiungitur ratio iuxta Hebræum:

Qui custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum custodient [h].] Quamuis clausula hæc aptiùs referatur ad subiuncta: ita quòd initium sit extensæ benedictionis etiam ad Sacerdotes simplices, & Leuitas: in cuius signum pluraliter dicit, *custodierunt, custodient, docebunt, ponent*, &c. incipit enim à ratione agendi, & exercendi actiones sacerdotales.

[h] Oratio est, vt Tribus Leui, sicut Domino semper obediens fuit, ita in illis custodia legis, & interpretatio officiumque sacerdotale perseuerét. Quòd si Domino peccauerint aliquando, & puniti fuerint; benedicat tamen eorum fortitudini; id est, ministerio, ne ab illis auferatur: fortitudo enim in Bibliis pro officio ministrãdi sumitur aliquando, vt Psal. 6.

Vers. 10. Iudicia tua, ó Iahacob; & legem tuam, ô Israël.] Iuxta Hebræum habetur: *Docebunt iudicia tua, Iahacob; & legem tuam, Israël.* Et tam Iahacob, quàm Israël est datiui casus: Deum enim alloquitur Moses, non populum: hæ sunt enim actiones Sacerdotum.

Ponent thymiama in furore tuo.] Iuxta Hebræum habetur, *in naribus tuis, holocaustum super altare tuum.* non faciendo difficultatem in dictione interpretata, *thymiama*, quæ fumigationem instar incensi thuris significat: & ideò in naribus diuinis poni dicitur; quoniam odoratus apud nos ad nares spectat. Hæc est enim alia Sacerdotum actio, cui adiungitur appositio holocausti super altare.

Vers. 11. Benedic, Domine, fortitudini eius, & opera manuum illius suscipe.] Iuxta Hebræum habetur: *Benedicendo Iehouah substantiam* (seu exercitum) *eius, opus manuum eius voles.* Exercitus Sacerdotum appellatur exercitus populi Israël, Sacerdotum authoritate, & officio fultus, iuxta legẽ superiùs scriptam: inter benedictiones siquidem Leuiticæ Tribus supputat Moses benedici propter Sacerdotes exercitum legitimè congregatum: præerãt enim exercitui Sacerdotes cum tubis, &c.

Percute dorsa inimicorum eius.] Ad complementum benedictionis exercitus Sacerdotibus fulti, supplicat Moses: *Frãge lumbos surgentium in eos.* Percussis enim lumbis, tota vis hominis concidit.

Et qui oderunt eum, non consurgãt.] Iuxta Hebræum habetur obscurissima litera: *Et ab osoribus suis absurgent.* Si diuinare licet, sensus est, quòd non solùm insurgentes, tanquàm præliantes, percutiat; sed etiam ab initio, quo surgent, percutiat eos: hoc enim intelligo significari per præpositionem, & verbum futuri temporis: mutila enim est oratio, perinde ac si dictum fuisset, ex quo surgent: sæpè enim apud Hebræos subintelligitur relatiuum, *quo*. Et præpositio ita significat *ex*, quemadmodum *de*, vel *ab*.

Vers. 12. Binjamin dixit: Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo.] Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Dilectus Iehouah habitabit confidenter super eum.* Prophetatur Tribus Binjamin habitaturam confidenter tanquàm innixa Deo: quòd (vt rei probauit euentus) in Hierusalem, quæ erat in sorte Binjamin, ædificatum est templum Dei.

Quasi in thalamo tota die morabitur.] Iuxta Hebræum habetur: *Tegens super eum tota die.* Declarat securitatem Binjamin sub Deo, manifestando, quòd Deus erit tegens ipsum Binjamin tota die: per quod diuina protectio significatur continuati.

Et inter humeros illius [i] requiescet.] Ad literam Tribus Binjamin semper iuncta inuenitur cum Tribu Iehudæ, ædificato templo: & propterea habitatura dicitur inter humeros Dei; hoc est, inter præcipuas vires domus Dei.

[i] Forte hoc dicit, quòd Tribus Benjamin inter Tribum Iuda, & Ephraim, vtranque regiam & potentem, habitauit, & templum in sua sorte habuit.

Vers. 13. Ioseph quoque ait: De benedictione Domini.] Iuxta Hebræum habetur: *Benedicta Iehouah terra eius.* Vide ordinem. Post benedictionem Reuben (vtpote primogeniti) inchoauit à Tribu Messiæ: subiunxitque Tribum ministrorum diuini cultus, & demum Tribum loci templi: nunc autem completo ordine spiritualium, transit, tanquàm aliud initium faciens, ad ordinem mundanæ felicitatis, incipiendo à Tribu Ioseph: & terram quidem eius multiplici benedictione ditatam prophetat.

Vers. 14. De pomis [k] cæli, de rore, atque abysso subiacente.] Dictio frequenter repetita in hac benedictione interpretata, *pomum*, delicias, seu delicata sonat. Et ad literam prophetatur, quòd terra regni Israël, (quod incipiet à domo Ioseph tempore Ieroboam,) habebit has omnes delicias; & in primis de deliciis cæli, hoc est, delicatos fructus, qui ex clementia cæli alicubi producuntur: & similiter de deliciis roris intellige, atque abyssi subiacentis, hoc est, de deliciis prouenientibus ex aquis scaturientibus.

[k] Fructus solares hic vocantur fruges seminum, & fructus vinearum, quos Sol decoquit. Poma verò lunaria, secundùm Rabbi Gerundẽsem, cucumeres, & cucurbitæ sunt, quas terra illis in locis singulis emittit mensibus. Fructus menstruos vocat flores arborum, qui suis quibusque mensibus prorumpunt.

De pomis fructuum Solis, ac Lunæ.] Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Et de deliciis nouorum fructuum Solis, & de deliciis germinis mensium Lunæ.* Anni solaris primitias, & similiter mensium delicias intellige: videmus enim singulis mensibus noua germina delicatarum herbarum, & etiam florum apud Principes haberi.

Vers. 15. Et de vertice antiquorum montium [l], & de deliciis collium æternorum.] Siue antiquitatis, siue Orientis legas, significantur deliciæ illorum montium, vel trãsplantatione, vel fructuum delatione communicandæ regno Israël. Similique sensu intellige de deliciis collium æternorum.

[l] *Montes antiquos, & colles æternos*, eos intelligo significari, qui in prima rerum productione fuerunt, quorum viriditas, & pulchritudo sæpè in Scripturis memoratur. Optat igitur Moses terræ Ioseph fertilitatem, & benedictionem collium æternorum abundãtiæ similem. Hæc nota pro loco Gen. 49. vbi fit mentio horũ collium æternorum.

Vers. 16. Et de frugibus terræ, & de plenitudine eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Et de deliciis terræ, & plenitudinis eius.* Tanquàm generalem clausulam post tot species intellige hoc.

Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput [m] Ioseph, & super verticem Nazaræi inter fratres suos.] Iuxta Hebræum habetur: *Et voluntas habitatoris rubi veniet ad caput Ioseph, & ad verticem separatum fratrum suorum.* Narratis benedictionibus corporeis terræ, explicatur regia dignitas affutura Tribui Ioseph ex voluntate Dei. Appellatur autem Deus *habitator rubi*, ratione apparitionis in rubo descriptæ

[m] Hebræi omnia ferè, cùm mala, tum bona, imprecari solẽt in caput, quòd caput, scilicet, primum & dignius membrum sit totius corporis, vt Psal. 7. *Conuertetur dolor eius in caput eius.* Cæterum Ioseph dicitur Nazaræus, nam à fratribus suis, velũti Nazaræus separatus fuit, & venditus in Ægypto.

scriptæ Exodi 3. Nominatur autem sic in proposito: quia, quemadmodum Deus tunc apparuit soli Mosi in loco syluestri; ita in Ahia Propheta solum Ieroboam allocutus est, prophetando ei regnum, vt scribitur 3.Reg. 11. Voluntas itaque *habitatoris rubi* manifestanda per Abiam Prophetam ventura ad caput Ioseph, & verticem eius, regia corona est. Meritum autem Ioseph, quo meruit Tribui suæ regnum, tangitur dicendo, *separatum fratrum suorum:* ex eo enim, quòd fuit separatus Ioseph venditione, &c. meruit filiis suis regnum: quãuis potiùs separatio ista possit aptè intelligi separatio Israëlis à Iehuda: vt intelligamus prophetari coronam Ioseph, quando separabitur vertex à regno fratrum suorum Binjamin, & Iehudæ: sic enim fuit adimpletum ad literam ex voluntate Dei, vt patet in 3.Regum.

Vers. 17. Quasi primogeniti tauri, pulchritudo eius.] Iuxta Hebræum habetur: *Primogenitus bouis eius pulchritudo ei.* Quamuis regia dignitas magnum quid fuerit: quia tamen Tribus illa abusa est potestate regia ad magnum suum dedecus; ideò de Iehosuah prophetans Moses, (qui & ipse erat ex Tribu Ioseph,) dicit, ipsum fore decori, ac pulchritudini Ioseph. Et appellatur Iehosuah, *primogenitus bouis Ioseph:* tum, quia fuit similis primogenito bouis, & in fortitudine, & præcipuè in iis, quæ ad Deum sunt: nobilissimum enim primogenitorum dicatorum Deo erat primogenitus bouis. Tum, quia fuit primus Princeps populi ex Tribu Ioseph per Ephraim in bouem ipsius Ioseph, pro quanto prælatus fuit à Iahacob reliquis filiis Ioseph.

Cornua [n] rhinocerotis, cornua illius.] Ad eundem Iehosuah hoc spectat, cuius fortitudo in debellatione tot Regum apparuit. Vnde & subditur:

[n] Id est, speciosum regnum, potẽs viribus, & viris: & *cornua Rhinocerotis, cornua eius,* id est, Reges, & Principes & duces ad bella fortissimos habeat; hæc duo cornua millia sunt Ephraim, & millia Manasse, is vẽtilabit gentes vsque ad terminos terræ Israel, expellẽdo ipsos.

In eis populos cornupetet vsque ad terminos terræ.] De terra promissionis est sermo, quam Iehosuah acquisiuit populo vsque ad præfinitos terminos pro tunc.

Hę sunt multitudines Ephraim, & hęc millia Menasse.] Ad manifestandum, quòd vtranque Tribum Ioseph sub vnica comprehendit benedictione, extendit benedictionem ad multiplicationem vtriusque Tribus. Nec refert, quòd Interpres multitudinis nomine vtitur, vbi Hebraïcè *decem millia* habentur: quoniam numerus finitus pro infinito ponitur.

Vers. 18. Et Zebulum [o] ait: Lætare, Zebulum, in exitu tuò, & Issaschar in tentoriis tuis.

[o] Cõtrariis allusionibus vtitur Moyses: nam Zebulon lætari exeũdo dicit: Isachar vero manendo domi, habitauit siquidẽ Zebulon iuxta mare iubetùrque hic lætari, quod habiturus sit prosperũ in nauigationibus, & negotiatione successum: quoniam in stationibus maris ditescerẽt. Sugentes, & attrahẽtes bona ex mari in nauibus, vel fortè exũdatione maris thesauros erãt reperturi, vt fieri nõnunquã solet. Isachar verò eò lætari iubetur, quòd in quiete cum bonorũ omniũ affluentia habitaret in tabernaculis, studio legis operam impendens, vocans populos ad mõtem domus Domini, vt legem audiant, & sacrificia iustitiæ offerant.

Vers. 19. Populos ad montem vocabunt, ibi immolabunt victimas iustitiæ.] Absque diuinatione loquendo, quantùm subiuncta insinuant, materia lætitiæ, harum duarum Tribuum (Zebulum & Issaschar) opulentia significatur: ideò lætari intus, & extra prædicuntur: ideò vocaturi populos ad montem Dei prædicuntur: vtpote exemplo suo alios inuitantes ad immolandum Deo victimas iustitiæ: diuites enim frequenter sacrificantes Deo, inuitant alios ad idem. Significanter autem dicitur, *sacrificia iustitiæ,* ne intelligeres ex diuitiis malè partis eos sacrificia oblaturos. Et oportuit hoc subiungere: tũ, quia raræ sunt diuitię absque iniquitate: tum, quia diuitiæ iustarum Tribuum prædicuntur futuræ ex negotiationibus, subiungendo:

Qui mundationem maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia abundantiam marium sugent, & recondita absconditorum arenæ.* Primæ particulæ sensus clarus est: patet enim, quid significetur per *sugere abundantiam marium:* naues enim vehentes maximas rerum copias delectabilium, ac vtilium, tanquàm sugendam lactis abundantiam præbent: verùm recondita occultorum arenæ non nisi gemmas, & aurum, quæ arenis occultantur, (vtpote, quæ arenæ immiscentur,) significant: hæc enim negotiationibus maritimis aduehuntur.

Vers. 20. Et Gad [p] ait: Benedictus in latitudine Gad.] Iuxta Hebræum habetur: *Benedictus faciens dilatare Gad.* Sors Gad insinuatur finitima alienigenis, in quorum terminos extendi poterat.

[p] Gad commendatur à fortitudine, & loci amplitudine, qui occupauit regna Sichõ, & Hog, quæ per brachium & verticẽ intelligere potes. Sicque exponit Rabbi Salomon.

Quasi leo requieuit, cepitque brachium, & verticem.] Et fortitudo Gaditarum describitur, & ex eo, quòd habitat, vt leo confidens, in fortitudine sua; & ex eo, quòd rapiet simul brachium, & caput, vt tam habitans, quàm prælians fortis valdè describatur.

Vers. 21. Et vidit principatum suum.] Iuxta Hebræum habetur: *Et vidit principium sibi.* Terra trans Iordanem, quæ fuerat Regum Sichon, & Hog, appellatur *principium:* quanuis enim terra illa non esset pars terræ promissionis; Gaditæ tamen videntes terram illam sibi commodam, reddiderunt illam principium terræ Israël. De principio itaque terræ ad literam est sermo.

Quòd in parte sua doctor esset repositus.] Iuxta Hebræum habetur: *Quia ibi pars scribæ absconditi.* Dicendo, *quia ibi,* manifestat, quòd de principio terræ locutus est. Et quoniam Moses proculdubiò intelligitur appellatus scriba legis; absconditus autem, hoc est, sepultus; noua hîc ratio redditur, quare Gaditæ elegerunt sortem suam in illo principio terræ; videlicet, quia considerarunt ibidem sepeliendum esse Mosen: sciebant enim decretum esse à diuina iustitia, vt Moses non ingrederetur terram promissionis: & videntes eum iam peruenisse vsque ad terminos terræ promissionis, rectè concluserunt, ibidem moriturum, & sepeliendum Mosen: & propterea non alienum à ratione esse putarunt, vt illud terræ principium esset terræ Israëlis, & petierunt eam sibi simul cum Reubenitis, & dimidia Tribu Menasse. Verùm ex hoc Textu insinuatur, quòd Tribus Gad fuit caput huius electionis: nam de ipsa dicitur: *Et vidit principium sibi: quia ibi pars scribæ absconditi.* Tanquàm pars obtingens Mosi ex vniuersa terra est locus sepulturæ eius: & propterea dicitur: *Quia vbi pars scribæ absconditi sub terra.*

Qui fuit cum Principibus populi.] Iuxta Hebræum habetur. *Et venit Capita populi.* Significatur ad literam, quòd Tribus Gad venit; hoc est, obtulit se ad veniendum. Vel prophetice dicitur: *Et venit Capita populi,* hoc est, præcedendo populum, tanquàm Capita, tanquàm primi ad præliandum: hoc enim fuit impletum ad literam: vt patet in

libro

libro Iehosuæ: propter quod & subditur:

Et fecit iustus Domini, & iudicia eius cum Israël.] Et executio promissionum, quæ erant iusta coram Deo, & iudicata per Mosen, completa per Gaditas, (præcedendo cum armis populum) describitur.

Vers. 22. Dan quoque ait: Dan catulus leonis[q].] Creditur propter Simsonem (qui fuit de Tribu Dan) prophetice dicta fuisse hæc verba.

[q] Nõnulli intelligũt, quod cõparatur Dan catulo leonis, saltanti de monte Basan, in quo optima erãt pascua, & vbi pecora saginabantur.

Pluet largiter de Basan.] Iuxta Hebræum habetur: *Saltabit de Basan.* Situs sortis Dan tangitur, videlicet, in ciuitate Lachis, quam appellauerunt Dan: vt scribitur Iudicum 18. aiunt enim esse ibi fontem principium fluminis Iordanis, qui fons subterraneo meatu fluit quodam fonte in terra Basan: & propterea dicitur, quòd Dan saltabit de Basan: aqua enim scaturiens in vno fonte, quæ non manifesto meatu procedit, & inuenitur scaturiens in alio fonte, appellatur saltans de loco ad locum.

Vers. 23. Et Napthali dixit: Napthali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictione Domini: mare[r], & Meridiem possidebit.] Iuxta Hebræum habetur: *Napthali satur voluntatis, & plenus benedictione Iehouah; mare, & Meridiem hæredita.* Abundantia delectabilium, quæ voluntate concupiscimus, significatur per saturitatem voluntatis. Benedictionem autem diuinam aiunt peculiariter spectare ad Tribum Napthali, eò quòd præcoces maturescerent in Tribu illa fructus terræ: vnde primitiæ offerebantur in templo Dei. Per mare autem occidentalem plagam sæpè Moses significat, eò quòd mare mediterraneum occidentale est terræ promissionis.

[r] Imò mare Galilææ, id est, paludem Mechon nonnulli intelligunt. Et Meridiem, scilicet, illius maris, protendebatur enim tors Nepthalim per totũ litus illius lacus, versus Meridiẽ.

Vers. 24. Aser quoque ait: Benedictus in filiis Aser.] Iuxta Hebræum habetur: *Benedictus præ filiis Aser.* Et in hoc aiunt significari filias Aser præstare aliis filiabus pulchritudine: propter quod subditur: *Erit placens fratribus suis.* pulchras enim puellas libenter viri accipiunt in vxores.

Et tingens in oleo pedem suum.

Vers. 25. Ferrum, & æs, calceamenta tua[s].] Abundantia olei in sorte Napthali significatur ex hoc, quòd infundit pedem suum in oleo, quasi in aqua: quemadmodum abundantia ferri, & æris exprimitur per hoc, quòd calceus ex ære, & ferro dicitur: tanquàm sit tanta abundantia ferri, & æris, quanta corij, & olei, quanta aquæ.

[s] *Calceamentum*, allegoria minime obscura significat nõnunquam terminos, & fines possessionis, vt Psalm. *In Idumeam extendam calceamentum meum*, id est, fines, & terminos possessionis meæ. & Amos 2. *Vendiderunt pauperem pro calceamentis* fortè quod veteri apud Iudæos more, cessio & resignatio iuris agri, per solutionẽ calceamenti fiebat. Sensus igitur est, quod in finibus, & possessionibus Aser nullus locus calcari posset, vbi nõ esset æs & ferrũ. Cæterum, quod nulla hic fit mẽtio de Simeon, eo fortè est quod certam possessionem nõ habuit, inclusus in benedictione generali. Rationes verò, quas Author assignat, ab Hebræis desumptæ sunt.

Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua.] Iuxta Hebræum habetur: *Et sicut dies tui fortitudo tua.* Tanti roboris Tribus Napthali describitur, vt fortitudo æquetur tempori vitæ: vt licèt transeant dies, & mutentur ætates hominis; non tamen mutetur fortitudo; sed in eodem homo perseueret robore, vsque ad mortem. Hyperbole proculdubiò est, ad insinuandum longum vigorem hominum illius Tribus. Et hîc est finis benedictionum singularum Tribuum, inter quas nulla fit mentio Tribus Simhonis. Creditur autem omissa, tum propter crimen aduersùs Ioseph: nam ipse caput illius criminis, imò inuitationis ad fratricidium habetur ex eo, quòd à fratribus ipse in vinculis obses relictus est sub carcere Ioseph, putantibus propter crimen commissum in Ioseph, accidere omnibus mala illa. Tum propter crimen Zimri de Tribu Simhon, scriptum Num. 25. fuit enim crimen illud in scandalum totius populi.

Vers. 26. Non est Deus aliis, vt Deus rectissimi.] Iuxta Hebræum habetur: *Non sicut El, rectissime.* Dictio interpretata, *rectissime*, illa est, quæ iam habita est bis. Nec in Hebraïco Textu est certi casus; sed contextus inuitat ad casum vocatiuum. Apostrophat itaque Moses ad vniuersum Israël, quatenus rectissimè viuit secundùm diuinam legem: & illi dicit, non esse quemadmodum El, hoc est, Deus summè fortis. Et declarando non habere similem subiungit:

Equitans cælos [t] in auxilium tuum.] Nullus enim equitare potest cælos, nisi verus El. Alij fortes equitant equos, vel elephantos ad auxiliandum suis: Deus autem Israël ex hoc ipso apparet carens simili, quòd equitat cælos, ad adiuuãdum Israëlem rectissimum. Et significatur per hanc metaphoram, quòd Deus vtitur cælis ad adiuuandum populum rectum: testantur enim hoc gesta, non solùm in mari rubro, sed tempore Iehosuæ, mouente Deo inferiores cælos ad grandines aduersùs hostes, & firmante Deo Solem victori populo.

[t] *Equitare cælos, & nubes*, idiotismus satis elegans, idẽ est, quòd celeriter, ac repentè visitare, & castigare, sicut in cælo nubes de regione in regionem transit quã celeriter Esa. 19. Vaticinatur autẽ Vates, de Ægypto, inquiens: *Ecce Dominus veniet super nubem leuem, & veniet ad Ægyptum & mouebuntur idola Ægypti à conspectu eius.* vbi de celerrima, & inopinata hostiũ irruptione in Ægyptũ (quos Dominus adduxit) Propheta vaticinatur.

Magnificentia eius discurrunt nubes.] Iuxta Hebræum habetur: *Et in altitudine sua cælos.* Duo de Deo dicũtur manifestantia, quòd caret simili: alterum, quòd veniens in auxilium tuum equitat cælos: alterum, quòd manens in celsitudine sua equitat etiam cælos: quod verificatur, pro quanto ipse est, qui per Angelos suos mouet cælos. Vnde & in Psal. dicitur, quòd *equitat super Cherubim.*

Vers. 27. Habitaculum eius sursum[u], & subter brachia sempiterna.] Iuxta Hebræũ habetur: *Habitaculum Elohe antiquitatis, & de subter brachia sæculi.* Magnificauerat Moses Deum ex parte dicendo, quòd equitat cælos: magnificat consequenter eundem ex parte tẽporis, dicẽdo, quòd *habitaculum Elohe* (hoc est, Dei) *est habitaculum antiquitatis.* Æternitatem intellige, per *habitaculum antiquitatis:* dicitur enim hoc, ad excludendum Deum habere habitaculum nouum: & propterea intelligere æternitatem per *habitaculum antiquitatis*, valdè quadrat: & quadrant subiuncta, videlicet, quòd brachia cuiusque sæculi sunt de subter: quoniã vires, potẽtiæque cuiuscunque sæculi oriuntur de sub æternitate, siue sint vires Angelorum, siue corporum cælestium, siue inferiorum.

[u] *Excelsa inhabitare*, est confidenter, seu felicissimè viuere, & quasi in turribus altis. *Brachia* etiam pro potentia, virtute, opibus, & maiestate, ac robore sumũtur, vt Iob 40. Et subter hęc brachia est Domini habitaculum.

Eiiciet.] Iuxta Hebræum habetur: *Et eiecit à facie tua inimicum.* Verè gesta contra Pathonem, & Hamalecitas, & Reges multos testabantur tunc, quòd Deus eiecit à facie Israël inimicum.

Dicétque: Contere.] Iuxta Hebræum habetur: *Et dixit: Destrue.* Ne intelligerent, Deum sine ipsis debellaturum inimicos explanatur modus, quo iam eiecit Deus inimicos, etiam à terra promissionis; videlicet, ex hoc ipso, quòd statuit: Et dixit tibi, Israël: Destrue inimicos.

Vers. 28. Habitabit.] Iuxta Hebræum præteriti est temporis.

Et

Et habitauit Iſraël confidenter ſolus.] Futurus effectus propheticè deſcribitur, tanquàm præteritus. Et eſt ſenſus, quòd quilibet Iſraëlita habitabit ſolus confidenter abſque timore inimicorum: ſecuritas enim ſingulorum habitantium pingitur.

Oculus Iahacob ad terram frumenti, & vini.] Non ſolùm ſecuritas hominum, ſed feracitas terræ promiſſionis deſcribitur.

Cæliq́ue caligabunt rore.] Iuxta Hebræum habetur: *Etiam cœli eius effundent rorem.* Dictio interpretata, *effundent* ſignificat magnum deſcenſum: eſt enim illamet, quæ in principio cantici Moſis ingentis imbris deſcenſum ſignificat: hîc enim ſignificat ingentis roris deſcenſum ad fœcunditatem terræ.

Verſ. 29. Beatus tu, Iſraël.] Laudato Deo, laudata terra, laudat populum.

Quis ſicut tu populus ſaluatus in Iehouah ſcuto auxilij tui: & qui gladius altitudinis tuæ.] ſubaudi, *eſt*. Ita iacet Hebræa litera: & ſenſus clarus eſt: *Et negabunt*[x] *inimici tui te, & tu eorum colla calcabis.* Parui refert, quòd Hebraïcè habetur:

Et tu ſuper excelſos eorum calcabis.] quod ad literam impletum eſt, quando iubente Iehoſuah Iſraëlitæ ſuper Reges gentium pedes poſuerunt.

x Hæc phraſis: *Mentientur tibi inimici tui,* ſæpe reperitur alibi, idem ſignificās, quod ſubiici, vt Pſal. 65. *Et mentientur inimici tui,* in quibus verbis mētiri inimicos Iſraeli idem eſt, quòd fieri ei ſupplices, & penitùs potentiæ illius ſubiici. Sic Pſalmo 80. illud, *Inimici Domini mentiti ſunt ei,* valet idem, quòd penitùs ſubiici. Et forſan inde, *mentiri,* pro trepidare, & maximè ſeruili ſubiectione Scriptura vſurpare ſolet, quòd qui ita ſubiecti ſunt, multa ſoleant timore nimio adacti mentiri his, quibus ſubiunt, & quorum potentiam maximè formidant.

CAPVT XXXIV.

VERS. I.

Aſcenditq́ue Moſes de campeſtribus Moab in montem Nebo, verticem Phaſga.] Iuxta Hebræum habetur, *verticem collis contra Iericho:* ita quòd appoſitiuè ad montem Nebo ſcribitur, *verticem collis:* ſuprema enim pars montis eſt, qui paruus mons, quaſi collis inſinuari videtur ex hac oppoſitione.

Oſtenditq́ue ei Dominus omnem terram Gilhad vſque Dan.

Verſ. 2. Et totum Naphthali, terrámque Ephraim, & Menaſſe, ac omnem terram Iehudæ.] Certum eſt, partes illas terræ non ſic cognominatas fuiſſe tunc, quando Moſes vidit eas: ſed Iehoſuah, qui (vt creditur) adiunxit hoc capitulum Deuteronomio; ſic nominauit eas, vt intelligeremus partes terræ viſas.

Vſque ad mare nouiſſimum[a].] Si mare mortuum, ſeu ſalſum, poſt terram promiſſionis eſt ſitum, ipſum intellige: nam Hebraïcè ſcribitur, *vſque ad mare poſterum.*

a *Mare nouiſſimū*, mare mediterraneū, Cyprium, & Ægyptiū, ſcilicet, dicebatur: eſt mare nouiſſimum, quòd eò vſque terræ ſanctæ fines excurrerent.

Verſ. 3. Et meridionalem partem, & latitudinem campi Iericho ciuitatis palmarum vſque Sohar.] Scribunt Iericho appellari ciuitatem palmarum, eò quòd ſit ferax palmarum.

Verſ. 4. Dixitque Dominus ad eum: Hæc eſt terra, quam iuraui Abraham, Iſhac, & Iahacob, dicens: Semini tuo dabo eam.] Quæſtio oritur, quomodo verificatur, hanc eſſe terram promiſſionis, in quam tranſiturus non erat Moſes: cùm tamen ſub hac terra comprehendatur terra Gilhad, quam iam poſſidebat Moſes, vtpote citra Iordanem ſitam: dedit enim Moſes terram Gilhad filiis Menaſſe: vt ſcriptum eſt Num. 32. Solutio eſt, quòd licèt terra Gilhad connumeretur hîc inter viſas à Moſe, quia perſonaliter non acceſſerat ad eam; non tamen continetur ſub demonſtratis per pronomen, *hæc*, dicente Deo: *Hæc eſt terra, quam iuraui Abraham, Iſhac,* &c. Et ad hoc inſinuandum ſubiungitur:

Videre feci te oculis tuis, & illuc non tranſibis.] Plus Deus monſtrauit, & dedit, quàm promiſerat: nihil ergo adimitur veritati.

Verſ. 5. Mortuuſque eſt ibi Moſes ſeruus Iehouah in terra Moab.] Non eſt raptus, vt Elias; neque diſparuit, vt Enoch: ſed verè mortuus eſt, non ægritudine, ſed

Super os Iehouah[b].] Hoc eſt, ex efficacia verbi, quod dixit Deus: *Aſcende in montem, & morere ibi.* vt ſcriptum eſt in cap. 32.

b *Super os Iehouah*, hoc eſt, iuxta verbū Domini.

Verſ. 6. Et ſepeliuit eum in valle in terra Moab contra domum Pehor.] Ipſe Deus ſcribitur ſepeliens Moſen, non in monte, in quo mortuus eſt, ſed in valle exiſtente in terra Moab è regione domus Pehor. Tanquàm ab ædificio valdè noto definitur vallis, in qua ſepultus eſt Moſes. Omnia itaque humana officia à ſepultura Moſis excluduntur ex hoc, quòd Deus angelico miniſterio ſepeliuit ipſum. Rurſus ex hoc, quòd non in monte, vbi mortuus eſt; ſed in valle terræ Moab ſita è regione templi Pehor ſepultus ſcribitur, inſinuatur, quòd viſibiliter corpus Moſis vectum eſt à loco obitus ad vallem, in qua ſepultus eſt: alioquin ignotum fuiſſet, an ſepultus fuiſſet in loco mortis, an in valle dicta, an alibi: nam morti eius præſentes erant multi: & quemadmodum ſcriptum eſt, quòd mortuus eſt in vertice montis, eò quòd viderunt ipſum mori ibidem, & mortuum, Iehoſuah, Elhazarus, & alij Principes populi, cum quibus aſcendit in montem; ita quòd viderunt corpus Moſis mortui vehi per aërem ad vallem illam; ſcripſit Iehoſuah, quòd Deus ſepeliuit in illa.

Et non cognouit vir ſepulcrum eius vſque in præſentem diem.] Monſtrauit Deus cadauer Moſis vehi ad vallem illam, ſed non monſtrauit locum determinatum in illa valle, in qua ſepultus eſt Moſes: nubes enim operuit aliquantum ſpatium illius vallis, vt non poſſet quiſquam videre, in quo loco illius ſpatij ſepeliretur Moſes: hic enim modus quadrat humanis ſenſibus, & proptereà credendus eſt: quoniam Deus diſponit omnia ſuauiter. Et voluit Hebræos videre, quòd Moſes non eſt ſepultus in loco, in quo obiit, ne celarent eum ibi: & voluit eos videre, quòd eſt ſepultus in valle illa, & non videre, in quo loco illius vallis ſepultus eſt, vt nec crederetur tranſlatus in Deum ex hoc, quòd ſepultus eſt in valle illa; nec idololatriæ locus relinqueretur ex hoc, quòd certum ſepulcri eius locum neſcierunt, & neſciunt: ob hanc enim cauſam occultatum fuiſſe corpus Moſis inſinuat Iudas in canonica epiſtola, dicendo, Michaëlem Archangelum certaſſe cum Diabolo in corpore Moſis.

Verſ. 7. Et Moſes filius centum, & viginti annorum erat, quando mortuus eſt: non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti ſunt.] Iuxta Hebræum habetur: *Et non fugit viror eius.* quod longè maius eſt, quàm immotio dentium.

Verſ. 8.

Verſ. 8. Fleuerúntque filij Iſraël Moſen in campeſtribus Moab triginta diebus: & completi ſunt dies fletus lugentium Moſen.

Verſ. 9. Et Iehoſuah, filius Nun, repletus eſt ſpiritu ſapientiæ, qua poſuit Moſes manus ſuas ſuper eum.] Et ad commendationem Moſis ſpectat; & ſeipſum agnoſcit, & profitetur Iehoſuah perfectum ſpiritu ſapientiæ, miniſterio manuum Moſis: vt intelligamus, quòd quanuis ſucceſſor Moſis eſſet; non tamen æquabat ſe illi, ſed agnoſcebat ab illo etiam internum ſapientiæ ſpiritum: quam perſpicuum eſt à ſolo Deo dari.

Et obedierunt ei filij Iſraël, fecerúntque ſicut præcepit Dominus Moſi.

Verſ. 10. Et non ſurrexit Propheta vltrà in Iſraël, ſicut Moſes[c].] Aiunt, (& non irrationabiliter,) Eſdram adiecisse huic capitulo hæc: Eſdras enim Prophetas omnes, qui fuerunt in Iſraël, vſque ad reuerſionem ex captiuitate Babylonica, ſcrutatus fuerat: & optimè teſtificari potuit, quod hîc dicitur de excellentia Moſis relatiuè ad alios Prophetas.

[c] Hinc Hebræi omnes dicunt, caput hoc ſcriptũ eſſe a Ioſue, lõgo tẽpore poſt Moſi m... tem noſtris. Si Dominus fauerit ſtudijs, in Ioſue, & alijs Hiſtoricorum ſanctis Scripturis, ſi fiius hæc, & multa alia cognitu non indigna tractabimus.

Quem noſſet Dominus facie ad faciem.] Familiare colloquium, quale ſolet eſſe inter colloquentes facie ad faciem, inſinuatur: nulli enim Prophetarum legitur huiuſmodi familiaritas communicata, niſi Moſi.

Verſ. 11. In omnibus ſignis, atque portentis[d], ad quæ miſit eum Dominus, vt faceret in terra Ægypti, Pharaoni, & omnibus ſeruis eius, & toti terræ illius.] Hoc eſt aliud ſingularis excellentiæ in Prophetia Moſis; videlicet, quòd confirmata ſunt dicta eius à Deo tanta frequentia ſignorum.

Verſ. 12. Et in omni manu forti, & in omni terrore magno, quem fecit Moſes in oculis totius Iſraël.] Geſta in deſerto teſtantur errores multos, & magnos, vt patet de igne in monte Sinaï, & de igne comburente populum, & de igne, qui combuſſit filios Aharon, & qui combuſſit ducentos quinquaginta cum thuribulis, & deglutitione Datham, & Abiram, &c. Et ſic finit Deuteronomium ad Dei gloriam. Amen.

[d] Legem, & Euangelium dedit Dominus præmiſſis & ſequẽtibus aliquandiu magnis portentis, & miraculis, quæ voluit ad commendandã ſuam potẽtiã, & bonitatẽ, poſteris conſcribi, & diligenter narrari nõ perpetuò edere miracula noluit. Et ſicut in Eccleſia, cũ Apoſtolis hæc edendi ſigna facultas, vel remiſſa fuit, vel ceſſauit, ſic mortuo Moſe rariſſima Hebræis prodigia euenẽre. Quem enim ad credendũ prædicata ſigna nequeunt permouere, neque viſa mouebunt, vti in Phariſæis, & reliquis Iudæis ſatis apparuit, qui citius Beelzebub Chriſti miracula attribuerunt, quàm vt credere ipſi ſuſtinuiſſent. Fides enim opus Spiritus ſancti eſt, quam nobis ſynceram det Chriſtus. Amen.

Commentariorum Thomæ de Vio Caietani, Cardinalis ſancti Xiſti, in quinque Libros Moſis,

FINIS.

INDEX

INDEX

Rerum, & Verborum, quæ in hoc primo tomo continentur.

Prior numerus paginam, posterior columnam, & ad eam additionem indicat.

Ægrotum

Argenteus.

Index Rerum,

Deus

Festorum

Eius

Vir

Ishac

Labrum.

Maledi

Menstruum.

Moses

P.

Pacifica.

Peccatum

Q.

Quies.

R.

Racemus.

S.

Sabbathum.

Mortua

Spiritus

T.

Thymia

Index Rerum,

Vitulus.

F I N I S.